Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Illustrium veterum scriptorum, qui rerum a Germanis per multas aetates gestarum historias vel annales posteris reliquerunt,.

https://hdl.handle.net/1874/425030

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

PISTORII
SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM

TOM. 2.

Historia Gentium
Fol. n°343.

Historia Gentium
Folio nº. 343.

9ec 113

5 fol 343 dl 2

GERMANICO-RVM SCRIPTORVM, QVI RERVM A GERMANIS PER MVLTAS ÆTATES GESTARVM HISTORIAS VEL ANNALES POSTERIS RELIQVERVNT,

Tomus alter:

Quo continẽtur Gotefridi Viterbiẽsis Pantheon, Werneri Rolewinkii Fasciculus temporum, & H. Mutii Chronica. Ad hos scriptores, magna diligentia recognitos, accessit nunc recens secundi Appendix, nunquam antehac in lucem edita.

Ex bibliotheca Ioannis Pistorij Nidani D.

Vitas auctorum qui hoc volumine continentur, inuenies post præfationem.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

FRANCOFVRTI
Apud hæredes Andreæ Wecheli,
ANNO . M D LXXXIIII.

ACADEMIA MARIANA

Ex donatione Bucelli



ANDR. VVECHELI HEREDES GERMANICI NOMINIS AMATORIBVS S. P. D.

POSTEAQVAM *soceri obitu res typographica cũ reliqua hereditate ad nos deuoluta est, id nobis vnice curandum existimauimus, vt tum cæteras eius laudes tueremur, tum Germanici nominis studium pro nostra virili æmularemur. Quem animum nostrum cũ præclari quidam viri perspexissent, quibus idem propositus erat scopus, vltro se instituto nostro & duces & socios præbuerunt; in primis Ioannes Pistorius, vir vt in arte medica, sic in historiarum cognitione magno cum iudicio versatus. Eius itaque consilio Germanicarum rerum scriptores in duas classes distribuimus. In prima eos posuimus, qui vniuersalem gentis historiam, vel a muna primordiis, vel a remotissimis seculis auspicati, per multos annos vsque ad sua empora deduxerunt: in altera eos consociauimus, qui vnius duntaxat populi aut rincipis res per aliquot annos gestas memoriæ prodiderunt: & pro cuiusque scriptoris ætate, locum ei in sua classe attribuimus. Qua in re cum etiam moles tomorum spectanda nobis esset, ideoque Rolewinkij Fasciculus in primum prioris classis tomum recipi non posset, in altero suæ classis tomo honestum ei locum assignar voluimus; atque vt stationem suam tueretur melius, idoneum ei comitatum adiendum censuimus. Ea quoque in re lubenter nos idem Pistorius, vt humanus est & promptus, adiuuit. Eius igitur monitu in hoc altero tomo damus primum Goefridi Pantheon; deinde Rolewinkij Fasciculum, cum Linturij Appendice; tetio, Huldr. Mutij Chronica. Quorum duo priores a mundi exordio vsque ad sua tempora historiam perduxerunt: ac Gotefridus quidem circa annum Christi 186, in Henrico VI substitit: Rolewinkius autem, in Maximiliano I, & anno Christi 1484: Appendix Linturij, in eodem Maximiliano, & anno Christi 514. Tertius vero, Mutius, non a mundi quidem principio, sed a prima tamen Germanicæ gentis origine commentarios suos inchoauit, eosq; continuo historiæ fil perduxit vsque ad annum Christi 1539, qui Carolo V imperij annus fuit 20. Aque vt temporum interuallis disiuncti sunt auctores isti, ita etiã diuerso scriptioni genere posteros & iuuare & oblectare voluerunt. Gotefridus, velut in poesi & prosa exercitatus, sacra pariter & profana, nunc soluta, nunc metrica oratione versequitur. Rolewinkius, quæ partim e veteribus, partim e*

recentioribus excerpsit, circulis & dimensis paginarum spatiis ita est complexus, vt tum diligentia vtilitatem, tum artificio voluptatem lectori afferat. Appendix in cæteris quidem breuis est: at de facto Caroli VIII Gallorum regis tam acrem inter duos ea ætate præstantes viros disceptationem interserit, vt res pene in foro agitari videatur; hinc Germano accusante, illinc Gallo regem suum defendente. Mutius vero, vt inter contribules suos est recentissimus, ita iisdem in multis est accuratior atque uberior. Nam (vt ipse in præfatione testatur) non Latinos tantum rerum Germanicarum auctores euoluit; verum etiam quotquot Germanicos eiusdem argumenti libros cõquirere potuit, studiose excussit, & quæ Latini vel plane præterierant, vel manca & obscura ad posteros tranmiserãt, e vernaculis libris probatioribus vel suppleuit, vel illustrauit; tanta dilgentia & fide, vt de Germanorum origine, moribus, institutis, legibus, & memorabilibus pace ac bello per tot secula vsque ad annum Christi 1539 gestis, nulla accuratiora ante illud tempus prodierint Chronica. Porro cum animaduertissemus hos auctores, præsertim priores, passim esse deprauatos, operã dedimus vt, quad eius fieri posset, hac editione nostra emendatissimi prodirent. In Pantheo sane multa integritati suæ restituit Hericus Petreus, vir magna eruditione atque acri iudicio præditus, qui totum id volumen diligenter recognouit. Fasciculi cum duo nacti essemus exemplaria, alterum Argentinæ impressum a Ioanne Prisio anno 1488; alterum postea sine nomine inuulgatum, vbi ex vtriusque collatione perspeximus recentius esse minus integrum, antiquius in plerisque secuti sumu. In annorum tamen numero recentior editio visa est interdum exactior. Qua de re cum decernere ipsi nollemus, quas in ambab. editionibus diuersitates inuenimus, in finem operis reiecimus, & calculum lectori permisimus. Ad nomina propria quod attinet, quia variis modis vitiata erant pleraque, Hebraica e receptis Bibliorum editionibus emendata sunt: Latina & Græca e probatis auctoribus in integrum restituta. In barbaris atque ambiguis ea exemplarium scriptura retenta est, quæ visa est magis consentanea. In cæteris diligenter cauimus ne ab exemplarium fide quidquam discederetur. Idem etiam factũ in Appẽdice ac Mutio. Quod reliquum est, oramus, quotquot estis rerum Germanicarum amatores, vt & hos auctores grato animo accipiatis, & si quos habetis alios qui lucem mereri videantur, eos quoque nobis & reip. impertiri ne grauemini. Valete. Francofurti, e typographeio Wecheliano, anno

MDLXXXIIII.

AVCTO-

AVCTORVM HVIVS VOLVMINIS VITAE, EX TRITHEMIO ET ALIIS.

GODEFRIDVS.

GODEFRIDVS Viterbienſis presbyter, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus, metro exercitatus & proſa. Scripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris reliquit. E quibus extat grande volumen ad Vrbanum papam tertium, carmine & ſoluta oratione mixtum, de mundi principio, de vniuerſo veteri & nouo teſtamento, & ætatibus mundi, tẽporibus, geſtis, ac hiſtoriis omnibus regum; quod prænotauit PANTHEON, lib. 18: *De mundi principio, & omn.* De aliis nihil vidi. Claruit ſub Frederico Imperatore primo, & Henrico eius filio, anno Domini M C LXXXV. *Hæc Trithemius: quibus addere lubet quæ Baſilius Ioannes Heroldus de eodem in ſua Panthei editione præfatur.* Vixit vir ille (*inquit*) quadringẽteſimum annum ante nos, aut paulo amplius: viuit ac volitat nunc per ora virũm: viuetque merito æternum. Is namque ex Babenbergenſi ſchola (quæ tum temporis fuit clariſſima) prodiens, ſacris literis inſtructus, Platonica diſciplina imbutus, philoſophus, poeta, atque hiſtoricus inſignis euaſit: lucem memoriæ rerum omni, ac præſertim Germanicis rebus intulit tantam, quantam ante ipſum alius nemo: & potuit id quidem præſtare facillime, iam ſacris & ſcriniis a Cõrado tertio, Fridenricho primo, & Hẽricho ſexto, Imperatorib. præfectus: Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Chaldææ, multarum quoque aliarum barbararum linguarum gnarus homo: qui peregrinatione, omni terra, totoque mari per totos XL annos exercitatus, omnes omnium quas vndiq; adiit gentium Bibliothecas excuſſerat: in hoc (vt ipſe teſtatur) incumbens grato animo, vt patriæ, cui hæc omnia debebat, vicem rependeret, ſplendoreque ab ipſa recepto, illuſtraret fœda taciturnitate atque diſſimulatione inuidioſa fraudatam ſuo ornatu; quo certe nunc, aſtris ipſis par emicat, dum Ioachimi illius Camerarij vnà cũq; doctiſs. viri literatura illuſtratur. Miſcuit proinde hic noſter (vt ille ait) vtile dulci, dum rerum enumerationem grauiſſimam, atque de rebus ſeriis diſputationum pondus interpolando, verſibus illis ternariis & quadratis non adeo infeliciter ludit. Debet profecto omnis hiſtoria, vt ſacra, ſic profana, ſiue vetus illa, ſiue aduſque eius tempora recentior fuerit vlla; debet, inquam, permultum tanto auctori. quo fit, vt maius illorum peccatum ſit, qui tanto theſauro Remp. literatiam tanto tempore ſcienter defraudarunt. Nam celeberrimi ſcriptoris loco hunc habitum ſemper fuiſſe, id declarat, quod ij qui poſt illum aliqua admiratione hiſtorias ſcripſerunt, præclariſs. huius teſtimoniis, ceu ſacris quibuſdam oraculis monumenta ſua confirmarũt, ac velut gemmis ſplendidiſſimis exornarunt. Cæterum vt ingenue id quod mihiipſi perſuadeo, proferam, videor mihi nonnihil, ac ex parte quæ debeo patriæ præſtitiſſe, quod huius auctoris ſcripta indagaui, quod illa in publicum edo, atque doctis viris cõmunico. Wolfgango quoque ab *Vſigheym*, viro memoria (quam ſemper præ omnibus rebus ſibi optabat) in libro Vitæ digniſſimo; quod hunc librum in ſua Bibliotheca Fuldenſi, etiam in maximis bellorum periculis, & ſæpius præſenti diſcrimine ſodalitatis ſuæ, conſeruarit integrum, eundemque per me euulgari voluerit; cum literati homines, quas debent gratias referre nequeant, eas quidem ac maximas agãt neceſſe eſt, Wolfgango *Schutzbar*, (alias *Milchling*) pientiſſimi illius mei patroni ſucceſſori optimo: quem dum ſano conſilio exercitatiſſimus & ſapientiſſimus ſenex, vt poſt mortem ipſius, rebus ſuis præeſſet, legeret, bonis atque literatis hominibus Mæcenatem liberaliſſimum conſtituiſſe ſe, certiſſima teſtificatione affirmabat. neque fefellit diuinum animum præſagitio cœlitus inſpirata. hic enim in bonos, in ſtudioſos, in pauperes admodum beneficus, hanc editionem vt maturarem Reipubl. bono, ſæpius admonuit, atque ardenter deſiderauit. *Hæc ille de Gotefrido.*

WERNERVS ROLEWINK.

WERNERVS ROLEWINK de Laer, natione Teutonicus, patria Weſtphalus, ordinis Carthuſienſium, domus ſanctæ Barbaræ in Colonia Agrippina, vir in diuinis

ſcripturis ſtudioſiſſimus,& valde eruditus, ingenio excellens, vita & cõuerſatione deuotus,edidit multa præclara opuſcula,quibus ſe vtilem præſentibus,& memorabilem reddidit futuris. E quibus exſtant ſubiecta: Opus grande ſuper omnes epiſtolas Pauli, quod prænotauit

Doctrinam Pauli,	lib.14:	*Doctrina Pauli Apoſt.*
De vita quoque Pauli,	lib.7:	*Sicut fui cum Moyſe,ſic.*
De valore miſſarum,	lib. 1.	
De regimine principum,	lib. 1.	
De ſtudio Theologiæ,	lib. 1.	
Faſciculus temporum	lib.1:	*Generatio & generatio.*
Paradiſus conſcientiæ	lib. 1:	*Tulit Dominus Deus hominem.*
Sermones multi	lib. 1.	& alia complura.

Vidi olim in eius cellula tractatus paruos quidem, ſed plures & vtiles, quorum titulos iam a memoria tulit obliuio. Viuit adhuc in Carthuſia Colonienſi prouectæ ætatis,& varia conſcribit ſub Maximiliano Romanorum rege,anno Domini quo iſta ſcripſimus M CCCCXCIIII, Indictione XII. *Trithemius. Meminit eiuſdem & Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum, fol. 439.*

IOANNES LINTVRIVS.

IOANNES LINTVRIVS, ſcriptor *Appendicis* ad *Faſciculum Temporum*, paſtorem ſe nominat eccleſiæ *Hoffenſis* in *Voitlandia*. Fuit ibi anno Chriſti CIↃ CCCC XXCIX, vt in hiſtoria illius anni videre eſt. Hiſtoriam complectitur inter annum Chriſti CIↃCCCC LXXV,& annum CIↃ IↃ XIIII:in qua quidem geſta inſigniora imperij,quæ etiam apud alios habentur, deſcribit;potiſſimum tamen ad ſuam *Voitlandiam*, ſuæque *Hoffenſis* eccleſiæ res geſtas collimare videtur.

HVLDRICHVS MVTIVS.

HVLDRICHVS MVTIVS Hugwaldus Durgeus,Baſilienſis Gymnaſij profeſſor,ſcripſit de ſtudiorum ſuorum procœmio libellum excuſum Baſileę. Item epiſtolam ad omnes qui Chriſtum ex animo quærunt,impreſſam Baſileæ anno 1522. De Germanorum prima origine, moribus, inſtitutis, legibus,& memorabilibus pace & bello geſtis,libros 31, impreſſos Baſileæ apud Henricum Petrum, anno 1539. Cœpit etiam ſcribere de Agricultura,& alia multa nobis incognita. Floruit Baſileæ anno 1551. *Biblioth. Geſn. Epitome.*

PANTHEON GOTFRIDI VITERBIENSIS, OLIM NOTARII REGIS CONRADI TERTII ET FRIDERICI PRIMI IMPERATORIS, ET FILII EIVS HENRICI sexti: de vniuerso veteri & nouo Testamento; de omnibus ætatibus & temporibus seculorum, de omnibus mundi regnis & regibus & gestis eorum, de omnibus Romanis Pontificibus & Imperatoribus Romanorum, assignando nomina & acta & annos & dies eorum: ab initio mundi vsq; ad tempora domini Vrbani papæ tertij, & vsq; ad prædictum Imperatorem Fridericum primum, & filium eius regem Henricum sextum.

AD DOMINVM PAPAM VRBANVM TERTIVM, PROOEMIVM.

SVmmo & vniuersali papæ Vrbano tertio, domino & patri suo reuerendissimo, Gotfridus Viterbiensis sacerdos indignus, seipsum in omni obsequio & obedientia subiectissimum.

Dum sacrosanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem: illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus: ita omnes Reges, & Principes, & vniuersa orbis Ecclesiæ, doctrina eius & regimine adornentur: & ab ea, tanquam à fonte iustitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur: quia nullum scripturarũ elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus, noua per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur: & ab eo vires authoritatemque recipiat, cui terrena & cœlestia diuinitus sunt commissa.

Eapropter, reuerendissime pater, hoc opusculum longo tempore simplicitatis meæ studiis aggregatum, & de veteri & nouo Testamento, atque de omnibus ferè historiis, in vnum volumen sub compendio redactum, ad honorem Dei, & emendationem seu approbationẽ sanctæ Romanæ ecclesiæ, ante vestrum examen perferre disposui, vestræque gratiæ præsentare curaui: vt si, authore Deo,

per vos fuerit approbatum, ad alias ecclesias vlterius deriuetur; & non solùm clerici, sed etiam Reges & Principes habeant hoc opus à vestræ sanctitatis authoritate. Impossibile enim est, perfecti regiminis & regiæ potestatis excellentiam conuenienter attingere his qui mundi cursum & originem aut scripturarum dogmata ignorant. Imperator verò aut Rex, qui cæteris Principibus potestate præponitur, si fuerit philosophiæ nescius, errare sæpius quàm regnare videtur. quia dum in causis Reipublicæ sapientia indiget, cogitur eam ab aliis frequenter emendicare. & ex hoc, aliena sæpius quàm sua cernitur virtute regnare. Omnes nanque Reges debent rerum statum, & iustitiæ disciplinam cognoscere: quam sola bruta animantia ignorant. Oportet etiam eos creatori de his omnibus reddere rationem. quia ipsi, quum legibus sint absoluti, non in legem, sed in Deum potiùs, videntur peccare: vnde dicitur, Tibi soli peccaui. Quum ergo Reges, non in leges, sed in Deum peccent, & Dei solius, vestróque examini reseruentur: antiquorum regum vitam & gesta atque historias oportet eos cognoscere: vt causæ præcedentium, fiant eis in posterum cautio futurorum. Ipsi quoque Principes, inter alia beneficia sanctæ Romanæ ecclesiæ, gaudeant se hunc historiarum libellum de fonte sanctitatis vestræ suscipere: cuius instructi adminiculo, poterunt subiectos sibi populos rationabiliùs gubernare.

Hoc autem opus, non tantùm in prosis, sed versibus annotaui: vt lectores eius, si aliquando prosas legendo fuerint fatigati, quum versus sequentes inspexerint, consonantia & delectatione metrorum ad legendum vlterius prouocentur: illi autem qui versus fortè non intelligunt, prosarum saltem lectionibus delectentur.

Intentionis autem nostræ est in hoc opere, ab ipsa prima rerum creatione incipere; immo ante omnem creationem, scilicet à diuina essentia, quæ est ante tempora. de qua frequenter quæritur; Vbi erat tunc Deus? & in quo mundo? & quid operabatur? & quomodo est trinus, & vnus Deus? & cuius erat dominus, dum nulla erat creatura? & quomodo Spiritus Domini ferebatur super aquas? & huiusmodi alia. Item de angelis, de cœlis, de planetis & elementis, atque de creatione hominis: & deinceps vniuersum vetus & nouum Testamentum, omnesq; historias gentium, regum & regnorum, sub compendio perlustramus. quæ omnia per capitula in ordine disponemus.

Nomen autem authoris libri, est GOTFRIDVS: quod interpretatur, Pax Dei. In lingua nanque Teutonica, Got dicitur Deus: & Frid dicitur Pax. Ideoque hoc nomen huic operi satis conuenire videtur: quum in hoc libro vetus Testamentum cum nouo, Latinæ historiæ cum barbaris, & prosæ cum versibus, sub vno volumine, tanquam inuicem pacificans, concedet.

Æstimo autem in causis huiuscemodi (sicut mos est fieri) nonnullos æmulos inuidiæ liuore torqueri: qui, prius quàm librum conspiciant, prius quàm magnam rerum copiam cognoscant, fient mihi non æquitatis iudices, sed operis detractores. Aduersus quorum insidias, talem ad defensionem mei voluminis constitui armaturam; vt per singula penè libri capitula, singula sint authorum nomina, in testimonium præsignata: quæ & lectoribus authoritatem exhibeant, & meipsum à detrahentium immanitate defendant.

Itaque

Itaque ſuper vetus Teſtamentum hos habeo authores:

Moſem, Eſaiam, Ioſephum, Danielem, & alios Prophetas: Ieſum Sirach, Dauid, Salomonem, Heſter, Iudith, Eſdra, & Machabæos.

In nouo autem Teſtamento, authores hos inducimus:

Omnes Apoſtolos, Clementem Papam, Dionyſium Areopagitam, Origenem, Iohannem Chryſoſtomum, Athanaſium, Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Gregorium: aliosq; nonnullos Eccleſiæ doctores.

Super hiſtorias verò gentilium, habemus etiam

Ioſephum, Dionem, Strabonem, Oroſium, Hegeſippum, Suetonium, Solinum, Iulium Aphricanum, qui prima Chronica conſcripſit ſub Marco Craſſo.

De Chaldæis quoque habemus

Beroſum, qui omnia Chaldæorum ſcripta defloravit.

De Ægyptiis, inducimus

Manethon hiſtoriographum & chronographum Ægyptiorum. Habemus etiam ab Ægyptiis, Mochum, Eſtium, & Hieronymum Ægyptium, hiſtoriographos famoſiſſimos.

Materia igitur totius libri eſt, vniuerſum vetus & nouũ Teſtamentum, & vniuerſi Imperatores, Reges & regna, quæ fuerunt vel ſunt ab initio mundi vſque ad tempora noſtra. quorum omnium notamus originẽ & finem, nomina, ætates, & geſta.

Sola itaque nomina regnorum, ad maiorem euidentiam, in præſenti proœmio duximus ſubroganda:

**Babyloniorũ regnũ,*	*Teutonum,*	*Senonum Gallorum,*	*Ordo hic confuſus.
Aſſyriorum,	*Lombardorum,*	*Saxonum,*	
Indorum,	*Hunnorum,*	*Sueuorum,*	
Ægyptiorum,	*Gothorum,*	*Siculorum,*	
Argiuorum,	*Viſigothorum,*	*Cretenſium,*	
Lacedæmoniorum,	*Oſtrogothorum,*	*Scytharum,*	
Theſſalorum,	*Anglorum,*	*Auarorum, hoc eſt Vngarorum priorum.*	
Sicyoniorum,	*Britonum,*		
Lydiorum,	*Pannoniorum,*	*Vinulorum, qui ſunt in confiniis Aſiæ & Europæ, ſuper Mæotidas paludes.*	
Amazonum,	*Athenienſium,*		
Macedonum,	*Medorum,*		
Hebræorum,	*Troianorum,*	*Vandalorum: &*	
Græcorum,	*Romanorum, Regum*	*Sardorum regnum.*	
Italorum omnium,	*& Conſulum,*	*Item,*	
Francorum,	*Sicambrorum,*	*De Sibyllis vatidicis.*	

Similiter poſt omnes Reges, poſuimus etiam hiſtorias Imperatorum; item omnium Pontificum Romanorum geſta, & annos, & menſes, & dies, nominaq; eorum: à beato Petro, vſque ad venerabilem Vrbanum tertium papam: & vſque ad dominum Imperatorem Fridericum primum, & ad filium eius dominum Regem Henricum ſextum, feliciter. Amen.

OPERIS DIVISIO.

Hoc autem opus, in viginti partes diuiditur: videlicet,

Sub veteri Testamento, hæc:

1		creatione rerum inuisibilium & visibilium,		Adam,	1
2		Adam,		Noë,	2
3		Noë,		Abraham,	3
4		Abraham,		Mosem,	4
5		Mose,		Iosue,	5
6		Iosue,		Samuelem,	6
7		Samuele,		Dauid,	7
8		Dauid,		Romam,	8
9		Roma,		Darium,	9
10		Dario,		Alexandrum Magnum,	10
11		Alexandro Magno,		Iudam Machabæum,	11
12	pars incipit	Iuda Machabæo,	& peruenit vsque ad	omnes Prophetas,	12
13	à vel ab	omnibus Prophetis,		Iohannem Baptistam,	13
		Sub nouo	*Testa-*	*mento:*	
14		Iohanne Baptista,		Bellum ciuile,	14
15		Bello ciuili,		Orientale imperium,	15
16		Orientali imperio,		Carolum Magnum,	16
17		Carolo Magno,		Anglos, & Saxones,	17
18		Anglis & Saxonibus,		Regalia insignia,	18
19		Regalibus,		Catalogos,	19
20		Catalogis		Vrbanum tertium,	20

Omnes hæ partes certis capitibus distinctæ sunt.

INVOCATIO AD DEVM, QVI EST PRINCIPIVM omnium rerum.

Principium rerum, primæuaque gesta dierum,
Scribere me doceat Lumen de lumine verum,
Cuius ad imperium secula sunt & erunt.

GOT-

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM

PARS PRIMA.

DE DIVINA ESSENTIA ANTE OMNEM CREATIONEM, & de mundo archetypo.

DE mundi principio & omnibus eius ætatibus & regnis & regibus (authore Domino) tractaturi, ante omnia de ipso Deo aliquid præliare intendimus, videlicet de Patre & Filio & Spiritu sancto: & quomodo tres personæ sint vnus Deus: & in quo statu, aut in quo mundo, erat Deus antequam cœlum & terram formasset, & antequam angelos vel aliquam creaturam fecisset. Quæ omnia quum sapientiam humanam, sensumque fragilitatis nostræ exsuperent, plenariè non possumus explicare. Tentabimus tamen, quasi modò geniti infantes, quibus perfectè loquendi facultas non suppetit, tanquam infantiliter de Dei essentia balbutire, in quantum ratio patitur, & ipse permiserit, cognoscamus. Essemus enim tanquam gentes quæ ignorant Deum. nisi credentes in Deum, scientiam Dei inuestigando quæramus.

Dicimus igitur, absque præiudicio melioris sententiæ; quòd Deus est substantia spiritualis, incircumscripta, omnipotens, incommutabilis, & inæstimabilis, & æterna, & tam incomparabilis pulchritudinis, atque tam ineffabilis suauitatis, vt angeli, qui solem in septuplum sua pulchritudine vincunt, iugiter desiderent in eum aspicere, & insatiabiliter gloriæ suæ præsentiam desiderare.

Deus, a patrando dicitur Pater, quia omnia creat, omnia patrat. Dicitur trinus, & dicitur vnus, sicut (exempli causa) in solem cõspicimus. Est enim in sole, ignea substantia, splendor, & calor. quæ tria, inseparabilia sunt. Per solem, intelligo Patrem; in splendore, Filium; in calore, accipio Spiritum sanctum. Filius Dei, dicitur sapientia Patris; quia à Patre, sicut splendor à sole, procedit: Spiritus sanctus, amor Patris & Filij nuncupatur. Pater, est vis diuinitatis, quæ omnia patrat. Illa autem vis diuinitatis, quę omnia continet, & omnia disponit, Filius appellatur. Qui verò omnia inspirando viuificat & ornat, Spiritus sanctus nuncupatur. Ex Patre, sunt omnia: per Filium, omnia: in Spiritu sancto, omnia.

Quæritur autem à multis, Quum Deus sit principium sine principio, & maneat ab æterno, nunquid credendum est, quòd ante creationem huius mundi, ipse solitarius fuerit, & sine mũdo aliquo? Ad quod dicimus sicut scriptum est, *Quod factum est, in ipso vita erat.* Per hoc patet, omnem creaturam in Dei præuidentia semper fuisse visibilem: quæ postea per formam apparuit visibilis in creatione ipsi creaturæ. quemadmodum & arca vel domus concepta in mente artificis, & ad effectum perducta in formam: talis constat in forma, qualem eam artifex in mente gestabat. Vnde dicitur Deus non esse antiquior sua creatura tempore, sed dignitate, & semper in se mundum habuisse. Quem mundum philosophi vocant archetypum id est figuratiuum. De hoc mundo archetypo, in consequentibus versibus exponemus. Propterea Deus Hebraicè dicitur אדני *adonai*: & Græcè Θεὸς *theos*, id est omnia videns: quoniam antequam te crearet, omnia vidit, omnia nouit. Deus vbique essentialiter est: substantialiter autem in intellectuali cœlo creditur habitare. de quo cœlo postea dicemus, vbi de cœlis disputabimus. Deus non circunscribitur loco. Locus nanq; est res corporea, Deus autem, incorporeus: vnde & loco non circunscribitur. Nam locus, est terminus circumhabentis, secundum quod circuit circumhabitum. Deus enim quum sit substantia intelligibilis, in locis intelligibilibus est, non in sensibilibus est sensibiliter: nec tenetur à sensibili loco, sed ipse tenet locum. Quum igitur dicitur Deus esse in nobis, non vt in loco, ita in nobis erit: sed secundum quod coadest, & eo existit, & operatur in nobis. Vsualiter autem dicimus; Est in nobis; quum oporteret dicere; Operatur in nobis. Quod enim est sine tumore, sine crassitudine, &

indiuiſibile ſecundum partem, loco circunſcribi non poteſt. Ideoque intelligo; dum dicitur, eſſe in omni loco; id eſt continet omnem locum, & omnia loca continentur ab ipſo. Fecit autem mundum ſola bonitate ſua, vt eſſent creaturę quibus ſuam gratiam impartiret. Dixit, & facta ſunt. Dicere Dei, eſt in Filio ſuo (qui eſt verbum ſuum) omnia creare. Vnde ſcriptum eſt; *Omnia in ſapientia feciſti:* hoc eſt in Filio, qui eſt ſapientia Patris. Ad hæc de mundo archetypo verſibus heroicis ſubſcribemus:

Fecerat archetypum diuina potentia mundum,
Mente ſua clauſum, non rebus adhuc oriundum,
Non color aut forma, nec ſitus orbis erat.
Cœlum formari non cœperat, aut variari,
Angelus aut Cherubin, ſol, luna, diéſue creari
Non homo plaſmari, non erat vnda mari.
Sidera non fuerant, nec erant elementa priora,
Aura vel aurora, calor, algor, tempus & hora,
Aut labor, aut requies, motio ſiue mora.
Nulla creatura fuerat; ſed cuncta futura
Pondere, menſura, numero, deitas paritura
Protulit in ſpecies, quas modò mundus habet.
Stabat in archetypo prius, & tunc mundus in ipſo;
Pòſt dedit angelicos ciues, cœlos, & abyſſos,
Pòſt loca ſideribus, pòſt elementa Deus.
In terris, & aquis, & in æthere, corpora fudit;
Dans herbis plantiſq́, ſimul conuiuere brutis,
Dans ſpecies auium, quadrupedumq́, genus.
Omnia mente Dei poterant prius illa teneri,
Eius & obſequiis, quaſi facta, potenter haberi:
Quippe Deo præſens tunc erat id quod erit.
Non mutatur enim deitas, nec habet variari,
Creſcere vel minui, maiórve, minórve putari:
Nec magis eſt locuples, plúsve minúsve potens.
Quæ loquor in ſumma, diffuſius ordine ponam:
Sed prius hìc, quid ſit tẽpus, vel quomodo, promam,
Quid ſit perſona, quæ deitate ſonat.

Determinatio temporum, & quòd res faciunt tempora.

Res faciunt tempus, facit & dimenſio rerum,
Ætates, anni motus, mora, meta dierum,
Et ſpecies operum, quæ vel erant vel erunt.
Non ſibi ſed rebus perituris tempora currunt,
Quæ vel erãt, vel erunt, vel ſunt, vel origine ſurgũt,
Creſcunt, aut pereunt, ſemper aguntur, agunt.
Sed Deus antè fuit, quàm res, quæ tempora præſtãt,
Hinc igitur reſtat, quia temporibus prior extat,
Adonai, Sabaot, alpha vocatus & o.
Principium ſine fine Deus, lux prima dierum,
Conditor eſt rerum, lumen de lumine verum.
Eius ad imperium ſecula ſunt & erunt.
In ſe principio, Deus vnus cuncta creauit,
Ipſe creata ſimul, pòſt in ſpecies variauit,
Et dedit humanis vſibus apta magis.
Eſſe Dei prius eſt, quàm mundus cœperit eſſe,
Omne quod eſt, eſſe cum tempore, protulit ex ſe,
Nulla coæua Deo tempora, noſſe queo.

De trinitate & vnitate in Deo, ſecundum fidem catholicam.

AD diſtinguendas ſummæ trinitatis perſonas, & diuinæ eſſentiæ myſteria declaranda, ſapientia humana nõ ſufficit. Nam cùm de Deo loquimur, modicũ id quod ſentimus, proferre in medium dubitamus; & de eius eſſentia, ſine Prophetarũ teſtimonio, quib. ipſe Deus diuinitus inſpirauit, ſcribere non audemus. Itaq; ante omnia, prophetica de Deo præſagia in mediũ (authore Domino) proferamus.

Audi Eſaiam; *Ego primus, & ego nouiſſimus: manus mea fundauit terram: dextera mea menſa eſt cœlos: antequam fierent, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me.* Ecce duæ perſonæ; mittens Pater Dominus Deus; & miſſus, Filius Deus. Tertia verò perſona exprimitur, cùm dicit; *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Scriptum eſt enim; *In principio fecit Deus cœlum & terram.* In eo vocabulo quod dicitur *Deus*, intellige Patrem. Quod autem dicit *Principium*, intellige Filium. In illo verò, *Qui ferebatur ſuper aquas*, intellige Spiritum ſanctum. Dauid dicit in pſalmis; *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ecce Dominus, Deus Pater: Verbum, Filius: & tertio loco Spiritus ſanctꝰ. In alio loco dicit Pater; *Et ſpiritus meus erit in medio veſtri.* Et iterũ; *Ecce mouebo cœlum & terram: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Ecce perſona Patris, & pſona Spiritus, & tertio loco Filius, cùm dicit; *Veniet deſideratus.* Et alibi; *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Et iterũ; *Tecum principiũ in die virtutis tuæ: In ſplẽdoribus ſanctorũ, ex vtero ante luciferum genui te.* Ex vtero, id eſt, ex ſubſtantia Patris, vel ex pectore Patris; vnde eructauit verbum bonum. Vnde ait ſapientia; *Ego ex ore altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam.* Eſaias autem manifeſtè dicit, Patrem genuiſſe Filium: *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum.* Hæc verba, nos ita intelligimus, antequam virgo in carne Chriſtum parturiret, Pater genuit Filium in diuinitate; & antequam in virgine tempus parturiendi veniret, Pater genuit eum ſine tempore. Item Eſaias; *Nunquid qui alios parere facio, ego ipſe non pariam, dicit Dominus?* Filius eſt ab æterno ſicut & Pater, ſicut ait Dauid: *Ante ſolem permanet nomen eius, & ante lunam ſedes eius.* Item alius Propheta; *Egreſſus eius à principio, à diebus*

bus æternitatis. Audi Esaiam dicentem; *Tu es Deus, & in te est Deus.* In eo quod dicit; *Tu es Deus:* intellige Patrem. In eo autem quod dicit; *In te est Deus:* intellige Filium. Item idem ipse Esaias, vt vnum solum Deum esse ostenderet, subiunxit, dicens; *Non est alius extra te Deus: verè tu es Deus absconditus, Deus Israel.* Pater quoque de Filio dicit; *Ante luciferum genui te:* id est ante omnia tempora. Sicut & ipse Filius, sapientia, de se ipso testatur, dicens; *Nondum erant abyssi, & ego concepta sum; necdum fontes aquarum eruperant; ante colles parturiebar. Quando præparabat cœlos, aderam. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram, componens omnia.*

Quod si quęris, quomodo filius à patre sit genitus? dicimus, quia suę diuinitatis arcana nec Apostolus didicit, nec Propheta vel aliqua creatura cognouit. Esaias enim dicit; *Generationẽ eius quis enarrabit?* dicit etiã beatus Iob; *Sapientiam Dei patris vnde inuenies?* Item alibi; *Radix sapiẽtiæ, & origo Filij Dei, cui reuelata est?* Christus enim sic à Patre venit, sicut splendor à lumine: sicut verbum ab ore: sicut sapientia à corde. Ista Prophetarum testimonia in hoc loco de trinitate sufficiant. Qui autem plura voluerit, in tractatu Prophetarum huius libri, quos inter nouum & vetus Testamentum plenariè descripsimus, legat. Ibi enim de omnibus obiectionibus & calumniis Iudæorum, posuimus prophetarum autoritates, & ita plenas responsiones, vt Christiani à Iudæis, in disputationibus huiuscemodi, superari non possint. In hoc autem præsenti titulo, de tribus personis, secundum Athanasium, id est de fide catholica, verificè superaddimus; atque similitudines de sole, de igne, & de aliis quibusdam, ad declarandas tres vnius substantiæ personas, dictauimus, sicut annotata leguntur in metris.

Item de tribus personis.

Ante creaturam genitor Deus & genitura,
Primaq; natura, nouit statuitq; futura:
Prima salus vera, trinus & vnus erat.
Filius à patre genitus, Deus in deitate,
Spiritus a patre, natiq; fuit bonitate.
Sic tres personæ, sub deitate patent.
Hic vnum, diuersa Deum tria nomina pandunt;
Est Pater, est natus Deus, est & Spiritus almus.
Tres ita personas nomina trina sonant.
Quælibet hic persona Deus, Dominusq; vocatur;
Sed Deus est vnus qui creditur, vnus amatur,
Vnus adoratur, religione patrum.
Quælibet æternus Deus est, rerum dominator,
Quælibet omnipotens, cœli terræq; creator.
Nec tamen esse Deos tres, perhibemus eas.

Exemplum trinitatis, & similitudo de sole.

Si qua loquor quæ te moueãt homo, respice solem,
Sol tibi splendorem semper parit atq; calorem.
Sol, calor, & splendor, sic simul esse solent.
Tres quoq; personæ sic sunt deitate sub vna,
Quod personarum substantia permanet vna:
Quæq; simul pariter, semper vbique manent.
Exempli causa, Pater est substantia solis,
Filius est splendor, calor est vtriusq; vigoris,
Spiritus ipse Dei, perpetualis ei.

Item similitudo de tribus virtutibus animæ, in trinitate.

Fantasia, & Ratio, Memoratio, tres animales
Virtutes substantiuæ sunt, & speciales;
Spiritus has peragens, vnus agendo manet.

Item similitudo de folio triplicato, in trinitate.

Si triplicas folium, plica trina fit; est tamẽ vnum,
In triplici folio tria sunt, vnumq; resumunt,
Sic etiam varias tres facit vna vias.*

* nescio an non res pro tres.

Similitudo de igne, in trinitate.

Est ignis, calor, & motus; sic ipsa videntur,
Vt neq; disiuncta, neq; disiungenda putentur,
Nam tria sic semper feruidus ignis habet.
Sic Pater & Natus, & Spiritus, in deitate,
Tres sunt personæ, pariter sibi perpetuatæ,
Et tres sunt vnum, quod ratione patet.

Item simile de gladio, in trinitate.

Ter Deus exprimitur, personaq; trina notatur;
Ter tamen expressus vnus Deus esse probatur.
Disce per exemplum de ratione datum.
Nunc sit in exemplis gladius, sit mucro, sit ensis.
Non ibi tres gladios sub trino nomine sentis;
Vnus erit gladius, vnus vt ipse Deus.

Aliud simile de verbo, in trinitate.

Ex vno verbo tria peruenientia cerno.
Scribe volo, vis, vult, *tria sunt, vno data verbo;*
Sed tres personas, vis, volo, vultque, *sonant.*

Item simile de nomine, in trinitate.

Tres etiam casus, ex vno nomine surgunt.
Dic iustus, iusti, iusto, *tres sunt ibi casus:*
Sed tribus his vnum nomen inesse datur.
Ter quoq; sol, sol, sol dictus, sol permanet idem.
Nominibusq; tribus dictus Deus, est Deus idem,
Nomina sic tria sunt, vt tria sint & idem.

De creatione; & ordinibus angelorum; & de diabolo; & de animabus sanctorum.

DVM cœlestium ciuium secreta rimamur, supra modum fragilitatis nostræ digredimur. Vnde & de angelis loqui pertimescimus, quia solius Dei scire est, quomodo diuinorũ spirituum in cœlesti glo-

ria natura consistat. Nouem tamen esse Angelorum ordines, ad explenda Dei ministeria, eloquia diuina declarant. De quibus Paulus scribens ad Ephesios ait; *Supra omnem principatum & potestatem & dominationem & virtutem.* Item ad Colossenses ait; *Siue throni, dominationes, principatus, potestates.* Inde & de Angelo, qui primus est conditus, propheta ait: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum; sardius, topazius & iaspis, chrysolithus, onyx & beryllus, saphirus, carbunculus & smaragdus.* Per nouem ista nomina lapidum, nouem intelligimus ordines angelorum. Quibus omnibus ordinibus ille primus angelus ornatus & opertus fuisse dicitur; quia dum omnibus agminibus angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit: & beatus Gregorius subtiliter idem asseuerat: ait enim; inter eos esse principatus ac potestates, qui Dei nutu mirabiliter dignoscuntur. De quibus alij ad nos in mundum futura prænunciare mittuntur; alij à Deo sunt instituti, vt signa & miracula frequentius faciant. Quidam autem subiectis sibi Angelorum spiritibus præsunt, eisque ad explenda ministeria principantur. Alij tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos iudicia diuina decernat. Alij tanto prouectiori scientia pleni sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur. Quidam vero ita Deo coniuncti sunt, vt inter eos & Deum nulli intersint, tantoque magis ardent amore, quanto subtilius claritatem diuinitatis eius aspiciunt. De illis in Euangelio dicitur; *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* De eis etiam Daniel propheta ait; *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Vnde nobis grauis oritur quæstio. Si enim semper vident Deum, & si semper Deo assistunt, quomodo à Deo mittutur in mundum, qui nunquam à Deo recedunt? Dionysius Areopagita dicit; Ex minoribus angelorum agminibus foras, ad explenda ministeria, vel visibiliter vel inuisibiliter, mittuntur; scilicet qui ad humana solatia, aut angeli, aut archangeli veniunt. Nam superiora agmina, nunquam à supremis recedunt. Illa enim quæ præeminent, vsum exterioris ministerij nõ habent. Contra quem Esaias dicere videtur, *Volauit* (inquit) *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum.* In hoc loco Seraphim, qui dicitur ardens vel incendens, officij sui nomen expressit, quum carbone os Esaiæ tetigit, vt peccata loquutionis incẽdendo curaret. Nos autem aperte scimus, quia alij spiritus alios mittunt, vt per illos ministeria expleantur. Zacharias enim propheta sic ait: *Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur: Et alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum; Curre, & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem.* Ecce angelus ad angelum præcipit, vt currat & loquatur. vnde dubium non est, quin alius alium mittit. Minores verò sunt, qui mittuntur: maiores enim, qui mittunt. Sed hîc de illis qui mittuntur, certum habemus, quia veniendo ad nos ita implent exterius ministerium, vt nunquam tamen desinat interius per internam contemplationem. Igitur mittuntur, & Deo semper assistunt. Paulus enim de eis ait; *Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiant salutis?* Item legimus, quòd ad Abraham angeli missi sunt; & ad Lot in Sodomis; & ad Tobiam; & ad Zachariam patrem Ioannis Baptistæ; & ad Mariam virginem; & ad Petrum in carcere; & ad sanctam Cæciliam. Quomodo autem possunt Deo assistere, & semper faciem Dei videre, qui pro nostra salute in mundum frequenter mittuntur? Hanc quæstionem beatus Gregorius super Moralia in Iob subtiliter soluit, dicens; Si, quantæ subtilitatis sit angelica natura, pensamus, ipsi non sic a diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur. quia, si conditoris aspectum, quando mittuntur, amitterent, neque homines iacentes erigerent, nec futura possent prænunciare, nec fontem lucis, quem eundo sic amitterent, in cœlestibus propinarent. Itaque in hoc est angelica natura à nostræ conditionis natura distincta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur. Angelorum verò spiritus, loco quidem circunscripti sunt, sed tamen illorum scientia longè supra nos incomparabiliter dilatatur. Interius enim & exterius sciendo distincti sunt, quia ipsum fontem scientiæ Deum assiduè contemplantur. Quid enim ignorare possunt illi, qui Deum, scientem omnia, sciunt. Angelorum itaque scientia, comparatione nostræ scientiæ,

entiæ, incircunſcripta & inæſtimabiliter dilatata eſt: ſed cõparatione diuinæ ſcientiæ ſatis anguſta. Similiter & ipſi angelorũ ſpiritus, comparatione noſtrorum corporum, ſpiritus ſunt: ſed cõparatione ſummi & incircũſcripti ſpiritus Dei, corpora ſunt. Igitur & à Deo in mundum mittuntur, & Deo ſemper aſſiſtunt. Per hoc enim quod circunſcripti ſunt, exeunt & mittuntur; per hoc verò quod incircunſcripti ſunt, intus cum Deo ſemper ſunt, & ſemper Deo aſſiſtunt, & ab eo nunquam recedunt. Ergo & faciem Dei Patris ſemper aſpiciunt, & in mundum ad nos veniunt. Ad nos veniunt ſpirituali præſentia foras exeuntes; & cum Deo ſunt, & præſentiã Dei, à qua receſſerant, per internam cõtemplationem conſeruant. Sed quia angelorum nomina perſtrinximus, ſupereſt vt officiorum ipſorũ vocabula exequamur. *Virtutes* igitur ſunt, illi ſpiritus, per quos ſigna & miracula frequẽtius fiunt. *Poteſtates* ſunt, illi qui etiam ipſis bonis ſpiritibus præſunt. *Dominationes* vocantur, qui poteſtates & principatus in alta tranſcendunt. *Throni*, ſunt illi ſpiritus vocati, quibus ad exercẽda iudicia preſidet Deus. Thronus enim in Latino eloquio ſedes appellatur: vnde Dauid; *Tu ſedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem.* *Cherubim* quoque dicitur plenitudo ſcientiæ; & ideo illa agmina ſublimiora, Cherubim ſunt vocata. *Seraphim* verò vocantur, quæ, ſingulari propinquitate ſui cõditoris, incomparabili ardent amore. Seraphim nanque ardentes, vel incendentes (vt diximus) interpretantur, quia inter Deum & illos, nulli interſunt. Ad illos autẽ ordines, quos diximus, angelorum, tãtos homines credimus aſcenſuros, quãti ſunt electi angeli, qui illic remanſerunt, ſicut ſcriptum eſt: *Statuit terminos gentium, ſecundum numerum angelorum Dei.* Ad hęc altera quęſtio nobis proponitur; Quomodo diabolus inter angelos bonos aliquãdo ſcribitur eſſe? vt in libro Iob; *Adfuit* (inquit) *etiam Satan ante eos*; ſcilicet inter angelos. Qualiter cum electis angelis eſſe potuit, qui, damnatus per ſuperbiam, à cœlis & à ſorte angelorum dudum eiectus exiuit? Vnde dicimus; quia ſatis inter eos fuiſſe potuit, qui, quamuis beatitudinem amiſerit, naturam tamen angelis conſimilem non amiſit. Et ſi culpis aut meritis prægrauatur, cõditione tamen ſubtilis naturæ extollitur. Ergo inter filios Dei, id eſt inter angelos, rectè Satan coram Deo adfuiſſe dicitur: quia intuitu illo, quo Deus omnipotens omnia ſpiritualia cõſpicit, etiam Satanam, ordine ſubtilioris naturæ ipſius videt; teſte Scriptura, quę ait; *Oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Sed obiicitur forſitan nobis quia ſcriptum eſt; *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Satan verò qui mundo corde eſſe non poteſt, quomodo videre poteſt Deum? Quod ita abſoluimus; quia dicit Scriptura, Satanam inter filios Dei, id eſt inter angelos coram Deo adfuiſſe: ſed non dicit eum vidiſſe Deum. Venit Satan, non vt videret, ſed vt videretur. Stetit enim corã Domino, ſicut cæcus ante ſolem: qui radiis quidem ſolis perfunditur, ſed lumen non videt quo illuſtretur. Virtus autem diuina quæ omnia intuenda penetrat, immundum ſpiritum, non ſe videntem, poteſt videre; quia dum immunda Deũ fugiunt, Deum latêre non poſſunt. Vnde quia omnia nuda ſunt diuino cõſpectui, Satan adfuit preſens præſenti; ſed Deum ſe videntem non vidit. Quod autem dixit Satan ad Dominum ſe interrogantem; *Circuiui terram, & perambulaui eam per gyrum in circuitu*: laboris eius anguſtia deſignatur. Idcoq; laborando terram circuit, qui in culmine cœli quietus ſtare contempſit. Qui dum ſe non tranſuolâſſe terram, ſed perambulâſſe inſinuat; quanto peccati ſui pondere in terra prematur, demonſtrat. Hinc ait Dauid; *In circuitu impij ambulauit.* Quæritur autem, quomodo loquatur Deus ad angelos, vel angeli ad Deũ? Quomodo ſanctorũ animæ ad Deũ, vel Deus ad ipſas loquitur? Quomodo Deus ad diabolum, vel diabolus ad Deum?

Dicimus itaque, quia Deus ad ſanctos angelos eo modo loquitur, quo eorũ mentibus occulta ſua quaſi viſibilia oſtendit; vt quicquid agere debeant, in ipſa contemplatione deitatis legant: & velut quædam præcepta vocis, ſint ipſa gaudia cõtemplationis. Et ſicut hominibus, per aures audientibus, aliq̃d voce exprimitur: ita præceptum Dei, angelis Deũ contemplantibus inſpiratur. Angeli autẽ Deo loquũtur, quũ ad laudẽ Dei eorũ mentes mouentur: quia voces eorum, nõ quaſi per diſtincta verba formantur, ſed mentes innumeris modis Dei celſitudinem admirantur & venerantur. Deus ergo tũc angelis loquitur, quum eis voluntas eius manifeſtatur. Angeli autẽ tunc Deo loquũtur, dum per hoc quod

Deum ſuper ſe aſpiciunt immotum, diuinæ admirationis exurgunt.

Sanctorum animæ tunc loquuntur ad Deum, cùm earum deſideria ante conſpectum Dei extẽduntur. Tanto enim in aures diuinitatis maiores voces ſiue clamores exurgunt, quanto in eius deſiderium ſeſe plenius fundunt. Animarum itaq; verba, ſunt ipſorum deſideria. Vnde Propheta ait; *Deſideria cordis eorum exaudiuit auris tua.* Reſpondere autem Dei ad animas ſanctorum, eſt deſideria eorum complere, easque ſemper ad meliora deſideria roborare. Quæritur, quum animam è corpore egredientem videre non poſſimus, quomodo animam viuere credimus poſt mortem? Hanc quæſtionẽ in Dialogo ſoluit Gregorius, dicẽs: Quid mirum (ô Petre) ſi animam egredientem non vidiſti, quam etiam manentem in corpore non vides? Et addit: Si, dum mecum loqueris, non vides animam meam, nunquid propter hoc, me exanimẽ eſſe putes? Anima enim ſicut in corpore inuiſibiliter eſt, ita inuiſibiliter exit à corpore. Quòd ſi dicis; quòd cognoſcis animam viuam eſſe in corpore, ex ipſis motibus corporis cognoſcis: ſed ea diſcedente, motus eius nõ ſentio; & ideo neſcio an viuat: reſpondeo, quòd res incorporea non videtur per rem corporeã; ſed res corporea videtur per incorpoream. Oculus nanque tuus per omnia corporea aſpiciat; niſi res incorporea eum adiuuet, nihil videbit. Tolle enim mentem, & ſtatim oculus qui videt, non videbit. Subtrahe animam inuiſibilem à corpore, & oculi corporei aperti nihil videbũt. Vnde ſequitur, quòd viſibilia nũquam niſi per inuiſibilia poſſunt videri; & in hoc mũdo viſibilia per inuiſibilia diſponũtur. Sicut enim creator Deus eſt inuiſibilis, ita ſibi angelos & animas creauit inuiſibiles: vti ab eis Deo inuiſibili inuiſibiliter miniſtretur. Et ſicut Deus aſpirando, implendo & regendo, inuiſibilia viuificat; ita per inuiſibilia ſemper viſibilia in hoc mũdo reguntur. Sed fortè (ô importune diſputator) dices; Non credo viuere animã extra corpus, niſi oſtenderis mihi aliquas eius manifeſtas actiones & opera extra corpus: ſicut ea manente in corpore, per motus corporis eam viuere certioramur. Reſpice itaq; corpora ſancto rũ mortua & extincta & partim in puluerem redacta, quales motus & actiones oſtendunt in mũdo. Ægri ad ipſa venientes ſanantur; dæmones effugantur, mortui ſuſcitantur; & alia miracula per eas innumerabilia fieri comprobãtur. Item animæ iuſtorum corporeis oculis in cœlum deduci ſæpe videtur; aliæ in ſpecie hominis, vt ſancti Martini: aliæ in ſpecie columbæ, & aliis modis. Videntur etiam angeli deferentes eas: videntur Apoſtoli: videntur & alij ſancti Dei adſtare morientibus, & confortare eos, & deducere animas eorũ. De quibus, qui multa volunt legere & cognoſcere, ad Dialogũ beati Gregorij recurrãt, moneo.

Loqui autem Dei ad diabolũ, eſt ipſum diabolum de prauis eius actibus arguere, & iniquitatis eius impetus refrenare. Diaboli autem reſpõdere, eſt omnipotentem Deum nihil poſſe celare: ſicut in Iob ſcriptũ eſt; *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Tunc enim interrogatus à Domino, nihil celare potuit, ſed circuitus & labores ſuæ prauitatis expreſſit. Notandum autem quòd hunc mundũ voluit creator conſtare ex angelis & hominibus. Angelorũ quidem ordines nouem conſtituit, hominum verò vnũ. In quib. trinitas deitatis & vnitas deſignatur. Nouenarius enim numerus per ternariũ tertiò repetitus, ſignificat trinitatem. Vnus verò ordo, indicat vnitatem. Vt Deus ab angelis & ab hominibus in trinitate, & vnitate laudetur. Quòd ſi quæritur; quando Deus angelos creauit? dicimus, quòd tunc, quando dixit Deus, *Fiat lux*: angeli facti ſunt. lux ſcilicet de luce Deo. vnde & primus angelus dictus eſt Lucifer. Propterea dicit Pater Deus ad filiũ; *Ante Luciferum genui te*; id eſt ante angelum illum, qui Lucifer eſt nuncupatus. Noluit dicere; Fiant angeli; ſed dixit, Fiat lux; vt per excellentiam lucis, ſublimis natura angelorum inſinuetur. Græca autem lingua, *Angeli*, nuncij dicuntur: *Archangeli* verò ſummi nuncij nuncupantur. Vnde cœleſtes ciues, ſemper quidem ſunt ſpiritus; ſed ſemper ãgeli, id eſt miſſi, eſſe non poſſunt: quia tunc tantùm angeli ſunt, quũ per eos aliqua nunciantur.

Quæſtio, cuius erat Dominus quum nulla erat creatura?

Ante creaturam, dum nulla foret genitura,
Nullaq́, natura, neque prodita forma futura,
Cui dominabatur, cum deitate ſua?
Denique quum Dominus Deus ipſe fuiſſe legatur,
Eſt opus vt pateat cui materiæ dominatur.
Nam ſine materia non dominator erat.

Solutio

Solutio quæstionis.

Essentia quidem fuit, hic dominatio pridem,
Fitq; relatiuè Dominus, pòst conditor idem.
Hanc tibi de Domini nomine tolle fidem.
Omnia ventura sibi sunt præsentia semper,
Quæ quasi facta videt, noscitq; creatq; potenter,
Vnde patet Dominum iure fuisse prius.

Natura quidem angelica, tanquã ignis spititualis esse describitur, vt ait Propheta: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Cùm autem nominamus angelos, dicentes, Michaël, Gabriel, Raphaël, scias hæc non esse nomina angelorum, sed agnomina, ab hominibus inuenta & frequentata; vt per hæc dignitas & officium eorum designetur. Vt Michaël dicitur, quasi Deus, qui est præpositus paradisi. Gabriel, fortitudo Dei. Raphaël, medicina Dei. Tanta est enim dignitas & scientia angelorum, vt videantur ptopriis nominibus non indigere.

Sic primus angelus, non proprium, sed accidens nomen habuit, Sathahel, id est contrarius creatori; quia cùm vidisset se omnes ordines angelorũ gloria & dignitate præcellere, spretis omnibus, voluit Deo æqualis, imo maior apparere. Vnde à cœlesti aula in carcerem inferni, tanquã malefactor, detrusus, sicut prius pulcherrimus, ita factus est teterrimus; prius splendidus, postea est tenebrosus; prius honore laudabilis, postea errore execrabilis. Qui etiam casum suum præscire non potuit, neque in cœlo vna hora remãsit. Vnde ait Christus de eo; *Quia in veritate non stetit.* Mox enim, vt creatus est, cecidit, nec vnquam cum angelis beatam vitã duxit, sed eam quasi fastidiendo proiecit. Mox enim creatus per superbiam intumuit, & sese auertit à luce veritatis. Vnde beatæ & angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit, quam nondũ acceptam fastidiuit, eamq; nolendo deseruit & amisit. Alij autem qui cum eo erant, electi sunt. In hoc præcipuè peccauerunt, quia ei consenserunt, placuitq; illis extollentia ipsius; ita vt, si ipse Deo pręualuisset, ipsi etiam intenderent cęteris angelis prævalere. Ideoq; principes, & sequaces eius, cum eo proiecti sunt in infernum, & in hunc aërem tenebrosum: vbi tanquã in inferno ardentes, suppliciis intolerabilibus affliguntur. Quia propter hoc in aëre relicti sunt, vt electi Dei per eos probẽtur, & magis coronentur; reprobi autẽ per eos seducantur, & cum eis in extremo examine perpetuis incendiis addicantur.

Quòd si quæritur quare ad obedientiã & pœnitentiam non sunt reuersi, sicut reuersus est homo? Dicimus; quia sicut nullo instigante peccauerunt & ceciderunt, ita etiam nullo instigante pœnitere & resurgere debuerũt. Est & alia ratio: Quia sponte sua malum elegerunt, iustè ablata est eis voluntas bene volendi; ideoq; nunquam possunt redire.

Quæritur cur nõ redemit Christus diabolum perditũ, sicut redemit hominem? Vnde dicimus, quòd angeli omnes non sunt ab vno angelo procreati: sicut omnes homines, ab vno homine prouenerunt. Sed omnes angeli, pariter sunt à Deo creati. Vnde si Christus, ab vno angelo angelicam naturam sumpsisset, solum illum angelum redemisset, vt mori nõ posset: sicut per solum hominem Adam, & omnis eius generatio est redempta. Deus enim pro satisfactione noluit aliquid, nisi mortem accipere. Angeli autem, mori nõ possunt. Et ideo irrecuperabiliter perierunt.

Ideo quæritur quare non creauit eos Deus tales, vt peccare non possent? Dicimus; quia fecit hoc propter iustitiã, vt aliquod initium boni vel mali ex arbitrio eorum fieret, quòd à Deo remunerari debuisset. Nam si ita creati fuissent, vt peccare non possent, essent quasi vinculo colligati, nullum per se ipsos haberẽt initium boni, quod esset remunerandum. Dedit ergo eis liberum arbitrium, vt sua spõte possent & vellent, & nollent, vnde possint bene vel male remunerari.

Sed fortè dices, ô lector; Quare creauit Deus diabolum, cùm sciret eum malum esse futurum? Respondeo, quia propter operis sui ornatum. Sicut pictor nigrum colorem substernit, vt albus apparentior fiat; sic per præuaricationem malorum iusti clariores fiunt.

Sed si dicis; quare loco illorum alios bonos angelos non creauit? Scias, quia alij pro eis restitui non debuerunt, nisi tales essent, qualis illi fierent si permansissent, non visa vel cognita vlla pœna peccantiũ; quod est impossibile. Nam quãdo illi peccauerunt, mox in pœnam transierunt.

Quęritur si dęmones omnia sciant? Dicimus, quia ex sui natura multam habent scientiam, non tamen omnia sciunt. Sed quanto angelica natura subtilior est, quàm humana, tãto in omnibus artibus sunt peritiores: futura nescIunt, nisi quantum de

astrorum scientia colligunt, & quãtum eis à Deo permittitur. Porrò, cogitationes & voluntates nemo scit nisi solus Deus, & cui ipse voluerit reuelare. Dæmones bonum nec sciunt nec possunt. Ad malum verò efficaces sunt, non quantum ipsi volunt, sed quantum eis à bonis angelis permittitur.

Boni angeli in bono ita firmati sunt, vt cadere non possint. Non possunt dico, quia nunquam malum volunt. Diabolus verò in bono confirmari non potuit, quia non tandiu in cœlo permansit, vt posset firmari. Nec tamen casus diaboli fuit confirmatio aliorum, sed meritum ipsorum. Cùm enim vidissent malos per superbiam malum eligere; ipsi indignati elegerunt creatori fortius inhærere. Vnde continuò pro remuneratione acceperunt cõfirmationem, & qui prius de sua beatitudine incerti fuerant, facti sunt certi.

Quòd si quæris, qualem formam habeant angeli? Dicimus, quia quasi formam Dei. sicut enim cera sigillo impressa, recipit sigilli signaculum; sic impressa est eis per signaculum similitudo Dei. Vnde ait ad diabolum Ezechiel: *Et tu Cherub, signaculum similitudinis Dei fuisti.* Sed signaculum similitudinis minus est quam ipsa similitudo. Vnde interior homo noster, id est anima hominis; dignior angelo creatus esse videtur, quia ad imaginem & similitudinem Dei creata est. Minus est enim signaculum similitudinis, quàm ipsa similitudo. Sicut scriptura vel pictura, minor est illo qui sculpitur, aut pingitur? Boni angeli omnia sciunt, quia ipsum Deum, scientem omnia, sciunt & vident & contemplantur; & nihil est in rerum natura, quod ipsi non possint.

Casus autem malorum angelorum minuit numerum eorum. Veruntamen homo creatus est, vt impleatur numerus electorum, tam de substãtia corporea, quàm de spirituali. Corpoream substantiam dico, de corpore hominis, quod constat ex quatuor elemẽtis. Vnde & microcosmos, id est minor mundus vocatur. De quo postea, autore Deo, dicemus, cùm de creatione Adæ primi hominis tractabimus.

Ista de angelis & de animabus sanctorum, & de iniquis spiritibus, pro modulo nostro prosaicè descripsimus; consequentia verò de eadem materia versibus exprimemus.

Item de Angelis.

Angelus esse Dei cœlum, quum sæpe legatur,
Creditur æternus immortalisq; creatus,
Nec tamen omnipotens, vt Deus esse datur.
Prima creatura fuit angelus, alma figura,
Tempore, mensura, satis optima, non moritura,
Virgine natura, cœlica vita sua.
Ter tribus ordinibus cœli statione locatur,
Numine nominibus distinguitur & variatur,
Ferre ministerium sub deitate datur.
Nomina spirituum si lector in ordine quærit,
Possumus hic Michaël, Gabriel, Raphaëlq; fateri,
Amplius in cleri nescio sorte geri.
Angelus est cœlum quod possidet ipse creator,
Cœli cœlorum quibus alpha & ω dominatur,
Tota quibus deitas aspicienda datur.

De anima hominis, quomodo fit cœlum Dei.

Interior quoq; noster homo fit in ordine cœlum,
Futq; Dei solum deitatis numine plenum,
Si sine peccato vixerit ante Deum.

Quomodo carnalis homo fit similis Deo.

Carnalis sic forma Deo similanda putatur,
Quum sit homo Christus, homini deus assimilatur,
Sic similis Christo carne fit omnis homo.

Quòd internus homo noster est dignior angelo in sui creatione, secundum • Eusebium.

Esse Deo similis nequit angelus ipse mereri,
Sicut Esaias solet ipse propheta fateri,
Suppositis titulis qui mihi testis erit.
Dicit Esaias, tu Cherub ante fuisti,
Signaclum signi Domini, sed pòst cecidisti,
Tu signum signi, sed nec imago Dei.

De eodem, secundum Esaiam.

Angelus vt signum narratur imaginis esse,
Sed nihil est illud, cui signum nosci tur esse,
Vnde nec est similis, sic nec imago Dei.
Nam sculptura facit signum, non par tamen illi
Cuius habet speciem, neq; cui signacula fingit,
Nec signi species significata tenet.

De eodem, secundum Eusebium.

Esse Deo similis solus valet ille videri,
Cui Deus vnitus voluit sub carne teneri,
Cuius & obsequiis, angelus aptus erit.
Quum legimus quondã dixisse Deum, Faciamus,
Cuibus hoc tunc angelicis dixisse negamus,
Immo pater genito dixerat ista suo.
Lucifer ipse Deo similis fieri meditatus,
Mox quasi peccator pro crimine præcipitatur,
Quippe Deo similis non erat esse datus.
Si non ille fuit similis, quum maximus esset,
Credere non, alios similes fore, dico necesse,
Ast homo sit similis, quum sit imago Dei.

De

De operibus sex dierum.

QVI viuit in æternum, creauit omnia simul. Omnia simul & semel fecit. Distinxit autem per partes in sex diebus. tribus diebus distinxit elementa, & tribus ea quæ sunt super elementa. Primo die itaque fecit diem æternitatis, id est spiritualem lucem, & omnẽ spiritualem creaturam. Secunda die fecit cœlũ illud, quod creaturam spiritualem à corporali secernit. Tertia, mare & terram. Aliis verò tribus diebus fecit ea, quæ infra sunt. Quarta die fecit diem temporalitatis, & solem & lunã, & stellas in supremo elemento, quod est ignis. Deinde aërem & aquam. In aëre fecit volucres: in aqua pisces. Item in crassiori parte aquę fecit aquaticas aues. Quinta die, de vltimo elemento, id est de terra fecit quadrupedia, & omnes bestias. Et licet apud nos, lapides & metalla iudicentur insensibilia, omnia tamen creata sentiunt creatorẽ. Nihil enim fecit Deus, quod eum non sentiat: omnia enim Deo animata sunt, & Deo viuunt, & sentiunt creatorem. Cœlum sentit eum, quia eius iussu, incessabili reuolutione, circuit semper. Vnde dicitur; *Qui fecit cœlos in intellectu.* Sol & luna & stellæ sentiunt Deum, quia loca sui cursus inenarrabiliter seruando repetunt. Terra sentit eum, quia iussu eius firmata stat super aquas, & fructum reddit in tempore suo. Flumina Deum sentiunt, quia semper ad loca vnde effluunt, reuertuntur. Mare & venti eum sentiunt, quia imperante eo quiescunt. Mortui eum sentiunt, quia ad eius imperium resurgunt. Infernus eum sentit, quia eo iubente reddit quos deuorat. Omnia bruta animalia Deum intelligunt, quia legem à Deo insitam iugiter custodiunt. Hæc tamẽ omnia fiunt per ministeria angelorum. Quod autem dicitur, Vespere & mane; Vespere est finis iam consummati præordinati operis. Mane, est incœpti vel ordinandi operis principium. Ad hæc de sole & luna, atque de aliis planetis & stellis, quædam alia versibus, secũdum doctrinam beati Clementis Papæ, dicemus. Veruntamen cùm de firmamento & syderibus scribere pollicemur, non illam astronomiæ artem, vel omnium syderum scientiam promittimus, sed ex libro Hierarchiæ, quem sanctissimus Papa Clemens composuit: quem etiam Dionysius Areopagita est imitatus, tam de syderibus, quam de elementis pauca ponemus. Alios verò astrologos, aut necromanticos non sequemur. Neque illas etiam philosophicas tangemus mirandas subtilitates, sed planè ac simpliciter, sine præiudicio melioris sententiæ, rudes & simplices in hoc elogio intendimus erudire. Quòd si quis altiora quæsierit, absque huius operis detractione, subtiliores doctores poterit plurimos inuenire. Ea igitur quæ nos scimus aut possumus, in propatulo versificè ponemus.

De astris, secundum librum Hierarchię sancti Clementis Papæ, & Dionysij Areopagitæ.

Iam labor incumbit species describere mundi,
Vnde prior summi fuit orbis forma rotundi,
Primaq́ materies, tempora, signa, dies.
Fulget in Ecclesia liber aptus in astronomia,
Cui sancti posuêre patres nomen Hierarchiam,
Ille docet rectam scire per astra viam.
Primus eum Clemens conscripsit Papa beatus,
Post Dionysius hunc ab Athenis est imitatus,
Quos quia vera lego, nunc imitabor ego.
Altera doctrina necromantis in astrologia,
Consona damoniis magis est quam philosophia,
Hanc ego Christicola scribere nolo viam.

De massa hyle, ex qua omnis creatura corporea facta est à lunari circulo inferius.

Corporeum quoddam prius à deitate creatum,
Confusum, formaq́ carens fuit, hyle vocatum,
Qua Deus ex massa cuncta creasse datur.
Dum confusa foret grauis indigestaq́ moles,
Conditor ex more formas dedit absq́ labore,
Dixit, & ilicò sunt quæ iubet esse Deus.
Optima pars massæ quam noscitur ipse creâsse,
Purior ac leuior fuit, hanc vbi sepărat ad se,
Inde prius cœlum dico creâsse Deum.
Hoc cœlum firmamentum prius esse notatur,
Ænea materies aplanos est ritè vocatum,
In quo syderea noluit essa loca.
Omnia nanq́ polo si sydera fixa manerent,
Omnia se voluens ea volueret, atq́ moueret,
Excursusq́ pares, mole trahente, darent,
Rectius æthereo creduntur sistere cœlo,
Nam variis stadiis cursu variantur ab æuo,
Vna facit gyrum tardius, vna prius.
Proxima sunt terræ, quæ plus radiare videntur,
Quæ minus irradiant, magis illa remota putentur,
Orbiter æthereis ordine facta locis.
Errantes stellæ septem dant lumina cœlo,
Quæ variis stadiis, cursu variantur ab Euro,
Signa mouens signis quisque planeta suis.
Nanq́ planetarum locus, ordo, gradus variatur,
Est Sol, est Luna, Cyllenius & Venus, & Mars,
Iuppiter, & gelidi stella nocina Senis.

De diuersitate cœlorum.

TRes cœli esse dicuntur. Vnum corporeum & ęthereum, quod videmus; alterum spirituum, in quo spirituales creaturæ, id est angeli, habitare dicuntur; illud enim cœlum, spirituales creaturas à corporalibus omnino secernit. Tertium cœlum, id est empyrium, dicitur intellectuale; in quo sanctorum animæ, summam Trinitatem cum angelis contemplantur. *Cætera versificè sydera ferre placet.*

De æneo firmamento, quod separat superiores aquas ab inferioribus.

Inter aquas & aquas primum stetit ordine cœlum,
Ænea materies, velut oui forma, per æuum,
Voluitur æternis motibus ante Deum.
Nocte dieq; suum sic perficit ordine cursum,
Vi repetat rursum requie cessante recursum,
Sic fuit ac fiet, nec datur vlla quies.
Centenas aptas, manus vna, fert cataractas,
Ordine compactas, cœlestibus imbribus aptas,
Per quas diluuij plurima causa fuit.
Lucifer elatus de cœlo præcipitatus,
Cum reliquis sociis per eas cecidisse putatur,
Nec tamen inde means ipse parauit eas.
Inde cadunt imbres, rursusq; superna capessunt,
Quorum temperie res in dulcedine crescunt,
Indeq; fructiferis vita coæua redit.
Hæc aqua terrestris salsos dat salsa sapores,
Mixta tamen rore dulces capit inde vigores,
Dulcia de more germina nata fouet.

De æthereo cœlo, in quo sunt sydera.

Extat & æthereum quod adornant sydera cœlum,
Luna sit inferior, sol altius obtinet æuum,
Hæc duo dum currunt sydera mira gerunt.
Luna subalternè resplendet ad infima terræ,
Humiditatis opus magis omnibus apta referre,
Nocturnas tenebras candida luna fugat.
Cursibus oppositis cœlum cum sole rotatur,
Cur? ne temperies plus limite digrediatur;
Sic Deus opposita, sed moderata creat.

Quod substantia solis est octies maior quàm terra.

Octupla stat maior solis substantia terræ,
Quinquupla luna potest terrarum climata ferre,
Et quartam terræ paruula stella refert.
Perfectus motus perfectaq; forma creata,
Ordine perpetuo currit, natura beata,
Obsequiis Domini stat, statione data.

Quòd sol in prima creatione sua septies splendidior erat quàm nunc, & propter casum primi hominis sex partes sui splendoris amisit.

Septupla lux solis fuerat, quam sol dedit olim;
Tunc vt Adam cecidit, cecidit pars multa nitoris;
Septima pars nunc est, sex periisse patet,

Quòd sol omnia viuificat, auget & nutrit.

Sol magis in reliquis forma rutilante rotunda,
Omnia fœcundat, nutrit, fouet, auget, abundat,
Omnia viuificat, quæ mare, terra creat.
Circuit hunc mundũ cita forma rotunda rotundũ,
Lumine fœcundum facit omne quod est oriundum,
Cunctaq;, dum fugit sol, tenebrosa facit.
Dum latet inferius, nox est; dum desuper extat,
Luce diem reparat, mirandaq; lumina præstat;
Sic fuga dat noctem, luxq; reuersa diem.
Sydera terrigenis nascentia germina præstant,
Frigida cum calidis iungunt simul vt coalescant,
Et natos flores fertilitate fouent.
Sunt velut artifices mundi, nostriq; patroni,
Tempora dant, variis sulcantibus arua colonis;
Ipsaq; dant homini viuere, siue mori.

Quòd stellæ sentiunt & habent voluntarium motum.

De proprio, loquor, arbitrio dare sydera motum,
Viuere perpetuò, mundum disponere totum,
Currere & ad proprium sic remeare locum.
Mobile nam corpus, vel vi, vel sponte mouetur,
Nulla tamen vis est, quæ tanta mouere putetur,
Ergo voluntate sydera mota patent.

Quòd sydera naturali cibo suo vescuntur quodammodo.

Syderibus natura cibos escasq; parauit;
Humor aquæ cibus est, quo viuere sydus amauit;
Vescitur inde satis, nam recreatur aquis.
Sicut & in lignis pinguedine vescitur ignis,
Humida sydereis cibus est substantia signis;
Humida nam calidis sunt ratione cibi.
Et, velut a terra vescuntur & arbor & herba,
Corpora syderea fouet humor, & vnda superna;
Nam calor humore se refouere solet.
Sydera si brutis & plantis viuere præstant.
Plus ea quàm bruta, vel plantas, viuere constat,
Sensibus & vita stare probatur ita.

De superioribus cœlis, secundum Platonem.

Creditur & plures cœlos fundâsse creator,
Nescio qua specie, qua materia variatos,
De quibus hìc taceo, viderit illa Plato.
Nec tamen hoc cœlum fateor nouisse Platonem,
Quo Deus excelsus sedet, imperat, in regiones,
Hæc vt homo taceat, Paulica tussa monent.

De distinctione elementorum, & primùm de igne.

Ipse superficiem remanentis in ordine massæ
Conditor ad supera loca dicitur antè leuasse,
Sicca leuis calida pars prior ignis erat.

De distinctione aëris abigne.

Proxima ſtans igni pars altera, dicitur aër;
Humidus & calidus, leuis eſt, flatuq; ſuaue.
Alta petit planè, ſummaq; ſemper habet.

De diſtinctione aquæ ab aëre.

Tertia pars grauis eſt, patet inferiora petiſſe,
Humida frigida ſit, potuit mox fluxa fuiſſe,
Hæc ita formata, fluxa vocatur aqua.

De diſtinctione terræ ab aqua.

Vltima pars maſſæ, quaſi fex grauis, infima quærit,
Frigida, ſicca manens, hæc terra meretur haberi,
Quomodo conueniant ſermo legendus erit.

De actione & commixtione elementorum.

Nunc elementorum pateat natura priorum,
Vnde ſit actio, mixtio, paſſio, nomen eorum;
Quomodo conueniant, inſinuare volo.
Quattuor hæc ſibi ſunt contraria, per genituram;
Aggregat hæc, vna virtute Deus, paritura;
Mixtaq; dant vnum germen, & inde ſumus.
Optima mixtura, ſibimet contraria, mota
Gignit, & hinc oritur ſubſtantia conſona tota,
Aſt in compoſitis non elementa locat.
Hoc elementatum non continet hoc elementum.
Et neq; compoſiti pars eſt, neq; parte retentum,
Deſinit eſſe quod eſt, compoſitumq; manet.
Nam ſi compoſiti ſint componentia partes,
Iam neq; tranſitio fit, nec commixtio partis,
Nec complexatum corpus ab inde datur.

De quatuor humoribus corporis.

Quattuor humores humano corpore tenti,
Sic, velut à patribus, generantur ab his elementis,
Progenie ſimiles, & ratione pares.
Feruida, frigida, ſicca, vel humida ſunt elementa,
Omnia corpora condita, conſona dant elementa,
Motibus, ordinibus, hæc magis, illa minus.
Ignis habet choleram, fert ſanguis ab aëre normam,
Terra melancholica eſt, ſit aquis in flegmate forma,
Quattuor iſta ſimul corpora viua regunt.
Horum temperies dum corpora priſca foueret,
Omnia tunc poterant ſatis incorrupta manere,
Tunc erat integritas omnia ſana ferens.
Aſt vbi peccatum corrupit materiatum,
Omne quod eſt natum corrumpitur & variatur,
Febribus & morbis læditur omne caput.

De etymologia elementorum.

Nomen id inuentum quaſi dicitur Hylelementum,
Simpla ſit & minima pars corporis hoc elementum,
Quo, velut à patre, cuncta creata patent.

Quòd elementa ſunt ſenſibilia, licet propter infectionem ſuam perfectè ſentiri non poſſint.

Corpora ſunt quæ ſimpla loquor, poſſuntq; videri,
Sed vix illa poteſt quiſquam, ſine fece tueri.
Seu leue ſeu graue ſit, ſenſile corpus erit.
Ex incorporeo non dicas corpora naſci,
Ex inſenſibili, non dicas ſenſile naſci,
Hæc loquor exempla Macrobiana bona.
Ex incorporeis non corpora nata putemus,
Senſibus humanis elementa ſubiecta videmus,
Spiramus, bibimus, tangimus, aſpicimus.
Hæc aqua quam bibimus, ea verax eſt elementum;
Terraq; quam premimus, nihilominus eſt elementũ,
Sic quoq; ſenſibilis ignis & aër erit.
Sunt tamen infecta, viſuq; videntur inepta,
Appoſita, non vnita, ſunt fece referta,
Quæ ſi non video, non minus eſſe ſcio.

Quòd elementa non ſunt infecta per vnionem, ſed per adiunctionem; ſicut aqua eſt iuncta vino, & non vnita; vnde etiam ſeparari poſſunt.

Eſt aqua cum vino, ſed non aqua deſinit eſſe,
Quam ſi non videam proprium tamen obtinet eſſe,
Integra particulis eſt aqua tota ſuis.
Hæc duo iuncta ſimul, ſcio me diſiungere nôſſe,
Sed res vnitas ſolui, negat vnio poſſe,
Sic fore quum videas, hæc elementa ſcias.

Simile de lacte, in quo eſt caſeus & butyrum & aqua, non tamen vnita, ſed adiuncta, quia poſſunt ab inuicem ſeparari.

Caſeus & butyrum pariter ſub lacte tenentur,
Non tamen vnita, licet vnum lac reputentur:
Sed res vnita, non variatur ita.

Item ſimile de campana, cuius metalla poſſunt artificio ſeparari.

Funditur ex variis campana ſonora metallis,
Qui putat hanc vno ſubſiſtere corpore, fallit:
Nam manus artificis ſeparat illa ſatis.

Quòd res vnita ſeparari non poteſt.

Vnio naturæ neſcit diſſoluere partes,
Sed loca iunctura facili diſſoluimus arte,
Soluitur & paries, vnio vera manet,
Sic elementata, nunquam dicas elementa,
Nam licet infecta ſint omnia fece retenta,
Integra particulis ſunt elementa ſuis.

Quòd elementa componentia non remanent in compoſitis vt elementa, ſed deſinunt eſſe elementa, & fiunt aliud quid.

Non in compoſitis ſunt componentia rebus,
Nã neq; ſunt quod erãt, neq; fit quod & ipſa fuerũt;
Fiunt non quod erant, deſiit id quod erant.

Authoritas philoſophorum ſuper hoc.

Dant Socrates & Aristoteles, quæcunq; docemus,
Atq; Dioscorides, Hippocras, Cous atq; Galenus,
Hæc & ab his didici, quæ loquor ipse tibi.

Quòd generatio sit ex rebus elementatis per corruptionem & alterationem; & non sit ex puris elementis.

Ex elementatis rerum generatio crescit,
Sed sine corrupto fieri generatio nescit,
Integra corrumpi semina terra facit.
Nam quæcunq; serũt homines, nisi iacta putrescunt,
Germina non præstant campi, neq; semina restant,
Integra dum stabunt, germina nulla dabunt.
Sic igitur corrupta prius, post semina crescunt,
Humida cum calidis sunt iuncta, quibus coalescũt,
Hinc calor hinc humor gignere præstat homo.

Verba authoris.

His patet exemplis, quæ nouimus ex elementis,
Si tamen inuentis, meliora poëmata sentis,
Ista dabis pueris, sed meliora tibi.

Producat terra omnem animam viuentem in genere suo.

Nunc iubet ex calidis leuibusq; volatile nasci:
Nunc auis ex auibus mandatur in aëre pasci;
Piscibus ex minimis forma creatur aquis.
Quadrupedum genera parit, & serpentia terra,
Carnibus interea vescuntur cuncta, vel herba;
Nec tamen his paritas, aut tenor vnus erat.
Quattuor hæc viuunt, sed nulla cibaria mandunt,
Lelirus & talpa, maris halec, & salamandra,
Nescio qua vita viua fouentur ita.
Viuere dat plantis sine sensibus & ratione;
Bruta fouent sensum, minimaq; vigent ratione,
Noxia nam fugiunt, prospera ferre solent.
Distribuit plures auium modulamine voces,
Dans alias mites, alias dedit esse feroces,
Vt genus & forma, cursus & acta docent.

De dissimilitudine auium & aliorum animantium quæ creata sunt.

Extat & in reliquis similis discordia brutis;
Maxima sunt minimis, mediocria victa minutis;
Moribus & curis sunt variata suis.
Ignea pars igni fit consona, terrea terræ;
Terrea, quadrupedũ genus est, volucrumq; supernè
Pars volat, & tamen hæc se variare solent.
Quicquid aquæ pariunt in aquis plerũq; moratur,
Et genus aëreum super aëra ritè leuatur,
His tamen ex terris victus & esca venit.
Terrea dum refero, vel cætera corpora nata,
Non loquor ex terræ solius parte creata,
Ignis & aër ea terra ferunt & aqua.

Producant aquæ pisces in genere suo.

Amodo fœcundæ grauidentur piscibus vndæ,
Nunc auibus, nũc reptilibus, mare, pontus abundẽt;
Omne genus repens iam maris vnda refert.
Hinc oritur Musa Sirenaq; plena canore,
Eximium cete pariter pisces q; minores,
Omne quod vnda creat, per maris alta meat.
Dispersus coadunat aquas, detectaq; terra
Floribus, arboribus, variis ornatur, & herba,
Hasq; vocat maria quas coadunat aquas.
Fluctibus Oceani pontus sua littora miscens,
Euomit; & recipit miros quasi menstrua pisces.
Qua mare discedit sæpius, atq; redit.
Æquoreos quandoq; boues ibi nauta capessit;
Piscis ibi monachus, seu forma monastica crescit.
Fertq; cucullatum per maris alta caput.
Calceus est illi conformis & ampla cuculla,
Tam bene dispositа, qua non foret aptior vlla;
Et quasi vox hominis garrula lingua satis.
Frons, manus, & vultus, hominũ moderamine fultus
Dum facit insultus, reboatq; mouetq; tumultus,
Mergere nauiculas sæpius arte parat.
Piscis ibi cantat quasi gallus, voce sonora,
Est canis, est vrsus piscis, maris huius in ora,
Floribus arboreis fulua creatur auis.
Arbor obumbrat aquas, flos cõcipit & grauidatur,
Conceptum reiicit, in aquam cadit, auca creatur;
Fit cibus egregius, nobilibusq; datur.
Hæc auis à coitu stat libera, virgo putatur,
Non nidos, non oua parit, nulli sociatur,
Sicut eam peperit flos, ita sola fuit.
His ita dispositis, & tam bene materiatis,
Vidit & applausit Deus omnibus orbe creatis,
Crescere dans cunctis quæ generantur aquis.

Sententia Ioſephi, de paradiſo.

PAradiſum eſſe poſitum ad Orientem in terra Eden, & vltra Oceanum, Ioſephus & alij aſſeuerant. Dictis quorum etiam illa quæ ſuper tractatum Enoch & Eliæ conſcripſimus, concordare videntur. Qui autem illa legere voluerit, in tractatu de Enoch ante diluuium, ea poſita requirat, & legat mirabilia.

Item de paradiſo verſificè.

Est locus excisus, nullo prius ordine visus,
Nec prius auditus; terrestris id est Paradisus;
Floribus orditus, delicisq; situs.
Germinat hæc illud vitæ memorabile lignum,
Scire bonum valet, atq; malum, qui vescitur illo,
Quo mors aut vita pendula stabat ita.
Pars quasi facta poli, regio vacat illa decori,
Non patet algori, neq; subditur ipsa calori,
Dans habitatori non ibi posse mori.
Ciuibus angelicis meruit locus ille beari,
Fluminibus variis varia statione rigari,
Gemmas mirificas alueus ille parit.
Flumina bis bina Paradisus habere notatur.
Tigris & Euphrates Phisonq; Gehonq; vocatur,
Aurum cum gemmis, fluminis vnda vehit.
Optima per fluuium currentia poma tenentur,
Infirmis oblata viris medicina videntur,
Solus odoratus sanat odore caput.
Non oculus vidit, nec homo valet ore fateri,
Nulla beatorum valet optima vita mereri.
Quæ Deus hìc sanctis dona daturus erit.
Cherubin & Seraphin referant portas paradisi,

Ensibus

Enſibus euerſis per eam ſunt currere viſi,
Mens mea cum ſanctis illa videre ſitit.

Quòd paradiſus non ſenſit diluuium, neque vllam corruptionem: ſecundum Ioſephum.

Tempore diluuij non ſentit aquas Paradiſus,
Altior eſt etenim quam fluxus ad arduamſus,
Terra vocatur Eden, quam Paradiſus habet.
Diluuij fluxus corrumpere cuncta probatur,
Sed Paradiſus eo nuſquam variata putatur,
Nil ibi corruptum ſuſtinet eſſe Deus.
Nam locus ille ſacer ſat proximus eſt orienti,
Altus & æqualis lunæ, candore nitenti,
Et procul à noſtro fulget in orbe ſuo.

De paradiſo cœleſti, in qua ſunt angeli ante Deum: ſecundum papam Clementem, & Dionyſium Areopagitam.

Altera ſpiritibus cœleſtibus eſt Paradiſus,
Empirium cœlum, ſplendore ſuo redimitum,
Quo thronus eſt nati gloria ſumma patri.
Empirium pure cœli datur eſſe cacumen,
Ignea materies & fulgida, nec tamen vrens,
Qua manet angelicus cœtus: & ipſe Deus.

Erat enim aſpectus eius ſicut fulgur, &c.

Hinc velut ignitos ſolet angelus edere vultus,
Veſte nitens alba, fulgore, nitoreq; fultus,
Igneus apparet, nec tamen igne calet.

Quis potuit ſcire & narrare illa quæ erant ante hominis creationem? ſecundum ſententiam quorundam.

Fertur Adam longas laterum formâſſe columnas,
In quibus & rerum ſtatuit deſcribere ſummas;
A quibus accipimus, ſi qua vetuſta damus.

Sententia Euſebij, contraria priori.

Sed non fertur Adam quandoq; prophetâ fuiſſe,
Siue prophetiæ præconia ſcripta dediſſe;
Nec placuiſſe Deo, ſe remanente reo.
Vnde creata prius prior ipſe notâſſe negatur,
Nec docuiſſe ſuos ea tunc ignota putatur,
Altera ſed ratio, lucidiorq; datur.
Æſtimo per Moſen ſecreta reperta priora,
Si bene proſpicias Moſes nouit potiora,
Spiritus ipſe Dei tunc reſerauit ei.

Sunt quoq; reuera, quibus hæc Deus ipſe reuelat,
Enoch & Elias, Eliſæus, vel Hieremias,
Apocalypſis, Dauid, hic minus, ille magis.

Quare Deus permittit hominem puniri, ſimilem ſibi? ſecundum Euſebium.

Si ſibi conſimiles homines facit ipſe creator,
Quomodo puniri voluit perdiq; creatos?
Soluere ſi valeam quæſtio digna datur.
Conficiunt reges ſimilem ſibi ſæpe monetam,
Quam niſi falſetur refouent per ſecula lætam.
Si ſecus eſt, falſam damnat & eſſe vetat.
Sic ſit & humana ſpecies ſimilis deitati,
Dum vacat in ſacris aſcribitur ipſa beatis,
Si variator erit, crimine iure perit.
Primus enim princeps cœli, ſummusq; creatus,
Lucifer ingratus, tumida paritate leuatus,
Dum data demeruit, pulſus ab arce ruit.
Huius & elati mens obuia ſtans deitati,
Conſcia peccati, quia tunc ſtuduit paritati,
Debuit irati digna flagella pati.
Vnde nec immeritò cum fulgure præcipitatur,
Numine nudatur, virtutibus euacuatur,
Cui locus inferior tartareusq; datur.
Huius ab exemplis decuit de iure caueri,
Ne mortem videatur homo peccando mereri,
Ne cadat à meritis qui bona geſſit heri.

Dixit Deus, Fiat lux.

Non aderant tenebræ, quum lux Deus ipſe niteret,
Sed loquimur tenebras, quia dum confuſa manerẽt
Omnia, ſunt formis lucida facta ſuis.
Lux erat ipſe Deus, ſed lux à luce creatur
Spiritus angelicus, cui cœlica vita paratur,
In quibus & legitur ſæpe ſedere Deus.

Quæſtio; ſi homo eſt dignior angelo; quare dicitur; Minoraſti eum paulò minus ab Angelis? ſecundum Euſebium.

Dum caro fit verbũ, dum Chriſtus carne tenetur,
Carne minoratus paulò minus eſſe videtur,
Nam, quaſi ſeruili veſte, latebat ibi.
Aſt animalis homo factus deitatis imago,
Non minor eſt, ſed dignior eſt, formata propago,
Nam patris in dextram præſidet alma caro.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM

PARS SECVNDA.

PROOEMIVM.

SCRIBENTIBVS nobis de prima hominis creatione, quoties plura vel magis diuersa ponimus, quã in libris Moysis scripta reperiuntur, idiotæ & inuidi quidam subsannare videntur, asserentes, nos de propria adinuentione omnia, & nõ de authoritatibus scribere, quęcunque ipsi in bibliotheca nequeunt inuenire; tanquã extra illam aliæ non essent authoritates. Quapropter alios in præsenti capitulo multos assignare curamus antiquitatum autores, ampliora scribẽtes: à quibus ipse Moyses & Esdras & Iosephus, aliiq; veteris Testamenti authores, si voluerunt, poterant plurima didicisse. Immo pro certo credimus, quòd ab eis plura quàm scripserint didicerunt.

Primus itaq; protoplastes Adam, quem omnium rerum scientiam, & omneis artes legimus habuisse; & post sui creationem, diuturnitate temporum multa didicisse; potuit & voluit iuniores suos, ea quæ ipse nouerat, edocere.

Postea filius eius Seth, qui vsque ad portas paradisi legitur processisse, plura nouit, & ad posteros ea transmisit.

Cuius filius Enos, docuit suum filium Cainan.

Qui docuit suum filium Melalehel.

Ille etiam filium suum Iared.

Qui docuit Enoch.

Ille autem filium suum Mathusalam.

Et ille filium Lamech, patrem Noë.

Ab Adam vsq; ad Noë sunt tantùm decem generationes istæ, quas diximus: quæ omnes sese inuicem videre, & docere potuerunt.

Vltimus autem eorum Noë, & tres filij eius, qui nati sunt ante diluuiũ, potuerunt omnes priorum antiquitates ad posteros transmisisse: & præcipuè filius eius Sem, qui ante diluuium centum annis natus est. Et legitur post diluuium quingentis triginta quinque annis vixisse. Ille plurima vidit, & docuit.

Abraham quoque imbutus omnibus artibus Chaldæorum.

Et Berosus, qui omneis libros Chaldaicos deflorauit.

Et Mochus,

Et Estius,

Et Hieronymus Ægyptius.

Et alij authores barbari, qui permulta scripserunt.

A quibus omnibus historias & authoritates trahimus, & tenemus & docemus.

DE CREATIONE PRIMI hominis, & de essentia ipsius.

Disputatio philosophorum quid sit homo, quid sit anima, & quomodo corpus & anima vniantur?

AMVLTIS prudentibus viris confirmatum est; hominem ex anima intelligibili, & corpore, tam bene cõpositum, vt nequaquam oportuerit eum aliter fieri, vel consistere. Sed ex eo quòd intelligibilem dicitur habere animam, dubitationem habent; vtrum superueniens intellectus animæ, vt alius, aliam intelligibilem fecerit: an intellectum, anima à semetipsa naturaliter possederit; & hic eius sit optima pars, vt oculus corporis.

Sed quidam, quorum est doctor Plotinus, aliam esse animam, & alium intellectum dicentes, ex tribus hominem constare volunt, corpore scilicet, & anima, & intellectu: quos imitatus est Apollinarius, Laodicensis episcopus; hoc nanque firmans fundamentum propriæ sententiæ, & reliqua superædificauit secundum doctrinam propriam.

Quidam verò nõ separant ab anima intellectum, sed suę essentię principalem esse illum asseuerant. Aristoteles autẽ potestate quidem intellectũ complasmatum esse homini refert: actu verò extrinsecus nobis contingere probat; nõ essentiam hominis supplentem, sed superuenientem ad profectum

fectum notitiæ & cõtemplationis animalium. Valde igitur paucos homines, & solos philosophantes, actu intelligibilem habere animam confirmant.

Sententia Platonis de anima hominis.

PLato verò inquit, hominem non esse vtrunque animam & corpus, sed animam corpore tali vtentem; melius contemplatus quæ sunt circa hominẽ. Et inde nos cõuertit ad animæ solius diuinitatem & studium, vt animam nos ipsos esse credentes, animæ sola bona diligamus atque sequamur. Virtutes quidem & beatitudinem, & non corporis desideria, amemus; tanquam non existentia hominis, sed animalis principaliter, hominis verò consequenter, quoniam & animal est homo.

Sed & aliter digniorem corpore animam esse, cũctis hominibus manifestum est. Ab hac nanque mouetur corpus, vt instrumentum; quod mors demonstrat. Separata nanque à corpore anima, omnino remanet immobile corpus, & absque opere, vt semoto artifice, immobilia remanent instrumenta. Manifestum est autem, quia & inanimatis communicat; & irrationabilium animalium participat vita, & rationabilium notitia communicat. Communicat nanque inanimatis per corpus, & per quatuor elementorum temperantiam. Plantis verò communicat & per hoc & per nutribilem virtutem, & generatiuam vitam. Irrationabilibus autem communicat, & in his quidem per moderationem & per motum ad placitum, & per appetitum, & per furorem, & per sensibilem atque flatilem virtutem. Hæc etenim omnia communia sunt hominibus & irrationabilibus; licet non omnibus omnia. Coniungitur autem per rationabilitatem quoq; incorporeis & intellectualibus naturis, ratiocinans & dignoscens ac diiudicans singula, & virtutes sequens, virtutũq; summitates concupiscens, beatitudinem scilicet: ideoq; tanquam in medio est, intellectualis atq; sensibilis essentiæ, homo: coniũctus quoq; per corpus corporalesq; virtutes animalibus animatis & aliis inanimatis. Per rationabilitatem verò coniunctus est incorporeis substantiis, vt prædictũ est. Creator enim gradatim & per modicum, coniunxit ad inuicem diuersas naturas: vbi vnã esse vniusq; generis, omnẽ creaturam constaret. Vnde bene maximè patet, vnum esse omnium existentiũ creatorem. Non enim solùm vniuit essentiam indiuisibilium, sed partem, sed & singula ad inuicẽ adiunxit propriè. Quemadmodum nanq; in vnoquoq; animalium vniuit insensibilia sensibilibus, vt ossa, axungiam, atq; pilos, aliaq; insensibilia sensibilibus neruis, & sic ex insensibilibus & sensibilibus compositum esse animal: & non solùm compositum, sed etiam vnum existens ostendit. Eodem quoq; modo fecit & in aliam secundum speciem creatã coniungens ad inuicem gradatim proprietate & mutatione naturæ, vbi non multum distarent inanimata omnino à plantis, habentibus nutribilem virtutem. Neque hæ plantæ ab irrationabilibus & sensibilibus animalibus omnino distarent: nec irrationabilia à rationalibus alienarentur omnino, & inconuenientia non sine quolibet essent naturali & colliganti.

Differt etiam lapis à lapide virtute qualibet. Lapis magnetes præcellere videtur aliquorum lapidum naturã ac virtutem, in hoc quod manifestè trahit ad se, atque continet ferrum, tanquã escam sibi facere volens. Et non solùm in vno ferro hoc efficit, sed & aliud per aliud ferrum cõtinet, dãdo cunctis ferris habitis suam virtutem. Continet igitur ferrum, quãdo à magnete fuerit habitum.

Sic iterum consequenter à plantis ad animalia procedens creator, nõ confestim ad mobilem & sensibilem peruenit naturam, sed gradatim ad hoc & modicè studiose peruenit. Pinnas nanque & ericios marinos, velut sensibiles plantas facit. Radicauit nanque hic in mari, quasi plantas, & velut ligna apposuit ostraca, & stare fecit vt plantas, & sensus eis dedit tangibiles, omnium quoq; animalium sensum commune, vt communicent plantis, quia radicantur & instant: animalibus verò, quia tactum possident. Spongiam igitur & quæ in petris innascuntur & extendi & attrahi, cùm aliquem aduenire senserint, Aristoteles narrat. Ideoq́ue hæc omnia talia, antiqui philosophorum consueuerunt vocare zoophyta. Iterumque creator pinnis, & aliis huiusmodi, proximauit mobilium animalium genus, sed lõgius ire non valẽtium, circa verò locum eundẽ se mouentium; scilicet qualia sunt plurima eorũ quæ dicuntur ostracodermata, vt vermes terreni. deinde paulatim creator appo-

nens aliis plus sensibilitatis, aliis verò plus mobilitatis, ad perfectiora peruenit irrationabilium animalium. Dico autem perfectiora, omnes sensus habentia, longiúsque ire valentia.

Iterumque creator promouens ab irrationabilibus ad rationabilem, rationale animal hominem fecit. Neque hoc repentè condidit, sed prius aliis animalibus animales quasdã notitias & ingenia astutiasq; ad saluationem indidit, vt propinqua irrationabilibus ipsa apparerent. Et sic creauit hominẽ, verùm rationale animal. Hoc etiam modo, & in voce quærens, inuenies ex simplici & vniformi equorum & boum exclamatione. Paulatim verò variam ac diuersam coruorum & modulantium auium voces, donec ad articulatam & perfectam hominis deuenias vocem. Sicq; articulatam adhibuit locutionem, notitiæ & rationi nuntiã eam faciens motionum & intellectus. Et sic omnibus, omnia concordanter coaptauit, colligauitq; & in vnum conduxit visibilia & inuisibilia, genere hominum mediante.

Ideoq; bene Moyses creationem exponens, postremò & vltimò narrat hominẽ factum, non solùm quòd omnibus rebus propter eum factis, necesse esset prius creari vsui eius omnia, & sic ipsum vtentem hominem apponi; sed quia inuisibilis essentiæ atque visibilis, quoddam oportuit fieri vtriusq; colligamentum, vt vnum essent omnia, & ad inuicem compatientia, nec à se ipsis aliena. Factum est igitur vtrasque colligans naturas animal homo.

Ad enarrandum igitur breuiter sapientiam creatoris, hæc satis sint: Quod in medio irrationabilis rationabilisq; naturę homo positus: siquidem corpori inflectitur, magisque corporea concupiuerit, dilexeritq; vitam irrationabilium: hisq; meritò quoque connumerabitur, terrenusq; vocabitur, iuxta Paulum, & audiet: *Terra es, & in terram reuerteris*; & *comparatus es iumentis, & similis factus es illis.* Quòd si per rationalitatẽ egerit, floccipendens omnes delectationes corporeas, ad diuinam & Deo dilectã vitã perueniet, homini principaliter dispositã: & erit homo quasi cœlestis, secundum quod dictum est; *Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cœlestis, tales & cœlestes.*

Rationalis verò naturæ capitale est; mala fugere, & auerti à malis. Sed quia bonorum hîc quidem sunt communia animæ & corporis, hæc ad solam animã quidem magna pertinentia, dum corpore anima vtitur, vbi virtutes: hæc verò sunt solius animæ, sed ipsam solam, corpore non indigentem, vbi beatitudo, & existentiũ contemplatio. Quicũq; igitur hominis vitam, vt hominis, viuere elegerint, & non vt animal, ad virtutẽ perueniunt, & ad beatitudinem. Sed quæ ad virtutes, quæue ad beatitudinẽ pertineant, in sequentibus determinabitur, cùm de anima & corpore reddiderimus rationẽ. Ignoto nanq; quid sit nostra anima, inconueniens est de virtutibus eius differere.

Sententia Hebræorum de homine.

HEbræi verò hominem in principio, nec mortalẽ manifestè, nec immortalem factum esse fatentur, sed in medio vtriusq; naturæ. Ita quidẽ vt si corporales imitatus fuisset passiones, corporales incideret permutationes. Si autẽ animæ meditatus fuisset dona, immortalitate donaretur. Nam si in principio mortalem eum fecisset Deus, nequaquã peccantem morte damnaret. Nullus etenim mortalẽ mortalitate infestat. Si verò iterum immortalem eum Deus fecisset, nequaquam eum nutrimento egentem creâsset. Nullum enim immortalium corporeo nutrimento indiget. Neq; sic facile pœnituisset. Sed factum immortalem, statim mortalẽ fecit. Neq; enim in peccantibus angelis hoc apparuit factum, sed angeli iuxta principalem naturam immortales permansere, aliam recipientes pro peccatis vindictam & non mortem.

Melius est igitur aut hoc modo dignoscere propositum, aut quòd mortalis creatus sit, potens autem in procedẽti tempore perfectè immortalis fieri, quod est potestate immortalis. Quia verò non contulit ei ante perfectionẽ cognoscere sui ipsius naturam, prohibuit gustare lignum scientiæ. Erant nanque tunc potius, & modò sunt, virtutes in plantis maximè: tunc verò velut in principio creationis mundi purissimæ existentes plantæ, fortissimum exhibebant effectum. Erat igitur & gustatio cuiusdã fructus, notitiam faciens propriæ naturæ; & noluit eũ Deus ante perfectionem, scire propriam naturam; ne cognoscens scipsum pluribus indigẽtem, corporali studeret vsui, derelinquens animę virtutes.

tutes. Et hac de cauſa prohibuit eum accipere fructum notitiæ. Sed tranſgrediens homo, & ſeipſum cognoſcens, à perfectione cecidit,& corporalibus neceſſitatibus egenus factus eſt. Operimẽtum igitur confeſtim quęſiuit. Dicit enim Moſes: *Sciens homo quia eſſet.* Prius autem in extaſi fecerat Deus eum,& in ignorantia ſui.

Cadens igitur à perfectione, cecidit ſimiliter & ab immortalitate, quam poſtea recepit gratia creantis eum. Poſt ruinam verò, & carnium ſubintrauit comeſtio. Prius enim eum à ſolis terræ fructibus ſatis habere iuſſit, quia hæc erant in paradiſo. Sed deleta perfectione per ruinam, neceſſe fuit ſubintrare guloſitatem. Et quoniam corpus habet homo (omne autem corpus ex quatuor elementis conſiſtit) neceſſe eſt eiſdem ſubiacere eum paſſionibus, quibus & elementa ſubdita ſunt, exciſioni ſcilicet, permutationi, & diſcraſiæ, quæ ſunt ſolius corporis. Permutationi quidem, ſecundum qualitatem: diſcraſiæ autem, ſecundum inanitionem (diſcraſia, id eſt diſtemperantia: craſis, id eſt temperãtia.) Exinanitur nanq; ſemper animal, per manifeſtos poros, & per immanifeſtos; de quibus poſtea dicemus. Neceſſe eſt igitur aut euacuatis corporibus æqualia alimẽta apponi, aut animal diſſolui per indigentiam ciborũ introeuntium. Siccis verò exiſtentibus & humidis corporibus etiam ſpiritu euacuatis, neceſſe eſt ſicco & humido nutrimento indigere animal, atq; & ſpiritus. Eſt nanq; nobis eſca & potus neceſſarius, propter elementa ex quibus conſtamus; vnumquodq; enim proprio & ſimili cibo nutritur, contrario verò curatur.

Sed elementorum hoc quoque per ſe, hoc verò per quædam media inferuntur. Vt aqua quæ nunc per ſeipſam, nunc verò mediante vino & oleo, vel cunctis humoroſis fructibus. Nihil enim aliud eſt vinum, niſi aqua vinum facta. Similiter autem & ignem accipimus, nunc quidem per ſe ab ipſo igne calefacti, nunc verò mediantibus his quæ comedimus & bibimus. In cunctis nanque rebus, ſiue maior ſiue minor pars ignis conſperſa eſt. Eodem quoque modo de aere fit. Per ſe quidem vtimur, aerem anhelantes, & circa nos illum diffuſum hærentes, & in comedendo & bibendo trahẽtes. Per alia verò, mediantibus omnibus aliis quibus veſcimur. Terrã verò per ſe quoq; nullo modo accipimus, ſed per quædam media. Terra nanq; fit frumẽtum, & frumentum comedimus. Corniculæ autem & columbæ, atque perdices, frequenter terra cibantur, homo verò mediantibus ſeminibus & leguminibus atq; carnibus veſcitur terra.

Quoniam verò non ſolùm per pulchritudinem, ſed & per ſenſum tangibilem homo præcellit cuncta animalia, non circunpoſuit nobis corium groſſum, vt bubus & aliis huiuſmodi; nec pilos magnos & ſpiſſos, vt capris & pecoribus & leporibus; neque ſpolia, vt ſerpentibus & piſcibus: neque cocleas, vt teſtudinibus,& oſtreis: nec vt auibus, plumas dedit homini: neq; molles cocleas, vt locuſtis & cancris: neque pennas. Neceſſariò igitur ſenſibilitate eguimus, vt eum ſuperabundantem in nobis amplius, quàm aliis natura dediſſet. Propterea igitur nutrimento & ſenſibilitate familiari neceſſe habuimus. Et non ſolùm propter hoc, ſed vt fugeremus qualitatum diſtemperantiam & diſſolutionem continuationis corporis. Ideoque medicis & curatione medicorum opus habuimus. Nam permutatione facta qualitatum, neceſſe eſt per cõtrarias qualitates ad temperantiam reducere corporis conſtantiam. Non enim, vti quidam nouerunt, calefactum corpus infrigidare, ſimpliciter pertinet medicis, ſed potius reſtituere ad temperamentum. Si enim frigidetur ſimpliciter, in contrariũ morbum deueniet diſpoſitio.

Neceſſitas igitur fuit homini cibus & potus propter euacuationes & diaphoreſias. Senſibilitate quoque opus habuit, vt nullam naturaliter habeat fortem permutationẽ. Domo verò opus habuit propter diſtemperantiã aëris, & propter feras: curatione autem propter mutationes qualitatum,& ſenſibilitatem inditam corpori. Si enim non fuiſſet nobis ſenſibilitas, non doleremus: & non dolentes, curationem nõ quæreremus, & doleremus cum ignorantia, mali paſſionem non ſentientes.

Sed propter artes & diſciplinas, nos opus nobiſmetipſis habemus ad inuicem. Quia verò egemus ad inuicem, multi in vnum conuenientes, communicamus alterutrum, propter ea quæ vitæ ſunt vtilia, in congregatione hominum: quã congregationẽ & cohabitationem, ciuitatẽ nominauerũt: vt de ꝓpinquo,& nõ de longe auxiliaremur ad inuicẽ. A natura enim con-

gregabile & ciuile animal factus est homo. Nullus etenim solus sibi sufficit in omnibus. Manifestum est igitur, quòd ciuitates propter cõmutationes & propter disciplinam constitutæ fuerint. Sed ex duabus his dignitatibus homo singulariter honoratus est. Solus etenim veniam percipit pœnitens, & huius solius corpus mortale existens, immortale fit: & corpus quoque per animã, anima verò per corpus. Homo nanq; rationaliũ solus, singulariter habuit in pœnitendo venia dignus fieri. Nã neq; dæmones, neq; angeli pœnitentes, venia digni fiunt. Ex quo facto maximè Deus iustus & misericors apparet. Angelis nanque nullum habẽtibus compulsorium attrahens ad peccãdum, sed naturaliter existentibus liberis à corporalibus passionibus & necessitatibus ac delectationibus, iustè nulla cõcessa est venia illis pœnitentibus. Homo verò quia non solum est rationalis, sed & animalis, necessitas verò animalis sunt passiones, quo merito frequenter collidunt rationem hominis, & ad peccandum impellunt. Quando igitur exurgens homo reliquerit hoc, & ad virtutes incesserit, donatur ei venia iustæ misericordiæ. Et sicut proprium est homini risibile, quia & soli huic inest, & omni; sic secundum gratiam Dei proprium est homini super omnem rationalẽ creaturam absolui per pœnitentiam à vinculis peccatorum. Etenim soli homini hoc donatum est & omni. Et semper in tempore mundanæ vitæ habet hoc, post mortem verò nequaquam.

De natura angelorum & hominum.

SImiliter autem quidam angelos nequaquam volunt post ruinam per pœnitentiam percipere veniam, quia mori istorum est ruina. Sed ante ruinam, ad similitudinem vitæ hominum, dignos fuisse venia. Sed peccantes angeli dignam receperunt vindictæ iustitiam, perpetuam quidem & sine venia. Manifestum est igitur, quòd quicunq; pœnitentiam non acceperit, singulari dono proprioque hominis proscribuntur.

Proprium quoque est ipsi homini, artium disciplinarumque doctrinam addiscere, artiumque opera exercere. Ideoque diffiniunt, hominem animal esse rationale, mortale, mentis & disciplinæ perceptibile. Animal quidem, quia homo est substantia animata sensibilis, hoc est nanq; animalis diffinitio. Rationale verò est, quia vt separetur ab irrationabilibus; & mortalis est, vt diuidatur ab immortalibus rationabilibus. Mentis autem & disciplinę perceptibile est, quia discendo inhærent nobis artes & disciplinæ. Nam habet homo potestatem perceptibilem & mentis & artium: sed actum discendo atq; studendo percipit. At dicunt nos hãc diffinitionem apponere superfluè. Valere enim absque hac diffinitione volũt. Sed quia nymphas & alia quædam genera dæmonum introducunt, longæua quidem, sed non immortalia, vt & ab his diuidant hominem; apposuere mentis & disciplinæ perceptibilem. Nullum nanque illorum addiscit, sed naturaliter nouit quæ nouit.

Hebræorũ verò doctrina habet, omnia hęc propter hominẽ facta fuisse, velut subiugalia & boues pro terrę cultura, herbam autẽ propter boues. Eorum nanq; quæ facta sunt, hæc quidem propter seipsa facta sunt, hæc verò propter alia. Propter seipsa, rationalia omnia: propter alia verò, irrationalia & inanimata. Si igitur hęc propter alia facta sunt, propter quæ facta sunt videdum est, nunquid propter angelos? Sed nullus sapiens dicet, propter angelos ea facta fuisse. Quæ enim ꝓpter alia facta sunt, ad cõsistentiã eorũ & permanẽtiam & requiẽ facta sunt. Aut enim facta sunt causa habitaculi illius generis: aut nutrimẽti, vel operimenti, vel curationis, siue deductionis, siue repausationis. Angelus autem nullius horum indiget. Nam neq; receptaculum habet generis, neq; nutrimento indiget corporeo, nec operimento, neq; aliorum aliquo. Si autem indiget, non erit angelus. Manifestũ est autẽ, quòd pro nulla alia natura facta sint hæc, quæ angelis prę mineat. Quanto enim amplius præminet, tanto plus nullo indiget. Quærendum est igitur naturam, rationalẽ quidem, indigentem omnibus præmemoratis. Quæ igitur altera talis apparet, præter hominem? Colligitur ergo propter hominem facta fuisse irrationabilia & inanimata.

Quia igitur, vt monstratum est propter hominem facta sunt, ideo principẽ Deus eum constituit. Sed principis officium est, mensurato vsu quibus principatur, vti; & non ad fatigationem, vel læsionem, ea indeficienter cogere, nec grauiter & intolerabiliter onerare. Peccant igitur, qui irrationa-

tionabilibus non bene vtuntur. Nam nec opus principis faciunt, nec iustè. Secundum quod scriptum est: *Iustus conseruat animas iumentorum suorum.*

Quòd Deus alia propter alia creauit.

AT iustè quis dicet, nullum propter aliud, sed vnumquodque propter seipsum factum esse? Separemus igitur prius animata ab inanimatis, & videamus, si inanimata possunt propter seipsa facta esse. Si enim hæc propter seipsa facta essent, quomodo nutrirētur animalia? Videmus nanque naturam concedentem animalibus escas de terra & de fructib. & de plantis: exceptis sarcophagis, id est rapacibus bestiis, pauciſſimis. Sed & his quidem in escam habentibus animalia terrā pascentia; vt lupi & leones, agnos & capras & ceruos atque porcos vorantes; & aquilæ habent perdices, phasianos & lepores, & similia, quæ fructus terræ sunt depascentia. Sed & piscium natura comestibilis ad inuicem existens, non se in omnibus extendit, vt omnes carnes comedant, sed de comedentibus fecit psychia & alia quædam in aqua nascentia. Si enim essent omnia genera piscium sarcophaga, id est vorantia, nequaquam vel ad modicū durarent, sed perderentur: hæc quidem ad inuicē, hæc verò per nutrimenti indigentiam. Vt hoc itaque non fieret, quidam de piscibus facti sunt à carnibus abstinentes, &(vt ita dicam) marinam herbam pascentes, vt ex his & alij saluentur. Sed horum voratores facti sunt illi, qui vocantur psychia, & hi quidē aliorum, & hi alij iterum voratores existentes, donec perueniant ad vltimā terram, escam mari habitam, aliorum substantiam saluantem.

Manifestauit ratio plantarū genus non propter se ipsum, sed ad nutrimentum hominum, & aliorum animalium factum esse. Si igitur hoc propter hominem & animalia fuerit, manifestum est quòd & causæ generationis & hominum incrementi propter hoc factæ sunt. Igitur & astrorum motus & cœlum & tempora & pluuiæ & omnia talia, propter hoc facta sunt. In cibis velut in circulo, semper procedentibus indeficiens permaneat natura ferentium fructus, vt inueniantur hæc quidem propter fructus condita, fructus verò propter animalia, & etiā propter hominem.

Reliquum est igitur inspicere, vtrum irrationalium natura, propter seipsam facta sit, an propter hominem. Sed inconueniens est ea merito & scientia expertia, & ad placitum naturalem tantùm viuentia, & ad terram deorsum incuruata, seruitiumq; ex sua figura demonstrantia, dicere propter se facta esse. Multis aliis igitur de his dictu necessariis existentibus, propriaq; conscriptione pro multitudine indigentibus, non recipienda à dispositione proposita, pro verborum prolixitate; ad breuia quidem & vtilia perueniendum est nobis. Si igitur in homine, velut in imagine quadā inspexerimus, quæ sunt exteriorum, per eā cognoscimus, demonstrationē facientes eorum quæ quæruntur esse.

Videamus etiam in nostra anima irrationalitatem, ex quadam eius parte. Dico autem esse irrationalem appetitum & furorem. ad seruitium data rationalitati. Et rationem hanc quidē principantem, hæc verò obsequentia. Et hanc quidem iubentem, hæc verò iussa necessitatibusq;, quibus ratio suppositerit, deseruientia, vt saluetur secundum naturam homo. Quòd si nostrorū irrationabilium, rationale quod in nobis est, dominatur: quomodo non consequenter idem dominabitur exteriorum irrationabilium, vt ad necessitatem ei data sint? Nam à natura est dispositum, irrationale seruire rationali, vt in nobis demonstratum est. Manifestat autem hæc factura multorum animalium, ad seruitium cōgrua facta: boues nanq; & omnia iugalia ad agriculturam & ad ferendam sarcinam facta sunt. Multa verò auium & aquatilium & terrestrium, ad delectamētum homini sunt. Modulationes verò dulciter ad suauitatem & requiem.

Quòd si non omnia talibus vtilitatibus seruiant, sed quędam etiam hominem destruant, sciendum est quòd principaliter propter seruitium hominis facta sint, vt omnia conuenientia sint, nihilque desit in creatura, quod non sit conueniens: neque venenosa omnino aufugiunt auxiliū præstare hominibus. Quia & venenosis ad proprium auxilium ratio humana vtitur. Vtitur nanque ipsis ad curationem læsionum eorundem, & ad medicamentum aliarum ægritudinum, quales sunt serpentes theriacæ vocatæ. Compositiones, quales adinuenit ratio, vt & ab ipsis eisdem venenatis oppugnentur venenata, & oppugnatis eis tanquā ab oppositis auxilientur.

Sed & data sunt homini à creatore, decem milia virtutum, his omnibus oppugnantium, repellere & contrahere & annihilare, atque digerere subdolas eorum potestates. Sed quia alia aliis conueniunt vtilitatibus, communiter omnia ad curationem hominis perficiendam nata sunt, etiam quæ aliis vsibus sunt inutilia.

Et hęc quoq; dicta sunt secundum modernam substantiam nostræ vitæ. Nam secundum primariam substantiam, nullum aliorum animalium, ausum erat lædere hominem, sed erant ei omnia famulantia & suppositia, atque obedientia, donec se retinuit à propriis passionibus, & irrationalitate, quæ in ipso est. Non se autem retinens à propriis passionibus, sed contentus ab ipsis, dignè obtentus est & à feris exterioribus. Cointrauit nanque & istorum læsio, cum peccato. Quod autem verum sit, hoc manifestum est ex his qui optimam vitam ducunt. Nam illęsi reperti sunt à ferarum rabie, vt à leonibus Daniel, & Paulus à morsu viperæ.

Quis igitur dignè miretur nobilitatem huius animalis, colligantis in seipso mortalia cum immortalibus, & rationabilia coniungentis cum irrationabilibus, & ferentis in sua natura omnis creaturæ imaginem? Et propterea homo, microcosmus Græcè nominatur. In tantum sublimatus ad Dei præsentiam, vt propter eum sint omnia & præsentia & futura. Propter quem Deus homo factus est, pertingens ad incorruptionem, mortalitatemque ignorans, in cœlis regnat homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, cum Christo degit, filius Dei est, omni principatui ac potestati præsidet. Sed quis enarrare valebit huius abundātes possessiones? Pelaga transit, cœlum contemplando transcendit, astrorum motus & distātias ac mensuras nouit. Terram & mare vsufructu possidet, fera & cete decipit, omnem disciplinam & artem & regulam dirigit, literis quibus voluerit, exponit. A corpore in nullo impeditus, prophetat futura. Omnibus principatur, omnia tenet: gaudet in omnibus. Angelis & Deo loquitur, creaturæ iubet, dæmonibus imperat, existentiū naturam disponit. Deo cooperatur, domus & templum Dei fit; & hæc omnia per virtutes acquirit & beatitudinem.

Sed ne videamur nimis accuratè in laudem hominis prorumpere, & naturam non exponere, secundum quod proposuimus, hic sermo claudendus est: sed maximè naturæ abundantias dicentes, naturam exponamus ipsam. Videntes igitur quantam ingenuitatem percepimus, & quòd planta sumus cœlestis, ne degeneraremus à natura, vt talibus donis non appareamus indigni, neq; nosmetipsos tanta priuemus potestate & gloria; ne pro modico tempore breuique delectatione, omnium sempiternorum amittamus gaudium; sed per bona opera & abstinentiam malorum & rectam intentionem, cui maximè diuinum cooperari solet, nec non & frequentibus orationibus ingenuitatem conseruemus. De his igitur sufficiant hæc.

Sed quia hominē ex anima esse & corpore, precedens sermo proposuit, prius de anima narrare incipiamus, derelinquentes ea quæ valde sunt subtilia & difficilia, plurimisque inquirentibus ignota.

De anima, sententiæ philosophorum nonnullorum diuersæ & incongruæ.

NOn ignotum est antiquorū omnium sentētias de anima esse diuersas. Democritus nanque & Epicurus, & omnis Stoicorum secta, animam esse corpus fatentur. Et isti idem hoc dicentes, de eius essentia discordant.

Stoici nanque spiritum eam dicunt, calidum & inflammantem; Critias verò, sanguinem eam dicit, & Hippon philosophus dicit aquam: Democritus verò dicit esse ignem. Nam secundū eum, rotundæ figuræ ex atomis compositæ, ignis & aër, animam perficiunt. Heraclitus autem totius animam vaporem ex humidis esse dicit; eam verò animam quæ est in animalibus, ex genere nasci exterioris vaporis dicit, & eius qui est in ipsis.

Iterumq;, dicentium animam esse incorpoream, inepta est discordia facta. Alij nanque substantiam eam, & immortalem dicūt. Alij verò incorpoream, sed nec substantiam neque immortalem. Thales autem primus dixit, animam esse quod semper est mobile, & à seipso mobile. Pythagoras autem ait esse animā numerum, seipsum mouentē. Plato verò inquit, eam esse substātiam intelligibilem à seipsa mobilem, secundum numerum conuenientem.

tem. Aristoteles verò, eam dicit esse explementum primum, corporis naturalis officialisq; , potestate vitam habentis. Dinarchus quoq; ait, eam esse harmoniam quatuor elemẽtorum, hoc est temperantiam & concordiam elementorum, non constantem ex vocibus, sed in calidorum corpore, & frigidorũ, & humidorum, & siccorum concordem temperiem.

Sciendum verò, quòd & horum alij, animam substantiam esse dicunt. Aristoteles verò & Dinarchus, non substantiam dicunt. Item alij quidem dicunt, vnam & eandem omnium animam esse diuersam per singula. Et iterum in seipsam redeuntem; velut Manichæi, & quidam alij. Alij verò multas & differentes secundum speciem. Alij verò vnam & multas. Omnia verò si dicantur his obiicienda sententiis necesse est sermonem producere.

Contra eos qui dicunt animam esse corpus.

COntra omnes, animam corpus esse dicentes, sufficiant quæ ab Hammonio magistro Plotini & Mummij Pythagorici dicta sunt. Sunt autem hæc:

Corpora propria natura mutabilia & conuertibilia esse, & diuisibilia, & omnino ad ignotum exsecabilia, nulloq; in ipsis indissolubili permanente. Indigent aliquo componente, & conducente, & velut constringente, & continente ipsa quod animam dicimus. Si igitur corpus erit anima, vt etiam si sit tenuissimum, quid iterum erit quod eam contineat? Monstratum est nanque esse, corpus indigere continente, & sic ad incõueniens, donec pertingamus adesse incorporeum.

Quod si dicatur velut Stoici asserunt, robustus motus circa corpora esse introrsus & extrorsus mouens: & qui mouet extrorsus, qualitatibus & quãtitatibus sit determinatiuus: qui verò introrsus, vnione & essentia, interrogandum est eos, quum omnis motus ab aliqua virtute sit, quę virtus sit illa, & in quo essentietur? Si igitur virtus materia quædam sit, eisdem iterum vtemur rationibus, quod sine materia est, sed materiatum: aliud quid erit à materia materiatum. Quod enim participat materia, materiatum dicitur. Quid erit igitur quod participat materia? vtrum materia illud idem, an immateriatum? Si igitur materia, quomodo materiatum, & non materia? Quòd si non materia, immateriatum ergo. Si verò est immateriatum, non est corpus. Omne enim corpus materiatum est.

Quod si dicatur, quòd corpora tripliciter dimensibilia sunt. Anima verò per totum corpus diffusa, tripliciter dimensibilis sit: ideoque & corpus: omnino respondebimus quòd omne corpus sit tripliciter dimensibile. Sed nõ omne tripliciter dimensibile, est corpus. Etenim locus & qualitas, incorporea existentia secundum seipsa, secundum accidens in quantitate quantificantur. Similiter autem & anima per se ipsam adest indimensibilis. Secũdum accidens verò in quo est existente tripliciter dimensibili, conspicitur & ipsa tripliciter esse dimensibilis.

Amplius, omne corpus si extrorsus mouetur, inanimatũ erit: si verò introrsus, animatum. Si igitur corpus est anima, & si extrorsus mouetur, inanimata erit: si verò introrsus, animata. Sed est incõueniens & animatam & inanimatã dicere animam. Non igitur corpus est anima.

Amplius, si anima nutritur, ab incorporeo nutritur. Eam nanq; disciplinæ nutriunt, sed nullum corpus ab incorporeo nutritur: non igitur corpus est anima. Xenocrates sic cõclusit: Si autem non nutritur, quum omne corpus animalis nutriatur, non erit corpus anima. Et hoc quidem communiter contra eos qui dicunt, corpus esse animam.

Contra eos qui dicunt animam esse sanguinem vel spiritum.

DIcamus etiam nunc contra eos, qui probant sanguinem vel spiritum esse animam: pro eo, quia spiritu vel sanguine separato, moritur animal.

Non est sanguis dicendus anima, quod quidam dignoscentes esse, sic scripserunt & dicunt. Igitur si sanguis est anima, quando pars sanguinis effluit; effluit & pars animæ. Vaniloquia nanq; sunt hæc. Quia de homiomeris, id est, de consimilibus pars ablata, idem est quod & totum. Est enim aqua & multa & minima. Similiter & argẽtum & aurum & omnes horum partes, non differunt ab inuicẽ secundum essentiã. Sic igitur & ablatus sanguis, nõ minus erit anima quàm remanens sanguis.

Sed illud est magis dicendum, quòd si sanguis ideo est anima, quia eo ablato, mo

ritur animal, omnino & phlegma anima erit, & cholera vtraque. Qualecunq; nanque eorum defecerit, finem vitæ hominis conducit. Amplius quoq;; Si horũ quodlibet anima eſt, & hepar & cerebrum & cor & ſtomachus & renes & inteſtina, & alia multa ſunt anima. Quolibet enim horũ ablato, moritur animal. Sed & multa ſunt animalia non ſanguinea: animata verò, vt quę dicuntur ſelachia & malacya, vel vt ſepiæ marinæ & vligines & ſimilia, & omnia oſtracodermata, & molles habentia cochleas, vt locuſtæ & cancri & aſtaci. Si igitur ſunt animata, & non ſanguinea, manifeſtum eſt, quòd non ſit ſanguis anima.

Contra illos qui dicunt animam eſſe aquam vel aerem.

PRoponamus rationes etiam contra eos qui dicũt animam aquam eſſe, eo quod aqua viuificare videtur omnia, & ea abſq; viuere ſit impoſſibile, ſed omnia deficiant: ſed nihil abſque nutrimento viuere putant. Igitur & eſcas omnes animam dicunt. Contra quos dicendum eſt, quum multa animalia ſint non bibẽtia, vt de quibuſdam aquilis dicitur & perdicibus, poſſintq; viuere abſque potu, cur magis aqua erit anima quàm aër? Ab aqua nanq; poſſibile eſt abſtinere in lõgum, anhelare verò aërem, nec per modicum: ſed nec aër eſt anima. Multa nanq; ſunt viuentia, ſed aërem non anhelantia, velut apes & ſphicas, & formicæ, & reliqua non ſanguinea. Et marinorum multa, & omnia quæcunque pulmonem non habent. Nullus nanque pulmonem non habens, anhelat aërem, quod & conuertitur. Nam nullum non anhelans aërem, pulmonem habet. Quia verò & Cleanthi Stoici, & Chryſippi, referunt rationes quaſdam, exponendum eſt harum ſolutiones, vt eas Platonici diſſoluerunt.

Contra illos qui dicunt animam eſſe corpus.

OCcurramus illis nunc qui dicunt animam eſſe corpus. Cleanthes nanque talem colligit ſyllogiſmum: Non ſolùm (inquit) ſimiles efficimur parentibus ſecundum corpus, ſed etiam ſecundum animam, paſſionibus, moribus ac diſpoſitionibus. Sed corporis eſt, ſimile atq; diſſimile, & non incorporei. Corpus igitur (inquit) anima eſt. ſed ſi ſecundum animam ſimiles & diſſimiles, non dicimus ex partibus: totum nõ conſtabit. ſed falſum eſt, ſimile & diſſimile non eſſe incorporei. Dicimus nanq; numeros ſimiles eſſe, quorũ latera ſunt ſimilia, vt ſex & vigintiquatuor. Latera nanq; ſex ſunt duo, & tria & quatuor. Et ſenarius numerus hanc habet analogiam, duo quidem ad quatuor, & tria ad ſex dupla ratione referuntur. Nã quatuor, dupla duorũ ſunt, & ſex trium: ſed incorporei ſunt numeri. Et figuræ quoq; figuris ſimiles erunt, quæcunque angulos rectos habent, & latera ſecundum eandem rationem circa rectos angulos. Sed & ipſi ijdem figuram incorporeã confitentur eſſe.

Amplius, ſicut quantitatis eſt principium, æquale & inæquale: ſic & qualitatis ſimile & diſſimile proprium eſt: ſed incorporea eſt qualitas. Erit igitur etiam incorporeum incorporeo ſimile.

Iterum inquit; nullum incorporeum compatitur corpori, neq; incorporeo corpus. Compatitur autem anima corpori. Condolet enim infirmanti, & exciſo; & corpus etiam animæ, tunc ſcilicet cùm rubeſcente fit rubeum, pallidumq; pauens. Corpus igitur (inquit) eſt anima. ſed alterum cõceſſorum eſt falſum. Quod autem nullum incorporeum corpori compatiatur, nunquid nam in ſola anima hoc aderit? Hoc enim tale eſt, velut ſi quis dixerit; nullum animal ſuperiores genas mouet. Crocodilus autem ſuperiores genas mouet: non erit igitur animal crocodilus. ſed falſa propoſitio eſt quæ dicit, nullum animal ſuperiores genas mouet. Ecce enim crocodilus animal eſt, & ſuperiores genas mouet. Eodem modo ſe habet, quum dicitur; nullũ incorporeum corpori compatitur. Accipitur enim quod quæritur in demonſtratione, quòd ſi quis conceſſerit verum eſſe, nullum incorporeum corporeo cõpati: tamen quod conſequitur, non erit manifeſtum: quod compatiatur, ſcilicet anima infirmanti corpori, & exciſo corpori. Dubitatur enim ſiue corpus ſit quod dolet, accipiens ab anima ſenſibilitatem, maneatq; ipſa impaſſibilis, ſiue etiam cõdoleat anima corpori. Prius autem tenetur magis à ſapientioribus: ſed nullus ex dubiis colligit ſyllogiſmos, ſed ex manifeſtis. Ex his quoque quæ ſunt circa ſubſtantiam, oſtenditur, quædam incorporea compatientia eſſe corporibus. Qualitates enim incorporeæ exiſtentes,

pa-

patientibus corporibus patiuntur, & ipsæ in dissolutione & generatione simul permutatæ corporibus.

De eodem.

CHrysippus verò dicit: Mors est disiunctio animæ à corpore. Nullum autem incorporeum à corpore disiungitur, neque corpori cõiungitur: sed anima & coniungitur corpori & disiungitur. Anima igitur (inquit) non erit incorporea. Sed horum verum est, mortem esse disiunctionem animæ à corpore. Non autem adiungi incorporeum corpori, falsum quidem est vniuersaliter dictum, & in anima verum. Falsum quidem, eo quòd litera incorporea existens, & adiungitur corpori, & disiungitur à corpore. Similiter & albedo. In anima autem verum est: non enim adiungitur corpori anima. Si enim adiungitur, manifestum est, quòd adiacet ei. Si autem adiacet, non toti adiacet. Impossibile est enim corpus corpori totum toti adiacere, & sic non erit totum animatum animal. Vt si adiungitur corpori, corpus quidem ex parte erit animatum, sed totum non erit animatum animal. Quòd si totum sit animatum, nec adiungitur, nec corpus est anima. Sed animal totũ est animatum; Igitur neq; adiungitur, neq; corpus erit, & separabitur, incorporea existẽs. Quia verò non sit anima corpus, manifestum est ex iam dictis. Quod verò non sit harmonia, deinceps dicendum est.

Contra illos qui dicunt animam esse harmoniam.

IAm impugnemus etiam illos, qui dicunt, animam harmoniam esse. Quia igitur Dinarchus harmoniam esse diffiniuit animam: contradicens enim Socrati, animam harmoniã dixit esse; dicens imitari animam harmoniam, corpus verò lyram: Exponendum est huius solutiones, quæ sunt in Phædone Platonis.

Vna igitur est, quę constat ex præostensis ab eo. Præostensum est nanque, quòd disciplinæ sint rememorationes: hoc igitur acceptum velut manifestum, expleuit rationem hoc modo: Si disciplinæ rememorationes fiunt, erat anima nostra antequam in homine fieret. Sed si harmonia est, prius quidem non erat, sed posterius facta est, adaptato corpore. Omnis enim compositio non aliter se habet, quàm illa ex quibus constat. Nam communio quædam est compositorum compositio, harmonia existens, & non impedit eam non præcessisse ea, ex quibus est composita, sed potius subsequi. Oppugnat igitur harmoniam animam esse animam; & disciplinas & rememorationes esse. Sed hoc verum est. Falsum igitur est animam, harmoniam esse.

Amplius, anima & repugnat corpori, & principalem obtinet rationem, dominans ei; sed harmonia neque præcedit, neque oppugnat: non est igitur anima harmonia.

Itẽ harmonia ab harmonia, magis & minus est harmonia: in remittendo & intendẽdo rationẽ harmoniæ. Impossibile nanque est magis & minus habere, nisi in sonoritate. Si enim acutus sonus & grauis deinceps permittentur, rationem quidẽ eandẽ seruabunt in magnitudine vocum: sed permutationem suscipit harmonia, secundum sonoritatem magis & minus extensa. Anima autem ab anima, non erit magis & minus: harmonia igitur non erit anima.

Amplius; anima virtutem & malitiam suscipit: harmonia autem, concordiam & discordiam non suscipit: harmonia igitur non est anima.

Item anima suscipiendo contraria, secundum partem est substantia & subiectũ. Sed harmonia, qualitas est, & in subiecto: substantia autẽ à qualitate aliud est. Igitur anima ab harmonia aliud est.

Harmonia igitur participare animæ, nihil inconueniens est, sed non propter hoc harmonia erit anima. Neque enim quia virtute participatur, virtus erit anima. Galenus autem testari videtur in demonstratiuis sermonibus, tanquam nihil de anima appareat loquens: sed est videre ex his quę dicit, vt magis velit crisim (id est temperantiam) esse animam. Hanc enim consequuntur morum differẽtiæ, ex dictis Hippocratis confirmans rationem. Sed si hoc est, manifestum est, quia & mortalem eam esse nouerunt. Non omnem autem animam, sed irrationalem solam; animam hominis rationalis dubium est hoc dicere.

Quia verò non possit corporis crisis esse anima, ex hoc manifestum est. Omne corpus animatũ & inanimatum, ex quatuor elementis constat: nam horum crisis, id est temperantia, corpora constituit.

Si igitur corporis crisis est anima, nullum erit inanimatum. Et sic colligitur ratio; si crisis corporis anima est, cùm omne corpus crisin habeat, omne corpus animã habet. Sed si omne corpus animã habet, nullũ corpus erit inanimatum. Nec lapis ergo, nec ligna, nec ferrum, nec aliud quid inanimatũ erit. Quòd si non vniuersaliter omnem crisin corporis dixerit animam esse, sed quandam: inquirendum est, quæ sit illa crisis, quæ facit animal, animæ locum habens. Quamcunque nanq; dixerit crisin, hanc eandem inueniemus & inanimatis. Nouem enim existentibus crisibus, vt ipsemet de crasi loquens demonstrat; octo quidem inæqualibus & vna æquali, secundum æqualem quidem, dicit constare hominem; secundum alias verò inęquales, alia animalia secundum speciem, cum intensione & remissione, secundum magis & minus. Sed inueniuntur nouem crases, etiam in animatis, secundum magis & minus: vt ipsemet iterum in haplis, (hoc est, in libro Simplicium) demonstrauit.

Amplius; si anima crisis est, cùm crases permutentur secundum ætates & tempora & dietas, & anima permutabitur. Sed si permutabitur, non eandem habebimus animam, velut & crasin: sed modò erit leonis, modò pecoris, modò verò alterius cuiuslibet, quod est inconueniens.

Item crasis nõ repugnat desideriis corporis, sed cooperatur; ipsa enim ea desideria mouet; sed anima oppugnat; non igitur est crasis anima.

Item si crasis est anima, quum crasis sit qualitas: qualitas verò & adsit & absit præter subiecti corruptionem; & anima separabitur absque subiecti corruptione. Sed hoc non est verum: non igitur crasis vel qualitas est anima. Nam nec etiam vt alterum oppositorum naturaliter inesse dicũt animali, vt igni calorẽ. Inseparabile nanq; est hoc, sed crasis apparet separabilis. Præcipuè ipsi enim medici, medicinali arte commutant crases.

Amplius; omnes corporis qualitates, sensibiles sunt: anima autem non est sensibilis, sed intelligibilis; qualitas igitur corporis non erit anima. Item corporis & spiritus cum dispositione carnium & neruorum aliorumque bona temperantia, est fortitudo: & calidorum & frigidorum & siccorum & humidorum bona temperãtia, salus est: & moderatio membrorum cum bono colore, pulchritudinem efficit corporis. Si igitur harmonia (hoc est concordia) salutis & fortitudinis atq; pulchritudinis anima est, necesse esset hominem viuẽtem nec infirmari, nec debilitari, nec deturpari. Sed frequenter euenit, non vnã solùm, sed has tres simul eucrasias deperdi, & tamen viuere hominem. Contingit nanque eundem simul & turpem esse, & debilem & infirmum. Non igitur eucrasia corporis est anima. Quomodo igitur naturales quędam malitiæ & virtutes hominibus adsint. Hoc tantùm verè contingit ex crasi corporis. Nam sicut naturaliter sunt salubres ex crasi & morbidi, sic quidam naturaliter existẽtes picrocholi, hoc est, constantes à malis choleribus irascibiles sunt, alij verò pigri, alij verò taciti. Sed quidem obtinent crasin & refiunt. Sed aliud est quod obtinet, aliud quod obtinetur. Aliud est igitur crasis, & aliud anima. Corpus nanque organum, id est instrumentũ existens animæ, siquidẽ congruè coaptaretur, cooperatur animæ ipsumq; conuenienter habet. Si verò incongruè obstat, & tunc vsus rerum animæ, oppugnatur ab incongruitate organi. Et si nimis repugnauerit, ad illud quoque conuertitur: quemadmodum musicus simul peccat cũ distortione lyræ, nisi prius eam bene correxerit. Ideo igitur vsus animę est ex congruitate corporis, vt componat illud organum sibi congruum. Hoc autem facit ratione & moribus, hæc quidem intendendo, alia verò remittendo: velut in harmonia, vt ipsa sibi cõgruum illud componat, eoque tanquam organo conuenienter vtatur.

Contra illos qui dicunt animam esse explementum corporis.

Hic resistamus Aristoteli. Aristoteles autem animam explementũ dicens, nihil plus cõfert, quàm hi qui dicunt qualitatem eam esse. Sed demõstremus prius quid dicat explementum?

Substantiam verò tripliciter dicit: hanc quidẽ vt materiam subiectam, quæ potestatem habet ad generationem: aliam verò formam & speciem, secundum quam specificatur materia: tertiam verò ex vtrisque, hoc est ex materia & specie factam, quæ relinquitur, vt sit animata. Est igitur materia quidem virtus, species verò

verò explementum: & hoc quidem dupliciter: vno, vt ſcientia: alio verò, vt contemplari & ſtudere, quod eſt in actu eſſe ſcientiam: & quoniam in conſiſtendo animam & ſomnus eſt, & vigilia, ad hanc rationem vigilia erit cõtemplari. Somnus verò habere ſcientiam & non operari, ſed prior eſt ſcientia quàm actus. Ideoque primum explementum vocat ſpeciem, ſecundum verò actum, vt oculus & ſubiectionem & ſpeciem. Et eſt quidem ſubiectum in ipſo quæ recipit viſum materia oculi. Vocatur & ipſa æquiuocè oculus. Species verò ſiue forma, & explementum primum oculi, eſt ipſe viſus, qui dat ei poſſe videre. Secundum autem explementum, eſt actus oculi, ſecundum quem videt. Vt igitur mox genitus catulus nec vnum habet explementum, poteſtatem verò habet explementum recipere: ſic oportet accipere inanimam. Vt enim ibi adueniens viſus explet oculum, ſic & in corpore nata anima, explet animal: vt ſine corpore nunquam ſit anima, nec corpus abſque anima. Corpus etenim non erit abſque anima, quia corporis erit anima, & propter hoc in corpore conſiſtit. Et in tali quidem corpore per ſe ipſam non exiſtet, ſed primam quidem paſſibilem partem animæ, animam vocat, ſeparans rationabilem. Sed oportuit totam ſimul accipere animam hominis, & non ſecundum partem; & hic debiliſſimæ partes de toto apparent.

Deinde corpus dicit habere poteſtatem viuendi, etiam antequàm fieret anima. Dicit enim corpus poteſtate vitam habere in ſeipſo, ſed oportet corpus poteſtate vitam habẽs eſſe prius actu corpus. Sed actu corpus eſſe non poteſt, antequam ſuſcipiat formam. Materia nanque eſt informis & non corpus. Impoſſibile igitur eſt quòd nón eſt actu, poteſtatem habere, vt ex eo fiat aliquid. Si verò & corpus poteſtate fit, quomodo quod eſt poteſtate corpus, poteſtate vitam in ſeipſo habere poteſt? Aliter enim eſt in aliis poſſibile habentem quid, & non vti ipſo: ſicut viſum habentem, non vti viſu. In anima autem impoſſibile eſt hoc. Nam neq; dormiens erit abſq; operatione animæ. Etenim nutritur & augmentatur & imaginatur, & anhelat, quod præcipuum indicium vitæ eſt. Ex his igitur manifeſtum, quòd poteſtate viuere non poteſt ineſſe alieni, ſed omnino actu. Principaliter enim quod informat animam, nihil eſt aliud niſi vita. Vita enim innata eſt animæ, corpori verò conſequenter.

Quod dicit igitur ſalutem idem eſſe quod & vitam, non vitam animę dicit, ſed corporis. Et ſic cauillatur; corporalis etenim ſubſtantia ſecundum partem contrariorum eſt ſuſceptiua, ſecundum ſpeciem verò nequaquam. Si enim ſecundum ſpeciem diuerſa mutatio eſſet, permutaretur & animal: ideoque ſubſtantia, ſecundum ſpeciem contrariorum non eſt ſuſceptiua, ſed quæ eſt ſecundum ſubiectum, hoc eſt corporalis. Anima igitur ſecundum nullum modum poteſt explementum corporis eſſe, ſed erit ſubſtantia incorporea, ſuimet expletiua eſſe. Secundum partem etenim ſuſcipit contraria, vt virtutem & vitium, quæ non poteſt ſpecies ſuſcipere.

Deinde dicit; explementum exiſtentem animam immobilem eſſe ſecundum ſeipſam. Moueri autem dicit ſecundum accidens, nihilq; inconueniẽs eſſe immobilem rem exiſtentem, mouere nos. Etenim pulchritudo immobilis exiſtens, mouet nos; ſed hoc eſt, quod eſt immobile, & mouet. Sed quod naturaliter habet mouere, mouet, & non immobile. Si igitur corpus per ſe motum haberet, nullum eſſet inconueniens ipſum moueri ab immobili. Vnde igitur corpori eſt moueri, niſi ab anima? Corpus enim non eſt per ſe mobile. Primam igitur generationẽ motus volens oſtendere, nõ primam, ſed ſecundam oſtendit. Si enim immobile mouit, primũ fecit motum: ſi verò mobile, per ſe & aliter mouit, ſic motus generationem expetiit. Vnde fit prima generatio motus corpori? Dicere nanq; à ſe ipſis moueri elementa, hæc quidẽ leuia natura, hæc verò grauia, falſum eſt. Si enim leuitas & grauitas motus eſſent, nunquã ſtarent leuia & grauia: ſed ſtant, propriũ aſſumentia locum. Non igitur grauitas & leuitas, cauſæ ſunt primi motus, ſed qualitates elementorum. Si autem & hoc concedatur, quomodo poſſet eſſe ratiocinari, & laudare, & diſcernere opera leuitatis & grauitatis? Certè ſi concedatur, nec harum diſcernerentur opera, nec elementorum, nec corporum.

Amplius, ſi ſecundum accidens mouetur anima, & corpus per ſe, etiam nec exiſtente anima per ſe corpus mouetur. Si autem hoc eſt, & animal erit abſque anima.

Inconuenientia autem hæc sunt. Inconueniens ergo & antecedens.

Sed nec verum dicere est; omne quod est natura mobile, etiam à violentia moueri, nec esse violentia mobile etiam à natura moueri. Mundus enim natura mobilis, violentia non mouetur. Neque iterum est secundum naturam mobile, hoc idem & secundum naturã quiescit. Mundus etenim, sol & luna secundum naturam mobilia, secundum naturã quiescere non possunt. Eodem modo & omnia secundum naturam mobilia, secundũ naturam quiescere nõ valent. Quies enim corruptio est animæ, omniumq; semper mobilium. Ad hoc & quod quæsitum est in principio, insolutum remanebit: hoc est, vnde corpus contineatur natura dissolui, natum. Sufficiant autem hæc pauca ex multis demonstrare; animam non explementum esse existentem nec immobilem, nec in corpore nascentem.

Contra eos qui dicunt animam esse numerum seipsum mouentem.

PYthagoras autem consultè assimilare semper & Deum & omnia numeris assuetus, definiuit, animam esse numerum seipsum mouentem. quod & Xenocrates imitatus, exponit: nõ quod & numerus sit anima, sed quòd in numerabilibus sit & in multiplicatis, & quia anima est quæ discernit res, formas & figuras singulis apponendo. Ipsa enim est quæ species à speciebus discernens, diuersas eas monstrat alteratione specierũ, & multiplicatione numeri. Sed per se mobilẽ & ipse testatus est. quia verò numerus non sit, manifestum est ex hoc: Numerus quantitas est, anima verò quantitas nõ est, sed substantia. Igitur anima numerus non est. Et si per plurima & numerum in intelligibilibus substantiam esse velint, vt dicemus in sequentibus.

Amplius, anima continua est. Numerus autem continuus non est. Numerus igitur anima non est. Item, numerus aut par est, aut impar: sed anima nec par est nec impar: anima igitur numerus non est. Et iterum; numerus secundum appositionem crescit; anima verò secundum appositionem non crescit. Amplius; anima per se mobilis est; numerus verò descriptus est immobilis. Numerus vnus & idem natura manẽs, nullam qualitatem numeris contingentem mutare potest: sed anima vna eademque manens, sed substantiam permutat qualitates, ex indisciplinatione ad disciplinam perueniens, & à vitio ad virtutem. Antiquorum igitur sententiæ de anima tales sunt.

Contra eos qui dicunt animam esse in corpore conditam.

EVnomius animam esse substantiã definiuit incorpoream, in corpore conditam: non dignoscens, vt peracutus existens, quod temperet ad idem cõferre inconuenientia. Omne enim quod ortum habet corporalem, simul & temporalem, corruptibile est & mortale.

Conueniunt quoque his & quę à Mose dicta sunt. Sensibilium etenim generationem describens, nullam in ea intelligibiliũ manifestè posuit naturam. Sed putantes quidam hæc sentiunt, quibus non conueniunt. Si verò quis ex eo quod post plasmationẽ corporis immittitur anima, dixerit, post corpus eam fieri, peccauit à veritate. Neque enim Moses tunc eam condi refert, quum corpori immittitur, neque secundum rationem sic habetur. Si igitur mortalem eam dixerit, velut Aristoteles, qui dicit eam in corpore nasci: & vt Stoici, qui dicunt substantiam incorpoream: prohibeo dicere in corpore conditam, ne nobis accedat opinio mortalis animæ, & omnino irrationabilis.

Et aliter; secundum eundem, nondum repletus est mundus, sed semiplenus, nunc & semper appositione indigens, sed quinquies milies, vt minimum substantiarum intelligibilium, vnoquoque die fiunt ei. Et quod est deterius; quando expletur, tunc dissoluetur, secundum eundem, perfectis hominibus in resurrectione, animarum numerum explentibus: quo quid erit irrationabilius dicere, mundũ tũc corrumpi, cùm perficitur? Valde enim tenerorũ puerotũ est modus iste: in arenam campi mox vt compleuerint dissoluentium facta.

Nam dicere; non prouidentia & creatoris fieri animas, nõ substantiam nouam, nec aliam quàm existentem esse, inducere est, sed existentem animam per prouidentiam multiplicari. Ignorantibus eis esse differentiam creationis & prouidentiæ. Prouidentiæ etenim opus est, ex vniuscuiusque semine conseruare corruptibilium animalium substantiam. Dico autem eorum quæ fiunt per putredinem, sed non

crean-

creantur, ſicut fit in ſeminibus: quia horum generationem alia iterum putredo cõſeruat. Creationis verò optimum opus eſt, ex non exiſtentibus exiſtentia facere. Si igitur ex vniuſcuiuſque ſemine animæ fiunt, ratione prouidentiæ fiunt, & corruptibiles ſunt, vt alia quę ex progenie generis fiunt. Si verò ex non exiſtentibus inducuntur, ratione creationis fiunt, & non erit verum quod Moſes ait: *Requieuit Deus ab omni opere ſuo.* Sed vtraque ſunt inconuenientia. Non igitur modò animæ fiunt. Illud enim quod ait; *Pater meus operatur*: nõ ad creationem, ſed ad prouidentiam dictum eſſe ei placet.

Contra illos qui dicunt, animam de anima procreari.

VIdetur autem Apollinario, animas ab animabus gigni, vt à corporibus corpora. Propagari nanq; animam per generationem ait à primo homine, in omnes qui ſunt ab ipſo, vt & corpus; & neque prę-exiſtere animas, neque modò creari. Hoc nanque dicentes, cooperatorem faciunt Dominũ mœchis, quum ex his pueri naſcuntur. Et erit falſum quod ait; *Requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis*: ſi iterum & modò animas creat. Sed quia omnia quæ naſcuntur, per generationem vniuſcuiuſque ſeminis oſtenduntur mortalia: ideo enim generant & generantur, vt corruptibilium permaneat genus: neceſſe erit, aut mortalem dicere animam ex vniuſcuiuſque ſemine natam, aut per generationem eam fieri ſeminis. Quod autem ex adulterio generatur, prouidentiæ rationi relinquitur, ignotum nobis exiſtens. Sed qui nouit quomodo libet rimari quæ ſunt prouidentiæ, nouit omnino quod generatur, vel per vitam ſuam, vel per ſeipſum, vtile ad futurum: & ideo concedi illi inanimationem. Huiuſq; rei ſufficiens accipimus indicium, Salomonem de vxore Vriæ & Dauid genitum.

Contra Manichæos, qui dicunt, omnium hominum vnam eſſe animam.

NVnc dicamus contra Manichæos. Conſequitur enim vt Manichęorum ſententiam perſcrutemur, quam de anima habent. Fatentur verò eam immortalem & incorpoream, atque vnam ſolam eſſe omnium animam diſperſam ac diuiſam per ſingula corpora, inanimata quidẽ & animata: hoc quidẽ amplius participare, hoc verò minus. amplius animata, minus verò inanimata, multoq; amplius cœleſtia: vt ſic vniuerſalis animę partes, eſſent animæ ſingulorum. Et ſi quidem indiuiduè diuidi eam dicerẽt, vt vocem in audientibus, moderatũ eſſet malum. Nunc autem ipſam ſubſtantiã animę diuidi dicunt; &, quod omnib. eſt deterius, principaliter eam in elementis eſſe volunt, & diſpertiri cum ipſis in ortu corporum. Iterumq; ad ſe reuerti diſſolutis corporibus, vt aqua diſperſa, itemq; collecta & commixta. Et dicunt, puras animas tendere ad lucem, lux exiſtentes. Graues autem à materia tendere in elementa, & ab elementis in plantas & animalia. Sicque ſubſtantiam eius diuidentes, & corpoream oſtendentes, ac paſſionibus ſupponentes, immortalem eſſe dicunt. Sed incidunt in contraria. Dicentes enim, diſcurrere graues animas ad elementa, ipſisq; commiſceri, iterum eas poſt incorporationis ſeparationem fatẽtur damnari, iuxta magnitudinem peccatorum vnientes eas, iterumq; per ſe ſeparantes: eo quòd & vmbrę, luce præſente, diuidantur, & accedente nubilo vniantur. Sed impoſſibile eſt, hoc in natura intelligibili fieri. Etenim vmbræ ſenſibilium ſunt: & ſi concedat eas quis & diuidi & iterum vniri.

Contra Platonem qui vnam & multas animas eſſe affirmat.

PLato verò philoſophus & vnam eſſe, & multas animas docet. Vnam eſſe totius animam, multas verò partiũ, vt ad totum animandum, totius anima ſit propria. Iterumq; ad eam, quæ ſecundum partem ſit propria vniuſcuiuſque anima. Et dicit; totius quidem animam diſtendi à centro terræ vſque ad cœli terminos: non localiter eam diſtendi dicens, ſed intellectualiter. Hanc quoque animam eſſe circunferentem circulariter totum & cõtinentem & cõſtringentem quod eſt mundi corporeum. Indigere autem corpora continẽte, in ſuperioribus monſtratũ eſt. Facere verò hoc propriam ait animam. Viuere enim vnumquodque propria vita, & corrumpi ſolutione propria. Nam vbi continetur & conſtringitur, corpus eſſe dicitur: quum verò diſſoluitur, corrũpi. Et viuere quidẽ ait omnia, non autem omnia eſſe animalia. Diſcernuntur enim ab animatis plantæ, qnia creſcunt & nutriuntur, hoc eſt, naſcibili & nutribili virtute. Irrationabilia

verò animalia à plantis ſenſibilitate,& rationabilia ab irrationabilibus rationabilitate. Et ſic omnia viuere dicentes,diſtare faciunt vniuſcuiuſque naturam. Viuere igitur dicunt omnia inanimata per creabilem vitam, ſed quod continentur à totius anima, vt ſolummodo ſint, & non diſſoluantur. Hanc autem eſſe animam quę gubernat totum, & quæ mittit particulares animas prius à Creatore factas. Oſtendit enim ab ipſo creatore leges ſibi datas,quibus oporteat hoc totum eam diſpenſare. Quas & generatorem vocat,& dantis virtutem ſufficienter diſpenſare nos. Dicuntur autem hæc in his quæ fiunt de generatione.

Communiter igitur omnes Græci animam immortalem oſtendentes, incorporationis denudationem docent. Sed diſſentiunt de ſpeciebus animarum : hij etenim vnam ſpeciem, rationalem ſcilicet, & hanc in plãtam & in corpora irrationabilium procedere. Et horum hij, qui ſecundum quoſdam certos temporum circulos, hij verò vt accidit. Alij autem non vnam ſpeciem animalis, ſed duas rationales. Quidam verò multas, & tot quot animalium ſpecies, hij verò maximè à Platone circa doctrinam hanc inſerti ſunt. Dicente etenim Platone;furioſas & iraſcibiles & capaces animas,luporum & leonum corpora induere:eas verò quæ ſunt impeditæ circa inertiam, aſinorum, & ſimilium ſuſcipere corpora. Alij quidem proprie intellexerunt lupos & leones, & aſinos. Alij verò figurate eum dixiſſe intellexerunt mores per animalia demonſtrantem.

Chronius autem in libro de Generatione ſic dicit denudationem incorporationis,vt rationales omnes eſſe velit.Similiter autem ait Theodorus Platonicus in libro,quod anima omnis ſpecies ſit. Et Porphyrius ſimiliter.

Iamblicus autem econtrario his incedẽs,ſecundum ſpecies animalium,animæ ſpecies eſſe dicit,hoc eſt,differẽtes ſpecies. Scriptus eſt ab eo vnus liber,in quo deſignat, quia non ab hominibus ad animam irrationabilia, neq; ab animalibus irrationabilib. in homines denudationes incorporationis fiunt: ſed ab animalibus in animalia, & ab hominib. in homines.Et mihi videtur,quòd iſte hac de re,ſit melius contemplatus: non ſolùm quæ ſunt ſententiæ Platonis, ſed & ipſius veritatis,vt ex multis aliis oſtẽditur: maxime autem ex hoc,quia nec vna rationabilium motionum appareret,irrationabilibus animalibus. Neque enim artes, nec diſciplinæ, vel conſilia,nec virtutes, neque aliud ad intellectum pertinens, in ipſis eſt. Ex quo patet,quod non conuertatur in ipſis rationalis anima. Etenim inconueniens eſt dicere, irrationabilia rationalia. Quãuis enim valde nouellis infantibus, ſolus irrationalis adſit motus, rationalem tamẽ animam eos habere dicimus,eo quod creſcentes, rationalẽ patefaciunt actum,ſed irrationale in nulla ætate demõſtrat rationalem actum. Superfluo igitur habuiſſet rationalem animam, inutili omnino futura rationali virtute. Sed nec cum his ſuperfluũ à Deo factum eſſe,ſimul omnes confitentur. Si autẽ hoc beſtiis atq; feris rationalis anima eſſet immiſſa ſuperfluo, nunquam valens opus ſuum demonſtraret,& eſſet repręhẽſio dantis animam non neceſſariam corpori,neque artificis opus, nec ordinẽ,vel adaptationem ſcientis.Si verò quod dixerit,moueri ſecundum diſpoſitionem rationabiliter animalia, ſed figmentum eorum non eſſe ſuſceptibile operationis artificioſæ,firmans dictum ab hominibus, quia exciſis ſolis digitis manuum, plurimas artes diſperdant: non ſoluet quod quæritur. Erit enim iterum hoc inconueniens; vt Deus inutilem animam adaptâſſet corpori & ſuperfluam & ocioſam, impeditam per omnem ætatem ad operationes proprias. Ad hoc rationem quoque firmare tentant ex ignotis & non manifeſtis. Vnde enim habent, quod ſecundum diſpoſitionem moueantur animalia?

Melius eſt igitur dicere conuenientem vnicuique corpori adaptare animam, nihilque habere ſecundum diſpoſitionem animalia amplius apparente in operibus eorum naturali ſimplicitate. Vnaquæque enim ſpecies animalium ſecundum proprium placitũ mouetur in vſum & actum, ad quem facta eſt ab initio : & ſecundum hoc figmẽtum hoc eſt verè incongruum. Hæc creator reliquit ea omnino abſque inuamine, ſed vnicuique naturalem & non rationalem tradidit notitiam. Quibuſdam enim aſtutiam indidit, velut artis imaginem & vmbram rationalitatis, vt præſentia declinent pericula & futura caueant, & vt congregetur creatura ad inuicem,

cem, vt iam dictum est. Quia verò non rationaliter hoc faciunt, patet quod vnumquodq; animal secundum suam speciem, similiter operatur eadem, & non differt ab inuicem in multiplicitate operationis, nisi fortè secundum magis & minus: sed potius secundū vnum placitum tota mouetur species. Omnis enim lepus timet similiter, & omnis lupus similiter insidiatur, & omnis simia similiter & vanos actus imitatur. Quod nō est in homine. Mille nanque sunt semitæ actus humani, quia liberum quidem est, & suæ potestatis est rationale. Vnde non vnus & idem est actus omnibus hominibus, vt vnicuique speciei irrationabilium animalium. Nam à natura sola hæc mouentur. Quæ verò à natura sunt, similiter omnibus adsunt. Sed rationales actus alij sunt ab aliis, nec ex necessitate omnibus idem.

Quòd si quis dixerit, pro vindicta delictorū in hac vana vita, animā ad alia transmitti corpora, ex posterioribus faciens demonstrationem; quidnam est quod in prima corpora animalium, immissæ sunt rationales animæ? nōdum peccantes in corporibus humanis, eo quod nōdum in ipsis extiterint? Apponendus verò est huic sentētiæ Galenus mirabilis medicus, qui probat per vnamquanque speciem animalis, diuersam esse animæ speciem. Dicit enim in principio libri primi, de vtili operatione membrorum sic.

Multa sunt animalium membra, hæc quidem magna, alia minora: hæc verò omnino in alterā speciē indiuisibilia. Vtilitas verò omnium eorū est anima. Corpus autem eius est instrumentū, & ideo multū differunt ab inuicē membra animalium, quia & animæ. Idem autē in sequentibus eiusdem libri, de simia quoque hæc addit: Quod si, ô sapientissime reprehensor, diceret natura contra te, desiderio per animam animari, derisoriā oportuit dari corporis compositionem? Sic vidit diuersis secūdum speciem corporibus, diuersas vnitas esse animas. & hoc quidem de his.

Quia verò animam ostendimus neque corpus existētem, neq; harmoniam, neq; crasin, neq; aliam aliquam qualitatē; manifestum est ex his, quod substantia quędā est incorporea anima. Quod etiam omnes confitentur. Quod autem nec corpus sit, nec accidēs, patet ex eo quod incorporea sit substantia, & non sit aliquid habentium esse in alio. Hæc enim & adsunt & absunt præter subiecti corruptionem. Sed anima absente corpus corrumpitur. Eisdem verò vtentem rationibus, conuenit demonstrare animam immortalem esse. Si enim nec corpus est, quod natura est dissolubile & corruptibile, nec qualitas, nec quantitas, nec aliud quid corruptibilium: restat quod immortalis sit. Multæ autem sunt ostensiones eius immortalitatis, à Platone & aliis. Sed illæ quidem obscuræ, & ad intelligendum difficiles, vixque intelligibiles illis disciplinis insudantibus. Nobis autem sufficit ad demonstrationem immortalitatis eius, diuinorum verborum doctrina, de ea continens quod verum est: quia diuinitus est inspirata. Contra eos autem qui non recipiunt Christianorum Scripturas, sufficiat ostendere; animam nullum esse corruptibilium, cùm sit incorruptibilis & immortalis; & de his quidem sufficienter diximus.

De vnione animæ & corporis sententia, authore Gotfrido.

QVærendum autem quomodo animæ & corporis materiati fiat vnio, difficilis enim res est. Sed si iterum non solùm ex his, sed etiam ex intellectu consistit homo, vt quidam dixerunt, magis erit difficilior. Omnia enim conuenientia in existentia vnius substantię omnino vniuntur. Omnia verò vnita permutantur, & non manent quæ prius erant, vt videtur in elementis. Cùm enim vniuntur, aliud quid fiunt. Quomodo igitur vel corpus vnitū animæ, manet verum corpus? Vel quomodo anima incorporea existens, & substantia per se, vnitur corpori, & pars fit animalis, retinens propriam essentiam inconfusam & incorruptam? Necesse est enim aut vniri animam & corpus, & commutari, & corrumpi vtraque, vt elementa; aut non vniri, propter prędictas inconuenientias. adiacere autem vt regionalis in regione, aut mensurabile in mensura; vel confundi, vt vinum & aqua.

Sed quod non possit adiacere corpori anima, in sermone de anima mōstratū est. Esset enim solummodo illa pars animata, quæ proximaret animæ. Quæ verò nō adiungeretur, esset inanimata. Sicque fit, vt non posset dici esse ea quæ secundum appositionem, vt ligna vel ferrum vel ali-

quid tale; & commixtio vini & aquæ vtiq; corrumpitur. neque enim pura est commixtura, neq; vinum. Et talis mixtura per appositionem facta, refugit sensibilitatem, propter tenuitatem commixtorũ. Manifestum autẽ ex hoc, quod iterum ab inuicẽ possunt separari. Spongia enim oleo intincta, purat & fugat aquam. Sic & papyrus. Sensibiliter autem separare perfectè vnita, omnino impossibile est.

Si autẽ nec vnitur, nec adiacet, nec cõmiscetur: quæ erit ratio, vt dicatur animal vnum? Plato igitur propter hanc quoq; inconuenientiã, nõ vult, animal ex anima & corpore esse, sed animã corpore vtentem, atq; tãquam corpus induentem. Sed habet ratio hæc quoddam inconueniens. Quomodo enim vnum esse potest cum indumento anima? Non enim est vnum, vestis cum vestito.

Hammonius verò didascalus Plotini, quæstionẽ hoc modo dissoluit; dicens, intelligibilia talem habere naturã, vt & vniantur valentibus ea suscipere: quemadmodũ corruptibilia & vnita, maneant inconfusa & incorrupta, vt adiacentia. In corporibus enim vnio per mutationem cõuenientium omnino operatur, quia in alia corpora permutantur, vt elementa incomposita, & cibi in sanguinem, & sanguis in carnẽ, & reliqua membra corporis. In intelligibilibus, vnio quidem fit, sed permutatio non cõsequitur. Non enim consistit, intelligibile secũdum essentiam permutari, sed aut integrum existere, aut nõ existens, non inueniri. Sed neque ad non existens corrumpitur. Nam non esset immortalis anima, vita existens, si in mixtura permutaretur. Anima alia fieret, iam non essentiua. Quid autem conferret corpori anima, si non obtinuisset ei vitam? Non igitur anima alia fit in vnione. Ostenso igitur hoc, quod intelligibilia impermutabilia secundum essentiam sint, necessariò consequitur, quòd ipsa vnita nõ corrumpantur, quibus vniuntur. Igitur & vnitur, & inconfuse vnitur corpori anima. Quod autem vnitur, compassio demonstrat. Compatitur enim sibimẽt animal, vt vnum existens. Quod verò & incõfusa permaneat, patet, quòd anima quomodo libet separata à corpore in somno, velut mortuum illud iacere relinquit: solummodo autem fumigans illud vita, ne omnino pereat. Secundum se in somnis operatur, disponens futurum, & rebus intelligibilibus appropinquans. Hoc quoque idem contingit, & quando secundũ seipsam contemplata fuerit aliquid eorum quæ sunt. Tunc etenim (vt quidam nouerunt) se separat, & ad seipsam redit, vt accedat existẽtibus. Incorporea enim existens, per totum diffunditur, vt teneat corruptibilia. Manens incorrupta & inconfusa, & conseruans quod suum est: & in quibus accedit, permutans ipsa secundum suam vitam, & non permutatur ab ipsis.

Nam sicut sol, sua prẽsentia aërem in lucem permutãs, facit eum lucidum, & vnitur aëri lux, inconfusẽ ei diffusa: eodẽ modo & anima vnita corpori, manet omnino inconfusa. In hoc solũmodo distans, quòd sol corpus existens, locoq; circumscriptus, non sit vbique vbi & lux eius, quemadmodum & ignis. Manet enim in lignis, aut in lucerna alligatus vt in loco. Anima autem incorporea existens & non circumscripta loco, per totũ corpus diffunditur cũ luce, & non est pars corporis illuminata ab ipsa, quin ibi sit anima. Vnitur corpori, sed ipsa tenet corpus. Neq; in corpore est, vt in vase, vel vtre: sed magis corpus in ipsa. Non impedita est. Non enim tenentur à corporibus intelligibilia, sed per totum corpus diffusa & radicata & procedentia, nõ sunt talia, vt loco corporali cõtineantur. Intelligibilia enim existentia, in locis intelligibilibus sunt. Aut enim in se ipsis, aut in subiectis intelligibilibus, vt anima: quæ modò est in se ipsa, quando ratiocinatur: modò verò in intellectu, quando intelligit.

Cùm igitur in corpore dicitur esse, non vt in loco, ita in corpore erit: sed secũdum hoc quod coëxistit, & quod coadest, vt Deus dicitur esse in nobis. Etenim per coëxistentiam, & quandam conclusionẽ, & dispositionẽ ligari dicimus à corpore animam, vt dicimus amatorẽ ligari ab amata: nõ corporaliter, neq; localiter, sed per coëxistentiam. Quod enim est sine magnitudine, & sine tumore & indiuisibile, secundum partẽ localem circumscriptione non eget. Quod enim partẽ non habet, quo potest loco circumscribi? Locus enim, quãto subsistit? Nam locus est terminus circumhabentis, secundũ quę circuit circũhabitũ.

Quòd si quis dixerit; Ergo & in Alexandria, & in Roma, & vbique est mea anima? Cõtinget eum locum iterum dicere: Nam & quod in Alexandria, & omnino ibi & ibi locus est. Sed omnino anima in loco non est

est,nisi in coëxistentia. Monstratum est enim quod loco comprehendi non possit. Quando igitur in coëxistentia loci alicuius contigerit esse intelligibile, aut rei in loco existentis, vsualiter dicimus illud ibi esse,propter actum eius, ibi ostensum locum, per coëxistentiam & operationem, accipientes. Oportuit enim dicere, ibi operatur:& dicimus,ibi est.

Conuenit equidem hęc ratio perfectius & maximè in vnione verbi Dei ad hominẽ,per quam vnitũ,mansit in confusum & incõprehensum,non secundũ animæ modum. Illa nanq; existẽs eorum quæ multiplicantur, videtur cõpati corpori quomodolibet proprietatẽ,& tenere quandoq; & teneri. Deus autẽ verbum in nullo à communicatione corporis & animæ mutatus, neq; participans illorũ infirmitati:sed concedẽs ei suam diuinitatẽ, factus est cũ ipsis vnum: manens vnũ, quod erat ante vnionẽ. Nouus itaq; est iste modus mixturæ & vnionis, & commiscetur,& manet omnino incommixtus & incõfusus & incorruptus & immutatus: non cõpatiens, sed cooperans solùm,neque simul dissoluendus, simulq; permutandus, sed adaugens illa: ipse autem non diminutus ab ipsis;vt maneat immutatus & inconfusus. Quod autem omnino sit omnis mutationis expers, testis est Porphyrius, qui suam de Christo mouit linguam. Firma verò sunt nobis inimicorum testimonia, nullamq; contradictionem suscipientia.

Iste igitur Porphyrius in secũdo sermone de Quæstionibus commixtorũ, sic scribit verbotenus: Non ignorandũ itaq; conuenire, aliquam substantiã accipere complementum alterius substantię:& esse partem substantię,manente illo in sua natura, postquam compleuerit aliam substãtiam, vnumq; cum alio factam & conseruatam in vnum quod secundum se ipsam,& maius,eam quidem & non conuersam:conuertentem verò illam, in quibus accedit sua præsentia,in actum suum.

Dicit autem Porphyrius hoc,de vnione animę & corporis. Si igitur de anima verus est hic sermo, quia est incorporea,multo amplius erit verus de Deo verbo,magis & purius & secundũ veritatem existente incorporeo. Et hic, vt aduersarius, obturat ora pręsumentiũ diiudicare Dei vnionem ad hominẽ. De hac enim gentiliũ multi risum faciunt:dicẽtes,impossibile & incontingens & inconueniens esse,commiscẽri mortali naturæ diuinam permixturam & mutationem. Sed nos peritissimis eorum vtentes testibus,exuimur causationem.

Dicitur autem à quibusdam,maximè ab Eunomianis;vniri Deum verbum corpori non secundum substãtiam, sed secundum vtriusq; virtutes. Nõ enim esse dicunt substantias vnitas vel commixtas,sed virtutes corporis,virtutibus diuinis cõmiscẽri. Virtutes autẽ corporis officiales, iuxta Aristotelem,dicũt esse sensus. His itaque,virtutes diuinæ commixtæ, vnionem fecerunt secundũ illos. Sed nouimus quòd nullus eis concedet demonstrantibus sensus,corporeas esse virtutes. Determinabitur enim in sequentib.manifestè,quę sint propria corporis, quæve animæ, quæve vtriusque; & in propriis vtriusq; sensus organicorũ ponemus. Ipsa autem organa, hoc est instrumenta corporis dicimus esse. Melius est igitur,vt prędictũ est,secundum propriam naturam incorporeorum,inconfusè vnionem fieri substantiarũ:nequaquã meliori à deteriori,imò hac vnione roborata à meliori. Quia verò est pura incorporea natura,diffunditur quidem sine impedimento per omnia: per eam autem nihil, vt per totum se diffundendo vniat. Quia verò per eam nihil diffunditur,manet incommixta & inconfusa.

Non est igitur causa huiusmodi vnionis beneplacitum Dei, vt quibusdam gloriosis videtur viris, sed natura. Accipere enim corpus per beneplacitũ si quis dixerit,bene dicet. Vnicum verò non cõfundi,non fit secundum beneplacitum, sed secũdum propriam Dei naturam. Gradus autem animarum & ascensiones & descensiones, quas Origenes inducit, nihil obaudientes diuinis scripturis,neque accedentes Christianorum doctrinis,prætereundum est.

Nomina omnium membrorum.

OMne corpus ex quatuor elemẽtis est compositum, & ex his factũ est. Singulariter autem sanguineorũ animalium corpora, ex 4 humoribus constant, sanguine, flegmate, rubeaq; cholera & nigra. Ea verò quæ non sunt sanguineorum, ex aliis humoribus & ex habito humore,sunt in ipsis loco sanguinis.

Singulariter verò dicitur,quando principaliter ex eisdem aliqd fit,vt sit,ipsa 4 elementorum cõmixtio, 4 humores,humorũ non sint homœomera,id est similes par-

tes habentia, quæ ſunt membra corporis. Aſſimilant autem terrę quidem choleram nigram: aquæ verò flegma,& aëri ſanguinem, igni verò choleram rubeam. Omne verò compoſitum ex elementis,aut eſt firmum,aut humor,aut ſpiritus.

Ariſtoteles autẽ ſpecialiter de ſolo ſanguine vult fieri corpora animaliũ. Ex hoc enim & nutriri ſingula,& creſcere animalis omnia membra, & ſeminis generationem de ſanguine dicit haberi. Sed quia ex vno eodemq; nõ videntur bene ſe habere, vt oſſa duriſſima & caro molliſſima,axungiaq; fiant, placuit Hippocrati primò corpora animaliũ ex 4 humoribus ſigillatim cõpaginari,vt ex iis quæ magis ſunt terreſtria & groſſiora, firmiora fierẽt membra, & ex molliorib. molliora. Inueniuntur autem multoties 4 humores in ſanguine, vt eſt videre in phlebotomiis,aliquando quidem aquoſo phlegmate abundãte in ipſo, quandoq; autem cholera nigra vel rubea. Vnde videtur, quomodolibet ad inuicem concordare viri.

Membrorum autem in animalib. ſunt, hæc quidem homœomera,hæc enim non homœomera. Homœomera quidẽ ſunt, vt cerebrum,meningæ,nerui,medulla,os, dẽs, cartilago ſummoſa,cõnexiones,panniculi,omnes pili,vngulę,carnes,venę,arteriæ,pori,axungia,cutis:& quæ velut elementa ſigillatim habẽtur,vt ſanguis ſecundum quod ſanguis eſt purus, & flegma,& cholẽra nigra & rubea. Tenon enim compoſitum eſt ex connexorio & neruoſis in his. Non homœomera, vt caput, thorax, manus, pedes, & alia membra hominis. Non enim in caput diuiditur caput, vt neruus in neruum, & vena in venam,& caro in carnem. Omne verò non homœomerum, ex homœomeris conſtat, vt caput ex neruis & carnib. & oſſibus. Vocantur autem hæc organica,id eſt officialia.

Deſcriptio autẽ eorũ quę ſunt homœomera,hęc eſt; Homœomera ſunt,quorum partes toti,ſibimetque ſunt ſimiles. Simile verò nõ hîc pro eodẽ oportet accipere. Nõ omne animal,omnia mẽbra corporis poſſidet, ſed quædam ſunt eorum decurtata: hæc etenim ſunt ſine pedibus,vt piſces & ſerpentes:hæc ſine capite, vt cãcri & locuſtæ, & quædam nocturnalium:in pectore autẽ habent ſenſus,eo quòd caput non habent. Alia carent pulmone,ea ſcilicet quæ non anhelant aërem:alia verò veſicam nõ habent, vt aues, & omnia non mingentia. Oſtracoderma autẽ plurimis carẽt membris. Immodicis nanque ipſis exiſtit, hoc quod animalib. eſſe videtur. Videntur autem quædam, etiam habita non habere:vt ceruividentur nõ habere cholerã rubeam, eò quod in inteſtinis habeant eam diſperſam,& nõ apparentẽ:homoverò & omnia perfecta,in quantũ oportuit,bene habent omnia. Similiter autẽ & ſecũdum poſitionem membrorũ,multa differentia eſt animalib. Hæc etenim mãmas habent in pectore, hæc verò in ventre,illa autem in femoribus: & alia quidẽ duas, alia quatuor, alia plures. Manifeſtum nanque,quòd natura cõnumerauit natorum numero pluralitatem mammarum.

Si autem quis perfectè hęc noſcere voluerit, legat ſermonem Ariſtotelis de Animalibus. Nõ ſunt enim hæc huius conſcriptionis ex toto, ſed eſt velut deſcriptiones quaſdam & figuras apponere. Tranſeamus igitur ad rationẽ de formatione Adæ primi hominis, metricè declarandam: paruo prius elogio proſaicè præmiſſo.

Denominatio authorum, qui in hoc libro recipiuntur.

SEm filius Noë, ſicut ſuperius diximus, natus eſt centum annis ante diluuium: vixit annis 35 poſt mortem Abrahæ. qui etiam vocatus eſt Melchiſedec,rex Salem, & mortuus eſt anno 35 poſt mortem Abrahæ. Ille primus ſacrificauit in pane & vino. Norma etiam eius ſacrificij, vſq; ad Moſen & Aaron perdurauit,eiusq; ſapientiam ad eos tranſmiſit.

Ad hæc Abraham artibus & ſcientia Chaldæorum imbutus,nõ ſolùm ſuos, ſed etiam Ægyptios,cùm in Ægypto peregrinabatur,legitur omnes artes docuiſſe. Vnde prima ſapientia ab Ægyptiis ad Grẽcos, à Grẽcis ad Romanos,à Romanis ad Gallos & Hiſpanos legitur tranſmeaſſe.

Vide lector, quanta ſapientia fuit ante tẽpora Moſi & Ioſephi. Moſes legitur quidem fuiſſe inſtructus cunctis artibus Ægyptiorum. Præterea tamẽ ante eum,& poſt eum, fuerunt authores gentiles multi,qui gentiliũ regum Annalia ſcribentes,ab initio mundi hiſtorias collegerunt, literisq; barbaricis nihil intentatum reliquerunt. Quorum primus fuit Enoch, Noë filius, natus poſt diluuium, aſtrologus: qui fuit raptus in paradiſum. Vnde arborem illam tuliſſe & plantâſſe dicitur, in qua poſtea Chri-

Christus est crucifixus: de qua arbore, in sequẽtibus dicemus, cùm de nouo Testamento tractabimus. Ille multa conscripsit, & posteris reliquit. Itẽ fuit magnus historiographus Manethon, qui descriptionem fecit Ægyptiorum: fuit etiam Berosus, qui deflorauit omnia scripta Chaldæorũ: fuit Mochus, & Æstius, & Hieronymus Ægyptius, & alij multi barbari historiographi. Mosen tamen tãquam à Deo missum, inter omnes summũ reputamus. Nec tamen propter eum alij sunt abrogandi. Cætera versus dicent de primi hominis creatione.

Quòd propter hominem mundus factus est.

Condidit hæc ex se, sed non homo cœperat esse,
Tunc satis expresse visum fuit esse necesse,
Vtquasi stante domo cultor adesset homo.

Quòd Adam de terra rubea formatus est.

Forma fit ex rubeo terrarum condita limo,
Flamine diuino caro viuida surgit ab imo,
Viuere spirat ei spiritus ipse Dei.
Terra caro facta, quinis sit sensibus apta,
Ordine compacta, tendit rationis ad acta,
Et rationali mente meretur ali.
Factus non natus, stat Adam, tellure creatus,
Ipse quidem genuit, non ipse fuit generatus,
Euaq; post genuit, nec generata fuit.
Tellus facta caro, fit Adam prima ua propago,
Fit de carne caro, fit ab osse creata virago,
Nos quoque terra sumus, nam caro fiet humus.
Nec terra sola, sed quattuor ex elementis,
Pristina surgentis sunt membra creata parentis,
Nomine terreno quattuor illa fero.

Quòd humanum corpus dicitur Microcosmos, id est minor mundus.

CVm legimus Adam de limo terrę formatum, intelligẽdum est, ex quatuor elementis. Mundus enim iste maior, ex quatuor elemẽtis constat; igne, aëre, aqua & terra. Humanum quoque corpus dicitur Microcosmos, id est minor mundus. Habet nãque ex terra carnem, ex aqua humores, ex aëre flatũ, ex igne calorem. Caput autem eius est rotũdum, sicut cœlum. In quo duo oculi, tanquam duo luminaria in cœlo micant. Venter eius, tãquam mare continet omnes liquores. Pectus & pulmo emittit voces, & quasi cœlestes resonat harmonias. Pedes tanquam terra sustinẽt corpus vniuersum. Ex igni cœlesti habet visum, è superiori aëre habet auditum, ex inferiori habet olfactum, ex aqua gustum, ex terra habet tactũ. In duritie participat cum lapidibus. In ossibus, vigorem habet cum arboribus. In capillis & vnguibus, decorem habet cum graminibus & floribus. Sensus habet cũ brutis animalib. Ecce talis est hominis substãtia corporea.

Videndum est etiam, qualis sit spiritualis substantia hominis, quæ anima vocatur. Anima creditur, ex igne spirituali consistere, in quo imaginem & similitudinem Dei acceperit. Per imaginem, formam intelligimus: per similitudinẽ, qualitatem consideramus. Diuinitas in Trinitate consistit, cuius imaginem & similitudinem anima tenet. Habet namque memoriam, per quam præterita recolit: habet intellectum, per quem inuisibilia intelligit: habet rationem; per quam mala respuit, & eligit bona. In Deo sunt omnes virtutes. Vnde & anima, ad similitudinem Dei, capax est omnium virtutum. Et sicut Deus, à creatura comprehendi non potest, sed omnia ipse comprehendit: ita anima hominis, à nulla visibili creatura potest comprehendi: cùm ipsa visibilia, omnia comprehendat. Non enim potest ei cœlum obsistere, quin cœlestia tractet: non abyssus, quin infernalia cogitet.

Formauit autem Deus hominem de limo terræ, ad dedecus & confusionem diaboli: vt forma fragilis & lutea intraret in gloriam, de qua ipse glorioſus ceciderat. In hoc etiam homo habuit similitudinem Dei; quia sicut Deus præest omnibus in cœlis, ita & homo omnibus præest in terris. Locus autem vbi creatus est Adam, vocatur Ebron: vbi postea de paradiso eiectus habitauit, ibiq; mortuus est, & sepultus. Cætera versus dicent.

Quòd Adam non in puerili forma, sed virili creatus est, extra paradisum.

Forma creata viri, non sit similis puerili,
Immo tricennalis sit consona facta virili,
Vna dies tribuit nomen & esse viri.
Vnde Cain genuit ter quinque fluentibus annis,
Post generauit Abel, totidem venientibus annis,
Sic bis quindenis, natus vterque venit.

Quòd Eua in paradiso formata est.

EVa creata est in paradiso, de latere viri dormiẽtis: vt sicut in carne vna, ita per dilectionem esset mansura. Vnde Adam euigilans dixit: *Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Eua non concepit, nec peperit in paradi-

so. Vbi si permansissent, concepissēt postea, & peperissēt. Atque sicut manus manui sine concupiscentia iungitur, ita mulier viro sine concupiscentia iungeretur. Et sicut oculus sine dolore ad videndum leuatur, ita & ipsa sine dolore & absq; sordibus peperissēt. Infans quoque natus statim ambularet, & absolutè loqueretur, quia circa singulos corporis defectus, de lignis paradisi vteretur, & præfixo à Deo tempore, de ligno vitæ ederet: & sic in vno statu, postmodum permaneret: atque tamdiu in paradiso persisteret, vsque quo numerus angelorum, qui ceciderant, per homines restauraretur. Cætera de Eua, versificè subscribemus.

Item de creatione Euæ, versificè.

Dum staret consorte carens homo, dignus honore,
Sumsit ab actore requiem, plenumque soporem,
Eius vt ex costa fœmina prima foret.
Fœmina plasmatur, os surgit ab osse creatum,
Nuda reseruatur, producitur, Eua vocatur,
Copula conficitur, innuba sponsa datur.
Costa fit ex costa, caro fit pro carne reposta,
Mortis adest porta, prima muliere suborta,
Fœmina prima fuit, qua mala prima luit.
Optima primorum domus est paradisus auorum,
Congerie florum thalamus redolebat eorum,
Nuda sub arboribus pertulit Eua thorum.
Copula prima patrum fuit hæc, thalamusq́, priorũ,
Eua prior mulier stat, Adam prior ille virorum;
Prima fit ipsorum vita loquela forum.

De ligno scientiæ boni & mali, ne comedas.

Crescite (factor ait) iubeo vos multiplicari,
Qua mare, terra parit, his impero vos dominari,
Quæq́, volatilium pontus & aër alit.
Mandere de ligno (dixit) caueatis vbique,
Vnde scientia fit, præstanda, bonique malique,
Ex ipso ligno tangere nulla licet.
Quo, si veseris vir, morte tua morieris,
Si transgressor eris, nulla potes arte tueri,
Viuere si quæris, tu tibi cautus eris.

Qualiter diabolus per serpentem deceperit hominem.

DEcepit diabolus hominem per serpẽtem. Non quòd serpens loqueretur, sed diabolus per serpentem: sicut hodie loquitur per hominem obsessum, sicut etiam angelus per asinam loquutus est ad Balaham. Non quòd serpens, vel asina scirent verba, quæ per eos resonabãt, sed quia per eos spiritus loquebatur.

In pomo autem non fuit scientia boni & mali, sed in transgressione. Homo enim sciuit bonum ante peccatum; malum verò sciuit post peccatum, per experientiam. Adam & Eua manserunt in paradiso per septem horas tantùm: quia statim cùm mulier fuit creata, fuit præuaricata. Tertia enim hora diei, vir fuit creatus: hora autem sexta, mulier pomum comedit & viro porrexit. In hora nona Deus eos proiecit è paradiso: tũc positi sunt Cherubim ante portas paradisi, tenentes gladios igneos. Per ignem, intellige murum igneũ: per Cherubim verò, angelicam custodiã, qua homo prohibitus est redire in paradisum voluptatis. Tunc etiam Adam & Eua iuerũt in Ebron; ibiq; vixerunt, & ibi sepulti sunt. Sciendum autem, quòd ab Adam vsque ad Noë, non pluit, nec hyems fuit, neque comederunt homines carnes, nec biberunt vinum. Hîc erat omni tempore temperies aëris, & abundãtia omnium rerum. Quæ omnia per diluuium sunt immutata, & corrupta. Cætera versus dicet.

Præuaricatio Euæ per suggestionem serpentis.

Dante creatore, dum sic homo fulget honore,
Surgit ab vxore tentatio plena dolore,
Vita, salus hominis, qua peritura foret.
Hostis enim veri, tentator nit mulieri;
Fœmina si quæris cur mandere rem prohiberis,
Crede quòd hoc comedens, vt Deus (inquit) eris.
Sic bona, sine mala, lignum gustando scietis,
Vosq́, deis similes eritis, quid ab inde timetis?
Suscipe, mande cibos, fœmina, daq́, viro.
Credidit illa cito, sumsitq́, deditq́, marito,
Nec dedit inuito, congustat & ille petito,
Nec scelus euadit, lapsus vterque cadit.
Quos pius admisit Deus in medio paradisi,
Tam male subnisi pomum sunt sumere visi,
Pœnaq́, digna fuit, pulsus vterq́, luit.
Nunc peccatores subito nudantur honore,
Erubuit nudata caro, confusa pudore,
Tunc prius agnoscens nuda verenda fore.
Fronde perizoma faciunt, pudibunda teguntur,
Esuriunt, sitiunt, algent, miserantur, aluntur,
Dum cadit ille reus, dicit ad ista Deus.

Videte, ne comedat de ligno vitæ, & viuat in æternum.

En similis nobis (inquit Deus) est homo factus,
Sciq́, bonum, pariterq́, malum rationibus aptus,
Nec sibi iam vitæ mandere ligna licet.
Ne valeat, caueatis (ait) contingere lignum,
Viuet in æternum, si forte comederit illud,
Attamen infelix vita dolentis erit.

Quæritur, cur Deus dederit Adæ cibum transitorium, quum esset Adam immortalis, si non peccâsset?

Immortalis homo factus, dum crimina nescit,
Cur Deus hunc vesci pereuntibus imperat escis?
Vir quoq; par superis, cur prius esuriit?

Sic

Sic data vita prior fuit his, vt alantur ab escis,
Vita sequens, escis vesci, per secula nescit,
Ista mori potuit, sed nequit illa mori.
Posseq; non cadere fuit his, sed posse carebit
Vita futura mori, quia cum deitate manebit,
Est cibus vnus ei, visio sola Dei.

Adam vbi es? Audiui vocem tuam Domine, & timui.

Quærit Adam Dominus, respondet & ille latenter;
Voce tua timui, latui, doluiq; pudenter,
Fœmina quam dederas, causa doloris erat.
His Deus auditis, iratus eis maledicit,
Ad scelus enisi, requiem perdunt parasi,
Expulsisq; reis sic Deus inquit eis:
Digna tuis meritis, transgressor Adam patieris,
Nam mea transgrederis mandata sequens mulieris,
Tempore perpetuo vir maledictus eris.
Terra tibi tribulos, spinet aq; germinet vltro,
In sudore tuo vesceris tempore multo,
Pro sumpto pomo sis maledictus homo.
Febribus & morbis plerunq; perire putabis,
Sæpe tibi fructus tellus bene culta negabit,
Et steriles culmos vomere scissa dabit.

Maledictio Domini ad Euam.

Fœmina tu prima (Deus inquit) in orbe creata,
Primaq; peccatrix, prior ad delicta vocata,
Crimine damnata, perditione rata.
Concipies, nec parturies, nisi pressa dolore,
Esto tuo subiecta viro, confusa pudore,
Hæc tibi perpetuo nata flagella dolo.

Maledictio Domini ad serpentem.

Horrida serpentis astutia; mors morientis
Es quia languentis hominis, tentatio mortis,
Criminis ingluuies; crimina digna lues.
Tu maledictus eris, supra pectus gradieris,
Inferiora pedis hominis nocitura sequeris,
Ipse tui capitis insidiator erit.

Quæritur quare dicitur, Propter solum pomum eiecit Adam de paradiso.

QVæritur quare propter vnius pomi comestionem eiecit Deus hominem de paradiso, & voluit tam grauissimã pœnam portare? Dicimus quia non tantum propter pomum, sed propter superbiam & inobediẽtiam suam. Pro superbia quidem, quia voluit esse sicut Deus: vbi dixit diabolus: *Eritis sicut dij.* Per inobedientiam, quia restitit mandatis Creatoris. In quo scilicet casu, sex peccata criminalia esse no tantur.

Primum fuit superbia, cùm Deo voluit esse æqualis; propter quod & ipse, qui erat in terris omnium rerum prælatus, factus est omnium infimus. Vnde scriptum est: *Omnis qui exaltat cor suum, immundus est coram Deo.* Secundum peccatum fuit inobedientia, de qua dicitur: *Scelus ariolandi est, nolle Deo obedire.* Tertiũ fuit auaritia. Quia plus concupiuit, quàm ei fuerat cõcessum. Ideoq; concessa perdidit. De qua dicitur: *Auaritia est idolorum seruitus.* Quartum, sacrilegium; quia vetitum sibi pomũ, de loco sacro subripuit quasi per furtũ. Vnde meruit à Deo de sacro loco expelli, de quo dicitur: *Qui sanctum profanauit meruit à sancto expelli.* Quintum fuit fornicatio, quia anima Adę, erat Deo quasi coniuncta. Sed ipsa spreto Deo, admisit diabolum: & sic, quasi adultera, cum extraneo adulterium commisit; ideoque Dei amorem perdidit: de hoc dicitur; *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Sextum peccatum fuit homicidiũ; quia seipsum & omne genus humanum in mortem præcipitauit: de hoc dicitur; *Qui occiderit, morte morietur:* morte scilicet æterna. Vnde & interior homo, id est anima Adæ mortua fuit, & mortua postea iacuit in corpore, tanquam cadauer in sepulchro. Cætera versibus exprimemus de Adam.

Qualem vitam duxerit Adam extra paradisum.

Tristis ab vxore stat Adam, nudatus honore,
Rustica rura fouet, manibus colit arua labore:
Terra sibi tribulos germinat, vnde dolet.
Nunc homo torpescit, languens languore fatiscit,
Pane suo nescit, vel Adam vel fœmina vesci,
Nam nisi de pomo mandere nescit homo.
His Deus expulsis raro quandoque refulsit,
Attamen indulsit quod pastor ab vbere mulsit,
Vnde cibos miseris, lac reparabat eis.
Fructibus arboreis, herbisq; frequenter aluntur,
Vesteq; pellicia sua corpora nuda teguntur,
Tunc erat ambobus terra cauerna domus.
Nondum panis erat, neq; gausape, nullaq; mensa,
Nec cibus excoctus, neq; fercula carnea pensa,
Moreq; brutorum rura vel arua colunt.
Panis in hoc mundo primos dedit esse labores,
Nam bene sufficeret paradisi ferre sapores,
Nec foret esuries, sineq; culpa foret.
Non erat his ferri species, neq; massa metalli,
Non erat argenti pondus, neq; circulus auri,
Nec manus artificis, docta sub arte fuit.
Dic homo, si prius est homo, quã sua barba creatus?
Si prius est incus, vel malleus, arte paratus,
Forcipe qua forpex prima fuisse datur?

Adam dedit nomina omnibus animalibus.

Nomina reptilium quæ pontus & æthera gignunt,
Quadrupedũq; simul, vel Adam vel fœmina fingũt;
Omne genus rerum nomina prima ferunt.

De natiuitate Cain & Abel.

Parturit Eua duos, vario sub tempore natos,

Inde Cain fuit, alter Abel virtute beatus,
Nec fuerat similis vita, vel vsus, eis.

Abel obtulit agnum acceptabilem Deo, Cain verò paleam repudiatam.

Primus Abel iustus, Domino prius obtulit agnum,
Reddit ei Dominus meritum pro munere magnum,
Gratia nanq; Dei plena refertur ei.
Obtulit & paleas excusso semine frater,
Quod quia fraude patet, contemnitur à deitate,
Quem neq; corda latent, nec mala gesta placent.
Quumq; Cain sensisset Abel captâsse fauorem,
Et munus pro fraude suum meruisse pudorem,
Fratris ad interitum corda manusq; mouet.
Mens mala, furtiua fratrem furibunda trucidat,
Primus in hoc mundo Cain impius, est homicida,
Primus & inferni fertur inire viam.

Adam plorauit Abel annis centum, & vouit filios amplius non procreare.

Tristis Adam defleuit Abel, plenusq; dolore,
Vouit ab vxore non amplius edere prolem;
Angelus aduenies frangere vota monet,
Dicit ei, te patre mei nascentur Hebræi,
Dextra Dei donabit eis regnum Chananæi;
Filius ipse Dei post orietur eis.
Vtere coniugio, Deus imperat (angelus inquit)
Seminibus terrena tuis Deus ipse relinquit,
Te patre nascetur virgine matre Deus.
Voce data cœli, pater annuit ore fideli,
Ordine coniugij consensit Adam mulieri,
Vnde piam sobolem, posteritate gerit.
Natus ab hinc esi Seth, Domino qui iustus obœdit,
A fratris feritate Cain procul inde recedit,
Rebus & exemplis dogmata sancta dedit.

Quum esset Adam centum & triginta annorum, occisus est Abel, secundum Iosephum.

Quando Cain mactauit Abel, prior ille tyrannus,
Centum triginta protoplastus vixerat annos,
Et post hæc centum flet lachrymanter eum.

Vbi est Abel frater tuus? dicit Dominus.

Hostia tunc per Abel legitur primæua sacrari,
Ante Deum iustus potuit prior ille notari,
Primus & exemplum mortis in orbe parit.
Fratus pro morte viri loquitur Deus ipsi;
Est vbi frater Abel? Cain: Hoc ego nescio, dixit,
Nunquid sum custos fratris & actor ego?
Non potes infelix (dixit Deus) ista tueri,
Terra necem poterit made facta cruore fateri,
Semper eris profugus, vir maledictus eris.

De eodem.

Ille refert; Veniam videor non posse mereri,
Grandior est culpa, quàm gratia possit haberi,
Vnde meis meritis pœna perennis erit.
Semper ero profugus, vagus & miser, orbe latebo,
Et quia iam merui, perimar quocunque manebo,
Vndique terrigenis hostia mortis ero.

Qui occiderit Cain, septuplum punietur, allegoria est.

IN eo verbo quod de Cain & Lamec dixisse legitur Deus, à sanctis patribus allegoria notatur: Qui occiderit Cain, id est, si quis occiderit Cain, septuplum punietur. Quasi diceret: Si quis occiderit Cain antequam peragat vel portet pœnã in vita sua. Ipse Cain, post mortẽ suam in filiis suis septuplum punietur, scilicet in diluuio, vbi septem progenies Cain postea sunt submersæ, quo casu septupla pœna Cain designatur. Similiter de Lamec intellige; qui occiderit, id est, si quis occiderit Lamech, antequàm pro occisione Cain, quem ipse occidit, in vita sua sentiat pœnam, septuagies septies punietur post mortem, scilicet ipse Lamech in filiis suis. Progenies enim Lamech 77 perierunt in diluuio. In quorum morte punitus est Lamech, septuagies septies. Hanc allegoriam ponit Origenes & Eusebius, à quibus Augustinus & Hieronymus, non discordare videntur. Cætera de Cain & de Lamech, versus dicet.

Item de Cain, versificè.

Nolo, Deus dicit, quòd morte Cain perimatur,
Quisquis eum perimet, sibi septupla pœna feratur,
Inde Cain vita salua manebat ita.
Ergo Cain profugus tenuit partes Orientis,
Accipit vxorem, demens sit ab ordine mentis,
Procreat & natos posteritate malos.

Cain primus construxit vrbem nomine filij sui Enos.

Quando Cain genera uit Enos, construxit & vrbẽ,
Qua populos habitare simul rogat atq; perurget,
Arte latronis ibi præda sit ampla sibi.
Vnde patet plures natos & Adam genuisse,
Ex quibus & populos genitos Cain aggregat ipse,
Rerum raptores, qui sua castra fouent.
Pondera, mensuras, Cain edidit, ordine metas,
Subiugat & populos sibi quos sua continet ætas,
At scelus athleta, nulla nocenda vetat.

Septem progenies Cain in diluuio periêre, vnde videtur allegoricè septuplum pœnam portâsse.

Septem progenies quas ipse Cain genera uit,
Tempore diluuij sub aquis Deus ipse necauit,
Septenum numerum septupla plena parit.

Septuagintaseptem progenies Lamech in diluuio periêre, vnde Lamech punitus est septuagies septies.

Septupla septuagies Lamech quoq; pœna notatur,
Cui totidem soboles tunc vnda necâsse probatur,
Talis ab his numeris allegoria venit.

Quis

Quis primùm in mundo adinuenit tentorium vel tabernaculum.

In mundo Iadahel posuit tentoria primus,
Venator prior ipse fuit, feritate ferinus,
Primus & inualidis retia mersit aquis.

Quis primus adinuenit cantum & organum.

Vir de stirpe Cain Iubal, super omnia flore
Gaudet, & in mundo prior inuenit ipse canorem,
Cantibus organicis, organa prima mouens.

Quis primus fabricauit in ære & in ferro.

De Iubal, Tubal natus, ferrarius extat,
Primus ab ære tulit, quicquid bona formula præstat
Et species ferri primus in orbe dedit.

Verba auctoris sub compendio.

QVia sub compendio totum vetus Testamentum scribere promisimus, in hoc loco ponere nomina & generationes omnium quæ scripta reperiuntur, superuacuum æstimamus, cùm in computatione illiusmodi nequeat vtilitas inueniri. Ponamus igitur vtiliora & necessaria, & veniamus ad diluuij causas, congruis authoritatibus explicandas. Sicut his versibus explicamus.

Inutilia in hoc loco esse prætermittenda.

Nomina priscorum Moses enarrat auorum,
Qui mores, quæ vita foret, quod tempus eorum,
Quæ loca, quis numerus, quod pecus, atq; forum.
Hæc tibi ne fortè fastidia lecta reportent,
Aggredimur fortem mundi describere sortem,
Qua Deus alluuij climata mersit aquis.

Qua de causa Deus dedit diluuium super terram.

Diluuij causas, submersaq; climata terræ,
Et culpas hominum libet exitiumq; referre,
Qua super iratas arca natauit aquas.
Praua propago Cain, variis scelerosa tyrannis,
Iam quasi sexcentis ab Adam currentibus annis,
Proferitate sui, gesta maligna fuit.
Ætatis mundi primæ iuuenes oriundi,
Germine fœcundi, pluuiæ perière sub vndis,
Dignaq; diluuij pœna paterna fuit.
Quid mirum? vir inire virum, coitumq; sororum,
Et fratrum violare thorum studuêre suorum,
Corde, manu, scelerum præripuêre forum.

De generatione gigantum ante diluuium.

Tunc erat in terris populus, reus ille gigantum,
Terribilis, validus; celer ad scelus, ad bona tardus;
Qui nimis ante Deum se dedit esse reum.
Fœmina cum maribus, mas cum mare, vel muliere,
Crimina criminibus satagunt augere, mouere,
Quisq; fuit scelerum deterior aferens.
Praua creatura spreuit metuisse futura,
Turpis & impura sit sorde sua peritura,
Dedita peccatis, horrida facta satis.
Pœnitet hinc hominẽ Dominum, quandoq; creâsse,
Crimine qui proprio cùm tanta nefanda patrâsset,
Crimina non timuit, quæ moriendo luit.

Præfatio authoris, de Enoch & de Elia.

QVoniam de Enoch sacra scriptura in hoc loco porrigit mẽtionem de ipso Enoch & de Elia, ea quæ veraciter secundum authoritates antiquorum possumus, in mediũ proferemus. Iosephus dicit, paradisum esse in terra Eden, in Oriente, vltra Oceanum. Quidam autem liber, in Ecclesia sancti Matthæi, vltra Britanniam in finibus terræ, inter Actus Apostolorum noscitur esse conscriptus, in quo de Enoch & Elia & de eorum mansione, satis diffuse narratur. Quę scripta cũm Iosepho, secundum præfatam rationẽ, in eo tantùm concordare videntur, quòd paradisus vltra Oceanum sita in Oriente narratur, & quòd in ea Enoch & Elias seruantur: & quòd loca, siue regio paradisi, esse aurea & gemmis preciosis conferta, putatur. Quatuor etiam flumina paradisi, quæ aurum & gẽmas ad vlteriora transportant, id ipsum ab effectu mõstrare videntur. Nos autem secundum pręfatam sancti Matthęi scripturam, ea quæ accepimus, verificè hîc annotamus, absque præiudicio aliorum qui veraciora nouerunt. Antiquissima enim, & arcana illa, non aliter scimus, nisi quantum ex scriptis pręcedentium, de quorum veritate confidimus, erudimur. Versus igitur audiamus.

De Enoch qui translatus est in paradisum.

Inter iniquorum turmas & gesta malorum,
Gemma beatorum fit Enoch, & forma bonorum,
Quem legimus solum tunc meruisse polum.

De Enoch & Elia, vbi & quomodo viuunt.

Qui legis hoc, quia viuat Enoch, si discere quæris,
Qualis ei requies, quæ vita sit, erudieris,
Miraq; si quæris, mira docendus eris.

Historia de Enoch & Elia.

Finibus Oceani maris, est locus vltimus orbis,
Qua penitus nullis agitantur tempora morbis,
Est ibi temperies, perpetuata quies.
Ecclesiam sancti sub ea regione Mathæi,
Sanctifici tenuêre viri, monachi Galilæi,
Dantes Britaniæ dogmata sancta Dei.
Qui marium fines scrutantur & vltima terræ,
Vt valeant populis post tempora longa referre,
Quas ibi materies, quæ loca mundus habet.

Littora Britanniæ locus ille tenet monachorum,
Vnde mouet cursum sanctissima turba virorum,
Mira per Oceanum multa videre volunt.
Vela vehunt validis erecta per æquora ventis,
His super alta maris per tempora longa retentis,
Sola poli facies, æquora sola patent.
Sic ratis in pelago plenis tribus extitit annis,
Longaq; materies fuit iis, hinc inde vagandi,
Afflictisq; nimis deficit esca viris.
In medio marium velut ærea stabat imago,
Fœminea specie, super ardua saxa, virago,
Illa suis digitis peruia monstrat eis.
Mox iter illud agunt, quod monstrat inire virago,
Hinc etiam pòst cras stetit altera rursus imago,
Quæ simili digito monstrat iter pelago.
Rursus ad indicium digiti sua vela ferentes,
Pergunt gaudentes, montana remota videntes,
Montibus inspectis, spes bona venit eis.
Non ibi terra fuit, sed mons erat aureus ille,
Aurea planities, surgunt & ab inde fauillæ,
Quæ radios agitant, & quasi fulgur erant.
Mirus odor montis, mirusq; situs regionis,
Nec tamen hìc aderant animalia siue coloni,
Cùm fuerit regio tota referta bonis.
Dum ratis ad portum super aurea littora vergit,
Pars tenet vna rates hominum, pars altera pergit,
Cernere quæ forma, quæ loca montis erant.
Dumq; die tota montes per agrando laborant,
Vespere conspiciunt vrbem regionis in ora,
Quæ validis muris aurea tota fuit.
Porta fuit clausa, gens tangere non erat ausa,
Sed foris expectans noctis sub tempore pausat,
Vt videant homines quos ibi mundus habet.
Non homo, non animal, neq; vox ibi facta patescit;
Nullus abhinc exit, sed mox, vbi mane diescit,
Vrbis porta patet, quam penetrare placet.
Ingreditur cœtus sanctissimus ille virorum,
Et videt ex auro species hinc inde domorum,
Non habitatorum cernit inesse forum.
Vrbeq; perspecta tandem satis intus & extra,
Inuenit ecclesiam gemmis auroq; retextam,
Et claustri species aurea tota nitet.
Aurea cum gemmis stabat quasi virgo Maria,
In gremio matris quasi filius, alma sophia,
Altaris species aurea tota placet.
Aureus est paries, gemmisq; decenter abundat,
Aurea gemmata sunt tecta, per omnia fulua,
Ei species operis lautior arte fuit.
Adfuit his visis odor inclytus, vt paradisi,
Mens hominum, tremebunda prius, lætissima risit,
Orat & inquirit quis dominetur ibi.
Hæc erat ex numero quasi centum turba virorum,
Et duo presbyteri, socij taxantur eorum,
Miranturq; chorum, perspicuumq; solum.
Mirantur nautæ loca tam deserta manere,
Et satagunt homines aliqua ratione videre,
Quippe nec ecclesiæ clericus vllus adest.
Dum duo presbyteri clausstrum perquirere pergũt,
Fortè per ostiolum loca paruula, splendida, cernunt,
Atq; vident binos sede sedere viros.
Hospitis officio surgunt ambo seniores,
Hosq; salutantes, adhibent reuerenter honorem,
Quærentes qui sint, quid sibi turba velit.
Respondêre viri; Regione sumus Galilæi,
Discipuli Christi fuimus, sanctiq; Mathæi,
Hispanis dedimus dogmata sancta Dei.
Venimus hanc patriam simul & loca sancta videre,
Vos decet, ô patres, nos cum pietate docere,
Quis rex est patriæ, quis loca vestra tenet;
Vos duo quid facitis; quod opus; quod nomẽ habetis;
Si Christum colitis; si dogmata nostra tenetis;
Si dabit Oceani nos remeare Thetis?

Item de eodem.

Inclyta barba senum fuerat, longiq; capilli,
Candida cæsaries; nautisq; petentibus illis,
Surgentes pariter verba dedere senes.
Rex noster Deus est, cœli terræq; creator,
Cherubin & Seraphin custodibus vrbs habitatur,
Angelici cines mœnia nostra tenent.
Cantibus angelicis solennia nostra reguntur,
Corpora nostra cibo cœlesti semper aluntur,
Vosq; cibis nostris (inquit) oportet ali.
Est æterna quies nobis nunquam variandis,
Vna dies nostra centum finitur in annis,
Nam centum semper continet vna dies.
Dum tribus hic Phœbus potuit splendere diebus,
Annis tercentum senuerunt corpora rebus,
Sicut & in vestris nouimus esse locis.
In patria vestra pueri dudum senuerunt,
Quos matres pòst discessum vestrum genuerunt,
Nullus & ex ipsis cras ibi viuus erit.
Septima progenies hominum, vel sexta, recessit,
Terra nouis populis & regibus vndiq; cessit,
Vosq; senes eritis, quum venietis ibi.
Vos duo presbyteri qui Christo participatis,
Surgite psallentes Domino, missamq; canatis,
Nos volumus vestris participare sacris.
Hoc super altari placet ornamenta parari,
Et missam celebrem, cantumq; Deo celebrari,
Et corpus Domini cum pietate dari.
Fine dato missæ, seniorum mensa paratur,
Panibus angelicis sociorum turba cibatur,
Hæc bona quæ comedunt, sunt alimenta patrum.
Elias & Enoch fuerant illi seniores,
Sicut & ambo simul proprio testantur ab ore,
Ad quos & nautæ verba beata mouent;
Vidimus in scriptis, quoniam pro nomine Christi,
Vos hostes antichristi fieri statuistis,
Et pro lege Dei bella geretis ei.
Ipseq; vos perimet, sed corpora non tumulabit,
Christus eum pòst hæc, propria virtute necabit,
Dicite quando fit hoc? Surgit & inquit Enoch;
Hæc, velut asseritis, statuit diuina sophia,
Nec tamen hæc nobis dixit, quo tempore fiant,
Illa Deus tenuit clausa futura sibi.
Dicere quis tentat, quæ nulla docent documenta,
Mente Dei clausa, sunt illa futura retenta,
Indicio cœli tempus & hora venit.

Item de eodem.

Tunc ait Helias; tempus monet vt redeatis,
Pondera, si vultis, auri gemmæq; feratis,
Prospera nauigio fit via vestra satis.
Aura salutifera vestris dabit æquora rebus,
Inq; domos vestras ducet vos quinq; diebus,
Hic video iuuenes vos, ibi cerno senes.

Item de eodem.

Tertia lux abiit, sociorum turma recedit,
Nauibus inuentis, maris aura peroptima venit,
Quinq; dies Deus his in redeundo dedit.

Litto-

Littora Britanniæ finesq́ vident Galilæi,
Ecclesiam sancti conantur adire Mathæi,
Quæ dederant olim dogmata sancta Dei.
Non erat ecclesia quam primitus hi tenuerunt,
Non abbas, non sunt monachi velut antè fuerunt,
Non vrbs, non populus, mœnia prima ferunt.
Antistes nouus est, noua plebs, nouus ecclesiæ grex
Est patriæ noua lex, & principibus nouus est Rex,
Mortua sunt vetera singula nata noua.
Non loca, non homines, non cognouêre loquelam,
Eruptis lachrymis secum tenuêre querelam,
Nam sibi non patria; non homo notus erat.
Ipsi qui fuerant hodie forma iuueniles,
Mane senescentes sunt pelle piloq́ seniles;
Decrepitos, viles, se, miserosq́ vident.
Quolibet ingenio tandem sua gesta loquuntur,
Vix & ab Ecclesiæ monachis ibi suscipiuntur;
Et referunt longas, quas habuêre, vias.
Tres numerant annos peregrè super æquora tentos,
Quos monachi scriptos cernunt ratione trecentos,
Sic etenim libri pagina monstrat ibi.
Hæc apud ecclesiam sancti sunt scripta Mathæi,
Sicut ibi dixêre viri monachi Galilæi,
Qui mihi noluerit credere, credat eis.

Conclusio huius sermonis, de Elia & Enoch.

Elias & Enoch patria qua sunt requiescant,
Rursus ad historias solertia nostra recrescat,
Scribere de Noë tempus & hora monet.

Quòd solus Noë inuentus est iustus in diebus suis.

Solus homo iustus Noë, solusq́ beatus,
Dicitur à Domino sola pietate vocatus,
Et pater in mundo posteritate datus.

Item de Noë & de arca.

Arca fit in medio Noëq́ labore paratur,
Omne genus rerum mandatur vt ingrediatur,
Binaq́ cum binis salua tenentur ibi.
Annis centenis arcam Noë fabricauit,
Tunc homines vt pœniteant plerunq́ vocauit,
Qui contra Dominum desipuêre magis.
Arte ferunt varias arcæ consistere valuas,
Octoq́ fert animas hominum pro tempore saluas,
Omne quod imponunt, sub paritate colunt.
Stant pater & mater, stant & tres ordine nati,
Sem, Cham, cum Iaphet, vxoribus associati,
Cætera diluuio cuncta perîsse rati.
Omnia dum genera rerum conclusa coartant,
Intus & exterius bene consona clauditur arca,
Iam Deus ipse pluit, iam caro lapsa luit.
Acriter enixi fontes rumpuntur abyssi,
Cœlitus emissi fluctus miscentur in ipsis,
Et cataractarum fundit in orbe Pharon.
Quadraginta dies pluitur per climata mundi;
Mergit & infundit loca, regna, furentibus vndis,
Nullaq́ iam species montis in orbe patet.
Montes Armeniæ cubitis ter quinq́ latentes,
Suscipiunt homines & opes, hinc inde fluentes,
Pluraq́ reptilium corpora mersa vehunt.
Vt Deus extinxit quæ pristina corpora finxit,
Æquora constrinxit, cœliq́ foramina vinxit,
Et nimis iratas cedere iussit aquas.
Amodo compescit quodcunq́ fluore tumescit,
Nunc aqua decrescit, facies terrena patescit,
Spesq́ datur pacis, terra carebit aquis.
Miserat ex arca coruum Noë patriarcha,
Vt referat si fortè Deus mala nostra coartat,
Nec tamen infelix coruus ab inde redit.
Mittitur innocua, fluctu recidente, columba,
Illa videns terram; gaudet quia deficit vnda,
Frondis oliuarum portat in ore parum.
Gaudet & ipse pater, confisus ea nouitate,
Spērat homo pacem, sola Domini pietate,
Nam reprimentur aquæ, terraq́ sicca patet.

De barbaris historiarum authoribus, qui erant ante tempora Moysi.

AEstimant quidam à tempore diluuij vsque ad tempora Nini & Abrahæ, nullas historias esse conscriptas. Quorum temporum scriptores subscriptos, vixisse, Iosephus narrat.

Illorum autem vnus, nomine Berosus, sic scribit: Nauis Noë, quæ in Armeniam venit, circa montem Gordeium, adhuc aliqua pars est.

Item Manasseas Damascenus in libro Historiarum suarũ octuagesimoseptimo de eadem causa dicit: Est & super Miliadam excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur, ad quem multos fugientes, nouimus à diluuio liberatos.

Item Iosephus dicit: Nemo putet falsa esse quæ dicta sunt ab hominibus primæ ætatis: illi nanque, tanquam nouiter à Deo facti, diu viuentes, & regionem sectantes, Astrologiæ, & Geometriæ vacabãt. Quas scientias ipsi discere non potuissent, nisi Deus vitam vsque ad annos sexcentos eis ad spatium concessisset. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Cuius rei testes sunt omnes illi, qui Ægyptiorum & Græcorũ antiquitates primæuas scripserunt; quẽadmodum Manethon ille, qui descriptionem fecit Ægyptiorum; & Berosus, qui deflorauit omnia scripta Chaldæorũ; & Mochus; & Æstius; & Hieronymus Ægyptius. Hesiodus quoque & Stathius & Philenus in hoc concordant.

Arca resedit super montem Armeniæ.

Montibus Armeniæ, dum fulgur & vnda recedit,
Ducta manu Domini feliciter arca resedit,
Gaudia terrigenis arida terra dedit.
Tanta fit ingluuies & aquarum fluxus abundans,
Quòd decimo mense vix tota reuertitur vnda,
Vix quoq́ sedatas terra resumpsit aquas.

Erigit Noë altare Domino.

Omnibus egreſſis, quæ magna recluſerat arca,
Erigit altare Domino Noë patriarcha,
Prima ſit hæc ara, thuráq; prima parat.
Iſte creatorem primus placauit odore,
Primus & à Domino recipit placator honorem,
Qui pius & patiens hæc modò dicta mouet.
Creſcite multiplices, vobis dabo germina terræ;
Aëris & marium bona vos diſpono referre,
Trado poteſtatem tollere quáq; placent.
Omnibus eſt licitum, ſine ſanguine, carne cibari,
Quicquid terra parit, quicquid ſolet orbe creari,
Sanguine poſt poſito, mandite lege pari.

Ponam arcum meum in nubibus cœli, dicit Dominus.

Amodo diluuio mundum non perdere quæro,
Arcus & in cœlo pactum ſit fœdere vero,
Iam pius & patiens & moderator ero.
Tempora ſementis, ſeu meſſis, frigus & æſtas,
Noxq́; dieſq́; ſimul (ait) amodo non requieſcant,
Motibus & curis perpetuata ſuis.

Verba authoris.

Diſtinxit Dominus tunc tempora quattuor iſta,
Nam neq; ſic fuerant, prius vt modo cernimus ipſa,
Nec fuerant pluuiæ ſic, nec amara dies.

De tribus figuris ex ſignificationibus in arcu pluuiali.

Arcus habet ternos, plana ratione, colores;
Eſt aqueus, viridis, rubeusq; patente rubore;
Indeq; tres ſenſus trina figura mouet.
Diluuium iam præteritum dat aquoſa figura;
Igne, color rubeus docet, omnia pòſt peritura;
Per viridem zonam vita moderna ſonat.
Mundus in extremis arcu pluuiante carebit,
Ante quadragenis annis omnino carebit,
Iudicij ſignum, quum latitabit, erit.

PARTIS SECVNDÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS III.

NOE EX ARCA EGRESSVS, PRINCIPIVM DAT ſecundæ ætatis.

Quòd à Noë vſque ad Abraham ſunt decem generationes.

NOTA, quòd prima ætas ab Adam vſq; ad Noë, habet decem familias, ſiue decem generationes, ſiue decem capita familiarũ, quæ numerantur ſic: Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Iareth, Enoc, Mathuſalam, Lamec, Noë. Anni autem ab Adam vſque ad Noë (ſecundum Septuaginta interpretes) ſunt, bis mille ducẽti ſexagintaduo. Secũdum Hieronymum autem, mille ſexcentiſexaginta.

Item de eodem.

Dinumerans ab Adam natos Noë patriarcha,
Progenies ait eſſe decem, dum condidit arcam,
Quas ego verſiculis ordine pono meis.
Sunt ab Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalel, Iaret, Enoc,
Mathuſalam, Lamec, Noë fuit vltimus ex hoc;
Has ita progenies diſce fuiſſe decem.

Incipit proœmium egreſſo Noë & filiis eius de arca.

Egrediente patre, veniunt tres ordine fratres;
(Ioſephus & Moſes referunt hæc omnia latè,
A quibus optatè Chronica noſtra patent.)
Cham, Sem, cum Iaphet, primos genuêre parentes,
De quibus & vario poſuit Deus ordine gentes;
Vt vultus hominum, ſic variauit opus.
Quos peperit natura pares, quos patris honeſtas
Eſſe bonos voluit, deprauat iniqua poteſtas;
Et cadit in vitium quæque propago ſuum.
Paruula paucorum fuit hic tunc turba virorum,
Moreq; paſtorum labor eſt & quæſtus eorum,
Arte ferunt aratrum, vomere rura colunt.
Non erat armorum ſeries, non templa deorum,
Idola non aderant illis, neq; cultor eorum;
Quippe Deum ſolum, cum pietate colunt.
Tunc neq; Papatus fuerat, neq; Pontificatus;
Non erat archatus, neq; marchia, nec comitatus,
Non erat armatus miles in orbe datus.
Non erat ariolus, neq; clericus ordine tonſus,
Non erat vrbs, neq; dux, neq; rex, neq; lex, neq; cõſul;
Pralia non aderant, nec gladiator erat.
Non fuerant viſa quæ nunc celebrata videmus;
Quis fuit inuentor? vel vbi? vel quando? canemus,
Sed varijs titulis, diſparibuſq; modis.
Imperiale genus quod, & vnde ſit, ecce canemus;
Quæ ſpecies regum fuerit primæua? feremus;
Vnde ſit & regum linea? norma? genus?

Nec

Nec tamen in ſcriptis ſermone caremus Hebræo,
Nam bene concordant mea chronica cum Moſeo,
Omnibus in titulis commemoramus eos.
Omnia regnorum paſſim loca, prælia, pangam,
Geſta coæqueua per ſingula tempora tangam,
Sic genus & ſpecies chronica noſtra ferent.

De generationibus Cham filij Noë.

Cham genuit Chanaan, de quo veniunt Chananæi,
Atq; Gomorrhæi, Iebuſæi ſunt & Heuæi,
Siue Phereſæi, ſorte ferente Dei.
Has gentes populus partim deleuit Hebræus,
Sanctus ab Ægypto cùm duceret hunc Moſeus,
Cui dedit è cœlis manna pluiſſe Deus.

De generationibus Iaphet.

Naſcitur ex Iaphet Aſſur, fratresq; ſequentes,
De quibus innumeræ veniunt per ſecula gentes,
Quarum cuncta dare nomina, poſſe caret.

De generationibus Sem.

Inter eos populos quos Sem genuiſſe putatur,
Primus apud Babylon Nembrot regnâſſe notatur,
Longa decem cubitis regia forma fuit.

Sententia Ioſephi, magni authoris.

IOſephus dicit, quòd Galatæ olim dicti ſunt Gamaritæ; à Magot, dicti ſunt Magogas. Medi à filio Iaphet, Medeo. Ianici, dicti ſunt à Iano filio Iaphet. Cethinia inſula dicta eſt à Cethim. Cyprus inſula, & omnia loca maritima, olim in Græco dicta ſunt Cethim.

Creta inſula dicta eſt à Crete primo rege Cretenſium, patre cœli, qui poſtea genuit Saturnũ, patrem Iouis. Sicut his verſibus ſubrogatur.

Qualiter diuiſæ ſint, & vbi, generationes filiorum Noë. Sem ſcilicet habet Aſiam; Cham tenet Aphricam; Iaphet autem Europam.

Traditione patrum, ſic diuido germina fratrum;
Sem tenet archatus Aſiæ; Cham continet Aphros;
Iaphet in Europa ſit pater ille patrum.

De Aſia iſtæ gentes exierunt, de ſemine Sem, teſte Ioſepho.

Prodiit ex Aſia regnum prius Aſſyriorum;
Perſarum regnum fuit inde, ſimulq; Medorum;
Inde fuit Babylon; qua ſua regna colunt.

De Aphrica iſtæ gentes venerunt, ex ſemine Cham, teſte Ioſepho.

Aphrica fert Numidas. aliis virtute minores,
Inclyta Carthago caput extitit in regione,
Æmula Romanis, prælia longa mouens.

De Europa iſtæ gentes venerunt, de ſemine Iaphet, teſte Ioſepho.

Roma ſub Europa ſit, Græcia, Troia, remota
Francia, Pannonia, gens Teutona, Gallia tota,
Omnis & Italia, pluraq; magna loca.

Determinatio annorum ab Adam vſque ad Noë.

ANni ab Adam vſque ad Nembrod (id eſt vſque ad diuiſionem linguarum) ſunt, ſecundũ Hieronymum mille, ducenti ſexaginta ſeptem: anni à Noë vſque ad Nembrot centum & vnus. Numerantur autem ſecundum Ioſephum, & ſecundum Iſidorum, hoc modo generationes, à diluuio vſque ad primum regem Babylonum Nembrot.

Sem genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium; qui trigeſimoquinto ſuæ ætatis, genuit Salem; qui anno trigeſimo genuit Eber; qui trigeſimoquarto anno genuit Rehu & Phalec, & Irari, patrẽ Nembrot. Tunc facta eſt confuſio ſeptuaginta duarum linguarum.

Rehu cùm eſſet annorum trigintaduorum genuit Seruc proauum Abrahæ. Seruc cùm eſſet annorũ triginta genuit Nachor. Nachor cùm eſſet annorum triginta octo genuit Aram. Aram cùm eſſet annorum ſeptuaginta genuit Abraham, anno quinquageſimoquinto imperij Nini.

Abraham vixit annis cẽtum ſeptuagintaquinque. Poſt mortem autem Abrahæ vixit Sem filius Noë annis trigintaquinq;: iſte Sem vocatus eſt Melchiſedech. A cõfuſione linguarum vſque ad tempora Abrahæ, ſunt centum octuagintaſex anni.

Anni autem à diluuio vſque ad Nembrot, ſecundum Septuaginta interpretes, ſunt quingenti triginta & vnus: ſecundum Hieronymum, ſunt centum & vnus: quos Hieronymus & Iſidorus ita computant, ſicut ſuprà dictum eſt; ſcilicet, Sem genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium; Arphaxad anno trigeſimoquinto genuit Salem, &c.

De Nembrot rege primo Babylonis, filio ſcilicet Irari.

De natis Irari, quem germine Sem generauit,
Naſcitur ille gigas, quem Nembrot ritè vocauit,
Forma decem cubitos continet, atq; magis.
Hic rogat Ionitum de Noë ſemine natum,
Artibus vt doceat regnum captare paratum;
Aſtrologus fuit hic, quod petit ille facit.
Iſte monet fratres, quos nouerat eſſe feroces,
Et ſocios de germine Sem, cunctosq; nepotes,
Vt dominum Nembrot ad diadema vocent.

Qui neque consensum iuueni, neq; regna dederunt;
Sed generatio Cham sibi post diadema tulerunt,
Hos & ei Babylon adificâsse ferunt.
Vnde putãt Nembrot de semine Cham generatum;
Cur? quia per Chanaan sibi sic diadema creatur;
Sed melior ratio præmemorata datur.

Sententia Iosephi de Nembrot.

Iosephus hunc Nembrot pingit, feritate minacem,
Et nimis audacem, validum, sæuum, sine pace,
Nunc sua pompa iacet, quam recitare placet.
Ipse prior laterem coxit, prior edidit vrbem,
In campo Senaar, struduit componere turrem,
Qua putat in cœlum tangere posse Deum.
Nititur ipse Babel turrim coniungere cœlo,
Possit vt inde Deo gens praua resistere telo,
Si Deus alluuio perdere tentet eos.
Turre satis nisi, cœlum sunt tangere visi,
Quos vbi diuisit diuina potentia risit;
Æthera dum quærit lingua maligna perit.

Hebræorum origo.

Fit modo linguarum confusio prima nouarum;
Vna prius fuerat, numerus subcreuit earum;
Mœnia facta ruunt, proficit ille parum.

Hebræa lingua fuit in orbe prima.

Vna prius lingua fuit omnibus, vna loquela;
Hæc eadem periit; quæ sola vigebat Hebræa,
Solus Heber mansit qui loqueretur ea.
Hanc nati didicêre sui, sub turre Babeli,
Sic ab Heber patre geniti dicuntur Hebræi,
Totaq; posteritas nomina seruat ei.

Sententia Eusebij de temporibus Nembrot.

EVsebius dicit: Temporibus Nini erant homines, magis ferino ac beluino more viuentes, quàm humano. Non vrbes ad societatem, non mores ad honestatem, nõ leges ad iustitiam habentes. Artium quoque & philosophiæ nec etiam nomen erat apud illos, sed agrestes & vagi per deserta, absque vllis sedibus vagabantur.

Tullius etiam dicit in prologo Rhetoricæ: Fuit olim tempus, cùm magis homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi in victu ferino vitam procurabant, nec ratione animi aliquid ministrabant. Vnde neque nuptias celebrabant, nec certos filios habebant, sed tanquam aper syluestris cæca pugnandi libidine trahebantur; cùm tamen adhuc eis nullum esset genus armorum, neq; vsus bellorum; propterea etiam sine multa difficultate poterant vinci.

Semiramis regina, mortuo Nino marito suo, primo gentium expugnatore, non est contenta terminis à marito impositis, sed totã Asiam, excepta India, subiugauit, & post mortem mariti regnauit quadraginta duobus annis; quæ neque morte hostium, neque hominum coitu potuit satiari. Ninus autẽ sagitta percussus prius mortuus est. Semiramis quoque à quodam filio suo spurio tandẽ occisa est; pro eo quod ipsa eũdem filium, incestuose secum concumbere prouocâsset. Ille idem filius pro ea regnauit, nomine Ninus. Filij autem Nembrot versibus assignantur sic.

Dẽ filiis Nembrot.

Octo tulit natos Nembrot, patria variatos;
Cres puer, ex fratrum numero primus reputatur,
Cuius & in primis insula Creta fuit.
Cres rex primus erat, cuius fuit insula Creta,
Et Nembronita, rex Belus erat Niniuita,
Iosephus antiqua commemorauit ita.

De rege Belo, patre Nini.

Belus post Nembrot, regnum tenuit Babylonum,
Subiugat Ægyptum; regnum capit Assyriorum,
Ædificat Niniuen, imperiale solum.
Filius est Ninus, coniunxq; Semiramis eius,
Non minor in bello, nec habet sua prælia peius,
Famaq; regina maior in orbe viget.
Magna Semiramis hæc, Nino coalente marito,
Sederat in Niniuen, solio meliore petito,
Vrbis opes renouans ad meliora cito.
Continuit ternas Niniuen constructa dietas,
Has sibi regina statuit contingere metas,
Qua reliquos reges regna tenere vetat.
Prælia regina quoties mandaret iniri,
Sortiri solet arma viri, feritate virili,
Semper habens habitum militiamq; viri.
Celat enim sexum, vult miles ab hoste videri,
Regibus ac ducibus potuit magis ipsa timeri;
Fœmina terribilis prælia mira gerit.

Cham filius Noë eiicitur à regno suo temporibus Nini, secundum Iosephum.

Temporibus Nini legitur Cham, sistere vita,
Abstulit & regnum sibi Ninus rex Niniuita,
Primus in astrologis Cham sua scripta tulit.
Septem quas legimus Cham primus scripserat artes,
Philosophos docuit per sydera noscere partes,
Quas iterum reliqui post didicêre viri.
Has artes longis Cham scripserat ipse columnis,
Ne vel ab igne simul pereant, vel hiantibus vndis,
Ærea, vel lateris, quaq; columna fuit.
Ninus eum pepulit, ne rex foret ipse rebellis,
Omnibus exustis quos scripserat ipse libellis
Nam timet arte sua ne sua regna ruant.

De Trebeta filio Nini, qui vrbem Treuerim ædificauit in Gallia.

Filius est Trebeta de Nini semine regis,
Cedere quem regno, regina nouerca coegit;
Vt pater elegit regna nouerca regit.
Pulsus ab hinc Trebeta subiit Germanica regna,
Fundat ibi Treberim, fluuio præsente Mosella,
Post, eadem Treueris, Belgica Roma fuit.

Trebetæ

Trebetæ epitaphium in ciuitate Treueri, est hoc;

Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit.
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
Insignem profugus Treuerim qui condidit vrbẽ.

De alio Nino filio Nini & Semiramidis.

Ex hac regina, Nini fuit altera proles.
Vt regeret Niniuen, Syriam, simul & Babylonem,
Sed fuit insipiens, mater & ipsa dolet.
Fœmina subtili stduuit tunc arte potiri,
Ne quid a populis pueri dementia sciri,
Aut queat audiri vox fatuata viri.
Sub lare regali iubet hunc regina serari,
Eius & ignotum vultum celebre venerari,
Atq; per œconomos regia iussa dari.
Hac potuit fatuus, sapiens, sub fraude videri,
Iussaq; sic regis poterant mentita timeri,
Illeq; nunc aliis regibus vsus erit.
Hac solet arte coli Rex (vt legimus) Babylonis,
Nescit turba foris, quis sit labor interioris,
Rex ibi nescitur viuere siue mori.
Tunc nec erat regnum Persarum, siue Medorum,
Non Chaldæorum, nec Hebræum, siue Lydorum,
Non erat Ægyptus imperiale forum.
Nonq; Corinthiorum regnum, neq; Thessalorum,
Siue Macedonicum, nec erat Lacedæmoniorum;
Tunc neq; Troia fuit, nec violata ruit.
Non Argiuorum, non regna Sicyoniorum,
Non Romanorum regnum, non Teuthonicorum,
Tunc neq; Gallorum stabat in orbe thronus.

PARTIS TERTIÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS IIII.

De natiuitate Abrahæ.

ABRAHAM natus est anno ab Adam (secundum septuaginta interpretes) 3330. secundum Hieronymum, anno 2542. ab imperio autem Nini, natus est anno 55, regnante in Sicyonia rege Eurobis: anno quoque à diuisione linguarum 186.

Diximus in superioribus ab Adam vsque ad Noë fuisse decem familias tantùm, siue decem generationes, computãtes sic: Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Iareth, Enoc, Matusalam, Lamech, Noë. Nunc etiam similiter à diebus Noë vsque ad Abraham, generationes siue familias, singillatim volumus computando monstrare. Vt nihil desit lectoribus ad notitiam omnium seculorum.

Noë igitur genuit Sem; qui genuit Arphaxad, anno secundo post diluuium. Ipse quoque Sem, vixit post diluuium annis 500. Arphaxad filius Sem, anno ætatis suæ 35, genuit Salem, qui primus ædificauit vrbem Salem, quæ postea dicta est Hierusalem. Salem filius Arphaxad anno 30 ætatis suæ genuit Eber, à quo dicti sunt Ebræi, post diuisionem linguarum. Eber cũ esset annorum 34, genuit Rechu; Rechu cùm esset annorum 32, genuit Seruc, proauum Abrahæ; Seruc quum esset annorum 30, genuit Nachor auum Abrahæ. Nachor cùm esset annorum 38, genuit Aram. Aram cùm 70 esset annorum, genuit Abram.

Ecce distinximus omnes generationes, & familias à Noë vsque ad Abraham: quarum nomina sunt hæc; Noë, Sem, Arphaxad, Salem, Eber, Rechu, Seruc, Nachor, Aram, Abram: summa omnium sunt 10. sicut ab Adam vsque ad Noë, sunt similiter 10.

Vixit autem Abraham annis 175. Post mortẽ verò Abrahæ, vixit Sem filius Noë, annis 35. Ille idem Sem vocatus est Melchisedec, rex Salem, & sacerdos Dei; qui occurrit nepoti suo Abrahę reuertẽti à prælio; qui primus sacrificauit Deo in pane & vino; cui tunc Abraham dedit decimas omnium spoliorum. Modus ille sacrificandi durauit vsque ad Mosen & Aaron. Vrbs autem Salem à quodam Hiebusæo postea dicta est Hiebusalem. Item postea à Nabuchodonosor vocata est Hierusalem.

Notandum autem est per suprà dictas sacrificiorũ authoritates, quia sacerdotiũ sanctum non à Iudæis, sed à gẽtibus habet initium. Melchisedec nãque ante tempora Iudæorum erat, homo gentilis, scilicet

Sem, filius Noë, habitans in Canaan, qui primus sacerdos Dei fuit post diluuium. Iob quoque pro filiis suis legitur Deo assiduè oblationes & sacrificia obtulisse: qui etiam homo gentilis ante tempora Iudęorum fuit. Prius etiam fuit modus sacrificãdi in pane & vino, quàm in sanguine hircorum aut vitulorum. Vnde sequitur, quia sacrificia Christianorum priora fuerunt ante Dominum, quàm sacrificia Iudæorum. Cætera de Abraham versibus explicamus.

Item de natiuitate Abrahæ, versificè.

Iam variis populis de semine Sem generatis,
Et variis hominum linguis, dudum variatis,
Edidit & Thares germina sancta satis.
Ex Thara fit Aram, sit & alter filius Abram,
Abram præclara sedit cum coniuge Sara,
Quam Domino charam vita pudica parat.

Item de eodem Abraham.

Iam quinquagenum Ninus transcenderat annum,
Tempore nascentis Abrahæ, sic chronica pandunt;
Ipse prior verum credidit esse Deum.
Iustitia similis Abrahæ, non venit ab arca,
Semine qui fidei, non sanguinis, est patriarcha,
Eius nang; fide nos veneramur idem.
Abram natura linguaq; probatur Hebræus,
Post fit Chaldæus patria, sed post Chananæus,
Mystica fit ratio, cur iubet ista Deus.

Dixit Dominus ad Abraham: Ego sum Deus qui eduxit te de Hur Chaldæorum.

Chaldæos coluisse Deum narrabimus Ignem,
Ignis in Hebraico sonat HVR moderamine linguæ,
Hur Deus ignis erat, cuius & acta feram.
Hur igitur dum lingua Deum Chaldæa colebat,
Tunc pueros super igne suos pro lege trahebant,
Qui bene transierat purificatus erat.
Filius ergo Thare quem nomine diximus Abram,
Et germanus Aram, Chaldaica vota negabant,
Quippe Deo cœli tunc holocausta dabant.
Ambo sed indignè pariter iactantur in ignem,
Indignè clamant linguæ, moriantur in igne,
Cur? quia, quem colimus, non coluere Deum.
Angelus accedens, Abram deportat ab æde,
Sed rogus excedens, homines comburit & ædes,
Deperit vstus Aram, saluus abiuit Abram.
Vnde Deus loquitur; Ego sum Deus ille deorum,
Qui Chaldæorum te traxit ab Hur populorum,
Et Chananæorum iussit adire solum.

Abraham transiit de Chaldæa in terram Chanaam.

ANno imperij Nini cẽtesimo decimotertio; regnante apud Assyrios Nino quarto; regnante apud Sicyonios Telexiõ rege quinto; Abraham cum Sarai vxore & cum nepote suo Loth, filio adoptiuo, trãsiuit in Chanaan.

De Loth nepote Abraham, filio Aram.

Abstulit ignis Aram, de cuius semine fit Loth;
Ille nepos patruum sequitur, nutritus in Enrot;
In terra Chanaan nunc habitare parant.
Cum fieret sterilis Sarai, nec semen haberet,
Factus adoptiuus patrui Loth, dicitur hæres,
Nomen & officium cum bonitate ferens.

Abram peregrinatur in Ægypto cum Sarai.

ABram fame cõpulsus egressus à Chanaã, secedit cum Sarai in Ægyptum: & dum peregrinaretur, ibi docuit eos geometriam & astronomiam, atq; alias artes quas didicerat apud Chaldæos: & extunc Ægyptij artes nouerunt, à quibus postea Græci didicerunt. A Græcis venit sapientia ad Romanos: à Romanis ad Gallos. Ab Oriente enim venit principium sapientiæ, & principium regum, principiumque bellorum, teste Iosepho. In Occidente autem hæc omnia terminantur.

Item de peregrinatione Abrahæ, versificè.

Orta fames valida, de terra depulit Abram,
Transit in Ægyptum socia cum coniuge Sara,
Quolibet ingenio se recreare parans.
Vir rogat vxorem, se fingat vt ipsa sororem;
Denique de more constringitur ipse timore,
Ne dolus ad mortem fœmina pulchra foret.
Illa fauet, studioq; cauet ne vir moriatur:
Ingreditur, rapitur, sua dum soror esse putatur,
Territus interea, vir quasi frater erat.
Tollit eam Pharao, solennia magna parantur:
Præmia non pauca fratri pro munere dantur:
Ornatur thalamus: respicit ista Deus.
Vox ait è cœlis; Noli contingere Saram:
Abstinuit rex, nam timuit, placauit & Abram,
Intuituq; Dei plurima donat ei.
Fœmina gentili redit impolluta cubili,
Arteq; subtili remeant a climate Nili,
Ne mora longa viri, damna reportet ibi.
Sic redit in Chanaã Sarai, cum Loth redit Abram;
Hinc holocausta parant, Abram pater erigit aram,
Pascit & in Silo nunc animalia Loth.

Loth diuidit pastores suos à pastoribus Abrahæ: & habitat in Sodomis supra Iordanem.

Copia cùm pecorum nimis excreuisset auorum,
Turbaq; pastorum malerixabatur eorum,
Diuiditur populus, diuidituq; forum.
Loth tenet irrigua fluuij Iordanis agrorum,
Vt docet historia, confinia sunt Sodomorum,
Rura Gomorrhæi continuantur ei.

Loth capitur ab Elamitis, sed Abraham liberat eum.

Loth manet in Sodomis, campisq; vagatur apricis,
Rex venit armatus hostiliter ex Elamitis,
Et reliqui secum, tollat vt omne pecus.

Loth

Loth capitur, pastor rapitur, locus expoliatur;
Insequitur pater, eripitur Loth, latro necatur,
Taliter euadit Loth, Elamita cadit.
Dum rediit, captosq; tulit patriarcha superbos,
Obuius est sibi Melchisedech, rex atq; sacerdos,
Presbyter ipse Dei, rex benedixit ei.
Præbet ei decimas Abram, pro tempore primas,
Panem cum vino dat presbyter, ordine primo,
Ordine Melchisedech, hostia sancta fide hæc.

De rege & sacerdote Domini, Melchisedech.

Sem fuit ille senex, qui Melchisedech memoratur.
Vsq; dies Isaac, qui peruixisse notatur,
Moreq; Christicolæ sic sua sacra refert.
Sic sua progenies per tempora sacrificauit,
Vsq; dies Aaron, eadem sacra non variauit;
Sed noua lex Moysi pòst holocausta dedit.

De Ismaële, filio ancillæ Agar.

Consiliis Sarai sterilis doctus pater Abram,
Suscipit ancillam thalamo, quæ dicitur Agar,
Nascitur Ismaël se generante patre.

De Eodem Ismaële.

Ismaël hinc oritur, de quo venit Ismaëlita,
Pòst Isaac venit, qui germinet Israëlitas,
Iosephus & Moyses ista fatentur ita.

Non vocaberis Abram, sed Abraham, dicit Dominus.

Nomẽ Abram cessat, Abrahã patriarcha vocatur,
Vxor, non Sarai, sed Sara vocanda notatur,
Prole repromissa spes bona semper erat.

Incipit circuncisio prima in Abraham.

In Domino circuncidi mandatur Hebræus,
Amodo præputij signum portat Pharisæus,
Hisq; characteribus vtitur ipse Deus.

De visione Abrahæ.

Tres videt ipse viros, sed & vnum pronus adorat;
Tres simul implorans vnum pius hospes honorat;
Tres sumpsêre simul, quem dedit ipse cibum.
Tres sunt personæ, dominus perpenditur vnus;
Tres sunt, tres comedunt, tribus obtulit, accipit vnus:
Trina patet deitas; trinus & vnus erat.

Loquitur Dominus cum Abraham de futura subuersione Sodomæ & Gomorrhæ.

Excidium Sodomæ, grandisq; ruina Gomorrhæ,
Nota sit hic Abrahæ; causam patriarcha perhorret,
Et petit a Domino, ne male perdat eos.
Ne perdat gratis iustos ibi cum sceleratis,
Ne, pro peccatis populi, sit pœna beatis;
Respondit Dominus cum pietate satis:
Pro paucis iustis, multis parcetur iniquis,
Si tamen adfuerint; alioquin turba peribit.
Tunc Abraham siluit; stat Deus vltor ibi.

Sodoma & Gomorrha subuertuntur à Domino.

Angelicos iuuenes Dominus præmittit in vrbe,
Loth prius occurrens, iuuenes rogat, atq; perurget
Nocte sub hospitio velle manere suo.
Suscipit hos hospes: sed vespere, nocte sequente
Concurrunt populi, iuuenes violare volentes;
Ille domum claudit, stataq; loquendo foris.
His, ait, hospitibus speciem seruate pudoris,
Si tamen, ô ciues, vos causa perurget amoris,
Ecce meas natas tollite iure fori.
Trado duas natas, cum virginitate decoras,
Quas genus, & forma, cultusq; potenter honorat,
Has dabo tam teneras, prostituamq; foras.
Patre loquente, magis populus clamore tumescit,
Loth scelus horrescit, sed ferre pericula nescit,
Angelus in thalamum quam citò traxit eum.
Clausus & interius citò Loth per tecta leuatur,
Sponsaq; cum natis euecta virum comitatur;
Ipsa retrospiciens facta columna manet.
Mittitur à cœlis cum fulgure sulphur & ignis,
Digna mori dignis populis fit pœna malignis,
Fit lacus ignitus, totus in vrbe situs.
Loth vbi saluatur, dum montis in arce moratur,
Iam genus humanum penitus periisse putatur,
Nemoq; præter Loth vir reputatur ad hoc.
Filia concubitu patris arte sua grauidatur,
Vt reparent homines, vt mundus restituatur,
Sed pater ista satis ebrius ipse facit.
Vna Moab peperit, de quo veniunt Moabitæ;
Altera gignit Amon, de quo veniunt Amonitæ,
Et variæ gentes, in regione sitæ,

Abraham, timens ruinam Sodomorum, iterum peregrinatur in Ægypto.

Terra Gomorrhæa, Sodomaq; perusta platea,
Tum luit acta rea, vicina timet Chananæa,
Terraq; Chaldæa mira veretur ea.
Erigit hinc aras Abraham cum coniuge Sara;
Consuluit Dominum, dum gestat timeret amara;
Cedat vt à Chanaan, vxor & ipse parat.
Dum peregrinatur, dum Sara virum comitatur,
Dum locus optatur, quo vita salute regatur,
Sorte ferente Dei, spes bona venit ei.
Nam Geraræ rex Abimelech suscepit Hebræum;
Sara timens Dominum, saluare studet Pharisæum,
Esse suum sponsum nanq; negabat eum.
Ipsa nitens facie, vario variata decore,
Ducitur in thalamum, quia rex vrgetur amore,
Gaudet vt ingreditur rex, sed & illa dolet.
Vox ait è cœlis; Rex cede thoro mulieris,
Quam modo si quæris contingere; iam morieris;
Hæc vbi stupra geris rex, periturus eris.
Redde viro sponsam, thalamumq; relinque petitũ,
Rex timet auditum fugit inde, vocatq; maritum;
Dixit, & Exito fœmina, valde citò:
Tolle vir vxorem; cùm dixeris esse sororem,
Fraude tua vereor cœli meruisse furorem;
Cur mihi tu mendax, ista flagella moues?
Ille refert; timui pro coniuge vera fateri,
Fingere me potius fratrem volui mulieri,
Pestem nanq; viri, fœmina pulchra gerit.
Rex ait; Abscedas cum coniuge, munera tollas,

Si qua tamen merui, peccando pericula, ſoluas,
Nec me (quæſo) reum dixeris ante Deum.

¶ De natiuitate Iſaac.

ANno ab Adam 2640, à diluuio 332. Anno à diuiſione linguarum 231, ab imperio Nini regis 155, natus eſt Iſaac, ſub rege quinto Aſſyriorum, regnante apud Sicyonios Telexion quinto, ſuprà memorato.

Item de natiuitate Iſaac.

Dum centum foret annorum patriarcha beatus,
Sæpe repromiſſus Iſaac patri generatur,
Sara diu ſterilis, tota vetuſta parit.
Sara ſuæ prolis pariens elata fauore,
Eiicit ancillam, ne forte fruatur honore,
Iſmaël eiicitur, ſed pater inde dolet.
Dicit ei Dominus; Noli pater inde moueri;
Iſmaël hic, ſine te, poterit mea dona mereri,
Aſt Iſaac hæres vnicus (inquit) erit.

Iſmaël cum matre ſua eiicitur in deſertum.

Panibus aſſumptis, & aqua, pater, vtre recepta,
Ancillæ ſcapulis ea ponderа ponit inepta,
Pellitur abſq; mora mater & ille foras.
Ambo petunt deſertа Pharan, nullo comitante,
Dum comedunt, dum ſæpe bibunt, æſtu ſuperante,
Dumq; morantur ibi, deficit vnda ſibi.
Mater ibi miſera plorat, quoniam caret vnda,
Nam grauiore ſiti puer æſtuat, & perabundat,
Quærit & à matre ſi quid in vtre latet.
Siccatur pueri ſitiens caro, iuncta calori,
Incipiente mori flet fœmina nata dolori,
Ne videat mortem, vadit & ipſa mori.
Angelus accedit, dum mater ab inde recedit,
Et releuat puerum cuius ſitis intima lædit,
Et fontem viuum, matre vidente, dedit.
Cuius aquæ potu, pariter veſcuntur & herba,
Arcus adeſt puero, quo fungitur, eſca fit herba,
Arte feras ladit, fercula carnis edit.
Nubibus Ægypto, iuuenis, proleſq; creatur,
Gens ab eo genita, pòſt Iſmaëlita vocatur,
A quibus eſt Ioſeph venditus atque datus.

De morte Saræ.

Annis centenis viſis, & bis duodenis,
Atq; tribus plenis, Saræ lux vltima venit,
Cuius & in morte vir patriarcha gemit.

Abraham ducit ſecundam vxorem nomine Cethuram.

Defuncta Sara, Cethuram tulit ille ſecundam,
Proleq; fœcundæ Cethuræ parientis abundat,
Nec tamen his genitis vir ſua rura dedit.
Omnia dans Iſaac, nil ipſi iuris ademit,
Fratribus extremis, quæ tunc bona contulit, emit.
Eſt Iſaac hæres, patria iura tenens.

Chronica contemporanea de Iano primo rege Italiæ, & de Cælio rege Cretenſium patre Saturni.

Regnat in Italia ſub eodem tempore Ianus,
Ille coæuus erat Iſaac, ſi vera legamus:
Nunc rex Cælius eſt Cretica regna regens.
Cælius in Creta legitur genuiſſe Saturnum,
Inſula cui regnum ſeruauit honore diurno,
Vt Deus in terra ritè vocatus erat.

Tentauit Deus Abraham, vt immolaret ei filium ſuum Iſaac.

Abraham tentatur, Iſaac vehementer amatur;
Immolet vt natum, Domino mandante, vocatur,
Pergit eum properè ſacrificare pater.
Nunc ſuper altari, gaudet puer ipſe ligari,
Vult holocauſtari Domino, viuensq; ſacrari,
Vultq; ſuo proprio ſanguine thura dari.
Ad patris ergo fidem, pueri mens conſona pridem,
Præſtò ſit ipſe quidem, parcit ſibi trinus & idem,
Voxq; benigna Dei vota relaxat ei,
Cornibus affixus aries ſub vepre pependit;
Vt Deus oſtendit, libamen abinde rependit;
Sic pater abſcedit, ſic holocauſta dedit.

Verba authoris.

Rarò Deus tentat, ſed ibi tentâſſe videtur,
Vt fidei meritum, virtute ſequente, probetur,
Non ego laudo fidem, ni moderetur idem.
Cùm lego tentari, iuſtum perpendo probari,
Ignibus arte pari ſolet aurum clarificari;
Clara magis clara, cauſa probata parat.

De coniugio Rebeccæ & Iſaac.

Patre ſeneſcente, ſummaq; fluente ſenecta,
De Meſopotamia Batuelis nata Rebecca,
Pulchra ſoror Laban, peruenit in Chanaan.
Detulit auratos pulcherrima fœmina pannos,
Dum quadragenos Iſaac pertingeret annos,
Iungitur vxori, fretus honore thori.
Quot fuit annorum ſponſa veniente Rebecca,
Tot fuit hæc ſterilis, proliq; putatur inepta,
Pòſt genauit ei germina, ſorte Dei.
Dixerat antè pater, ne fœmina ſit Chananæa
Quæ dabitur puero, ſed ſponſa feratur Hebræa,
Edita de propria ſanguinitate mea.
A Chanaan Iſaac nulla ratione recedet,
Ipſe manens hæres regionis erit Chananæa,
Hanc ego poſſedi, quam Deus ipſe dedit.

¶ De morte Abrahæ.

ANno ab Adam 2735. à diluuio 467. Anno 285 imperij Aſſyriorum, regnante apud Aſſyrios rege Xerxe, cognomine Baleon; apud Sicyonios verò regnãte Turmacho rege Sicyoniorum ſexto. Mortuus eſt Abraham, & ſepultus iuxta Saram in ſpelunca ſua.

Item de eodem verſificè.

Centenos ſexagenos, pariterq; decenos,
Inſuper & quinos Abraham dum perficit annos,
Claudit eum tumulis hoſpita terra ſuis.
Iſmaël atque Iſaac Abraham patrem ſepeliuit,

Fitq;

Fitq; ſpelunca ſibi tumulus quam Sara ſubiuit,
Ambo iacent pariter, tumba ſit vna ſibi,

Iſaac peregrinatur in Ægypto cum Rebecca.

Orta fames, Iſaac eiecerat à regione,
Venit ad Abimelech regem, ſuſceptus honore,
Se negat vxorem pulchra Rebecca fore.
Sponſa viri, ſimulata ſoror, ne vir moriatur,
Ficta ſoror formoſa thoro regis ſociatur,
Sed ne tangatur voce minante datur.
Voce minante Dei, citò redditur vxor Hebræi.
Munda Rebecca redit, ſaluatur honor Phariſæi,
Munera larga vehit, quæ tribuuntur ei.

Incipit regnum Argiuorum.

HOc tempore concipiente Rebecca, oritur regnum Argiuorum: quod nomen habuit ab Argiuo primo rege ſuo; cuius primus ſucceſſor nunc regnat Inachus, rex Argiuorum: regnante apud Aſſyrios Armamitta rege ibi octauo. apud Sicyonios verò regnante Leucippo. apud Argiuos regnante Inacho primo vel ſecundo rege Argiuorum. Naſcentibus geminis ex Rebecca, Iacob ſcilicet & Eſau.

Concipit Rebecca geminos in vtero colluctantes.

Concipit ex Iſaac, Domino præſtante Rebecca,
Luctantes geminos tumida matrice receptat,
Et geminis rara ventre duella parant,
Conſuluit Dominum mater, creſcente querela;
Iſta diu patiar? Cauſam Deus ipſe reuelat;
Nanq; nimis trepidans mœſtaq; mater erat.
Parturies binos populos, ex te venientes,
Tempore perpetuo contraria bella gerentes,
Primus erit maior, poſteriorq; minor.
Maior iure fori dabitur ſeruire minori,
Qui prior exierit ſubiicet ſe poſteriori,
Gens minor efficitur magna, fauore poli.

De natiuitate Iacob & Eſau.

Dum pareret teneros enixa Rebecca gemellos,
Proſiliens vtero luctatur vterq; duello,
Planta pedis rapitur fratre trahente manu.
Qui prior apparet, ſic fratre trahente tenetur,
Vt quaſi poſterior vulgi ratione putetur,
Vnde figuratè bella futura patent.
Rufus adeſt Eſau prior, hiſpidus atq; piloſus;
Lenis pelle Iacob, cute, fronte, manu ſpecioſus;
Fitq; Iacob placidus, frater in enſe probus.
Eſt Eſau patri charus, Iacob eſt genitrici,
Raro manent ſocij, raroq; videntur amici;
Iſte Deo placuit, diſplicet ille ſibi.

Eſau vendit primogenita ſua Iacob.

Eſuriens Eſau, laſſusq; reuerſus ab agris,
Ventrem lenticulis à fratre petit ſaturari,
Hisq; protogenita vendere ſiue dari.

Iacob ſubripit benedictionem Eſau.

Quum daret extremũ tempus veneranda ſenectus,
Dum trepidat ſenium, crepitat raucedine pectus,
Clam vocat huc Eſau, quòd benedicat eum.
Pergere venatum dum filius ille rogatur,
Vt benedicatur, ne fortè pater moriatur,
Mater ab oppoſitis altera vota tulit.
Nam parat audito pulmenta cupita marito.
Dicit & ipſa Iacob, thalamum genitoris adito,
Fercula quæ tibi do, porrige cocta citò.
Vt benedicaris, Eſau fore te fatearis;
Rettulit ille; Per hoc potero peiora lucrari;
Palpat enim manibus, tactaq; noſcit; ait.
Tunc ait illa; Manus & colla piloſa paremus,
Veſtibus his Eſau, tua lenia membra tegemus,
Si cadis arte mea, iudicer ipſa rea.
Mater adaptauit quæcunque ſuprà memorauit;
Sic Iacob intrauit, patremq; cibo recreauit;
Patreq; ſeducto, mox benedictus abit.
Fratre reuertente, cibumq; patri referente,
Territus ex factis miratur Iſaac vehementer,
Rore tamen cœli poſt benedicit ei.
Heu ſupplantator, Eſau triſtiſſimus inquit,
Abſq; protogenitis vacuum me ſorte relinquit.
Conqueror ante Deum, percutiamq; reum.
Mater ait; Fuge nate magis, ne ſic moriaris;
Germani ſub tecta mei volo ſuſcipiaris,
Quem ſi quæſieris, non morieris, ait.
Fratre minante ſatis, fugit alter ab arce furentis,
Conſilio matris ſecedit ab ede parentis,
In Meſopotamiam curat adire Laban.
Tunc pater inquit; Eat, vxor ſibi ſiat Hebræa,
De regione mea: caueat ne ſit Chananæa;
Filius ergo meat, iuſſaq; ſeruat ea.

Chronica contemporanea de regibus Italiæ & Græciæ.

Italiæ tunc Saturnus regnabat alumnus;
Primus erat Ianus, ſed rex fuit ille ſecundus;
Tertius eſt Picus rex, probitate prior.
Saturnus ſtatuit, ſuper æquora vela moueri,
Denarios poſuit commercia ritè mereri.
Ipſe prior clypeos militis arte gerit.
Nauibus Italiam prior hic ornâſſe putatur.
Ædificans Sutrium, dum viuit ibi dominatur,
Triticeum ſemen primus in vrbe ſerens.
Saturnus natum latuiſſe Iouem recitatur;
In Sutrio latuit, Latium locus ille vocatur,
Illud enim Latij nomen abinde fuit.
Græcia rege caret: nondum quis regnat in ipſa,
A Ioue ſit Danaus regnans, regnoq; patriſſans,
A Danao Danais, nomina prima dedit.

Supputatio regum & regnorum illius temporis, per totum orbem.

HOc tempore imperat apud Aſſyrios Belochus nonus rex Aſſyriorũ. Apud Argiuos autẽ regnat Foroneus filius Inachi. Et apud Sicyonios eſt rex Leucippus

ſuprà memoratus. iiſdem diebus ſub rege Foroneo, Græcia dicitur legibus & iudiciis primitus informata. Phegius autem frater Foronei, tunc mortuus, tanquam deus à Græcis eſt adoratus. Inachi etiam filia, nomine Iſidis, ab Ægyptiis pro maxima dea eſt culta & venerata. Illa Iſis dicitur fuiſſe regina Ægyptiorum, nata ex Æthiopia, quę literas Ægyptiacas adinuenit.

Iacob fugit à facie Eſau.

In Meſopotamiam pergente Iacob peregrino,
Ordine diuino lapidis cùm dormit in imo,
Viſio magna Dei miſſa refulſit ei.
Scala Dei facta, gradibus cœleſtibus apta,
Angelicis pedibus recta ſtatione ſubacta,
Arceq́ fixa poli, ſtabat adima ſoli.
Qua patet aſcenſus ſurſum rurſumq́ reſcenſus;
Fit quoq́ concentus, cœlo modulante retentus,
Nec licet hìc ſcribi, quæ modulantur ibi.
Euigilans patriarcha Iacob, terroreq́ tactus,
Angelicos tam terribiles conſiderat actus,
Et nimis expauit, cùm tremefactus ait;
O quàm terribilis locus eſt hìc; aſtimo cœli
Porta, domusq́ Dei, poterit miranda videri;
Hic lapis in titulum ſanctificandus erit.
Erexit lapidem quo pertulit ipſe ſoporem,
Deſuper infundens oleum, cordisq́ fauore
Vota dedit Domino, verbaq́ ſancta mouet:
Sit comes & cuſtos Deus hìc mihi, ſitq́ viator,
Hoſtia pacifica me ſacrificante feratur
Tunc ouis, & vituli victima (dixit) erit.
Pergit ab inde Iacob; deus ipſe virum comitatur;
Venit ad optatum Laban, domus apta paratur,
Gaudet in agnato Laban, & ipſe Iacob.

Chronica illius temporis de Minerua, & de diluuio in Græcia tunc facto.

ANno ab Adam 2968, à diluuio 626. Anno à diuiſione linguarum 525. Anno imperij Nini regis Aſſyriorum 260. ſub tempore Ogygi regis Eleuſinæ vrbis, diluuium fuit: quod diluuium à nomine ipſius regis Ogygi eſt appellatum. Tunc etiam Minerua ad lacum Tritonis in virginali ætate dicitur apparuiſſe, vnde Tritonia vocatur: regnante decimo Aſſyriorum rege Baleo, & nono rege Sicyoniorum Meſapro, & Api rege Argiuorum tertio. Cætera de eodem verſibus exprimuntur.

Item de eodem.

Tunc & in Auſonia, quæ Græcia prima putatur,
Altera diluuij ſpecies manâſſe notatur;
Particulare fuit, Græcia ſola luit.
Inſula tunc Thraciæ fertur genuiſſe Mineruam,
Virgo fuit ſapiens, audax, armisq́ proterua,
Dogmata Philoſophis edidit illa ſuis.
Dicta prius Pallas fuit à Pallante gigante,
Nanq́ ſuis manibus hunc ipſa necauerat antè,
Lana ſuis digitis fila priora tulit.

Iacob accipit vxores, Rachelem & Liam, filias Laban auunculi ſui.

Laban habet geminas propria de coniuge natas,
Prima fuit Lia, Rachel altera ritè vocata,
Vtraq́ ſponſa Iacob ſit datione rata.
Fraude tamen Laban, cui ſeruit vt optio fiat,
Dum cupit ipſe Rachel, prior eſt ſibi tradita Lia,
Sed magis hic aliam tollere ſemper amat.
Lia prius peperit, Rachel infœcunda remanſit,
Conqueritur ſterilis, priuataq́ ſemine planxit,
Et tandem peperit germina chara viri.
Lia Ruben parit & Simeon, peperit quoq́ Leui,
Pòſt peperit Iudam, tunc matrix clauſa quieuit,
Pòſt fit Gad, & Aſer, quos ſibi Zepha dedit.
Rurſus Lia parit, cuius de corpore nati,
Iſſachar & Zabulon ſunt à patre ritè vocati,
Et numerum tribuum, catalogumq́ ferunt.
Pòſt peperit geminos Balam, per crura Rachelis,
Ingenubus dominæ pariens ancilla fidelis,
Dan & Nepthalim nomina fingit eis.
Ipſa Rachel tandem fœcunda, Ioſeph generauit,
Quem pater ipſe Iacob, ſuper omnes ſemper amauit
Hic & in hiſtoriis inclyta geſta parit.

Laban promittit dare Iacob, pro mercede ſua, omnes oues varias & maculoſas.

Cùm parerent ambæ, fœcundo ventre ſorores,
Et pater aſpiceret, numero ſuccreſcere proles,
Alloquitur ſocerum, verbaq́ mœſta mouet:
Cùm tibi ſeruierim ter quinq́ fideliter annis,
Hisq́ mei tam dextra Dei benedixerit agnis,
Sunt tibi multiplices me faciente greges.
Pauca prius fuerant, quæ multiplicata videmus,
Tu locuples, ego ſum pauper, nihil (inquit) habemus;
Tolle greges, dixit, proſpiciamq́ mihi.
Ille refert, fundensq́ preces, dixit, remanebis.
Mercedis quodcunq́ velu, conductus habebis,
Accipe quod quæris, tu mihi paſtor eris.
Tunc gener; Hoc faciam, ſi factis dicta ſequeris,
Omne pecus fuluum me tollere ſi patieris,
Atq́ decus varium; tunc ſocialis eris.
Dicta placent ſocero, rurſusq́ ſimul ſociantur,
Præmia quæ petiit, genero ſortita locantur,
Omne Iacob ſecum ducit ad arua pecus.

Iacob ponit varias virgas in canalibus ouium bibentium, vt inde oues variæ generentur.

Dum biberent pecudes ad aquas retinente canali,
Impoſuit virgas varias, quas decoriauit,
Quando bibens aries gaudet, ouisq́ ſalit.
Arte parat virgas varias, ſic decoriatas,
Vt faciant varias pecudes, lana maculatas,
Quas ſibi pro pretio nouerat eſſe datas.

Hic

Hic reddit author physicam rationem quomodo oues variæ fiant.

Quomodo tunc fierent variæ, vel qua ratione,
Discere si cupias lector, mea fistula ponet;
Erige nunc animum, physica nostra docet.
Mittitur à cerebro semen, quo plasma creatur,
Per medium frontis recipit veniendo meatum,
Cui color imprimitur quem veniendo capit.
Spermatis aspiciens phantastica cellula semen,
Hanc recipit speciem, cui tunc color ille cohæret,
Plasmaq; consimile forma creata feret.
Qualis erat species virgæ, cuiusve coloris,
Tale fit in ventre matris semen genitoris,
Fit color interior sicut & ille foris.
Sic phantasiæ signatur sperma sigillo,
Vt referat speciem semen, quam sumpsit ab illo,
Sic color est idem, quem sibi pressit idem.
Arte coloratas, & vellere sic maculatas,
Multiplices acquirit oues pastor numeratas,
Ditior est socero, diuitiisq; vacat.

Iacob fugit à facie soceri sui cum vxoribus & filiis, & cum gregibus suis.

Inuidiæ soceri liuor turbauit amores,
Dicit ad vxores pastor, sociasq; sorores,
Vt pariter fugiant, sic iter ipse mouet.
Dum fugit in Galaad quasi sex septémve diebus,
Pausat ibi, fœtis gregibus, vel amore quietis,
Et quia grex situi, sit sibi larga Tethis.

Iacob fugit, & Laban persequitur eum.

Dum generum socer insequitur, turma comitatus,
Dum fuit iratus, Domini vox missa minatur;
Væ tibi si referas aspera dicta Iacob.
Antè quidem genero Deus ipse, reuertere, dixit;
Dum venit in Galaad Laban tentoria fixit,
Et queritur generum delituisse suum.
Dicit ei; te iussa Dei mihi præcipientis
Saluificant, ne iam pereas gladio ferientis,
Quis dedit vt fugeres, diriperesq; greges?
Fraude meas natas deducis, & absq; decore,
Quas ego cum citharis ferrem, varioq; canore,
Et teneros pueros nónne perire doles.
Idola furtiua, studio sublata Rachelis,
Acrius à genero Laban super omnia quærit,
Ore loquens tumido, verba maligna dedit.
Idola quæ repetit, nescit Iacob in comitatu,
Vnde suos omnes fore cogitat absq; reatu,
Dicit, vbi fuerint, sontis habeto caput.
Quæstio facta Iacob, dum fit citò nota Racheli.
Idola clam posuit substramine clausa cameli,
Et super incubuit, verbaq; finxit ei.
Est pater ecce mihi, quod & esse solet mulieri,
Surgere non potui, te quæso mei miserere,
Nam grauiter patior plus patiebar heri.
Inspectis reliquis loculis, nullisq; repertis,
Idola iam petere, studium cessauit inertis,
Qui modò pacifica promere verba parat.
Quid faciam pueris aut matribus (inquit) eorum?
Semen enim femorum sunt & caro facta meorum,
Omnia quæ tibi sunt, his remanere volo.
Pace data genero, dixit; benedicte valeto,
Quæso meas natas pro posse decenter habeto,
Pro pueris itidem cum pietate peto.

Quare primum idolum in mundo, & quo tempore fuit.

Idola terrigenis referam quis condidit olim,
Ligna coli, cur iure poli voluère coloni,
Expedit exponi pro ratione boni.
Dum moreretur homo Belus rex in Babylone,
Filius ipsius Ninus, dum regnat honore,
Mentis in ardore fata paterna dolet.
Patris ad effigiem fit regia grandis imago,
Quæ fuit in reliquis prima una maligna propago,
Idola nam peperit, de quibus actor ago.
Nomen habet Beli, nimio veneranda fauore,
Seruit ei regio, dat munera, placat odore,
Sic patris effigiem Ninus honore fouet.
Quisquis in imperio meruit proscriptus haberi,
Aut aliquas pœnas potuit peccando mereri,
Ante pedes Beli stans, bene saluus erit.
Huius ad exemplum, veterum censura parentum,
Defunctis patribus, sic erigit idola centum,
Et simili more, semper honore fouet.
Idola fingentes per climata, per regiones,
Per varias linguas variabant idola nomen,
Sicut & antiqui fana vocare solent.
A Belo, dixêre Bahal, lingua variatur;
Belzebub & Bahalim, seu Belfegor, inde vocatur;
Sic variabat atrum nomen imago patrum.
Indeq; falsorum data sunt responsa deorum;
Idola sic fuerant habitacula dæmoniorum;
Decipiunt populum, decipiuntq; solum.
Versus in errorem sic idola mundus adorat;
Mundus eos putat esse deos, veneratur, honorat,
Nulla creatoris iussa vel acta sonans.
Inde fit & quòd Roma suis vtens simulachris,
In summis seruare suis solet idola sacris,
Et reueretur eos, dum putat esse deos.
Quomodo Romana potuit sapientia falli,
Sub specie lapidis, vel ligni, siue metalli?
Non alios miror desipuisse viros.

Author loquitur.

Dæmon vt à cœlis meruit peccando fugari,
Addidit in terris homini vacuo dominari;
Cœpit adorari, functus honore pari.
Dæmoniis homines subiici, culpis meruerunt,
Sed pòst, dante Deo, virtutibus obtinuerunt,
Quod modò dæmonia tartara regna ferunt.
Idola detecit homo qui prius idola fecit,
Hæc vbi proiecit, cœlestia regna recepit,
Hunc amat ergo Deus, qui fuit antè reus.

Iacob luctatur cum Angelo, supra ripam Iordanis.

Ampla Iacob soboles, & grex, & fœtus abundans,
Exiit à Galaad, properans Iordanis ad vndas,
Qua prius optatas ipse vadauit aquas.
Nocte sequente, Iacob solo super amne morante,
Vir stetit ante virum, mandata Dei meditantem,
Et manibus captum, fortiter angit eum.
Captus & ipse capit, stringitq; tenetq; tenentem,

Nocte simul tota luctantur ibi vehementer.
Sed neq; vinci vir valet arte viri.
Mane sub aurora vir tendit ad vlteriora,
Vtq; Iacob dimittat eum, Deus ipse perorat;
Est (ait) aurora desine, cede mora.
Sat sumus enisi, placet vt cessemus amici;
Rettulit ille, Prius per te cupio benedici;
Cedere non quæro, ni benedictus ero.
Percutit in femore Dominus neruum Patriarchæ,
Et satis hunc arcet, dicens; contendere parce;
Dic mihi nomen ad hoc: rettulit ille, Iacob.
Rursus ait senior; dic: Cur mea nomina quaris:
Non Iacob (inquit) eris, sed & Israël ipse voceris;
Hoc tibi perpetuo tempore, nomen erit.
Tuq; tuum Domine (dixit Iacob) exprime nomen;
Nolo, Deus dixit, Domini te quærere nomen;
Si Deus est tecum, nemo nocere potest.
Claudicat ergo Iacob, quia marcuit ilicò neruus,
Nec comedit neruos Iudæus corde proteruus,
Compatiens patri, quem videt ista pati.
Ille locus Phanuel vulgi ratione vocatur,
Quo Deus atq; Iacob luctam celebrâsse notatur,
Qua vada Iordanus prima reuersus adit.

Iacob pacificatur cum frarre suo Esau.

Vallibus ac pratis Iordanis ab hinc peragratis,
Israël irati pergens per climata fratris,
Mittit ei gratis munera multa satis.
Tunc erat in Sehur, Esau, quæ dicitur Edom,
Vnde suo fratri gaudens occurrit in Eglon,
Nec tamen hæc recipit, quæ bona mittit ei.
Munere mittentis euanuit ira potentis,
Accelerans Esau, dum signa videt venientis,
Pronus in amplexu voce salutat eum.
Obtulit hospitium tunc, gaudia vir celebrauit,
Munera præmissa non accipienda putauit,
Sunt mihi diuitiæ, nil volo frater, ait.
In Mesopotamiam, quam dicimus esse Damascen,
Sic Iacob atq; Esau, sociis gaudentibus adsunt,
Et benè pacificè verba benigna tenent.
Pace data fratri, festinat ad vlteriora,
Fortiter in Chanaan, sua turma venire laborat,
Arua tenet placita, iam sua signa volant.

Dina filia Iacob opprimitur à filio regis Heuæi.

Dum Iacob in Chanaan pecudes per pascua minat,
Cernere festinat regionem filia Dina,
Audet & ignotam pergere sola viam.
Sola sub arboribus dum filia staret Hebræi,
Filius Heuæi, dominus regni Chananæi,
Abstulit organicum virginitatis ei.
Mœsta puella satis, pro rebus ei variatis,
In mediis pratis plorat bonũ virginitatis,
Placat eam iuuenis pluribus arte datis.
Regis & in thalamum corrupta puella vocatur,
Vt Iacob vxorem det eam sibi, sæpe rogatur.
Dicit ad ista pater; non ea verba placent.
Quum circuncisus populus noscatur Hebræus,
Nubere nobiscum non posset homo Chananæus,
Id quoq; ne fieret; iusserit ipse Deus.
Si circuncidi velletis vos inimici,
Pro modulo legis, fieri possemus amici,
Et tibi lege pari nostra puella dari.
Annuit his dictis pars regia consona patri,
Et circuncidi satagunt se, præputiati,
Petrinis gladiis vulnera parua pati.
His ita concisis & vulnere dante laborem,
Tertia maiorem lux intulit ipsa dolorem,
Hoc symptoma dies tertia ferre solet.
Vulneribus tumidis nimis insidiantur Hebræi,
Dum iacet in lectis languens populus Chananæi,
Impositis gladiis colla secantur eis.
Omnibus occisis tunc Dina puellula risit,
Fratribus ascitis, quæ tecta paterna reuisit,
Extinctisq; viris præda sit ampla suis.
At pater iratus, sic arguit ordine natos;
Tristis ego video reges in fraude neoatos,
Istaq; mors populi mors mihi (dixit) erit.
Ecce Iebusæi vel Heuæi, vel Chananæi,
Atq; Gomorrhæi, dicent: moriantur Hebræi,
Morsus ero mortis simplicitate mei.
De variis terris venient huc, plangere funus,
Paruula turma sumus, pauci quasi cernimur vnus,
Iam timeo ne nos morte coæquet humus.
Respondent pueri: Pater, vt quid tanta vereris,
Nonne soror nostra, stuprum fuerat mulieris?
Culpa sit horribilis, pœna perennis erit.
Dum timet ista Iacob, cœlesti voce vocatur,
Transeat in Bethel, ibi pax sibi plena paratur;
Pergit, & hinc pecudum compulit omne genus.
Tunc, faciente Deo, terror tenuit Chananæos,
Ne patria profugos hos persequerentur Hebræos,
Hoc Deus ipse reos ordine saluat eos.

Iacob erigit aram Domino in Bethel.

Erigit in Bethel aram, patriarcha fidelis,
Migrat in Euphrata, partum celebrare Rachelis,
Beniamin hinc oritur, mater ab indeperit.
Nomina natorum Iacob edidit ista suorum;
Est Ruben, Simeon, Iudas, Leui, Gad, & Aser,
Issachar, & Zabulon, Dan, Nephtalin, est quoq; Io-
Vltimus in cunctis Beniamin ille fuit. (seph.

De morte Isaac.

ANno ab Adam 3090. A diluuio 658. Anno à diuisione linguarum 557. Anno imperij Assyriorum, 292, regnante apud Assyrios rege 11, Baleo: & Sicyoniorum rege 9, Mesapro nomine: & Argiuorum rege tertio, nomine Api: moritur Isaac cùm esset centum octuaginta annorum. Tunc erant filij eius Iacob & Esau, centum viginti annorum. Post illa tempora transactis annis triginta, Ioseph venditus est in Ægyptum, regnante rege Ægyptiorum nomine Diapolyta, cognomen eius verò erat Amases. Tunc fames intolerabilis orta est in Ægypto. Et Ioseph factus est princeps totius Ægypti, de quo Pompeius & Iustinus historiographi Ægyptiorum, sic scribunt.

Ioseph inter fratres suos minimus fuit, cuius

cuius excellens ingenium erat. Sed eum fratres in Ægyptum mercatoribus vendiderunt, qui prodigiorũ sagaciſſimus erat: & ſomniorum intelligentiã condidit primus; nihilq; ei diuini vel humani iuris incognitum videbatur; adeò, vt futuram agrorũ ſterilitatem prædicens, fruges congregaſſet. Tantaq; eius experimenta fuerunt, vt non ab homine, ſed à Deo reſponſa viderentur.

Item de eodem, verſificè.

Centenis quinquagenis iam ter quoque denis
Annis præteritis, Iſaac lux vltima venit,
Cui Iacob atq; Eſau digna ſepulchra dedit.

De Ioue, filio Saturni.

Tempore quo moritur Iſaac, rex Iuppiter olim
Rex erat in Creta, cuius res ſcribere nolim,
Ritè Deus potuit Iuppiter ipſe coli.
Rex homo cùm fuerit, potuit Deus ipſe vocari,
Regibus & populis ſolus potuit dominari,
Rebus & ingeniis tunc erat abſq; pari.
De Ioue ſcripta prius miracula multa videmus,
Quæ neq; ſuſcipimus, neq; vera fuiſſe fatemur;
Vera tamen volumus dicere, iure tenus.
Iuppiter ex patre Saturno natus Athenis,
A quo quadriuij, triuijq; ſcientia venit,
Legis & artis ibi tunc idioma dedit.
De Ioue ſummorum venit generatio regum,
A Ioue principium tenuit deſcriptio legum,
A Ioue philoſophi dogmata multa legunt.
Magnus Alexander Iouis eſt de germine proles,
Troiani, Græci reges, hoc ſemine florent,
Romulus, Æneas, germen ab inde mouent.
Qui Iouianorum modo regna gubernat auorum,
Filius illorum deus eſt de prole deorum,
Iuppiter his regnum tradidit, atque thronum.
Vxor prima Iouis Niobes regnauit Athenis,
Ipſa prior leges ſcripſit, quas Iuppiter edit,
Et Troianorum germina prima dedit.
Dardanus & Troius, Niobis de ſemine nati,
Mœnia Troiana ſunt condere præmeditati,
A Troio Troiam ritè vocauit eam.
Altera ſponſa Iouis, pulcherrima fœmina Iuno,
Poſt genuit Danaum, quo principe ſtringitur vno
Græcia, quæ Danai nomina prima tulit.
Credite, Romana lex ante fuit Iouiana,
Iuraq; mundana ſunt à Ioue condita clara,
Et ſua progenies Romula regna tenet.
Quæ Romam venit lex, antè manebat Athenis,
A Ioue Romani legum ſunt dogmate pleni,
Quas hodie leges diſcimus ipſe dedit.
Vrbs Athena fuit ſub nomine facta Minervæ,
Vt per eam ſemper artes ſapientia ſeruet,
Hoc decus ingenij Iuppiter ipſe dedit.
In terris qui tunc potuit vir ſummus haberi,
Hunc populi voluêre Deum ſummè reuereri,
Sic Iouis in terra gloria maior erat.

De Ioſeph & ſomniis eius, cùm ſexdecim eſſet annorum.

Dum ſextum decimũ Ioſeph tranſcenderet annum,
Atq; magis cunctis pater hunc optaret amandum,
Semper erat thalami clauiger ipſe patris.
Crimina peſſima, fratribus inſita, ſæpe reuelat,
Nulla patris thalamo quæ nouerat horrida celat,
Fratribus in multis pernicioſus erat.
Grandia ſomnia vidit, & omnia mane reuelat,
Fratribus omnia ſunt nimis horrida, totaq; vera;
Viſio qualis erat, pagina noſtra ferat.
Grandis erat meſſis, nobisq; ſecantibus, inquit,
Ante meum veſtri cuncti cecidêre manipli,
Altera quæ fuerit viſio, narro tibi;
Sol & luna ſimul, vndenaq; ſydera prona,
Ante pedes cecidêre meos, mediaq; corona
Solus adorari ſtansq; videbar, ait.
Nunquid adorari, dicit pater, inde putaris?
Aut quaſi rex noſter fieri ſic poſſe probaris?
Hunc etenim ſenſum viſio dicta parit.
Ardua dum pueri mirantur ſomnia nati,
Perdere cùm poterint ſunt ipſum præmeditati,
Ne fieret princeps ſic prohibere rati.
Dum numerus fratrum per paſcua lata vagatur,
Præcipiente Iacob, puer arripit ille meatum,
Vt videat fratres, ſic iubet ipſe pater.
Exit Hebron, venitq; Sichen, dum paſcua quærit,
Contigit inde greges longa ſtatione moueri,
Ruſticus in Dothain æſtimo, dixit, erit.
Dum venit in Dothain puer incipit ipſe videri,
Nemo putat vitam venientis poſſe tueri,
Somnia qui cecinit, dicitur, ecce venit.
Præmia quæ meruit ferus accuſator habebit,
Somnia ſi proſint ipſo moriente patebit,
Nam manibus noſtris interimendus erit.
In medio fratrum Ruben puerum miſeratus,
Ne pereat penitus plena pietate precatur,
Et remouendo necem fundit ad iſta precem.
Abſit, ait, fratrum manibus quòd ſic perimatur,
In fundum veteris ciſternæ proiiciatur,
Ne pereunte reo commaculemur eo.
Fratribus auditis, Iudæs ait, Iſmaëlitis
Vendamus puerum, ſi parcere fortè velitis,
Ductus in Ægyptum ſit peregrinus ibi.

Ioſeph venditur in Ægyptum, Putiphar eunucho Pharaonis.

Miſſa patri tunica eſt, quæ ſanguine tingitur hœdi,
Triſtis ait; pueri fera peſſima membra comedit;
Qui mihi perpetua tempora flenda dedit.
Perpetuante patre lachrymas, gemitumq; doloris,
Putiphar eunuchus emit hunc princeps Pharaonis,
Præficit & domibus, innumerisq; bonis.

Ioſeph mittitur in carcerem Pharaonis.

Clauiger eſt iuuenis, forma ſpecieq; decora,
Reſpicit hunc domina, ſecumq; coire laborat,
Sæpe renitenti non datur vlla mora.
In medio thalami dum fœmina prona reſedit,
Veſte trahit iuuenem, tractus ſine veſte recedit,
Spreta dolens mulier vociferando redit.
Currite vos famuli, ſuccurrite (dixit) amici:
Crimina tentantem iuuenem, luctamine vici,
Fortior exiliit, veſte manente mihi.
Crimine mentito, monſtrauit & iſta marito,

Dicit & inuito, cognoscere facta venito,
Ultio sit celebris, pœnaq; magna citò.
Carcere regali puer est damnatus Hebræus,
Nulla sorte reus, quia verus erat Pharisæus,
Vnde suis meritis adfuit ipse Deus.
Carcere consimili pistor pincernaq; regis,
Consocij Ioseph, discunt sua dogmata legis,
Et quasi doctorem semper honore fouent.
Hi duo, bina simul cùm somnia nocte viderent,
Consilium Ioseph pariter nituntur habere,
Vnde simul iuueni somnia visa ferunt.
Maior ait; Vidi botros tres palmite natos,
In cratere meo quos comprimo viuificatos,
Rex meus inde bibit, pocula chara sibi.
Tunc puer; Ecce tribus sic carcere stante diebus,
Te faciet Pharao primis consistere rebus,
Fis modò charus ei, quæso memento mei.
Pistor, vt exposita feliciter omnia sciuit,
Poscit vt exsoluat quæ somnia pristina vidit:
Nam putat à simili læta venire sibi.
Panes decoctos, me conficiente ministro,
Ante meum regem videor gestare canistro,
Quos & auis cœli dissipat (inquit) edit.
Ioseph ait; Faciet Pharao te mane vocari,
Et super eculeum propter male facta leuari,
Sic tua tunc rostro viscera carpet auis.
Obtinet effectum sermo recolendus Hebræi,
Tempore post modico Pharaonis visio venit,
Anxius efficitur rex, timor instat ei.

Ioseph interpretatur somnia Pharaonis, & fit princeps totius Ægypti.

Tunc pincerna memor sua gesta refert Pharaoni,
Et monet vt Ioseph iam nunc habeatur honori,
Vt per eum valeant somnia visa coli.
Carcere regali, quo cernitur ipse morari,
Tollitur, ornari iussus, lauacroq; lauari,
Regis in aspectu mane vocatur ali.
Quæstio regia, visio mystica, mota patescit,
Curia regia somnia regia soluere nescit,
At puer Hebræus soluet & ipse Deus.
Rex, septem vidisse boues, pinguedine pulchras,
Dixerat, & totidem nimia macredine siccas;
Pinguem post horam bestia macra vorat.
In calamo spicas septem rutilare venustas,
Viderat, & totidem vacuas, ventoq; perustas;
Sed vacuæ crassas ore patente vorant.
Bestia septena, nimia pinguedine plena,
Et calami spica quæ tunc rutilabat amœna,
Tempora septena fertilitatis erant.
Post venient siccæ nimia macredine vaccæ,
Et totidem spicæ venient, vredine fractæ;
Quæ sunt signa famis, pernicioſa nimis.
Pinguia quæ fuerant tunc tempora sicca vorabunt,
Horrea plena nimis tunc funditus enacuabunt,
Et tibi non fructus optima rura dabunt.
Qui regni saluare velit statum Pharaoni,
Horrea regia congreget omnia detq; reponi,
Stq; per Ægyptum pars tibi quinta boni.
Consulo lege fori præpone virum regioni,
Cuncta per Ægyptum tibi dent frumenta coloni,
Quæ parient anni fertilitate boni.
Quum fuerint anni steriles post hæc venientes,
Teq; tuasq; tua recreabit copia gentes,
Sic dabitur populis esca, fauore tuo.
Dicta placent iuuenis, procerum solertia plaudit,
Iussis illius cœtus Pharaonis obaudit,
Et quasi consocium iam reuerentur eum.
Dicit ei rex; Serue Dei, tibi iam sociari,
Me cupio, te substituo regno dominari;
Omnia quæ teneo, suscipe lege pari.
Sede mea sola minor es, solaq; corona,
Cætera quæ teneo regni tibi confero dona,
Et tibi rectori singula trado bona.
Annulus iste meus, tuus est, regniq; potestas,
Omnibus in populis tua iam dominetur honestas;
Tu pater Ægypti, prospice (quæso) mihi.
Ponitur in currum Regis, puer ille beatus,
Laudatur, vehitur, præconibus insinuatur,
Flectit ei procerum copia multa caput.
Nomen habet Ioseph, cognomen ab arte notatur,
Deniq; Saluator regni plerunq; vocatur;
Nobilior genere, iam sibi sponsa datur.
Putiphares Ioseph socer, est princeps regionis,
Qui socer est, & presbyter est etiam Pharaonis,
Nomen habens Aseneth, filia, sponsa sit hæc.
Fertilitas venit, colitur, tandemq; recedit;
Orta fames valida, bona pristina prorsus ademit,
Cuncta per Ægyptum tristia rura dedit.
Iam populo pereunte fame per climata Nili,
Horrea regia præcipit omnia rex aperiri,
Vt cibus à populis accipiatur ibi.
Fama recens frumenta refert venalia regis,
Quæ Ioseph tribuenda docet moderamine legis,
Ipse domum regis sustinet atque regit.

Fratres Ioseph descendunt in Ægyptum, vt emant frumentum.

Pane carens, pressusq; fame patriarcha beatus,
Mittit in Ægyptum deferre cibaria natos,
Beniamin in thalamo detinet ipse Iacob.
Nouit eos Ioseph, sed ab iis incognitus, inquit;
Dicite qui sitis, estis ne parente propinqui?
Exploratores vos ego dico fore.
Nos, aiunt fratres, ex vno credito patre,
Bis seni fuimus, vnum periisse putato,
Vltimus in patria cum patre viuus abest.
Dicit eis Ioseph: Iuro mihi per Pharaonem,
Ni videam puerum, non ibitis à regione,
Expedit vt vestra singula dicta probem.
Vnus ait Simeon; Me carcere quæso ligari,
Fratribus emissis valeant vt dicta probari,
Inq; tuum thalamum parvulus ille dari.
Ite reuersuri, puerum deferte minorem,
Obses erit Simeon, ne decipiam Pharaonem;
His dictis reliqui mox iter inde mouent.
Assumptis asinis frumenta cibosq; ferentes,
Singula gesta patri referunt, de corde dolentes,
Sed magis inde patrem condoluisse patet.
Saccus vt excutitur, decussa moneta videtur,
Omne datum precium sacco remouente tenetur,
Mirantur pueri, plus pater ille vetus.
Flendo pater dixit; Ioseph fera magna vorauit,
Beniamin Ægypti dominus pro morte vocauit,
His etiam Simeon commorietur, ait.

Rur-

Rursus ait genitor; Iuuenem perdo Simeonem;
Perdidimus Ioseph; puerum si perdo minorem,
In mœrore meo sum moriturus ego.
Deficiente cibo, dicit Ruben genitori,
Crede mihi puerum, nato mihi crede priori,
Quem nisi reddiderim, iudicer ipse mori.
Dicit ei Iudas: Pater optime, ne pereamus,
Crede mihi puerum, si viuere sic valeamus,
Hunc nisi reddidero, do caput atq; manus.
Ecce fame morimur, esca pereunte perimus,
Sæpe repromissum puerum nisi ferre velimus;
Crede pater puerum non re habere minus.
Esse necesse pater cùm iam satis ipse videret,
Præstat eis puerum cautastatione mouere,
Munera de Chanaan optima multa ferunt.

Ioseph occultat seipsum fratribus suis præsente Beniamin.

Beniamin & fratres à Ioseph fratre videntur,
Stat puer in medio, pia viscera cuncta mouentur,
Eruptis lachrymis prosilit ipse foràs.
Inde lauans vultum, faciem pro tempore mutat,
Rursus vt ingreditur, iuuenes cum pace salutat,
Atq; vocans Simeon, ordine ponit eos.
Munera dè Chanaan placidè porrecta recepit,
Et quid agat genitor geniti solertia quærit,
Gaudia sola sibi pectore clausa gerit.
Imperat vt sedeant, vir doctus & ipsa Minerua,
Tempus & ætatem cunctis residendo reseruat,
Datq; protogenita singula, sorte sua.
Mane iubet pueris frumenta ferenda parari,
Et iubet in saccis pretium velut antè ligari,
Beniamin in sacco clauserat ille cyphum.
Per medium terræ, cùm iam properanter abirent,
Retrò vident hominem nimium clamando; Venite,
State citò iuuenes: territa turma silet.
Reddite craterem domini, quem subripuistis,
Cur benefactoris bona tollere non timuistis?
Excessum sceleris pœna sequetur, ait.
Hoc cratere solet dominus meus auguriari,
His & in auguriis cognoscit iniqua patrari;
Respondent iuuenes in simul ore pari;
Hoc vitium sceleris hic quomodo posset haberi?
Præcipias quæri, qui se nequit inde tueri,
Principis Ægypti quàm citò seruus erit.
Sit velut asseritis, vir ait, sic opto doceri,
Sic damnandus erit fur, quem patet ista mereri;
Quærite quem vestrum pœna relata ferit.
Undiq; saccorum frumentum præcipitatur,
Omnia scrutatur vir, & omnibus insidiatur,
Beniamin ex sacco prosiliente cypho.
Pro pudor, imò dolor, nec sic dolor, imò dolores,
Mens iuuenum confusa nimis, conspersa rubore,
Concidit exanimis, mœsta, caduca, dolens.
Seruulus arripitur, deducitur, atq; ligatur,
Turma dolens sequitur, confusaq; corde secatur,
Quisq; putat fratrum demeruisse caput.
Ante pedes Ioseph, cùm turba caduca iaceret,
Nescia quid referat, quid agat, qua verba moueret,
Tota iacet stupida, viscera fracta gerens.
Surgite, Ioseph ait; Nunquid non auguriari,
Nouimus? vt nostra bona subripere tis auari?
Hunc puerum seruum culpa remordet, ait.
Respondent tristes; cùm non peccauerit iste,
Nos omnes fratres seruos pro crimine fiste;
Paruulus iste puer cur mala nostra luet?
Non erit hoc, inquit, sed vos si vultis abire,
Tollite frumenta, me non prohibente redite,
Sed puero seruo non remeare licet.
Clam loquitur Ruben; lingua modulatus Hebræa,
Hæc meritò patimur, quia de patria Chananæa
Vendidimus fratrem; culpa resurgit ea.
Arrigit huc aures princeps, auditq; loquentes,
Cordeq; compatitur, suspirat ad hæc vehementer,
Et dum verba mouent, viscera mœsta dolent.
Dicit ei Iudas: Audi nos optime prætor,
Si licet ordiri quæ fecimus ordine retro,
Suscipe quæ loquimur, cum pietate precor.
Nos fratres miseri, quondam fuimus duodeni,
Fortuitus casus vnum tulit atq; peremit,
Vnde pater noster nunc sine fine gemit.
Post habuit puerũ quem duximus ecce minorem,
Qui solet illius satis alleuiare dolorem,
Eius & aspectus membra paterna fouet.
Sed tibi complacuit nos cogere per Simeonem,
Vt daret hunc puerum pater, en pereundo dolore,
Qualiter hunc dederat, si placet ipse loquar.
Nos miseri, veniente fame, quasi iam morientes,
Et tua præcepta super omnia corde timentes,
Quot sumus hìc nati diximus ista patri.
Da pater hunc puerum, da quæ sumus absq; timore,
Ecce fame morimur, per eum viuemus honore,
Nec dubites saluum cum pietate fore.
Tunc ait ipse pater; Iam perdidimus Simeonem;
Perdidimus Ioseph; puerum si perdo minorem,
Tristis ad infernum spiritus ire volet.

Ioseph manifestat se fratribus suis.

Exclusis Ioseph populis, pro fratre loquente,
Acriter infremuit, lachrymarum fonte fluente,
Clamat, & exiliens fratribus ipse refert.
Hic ego sum Ioseph, ego sum, confidite fratres,
Nil timeatis (ait) moueor digna pietate,
Vt Domino placuit somnia nostra patent.
Intulit amplexus gaudens, dedit oscula cunctis,
Omnibus in medio diuino munere iunctis,
In thalamum regis fama relata venit;
Venerunt fratres Ioseph; rex gaudeo, dicit,
Quotquot sunt fratres, quotquot sunt eius amici,
Si venient, adhibent gaudia magna mihi.
Ferte meos currus, multosq; parate camelos,
Currite, ferte patrem, cunctosq; feratis Hebræos,
Nos quasi dilectos suscipiemus eos.

Nunciatur Iacob, quia Ioseph filius eius viuit.

Fratribus in Chanaan celeri statione regressis,
Dum referunt hæc gesta patri, quasi credere nescit,
Et velut à somnis euigilanter ait;
Si Ioseph viuit, Ioseph mihi sufficit, inquit,
Filius ipse meus, mihi gaudia plena relinquit,
Dimidiumq; mei viuere testor ei.
Fit noua vita mihi, noua sint mihi gaudia, dixit,
Spiritus his dictis, quasi iam de morte reuixit,
Ioseph vita patet, pergo videre pater.

Iacob consuluit Dominum, an pergere expediat ei in Ægyptum ad Ioseph.

Ad puteum iuramenti pater erigit aram,

Et petit vt Dominus faciat noua prodita clara,
An iter expediat, quod pater ipse parat.
Perge, Deus dicit, sed & vtensilia ducas,
Semper ero tecum, te protego, teq; reducam,
Quando reuerteris germine magnus eris.

Iacob intrat Ægyptum cum septuaginta animabus.

Dum Iacob Ægyptum natis comitantibus intrat,
Detulit hinc animas numero quasi septuaginta,
Atq; boues & oues, multiplicesq; greges.
Latior ingreditur curru pater ordine vectus,
Ioseph in amplexus patria dulcedine nexus,
Oscula continuat, fletibus ora rigat.
Vita patris crescit, caro torrida tota virescit,
Spiritus excrescit, quia gaudia mira capessit,
Plena datur requies, læta sit illa dies.
Mane pater Ioseph perducitur ad Pharaonem,
Suscipit ille senem multo veneratus honore,
Et iubet vt sedeat, verba benigna mouens;
Cuncta per Ægyptum nosti loca pascua Ioseph,
Elige quas partes cupias magis in regione,
Pone tuos fratres, qua magis arua placent.
His bene patratis, cunctisq; per arua locatis,
In mediis pratis statuas solatia patris,
Frumenti gratis porrige, mando, satis.
In terra Gersen, vbi copia fulget agrorum,
Complacuit Ioseph disponere castra suorum,
Vinetis, & agris, piscibus, apta satis.

Ioseph vendit alimenta Ægyptiis.

Excrescente fame, pretio quoq; deficiente,
Murmurat Ægyptus, clamant nimis esurientes,
Deficit argentum, deficit ipse cibus.
Tolle boues; tollantur oues, armentaq; terræ,
Et populos concede tuos alimenta referre;
Terra iacet sterilis, gens tua tota perit.
Omne genus pecorũ Rex, dans alimenta, lucratur,
Vultq; sacerdotum genus vndiq; gratis alatur,
Subditus ipse Deis dat sua gratis eis.

Item de fame Ægypti post quartum annum.

Quattuor ecce famis annis hac arte redemptis,
Vndiq; frumentis plangunt miseranter ademptis,
Clamor adest populi, gens alimenta petit;
Vt prius argentum, sic nunc animalia desunt,
Nil dare iam demum, nisi corpora nostra valemus;
Nudi nanq; sumus, nuda remansit humus.
Nos eme cum terra, seruos sub Rege reserua,
Tota fame moritur populorum mira caterua;
Saluator noster, annue, tolle preces.
Ille refert; Sic tollo preces, vt climata regni
Omnia sint Regis; quicquid sibi Nilus adegit,
Quicquid terra gerit, canone Regis erit.
Sic tamen in terra fructu volumus moderari,
Quinta quod ad fiscum pars debeat inde locari,
Pro victu populi cætera cuncta dari.
Cuncta sacerdotum volo liberarura putari,
Quos facit ante Deos Pharao plerunq; vocari,
Munere regali dat reuerenter ali.
Hæc ego lege pari statuo sic perpetuari,
Cuncta per Ægyptum fiscalia mando notari,
Regis & obsequiis lege manente dari.

Chronica illius temporis de regibus gentium.

His temporibus apud Ægyptios constructum est idolum magnum in honorem Apis, Regis Argiuorum; quidam tamen dicunt, in honorem Ioseph, qui liberauit eos à fame; quod idolum, Serapis vocabatur, quasi idolum Apis. Tempore autem christianorum destructum est, sub Theodosio Imperatore.

De eodem similia Chronica.

MOrtuo Api, filius eius Argus, à quo & Argiui postea sunt appellati, patri successit in regnum. Huius Argi temporibus mortuus est Iacob; regnante apud Sicyonios rege Erato; apud Assyrios adhuc viuente rege Baleo. Erant autem omnes anni Iacob centum quadragintaocto.

Tunc etiam, delatis aliunde seminibus, Græcia cœpit habere segetes primas. Et notandum, quòd Græcia, quæ per sapientiam omnes superexcellit prouincias, semina segetũ ab alienis; sed leges & sapientiam à se, & ex se, primùm recepit. Et prius iudiciis & legibus, quàm segetum seminibus informatur. Cætera versus dicunt.

De morte Ioseph in Ægypto.

Centenis quadragenis bis quattuor annis,
Israël in terris vixit dignè memorandis;
Vixit in Ægypto quinque, decemq;, duos.
Mandat in Ægypto sua funera non sepeliri,
Sed patrios tumulos statuit reuerenter adiri;
Transtulit hunc Ioseph, nam requiescit ibi.

Item de eodem, ex chronicis librorum gentilium.

IOseph in Ægypto moritur, imperante apud Assyrios Amynta vigesimosecundo rege: apud Sicyonios vndecimo rege Clemineo: apud Argiuos adhuc Argo regnante. Fuerunt autẽ omnes anni Ioseph, centum duodecim. Cætera versus habent de Ioseph.

Proles & ætas Ioseph.

Centenis annis plenus simul & duodenis,
Principis Ægypti Ioseph lux vltima venit,
Nephtalin & Manasses, progenitore gemit.

Chronica eiusdem temporis, de rege Cecrope, qui primus Ioui bouem immolauit, & primus Ioui aram erexit tanquam Deo.

Tunc Iacob è medio pro tempore fluxerat ætas,
Cùm dominum Cecropem regẽ tenet insula Creta,
Ille Ioui pecudes primus in orbe necat.
Mactat oues sibi, siue boues, prior erigit aram,

Morte

Morte bouis dat prima Ioui libamina chara,
Et venerans aras, idola, fana, parat.
Illis temporibus Moſes erat orbe ſuperſtes,
Tunc & Apollo fuit remouens medicamine peſtes,
In cunctis medicis primus Apollo fuit.
Tunc Æſculapium medicum generauit Apollo;
Cuius & egregia conſcripta volumina voluo;
Hic, vbi mira gerit, fulminis igne perit.

PARTIS QVARTÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS QVINTA.

A NATIVITATE MOYSI VSQVE AD IOSVE.

¶ *Chronica illius temporis de diuerſis cauſis.*

ANno ab Adam ter milleſimo centeſimo vigeſimooctauo; à diluuio, ſexcenteſimo octuageſimoquarto; anno à diuiſione linguarum, quingenteſimo octuageſimotertio; ab imperio Nini, trecenteſimo vigeſimooctauo; regnante apud Aſſyrios decimoquarto rege Saphro; apud Sicyonios rege Orthopoli; natus eſt Moſes. iiſdem temporibus Prometheum fuiſſe ferũt, qui ob nimiam ſapientiam de luto homines feciſſe fingitur; Atlantem etiam patrem eius, qui ob ſcientiam Aſtronomiæ cœlos portare dicitur, fuiſſe tunc ferunt. huius Atlantis ex Magia filia nepos Mercurius, qui etiam dicitur Hermes Ægyptius, ſeu Triſmegiſtus, magnus philoſophus fuit, qui miræ profunditatis libros philoſophicos edidit. Cętera de Moſe verſus narrabunt.

Moſes naſcitur.

Sicut arena maris numeroſaq́, ſydera cœli
Plebe per Ægyptum dum multiplicantur Hebræi,
Rex nouus erigitur pernicioſus eis.
Rex ferus Amenoſis populum iubet angariari,
Hebraicos iubet infantes omnino necari,
Fœmineum ſexum ſeruat, & optat ali.
Odit eos gratis, metuens, ne multiplicati
Si fierent, populis gentilibus aſſociati,
Poſſit ab inde capi terra, vel ægra pati.
Vnde luti lateriq́, viris ſub pondere preſſis,
Maior eis cunctis operum ſolertia creſcit,
Vrget & angit eos iam quaſi morte reos.
Juſſit, vt infantes quicunq́, videntur oriri,
Fluminis in pelago pereant per littora Nili,
Ne naſcendo viri multiplicentur ibi.

¶ *Ex Euſebio & Dionyſio.*

NOta quòd à tempore, quo Ioſeph intrauit Ægyptum, vſque ad natiuitatem Moſi, vel vſque ad exitum Iſraël de Ægypto, iſti reges fuerunt in Ægypto: Amois regnauit in Ægypto annis vigintiquinq;: Rex Nembroth, annis tredecim: Amenoſis annis vigintiuno: Memphres, annis duodecim: Meſfar, qui dicitur Meraſis, annis vigintiſex: Tericimoſis, annis nouem: Amenoſis, annis trigintauno. eo tempore natus eſt Moſes, ex patre Aram, de ſemine Leui, quum ipſe rex eſſet annorum duodecim. Cætera de Moſe verſus dicent.

De eodem verſificè:

Natus Aram creuit, genitus de ſemine Leui,
Qui genuit Moſen, ſub regis tempore ſæui,
Ne puer hìc pereat fit ſatis arte leui.
Nam pice munito poſitus puer ipſe caniſtro,
Dum natat in fluuio, cauto faciente miniſtro,
Iuncus eum tenuit, littoris ora tulit.
Dum mediis iuncis potuit fiſcella vagari,
Filia regis adeſt Termut, ſatagitq́, lauari;
Paruulus apparens vbere lacte caret.
Germen Hebræorum iacet hìc, ait vna puella;
Filia regis ait; Puerum mihi (quæſo) reſerua,
Vt ſit adoptiuus filius iſte meus.
Stans ſoror infantis procul, huc feſtinat adire,
Si vis nutricem? dixit; mandabo venire;
Curre puella, refert, acceleresq́, piè.
Attulit hæc matrem, puerum lactare volentem,
Neſcia regina, dum cernit eam venientem,
Gaudet, & exorat lactet vt abſq́, mora.
Excreſcens Moſes, ſpecioſus cœpit amari,
Sub lare vulgari ſolitus nutrice morari,
Amodo regali præcipietur ali.
Quum ſemel ipſe puer intenderet in Pharaonem,
Arripit, & reuicit manibus ſuprema coronæ,
Significans regna ſic ruitura fore.

Moſes vxorem duxit.

Oderat Ægyptus populum vehementer Hebræum,
Oderat & iuuenem quem diximus hunc Moſeum,
Diligit econtra filia regis eum.
Magna per Ægyptum cùm fama foret Moſei,
Prorſus ei ſub Rege rei moderantur Hebræi,
Et Rex fauit ei munere dante Dei.

Ioſephus exponit, quia charus erat Pharaoni,
Æthiopes populi tunc bella dabant regioni,
Perditur Ægypti copia multa boni.
Plebs vbi vaſtatur, Moſes à rege vocatur,
Militiæ princeps ſit, ſuſcipit is dominatum,
Obuius Æthiopum gentibus eſſe datur.
Inuidet Ægyptus dum cernit eum dominari,
Conſiliumq; parat qua debeat arte necari,
Aut modò ſerpentum dentibus eſſe cibus.
Sic per deſertum mandatur habere meatum,
Copia ſerpentum quo tanta manere putatur,
Deuoret vt Moſen conſociosq; duces.
Cautus ad hæc Moſes non hac fuit arte caducus;
Nanq; ſui fuit ingenij moderamine tutus,
Atq; venenorum præuenit arte dolum,
Dicta ciconia deuorat omnia parta venena,
Protegit agmina militis omnia gutture plena,
Nec remanet ſerpens qui modò damna ferat.
Æthiopum tangit confinia, terraq; plangit,
Diſſipat & frangit Nadaber, quam circumangit,
Pacta petit pacis Rex, toleranda ſatis.
Nam, licet inuiſum, Moſen pro pace petitum,
Filia conſpiciens decreuit habere maritum,
Ducitur in thalamum, rem tenet atq; ſitum.

Moſes reuertitur de Æthiopia in Ægyptum.

Rurſus in Ægyptum Moſes dum pergere quærit,
Sponſa dolet, gemitũq; mouens cupit hoc prohiberi,
Spes ſua nanq; perit, non ita, dixit, erit.
Annulus eſt Moſi datus incentiuus amoris,
Alter erat remouens quod habet fortuna prioris,
His erat vxoris mens variata dolis.
Subripit ex digitis primum, dat & acta ſequentis,
Sic vxoris amor cadit, eſt obliuio mentis,
Immemor efficitur, neſcit amare virum.
Fœmina plena dolis ſic fræna relaxat amoris,
Arte facit Moſes ſit vt immemor illa doloris,
Pergit ab Æthiopis finibus ipſe foris.
Victor ab his terris, Moſes redit ad Pharaonem,
Ipſeq; victorem Pharao ſuſcepit honore,
Inuidet Ægyptus, ſicut & antè ſolet.

Moſes interfecit virum Ægyptium, & fugit in Madian.

Cum ſeruo Regis homo dum rixatur Hebræus,
Aſpiciens Moſes, quia nemo videt phariſæum,
Percutiens ſeruum vulnere mactat eum.
Tunc timuit, ne culpa ſibi tormenta refundat,
Sub ſabulo propere ſeruum ſepeliuit eundem,
Et putat hæc alios acta latêre viros.
Quumq; duos iterum certare videret Hebræos,
Arguit hos: ait alter ei, Me perdere quæris?
Debeo iam perimi ſicut & alter heri?
Territus hinc Moſes, iramq; timens Pharaonis,
Currit ab vrbe foris, regni fugitiuus aboris,
Circa deſertum iam ſua rura colit.

Moſes accipit vxorem filiam Iethro ſacerdotis Madian, nomine Sephoram.

Nata ſacerdotis Iethro, de Madianitis,
Sephora ſit coniux Moſi ſub palmite vitis,
Iurat, & inſcribit, quod remanebit ibi.
Tempore pòſt modico Regis lux vltima venit,
Ægypti populus nimis eſt infeſtus Hebræis,
Et labor & liuor crebrò recreſcit eis.
Iam dolor in cœlum planctuſq; reſultat eorum,
Reſpicit & Dominus miſerans tormenta ſuorum,
Venit, vt ipſorum ſaluet in orbe forum.
Fœderis antiqui memor eſt, qui ſydera condit,
Quod pepigit, quod iurauit, quod ſæpe ſpopondit,
Per quod & à cœlis auxiliatur eis.
Eſt Abrahã memor, eſt Iſaac memor & populorum
Quos premit Ægyptus nimia feritate laborum,
Tollet & illorum pace ſequente dolum.

¶ *Chronica eiuſdem temporis; vnde dicantur Perſæ, & quare.*

ANno ab Adam 3615; à diluuio 886; anno à diuiſione linguarum 785; anno Imperij Aſſyriorum 525, apparuit Dominus Moſi in rubo ardente. Eodem tempore Perſeus à Græcia in Aſiam, nauibus tranſuectus, barbaras gentes domuit, easq; nomine ſuo Perſas vocauit; & ab eo dicti ſunt Perſæ; à Perſis autem dictum eſt regnum Perſarum.

Prima apparitio Domini ad Moſen, in rubro ardente.

Dum Moſes minaret oues hinc inde vagantes,
Aſpicit hinc ardere rubum flamma crepitante,
Fronde tamen viridis eſt, velut antè fuit.
Vado videre rubum, dixit, mirabile ſignum,
Ardet, & illæſum iam permanet vndiq; lignum,
Hæc Deus ipſe gerit, viſio grandis erit.
Ardet & incaſſum, quia non cadit ignibus aſſum,
Vox ait ex alto; Moſes, Moſes: ait, adſum;
Iſte locus ſacer eſt. ſta citò, ſige pedes.
Calceolos depone tuos. pedibusq; reſolue:
Et virgam quam ferre ſoles per paſcua, tolle,
Hæc loquor ipſe Deus: tu puer eſto meus.
Territus hinc Moſes faciem velamine celat,
Fortior efficitur tandem, faciemq; reuelat,
Magnus enim timor eſt, viſio maior erat.
Dicit ei Dominus; Abrahæ Dominus Deus adſum,
En populum dignoſco meum diſcrimina paſſum,
Deſcendi, veni, quàm citò liber erit.
Vade, voca populum, populiq; voca ſeniores,
Dic, quia iam venit miſeris auferre dolores,
Puniet Ægyptum qua mala tanta fouet.
Ille refert; Domine, quis ſum cui tanta reuelas?
Traulus ego lingua, non eſt mihi digna loquela,
Quomodo tanta feram, qui modo nullus eram.
Dicit ei Dominus; Ego ſum Deus ille creator,
Et muti ſurdiq; Deus verus fabricator,
Vade, nihil timeas, te vocat iſte labor.
Tũc Moſes Domino; Precor, hæc mihi iuſſa remitte,
Quem miſſurus eras ſaluator ab æthere mitte,
Ille poteſt populum ſoluere iure tuum.
Tunc velut iratus loquitur Deus; Eſt tibi frater,
Ore loquax Aaron, ipſum tibi iunge loquacem,
Hic quacunq; placet dicere nulla tacet.
Ille tibi populo liquido ſermone loquatur,

Te secreta Dei cœlestia nosse paratur,
Te mea mandata mystica ferre datur.
Montis Oreb locus est, vbi plebs mea sacrificabit;
Sed penitus prius Ægyptum plebs expoliabit,
Hoc in monte mihi sacrificanda dabit.
Regna Pherezæi, Iebusæi, seu Chananæi,
Atq; Philistæi, populis trademus Hebræis,
Lacte & melle fluunt quæ tribuemus eis.
Iam cuncti quia defuncti tibi sunt inimici,
Nil timeas, constanter eas mea dextera vincet,
Te quoq; victorem, dextera summa fouet.
Nec subitò populus dimittitur à Pharaone,
Ni prius affligam terrore meo regionem,
Quæ lachrymas populi perditione mouet.
Dicit ei Moses; fuerit si quæstio mota,
Quis Deus est, quod nomẽ habet, quæ sint sua vota,
Dic mihi quid referam? tu Deus ista nota.
Dic; Ego sum qui sum; Dominus præcelsus eorum;
Nouit Abraham, dilexit Isaac, Saluator auorum,
Israël & Ioseph, Nephtalin & Manassen.
Quid si signa petent, Moses ait? exprime signa,
Dicit ei Dominus, facies miracula digna,
Proiice tu baculum quem geris ipse manu.
Proiecit, coluberq; fuit, morsumq; minatur;
Ille timet; Deus ipse iubet cauda capiatur,
Quumq; manu capitur, qui fuit est baculus.
Rursus ait; cognosce magis, iam signa videbis,
Tolle manum, submitte sinu, clausamq; tenebis,
Intulit & tenuit, factaq; lepra fuit.
Alba nimis leprosa manus, dum tota videtur,
In proprium reuocare sinum puer ipse iubetur,
Dum tenet hanc gremio, fit manus apta caro.

Moses & Aaron annunciant filiis Israël, apparuisse Dominum in rubo & venisse.

Doctus abit Moses; Aaron occurrit eunti,
Ecce venit Dominus dicunt populo pereunti;
Monstrant signa Dei plebs bona credit eis.

Sephora vxor Mosi circuncidit filium suum cultro petrino.

Incircuncisum portabat Sephora natum,
Cui Deus iratus puerum mactare minatur,
Petrino gladio tunc caro secta datur.
Vt legimus, primus gladius fuit ille petrinus,
Quo puerum circuncisum per tempora scimus,
Non legitur cultrum petra dedisse prius.

Stetit Moses coram Pharaone.

Stant Moses & Aaron pariter coram Pharaone,
Virga Dei monstratur ei, saliente dracone,
Hæc vbi signa fouent, credere dicta monent.
Philosophi regis alios finxêre dracones,
Virga tamen Domini reliquos citò deuorat ore,
Durior est lapide rex, neq; iussa tenet.
Rursus ait Dominus: Sic dicite vos Pharaoni,
Dimittat populum, quia si dimittere nolit,
Verbera percipiet dignus & ipse mori.
In proprio primogenito lædam Pharaonem,
Lædit vt ipse meum, patietur & ipse dolorem,
Israël Hebræus filius ipse meus.

De prima plaga Ægypti.

Plaga fuit prima, dum sanguine Nilus abundat,
Vndiq; sanguinibus fons, sanguine riuus inundat,
Fons vbicunq; tumet, sanguinitate rubet.
Philosophi regis eadem sunt fingere nisi,
Quos Deus elisit confictaq; carmina risit,
Dæmonibus Dominus prævalet absq; nisi.
Dum sitit Ægyptus grauis est angustia rerum,
Effodiunt puteos & aquas fodiendo tulerunt,
Omnis homo queritur, nec mala ferre queunt.
Plebs ait intra se; iam cernimus esse necesse,
Rex petat expresse quod sanguinis vltio cesset,
Et pro gente Dei iam moderetur ei.
Post mandata Dei magis affliguntur Ebræi,
Vnde sibi nocuisse putant verbum Mosei,
Et quasi morte rei sæpe loquuntur ei.
Nos facitis fœtere magis coram Pharaone;
Plus patimur, plus conterimur, crescente labore;
Israël opprimitur, turba repressa dolet.

Secunda plaga Ægypti.

Altera ranarum fuit vltio magna nouarum,
Quot quot vbiq; palus peperit, quot riuus aquarum,
Omnibus in domibus non nocuêre parum.
Tunc super omnia vascula plurima rana resedit,
Omnia fercula, cuncta cibaria, rana comedit,
Inq; thorum regis deteriora dedit.
Philosophi ranas etiam finxêre madentes,
Rana tamen Mosi magis affligebat edentes,
Spondet ei Pharao quòd sibi reddet eos.
Israël ignorat, neq; sentit pondera ranæ,
In terra Gersen nullo sunt tempore plagæ,
Tardius & mane singula lata manent.

Tertia plaga Ægypti.

Tertia plaga venit, cyniphes implent regiones,
Morsibus innumeris agitant hinc inde dolores,
Omnia perstimulant, omnia læsa dolent.
Philosophi nequeunt cyniphes per carmina ferre,
Vndiq; per cyniphes vrgentur & intima terræ,
Nec modò philosophi sunt sine clade sui.

Quarta plaga Ægypti.

Inclyta muscarum magnarum copia venit,
Vltio quarta fuit, thalamo cum rege comedit,
Cuncta per Ægyptum vascula plena dedit.

Quinta plaga Ægypti.

Vltio quinta venit; perit omne pecus regionis,
Percutitur, moritur, plaga veniente furoris,
In domibus periit deperiitq; foris.
In terra Gersen animalia plena fuerunt,
Rex citus explorat si sic foret ordine verum,
Legati verum rege dolente ferunt.

Sexta plaga Ægypti.

Omnia corpora vulnerat, vlcerat, vltio sexta,
Aulaq; regia vulnere perdita funera præstat,
Vlcera philosophi tunc habuêre sui.

Septima plaga Ægypti.

Septima plaga venit, cũ grandine sulphur & ignis,
Vastatis vehementer agris & ab arbore lignis,
Depereunt pecudes, bos, equus atq; greges.
Israël in Gersen manet integer, atq; superstes,
Omnis ouis regionis obit, sua sunt sine peste,
Largius ipse Deus protegit, auget eum.

Tota per Ægyptum gens clamitat ad Pharaonem;
Præcipe quod populus discedat ab hac regione;
Ecce simul morimur, respice, plaga monet.

Octaua plaga Ægypti.

Plaga fit octaua nimia veniente locusta,
Ventus adest calidus, tota regione perusta,
Omne quod explorat densa locusta vorat.
Quicquid erat reliquum præmisso grādine natum,
Dum venit ad fructum bruco veniente voratur,
Israël in Gersen gaudia plena tenet.
Omnibus in plagis quas dextera summa patrauit,
Rex magis atq; magis requiē cum fraude rogauit,
Cras populus; cras, cras, egredietur ait.

Nona plaga Ægypti.

Vltio densarum iam nona venit tenebrarum,
Per loca terrarum neq; sol neq; sydus earum
Fulget, vt aspicerent lumina forte parum.
Extitit illa tribus regio tenebrosa diebus,
Defuit his Phœbus tenebrantibus vndiq; rebus,
Terra tamen Gersen vndiq; lumen habet.
Rex ait ad Mosen & Aaron: Si vultis, abite,
Et vestro libate Deo, citiusq; redite,
Fœmina cum pueris stent pecudesq; domi.
Alter ait: Cognosce magis, Deus omnia quæret,
Quæret oues, armenta, boues, pueros, mulieres,
Omne decus patriæ plebs abeundo feret.
Deniq; nescimus quantum vel quomodo simus,
Quod munus, quod opus, quid sacrificare velimus,
Omnia vult Dominus clausa tenere sinu.
A facie nostra Pharao discedite dicit,
Cerno quòd Ægypto facitis mala vos inimici,
Amodo nulla Dei dicta referte mihi.

¶ Chronica illius temporis vnde dicuntur Danai, & quare.

ANno ab Adam, ter millesimo sexcentesimo trigesimo; anno à diuisione linguarum octingentesimoprimo; anno ab imperio Nini, regis Assyriorum, quingentesimo trigesimoquinto; Danaus quinquaginta parricidia vna nocte inter filios fratrum suorum peregit. Vnde post commissa scelera confugit ad Argos. Vbi à Sthenelao, Argiuorū rege humanè susceptus, postea eundem regem à regno infideliter expulit, & ipse pro eo regnauit. Ab illo autem Danao, Græci hodie Danai vocantur, & ipsius Danai perfidia sunt notati. Vnde in prouerbiis dicitur; *Timeo Danaos & dona ferentes.* Eodem tempore facta est decima plaga Ægypti, sicut in hoc loco versibus continetur.

Decima plaga Ægypti.

Plaga venit decima, loquitur Deus ipse deorum,
Finis adest horum, decima veniente laborum,
En faciam signum grande per omne solum.
Omnis in Ægypto primogenitus morietur,
A primogenito regis dolor incipietur,
Omnis homo genitum perdet, & omne pecus.
Per medios feriendo lares ibit paranymphus,
Percutiet primogenitos quos reperit intus,
Prorsus Hebræa domus nescict illud onus.
Signa tamen secum populus retinebit Hebræus,
In quibus esse meus noscatur homo Pharisæus,
Interea q; reus, viuat vbiq; meus.
Signa dabit sanguis hœdi morientis & agni,
Quo iubeo tangi postes habitantis & vngi,
Vt domus a plagis salua sit illa magis.
Ille sit anniculus, maculis incognitus agnus,
Assus, & à populo totus properando vorandus,
Qualiter hunc comedent regula nostra docet.
Subcincti lumbis sandalia vestra feretis,
Gestantes baculos, agnum propere comedetis,
Azyma, lactucas, tunc comedenda puta.

Allegoria de pascha Domini, & de agno asso.

Est etenim phase, Domini sit transitus iste,
Nescio quid loquimur, edissere mystica Christe,
Vt valeat populus mystica nosse tuus.
Agnus erat Christus, gemino de germine dictus,
Assus, id est passus, moriendo Deus crucifixus,
Assat & hunc populus, dum crucifigit eum.
Ipse caret maculis, quia mundi crimina tollit,
Sanguine nos redimit, quia nos moriendo resoluit,
Frontibus inducit sanguine signa crucis.
Os agni non comminui iubeo, Deus inquit,
In cruce dira Dei legimus non fracta relinqui,
Tunc quoq; mors agni vita redempta fuit.
Ægyptus fuit infernus, quo carcere tentus
Extrahitur populus, agno mediante redemptus,
Tunc sine fermento viuere iussit eos.
Azyma, pura fides, & mens bene munda notatur,
Zabulus & Pharao tunc in mare præcipitatur,
Eripitur populus, vincit vbiq; Deus.

Omne primogenitum Ægypti occiditur ab angelo percutiente.

Sanguine dum postes mandaret & ostia tingi,
Agnus adest assus veluti præceperat igni,
Vltio dena reis venit, & ira Dei.
Omne supradictum Deus vno perficit ictu,
Rex prius inuictus, nunc victus, vbiq; relictus,
Omne protogenitum perdit in orbe suo.
In medio noctis signato limine postis,
Ecce Deus fortis pertransit, & angelus hostis
Percutit in gladio, verbere, Marte suo.
Primitus interimit primogenitum Pharaonis,
Inde ferit reliquos vbicunq; manent regionis,
Percutit omne domi, mactat & omne foris.

Pharao dimittit Israël ab Ægypto.

Hac nece sortita, rex obtulit vltrò petita,
Vrget & inuitat, discedat vt Israëlita,
Ne pereant vita, ne moriantur ita.
Dum Deus hos cedit gens prorsus Hebræa recedit,
Mutuò vasa petit, populus præstanter obedit,
Omne decus regni gens tremefacta dedit.
Israël eijcitur, Ægyptus & expoliatur,
Azyma conficitur quod ab hinc properādo feratur,
Inclyta lætitia plebs euntis erat.

Quot

Quot annis permanſit Iſraël in Ægypto.

Ductus in Ægyptũ populus quem carmine pango,
Bis centum triginta duos ibi manſerat annos,
Tempore quo venit, ſorte ferente redit.
Millia ſexcenta tunc ſub Pharaone retenta,
Dicimus exempta, Domini virtute redempta,
Exceptis pueris fœmineiſq; ſuis.

De rege Italiæ Pico, de Danao rege Græcorũ, & de prima ficu, de primo caule, de prima oliua, & de aliis rebus mirabilibus.

Tunc erat Italicus ſapiens rex nomine Picus,
Regnat apud Græcos Danaus, primæuaq; ficus,
Nunc ſit apud Danaos, caulis apud Siculos.
Iuppiter ecce ſuas muris cingebat Athenas,
Succedit Cecrops rex, fingens idola ſcena,
Tunc prior in Creta creuit oliua ferax.
Tunc & Prometheus, qui filius eſt Atlantis,
Dat ſtatuas hominis humano more meantes,
Et quaſi viuentis heris imago fuit.
Promethei primus factus fuit annulus arte,
Quem iubet ex illa manuum conſiſtere parte,
Qua meritò dignus nomen habet medicus.
Ille quidem digitus, ſub quadam traduce vena,
Reſpicit ad cordis loculum, qua gemma ſerena,
Quod virtutis habet cordis in ima ferat.
Annulus ex ferro, primus fuit ad medicinam
Corporis humani ferro prohibente ruinam,
Quum neq; per neruos damna venire ſinat.
Menſuras reliquis ſub eodem tempore Ceres
Inſtituit, ſegeteſq; dedit ſub falce iacere,
Triticeos cumulos curribus arte ferens.

¶ *Chronica.*

ANno ab Adam, 3690, à diluuio 960, anno à diuiſione linguarum, 859, anno ab imperio Nini, regis Aſſyriorum, quingenteſimo nonageſimoquinto, regnante apud Aſſyrios Scatite rege, apud Sicyonios, Maratho rege, & apud Argiuos rege Triopha; Moſes vir Dei, decem antea plagis Ægypto percuſſa, eduxit Iſraël de ſeruitute liberatum, ſicut his verſibus continetur.

Armatus egreſſus eſt Iſraël de Ægypto.

Iſraël armatus dimittitur à Pharaone,
Exuit à tenebris laterum ceſſante labore,
Triſtior Ægyptus depopulata dolet.
Armatura Dei mirabilis adfuit illis,
Nube diem claudit, nocturnaq; lucidat igni,
Dux Deus ipſe viæ nocte ſit atq; die.

Pharao perſequitur Iſraëlem, in curribus & in equis.

Per loca deſerti, rubri maris arua ſequentes,
Retrò vident gentes Pharaonis ſigna ferentes,
Attoniti populi, turba refert Moyſi.
Heu per deſertum populum cur perdere vultis?
Nónne erat Ægyptus variis ſuſſulta ſepulchris?
Dum pateremur ibi diximus iſta tibi.
Ecce Deus noſter (Moſes ait) opprimet hoſtes,
Si veniunt poſt vos currus Pharaonis vt obſtent,
Congaudete magis, iam morientur, ait.

Iſraël tranſit mare rubrum.

Vox ait ad Moſen, quid clamas territus ad me?
Iam virga mare tange tua, tranſite per amnem,
Vt via ſit populis per mare ſicca tuis.
Vir tangit, maris vnda fugit, via ſicca pateſcit,
Stãt quaſi murus aquæ, virgã maris vnda timeſcit,
Tranſit ad hinc populus, tranſit & omne pecus.
Mane, viæ dum forte patent, Pharaone vidente,
Inſiliunt equites, veſtigia prima ſequentes,
Totaq; gens regis curribus arma vehit.
Per medias dum miles aquas iam pergere tendit,
Ira Dei ſuccedit ei, meritumq; rependit,
Et iubet vt Moſi virga feratur aquis.
Tange maris fluxus iungantur vt vndiq; fluctus,
Fiat in Ægypto per ſecula plurima luctus,
Rex cum gente ſua, crimina morte luat.

Submergitur Pharao in mari rubro.

Fluctibus æquoreis ſubmerſa manus Pharaonis,
Intulit Ægypto gemitum ſine fine doloris,
Corpora ſubmerſa protulit vnda foris.
Prælia ſopita dum conſpicit Iſraelita,
Cernit inaudita, fit et gens mortua vita,
Plebs benè ſortita ſaluare manſit ita.

De aqua Amaren in deſerto, vbi caſtrametati ſunt primo loco in deſerto.

Gloria cantatur Domino, feſtum celebratur,
Dirigitur populus, via per deſerta paratur,
Nunc ad aquas Amaren caſtra beata manent.
Aſt at eis aqua clara ſatis, ſed prorſus amara,
Turba bibit, magis inde ſitit, magis optat auara,
Plus populi clamant, plusq; ſitire parant.
Ipſe Deus ſigno Moſi iubet ordine digno,
Tangat aquas ligno, fiantq; ſapore benigno,
Tangit, & ecce venit copia dulcis aquæ.

Iſraël caſtrametatur in Elim, vbi ſunt duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ.

Nunc abeunt, nihil inueniunt, deſerta ſubintrant,
Conſpiciunt palmas in Helim, quaſi ſeptuaginta,
Palma nitet pratis prata rigantur aquis.
Pomis dactylicis, campiſq; fruuntur amœnis,
Irrigui cernuntur ibi fontes duodeni,
Laſſus & eſuriens Iſraëlita venit.
Tranſit Helim, deſertaq; Sin, ceſſante farina
Eſuriunt, metuuntq; famis veniente ruina,
Clamant, ne populum morte perire ſinat.
Cur Deus aut Moſes nos in deſerta vocauit?
Vt quid in Ægypto non nos Deus ipſe necauit?
Cur modò nos Moſes huc moriendo trahit?
Quando ſedebamus ſuper ollas carne refertas,
Quaſpeciem Cereris regio ditiſſima præſtat,
Tunc potuit ſaturos ipſe necare ſuos.

Tempora funesta Mosi seductio præstat,
Per loca deserta, tantum tumulatio restat,
Ecce fame morimur, dum sine pane sumus.
Iam Moses & Aaron, dum iurgia ferre nequirent,
Tunc aiunt populo; Requiescat spiritus iræ,
Plebs bona vade sile, nos miseramur idem.
Quid sumus ante Deũ? nihil est hic nostra potestas;
Ad Dominum deferte preces, Deus omnia præstat,
Pane potest populos hic satiare suos.
Voce Deus Mosi, populis iurgantibus, inquit,
Iam populi timuêre mei sine pane relinqui,
Amodo de cœlo pane cibabis eos.
Vespere iam carne ventrem satiabis inanem,
Angelicum panem sumetis ab æthere mane,
Vnde satis comedet plebs caritura fame.

De coturnicibus & manna de cœlo super Israël.

Iussit, & australis volitat numerosa coturnix,
In mediis castris, capitur densissima turmis,
Manéq; de cœlis vndiq; manna dedit.
Manna iacet, specie res assimilanda pruinæ,
Gustus erat similæ vel mixtæ melle farinæ;
Inde satis comedunt, iurgia cuncta silent.
Dum comedit plebs manna Dei latissima festo,
Exclamant, manahu? quod dicimus esse, quid est (hoc?
Amana hu, manna, litera nostra notat.

Quo ordine & qua mensura manna comedebat Israël.

Ordine mansura populis erat esca futura,
Nec sine mensura Deus hanc disponere curat,
Nam fuit ambobus fratribus iste modus.
Cuiq; viro mensura datur non amplius vna,
Hanc homo quotidie manducet & ordine sumat,
Hac & in Hebraico dicitur esse gomor.
Dupla, die sexta, datur hæc mensura requiri,
Sabbatha nam celebrant, neq; tunc licet illud adiri,
Id non computruit quod retinetur ibi.
Si qua dies alia plus iusto manna recludit,
Vndiq; computruit, vermesq; putredo refudit,
Iste modus manne, materiesq; fuit.
Manna quaterdenis annis durauit Hebræis,
Hic cibus in cœnis ita sufficiebat egenis,
Ne foret esuriens aut famelicus eis.

Cuius formæ vel coloris fuerit manna, & cuius saporis.

Manna, quasi cæli ros, album mane resedit,
Ast vbi Sol venit liquefactum prorsus ademit,
Rursus & esca Dei mane refulsit ei.
Præcipitur Moses in vase recondere manna,
Idq; reseruari Dominus per secula mandat,
Vt videant homines quos modò mundus habet,
De templo Domini Titus cum Vespasiano,
Manna tulit Domini, Petrus tenet in Laterano,
Fabula non agitur, Chronica vera cano.
Ille cibus Domini tantum durauit Hebræis,
Donec ab Ægypto iam iura vident Chananæi,
Amodo quæ cupiunt terra ministrat eis.

Percussit Moses silicem, & egressa est aqua in Raphidin.

Dum foret in Raphidin, aqua tunc defecit alumnis,
Vir perit atq; pecus, nisi flumina det sitibundis,
Plebs male constrata, da pater (inquit) aquas.
Nonne vides quia nulla quies restat pereundi,
Accelera, ne gens pereat, da flumina cunctis,
Per loca sicca magis cur peritura trahis?
Vt quid ab Ægypto populus seductus abiuit,
Nonne fuit melius per pascua viuere Nili,
Ecce siti morimur, potus abundat ibi.
Ira mouet Mosen, populi iurgante caterua,
Quid clamatis (ait) gens aspera, turba proterua?
Quid tibi posse meum? credite posse Deum.
Tunc ait ad Dominum; videor quasi iam lapidari,
Oro, Deus, iubeas vestigia nostra rigari,
Qui populo dederas peruia sicca mari.
Vox ait ad Mosen: Propera, procede parumper,
Ecce tuus baculus de saxo flumina rumpet,
Plebs mea tota satis iam satietur aquis.
Dũ petra percutitur, mox flumina magna videntur,
Grex simul & populus pariter potare iubentur,
Congaudentq; satis dum recreantur aquis.

Iosue pugnabat cum Amalech, & Moses orabat.

Pugnaturus adest Amalech princeps Chananæus,
Sub duce nunc Iosue populus pugnabit Hebræus,
Bella videt Moses, quem iuuat ipse Deus.
Erectis sursum manibus dum stat Moseus,
Vincit & exsuperat, victorq; videtur Hebræus,
Depositis manibus, fit fugiendo reus.
Rursus vt erigitur diuina manus Mosei,
Israël exsuperat, sed deficiunt Chananæi,
Taliter obtinuit prælia, turba Dei.
Hur & Aaron, tenuêre manus sursum Mosei,
Et lapidi cui terga tulit vir stando resedit,
Sic grauitas manuum nulla nocua dedit.
Quumq; suas partes Mosi facit optio fortes,
Solis in occasum Iosue iam percutit hostes,
Arma tulit mane, victor vbiq; manens.

Quod tempore Iosue Troia cœpit ædificari.

Temporibus Iosue, surgunt noua mœnia Troia,
Dardanus & Troius Iouis ambo semine pollent,
Hi duo Troiana mœnia prima parant,
Fratribus iis binis noua Troia creatur ab imis,
Vndiq; sublimis sit turribus insita primis,
Militia populis plena superba nimis.
Tempora si regum gentilia commemoramus,
Atrius in Græcis iam tunc regnasse putatur,
Faunus in Italia tunc dominator erat.

¶ *Chronica illius temporis quando data est lex in monte Sinai, qualiter tunc originem habuit regnum Amazonum.*

ANno ab Adam, 4005, à diluuio 1265, anno à diuisione linguarum 1164, anno imperij Nini regis Assyriorum 800: data est lex Mosi in monte Sinai. Eodem tempore ortæ sunt mulieres, quæ vocantur Amazones, tali occasione sicut hîc subscribimus.

Qui-

Quidam Rex Ægypti nomine Veſor, indixit bellum contra gentes, quas tunc vocabant Scythas, à Scythia regione. vbi Scythæ ſuper ipſum regem Veſorem triumphauerunt, & totam Ægyptum cum maiori parte Aſiæ obtinuerunt. Tunc duo regij iuuenes à Scythia expulſi, Plinus ſcilicet & Scolopeius, cum ingenti multitudine, in Ponto & Cappadocia conſederunt. Vbi dum vicinas prouincias depopulantur, ipſi omnes per inſidias occiſi ſunt: quorum omnium vxores, exilio ſimul & viduitate permotæ, repletæ audacia, & fœmineæ fragilitatis oblitæ, maſculos ſuos qui ſuperuixerant, occidunt, & arma occiſorum ſuorum accipiunt, & patriam defendunt. Semel in anno à vicinis ſuis coitum ſumebant, filios maſculos necabant, fœminas verò ſeruabant, dextras mammillas ferro vrebant, ne arcũ in præliis impedirent. Vnde vocatæ ſunt Amazones, id eſt abſque mammilla. Mazon enim mammilla interpretatur. His dictis, ad hiſtoriam Hebræorum contemporaneam verſificè reuertamur.

Lex Domini datur Moſi in monte Sinai.

De Raphidin, montis Sinai confinia quærit,
Lex Domini manibus Moſi mandatur haberi,
Scripta Dei digito fertur & ore Dei.
Imperat, vt montem nec homo, nec beſtia tangat,
Ne moriantur, ait; Moſes ea fortiter angat,
Ante Deum voueant veſte venire noua.
Montis enim Sinai loca non ſunt tangere digni,
Nec licet attingi quæ ſpiritus ambiit ignt,
Solus erit Moſes cui modò ſancta patent.
Quadraginta dies ſub nube fuit Moſeus,
Tunc didicit quæ poſt docuit populum Phariſæum,
Solus & abſq; cibo perſtitit ante Deum.
Scripſerat in lapide legalia iura creator,
Cumq; tulit tabulas de montis culmine lator,
Conflatum vitulum repperit arte datum.
Stat Deus iratus populo, mortemq; minatur,
Confractis tabulis Moſes pro pace precatur,
Vixq; ſuis precibus viuere turba datur.
Parce precor, parce Deus, iram deſuper arce,
Diceret Ægyptus quòd eos ſeduxeris arte,
Vt ſimul innocuos plaga necaret eos.
Hac prece placatus Deus ipſe reconciliatur,
Lexq; reformatur, gens territa lætificatur,
Deſtruitur vitulus, parcit adiſta Deus.

De conſtructione tabernaculi Domini per Moſem.

Cum populis habitare Deus pro tempore venit,
Venit vt inſtruat, ordinet omnia dogmate cœli,
Vnde tabernacli forma paratur ei.
Ordine quo fieret, voluit de lege doceri,
Vt valeant inibi Domini reſponſa mereri,
Aula ſacerdotis ſacrificantis erit.
Spontaneas vult primitias ibi ſanctificari,
Vult aurum Deus, argentum iubet asq; parari,
Gemmarum ſpecies ligna Cethina ferent.
Coccus bis tinctus, ſeu purpura, ſiue hyacinthus,
Byſſus, & omne genus lapidum, foris ornat & intus,
Fit quoq; lampadibus balſamus aut oleum.
Pelle hyacinthina ſacra tecta teguntur ad ima,
Pelliculis rubricatis ſunt tegmina prima,
Thura thymiamata ſuauis odoris erant.
Annulus & tabulæ, paxillus, vectis & arca,
Vaſa tabernacli Moſi ſunt dogmate parta,
Porticus adiicitur, ſanctaq; vela ſimul.
Onychini lapides gemmarum fulgida forma,
Sacra ſacerdotum ſatis ornamenta perornant,
His non altare, non humerale caret.
Propoſitos panes, menſam, candelabra, vectes,
Lumina ſic holocauſta parant altaria veſtes,
Ante tabernaculum propitiatorium.
Ænea craticula qua tunc holocauſta locabant,
Cortinas atrij funesq; baſesq; parabant,
Labrum cortina victima multa gerit.
Seruabant veſtes veſtibula ſancta virorum,
Iura ſacerdotum qui lege merentur eorum,
Quiq; vices Aaron obſequiumq; colunt.
Artifices operum Deus inſtruit atq; laborum,
Sculpere ſculptilia, ſpecies variare colorum,
Intus & exterius glorificare chorum.
Beſelehel fuit ille faber de ſemine Iudæ,
Aurea qui didicit facili diſponere cude,
Et lapidum varios mirificare modos.

Filij Leui portant menſam Domini & arcam.

Ara Dei, vel menſa Dei, ſeu vaſa vel arca,
Progenie Leui portantur nomine Cahat,
Sic geſtator eat ne ſacra tangat ea.
Hæc ſacra nanq; Dei nulli tangunt Phariſæi,
Tactor enim moritur, ſed Aaron frater Moſei,
Iure ſacerdotum tangit & aſtat ei.

Filij Gerſen portant columnas & baſes & capitella & claues.

Lora tabernaculi capitellaq; ſiue columnas,
Et claues, pariterq; baſes, & cætera cuncta,
Progenies Gerſen lege iubente feret.

Præcepit Dominus à caſtris eiici omne quod eſt immundum.

Omne quod immundum per caſtra videtur haberi,
Imperat à caſtris Dominus prorſus remoueri,
Nec populo ſpecies amodo ſordis erit.

Murmurauit populus, & multi ex eis ab igne vorati ſunt.

More ſuo linguis populus dat probra malignis,
Suppliciis dignis quoſdam cito deuorat ignis,
Cætera pars timuit, conticuitq; ſibi.

Maria ſoror Moſi, leproſa facta eſt.

Plebs ait ad Moſen; cibus hic iam nauſeat ore,
Trade cibos carnis, ſolito nos paſcito more,
Optat in Ægypto ſe modo turba fore.

Postulat à Domino Moses quosdam seniores,
Qui modò clamores portent pariterq; labores,
Murmur enim populi iurgia multa mouet.
Hac prece de patribus statuit Deus ipse prophetas,
Edere iudicia quæ causa petebat & ætas,
Tollere quæ secat lex, ratioq; vetat.
Vnde soror Mosi legitur dixisse Maria;
*Non Mosi tantùm, sed & istius gloria * fuit,*
Nec Mosi soli sunt modò verba poli.
Motus ob ista Deus, vlciscitur in muliere,
Mox elephantiæ facit illam peste liquere,
Pellitur à castris, digna flagella ferens.
Septima facta dies, Mosi bonitate precante,
Viscera restaurat, caro munda resurgit vt antè,
Vltio digna fuit, lingua superba luit.

Nauseantibus eis manna, venit coturnix.

Dum peterent carnes quia mannæ nauseat esca,
Ecce coturnicum Dominus quasi flumina præstat,
In mediis castris esca volabat eis.
Tollere præcipitur quantum valet ordine vesci,
Ferre modum nescit populus, nam plura capessit,
Sed caro seruata vermibus esca natat.
Ira Dei mandatur eis dans fulgura dignis,
Millia bis dena, ter milleq; deuorat ignis,
Hæc vbi plaga venit cætera turba tremit.

Dicit Dominus ad Iosue; noster es, an aduersariorum?

Dum speculatores præmitteret in regiones,
Terretur populus bellorum ferre labores,
Rursus in Ægyptum iam remeare volens.
Motus ob ista Deus, populum mactare minatur,
Ne pereant homines Moses lachrymando precatur,
Qua prece de cœlis gratia parcit eis.

Aperta est terra, & deglutiuit Dathan & Abiron, cum centum quinquaginta senioribus sequacibus eorum, & cũ vxoribus & filiis, omniq; substantia eorum.

Lis erat in populo, contentio per seniores,
Solus Aaron quia thura Deo referebat odore;
Ante tabernaculum iurgia multa mouent.
Bis centum quinquageni fuerant seniores,
Iura sacerdotum præsumentes & honores,
In quibus ira Dei sæua flagella mouet.
Dathan & Abiron, præfataq; turba virorum,
Dum dare thura volũt præsente manu populorum,
Terra vorauit eos obtinuitq; solum.
Deuorat infernus viuum cœtum seniorum,
Vxores, natosq; suos, famulosq; suorum,
Altus erat saltus, exitijq; forum.

Murmurauit populus, & percussit è cœlo Dominus, quatuordecim millia & quadringentos.

Murmurat ex more plebs improba, digna dolore,
Commouet à superis Deus æthera, plena furore,
Copia conteritur turba caduca dolet.
Millia bissena, bis mille, quater quoq; centum,
Trecentosq; viros legimus tunc morte retentos,
Cætera plebs timuit quæ sine clade fuit.

Virga Aaron floruit & protulit frondes & nuces in tabernaculo coram Domino.

Curat Aaron, ne murmure plus populus moriatur,
Et petit vt signum Domino perhibente feratur,
Cui magis ante Deum ponere thura datur.
Constituunt virgas totidem quot sunt seniores,
Vt Deus ostendat quis dignior extet honore,
Cui simul incenso gratia danda foret.
Arida virga nuces Aaron cum fronde reportat,
Nullaq; de reliquis miracula virgula monstrat,
Iura sacerdotis florida virga tulit.

Filij Leui portant vasa tabernaculi, & cortinas, & accipiunt decimas, & dant de suis decimis decimas.

Vasa tabernaculi seruat generatio Leui,
Picta colore leui, sacra cortinalia neuit,
Obsequium Domino nocte dieq; dedit.
Suscipit & decimas de fructibus vndique terræ,
Vnde solet decimas decimarum ritè referre,
Omnia Leuita tunc decimabat ita.

Murmurante populo in deserto Sin, dedit eis Moses aquam de petra.

In deserto Sin fluuio potuq; carentes
Dũ sitiunt, dum iam pereunt, clamant vehementer,
Iurgia dant Mosi probraq; multa animis.
Vox ait ad Mosen; sitientes collige turmas,
Percute tu lapidem, fluuiales iam dabit vndas,
Iuit, & asciuit, est aqua, turba bibit.
Increpat inde Deus Aaron simul & Moseum,
Quod quasi morte reũ populum tueantur Hebræũ,
Quorum duritiæ pessima turbat eum.
Tunc iurauit eis; plebs quæ modo iurgia quærit,
Regna repromissa nulla ratione videbit,
Imò suis meritis hìc moritura perit.
Tu quoque dux populi, vel Aaron, non ingredieris,
Per loca deserti peregrina sepulchra mereris,
Hìc cum fratre tuo tu moriturus eris.
Vestibus exuitur Aaron virtute superna,
Filius Eleazar vestitur veste paterna,
Vnde sacerdotis nomen onusq; tulit.
Mox vbi nudatur Aaron, infata vocatur,
Et cadit exanimis, defunctus ad hoc tumulatur,
In deserto Sin, sic meruisse datur.

Murmurante populo multi ex eis à serpentibus deuorati sunt.

Murmure crescente populi, Dominumq; mouente,
Vndique serpentes nimia ferit ate furentes,
Agmina multa vorant prorsus & absque mora.

Asina loquuta est ad Balaham prophetam.

Rex

Rex vbi castra Dei Balac vidit agmina læta,
Vt maledicat eis Balaham iubet ire prophetam,
Angelus athleta stans maledicta vetat.
Pergere dum properat Balaham vectatus asella,
Vrget & instimulat, stans bestia fixa rebellat,
Et loquitur domino verba timenda suo;
Cædere me noli, tibi seruio prompta labori,
Respice signa poli, caueas obstare furori,
Ense potes Domini percutiente mori.
Erecto capite gladium videt ille minantem,
Si maledicis eis, ait angelus, interimam te,
Si cupias, vade: sed maledicta caue.
Stans super alta senex dum castra beata videret,
Tunc voluit, sed non potuit, maledicta mouere.
Noxia dum voluit ferre benigna tulit.

Chronica illius temporis de regno Argiuorum, & de regno Sicyoniorum, & de morte Mosi.

ANno ab Adam quater milleſimo quadrageſimoſexto; à diluuio, milleſimo ducenteſimo ſexageſimoſexto; anno à diuiſione linguarum, milleſimo centeſimo ſexageſimoquinto; anno imperij Nini regis Aſſyriorum, octingenteſimo quadrageſimoprimo; regnante apud Aſſyrios decimonono rege Amynta; apud Athenienſes verò quarto rege Erichthonio; apud Sicyonios Corace rege decimoſexto; apud Argiuos, decimo rege Danao, mortuus eſt Moſes; & loco eius ſubſtitutus Ieſus, ſiue Ioſue, dux & iudex populi. Et extunc habuit populus Iudices, vſque ad Saul, primum regem Hebræorum. *Cætera de Ioſue metra ſubacta ferent.*

De Ioſue filio Naue ſucceſſore Moſi.

Extremo veniente die vitæ Moſei,
Dux Ioſue famulus Moſi præfertur Hebræis,
Signa triumphantis ſæpe reportat eis.
Montis in arce Nabor ſtetit ante Deum Moſeus
Monſtrat ei Dominus quæcunq; tenet Chananæus,
Omnibus inſpectis addidit iſta Deus;
Sæpe repromiſſam populo nunc proſpice terram,
Hæc ſibi pollicita mea gratia regna reſeruat,
Hanc Abraham petiit, hæc tribuetur ei.
At quia iuſſa Dei tu præteriiſſe videris,
Melliſluam patriam Chanaan non ingredieris,
Hic vbi ſtas morere, iam moriturus eris.
Terra Moab fuit hæc, qua mortuus eſt Moſeus,
Signa ſepulturæ populus non vidit Hebræus,
Neſcio quò corpus tranſtulit ipſe Deus.
Centenos & biſſenos iam vixerat annos,
Cùm legitur Moſes morientibus annumerandus,
Amodo de Ioſue ſcripta legenda patent.

PARTIS QVINTÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS SEXTA.

LIBER IVDICVM.

Ioſue tranſit Iordanem ſicco pede, & omnis Iſraël cum eo.

LIttora Iordanis Ioſue tranſire paratus,
Iuſſit vt arca Dei per fluminis alta feratur,
Dum iubet vt fiat præparat vnda vias,
Vnda fit vt paries, fluuio pro parte tumente,
Altera pars abiit fundo ſicco remanente,
Tranſit vt arca Dei turba ſecundat ei.
Fluminis ex fundo lapides traxit duodenos,
Et totidem poſuit quos abſtulit ex alieno,
Vt ſacra geſta Dei perpetuentur ei.

Venit timor Hebræorum in omnem terram.

Res volat audita, quia tranſiit Iſraëlita,
Vndiq; contigua tremuerunt regna petita,
Regum quiſque timet ne patiatur idem.

Ioſue circuncidit populum poſt tranſitum Iordanis.

Nunc iterum circunciſus narratur Hebræus,
Deniq; plebs obiit quam duxerat huc Moſeus,
Eſtq; nouus populus, quem regit ipſe Deus.
Amodo non manna, ſed fructibus à regione,
Eſca datur populo, vario variante ſapore,
Terraq; melliflua gaudia magna fouet,

Dicit Dominus ad Ioſue: Noſter es, an aduerſariorum?

Dux erat in ſpecula dum regna cupit ſpeculari,
Cui datur à Domino procul aſſiſtente vocari;
Noſter es, aut alius? retulit hic & ait;
Dux ego ſum populi qui flumina calcat Hebræi,
Cui Dominus cœli iam regna dedit Chananæi;
Dixit, & ipſa Dei forma refulſit ei.
Dux bonus expauit, quem tunc Deus ore vocauit,
Pronus adorauit, Deus ipſe ducem releuauit;
Accelera, Iericho iam capietur, ait.

Raab meretrix ſaluat exploratores filiorum Iſraël.

Exploratores dux miſerat in regiones,
Hosq; Raab meretrix, placito ſuſcepit honore,
Mortis ab interitu ſaluat, & arte fouet.
Coccineum pannum, murorum parte tetendit,
In ſignum populo qui nocte dieq; pependit,
Ne qua morte ream plebs ſacra perdat eam.

Arca Domini circunducitur, & cadunt muri Iericho.

Dux iubet vt populus vrbem ſuper arma requirat,
Arca Dei Iericho ter ducta quaterq; regyrat,
Dum ſonuêre tubis, murus ab vrbe ruit.
Irruit vt venit populus, gentemq; peremit,
Sola Raab meretrix ſua ſeq; redempta redemit,
Omne quod in Iericho vixerat, igne perit.
Quicquid habet Iericho mãdat Deus igne cremari,
Vir, pecus, & mulier mandatur vbiq; necari,
Aurea vaſa Deo iuſſerat asq; dari.
Vir fuit in populo tunc mandati violator,
Arguitur furti, iuſſuq; ducis lapidatur,
Ira Dei ſiluit, paxq; reuerſa datur.

Ioſue ſuſpendit regem Egi in prælio.

Rex Egi cum plebe Dei dum bella rependit,
Interiit cum gente ſua, cæſusq; pependit,
Vrbem regalem dux Ioſueus habet.

Terror Hebræorum venit in omnem terram.

Terror Hebræorum loca regna grauat populorum,
Copia bellorum gladiis infertur eorum,
Viribus armorum diripuêre ſolum.
Quæ tenet aruа mare, properant iam bella parare,
Flumine Iordanis veniunt ad prælia mane,
Quotquot ibi reges cisq; citraq; manent.
Obuius extat eis populi moderator Hebræi,
Marte calente Dei cadit omne decus Chananæi.
Omne quod arma vehit ſuppeditatur ei.

Gabaonitæ veniunt ad Ioſue, & decipiunt eum.

Gens Gabaonita, metuens ſuccumbere vitæ,
Horruit audita quæ fecerat Iſraëlita,
Arteq; mentita, ſe, ſua ſaluat ita;
Dirigit ad Ioſue iuuenes hæc verba ferentes;
Reſpice legatos de longinquo venientes,
Iam ſumus attriti corde, labore, ſiti.
Calceolos noſtros fecit via longa vetuſtos,
Sunt veteres vtres, & pallia rupta vetuſta,
In ducis ecce manus omnia noſtra damus.
Fœdere pacifico cupimus petimusq; tueri.
Cum populo Domini iubeas nos ſemper haberi,
Ordine quo petitis (dux pius inquit) erit.
Decipitur populus, quia dum longinqua putatur,
Proxima ſtat Gabaon, ſed pax data non violatur,
Negens fraude ſua falſa tuliſſe luat.
Fraude reuelata, plebs imperat illa beata;
Viuant pace data Gabaon, ſed perpetuata
Ligna ferat populo, ſubdita geſtet aquas.

Sol ſtetit à Gabaon, dum Ioſue pugnaret.

Rex Ebron, & rex Ierimot, & rex Ieruſalem,
Rex Eglon tunc, rexq; Lachis, dum bella pararent,
Caſtra mouent, Ioſue prælia dira dare.
Iſraël in Gabaon certamine reſtitit illis,
Tunc pluit à Domino grando permixta lapillis,
Vulnera de cœlis multiplicantur eis.
Regia ſigna ruunt, populi vexilla ſecuntur,
Percutit in gladio Ioſue, gentes moriuntur,
Vulneribus lapidum corpora plura cadunt.
Sol ſtetit à Gabaon, fulſitq; per æthera ſurſum,
Diſtulit occaſum, negat orbi lunа recurſum,
Dupla fit illa dies, nulla fit enſe quies.
Reges quinque ſimul vna latuêre ſpelunca,
Extrahit hos Ioſue poſt quàm necat agmina cuncta,
In cruce ſuſpenſos vulnere perdit eos.
Tunc regem Magedan & regem percutit Iran,
Et reges Eglon, & regem percutit Edron,
In regno Dahir, vir mulierq; perit.
Omnia montana loca, regna capit mediana,
Et regis Sadoc terram tenet vndique planam,
Et terram Gerſon vſque locum Gabaon.

Iſta ſunt nomina regnorum, quæ inſurgunt contra Ioſue.

Hæc contra populum conſurgunt climata regum,
Rex Iabin, Aſſur, Ioab, Eglon, Seremonq;,
Rex Agaz & rex Chanaan venit ex oriente.
Eſt & ab occiduis gens numeroſa nimis.
Venit Amorrhæus, Iebuſæus, venit Heuæus,
Rexq; Phereſæus, Cethæus, venit Hethæus.
Ne timeas Ioſue, tunc ait ipſe Deus;
Mox vbi pugnabis Ioſue, reges ſuperabis,
Subneruabis equos, currus (ait) igne cremabis,
Arma tuis populis omnia capta dabis.
Sicut arena maris dum prælia multiplicari
Dux videt, arte pari feſtinat ad arma parari.
Obuia gentilis copia vita cadit,
His citò deletis, Aſſur confinia cepit,
Quæ bene munita, populum ſeſeq; recepit,
Cætera quæ cepit rura, cremanda dedit.
Climata Iordanis, maris omnia littora magni,
Terq; decem reges ſuperat, necat, obtinet, angit,
Regnaq; cunctorum, rex, loca, iura, forum,
Deſine Muſa mea Ioſue taxare trophæa,
Bella gigantea manus inclyta geſſit Hebræa.
Quis numerare queat, quæ ſuperantur ea?

Ioſue moritur, & ſepelitur in monte Ephraim.

Congregat ex more Ioſue ſenior ſeniores,
Regnaq; dinumerat Domini ſortita fauore,
Scripta manu Moſi perpetuanda monet.
Innumeris caſis populis terraq; tyrannis,
Vndecies vixiſſe decem Ioſue datur annis,
Monte ſit Ephraim tumba paranda ſibi.

Iudas iudicat Iſraël poſt mortem Ioſue.

Dum cadit in fatum Ioſue, Iudas moderatur,
Suſcipit archatum populi, iudexq; creatur.

Hoſtibus

Hostibus ingeritur, pugnat in omne latus.
Percutit australem patriam, facit esse ingalem,
Marte Phereseum regem capit in Ierusalem,
Vndique Marte calet, victor vbique valet.
Sæpe creat sibi turma duces, quibus arma tuetur,
Sæpe reos coluêre deos, plerunq; merentur
Pondera peccati sæua flagella pati.
Gentiles coluêre deos, tetigere puellas;
Idola dum celebrant, gentilia vota reseruant,
Astaroth atque Bahal idola gentis erant.

Reliquit Dominus quinque satrapas Philistinorum, vt experiretur in eis Israël.

Quinque Philistæos satrapas Deus & Chananæos
Seruat, vt indomitos per eos castiget Hebræos,
Sic stimulabat eos dum coluêre deos.
Bella Phereseus vel Heuæus seu Chananæus,
Sic & Amorrhæus, Sydonius & Iebuseus,
Intulit in populum, sic iubet ipse Deus.
Tot mala tentantem plebem pro crimine tandem,
Rex Mesopotamiæ bello superauit eandem,
Octoq; plebs annis subdita seruit ei.

¶ Chronica.

ANno ab Adam quater milleſimo quinquageſimoſexto: à diluuio, milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto: à diuiſione linguarum milleſimo centeſimo ſeptuageſimoquinto; Anno imperij Nini regis Aſſyriorum, octingenteſimo quinquageſimo quinto: regnante apud Aſſyrios vigeſimoſecundo rege Lamphere; Tunc Cadmus Græcas literas ſedecim fecit; Apollo etiam cytharam condidit, & artem medicinalem inuenit. Eo tempore orti ſunt Theologi, qui de diis falſis carmina compoſuerunt, vt Orpheus, Muſæus, Linus: tunc etiam finitum eſt regnũ Argiuorum, & tranſlatum ad Medos, vnde fuit Agamemnon frater Menelai, mariti Helenæ, quæ rapta à Paride poſtea fuit. Eo tempore erat Othoniel Iudex in Iſraël, quemadmodum verſibus explicamus.

Othoniel iudicat Iſraël, & eripit eos de ſeruitute Syriæ.

Iſraël arctatus, Dominum pro pace precatur,
Vir probus Othoniel, iudex in plebe creatur,
Cuius ab officiis pax reparatur eis.
Eripit Othoniel populum, sub rege Syrorum,
Pacis Hebræorum locus est, finisq; dolorum,
Vnde per omne solum libera rura colunt.

Iſraël ſeruit regi Eglon Moabitæ per duodecim annos, propter peccata ſua.

Dum quadragenus cum pace reuoluitur annus,
Othoniel moritur, iudex ad prælia magnus,
Dedita dæmoniis plebs citò lapſa fuit.
Idola quæſita rursus colit Iſraëlita,
Tradit eos Dominus sub Eglon regem Moabitam,
Plebs licet inuita subdita seruit ita.
Annis terdenis plebs improba seruare sedit,
Auxilium Domini populo peccante recedit,
Innumeros gemitus turba coacta dedit.
Iam satis attritis parcit Deus Iſraëlitis,
Quos pius & mitis citò liberat à Moabitis,
Tempora pacifica turba caduca sitit.

Aoth ambidexter iudicat Iſraël, & liberat eos de ſeruitute Moab.

Surgit Aoth dux in populo, qui saluet Hebræos,
Pugnat vtraq; manu gladio turbat Chananæos,
Interimitq; Moab, qui cruciabat eos.
Portat Aoth sua dona Moab, rex dona ferentem,
Suscipit in thalamum solus solum venientem,
Qui citò transfixum corde peremit eum.
Ostia cuncta domus clausit prius, intus & extra,
Per loca posterius patula salit ipse fenestra,
Et redit incolumis, rex moriendo luit,
Deficiente Moab, cum rege cadunt Moabitæ,
Omnia vincit Aoth, regnant satis Iſraëlitæ,
Succumbunt gentes in regione sitæ.
Pax fuit in populo tunc octoginta per annos,
Saluat Aoth patriam, pellitq; sub ense tyrannos,
Sorte ferente Dei tumba paratur ei.

Sangar iudicat Iſraël, & liberat à ſeruitute, vbi quingentos viros vno vomere interfecit.

Erigitur Sangar, iudex recolendus Hebræis,
Fitq; Philistæis cunctisq; timendus Heuæis;
Quingentos equites vomere mactat eis.

Debora mulier prophetes iudicat Iſraël, quum eſſet in ſeruitute regis Iabin, & ducis eius Siſaram.

Post obitum Sangar peccasse leguntur Hebræi,
Plebs datur in manibus regis Iabin Chananæi,
Iudicioq; Dei subdita seruit ei.
More suo Dominus lachrymas vidit miserorum,
In torrente Ciſon hostes deleuit eorum,
Interimit Siſaram, sustulit omne forum.
Dux regis Iabin Siſaram fit, nomine cuius
Non gentes bene falcatos dat in agmine currus,
Annis bis denis plebs ea seruit eis.

¶ Chronica.

ANno ab Adam 4061, à diluuio 2081, anno à diuiſione linguarum 1180, anno imperij Nini regis Aſſyriorum 860, temporibus Deborę prophetiſſæ, ortum eſt in Italia regnum Laurentum (id eſt Sabinorũ) ſub Iano primo rege Italiæ. Cui ſucceſſit Saturnus, à filio ſuo Ioue illuc profugus. Deinde Picus rex, filius Saturni, qui cognominatus eſt Stercos, pro eo Ψ

ipse primus agros stercorauit. Post quem regnauit Faunus,& post eum Latinus; cuius mater nomine Carmentis,nympha,literas Latinas inuenit. Latinus autem publicauit eas,& authorizauit.

Sisaram dux regis Iabin victus fugit ad ostium tabernaculi Domini, sub pallio fœminæ absconsus,quæ transfixit eum per tempora,& ibidem mortuus est.

Debora tunc mulier legitur vixisse prophetes,
Iudicis officio dum regit ordine plebes,
Sub palma quadam fœmina sola sedens.
Illa virum Barach, Domino mandante,vocauit,
Et iubet vt populum disponat ad arma parari,
Neptalim & Manasses arma parabit, ait.
Sic in monte Thabor iubet agmina sancta locari,
Promittens Sisaram cum gente sua superari,
Omne decus Iabin,imperiq; sui.
Ante virum Barach Sisaram certamine plexus,
Et profugus latitans mulieris veste retectus,
Tempore transfixum fœmina perdit eum.
His ita destructis Domini virtute tyrannis,
Pace bona quadragenis populus manet annis,
Vota refert Domino turba redempta suo,

Traditur populus in seruitutem, & liberat eum Dominus per Gedeonem.

Pax annis quadragenis quia venit Hebræis,
Rursus iussa Dei male despiciunt Pharisæi,
Et quasi sæpe reis pœna resurgit eis.
Sub Madianitas tradit Deus Israëlitas,
Prælia mortifera veniunt grauius repetita,
Octo gemens annis plebs ea seruit ita.
Dux oritur Gedeon, cuius decet acta notari,
Subditus est Domino, Dominus iubet arma parari,
Dimicat in Madian,rex ab honore cadit.
Qui stando potauit aquas,ad bella vocatur,
Quiq; iacendo bibit, Deus imperat abnciatur,
Tercentum iuuenes stare bibendo videt.
Nec tamen hi pauci certaminis arma tulêre,
Ardentes ad bella faces buccinasq; dederunt,
Sicq; triumphantes plena trophæa ferunt.
Salmana,cum Zebee,tunc in bello ceciderunt,
Tunc quadragenis annis cum pace fuerunt,
Temporibus Gedeon regna quieta regunt.
Vxores de more fouens Gedeon adamauit,
Septuaginta quidem natos Gedeon generauit,
Copia natorum prælia dira trahit.

Abimelech filius Gedeonis iudicat Israël.

Natus ab ancilla fuit Abimelech Gedeonis,
Iudicat hic patriam, loca, iura tenens regionis,
Iudicium populi cum feritate colit.
Germanos necat ille suos supra memoratos,
Ipseq; post pauca rex a muliere necatur,
Dum iaciens lapidem vulnerat illa caput.
Vulnere dum moritur,seruum rogat vt iuguletur,
Ne tantum dominum mulier mactasse putetur,
Néve suum perdat regia fama decus.

De eodem Abimelech, filio Gedeonis spurio.

Viribus Abimelech Domini moderamine fractis
Et tribus in populis annis cum pace peractis,
In populo Tholam culmine summus erat.

Post Tholam succedit Iahir,& iudicat Israël.

Tholam bis denis annis sua fata peregit,
Successit Iahir iudex,populumq; subegit,
Hic annis totidem regna paterna regit.
Ter denos natos Iahir genuisse putatur,
Quos asinis numero parili vectasse notatur,
Totaq; tunc populi turba fauebat eis.

Thola iudicat Israël.

Tempore quo Thola iudex in patribus extat,
Vicerat Antheum manus Herculis arte palæstra,
Et Troianorum vastat in orbe solum.
Nunc regnat Laomedon, aries fert velleris aurum
Theseus indomitum pugna perimit Minotaurum,
Quis Minotaurus erat, sub breuitate feram.
Natus reginæ fuerat,seruiq; coquinæ.
Semper amans crimen fuit hic,actorq; ruinæ,
Tempora pacifica nulla manere sinens.
Eius erant gesta, ludos agitare palæstra.
Actaq; funesta tribuit sua iura molesta,
Moreq; carnificis sæuus atroxq; fuit.
Aurea Troianis dum vellera protulit agnus,
Fama per omnia climata prodita, prodidit agnum,
Inuidia Siculus Iason ademit eum.
Nunc Agamemnoni sit Græcia subdita soli,
Atreus hunc genuit,quem regem diximus olim,
Tollit apud Siculos vndique iura soli,
Italicum legimus nunc regna tenere Latinum,
Tuscia thura deis legitur nunc edere primùm,
Vnde satis latè nomina Tusca patent.

Thola iudicat Israël,& Latina litera & lingua fit in Italia.

Dum iudex Thola fit in Israël ille propheta,
Lingua Latina venit,fit litera dante poëta,
Verba loqui Græca iam noua lingua vetat.
Sola per Italiam fuerat tunc litera Græca,
Gramma nouum tribuit Latius rex atq; poëta,
Tullia rhetorica,limat & atra vetat.

Traditur populus in seruitutem Amon, quem tandem liberat iudex eius Iepte.

Dum moritur Iahir iudex populi Pharisæi,
Spernunt iussa Dei,similes fiunt Chananæis,
Astarot & Baalim thurificantur eis.
A Domino traduntur Amon simul Israëlitæ.
Ter quoq; sex annis dominantur eis Amonitæ,
Et reliqui regum sæua flagella ferunt.
Clamor in excelsis lachrymæ gemitusq; frequentes
Cum prece placatum reuocant Dominũ miserentẽ,
Missaq; de cœlis pax reparatur eis.
Erigitur Iepthe iudex patria Galadites.

Terri-

Terribilis, fortis, qui naſcitur ex meretrice,
Illeq; fert populi cum probitate vicem.
Interfecit Amon regem, ſuperans Amonitas,
Reſtituit legem Domini, fouet Iſraëlitas,
Sex annis populum ſaluat & auget ita.

Abeſſam fit iudex in Iſraël.

Nunc venit Abeſſam iudex, vir Bethlehemita,
Paceq; ſortita ſaluat bene regna petita,
Omnia defendens in regione ſita.
Terdenos natos datur Abeſſam genuiſſe,
Et totidem numero natas pulchras habuiſſe,
Annis ſeptenis iura paterna regit.

Angela iudicat Iſraël.

Venit & Angelan iudex, tutor regionis,
Hic legitur genitus de ſorte tribus Zabulonis,
Poſt annos denos fertur & ipſe mori.

Abdon iudicat Iſraël.

Nunc veniens Abdon, cunctis moderatur Hebræis,
Filius eſt Helbæ, contrarius eſt Chananæis,
Annis octo Dei terra fauebat ei.
Iſte quaterdenos proprio de ſemine natos,
Protulit, & recipit per eos totidem generatos,
Quos aſinis totidem ducere ſæpe ſolent.

¶ Chronica illius temporis, de rege Troianorum Laomedonte, & de Agamemnone rege Græcorum, & de Samſone fortiſſimo, & Hercule.

ANno ab Adam 4080, à diluuio 1300. anno à diuiſione linguarum 1201. anno imperij Nini regis Aſſyriorum 877. rapta eſt Helena à Troianis: vnde Troia decem annis obſeſſa perit. Menelaus Helenam vxorem recepit. Æneas profugus, ingreſſus Italiam, Latini regis filiam Lauiniam vxorem accepit: de qua reges Albanorum, & poſtea Romanorum originem habuerunt. Reges etiam Frãcorum, ſiue Franconum, id eſt Teutonicorum, ab eiſdem Troianis, per aliam lineam originem trahunt: ſicut in ſequentibus ſuo loco plenius (autore Deo) dicemus, quum de cauſis Romanorum tractabimus. Samſon autem & Hercules ſub tempore Troianorum, pares ætate & fortitudine fuiſſe dicuntur, qui etiã ambo fraude fœminea perierunt. Samſon per Dalilam vxorem ſuam, opio potatus, & raſus, cæcatus eſt à Philiſtæis: Hercules verò per Deianiram vxorẽ ſuam tunica toxicata indutus, tanquam cera ad ignem dicitur liquefactus. hoc autem ei fecit vxor ad vindictam, pro eo quòd ipſe adamauerit puellã venuſtiſſimam nomine Hialam. Seruus autem miſſus ei ab vxore cum prædicta tunica, vocabatur Lyca. Eo tempore, terra quæ hodie dicitur Italia, vocabatur Græcia maior. Notandum eſt, quòd Æneas Troiam dicitur prodidiſſe, & ipſe necromanticus fuit, vxoremq; ſuam diis immolauit, nomine Creuſam, filiam Priami, matrem Aſcanij. tempore deſtructionis Troiæ, regnũ Laurentum, id eſt Sabinorũ, ceſſit in Latium, regnante Latino Syluio, iudicãte Hebræos Samſone. Tunc erãt aurea ſecula, ſine turbatione bellorũ, ſub planeta Saturno. Sed Romanorum inchoante regno, venerunt tempora bellicoſa, & ferrea ætas. Nunc ad Hebraicã hiſtoriam reuertẽtes, geſta Samſonis ſuppoſitis verſib. largius explicemus.

Samſon fortis iudicat Iſraël, & liberat eum à ſeruitute Philiſtinorum.

Rurſus apud Dominum grauiter peccant Phariſæi,
Vnde Philiſtæis populi traduntur Hebræi,
Temporibus longis ſuppeditantur eis.
Turba quater iam paſſa decem defleuerat annos,
Quum fortis Samſon oritur, vir robore magnus,
Filius eſt Manuhe, corde manuq; potens.
Ille Philiſtæos affligentes Phariſæos,
Sæpe iubente Deo fertur ſuperaſſe trophæo,
More giganteo Marte retundit eos.
Pugno Samſonem legimus mactaſſe leonem,
Cuius & ipſe fauum mellis ſuſcepit ab ore,
Mortua dum ſicca beſtia tota foret.
Ille Philiſtæam quæ tunc erat in regione,
Suſcipit vxorem, patre non præbente fauorem,
Illud enim Moyſi lex inhibere ſolet.
Terq; decem numero legitur mactaſſe virorum,
Ex Aſcalona, ſpoliumq; recepit eorum.
Vxoriq; ſuæ detulit ante thorum.
Vulpibus inuentis tercentum, tempore venti,
Ignibus accenſis caudas ligat, arte retentis,
Concremat & ſegetes quas inimicus habet.
Arboribus, domibus, pariter cum meſſe crematis,
Vinetis deuaſtatis, vel ab igne voratis,
Damna vident populi magna, dolentq; ſatis.
Terra Philiſtina, montana q; parte marina,
Vndique feſtinant tantam punire ruinam.
Vxor & ipſe pater perditur, ipſe latet.
Sub petra latitabat Ethan, coguntur Hebræi
Reddere Samſonem, quia damna dedit Chananæis,
Quæritur in petra, ſicq; loquuntur ei;
Nónne Philiſtæi penitus dominantur Hebræis?
Cur dominis inferre tuis non damna vereris?
Reddere te volumus, quod crucieris eis.
*Ille * differt necem, patiarq; ligari,*
Me vinctum deferte virum poſthac cruciari,
Munda manus veſtra ſic remanebit, ait.
Samſon vt arripitur, populo plectente ligatur,
Funibus arctatur, deducitur vt perimatur,
In mediis campis hoſtibus ipſe datur.
Viribus arguitis, citò proſpicit ille ſaluti,
Vincula nexa cuti leuiter validiſſima rupit,
Mandibulas aſini vidit, eas q; tulit.
Oſſe Philiſtinos populos mactans aſinino,

Plus quàm mille viros occidit in agmine primo,
Nec fuit omnino corde leone minor.
Quum labor exigeret iuuenem pugnando sitire,
Postulat à Domino fluuium quemcunque venire,
Quo reparat vires dummodo pugna silet.
Vt satiet ventrem satis inuocat omnipotentem,
Ex asini dente recipit fontem venientem,
Vir sedit atque bibit, sic recreatur ibi.

Samson portat super humeros suos portas vrbis Gazæ.

Ingreditur Gazam dum cum meretrice moratur,
Porta suburbana pessundatur atque seratur,
Insidiæ latitant perdat vt ipse caput.
In medio noctis vir tollit limina postis,
Et cum poste simul sublatis vndique portis,
Portat eas tergo montis ad alta suo.

Dalila vxor Samsonis insidiatur viro.

Suscipit vxorem Samson, cui Dalila nomen,
Dalila Samsonem superauit & abstulit omen,
Nata dolis mulier semper iniqua fouet.
Munere corrupta nouiter stans Dalila nupta,
Dum videt in lucta iuuenem certamine ducta,
Plurima blandita verba ferebat ita;
Non decet vxores (ait) ignorare maritos,
Ne variis animis vexentur amore petito,
Conscia mens maneat prorsus vtrinq; citò.
Qua virtute viros tantos tua dextera vicit,
Vnde sit hæc virtus, ego nescio, Dalila dicit,
Indicet vxori mens tua (quæso) mihi.
Rettulit hic; Si neruicis me fortè ligares,
Funibus euinctum me viribus ipsa probares,
Et virtute parem me tibi fortè dares.
Præparat insidias mulier pro morte latenter,
Vincula disrumpit Samson, connexa potenter,
Vinctus vt euadit qui latet hostis abit.

Querela lethalis Dalilæ, qua vir eius Samson deceptus & excæcatus fuit.

Dalila suspecta thalamo de nocte recepta,
Quærere non cessans, iterum meditatur inepta;
Vrget vt illa magis, vir simulator, ait:
Fune nouo triplici, si fortia membra ligentur,
Prorsus vt alterius hominis connexa tenentur,
Dicta probans mulier, vincula rupta videt.
Ordine subtili mulier prostrata cubili,
Quomodo vinciri valeat, blandita requirit,
Dictaq; sortiri fertur abore viri.
Si crines capitis septem filo loqueabis,
Et clauo retinente solo filum religabis,
Viscera debilia victaq; membra dabis.
Mox vbi tantillos filis ligat illa capillos,
Nexaq; paxillo ponit, vir diripit illos,
Victa dolosa dolo concidit illa solo.
Importuna tamen mulier non desinit, ausa
Quærere quæ lateat sub eodem robore causa,
Orat & irrepit, nocte dieq; petit.
Gutta cauat lapidem, mulier blandita maritum,
Frangit & inuitum fera pessima fraude petitum,
Arte capit dirum fœmina blanda virum.
Exprimit ei vera Samson quæ pectore celat,*
Et sine cautela mens infatuata reuelat,
Viribus vt careat qui modò fortis erat.
Dicit ei: Nazaræi seruantur Hebræi,
Radere cæsarium spernunt omnes Pharisæi,
Hæc de lege Dei iussa parantur eis.
Robur inesse meis tribuit natura capillis,
Quæ citò deficiet si forcipe tondear illis,
Tunc similis puero viribus (inquit) ero.
Hic vbi respondit, mulier responsa recondit,
Pocula dat opij, dormit vir, fœmina tondet,
Euocat insidias, quæ prius intus erant.
Arte soporatus capitur, manibusq; ligatur,
Lumine priuatur, deducitur, expoliatur,
Eiicituq; foras, volnat vt ipse molas.

Samson deiicit aulam & templum dei Dagon, vbi moritur ipse, cum omnibus Philistæis.

Scribitur, in Gaza tunc aula fuisse rotunda,
Sarcina cuius erat media stante columna,*
Gensq; Philistæa sæpe resedit ea.
Quumq; recreuissent Samsone molente capilli,
Gaudia festiua reparant communiter illi,
Et simul ante Dagon prandia magna colunt.
Sic vbi conueniunt tria millia fortè virorum,
Vxores pueriq; simul, famuliq; suorum,
Idola fana colunt, præbet & esca forum.
Ludere Samsonem princeps iubet ante Dagonem,
Astaroth & Bahalim multo venerantur honore.
Saltat eis cæcus, statq; columna secus.
Gens erat immunda, medio fuit alta columna,
Hanc vbi pessundat Samson, cadit aula rotunda,
Vnde cadente domo, concidit omnis homo.
Hos vbi deleuit, plebs sacra redempta quieuit,
Annis viginti iudex prius ille resedit,
Iudiciumq; Dei lege fauente dedit.

Chronica illius temporis, de Hippocrate, & de Pelope rege Græcorum, & de Italo rege Italiæ, & de Hercule atque Samsone, & de prima galea in Sicilia visa super Pharum.

Dũ moritur Samson Hippocras viget orbe superstes,
Cutus ab antidotis tollunt medicamina pestes,
Attamen in medicis primus Apollo fuit.
Græcia tunc Pelopem Danai de semine regem,
Sumpsit & accepto ab Athenis sub Ioue legem,
Italus Italiæ rex, modò regna reget.
Vna fuit quondam Samsonis & Herculis ætas,
Formaq; consimilis Varrone canente poëta,
Sors mala fœmineæ, fraudis vtrunq; necat.
Vna fuit virtus, & gesta coæua duobus,
Fertur & ambobus vnum fore corpore robur,
Dissimilis regio, dissimilisq; locus.
Condita Carthago tunc à Didone putatur,
Æmula Romanis quæ pòst inimica paratur,
Prælia dum quærit sub Scipione perit.

Tunc

Tunc Siculo coniuncta Pharo fit prima carina,
Et super æquora prælia regia sunt modo prima,
Tunc agilis Siculis prima galea fuit.

¶ Chronica illius temporis de regno Sicyoniorum, & de aliis causis.

ANno ab Adam 4279, à diluuio 1375, à diuisione linguarum 1274, anno imperij Assyriorum millesimo, rege vigesimo nono, Oneo imperante apud Assyrios; Rege etiam Athenien sium quarto Mesanto, regnante in Latio Ænea Syluio, filio Posthumi Faunij, filij Lauiniæ: Eli sacerdote iudicante Israël, regnum Sicyoniorum defecit, quod octingentis annis vel amplius durauerat.

De Heli sacerdote Domini in Silo, & de origine Samuelis.

Iura sacerdotum Domini dum possidet Heli,
Helcana de Ramatha pater efficitur Samueli,
Anna prius sterilis fit pia mater ei.
Vouerat hunc Domino materq; paterq; fidelis,
Traditus est Heli, placet obsequium Samuelis,
Seq; puer Domino nocte dieq; dedit.
Fertur & in Silo tunc fœderis arca fuisse,
Cuius ad obsequium Samuel puer editus ipse,
Ante Deum sabaoth veste nitebat ephod.

De duobus filiis Heli sacerdotis, sacrilegio luxuriaque deditissimis.

Tunc natos habuisse duos datur ille sacerdos,
Ordine presbyteros, auidos, luxuq; proteruos;
Ophni cum Phinees ad scelerosa celer,
Ante domum Domini scortum pepigere latenter,
Victima dum colitur, crudam rapiunt violenter,
Sæpe minus coctos diripuêre cibos.
Propositos panes rapiunt hinc inde frequenter,
Quolibet alueolo carnes rapuêre tridente;
In templo Domini regula nulla fuit.
Presbyter insipiens populum parit insipientem,
Ipseq; lege carens populum dat lege carentem,
Despicitur vita desipientis ita.

Prophetia & visio silent, propter peccata, & Deus parat hostem contra Hebræos.

Ira super populum sceleroſum venit Hebræum,
Vnde Philistæum Dominus vocat, vrget Euæum,
Vt quasi morte reum depopuletur eum.
A facie Domini tunc proiiciuntur Hebræi,
Somnia non veniunt, neq; visio fit Pharisæis.
Fit Deus omnipotens nunc alienus eis.

PARTIS SEXTÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS SEPTIMA.

SAMVEL.

NOcte quiescenti sacra vox loquitur Samueli,
O Samuel, Samuel: vocem puer æstimat Heli,
Prouidus exiliens, concitus astat ei.
Dicit ei senior; non hac ego voce vocaui,
Esse magis Domini vocem, prius ipse notaui;
Vade puer dormi, vade, magister ait.
Terq; quaterq; Dei vox insonuit Samueli,
Et totidem vicibus puer ipse cucurrit ad Heli,
Ignorabat enim quis loqueretur ei.
Dicit ei senior: Si plus hac voce vocaris.
Non venias ad me, respondens ipse, loquaris;
Audio te Domine, præcipe quæso magis.
Voce reuertente, dum sumeret ille soporem,
Sermo Dei rediit, Domini moderatus ab ore,
Dicta senis doctus, nunc puer apta mouet.
Dicit ei Dominus; Verbum loquar, ô puer audi,
Quisquis id audierit tunc vtraq; tinniet auris.
Suscipe, ne timeas dicta referre mea.
Omne malum quodcunq; loquar veniet super Heli,
Nam pueros cohibere suos legemq; tueri
Noluit, a populo nunc abolendus erit.
Ipse ruet, natiq; sui gladio perimentur,
Et populo mea plaga venit, passim morientur,
Qui non corripuit corripietur, ait.
Mane seni sancita Dei puer ipse reuelat,
Clausa tenens audita senex pro tempore celat,
Quippe timor Domini pectore magnus erat.

De plaga Philistinorum, quæ venit in populum Domini, tempore Heli sacerdotis & filiorum eius Ophni & Phinees.

Arma Philistæa dum rura premunt Pharisæa,
Plebs cadit ense rea, gentes habuere trophæa,
Iudicio Domini bella parantur ea,
Millia bis bina de plebe cadunt resupina,
Quam Deus inclinat, dãnat, premit, vrget adima,
Ne mala quæ celebrant amodo stare sinat.
Turba reuersa domum plangit cecidisse colonum,
Miraturq; Deum se non habuisse patronum,
Rursus ad arma volant, bella referre volunt.
Vnde die quarta clamant; Portemus & arcam,
Presbyteros portare duos hanc inde coarctant,

Ophni cum Phinees hanc super arma ferent.
Ad loca bellorum venit omne decus populorum,
Voce, tuba, trumba, clangor resonabat eorum,
Immodicus strepitus concutit omne solum.
Arca Dei prima præcedit & agmina minat,
Terra Philistina timet à reboante ruina,
Vndiq; conuenit, cordeq; fracta gemit.
Quid faciemus, ait? venit Deus ille deorum,
Tutor Hebræorum, deuastator regionum,
Venit & arca Dei, nemo resistet ei.
Attamen ô satrapæ, fortesq; resistite gentes;
Cordeq; surgentes gladiis exponite mentes,
Ob peccata sui plebs ea sæpe ruit.
Agmine congressi pugnant certamine plexi,
Arca Dei cecidit, populus dans terga recessit,
Et duo presbyteri primò necantur ibi.
Terdecies millena cadunt paucisq; relictis,
Arca Dei capitur, populis in sanguine victis,
Ducitur ante Dagon arca Dei sabaoth.

Arca Domini capta est à Philistæis, & posita ante deum Dagon, & vir quidam venit de prælio nuntiare hæc sacerdoti Heli.

Vir pereunte tribu remanens sub sanguine viuus,
Vulnere passiuus, currendo redit fugitiuus,
Aspersus cinere gesta caduca refert.
Ante fores templi tunc sede resederat Heli,
Vir miser astat ei, senior per singula quærit.
Quis sit, & vnde venit, quæ noua facta gerit?
Ille refert, misera populi malè prælia parta,
Et natos cecidisse suos, vbi decidit arca,
Omne decus populi prorsus & arca ruit.
Tactus ab introrsum senior cadit ipse retrorsum,
Confracta ceruice cadens frangit quoq; dorsum,
Victa senis vita fata coæquat ita.
Annis centenis minus vno vixerat Heli,
Iura sacerdotum Deus ipse dedit Samueli,
Amodo prospiciam quid facit arca Dei.

De plaga Philistinorum qui tenebant arcam Domini captiuam, & de casu Dagon.

Vrbs erat Azotum famosa, caput regionis,
Qua fuit arca Dei pedibus subiuncta Dagonis,
Quem pro rege poligens Chananæa colit.
Mane Dagon cecidit, releuat gens praua iacentem,
Rursus mane cadit, destruxit & arca cadentem,
Nanq; Dagon capite stat manibusq; carens.
Mittit in vrbe Deus varios per viscera morbos,
Misit eis morbos, dedit ileon, atq; tenasmon,
Natibus egreditur longaon absq; loco.
Anus & ex talis coxa refricante pependit,
Intumuit, crepuit, putruit, mortemq; rependit,
Ista Philistæis intulit arca Dei.
Omnis homo turget, generalis plaga perurget,
Deficiunt turbæ, clamant vehementer in vrbe,
Exeat arca Dei ne moriamur ei.
Tollitur, eiicitur, circumq; per arua refertur,
Inde magis moritur populus sub peste repertus,
Intus & absq; domo, clade necatur homo.
Fertur in Accaron, clamant magis Accaronita,
Tollite vos arcam, discedite, prorsus abite,
Quod sibi vult Dominus, non retinere licet.
Altera plaga Dei patriam vehementer ademit,
Muribus innumeris segetum vastatio venit,
Vir mulierq; gemit, fructus & herba perit.
Conueniunt satrapæ, recolunt hinc inde dolores,
Venit & ariolus necromanticus à regione,
Qualiter arca foret concilianda, monens.
Accipiunt vaccas fœtas, plaustroq; subartant,
Detentis vitulis imponunt desuper arcam,
Vt videat populus quid facit inde Deus.
Si rectas peragrando vias discesserit arca,
Creditur hæc plaga Domini pro vindice parta,
Si cæcus arua capit, non Deus ista facit.
Attamen hinc arcam vacuam dimittere nolunt,
Munera non parca, capsa retinente reponunt,
Nam placare Deum, dona ferendo volunt.
Quot retinent vrbes, totidem fabricantur & ani,
Ex auro mundo fiant vt munere sani,
Et totidem mures constituere fabri.
Procedunt vaccæ vestigia recta sequentes,
Israël aspiciens vidit vaccas venientes,
Prospicit & recipit, gaudet, easq; tulit.
Intus & exterius videt, & considerat arcam,
Absq; sacerdote subitò fit victima vacca.
Confringunt currum, conficiuntq; rogum.
At quia tam temerè, Domini sacra nuda videntur,
Ira mouet Dominum citiusq; perire merentur,
Vnde datur populis inclyta plaga nimis.
De Bethsamitis quos tunc peccasse notauit,
Vna decem decies seniores plaga necauit,
Sed de plebe magis copia damna trahit.
Millia quinquaginta Deus de plebe peremit,
Quumq; videt populus quia tot commotus ademit,
Dixit & ingemuit, quid faciemus ei?
Inde vocant homines habitantes Cariathiarim,
Dicentes, Arcam Domini, misêre Philistim,
Tollite vos arcam, vos teneatis eam.
Gauisiq; senes, cunctiq; Cariathiarinæ,
Suscipiamus eam, dicunt, reuerenter adite,
Suscipit hanc Minadab, vir bonus à Galaad.
Filius Aminadab Eleazar sanctificatur,
Sub quo custode nunc arca Dei teneatur,
Sic requies populo, vitaq; salua datur.
Arca Dei capta quum septem mensibus esset,
Vltio magna Dei dedit hanc remeare necesse,
Quum redit in patriam glorificata suam.
Reddit vota Deo populus de corde sereno,
Proiiciuntq; deos quoscunq; tenent alienos,
Astaroth & Baalim comminuuntur eo.

Populus Israël petit regem à Domino, per Samuelem.

Postulat à Domino populus pro iudice regem,
Qui neq; iusta neget, neq; spernat viuere lege,
Qui sit Hebræorum ius, populumq; regens.
Hæc ita dum quærit, iubet hunc Deus antè doceri,
Quis sit honor regis, quod onus, quis fastus haberi.
Hæc sibi si populus vult, Deus (inquit) erit,

Samuel prænunciat populo omnia iura regis futuri.

Iura dedit Samuel regis relegenda futuri,

Et

Et ſpecies onerum populi, quæ ſunt habituri,
Imputes ipſe ſibi, ſi qua petita luit.
Rex faciet populum regales ducere bigas,
Inſtituens equites præcurrere ſæpe quadrigas,
Atq; tribunales centurioſq; pares.
Regis aratores faciet portare labores,
Eius meſſores eritis feruente calore,
Grana feretis ei, ſæpius ante fores.
Conſtituet fabros qui iugiter arma parabunt,
Inſtituet iuuenes, ſua qui vineta putabunt
Et reliquos homines, qui ſibi ligna dabunt,
Rex vnguentarias veſtras faciet ſibi natas,
Focarias & panificas de more vocatas,
Regis ad obſequium nocte dieq; datas.
Tollet olineta vineta q; rura q; terræ,
Inſolitas operas faciet vos ſæpe referre,
Libera quæ nunc ſunt corpora, regis erunt.
Rex faciet ſegetes pro velle ſuo decimari,
Vina q; veſtra ſibi ſub eadem lege locari,
Atq; ſuis famulis diripienda dari.
Ancillas ſeruosq; tuos rex vndiq; tollet,
Ipſe boues aſinosq; tuos hinc inde reſoluet,
Vt faciant opera quæ iubet ille ſua.
De gregibus veſtris decimas ſub canone tollet,
Iura q; tunc populi, rex in ſua iura reuoluet,
Vos faciet ſeruos poſteritate ſuos.
Omnia præfata de rege, ſcias tibi nata.
Si qua moleſta tibi fuerunt ſub rege parata,
Tu tua facta luas, non ego frango rata.

¶ Chronica.

ANno ab Adam 4389, à diluuio 1210, à diuiſione linguarum 1109. anno imperij Aſſyriorum, 1100, regnante Rege Derzilo apud Aſſyrios; Samuel iudicante Iſraël, Saul factus eſt primus rex Hebræorum, & ex tunc prophetæ & reges fuerunt in Iſraël. Nunc ad hiſtoriam Hebraicam verſificè reuertamur.

Placuerunt populo omnia quæ prædixit Samuel de rege futuro.

Iſraël vt dicit regalia debita fiſci,
Iura placent populo, regem petit & bene gliſcit,
Clamat & in cœlum, poſtulat ante Deum.

Saul cùm paſceret aſinas, electus eſt in regem Iſraël.

Vir de plebe Dei rex erigitur Phariſæis,
Germine Beniamin, vnctus manibus Samuelis,
Saul, paſcens aſinas, formaq; grandis ei.
Ex humero ſurſum præcelſior extat Hebræis,
Filius aſtat ei Ionathas infeſtus Heuæis,
Terra Philiſtæi tota reſiſtit ei.

De rege Amon, qui ab vnoquoque viro Hebræo quærebat tollere oculum dextrum pro tributo.

Rex etiam feruebat Amon ſuper Iſraëlitas,
Nam dextros ab eis oculos vult rex Amonita,
Territus hinc populus ſtat periturus ita.
Prima nouo regi fuit hæc oblata querela,
Dum foret in Galaad, vbi regia iura reuelat,
Planctus ibi populi tunc pereuntis erat.
Rex ſedet iratus, plebs vndiq; tota vocatur,
Vndiq; mandatur, citò vulgus ad arma paratur,
Nemo domi remanet, nemo vocatus abeſt.
Colligit ex populo tria millia mixta virorum,
Ter decies mille peditum inde meliorum,*
Impetus illorum terruit omne ſolum.
Mane ſub aurora, Dominum Saul pronus adorat,
Dum populus Domini feſtinus ad arma laborat,
Victus Amon cecidit, terra peruſta luit.
Laus noua ſit regi, nouus eſt, noua magna peregit,
Hoſtibus extinctis hoſtilia regna ſubegit.
Turba fauet regi, qui noua regna regit.
Saul redit in Galaad, populus victor comitatur,
Rurſus & erigitur, ſolium regni renouatur,
Qui fuit in ſpecie rex, modò cuncta tenet.
Viuat rex, viuat, clamat bona plebs rediuiua,
Tempora paſſiua ſub eo ſunt omnia diua,
Quilibet in patriam glorificatus hiat.

Saul eligit ſibi de populo tria millia virorum.

Electos de plebe viros tria millia regis
Turba dedit, quos tunc cum rege manere coëgit,
Obſequio regis quilibet arma vehit.
Pars in monte Bethel cum rege manere leguntur,
Pars manet in Gabaat, Ionathæ qui voce reguntur,
Cætera pars populi vult habitare domi.

Ionathas facit aſſultum in Philiſtæos ſolus cum armigero ſuo.

Caſtra Philiſtæa quæ demoliuntur Hebræa,
Dum videt in Gabaat Ionathas, capit inde trophæa
Et grauiter perimens expoliauit ea.
Fama volat, Saul & Ionathas ad prælia cincti
Diripiunt, perimunt, fortiſſima caſtra Philiſtin,
Vnde Philiſtæi congrediuntur eis.

Philiſtæi mouent ſuper Iſraël, decem millia curruum, & ſex millia equitum, & peditum non erat numerus.

Ter decies mille currus de gente parantur,
Bis equitum tria millia nunc ad bella vocantur,
Sicut arena maris cætera turba ſalit.
Iſraël vt didicit quia gens furibunda veniret,
Diſtulit exire, ſataguntq; latenter abire,
Vndiq; delituit plebs fugitiua ſilens.
Nunc in ciſternis populus latet atq; cauernis,
Vir cubat in puteis, latebras magis optat auernas,
Quam periturus erat, dum latitare queat.
Agmina ſancta quidem quæ rex adduxerat idem
Delituiſſe videt, fuerant quæ fortia pridem,
Qua pereunte fide Saul metuebat idem.
Sexcenti de plebe viri cum rege manebant,
Qui ſoli pro lege poli tunc arma ferebant,
Solaq; de cœlo ſpes refouebat eos.

In toto Israël non erat gladius, præter gladium Ionathæ & gladium Saul.

Non erat in toto gladius vel lancea regno;
Ferrariúsve faber, nec homo qui portet emendum,
Solus cum Ionatha rex gladiatus erat.
Terra Philistæi ferrum fabricabat Hebræis,
Nec licuit fabricare domi cunctis Pharisæis,
Ne genus armorum fortè daretur eis.
Vomer & ascia, sarcula, rastula, siue ligones,
Furcula, runcula, falx, sica defuit, & pugiones,
Omne genus ferri vendidit hostis eis.

Ionathas solus cum armigero suo percutit Philistæos.

Exiliens Ionathas solo comitante cliente,
Arripiens arcum famulo dum contulit ensem,
Castra Philistæa mane videre meat.
Arduus ille locus, scopulis cum rupe pependit,
Impiger ascendit properans, arcumq; tetendit,
Qua sibi procliuam prospicit arte viam.
Confortat famulum Ionathas, ne fortè timeret,
Dicit ei, gentes poterit Deus has remouere,
Desuper auxilium iam miserando feret.
Ipse Deus signum nobis hac sorte parabit,
Ecce Philistæus si nos homo fortè vocabit,
Vincere nos gentes mox Deus ipse dabit.
Ast homo si dicet; Discedite: prorsus abite,
Hac mihi parco vice, metuens discrimina vitæ,
Sic remeare licet, retrò petamus iter.
Vix manibus pedibusq; viam rapuêre supernam,
Gens vbi prospicit, hos putat exiliisse cauerna,
Voceq; tam leni dicit; Hebræ veni.
Procedit Ionathas famuli feritate sequente,
Prosilit ingentes feriens hinc inde potenter,
Munere dante Dei nemo rebellat ei.
Ipsaq; se gladiis gens plena furore trucidat,
Ipsa sui dum cæsa ruit fit gens homicida,
Gente cadente fera terror & error erat.
Cæcus Hebræorum strepitum persensit eorum,
Quæritur hinc Ionathas, vbi sit dux magnus eorũ,
Et quia defuit hîc, esse putatur ibi.
Castra Philistæi dum cæsa vident Pharisæi,
Arca Dei præfertur eis, comitantur Hebræi,
Mersaq; sanguinibus dextra natabat eis.
Saul facit edictum dicens: Hominem maledictum,
Qui capiat victum, nisi viderit vndiq; victum,
Omne Philistæum nam videt ipse Deus.
Mel fuit in petra, quod longa parauerat ætas,
Plebs tamen abstinuit, Saul rege vetante propheta,
Quippe cibum tangi regia iussa vetant.
Nescierat Ionathas, à rege cibum prohiberi,
Mellis enim modicum virga retinente comedit,
Postq; super gentes plena trophæa dedit.
Sole recumbente, Saul quærit ab omnipotente,
Si iubeat gentem perimi sub nocte sequente,
Sed responsa Dei non modulantur ei.
Rex ait; O populi quisnam maledicta mereri
Non timuit Domini? nulla valet arte tueri,
Si Ionathas fuerit, iam perimendus erit.
Dicit ei Ionathas modicum de melle comedi, (ris,
Nunquid ob hoc moriar? Pater inquit, ob hoc morie-
Consurgens populus, Non ita (dixit) erit.
Ista salus nostra, Ionathæ de munere venit,
Tollamus Ionathan, Deus inde potest misereri,
Saluus erit iuuenis, qui bona tanta gerit.
Abstinuit populus, ne plus modò persequeretur,
Amodo plaga Moab, & Edon, Amonq; sequetur,
Percutiunt hostes longius atq; secus.

Præcepit Dominus Saul, vt occidat regem Amelech, & omnem gentem suam, & omnia pecora sua.

Post victos reges, post plurima prælia læta,
Iussa Dei veniunt regi, referente propheta,
Vade premas Amalech, & noua bella petas.
Indicat & causam quare non prælia pausant,
Temporibus Mosi quia gens Amalech fuit ausa,
Bella referre Deo, Marte peribit eo.
Venit ab Ægypto quondam populus Mosei,
Dextra Dei concessit ei terram Chananæi,
Atque Pherezæi regna parauit ei.
Rex Amalech tunc in Iosue primus fuit hostis,
Et cuneis tulit arma suis contraria nostris,
Vt cadat ergo reus præcipit ecce Deus.

Verba authoris.

Longaminis Domini sententia sæpe moratur,
Digna tamen meritis tandem modulata paratur,
Peccatiq; sui debita quisq; luit.
Si quis enim quærit bene vel male gesta mereri,
Spes bona nulla perit, nec enim sub iudice cœli
Vir bonus immunis nec malus vllus erit.
Longa (Deus dicit) Amalech peccata reuisi;
Nunc regem cum gente sua te cædere misi,
Cædite confisi prorsus & absq; nisi.
Vir, puer & mulier, pereant, animantia terræ,
Omnia quæ viuunt satagas occisa referre,
Rex regioq; sua facta maligna luant.
Iussio sancita completur ab Israëlita,
Rex Amalechita capitur pugna repetita,
Cæsa carent vita multa per arua sita.
Omnia cùm vicit, quæ regis erant inimici,
Saul male deliquit, quia plurima viua reliquit,
Viuus & hic Amalech carcere vinctus adest.
Quem quia non cadit, neq; iussis victor obedit,
Qui vincenda dedit Deus à vincente recedit,
Adfuit & Samuel, missus ab ore Dei,
Dicit ei; mandata Dei spreuisse videris,
Nec regem pecudumve gregem saluasse vererũ,
Iudicio cœli Saul maledictus eris.
Pœnituit Dominum, regem te sede creasse,
Pœnitet ex stipula minimum te glorificasse,
Te melior veniet, qui tua regna reget.
Si non peccasses, regnum tibi perpetuasses,
Nunc alium regem Dominus Deus euocat ad se,
Omnia cui tradet, tu breuitate cades.
Saul ait; Hæc pecora, quæ viua tenere videmus,
Sacrificanda Deo certa statione feremus,
Non ea sunt nobis viua, sed eius erunt.
Absit, ait Samuel; Dominus non dona requirit,
Quærit obediri, non muneris arte potiri,
Pectora non pecora sacrificate viri.
Non holocausta Deus, sed corda fidelia quærit,

Munere

Munere non quærit sed mente fideq; mereri,
Hæc qui dona gerit lege beatus erit.

Saul proiicitur à facie Domini, quia mandatis eius non obediuit.

Saul rogat ante Deum Samuelis voce tueri,
Vt pietate velit Deus ipse sui misereri,
Iratus Samuel, Non ita (dixit) erit.
Rex metuens, chlamydis Samuelis præripit oram,
Et satis implorat, aiens; Pro me pater ora,
Dum trahitur vestis, scinditur absq; mora.
Scissa veste sua, Samuel iratus in ipsum,
Sic ait, Hoc regnum fiet te præside scissum,
Quo scindente peris, tu quoq; scissus eris.

Samuel occidit regem Amalech, propria manu sua.

Arripiens Samuel Amalech, iubet vt moriatur,
Pinguis homo nimium rex, agat, ritè vocatur,
Quem Samuel gladio percutit ex medio.
Post actas cædes, Samuel remeauit ad ædes,
Nec Samuel regem, neq; rex vidit Samuelem,
Amodo Dauidica chronica Musa feret.
A facie Domini Saul tristis mane recedit,
Tristis ad hæc Samuel damnato principe fleuit,
Motus & inde Deus protulit ista seni;
Cur hominem quem destitui tu compatieris,
Iudiciis obstare meis factisq; videris,
Alterius regis cultor & vnctor eris.
Ex pueris Esai Dauid mihi tolle minorem,
Ille mihi placuit, sed ei præstemus honorem.
Vnge citò puerum, nulla sit hora moræ.

¶Chronica.

ANno ab Adam 4413, à diluuio 1255, à diuisione linguarum 1154, anno imperij regum Assyriorum Nini, 1155. apud Assyrios rege Triciade imperante; puer Dauid, pastor ouium, filius Isai Bethlehemitæ, vnctus est à Samuele in regem Israël.

Dauid pastor ouium vngitur puer in regem Israël, manu Samuelis.

Pastor erat pecudum Dauid puer ille fidelis,
Vngitur in regem Domini, manibus Samuelis,
Spiritus ipse Dei continuatur ei.
Saul erat in Gabaa, quem spiritus ille malignus,
Vexat & exagitat, grauiori verbere dignum,
Infert dæmon ei digna flagella Dei.
Quæritur a medicis, qua debeat arte mederi,
Fertur eum citharæ modulamine posse tueri,
Hanc sibi si tulerit, quàm citò mitis erit.
Dum furor ille redit, dum regia viscera lædit,
Subsidium quærit Saul rex Dauid cytharœdi,
Venit & insonuit, mitia membra dedit.
Sæpe furor regis, puero modulante, recessit,
Sæpius accessit, toties puer ægra repressit,
Sic puer & cythara cautio regis erant.
Dum furor & rabies cytharæ reticente citatur,
Cuspide vult puerum transfigere, sed variatur,
Transfixus paries cuspide nanq; patet.
Territus inde puer metuens à rege recedit,
Et velut antè fuit pecudis fit pastor & hœdi,
Debita subsidia cura paterna dedit.

Exercitus Philistinorum cùm Goliath stat contra Israël pugnaturus.

Israël egrediens in valle stetit Terebinthi,
Turba Philistæa, montana, cacumina cinxit,
Prælia iam vetera cœtus vterq; parat.
Exiit à castris Goliath vir corpore fortis,
Spiritus horribilis, populiq; teterrimus hostis.
Acriter armatus circuit omne latus.

Verba authoris.

Arma viri si scire velis bello properantis,
Scire potes, mea Musa docet, quia forma gigantis,
Sex cubitos plenè dimidiumq; tenet.
Grandis erat galea capiti, velut ærea testa,
Æreus & clypeus, ceruicibus altior extat,
Æris ad hæc ocreæ, crura pedesq; fouent.
Ærea lorica pensat sex millia siclos,
Cuspis habet ferri sexcentos pondere siclos,
Litia voluenti grossior hasta fuit.
Arma Philistæi metuunt vehementer Hebræi,
Nec pugil in castris ex omnibus est Pharisæis,
Qui pro lege Dei Marte resistat ei.
Exiit edictum regis, quicunq; Goliam
Vicerit, ille gener regis pro munere fiat,
Rexq; sibi socium sede coæquet eum.

Prævaluit Dauid in Philistæum in funda & lapide.

Venerat ad fratres deferre cibaria Dauid,
Hæc vbi distribuit, dum regia dicta notauit,
Dumq; Philistæos ipse videret, ait;
Arma Philistæi si dextera vincet Hebræi,
Si pugilis caput abstulerim Goliath Chananæi,
Ense cadente reo vis memor esse mei?
Ille refert; Meus esto gener, sociusq; voceris,
Si poteris, sicut loqueris, si dona mereris,
Sed quia tam puer es, quomodo victor eris?
Hic ait; ô Domine, potui mactare leonem,
Vrsi terribilem noui superare furorem,
Cum mihi pascentem tollere vellet ouem.
Vt Deus istarum mihi conterit ora ferarum,
Ne valeant pecudum pertingere membra mearum,
Sic & eum reputat perdere posse parum.
Spiritus immundus de sordibus est oriundus,
Incircunciſus, sed ego deitatis alumnus,
Arbitror immanem vincere marte canem.
Induitur magnis Dauid regalibus armis,
Arma nocent membris gressum prohibentia paruis
Et gladius pueri pendet ineptus humi.
Reiicit arma puer: nam singula reddidit illis,
Collectiq; pera trinis de more lapillis,
In manibus fundam detulit arte suam.
Sic (ait) incedam, sic membra potentia cædam,
Arma viri fœda deitatis munere lædam,
In Domino dirum mortificabo virum.

Terror ineſt populis, neq; ſpes bona defuit illis,
Mirantur puerum paucis bellare lapillis,
Confiduntq; Deum perdere velle reum.
Sic puer in baculo populis ſpectantibus iuit,
Mens ſceleroſa viri puerilia pectora vidit,
Et loquitur puero; Quid facis (inquit) ibi?
Fuſte canem quæris, mea non (ait) arma vereris?
En auibus cœli ſuper æthera proiicieris,
Eſca meis canibus iam moriturus eris.
Alter ait; Confido magis ſuperare ſuperbum,
In Domino bellare volo, verbumq; proteruum
Criminis ingluuies vir maledicte lues.
Euolat ex funda iacientis petra rotunda,
Per medium frontis capiti confixa redundat,
Intima dum cerebri perforat, ille cadit.
Enſe carens Dauid, caput amputat enſe cadentis,
Morsq; ſuæ gentis ſit tunc cito mors morientis,
Nempe Philiſtæi commoriuntur ei.
Gens fugit extemplo, tutore gigante perempto,
Gaudia ſunt populo pueri probitate redempto,
Rexq; ſocer generum lege receptat eum.
Optat eum Ionathas, ſocia regnare ſorore,
Eius & eſt animo nimio connexus amore,
Gliſcit eum ſocium ſemper vbique fore.

Chronica illius temporis de Vlyſſe, & de Diomede, & de aliis mirabilibus.

ANno illo, quo Dauid prævaluit in Philiſtæum, Vlyſſes condidit in finibus Hiſpaniarum ciuitatem Lixabonam. Eodem tempore quædam quaſi incredibilia in Græcia contigiſſe leguntur; videlicet ſocios Diomedis in aues mutatos: quæ etiam aues, ipſo Diomede in Deum translato, circa templum eius, in inſula Diomedea, non procul à monte Gargano ſitum, volitent, aquasq; ibi miniſtrent. Quod dictum Varro poëta (vt dicit Auguſtinus) in tantum probare videtur, vti eædem aues à Græcia venientes, eum tanquam ciuem ſuum viſitent & recognoſcant, aliasq; omnes aues à ſe tanquam alienigenas, diris morſibus omnino repellant. Quod vt facilius credatur, introducit Varro in exemplum illam famoſiſſimam Circen, quæ ſocios Vlyſſis mutauit in beſtias: introducit etiam Arcades, qui tranſnatãdo ſtagnum. leguntur in lupum conuerſi: de quibus addit, quia ſi ipſi humanas carnes non comediſſent, poſt octo annos iterum in humanam formam rediiſſent. Aſſerit item Varro; quendam hominem, nomine Demutum, de ſacrificio Arcadum guſtaſſe, & propter hoc in lupum eſſe mutatum, decimo tamen anno in priſtinam figuram eſſe reuerſum: vnde etiam dicit Varro; deum Arcadũ eſſe deum Lycium nominatum. Græci enim lupum lycum vocant. Quæ omnia vtrum amore deorum ſuorũ confingant, an ludificatione dæmonum vera eſſe putentur, nõ eſt meæ intentionis probare. Auguſtinus tamen dicit, de quodam viro nomine Præſtantio, à filio ipſius Præſtantij ſe audiſſe, quòd venenum in caſeo ſumpſerit; vnde in lecto quaſi dormiens, multis diebus iacuerit: vbi euigilãs, caballum ſe factum eſſe, & annonã ſicut caballus portaſſe ſe, retulit. Narrat & idem Auguſtinus, cùm eſſet in Italia, de quibuſdam mulieribus audiſſe, quæ viatoribus in caſeo dabant diabolica machinamenta, per quæ in iumenta conuerti videbantur: qui peractis operibus ſibi tunc impoſitis, in humanam formam redibant, & mentem rationabilem teſtati ſunt ſe interim habuiſſe. Item de Macario eremita ſcriptum inuenitur, quòd puella à maleficis in equum mutata, & ab amicis ipſi Macario præſentata, non videbatur Macario equa, ſed puella: amicis verò ſuis omnino videbatur iumentum: vbi vir Dei, ad Deum precibus fuſis, & puellam fecit omnibus apparere verè fœminam, & amicorum eius oculos à præſtigiis dæmonum liberatos fecit aſpicere veritatem. Vnde apparet, dæmones humanas mutare formas in beſtias non poſſe, ſed oculos hominũ ſuis machinationibus faſcinare, ita vt aliud ſit corpus, & aliud videatur. vnde Paulus ad Galatas: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit? Nunc ad hiſtoriam Hebraicam verſificè reuertamur.

Iratus Saul dixit, Mihi mille dederunt, & filio Iſai decem millia.

Gente Philiſtæa pereunte reſurgit Hebræa,
Saul vt in vrbe meat, occurrit amœna chorea,
Atque gigantea bella canebat ea.
Mille dabant regi Saul, denaq; millia Dauid,
Motus ob inuidiam rex, cantica tota notauit,
Iratusq; magis ſic furioſus ait;
Mille mihi tribuunt, genero tot mille dederunt,
Non mihi, ſed Dauid, laudis potiora tulerunt,
Nec ſine ſupplicio cantica (dixit) erunt.
Laudibus oblatis, Saul odit opus probitatis,
Et parat ingenerum nocitura pericula gratis,
Protegit hunc Ionathas, compatiturq; ſatis.
Coniugis in thalamo iubet hunc rex nocte necari,
Saluat eum Michol, lectumq; iubet variari,
Sponſa viro vitam conſcia ſaluat ita.
Lignea nam lecto cooperta iacebat imago,
Vi complexa virum tenet hunc regina virago,
Percutitur gladio lignea ficta caro.
Fraus patet, ille fugit, timet illa, paterq; minatur,
Filia tam generum ſic præripuiſſe notatur.

Conſo-

Consocio Ionathas corde fidelis erat.
In patre propositum Ionathas dum sentit iniquum,
Sæpe iuuat socium, plerunq; tuetur amicum,
Cui ferus, impatiens, intulit ista pater;
Vltrò virum rapientis filius es mulieris,
Perdere te quærit, quem semper amore tueris,
Si rex Dauid erit, gloria nostra perit.
Alter ad hæc; Peto parce pater, pax obsecro fiat,
Dum licuit nos eripuit, moriente Goliath,
Fallere nolo fidem tuq; sequaris idem.

Dauid fugit à facie Saul in montana.

Instar erat lapidis cor regis & ira furentis,
Ille docet socium iam tela cauere potentis,
Præmonitus Dauid mane latenter abit.
Fugit ad Achimelech, vbi tunc erat arca sophiæ,
Tollit ibi gladium quem vicerat ipse Goliæ,
Presbyter hunc aluit dispositq; piè.
Fama refert regi, quæ presbyter ille peregit,
Colla sacerdotum nece septuaginta subegit,
Cœtus ibi cecidit, qui loca sancta regit.
In nece tantorum quos assero presbyterorum,
Abiathar solus de stirpe remansit eorum,
Filius Achimelech deseruitq; solum.
Iura sacerdotum tulit exul ab exule Dauid,
Qui montana petens iuuenes sibi consociauit,
Cum quibus exilij longa pericla trahit.
Fama dedit regi generum sub monte latere,
Cuius in excidium properat rex castra mouere,
Circiter insidias aucupis arte gerens.

Dauid abscidit oram chlamydis Saul in antro.

Tunc & ab insidijs circundatus vndiq; Dauid,
Montis ad antra redit, quò diffugiens latitauit,
Ventris ad obsequium rex ibi solus adit.
Ventreq; dum crepitat, dũ ventris ad acta laborat,
Dauid ab interius chlamydis clam sustulit oram,
Nescius egreditur rex, venit ille foras.
Stans procul hinc Dauid, de montis vertice dicit,
Rex, cur persequeris vestigia semper amici,
Lædere te potui, tu quoq; parce mihi.
Vt potuit vestis tua me truncante recidi,
Sic potuit cerebrum me percutiente relidi,
Cùm tua subgladio vita fuisset ibi.
Me quasi vermiculum tanto conamine quæris,
Et pulicem bone rex nimium vexare videris,
Iudicet hæc Dominus, cur mala tanta geris?
Rex conuersus ait: Dauid, charissime fili,
Iustior es socero, tu regno iure potiris,
Ast ego non tribui debita facta tibi.
Pœnitet erroris cessauit & ira furoris,
Te quoq; iam generum studio complector amoris,
Tu peto liuoris stigmata pelle foris.
Nunc fili promitte mihi, cùm regna tenebis,
Quod natos in pace meos dominator habebis,
Huius enim regni tu moderator eris.
Fœdere percusso, rex lætior inde recedit,
Ordine pollicitis Dauid reuerenter obedit,
Rex abit, & genero nulla nociua dedit.

Dauid ingressus nocte tentorium regis Saul, tulit inde cyphum argenteum & lanceam regis.

Noctis in obscuro Dauid socio comitante,
Ingreditur thalamum regis, nullo vigilante,
Et tamen in regem nulla nociua refert.
Vidit aqua plena tunc pocula regis amœna,
Ipse quibus fuerat solitus rex sumere cœnam,
Hastaq; tunc lecto proxima regis erat.
Abstulit illa quidem, sed rex manet integer idem,
Dauid abhinc remeat, quo venerat ordine pridem,
Nec tamen in regem vult violare fidem.
Dauid in arce sedens, clamat, vigilesq; vocauit,
Quid facitis vigiles? Ego sum, cognoscite Dauid,
Non bene seruatis; nec vigilatis, ait.
Ante thorum regis fuimus, sed & inde redimus,
Nec tamen hunc Christum Domini læsisse velimus,
Inde cyphum tulimus, quem modò condo sinu.
Audit & iratus, ait Abner, militiæ dux,
Quis vocat infestus? quid vult? dic quæso, quis es tu?
Quis requiem regis rumpere nocte venit?
Rettulit hic: Pro rege nec hic fuerat tibi cura,
Te duce, te vigili, sua vita fuit peritura,
Sed nec ego vitam perdere quæro suam.
Lanceaiuncta cypho, manet hic, ego tollere nolo,
Hæc puer accipiat, quia montis in arce repono,
Iura mei Domini tollere nulla volo.

De Nabal & Abigail in deserto Carmeli.

Rusticus in patria Carmeli, nomine Nabal,
Diuitiis tunc innumeris quasi fonte natabat,
Nil tamen hospitibus cum pietate dabat.
Grande viri fœnus fuit, & vir fœnore plenus,
Pauper erat Dauid latitans & rebus egenus,
Cui specus hospitium tunc dabat atq; nemus.
Dirigit armigeros, escas sibi quærere Dauid,
Rusticus armigeris alimenta petita negauit,
Probraq; non modica turpiter orsus ait.
Dum redeunt iuuenes animi feritate timentes,
Audit eos Dauid, iratus ad hæc vehementer,
Quicquid habet Nabal igne cremare parat.
Vxor erat Nabal sapiens vultuq; decora,
Illa cibos varios, & dona parare laborat,
Pergit, & insidias præuenit absq; mora.
Munus vt armigeris solertia dat mulieris,
Ipsa viro satagit veniam placando mereri,
Ira cadit iuuenum, Dauid amicus erit.
Dum redit Abigail, mulier formosa fidelis,
Ære, domo, Cerere, multisq; referta camelis,
Febribus interiit fortè maritus ei.
Lege maritali magis hanc Deus ipse beauit,
Deniq; complacuit recipi pro coniuge Dauid,
Sponsa fit Abigail pronuba lege pari.

Dauid habitat in Sicelech, vrbe regis Achis Philistæi.

Vrbs erat in patria Sicelech, de gente Philistim,
Quam Dauid sociisq; suis rex tradidit Achis,
Dauid & Abigail tunc habitauit ibi.

De morte Samuelis in Rama.

Tunc moriens Samuel datur in Rama sepeliri,
Cuius & exequias populus decreuit adiri,
Planxit eum Dauid, consocijq; viri.

Saul & Ionathas & omnes fortes Israël interierunt in monte Gelboë.

Montis Gelboë cum bella gerenda venirent,
Dum properant hinc inde suas confligere vires,
Hostibus inspectis Saul nimis arma timet.
Consuluit Dominum, Dominus responsa negauit,
Fœmina pythonum pythonica fana parauit,
Suscitat & Samuel qui redituus ait;
Quid me sollicitas? cur nosse futura laboras?
Ecce manus Domini, nulla tibi proficit hora,
Tu cum parte tua (rex) cadis absq; mora.
Rursus ei dicit: Domini te dextra reliquit,
Altera pars vicit, nostri perimentur amici,
Cras eritis mecum, desine, parce mihi.
Concidit exanimis rex, omni robore fractus,
Pallidus erigitur, mulieris voce retractus,
Eius & armigeri condoluêre viri.
Fœmina compatiens pueris alimenta parauit,
Et regem licet attonitum, gustare rogauit,
Dum precibus victus gustat, Eamus, ait.
Israël in campis totus quicunq; remansit,
Rege reuertente committere prælia sanxit,
Instructis cuneis cæcus in arma ruit.
Ala Philistæa citò castra repellit Hebræa,
Vincit, & exsuperat, nanciscitur ipsa trophæa,
Plenaq; sanguinibus Marte retundit ea.
Interiit Ionathas, numerosaq; turba suorum,
Viribus armorum cadit omne decus populorum,
Israël interiit, deperit omne forum.
Ne rex à manibus gentilibus interimatur,
Armigero feriente suo Saulense necatur,
Iussus enim famulus perforat ipse latus.
Mane reuertentes repetunt campestria gentes,
Inde caput Ionathæ regisq; simul referentes,
Astaroth ante Deum turba locauit eos.
Corpora cæsorum muris suspensa reponunt,
Grandis Hebræorum solertia nocte virorum
Corpora subripuit, quæ venerando colunt.

Philistæi respuunt auxilium Dauid in bello, quia suspectus est eis, in monte Gelboë.

Ductus in obsequiis regis qui dicitur Achis,
Vir Dauid, famuliq; sui super arma parati
Gentibus obsequium præbet & arma satis.
Dissicuit satrapis ad prælia ducere Dauid,
Quippe Philistæum Goliath prius ipse necauit,
Unde putant ipsum velle nocere magis.
Segregat ergo suos Dauid redeundo ministros,
Et redit in Sicelech nullo reuocante magistro,
Dum redit ipse domum, sentit in vrbe dolum.
Ex Amalechitis venientes nanq; latrones,
Expoliant Sicelech capiuntq; viros, mulieres,
Cum quibus vxores Dauid abisse dolet.
Insequitur Dauid vestigia prima ferentes,
Longius à patria videt illos nocte sedentes.
Qua mediis pratis cœna sit ampla satis.
Consuluit Dauid Dominum si vincere posset,
Vade (Deus dixit) tua dextera conteret hostes,
Iuit & obtinuit, gensq; caduca luit.
Irruit in cœnam tanquam furibunda leæna,
Intereunt hostes, stant ferculasanguine plena,
Magna fuit præda, gloria maior erat.

Armiger qui nunciauit Dauid se occidisse Saul, occiditur tanquam malefactor.

Vulnere prostrato populo vel Marte necato,
Fama refert bello Ionathan succumbere prato,
Et regem gladio iam periisse suo.
Armiger interea qui Saul prius ense peremit,
Vestibus excissis laniato corpore venit,
Certior vnde redit vir, noua certa dedit.
Sic & sic cuncti victi sunt (inquit) Hebræi,
Mortuus est Ionathas, ego regis facta peregi,
Signa tibi refero, quæso memento mei.
Porto tibi regis armillas & diadema,
Amodo cum regno fiet tibi gloria plena,
Te Deus instituit, tolle quod eius erat.
Tristis & attonitus Dauid cadit, atq; resurgens,
Ingemuit lachrymans alios deflere perurgens,
Planctus erat celebris, mœror vbiq; grauis.
Deplorant Ionathan bello cecidisse priorem,
Et plangunt pariter cecidisse viros probiores,
Regia membra dolent idolothita fore.
O mons Gelboë, montana referta cruore,
Non habeant pluuias, careant per secula rore,
Fertur adhuc sterilis terra cruenta fore.
Qui tulit armillas iuuenis, qui fert diadema,
De manibus Dauid dum munera sperat amœna,
Dona tulit mortis, deniq; dignus erat.
Dicit ei Dauid: Tu qui diadema tulisti,
In Christum Domini committere non timuisti,
Officium mortis, morte sequeris, ait.
Ictibus armigeri quantocius ille necatur,
Spesq; dati sceleris sic morte viri variatur,
Fata sui Domini nam moriendo luit.

Chronica illius temporis, de regibus & causis Troianorum.

Istis temporibus Troiam describit Homerus,
Anchisem Priamumq; simul regnare feremus,
Gestaq; tangemus, merogat ipsa Venus.
Nascitur ex Priamo Paris, & laudabilis Hector,
De quibus annecto breuiter quàm plurima lector,
Cætera quæ remanent magnus Homerus habet.
De tribus in mundo mulieribus, vna mouetur
Quæstio, quæ specie reliquis mage pulchra putetur,
Obtinet hîc Helena iudiciale decus.
Illa Menelaum legitur meruisse maritum,
Cuius auus Iason rapuit vellus redimitum,
Vnde dolus Paridis gesta rependit eis.
Velleris est causa, sed erat plus feruor amoris,
Vult Paris hinc Helenæ corrumpere iura pudoris,
Vnde simul poterunt Hector & ipse mori.
Historiæ Priami, si tædia forte reportant,
Prælia Troiana Paridis conatibus orta,
En per versiculos insinuabo duos.

Verba authoris.

Vtitur arte Paris, Helenam rapit vnde sub armis,
Græcia Troianos denis deuicit in annis:

Vtio

Vltio digna fuit, diruta Troia luit.
Græcia Troianos quæ tunc superesse putatur,
Non erat ex Danais, gens Itala nanq; probatur:
Nobilis Italia Græcia maior erat,
Iudicio veri si quærimus ista fateri:
Inclyta longæui rescripta legantur Homeri,
Itala nam tellus Græcia maior erit.
Iusserat Iliades Menelaus vbiq; cremari,
Hinc Helenam recipit quã primus amator amauit
Lege maritali seruat, honorat, alit:
Mortuus est Priamus, Paris, & probus Hector in
Filia stat Priami Venus & Cassandra sibylla, (illa,
Viuit & Antenor, cuius & acta gero.
Exiit Æneas flammis crepitante platea
Filius Anchisis Venerisq;, sibiq; trophæa
Virgilius melius carmine narrat ea.
Italicus legitur iam tunc regnasse Latinus,
Ipse Latinorum signauit grammata primus,
Carmentem matrem sic docuisse patet.

PARTIS SEPTIMÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS OCTAVA.

DAVID REGNAT in Hebron.

ANnos triginta Dauid transcenderat ætas,
Cum prius in populo potuit regnare propheta
Iussa Dei refouens, noxia cuncta vetans.
Dum iubet ipse Deus Dauid diademate fungi,
Sola tribus Iuda tenet hunc, regemq; perungit,
Quem regni solio, prima recepit Hebron.
In reliquis tribubus Isboseth regia proles,
Filius occisi regis præsumit honores,
Vt pater ante solet regia iura colens.
Militiæ princeps Isboseth, dicitur Abner,
Sed Dauid regis princeps, Ioab, regit agmen,
Quisq; suo regi, regia iura regit.
Hi duo primates, regalia signa regentes,
Arma premunt armis, contraria vota gerentes,
Iura petit Domino regia, quisq; suo.
Piscinæ Gabaon Ioab consedit ad amnem,
Littoris alterius confinia præripit Abner,
Stant simul armati, bella patrare rati.
Abner ait: Surgant iuuenes & cuspide ludant,
Respondit Ioab: Placet, vt se vulnere trudant,
Prosiliunt iuuenes hinc & abinde decem.
Alter in alterutrum gladio lusere ministri,
Quisq; pugil pugilem perimit mucrone vicissim,
Vulneribus paribus corpora cæsa cadunt.
Cœtus vterq; salit, congressus vtriq; potenter,
Obtinet hic Ioab, fugit altera pars vehementer,
Quingentiq; viri Marte necantur ibi.
Tunc Asahel iuuenem, caprearum more velocem,
Germanum Ioab, Abner iugulauit atrocem,
Cuius & hic Ioab, frater & vltor erat.

Isboseth filius Saul, occiditur in dolo à seruis suis.

Dum puer Isboseth lecto dormire vocatur,
Fortè saporatus, furtim gladio iugulatur,
Ante pedes Dauid deposuêre caput.
Dum causam sceleris cernit per singula Dauid,
Perfidiam iuuenum digna feritate notauit,
Criminis exemplar pœna sequetur, ait.
Truncatis cunctis manibus pedibusq; virorum,
In cruce suspensa stent cætera membra latronum,
Qui perimunt dominum, talia dona volunt.

Dauid tenet monarchiam in Hierusalem.

Hostibus extinctis, crescunt magnalia Dauid,
Israël applicuit, sesq; reconciliauit,
Vngitur in regem, regna monarchus adit.
Annis septenis primò regnauit in Hebron,
Et triginta tribus, tenuit diademata Sion,
Qua sibi præcipui culminis aula fuit.

Dauid percutit Philistæos in valle Pharasin.

Quum iam regnaret Dauid, venêre Philistim,
Rexq; reos percussit eos in valle Pharasim,
Rursus dum veniunt, rursus in arma cadunt.

Dauid deducit arcam Domini.

In terra Gabaath Domini conscderat arca,
Vt populus deducat eam, rex ipse coarctat,
Hanc in Hierusalem quippe referre placet.
Organa cum cytharis & tympana cum cytharœdis,
Vt resonent Domino gestantur in agmine plebis,
Regia persona, tympana lata sonat.
In curru posuêre nouo solenniter arcam,
Et iuga, iuncta bubus noua sunt ex ordine parta,
Cantus erat celebris gaudia magna nimis.
Pressit turba bouem, bos calcitrat, & mouet arcam,
Oza manu tenuit, metuens, ne decidat arca,
Quam quia sustinuit concitò morte luit.
Ante boues, Oza legitur iacuisse necatus,
Inde vir interiit, quo credidit esse beatus,
Fit timor in populo, sic pereunte viro.
Rex mortem metuit fugiens, arcamq; relinquit.
Tangere quis poterit, vel eam quis deferet, inquit,
Si mihi non liceat, deferat alter eam.
Seruat eam vir, dictus Obet, pro tempore clausam,
Arca Dei dum clausa domi, sanctissima pausat,
Ipsius hospes Obet prospera semper habet.
Dum locuples foret hospes Obet, plenusq; bonorum,
Ordine rex considerat hæc, cœtusq; suorum,
Et studet in propriam sacra referre domum.
Dum vestitus Ephod, arcam deducit in vrbem,
*Saltat, & *in itinere cantabant vndiq; turmæ,*
Spernit eum Michol, cur tenuisset Ephod.
Arguit illa virum, dicens: Quæ gloria regi,

Si secus ancillas, se discoopertus adegit?
Turpiter in populo regia membra regit.
Rex ait: Ante Deum saltare decet Pharisæum,
Ipse Philistæum superat, confortat Hebræum,
Iudaicum regnum qui dedit esse meum.
More tui patris, quia nolo superbus haberi,
A Domino potui sublimia dona mereri,
Mitis ego, placui, vita superba perit.

Hæc sunt regna quæ subiugauit Dauid.

Climata quæsita, rex obtinet Israëlita,
Gens licet inuita sibi subiicitur Moabita,
Terra sibi Syriæ, subdita seruit ita.
Omne Philistæum regnum reueretur Hebræum,
Seruit & Æthæum, Iebusæum, seruit Heuæum,
Seruit Amorrhæum, placat, honorat eum,
Vndiq; iam regnum regit & dilatat amœnum,
Sabba, tributarium tribuit per tempora frænum,
Seruit rex Adazer, aurea frena ferens.
Rex in Idumea, Dauid tulit ampla trophæa,
Subdita fit patria quæ prima fuit Chananæa,
Terra Gomorrhæi subdita seruit ei.

Absalon inuadit regnum patris sui Dauid.

Gentibus & populis gentilibus exsuperatis,
Rebus Hebræorum per climata pace locatis,
Lis oritur gratis commemoranda satis.
Nam conspiratis populis, ad iniqua paratis,
Filius Absalon, rapuit diademata patris,
Rex pius eiicitur, rebus & vrbe datis.
Tollitur inuito regnum, confertur iniquo,
Egreditur profugus, Dauid Iordane petito,
Optima pars populi, pulsa remansit ei.
Copia multorum cum rege stetit seniorum,
Ordine bellorum, cunei rimantur eorum,
Congregat Absalon arma per omne solum.
Stans patris ac nati cunei pro parte locati,
Pugna fit in medio, fugit hinc manus impia nati,
Milleq; vicesies, corpora cæsa iacent.
Digna flagella Deus puero pro fraude rependit,
Absalon hinc profugus, quercu rètinente pependit,
Nexus erat ramo tunc, quasi piscis hamo.
Quercus enim flauis fuerat connexa capillis,
Mulaq; dum transit, persona pependit in illis,
Solus erat iuuenis, nam perière sui.
Vidit eum Ioab princeps, feritate notatus,
Irruit in iuuenem, nimioq; furore citatus,
Cuspide formosum perforat ipse latus.
Dixerat antè pater, natum non velle necari,
Vnde timent equites pueri de morte grauari,
Est latitans hodie quisq; timore pari.
Morte reuelata, planxit rex horrida fata,
Gaudia sunt aliis, sibi mens mœrore granata,
Arguit hunc Ioab dux, ratione rata.
Non decet ô Domine, regem super hoste dolere,
Nec decet hunc flere, qui te studuit remouere,
Gaudia non gemitum curia nostra feret.
Surgit ab obscuro qua sederat antè latenter,
Et sedet in porta, regali more decenter,
Et loquitur populo mens rediuiua suo.
Pars inimica satis timuit, rebus variatis,
Et quasi rupta ratis vel præda parata piratis,
Subiicitur gratis rebus & vrbe datis.
Subditur Achitophel, qui mouerat vndiq; lites,
Qui fuerant hostes, fiunt per climata mites,
Pergat vt ad propria gaudia, cuiq; licet.
Regia pars voluit quandoq; mali reminisci,
Rex nullos punire malos, hoc tempore gliscit,
Vltio nulla fuit, crimina nemo luit.

Esbinenob gigas occiditur in bello à Dauid.

Regna quieta tenet Dauid, pro parte marina,
Signa Philistina, renouant certamina prima,
Cum quibus Esbinenob vir fuit ille gigas.
Hasta fuit mira, quam miro corpore vibrat,
Cuius habet ferrum ter denas pondere libras,
Irruit in Dauid, sed prius ipse cadit.
Abisai frater Ioab, percussit eundem,
Qui reliquos hostes nimia feritate retundens,
Præsidio regis, regia signa regit.
Tunc metuens populus, ne perdat in agmine regem,
Constituere nouam super omnia prælia legem,
Amodo quod regem bella subire negent.
Nanq; lucerna sui regni rex est hodierna,
Quem populi seruare volunt virtute superna,
Ne dum bella parat, vulnere fortè cadat.
Altera pugna fuit super agmina facta Philistim,
Vir percussit eos, genitus de stirpe Bathaim,
Non erat hic Dauid, gens inimica cadit.
Tertia pugna datur qua Marte gigas iugulare,
Litia voluente cui grossior hasta dabatur,
Nomine Polymitus, perdidit ense caput.
In quarta pugna victoria nostra redundat,
Omnia pessundat Ionathas in sanguinis vnda.
Germani Dauid filius, ista agit.
Insonuit tunc Psalterium moderamine Dauid,
Diligo te Domine, virtus mea. tunc modulauit,
Et reliquos psalmos glorificanter ait.

Sunamitis datur Dauid in subsidium senectutis suæ.

Rege senescente iam frigida corporis ætas,
Viscera debilitat, raucedine pectora fœdat,
Et iuuenum curas fracta senecta vetat.
Aulitij regis famuli dixêre; Venite,
Subsidio vitæ sit Abisac ei Sunamites,
Sic dominum regem se recreare libet.
Nam senium refouere potest speciosa puella,
Illa calore suo si membra senilia seruat,
Proficiet vita: nam renouatur ita.
Arte puellari, dum rex studuit recreari,
Natus Adonias sat agit rex antè leuari,
Et noua continuò scandala magna parit.
Filius assensu patris regnare putatur,
Curia primatum seducta, fauere vocatur,
Causa citò Dauid displicuisse datur.
Fraude reuelata fuerat iam cœna parata,
Mox abit ingrata pars regia, fraude notata,
Delituit subitò cœna timore suo.
Erigitur Salomon, de coniuge natus Vriæ,
Quem Deus edocuit sublimia philosophiæ,
Hunc recipit regem regius ordo piè.
Regia de more dum mula vehit Salomonem,
Rex, duce præcone, tulit ornamenta corona,
Cessit Adonias, occuluitq; dolens.

Sub-

Subditur altari, metuens à fratre necari,
Voce salutari dat frater eum reuocari,
Viuat Adonias, nil vereatur, ait.

De morte & sepultura Dauid in Bethlehem.

Annis tricenis, bis ductis & duodenis,
Commemoranda senis Dauid, lux vltima venit,
Rursus Adonia culpa legenda redit.
Poscit Adonias, pro coniuge nunc Sunamiten,
Iratus Salomon, negat eius parcere vitæ,
Renuit & patris stupra puella pati.

Æneas intrat Italiam cum Ascanio filio suo.

Nunc venit Æneas Troiana pericula passus,
Climata Didonis pertransit, in æquora lapsus,
Naufragus Italiæ littora prima tenet.
Dum petit Italiam celeri vectante galea,
Victor apud Latium legitur captasse trophæa,
Qua Tiberis fluuius, rura marina meat.
Ipse gener Priami, propria de coniuge natum,
Duxerat Ascanium, patria virtute probatum,
Cui genitrix Creusa, filia regis erat.
Pulsus vterq; foras, Latij consedit in ora,
Dum simul explorant, qua rura forent meliora,
Ad regem Latij concita fama volat.
Rex ait, Iliades quid agunt statione Quirites?
Cur veniunt? si bella volunt? si quærere lites?
Quo modo per campos regia signa nitent.
Urbe Prenestina fuerat tunc regia prima,
Qua sibi contigua fauet optima terra Latina,
Regali sede rex & amata sedet.
Filius atq; pater, tunc castra Latina videntes,
Ad regem veniunt, sublimia dona ferentes,
Qualia sunt dona, littera nostra sonat.
Magna fuit Priami quondam Troiana corona,
Quam pater Æneas regi pro munere donat,
Quum data dona sonant, laudibus aula tonat.
Gaudet in aduentu regum, rex ipse Latinus,
Fit pater Ascanij charissimus ordine primus,
Seruit ei Latij totus vbiq; sinus.
Virgo venusta nimis stat nata Lauinia regis,
Dum videt Iliades, speciem placanter adegit,
Gaudia dans oculis, vultus amore vehit.
Visa nimis placuit formæ rutilante puella,
Cuius amor faciet Latio consurgere bella,
Atq; duellares Marte ferire pares.
Hanc pater Ascanij petit, & pro coniuge gliscit,
Rex vbi præmissis precibus commercia discit,
Annuit & latè, dicta relata placent.
Mater ab opposito loquitur clam rege petito,
Non valet vna duos mea filia ferre maritos,
Nec decet inuito, iuxta negare citò.
Regi Tuscorum quam despondisse videmur,
Tradere Troiano, videas quo iure valemus?
Nec ratio patitur, nec iubet ipse Deus.
Ergo maritatam noli, bis tradere natam,
Solui coniugia nunquam patiare sacrata,
Filia nostra data, stet datione rata.
Certè quod est, iuuenis probus & pulcherrimus ille,
Estq; modis mille gladio præ maior Achille,
Æneas senior stat probitate minor.
Mater vt Iliades sic destituisse laborat,
Rex pater euacuat quicquid regina perorat,
Ira mouet regem, dixit & absque mora:
Fœmina vult iuuenem thalamo spernitq; senilem,
Spernitur à Venere quem gloria monstrat herilem,
Omne putat vile cui genitale silet.
Opto mihi generum, qui stirpe refulget auorum,
Cui dedit Italicum regnum, censura deorum,
Det sibi virgineum filia nostra thorum.
Ecce deæ Veneri, data sunt responsa deorum,
Sorte futurorum, quia fiet mundus eorum,
His dedit Italicum Iupiter ipse solum.
Nam deus ipse deæ Veneri dixisse putatur,
Troianæ soboli, quod & Itala terra paratur,
Cui video regnum sic fine, fine datum.
Matre dolente satis, tunc virgo Lauinia planxit,
Quæstio deseritur, res imperfecta remansit,
In dubium venit, quis modò sponsus erit.

Æneas occidit Turnum regem Tuscorum sponsum Lauiniæ: & tollit vxorem.

Tuscorum regis fuit vrbs Saturnia Turni,
Quam fundasse prius legitur fortuna Saturni,
Sponsa fuit Latij filia regis ei.
Fama refert Latium Troiana classe petitum,
Indicat & sponsam Turni, variare maritum,
Ensesq; congreditur sponsus vterq; citus.
Marte duellari manus hunc Troiana negauit,
Sponsam præripuit, regnum sibi conciliauit,
Sic socero generum sors variata parit.
Ense sibi socerum, regem facit esse Latinum,
Vnde Tiburtinum castrum tenet atq; Lauinum,
Virgo dolet Turnum succubuisse virum.
Summa dolor tangit, regina Lauinia plangit,
Victor ad hæc pangit, dominamq; satis pater angit,
Vt citò victoris sit socianda thoris.
Sic licet inuisum recipit regina maritum,
Qui sibi quæsitum regnum conformat amicum,
Hanc tenet ascitus, gaudet honore citus.
Ex hac stirpe boni nascuntur in orbe coloni,
Qui caput imperij fiunt, mundiq; patroni,
Regnant iure fori, munere dante poli.
Cùm moritur Turnus subitò post bella patrata,
Se, regina dolens, laqueo suspendit Amata,
Cum foret Æneæ filia sponsa data.

¶ De templo Salomonis.

ANno ab Adam 4443, à diluuio, 1285, à diuisione linguarum, 1184. Anno imperij Assyriorum 1085. Regnante apud Assyrios adhuc rege Triciade: Salomõ filius Dauid, regnauit in Israël. Templũ autem Salomonis constructum est, regnãte apud Assyrios rege Eupale. Regnante in Italia Posthumo Syluio, filio Æneę ex Lauinia. Cuius temporib. Alba ciuitas in Latio est ædificata, ab Ascanio filio Æneæ nato ex Creusa filia Priami, apud Troiam.

Iudicium Salomonis inter duas meretrices de infante.

Istis temporibus Salomoni quæstio venit,
Quid sibi causa velit, si clam mulier mulieri,
Subripit infantem? quid rationis erit?
Vnus erat viuus puer, alter nocte necatus,

Una petit viuum, petit altera quod moriatur,
Cognita sic, puerum mater habere datur.
Cùm foret in Gabaon Salomonis victima facta,
Non petit à Domino fieri sibi regna subacta,
Imò quod ipse Dei iura renelet ei.
Nocte quiescenti dicit Dominus Salomoni,
Quid petis? ille refert, Peto iudicium rationis,
Quo valeam populis condere iura fori.
Rex neq; diuitias petiit, neq; tempora multa,
Aut inimicorum fieri pro crimine mulctam,
Sed petit vt docilis mens tribuatur ei.
Vox ait è cœlis, Habeas quæ munera quaris,
Iusta quidem quaris, sed adhuc maiora mereris,
Pacificus, sapiens, diues amandus eris.

Salomon regnat, & templum Domino ædificat.

Templa parans Domino Salomon superaddidit au-
Regibus euictis superat certamine Maurũ, (rum,
Paxq; datur populis vndiq; plena suis.
Lignaq; cedrina templo dedit, atq; cethina,
Philosophos superat regis sapientia mira,
Plurima dæmonia carminis arte ligat.
Post male peccauit, post idola fana patrauit,
Astaroth & Baalim, aliosq; deos peramauit.
Quos & adorauit, proh dolor, inde cadit.

De Roboam filio Salomonis rege Israël.

ANno ab Adam 4483, à diluuio 1325. Anno imperij Assyriorum 1185. Regnante apud Assyrios rege Triciade, diuisum est regnum Israël. Regnante Roboam filio Salomonis, super tribum Iuda, & Beniamin: Ieroboam verò econtra, regnante super alias decem tribus Israël, in Samaria. Extunc autem reges Israël à Domino cœperunt alienari in Samaria & in Hierusalem, & (vt breuiter dicã) omnes reges peccauerunt, à Dauid vsq; ad transmigrationẽ Babylonis, præter Ezechiam & Iosiam: fuerunt tamen inter eos prophetæ, vt Elias & Elisæus & alij Deo dilecti. In tantum autem reges & populi Israël peccauerunt: quod proiecti à facie Domini, omnes sunt in captiuitatẽ exiliumq; deducti. Primùm Israël de Samaria, & postea Iudas de Hierusalem.

Regnum Israël diuiditur inter Roboam & Ieroboam seruum eius.

Pacificum post diuiditur regnum Salomonis,
Ieroboam contra Roboam partem regionis
Diripit, & turbant omnia mille modis.
Filius & seruus parili rixantur honore,
Filius in Iuda tulit ornamenta coronæ,
In reliquis tribubus sustulit alter opem.
Diuitias numerare suas & opes & honores,
Seu pacem cui nosse placet, legat in Salomone,
Scribere de reliquis amodo Musa monet.

Hîc incipit historia Romana.

Hactenus historica series, præcessit Hebræa,
Amodo præcedant titulis, Romana chorea,
Deniq; Iudaica iure sequuntur ea.
Nec veteris Testamenti referenda relinquam,
Gesta coæquæua recolens communiter, inquam,
Ponoq; posterius quod patet esse prius.
Nec mirum si posterius ponantur Hebræa,
Imperium quia Romanum tulit inde trophæa,
Viribus & gladiis suppeditauit ea.
Si Latij reges, numero cupis ipse tenere,
Nomina catalogo, potes hic distincta videre,
Ordine quo peteres chronica nostra ferent.
Pagina nostra sonat, quo nascitur ordine Roma,
Qua tulit imperij Cæsar probitate coronam,
Carolus & reliqui Romula gesta tonant.
Linea Troiana patet hic satis & Iouiana,
Regnaq; Romana satis hic sunt carmine clara,
Amodo de Latio fistula nostra canat.

Æneas moritur, filius eius Ascanius succedit ei in Latio.

Monte Prænestino Troiana potentia primo,
Imperat in Latio, socero consorte Latino,
Nanq; solum Latij tunc tenuêre simul.
Coniuge prægnante, venerunt fata mariti,
Tunc pater Ascanio nato, sua regna reliquit,
Quæ sibi deuicit Marte, calore, siti.
Parturit in sylua, regina Lauinia natum,
Posthumus est infans, & Syluius inde vocatus,
Nam patris humati, natus in orbẽ fuit.
Suscipit Ascanius fratrem, syluis oriundum,
Officioq; patris tenerè nutriuit alumnum,
Quem legitur natis plus adamasse suis.
Ascanius primus, vrbem sibi condidit Albam,
Qua modo iura patris, regina Lauinia saluat,
Quæ reliqui reges regia iura regent.
Progeniti reges ex ipso semine nati,
Sunt Albanenses hac posteritate vocati,
Hi quoq; Romana mœnia prima parant.
Ascanius genuit Iulium, primum Iuliorum,
Quo patre, summorũ datur esse propago virorum,
Cæsar enim Iulius detulit inde thorum.
Noluit Ascanius Iulium sua regna tenere,
Sed magis instituit quòd Posthumus illa foueret,
Germano potius regia iura ferens.
Ascanius rex Albanus, cùm ter duodenis
Annis regna regit, fratri sua gloria venit,
Mater ei Latij iura paterna dedit.

De Sardanapalo vltimo rege Assyriorum, qui primam culcitram fecit.

ANno ab Adam 5044 discursis: à diluuio, 1273: à diuisione linguarum, 1172. Anno imperij Nini regis Assyriorũ 1236, à regno autẽ Beli, patris eius 1305, & ab instauratione Babylonis sub regina Semiramide, 1254. Regnauit apud Assyrios, Sardanapalus, nouissimus, scilicet tricesimus sextus Rex Assyriorum, homo ef-

effœminatus & viliſſimus, qui cũ mulieribus ſemper incluſus, filare, texere & culcitras atq; puluinaria plumis implere, propriis ſuis manibus omnino delectabatur. Ipſe enim prima puluinaria dicitur inueniſſe, & à ſcorto meretricum non diſceſſiſſe: qui dum inter fœminas reſidens filaret, & à præfecto ſuo Barbato nomine, Medorum principe, ſic inuentus fuiſſet, concitatum eſt aduerſus eum eius imperium, quia regem effœminatum ſe pati nõ poſſe, fatebãtur. Quibus ille reſpondit dicens: Non habebitis de me triumphum. hoc dicto, ſeſe in magnum ignem proiecit, vbi extinctus eſt. Ab eo tempore, illud potentiſſimum imperium eſt à Medis deuictum, & ſubiugatũ. Sicut deinceps, per tempora ſingulorum regum Hebræorum & Perſarum, ſiue Medorum dicemus.

Denominatio omnium regum Aſſyriorum, & finis eorum.

COnſiderandum eſt, quòd eo tempore quo regnum Aſſyriorum debilitari, & quaſi mori incepit, regnum Romanorũ ab Alba vrbe per ſucceſſores Æneæ vſque ad Romulum cœpit oriri, & ab vrbe condita naſci. Nomina autem regum omnium Aſſyriorũ ſunt iſta: Belus, Ninus, Semiramis, Zammeis, qui etiam dicitur Ninias, id eſt filius Nini & Semiramis. Arius, Alarius, Xerxes, qui & Baleus, Armamites, Belocus, Baleius, Althadas, Mamirtus, Mathaleus, Salmanaſar, Sennacherib, Sperus, Mamilus, Sparetus, Alcathades, Aminthes, Bellepares, Lamprides, Sophares, Lampares, Paminas, Sophar, Mitreus, Tautas, Teutheus, Oueus, Derciles, Eupales, Laoſtenes, Piriciades, Oſfraticus, Oſfrathenes, Vacrazenes, Tonoſcon, Coloros, qui & Sardanapalus, hęc tẽpora erant, veniente Ænea in Italiam, & veniẽte Antenore cum Priamo iuniore in Pannoniam, & inde in Germaniam, de quibus in hoc loco verſificè dicemus.

De Priamo iuniore & de Antenore, qui poſtea vocati ſunt Sicambri, & poſtea Germani, & deinde Franci.

Italicis dominis poſitis quos gignit Æneas,
De Priamo iuuene, canat inclyta noſtra chorea,
Annue muſa mea, ſurge canamus ea.
In duo diuidimus Troiano ſemine prolem,
Vna per Italiam ſumpſit diademata Romæ,
Altera Teutonica regna beata fouet.
Prole ſub Ænea, veniunt reges memorati,
Nunc decet vt Priami iuuenis, ſtent ordine nati,
Clara ſit his titulis tota propago ſatis.
A modo Teutonica ſublimia geſta notabo,
Ad Priamum venio, de quo generoſa propago,
Carolus eſt genitus, cuius & acta dabo.
A Priamo Priamus iuuenis pariente ſorore,
Prole nepos oritur, patruo recolendus honore,
Cuius & hiſtoriam promere Muſa volet.
Antenor potuit mediis elapſus Achiuis,
Illyricos penetrare ſinus, acies iuuenilis,
Inſequitur Priami, tunc dominantis ibi.
Ducta per Illyricum vexit ratis alta leones,
Migrat in Vngariam, quæ fertilis obtulit omnem,
Terra ſatis placuit, gaudia multa mouent.
Arte parant vrbem ſimulantem mœnia Troiæ,
Quæ male vicinos poſt ad ſeruilia coget,
Sic vt eos reges terra ſubacta roget.
Vrbs ornata viris, noua dicta Sicambria, creuit,
Multiplicata nimis Troiana potentia ſæuit,
Percutit & ladit, ſæpe cruenta redit.
Cùm foret innumeris vrbs illa refarta patronis,
Iam parat vt reprimat Germanica regna colonis,
Igne, fame, gladiis, innumerisq; dolis.

De Hebræis & regibus eorum, tam in Samaria quam in Hieruſalem.

Chronica, Muſa mea nunc vltima ponit Hebræa,
Cuncta coaqueua breuiter diſtinguo trophæa,
Cætera qui cupiat, biblia narret ea.
Defuncto Roboam, in Iuda regnat Abias,
Regnat ab oppoſito Bahaſam, rex Iſraëlita,
Semper in alterutrum prælia dira micant.
Tunc erat in Syria Benadab, rex ille Damaſci,
Cum quo rex Iuda, ſua fœdera contulit Aſa,
Sed poſt hunc Aſam, filius eſt Ioſaphat.

De rege Albanorum Poſthumo filio Æneæ, ex Lauinia filia Latini regis.

Regna paterna tenens, fit Poſthumus vnicus hæres,
Syluius à ſylua meruit cognomen habere,
Quod reliqui reges poſteritate ferent.

Concordantia temporum, regum Aſſyriorum & Hebræorum.

NOta quòd poſtquàm regnum Aſſyriorum à Medis eſt ſubiugatum, tempora regum Medorum, cum temporibus regum Hebræorum ita concurrunt, ſicut hîc ſupputamus.

Primus rex Medorum ſuper Aſſyrios, Arbatas nomine, regnat annis 28. Regnãte in Iudæa Ozia, & in Iſraël regnãte Sela. Poſt Arbatum, apud Aſſyrios & Medos, regnat rex Soſarmus. Regnant in Iudæa Achas, & in Iſraël regnante Phace.

Tunc orta eſt prima Olympias, & nominata eſt apud Elidem vrbem Græciæ. Tunc enim de quinto in quintum annum ludus in agone fiebat, quem vocabant Olympiadem, id eſt quinquennalem. Per

Olympiadem enim intelligitur quinquẽnium. Luſtrum etiam, quinquennium ſignificat. Poſt Soſarinum, regnat Madidus ſuper Medos & Aſſyrios, regnante in Iuda Achaz, & in Iſraël Oſea.

Poſt Madidum regnat Cardices ſuper Medos & Aſſyrios, regnante in Iuda, Ezechia: ducto iam Iſraël in captiuitatẽ Aſſyriorum per Salmanaſſar. Poſt hunc Cardicẽ, Dioces regnat apud Medos, regnante in Iudæa Manaſſe. Poſt Diocem, regnat Phrahortes, annis 22. Iſte regnum Medorum multis bellis cruentauit, regnante Ioſia piiſſimo rege in Iuda. Poſtea ſuper Medos regnat Diocles. Poſt quem regnat ſuper Medos & Aſſyrios, Aſtyages. Qui crudelis & inhumanus, cuidam principi ſuo Harpago vnicũ filium occidit, patriq; ſuo Harpago in menſa comedendũ appoſuit. Oſtenſisq; cum capite ipſius filij & manibus, Harpago crudeliter improperauit, qa filium ſuum proprium comediſſet. Huius Aſtyagis regis filię filius erat Cyrus rex Perſarum, qui ipſi Aſtyagi auo ſuo bellum indixit. Auus autẽ eius Aſtyages, immemor ſceleris ſuprà memorati, Harpagum illũ, cuius filium patri dederat in cibum, præfecit toti exercitui ſuo. Qui ſtatim ſe, & totũ exercitum, in obſequium Cyri regis Perſarum cõmiſit, & ſimul cum Cyro Aſtyagi rebellauit. Aſtyages autem alium exercitum apud Medos collegit, belloq; cõſerto, Perſæ fugere cœperunt. Tunc vxores Perſarum & matres, fugientibus Perſis, fortiter inſultantes, pudenda muliebria detecta eis oſtendunt, clamantes & dicentes: Huc vnde exiſtis naſcentes, nunquid vultis iterum introire, ô Perſæ? His dictis pudore compulſi, Perſæ in prælium reuertuntur, & adepti plenum triumphum, regem Aſtyagem capiunt. Cyrus autem auũ ſuum Aſtyagem captum Hircanis præfecit. Et ſic Medorum imperium tũc finem habuit, quod per annos 258 legitur perduraſſe. Tunc tota monarchia peruenit ad Perſas. Hæc iuxta Oroſium diximus. Iſte eſt Cyrus nepos illius Darij, qui regnum Babyloniorum deſtruxit, & regem eorum Balthaſar interfecit, ſicut legimus in Daniele. Vnde ſecundum alios hiſtoriographos, Cyrus regnum Medorum in bello obtinuit, ſed iure hęreditatis, poſt mortem ſcilicet aui ſui Aſtyagis, & poſt mortẽ Darij filij Aſtyagis, auũculi ipſius Cyri. Sic enim legimus in Daniele: Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos & filius eius Darius, & regnauit Cyrus nepos eius p eo. Sed opponitur nobis iterum per Danielem, quòd Darius ille qui occidit Balthaſar, non filius Aſtyagis, ſed filius Aſſueri eſſe narratur. Potuit autem eſſe, quòd binominis fuit. Vnde Ioſephus in libr. ſuo decimo, ſic ait, Darius filius Aſtyagis, Babyloniæ principatum deſtruxit cum Cyro nepote ſuo.

Origo regis Nabuchodonoſor.

QVidam quęrũt, cuius filius fuerit Nabuchodonoſor rex Babylonis? Reſpondemus, quia neque de regibus Aſſyriorum, neque de regibus Medorum, ortus eſt: ſed de Chaldęis extraordinarius rex fuit, natus ex incerto coitu, ex quadam regię propaginis fœmina, qui ſtatim vt natus fuit, eſt in ſyluam proiectus, & à quodam homine leproſo, ibi tunc tranſeunte inuẽtus, & deportatus, & educatus, & ſuo nomine nominatus, ſcilicet à bubone, capra, & lepra. Bubo enim, ſupra infantẽ ſtabat: capra eum lactabat, leproſus eum deportabat. Vnde in lingua Armena & Chaldæa, tria hæc nomina in vno nomine Nabuchodonoſor continẽtur. Nabuc enim, id eſt bubo: Chodir, capra: Noſor, lepra. Hic nanque tria componunt vnũ nomen, Nabuchodonoſor: quæ omnia, in tractatu trãſmigrationis Babyloniæ, plenius dicta, verſificè cõtinẽtur, vbi de ipſo Nabuchodonoſor hiſtoriam plenius aſſignamus.

Denominatio omnium regum Iudæorum, & finis imperij eorum.

NOmina autem omnium Regũ Medorũ, hęc ſunt: Arbanus, Soſarmus, Madidus, Chardices, Dioces, Phraortes, Diocles, Aſtyages, Darius, Cyrus. A Cyro antea Perſæ habuerunt imperium. Vnde extunc non Medorum, ſed Perſarum imperatores principaliter ſupputantur, vſque ad Alexandrum Magnum. Poſt quem Ptolemæi imperauerunt in Ægypto. Quibus poſtmodum ſubiugati, imperauerunt Antiochiæ reges. Poſt quos, totum orbem obtinuerunt Romani. Nunc ad Hebraicã hiſtoriam reuertamur, & reges Hebræos cum regibus Albanorum contemporaliter, verſificè conferamus. Eliam etiam & Eliſæum & alios Prophetas interſeremus. Cætera verſus habent.

De Madab rege Samariæ.

Nunc Madab regnat ſuper Iſraël, & male peccat, Idola

Idola nam reficit, sit ei cum dæmone secta,
Sapius ante Baal thura nephanda parat.

De Ænea Syluio rege Albanorum contemporaneo.

Syluius Æneas Albano surgit honore,
Regna paterna tenens digno regit illa fauore,
Albanos muros amplificare volens.

De rege Iuda, nomine Bahasa contemporaneo.

Rex Iudæ Bahasa, non est in lege fidelis,
Interimens Madab super eius sanguine sæuit,
Omnia quæ sua sunt interimenda dedit.

De Latino Syluio rege Romanorum contemporaneo.

Prosilit in regnum nunc Syluius ille Latinus,
Militis officio præmaior, & agmine primus,
Obtinet & Latij rure mariq; sinum.

De Hela rege Israël, quem occidit seruus eius Zambri.

Nunc moritur Bahasa rex Israël, unde leuatur
Filius ipsius Hela, de more vocatus,
Seruus ei Zambri sustulit ense caput.
Regnabat Zambri seruus Domino iugulato,
Ira mouet populum pro crimine morte patrato,
Aduersus Zambri, rex nouus alter erit.

Amri rex Israël occidit Zambri.

Rex nouus est Amri, cuius feritate necatur,
Traditor, & corpus aula pereunte crematur,
Israël hunc Amri, quærit habere caput.
Peccat rex Amri, Domini iussis alienus,
Nam fuit idolatra, phano libamine plenus,
Lucus ei domus est, ad male facta nemus.

De Alba Syluio rege Albanorum contemporaneo.

Syluius Alba venit, cui regni copia cedit.
Tempore quo Samnis, urbs condita Samne recedit,
Samnia post, Romæ prælia multa dedit.

De Achab rege Israël, & de Elia propheta contemporaneo.

Mortuus est Amri, sed Achab rex Israël eius
Filius, ante Baal peccauit in idola prius,
Et reficit Iericho nunc inhibente Deo.
Nunc & Elias est, summus per secula vates,
Qui iubet vt pluuiæ, cessent per tempora latè,
Dum cessant pluuiæ, fit metuenda fames.
Rex iratus Achab, vatem iugulare minatur,
Vir fugit vlterius, cœlesti voce vocatus,
Cui cibus est, coruo sæpe ferente, datus.

Orauit Elias, & non pluit annis tribus & mẽsibus sex: ipse autem iacebat in petra, & pascebat eum coruus.

Dum latet in petra Domino mandante Propheta,
Pascit eum coruus, sed aquam dat subdita petra,
Sic & aquas alibi prorsus adesse vetat.

Post annos tres, & menses sex venit Elias,
Et facit vt pluuiæ populis per climata fiant,
Nam mala corrigere, rex properanter hiat.
Idola per patriam, seu templa prophana cremantur,
Aliq; sacerdotes, in eorum parte necantur,
Quos vbi rex cedit, gratia summa redit.

De Ægypto Syluio rege Albanorum contemporaneo.

Syluius Ægyptus regnum suscepit idipsum,
Condita nunc legitur vrbs regia magna Corinthus,
Nunc Albanorum fulget in orbe forum.
Pascitur Elias nunc, per carecta Sidonis,
Suscitet vt puerum, fert fœmina plena doloris.
Quem viduæ viuum reddidit ipse foris.
Nunc sub iunipero, cibus est pro vate paratus,
Quadragies reuoluta dies, quem ferre notatur,
Vnde propheta Dei viuere posse datur.

De Capi Syluio rege Albanorum contemporaneo.

Ital a regna tenet Latij Capi Syluius hæres,
Castraq; per patriam sublimia fertur habere,
Marsia subiicitur, digna tributa ferens.

Elias vngit Iehu in regem Israël, & vngit Eliseum in prophetam.

Transit Elias nunc Domino mandante Damascũ,
Vngat apud Syrios Azael, quo ritè peracto,
Vngat & in populum, quem vocat ipse Iehu.
Vngat Elisæum vatem, verè Pharisæum,
Cuius & obsequiis, regnum tueatur Hebræum,
Et doceat populum semper amare Deum.

Achab rex Samariæ triumphat super triginta reges, qui obsederunt eum.

Nunc & Achab rex Samariæ, certamine victus,
Clausus Samariæ muris, claususq; relictus,
Terdenos reges obsidione timet.
Hos omnes deuicit Achab, rex Israëlita,
Rex Syriæ Benadab fugit à statione petita,
Et reliqui reges exsuperantur ita.
Rursus Achab contra Syrios & castra Syrorum,
Millia centena gladio deleuit eorum,
Bis decies mille tunc redière domum.
Qui redière domum, subitò cuncti perierunt,
Vrbis enim muri super illos tunc ceciderunt,
Sed regem Benadab vix abiisse ferunt.
Tunc metuens Benadab, legitur latuisse cubili,
Vnde rogatur Achab, loculo nunc parcere vili,
Quo latuit Benadab, ne perimatur ibi.
Victor Achab, parcens victor, dum possidet arcem,
Iam regem Benadab sub fœdere fortius arcet,
Sic datur ambobus pace redire domum.

De Carpenate rege Albanorum contemporaneo.

Nunc Carpenates patria regnabat in illa,
Magna Tiburtina fuerat tunc, nata sibylla,
Regnat Ochozias quem genera uit Achab.

De Ochozia rege Israël contemporaneo.

Tunc nec Ochozias à criminis arce quieuit.
Ipse Deum spreuit: nam thura deis adoleuit,
Tunc & Eliæ, sic nuncius (inquit) ei.
Tu quia peccasti (dicit Deus) en morieris,
Et veniam vitæ nulla ratione mereris,
Rex timet, & subitò verba remandat ei.
Missus ad excelsa quò vates sederat antè,
Dum properat princeps regis, turba comitante,
Intonuit vati verba superba satis.
Serue Dei, citò surge veni, rex te vocat, inquit,
Ille refert, Si sum Domini, vos deuoret ignis,
Dixit, & igne Dei, turba perusta perit.
His citò consumptis similis legatio venit,
De quibus & totidem mox cœlica flamma peremit,
Ex quibus hæc regi dicere, nemo redit.
Bis quinquagenis, bina vice morte peremptis,
Rex timuit, quia turba luit mandata videntis,
Legatos humiles rursus adire iubet.
Dum missus prostratus humi pro pace precatur,
Impetrat vt non sic, sicut reliqui moriatur,
Sic ab Elia, vir viuus abire datur.

Elias & Elisæus transeunt Iordanem, sicco pede, & spiritus Eliæ duplex fit in Elisæo.

Flumen Iordanis quem circuit orbis Hebræus,
Transit Elias nunc, seruásq; sequens Elisæus,
Quo baptisari pòst tulit ipse Deus,
Spiritus ipsius duplex datus est Elisæo,
Nemo sibi similis populo nascetur Hebræo,
Sed Nazareni gloria maior eo.

Elias defertur in cœlum in curru igneo, vidente Elisæo & aliis multis.

Igneus est currus submissus ab æthere cœli,
Viuus Elias, quo scripto perhibente resedit,
Viuere perpetuò cui Deus ipse dedit.
Igniti cernuntur equi, qui lora tulerunt.
Turba prophetarum, gemitum pro patre dederunt,
Qui testes rerum tempore semper erunt.

Elisæus traxit aquam de silice, quæ dum flueret longius, versa est in sanguinem.

Rex Iudæ Iosaphat, rex Israel est modò Ioram,
His sociatus Edon, rex est de vertice Pharan,
Tres super arua Moab, regia castra parant.
Torrida deserti dum per loca signa feruntur
Flumina deficiunt hominesq; siti moriuntur,
Personat in cœlum clamor & ante Deum.
Quumq; siti populus moriens vrgetur Hebræus,
Imperat in lapide fieri foueas Elisæus,
De quibus & fluuios, protulit ipse Deus.
Dulcis aquæ fluuiis exercitus est recreatus,
Dum fluit inferius, sapor & color est variatus,
Sanguis enim rubeus fluxit in omne latus.
Fluxit & vsq; Moab regem, qui sanguine viso.
Æstimat occisos reges tres, agmine nisos,
Vt rapiant spolia, currit & ipse citò.
Occupat incautos exercitus Israëlita,
Interiit cum rege suo populus Moabita,
Omnia depereunt in regione sita.

De Tiberio rege Albanorum contemporaneo.

Regnat Tiberius, qui Tusco flumine mersus,
Nomina dat Tiberi, nec enim fuit inde reuersus,
Nam prius hæc Alba nomen habebat aqua.
Nunc oleum modicum per vascula plurima creuit
Filius & viduæ, vita redeunte resedit,
Panibus ex denis plebs satur ata redit.

Naaman Syrus & leprosus curatur ab Elisæo.

Leprosus Naaman curatur vate ministro,
Lepra caput Giezi, qui munera poscit ab ipso,
In Iordane necans missa securis erat.

Elisæus per medios hostes transit illæsus.

Hostibus obsessus Elisæus vt interimatur,
Prosilit in medium, loquitur, bene concionatur,
Nullus eum tetigit, cùm loqueretur eis.

De eodem.

Hostis ait monstrato magis nobis Elisæum,
Quem vatem reuerenter habet populus Pharisæus,
Ille refert, venias, ecce videbis eum.
Mentibus obscuris & sensibus infatuatis,
Nescia gens Syriæ sequitur vestigia vatis,
Samariæ portas, quos & intre facit.
Nunc iubet inclusos perimit rex Israël, hostes,
Ast Elisæus ait, caueas rex, lædere fortes,
Non decet innocuos perdere morte viros.
Noscis enim gentes istas non esse nocentes,
Vade cibaq; inuenes, tua, me duce castra petentes,
Simpliciter veniunt, ite, parate cibum.
Nemo viros læsit, gens hospita fessa quieuit.
Pace data, ratione rata, rex cautus obedit,
Hospitibusq; cibos curia larga dedit.

Samaria obsessa & nimia fame compressa, mane per Elisæum tantam habet abundantiam quòd modius similæ datus est pro denario vno.

Rex Syriæ cùm Samariæ circundaret vrbem,
Igne, fame populum, longa statione perurget,
Ter denos reges obsidionis habens,
Pressa fame mulier, puerilia membra vorauit,
Tunc Elisæus ait, Dominum pro pace rogaui,
Ipseq; diuitias cras sine fine dabit.
Triticeas, cras, diuitias hæc turba tenebit,
Cras modius similæ, solùm nummisma valebit,
Qui timet esuriens, cras satiandus erit.
Dicit ei quidam, Si fundant sydera cœli,
Semina triticea, tu non potes ipsa mereri,
Qui promissa geris, cras quoq; falsus eris.
Iustus ait, Quæcunque loquor completa videbis,
Visaq; non capies, incredule: nam morieris,
Israëleripitur, tu maledicte peris.
Nocte sequente, furor cœlo minitante tumescit.
Rex Syriæ cum gente sua fugiendo recessit,
Miraq; pompa Syri, tota remansit ibi.

Mane

Mane ſubaurora ſpolium plebs ferre laborat,
Obtinet ex hora quæcunq; propheta perorat,
Credere qui ſpreuit, deperit abſq; mora.

De Agrippa rege Albanorum contemporaneo.

Ordine dum Latium ſuſcepit Agrippa decorem,
Eius ab imperio tulit Alba frequenter honorem,
Maxima per populos prælia ſæpe mouent.

De Iehu rege Iſraël contemporaneo.

Rex nouus erigitur Iehu, vindex Eliſæi,
Cuius & enſe, rei, reges perimuntur Hebræi,
Ioram cum Ioſaphat, ſic iubet ira Dei.

¶ Chronica.

NOta quia poſt Ioram regem Iuda, regnauit filius eius Achazias. Poſt quẽ regnat filius eius Iohas. Poſt quem regnat filius eius Amaſias. Poſt hunc regnat filius eius Achaz annis 40. Poſt hũc Iohatham, filius eius regnat annis 16. Poſt Achaz, Ezechias regnat filius eius. Omnes iſti reges erant legis præuaricatores. Propterea Eliſæus vnxit Iehu, in regem extraordinariũ: qui ex mandato Dei occidit Ioram & omnes filios eius, omnemque progeniem eorum.

De Iehu.

Terq; quaterq; decem natos Ioram iugulauit,
Et genus illorum multa feritate necauit,
Omnis & idolatra, rege necante cadit.
Templa Beelzebub, ſed & idola cuncta deorum,
Atque ſacerdotes penitus deleuit eorum,
Miſit in ariolos mortis vbiq; forum.
Vndiq; Pythonem rex propulit à regione,
Diuinos necromanticolos deponit honore,
Munda domus Domini, gaudia digna fouet.

Iohas regnat in Iſraël.

Defuncto Iehu, Iohas ſuccedit iniquus,
Crimine retitus vir ad idola phana petitus,
Filius eſt Iehu, ſed Deus odit eum.
Tædia iam pariunt Domino peccata virorum,
Iam quaſi non fieri ſtatuit defenſor eorum,
Idola dæmonibus nanq; fouendo colunt.

Aſahel rex Syriæ affligit Iſraël.

Rex Syriæ iam tunc Aſahel percuſſit Hebræos,
Iſraël opprimitur, timor & dolor eſt Phariſæo,
Sæpe Deum repetunt, nec Deus audit eos.

De morte Eliſæi prophetæ.

Æger & exiguus nunc corpore ſtans Eliſæus,
Fine diem claudit, populus quem plangit Hebræus,
Iſraël & Iudas tunc ſepeliuit eum.
Poſt obitum vatis ſunt vndiq; præuaricati,
Samariæ reges quotquot ſunt tunc renouati,
Igne, fame, ferro, culpa necauit eos.

De Aremo Syluio.

Syluius Aremus patrio ſuccedit honore,
Cuius ab officio multo nitet Alba decore,
Pace frui voluit regna quieta colens.
Mergitur in Tiberi fluuio, natusq; relictus,
Contra Samnites, certamine præbuit ictus,
Dira per Apuliam plurima bella parans.

De Oſea rege Samariæ.

Tunc in Samaria celebris regnabat Oſea,
Cuius temporibus plebs debilitatur Hebræa,
Nempe tributariam litera narrat eam.

De Salmanaſar rege Aſſyriorum, qui captiuauit Hebræos.

Surgens Salmanaſar, magnus rex Aſſyriorum,
Marte capit regem, loca depopulatur eorum,
Vincula rex patitur, datq; tributa ſolum.
Tandem Samaria vario certamine capta,
Arma, viri, ſpolia, ſunt cuncta ſub hoſte redacta,
Plebs & in exiliis crimina priſca luit.
Finibus Aſſyriæ reſident ſuper arua Medorum,
Ad fluuium Gozan, habitatio ſtabat eorum,
Vtraque pars fluuij præbet vtriq; forum.

Habitatores Babylonici in Samaria deuorantur à ſerpentibus & vrſis & leonibus.

Hoſpite ſtat vacua prouincia Samaritana,
Arida montana remanent, ſpinoſaq; plana,
Incola non agitur, prædia nullus arat.
Salmanaſar iubet, his Babylonis adeſſe colonos,
Quos facit in patria dominos, terraq; patronos,
Atq; tributario mandat arare ſolo.
Non placet hic Domino ſufferre viros Babylonum,
Tradit eos vrſis, diſperdit in ore leonum,
Eſcaq; ſerpentum ſunt, velut herba boum.
Venit ad Aſſyrios turba pereunte querela,
Mittat eis rex Salmanaſar, pro clade medelam,
Nanque perit patria tota, vorante fera.
Mittat eis homines, cœleſtia iuſſa colentes,
Serpentes, vrſosq; malos remouere potentes,
Et dare Samariam, viuere pace bona.
Vnde ſacerdotes ad eos mittuntur Hebræi,
Dogmata ſancta Dei, qui lege colant Moſei,
His ibi tranſpoſitis, pax bona venit eis.
At licet hi fuerint qui mittebantur Hebræi,
Non coluêre Dei legem, tanquam Phariſæi,
Pars etenim legis pauca, remanſit eis.
Et quia Samaria tunc lege remanſit inanis,
Rarò coutuntur Iudæi Samaritanis,
Sicut & inſcriptis, pagina ſancta canit.
Sola tribus Iudæ permanſit in vrbe ſuperſtes,
Hieruſalem non ſenſit eas, quas aſſero peſtes,
Nec tamen à ſceleris pondere munda fuit.

De Auentino rege Albanorum contemporaneo.

Surgit Auentinus rex, cuius nomine primo,
Montis Auentini nomen proceſſit ab imo,
Corpus Auentini regis habetur ibi.
Tunc Ezechias ſtatuit ſuccidere lucos,
Aſtaroth & Baalim confregit vbiq; caducos,
Vndiq; Pythones prorſus abire monet.
Æneus hic ſerpens quem ſuſpendit Moſeus,
A populo colitur, veneratur eum Phariſæus,
Æneus ille draco, creditur eſſe Deus.

Hunc Ezechias mandauit in igne refundi,
Et reliquos hinc inde deos minuendo retundi,
Inde domus Domini terraq; munda fuit.
Sola tribus Iuda, non seruierat in Niniuitis,
Nulla tributa sibi populus per tempora misit.
Soli Iudæi ius coluêre Dei.

Sennacherib captiuauit Hebræos.

Salmanasar moritur, qui captiuauit Hebræos,
Sennacherib succedit ei, pulsans Pharisæos,
In terra Iuda, circiter angit eos.
Omne genus pecorum prædamq; ferens populorum,
Transtulit in Niniuen, qua copia plangit auorum,
Solaq; Hierusalem saluat in vrbe bonum.
Tunc Ezechias cupiens captare fauorem,
Thesaurum templi dat ei, totumq; decorem,
Nec tamen in melius corda ferina mouet.
Assyriæ dum Hierusalem rex, obsidet vrbem,
Motibus assiduis populum bellisq; perurget,
Inq; Deum cœli probra superba dedit.
Flectite colla meis, si viuere vultis Hebræi,
O vos Iudæi delete libros Mosei,
Omnia quæ colitis, spernite iussa Dei.
Cuncta Deus mihi regna meus Nesarach superauit,
Et vestrum reliquosq; deos sibi suppeditauit,
Amodo vos illi sacrificetis, ait.
Plebs Domini super alta sedens pinnacula muri,
Pectore tam duris poterat sermonibus vri,
Turba Dei siluit, lingua superba furit.
Venit Esaias Domino mandante propheta,
Qui timidis reparat populis solatia læta,
Regia ne timeant verba superba vetat.
Tunc ait, Ecce perit rex qui vos perdere quærit,
Quem Deus ipse ferit, nullo valet orbe tueri,
Angelicis gladiis iam feriendus erit.
Nocte subalterna gens interit illa superba,
Millia bis centena cadunt, virtute superna,
Vndiq; constrata signa vel arma vacant.
Mane sub aurora, rex agmina perdita plorat,
Territus ex hora, cessit regionis ab ora,
Turba Dei resilit, mira videre foras.
Dum redit in patriam Niniuen, rex Assyriorum,
Ante Deum Nesarach, plangit malè gesta suorum.
Tunc quoq; natorum sensit adesse dolum.
Ramalech & Serasar de regis semine nati,
Patris ad interitum stant, ante patrem gladiati,
Quem nece percutiunt tollere regna rati.
Monte sub Armeniæ latitant fratres patricidæ,
Plangit eos Niniuen, plebs Israëlitica ridet,
Succedit Seradon patre cadente suo.

Incipit historia Tobiæ contemporanea.

Non decet immemores nos versibus esse Tobiæ,
Cuius opus legimus cœli placuisse sophiæ,
Vixit & ipse piè noctibus atq; die.
Corpora cæsorum sub regibus Assyriorum,
Fertur Hebræorum solus sepelisse virorum,
Tempore Salmanasar captus & exulerat.
Qui media dum fortè die somno requieuit,
Stercus hirundinis, intima luminis eius ademit,
Sic annis denis cæcus ab inde gemit.
Deditus his pœnis, vir pascitur ex alienis,
Diuitias quia iam dederat largitus egenis,
Sæpe cibo caruit, prandia nemo dedit.
Cæcus vbi fuerat, pauper, miser, absq; medela,
Pauperiem celat, sine murmure, sine querela,
Cùm mala tanta ferat, mente quietus erat.
Vxor adinuentis cum pasceret hunc alimentis,
Hœdus ei datus est, transmissus ab æde parentis,
Voce vir audita, territus inquit ita.
Hœdus adest, dic vnde venit, dic vnde tulisti?
Si furtiuus erat, cur tollere non timuisti?
Furta reperta dolo, tollere nulla volo.
Anna furens tota loquitur de parte remota,
Mente tua tota miser es, mala sunt tua vota,
Nos mala tanta vocant, nec Deus illa notat.
Dines eras, miser es, si diuitias tenuisses,
Plus tibi diuitiis quam religione dedisses,
Ecce fame morimur, nec videt ista Deus.
Si tua facta Deus tanquam bene gesta notaret,
Restaurans oculos tibi, non alimenta negaret,
Imò quod appeteres, cum pietate daret.
Filius vnus erat Tobis cæco seniori,
Cuius & ipse pater, nimio connexus amori,
Ne puerum perdat, vult magis ipse mori.
Dicit ei genitor, Mihi dena talenta fuerunt,
Quæ sub conscripto debet mihi iure Gabellus,
Hæc tibi si peteres commoda longa dares.
Do tibi rescriptum, quo iure tibi caueatur,
Partibus Indorum manet, vrbe Rages habitator,
Perge, vale, fili, prospice (quæso) tibi.
Ille refert, Ignoro vias, ignoro meatus,
Si tamen vllus erit inuenis mihi consociatus,
Suscipiam factum te mediante datum.
Stans puer ante fores, iuuenem videt ipse morantem,
Vt peregrinantem, baculumq; peramq; parantem,
Renibus accinctum perspicuumq; virum.
Dicit ei Tobis: Iuuenum pulcherrime, quò vis?
Ille refert, Quid vis? tecum volo pergere si vis,
Si socius fias, en tibi monstro vias.
Angelus est Raphaël, stans sub specie iuuenili,
Cui loquitur Tobis, ductusq; manu puerili,
Ingreditur thalamum, patre fauente sibi.
Dicit ei Raphaël, Sint gaudia magna Tobiæ,
Rettulit ille gemens, Mea gaudia quomodo fieni?
Dum mihi sint tenebræ, nullaq; læta dies?
Esto animo fortis (Raphaël ait) ecce mereris,
Vt citò cureris, qui perdita lumina quæris,
Cur modò conquereris? crede, beatus eris.
Rursus ait senior, miratus obista Tobias,
Vnde venis? quod nomen habes? ait hic, Ananias,
Mittere si cupias, insinuabo vias.
Spondeo me vere, sociumq; ducemq; fidelem,
Vrbe Rages habitatorem cognosco Gabelem,
Indeq; si quæret dena talenta feret.
Mater ait, Permitto magis bona cuncta perire,
Quàm tenerum peregrè puerum patiamur abire,
Desine tu iuuenis, verba relingue via.
Tunc pater inquit ad hæc, iuuenes huc ambo venite,
Trado tuæ fideli puerum, constanter abire,
Det Deus omnipotens prosperitatis iter.
Angelus est Raphaël, qui dicitur hic Ananias,
Ductor adest pueri Deus, ignorante Tobia,
Quicquid eis fiat, carpit vterq; vias.
Flumen erat Tigris de fonte fluens paradisi,
Cuius aquis visis, fluuij sunt littore nisi,
Atq; pedes Tobis fortè lauabat ibi.
Prosilit hinc piscis validus mordere Tobiam,

Hic vbi piſcis hiat, timet, & vocat hunc Ananiam,
Ecce furens piſcis, dicit, Adeſto mihi.
Ille refert, Extende manus, fauces q; capeſſas,
Tolle moras, trahe, pelle foras, caro conferet eſcas,
Cepit, & obtinuit, traxit, ad arua tulit.
Dicit ei ſocius, Cultro citò viſcera finde,
Grandis enim medicina tibi promittitur inde,
Si iecur hinc tuleris fel q; , beatus eris.
Capta puer cædit citò viſcera, ſic & obedit,
Laſſus humi ſedit, ſapido de piſce comedit,
Et ſatur abſcidit, conſocio q; dedit.
Pergit homo felix, quia ſubditus eſt Raphaëli,
Cum domibus quarit, celer appropiare Gabeli,
Suſcipit hunc Raguel, vir patruelis ei.
Cognitus ergo puer fit, & a Raguele receptus,
Charior effectus, quæcunq; rogaret adeptus,
Filia cum patre viſa puella placet.
Sara decora ſatis fuit vnica filia patris,
Septenis coniuncta viris, iiſdem q; necatis,
Dæmonis Aſmodei peſte perire dati.
Hanc petit vxorem, ſocio mandante Tobias,
Conſcius ipſe pater, negat hoc, ait hinc Ananias,
Trade, nihil timeas, proſpera cuncta ſcias.
Aſmodeum iam dæmonium vinctum relegabo,
Et tibi ne noceat ſponſalia tuta locabo.
Securos aditus, dixit, vtriq; dabo.
Annuit ergo pater mater q; paranda parauit,
Nomine coniugij, Sarę puerum ſociauit,
Sanctus eis Raphaël, Nil time atis, ait.
Iudaico more doctus Raphaëlis ab ore,
Mundus ab vxore iacet hîc, donec ſatis oret,
Orat vt vxore dante, propago foret.
Piſcis ibi iecoris partem, iubet igne cremari,
Vt fumi virtute, queat phantaſma fugari,
Plena ſalus iuueni ſaluaq; vita fuit.
Dum puer interius, ſponſa coëunte moratur,
Sicut & antè ſolet morituro tumba paratur,
Ad vitæ ſpatium, ſpes bona nulla datur.
Mane reſurgentes, vbi conſpexêre parentes
Gaudia mirificant viuum remeare videntes,
Tunc iuuenis vita ſalua remanſit ita.
Dæmone deuicto, gaudente domo Raguelis,
Sanus & incolumis puer eſt ſtudio Raphaëlis,
Alterius cauſæ cura reſurgit eis.
Angelus inquit ei, Commendo te Ragueli,
Ibo referre tibi detenta talenta Gabeli,
Interea requies hic tibi (dixit) erit.
Tunc abiit, ſecum q; tulit reſcripta Gabelo,
Ille dedit quæcunq; petit, vexit q; camelo,
Dupla dedit puero dena talenta ſuo.
Re bene patrata, ſolennia ſunt celebrata,
Coniuge dotata, conuiuia ſunt renouata,
Pondere dupla ta dena talenta data.
Tempus adeſt, & abire placet, iuſſis Ananiæ,
Nang; patris lachrymoſa ſatis ſtat cauſa Tobiæ,
Eſt ſibi nulla quies, nulla q; læta dies.
Quum q; vale dicto, ſponſa comitante rediret,
Præcedens q; canis ad tecta paterna veniret,
Inſinuante cane, ſingula læta manent.
Inſtruitur iuuenis Tobis, dictis Ananiæ,
Vnguento iecoris, oculos palpare Tobiæ,
Vt careant tenebris aſpiciant q; diem.
Vngit eum iuuenis veniens iuſſu Raphaëlis,
Dona q; cum ſponſa præſentat ei Raguelis,
Lumina reddit ei lumine dante Dei.
Narrat & acta viæ quæcunq; fuêre Tobiæ,
Quàm bene quam q; piè fuerit ſtudiis Ananiæ,
Gaudet ad iſta pater, cuncta q; geſta placent.
Quærit & à ſocio, quis ſit, quo climate venit?
Ille refert, Veni tranſmiſſus ab æthere cœli,
Angelus hîc Raphaël ſum medicina Dei.
Quæ mala pertuleras, diuina potentia vidit,
Me meritis conferre tuis ſolatia miſit,
Lumina me voluit ſic reparare tibi.
Euolat hoc dicto, puero cum patre relicto,
Vnde prius venit, ſaltus remeauit in ictu,
Vir miratus eum, laudat amat q; Deum.

De Nathanabo magiſtro Alexandri Magni per idem tempus.

Nathanabus rex at q; magus doctiſſimus ipſe,
Primus Alexandri doctor fuit at q; magiſter,
Imò pater pueri matre latente fuit.

De Procace rege Albanorum contemporaneo.

Nunc regnat Procax, nũc primùm Sidon & Argus
Pondera, menſuras condunt libramine paruo,
Terrarum populus iam noua iura ferunt.

De Eſaia propheta per idem tempus.

Nunc de Meſſia præconia fert Eſaias,
Ecce Deum pariet ſine ſemine virgo Maria,
Viderat & Gedeon vellere ſigna pia.
Vellere compluto fuit area ſicca ſub vdo,
Vicerat & Gedeon populo pugnante minuto,
Hæc ego de Chriſto ſigna fuiſſe puto.

Regi Ezechiæ additi ſunt quindecim anni ad vitam.

Prælia ſopita ſunt, mortuus eſt Niniuita,
Rex Ezechias metuens decedere vita,
Æger in extremis, corde precatur ita.
O pietas immenſa Dei ſuper æthera cœli,
Tu noſti quid ſeruierim, quàm mente fideli,
Ad ſpatium vitæ nunc miſerere mei.
Venit Eſaias cœleſti voce iubente,
Elongare dies regis, releuare iacentem,
Annos quindenos dat, miſerante Deo.

Procurator Nabuchodonoſor regis Babylonis venit Hieruſalem.

Nunc venit Beradach miſſus regis Babylonis,
Scrutatur templum cuncta q; decus regionis
Debiliora loci, diuitias q; fort.
Diuitias regis videt, aurum, pallia, veſtes,
Non erat ornatus regis, neq; gaza ſuperſtes,
Nec templi velum, quod latuiſſet eum.
Stultitiam regis Eſaias vidit, & inquit,
Nil intentatum Babylonicus iſte relinquit.
Cuncta poteſt domino viſa referre ſuo.
Arguo te regem populum, magis arguo Iuda,
Clauſa prius fuerant ſibi, iam ſunt omnia nuda,
Non ea iam noſtra, plus aliena puta.
Amodo ſunt quæcunq; tenes regis Babylonis,
Vos faciet ſeruos, captiuitatis q; colonos,
Omnia diripiet caſtra referta bonis.
Eunuchos faciet regis Babylonia natos.
Iam video populos ſeruos hinc inde locatos,
Regis in obſequium poſteritate cadunt.

De Manasse rege Iudæorum.

Nunc Ezechias vitæ rex tempora claudit.
Succedit Manasses natus, plebs tota subaudit,
Non amat iste Deum: sed Deus odit eum.
Suscipit ariolos & lucos plantat iniquè,
Astaroth & Baalim colit & veneratur vbique,
Idola per patriam iam fabricare libet.
In medio templi iubet idola fana locari,
Mandat adorari, iubet illis sacrificari,
Peccauit Iudas despuitq; magis.
Voce prophetarum Deus illis sæpe minatur,
Samariæ similis, quod & ipsis pœna paratur,
Turba minas Domini pessima non timuit.

De Amon rege Iudæ filio Manassæ.

Mortuus est Manasses, succedens filius eius,
In Iuda regnauit Amon super idola peius,
Quem superasse patrem phana colendo, patet.
Vixit Amon modicum, nam seditione suorum,
Fine suo clausus finem dedit ipse malorum,
Turba reos iussit mortis inire forum.

De Iosia rege Iudæ filio Amon.

Natus Iosias recipit pro patre coronam,
Idola destruere fit regia curia prona,
Pessima deposuit, conseruitq; bona.
De medio templi tunc abstulit idola Solis,
Abstulit & lunæ, simili conflata fauori,
Phana Beelzebub non sinit ille coli.
Astaroth & Baalim, conflata manu Salomonis,
Omne quod in mundum per rura videt regionis,
Dissipat, & patrias ornat vbiq; bonis.

De Iohas rege Iudæorum contemporaneo, filio Iosiæ.

Iosias moritur, Iohas diademata quærens,
Non sequitur benè gesta patris, sed criminis hæres,
Exitit idolatra pessima phana gerens.

De Amulio rege Albanorum contemporaneo, & de Numitore fratre eius, & de natiuitate Romuli & Remi.

Semine procacis duo sunt reges modò nati,
Amulius simul & Numitor sunt tritè vocati,
Qui regnum Latium tunc habuêre simul.
Amulius regnum rapuit, pulso Numitore,
Rura colit Numitor, patrio deiectus honore,
Seq; sui regni sorte, carere dolet.
Filia Vestalis fuit Ælia tunc Numitori,
Mœcha fuit, geminos peperit Marti genitori,
Fertur & inde mori filia lege fori.
Tunc gemini clam sub Tiberis sunt rupe locati,
Quos meretrix lupi rapuit pro munere fati,
Officio matris, nutrit, amatq; satis.
Quos tulit exiles ætate, fouet iuueniles,
Corpore consimiles animo miratur heriles,
Sed quis eos genuit, stans lupa cauta silet.
Romulus & Remus censentur ab inde vocari,
Et patriæ variis pastoribus associari,
Qua recolenda greges candida sylua parit.
Egregios iuuenes pudet ignorare parentes,
Et lupa fert ipsos Tiberi iacuisse latentes,
Qua male proiectos, ipsa leuauit eos.
Dixit & Amulium pepulisse domo Numitorem,
Et iuuenum matrem, viuam sepelisse furore.
Perderet & prolem, si manifesta foret.
Corde tument iuuenes, multoq; sequente dolore,
Pro matris planxêre satis, proprioq; pudore,
Vi cadat Amulius, corda manusq; mouent.
Romulus & Remus, socios habuêre latrones,
Amulium perimunt, & auum releuant Numitori,
Et citò per Latium prælia dira mouent.
Regna tenet Numitor valida virtute nepotum,
Vt sibi succedant, dat aui sententia votum,
Romulus in totum regnat, habetq; locum.
Tunc Zacharias vates, erat ordine magnus,
Nunc & in Ægypto loquitur mirabilis agnus,
Tunc & Olympiadis mentio prima fuit.
Primus Olympiadis quē tempore ponimus annum,
Ad casum Troiæ tercentum perficit annos,
Insuper & centum, chronica vera ferunt.
Lector Olympiadem quid sit, si noscere queris,
Ludus apud veteres solitus quinquennis haberi,
Signat Olympiadem, quum reuolutus erit.

De Ioachim rege Iudæorum.

Rex erat idolatra Ioachim, dans phana deorum,
Spurcitiis cunctis quia pronus inhæret auorum,
Inquinat & fœdat templa per omne solum.
Tradit cum Dominus seruum regi Babylonum,
Census ab indigenis exquiritur & regionis,
Decidit à Domino plebs maculosa dolis.
Iudaicus populus liber prius vndiq; visus,
Seruiit attritus constanter ad idola nisus,
Pœna flagellat eos rege colente deos.

PARTIS VIII FINIS.

GOT.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS IX.

SIBYLLA PROPHETIZAT de Christo his temporibus.

ANno ab Adam 5081, à diluuio, 1359. à diuisione linguarum, 1258. Anno ab imperio Nini, 1300 annis. A destructione Troiæ 414, post Olympiadem sextam. Regnante Ezechia in Iuda. Regnante Osee, in Israël. Roma in monte Palatino, à Romulo & Remo, viuente adhuc auo suo Numitore, condita est. Eodem tempore Erithrea Sibylla de Christo dicitur versificè vaticiniũ hoc protulisse.

Iudicij signum tellus sudore madescet,
Et cælo rex aduenier per secla futurus,
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atq; fidelis,

Et cætera. Aliud quoque vaticinium Sibylla eadem de Christo prosaicè dixit sic: Postea in manus infidelium veniet. Dabũt alapas Deo manibus incestis. Et impurato ore, expuent in eum sputum venenatum. Dabit ipse ad verbera sanctum dorsum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quò tendit verbum & vnde venit, vt inferis loquatur. Et corona spinea coronabitur. Ad sitim acetum, & ad cibum fel dabitur ei: hanc hospitalitatis mẽsam Domino ministrabunt. Tu Iudæa insipiens, Dominum tuum non intellexisti, ludentem mortaliũ sensibus, sed spinis eum coronasti, & horridum fel ei miscuisti. Velum templi scindetur, & media die nox erit tenebrosa nimis tribus horis, & suscepto somno morte morietur: & tunc ab inferis regressus, ad lucẽ veniet, primo principio resurrectionis ostenso.

Regnante Romulo, Salmanasar rex Assyriorum, duxit decem tribus Israël captiuas de Samaria in regnum Medorum, vt ibi habitarent super fluuium Mozim. Eodem tempore, Phalaris Siculus tyrannus, dum innocentes homines variis tormentis crudeliter assiduè affligeret, quidam faber ærarius, nomine Berillus, volens placere illi regi, & aptum suæ crudelitati munus offerre, taurum æneum fecit, cui ex latere, ianuam composuit, vt per eam homines cruciandi inducerentur, & dum ignibus suppositis vrerẽtur, non gemitum hominis, sed mugitum bouis emittere viderentur. Eundem itaque taurum æneum, tyrannus gratanter accepit, & ipsum fabrũ in eum primitus posuit, vt ipse actor huiusmodi tormentum primus experiretur, & vbi alios extinguere proposuit, ipse mereretur extingui. Notãdum est autem, quòd ab initio editæ Vrbis parricidia ibi esse cœperunt, & Romanum regnum asylum omnium aduenientium malefactorum vocabatur.

Versus Iuuenalis de vrbe Roma.

Et tamen vt longè repetas, longeq; reuoluas,
Nomen ab infami genitum deducis asylo,
Maiorum quisquis primus fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.
Cætera de Roma sub nostro carmine promam.

Roma incipit.

Summa fit ex minima sub Martis sydere Roma,
Romulus & Remus primam tenuere coronam,
Filioli Martis, sicut & acta sonant.
Quæ modò Roma sonat, fuit antè Valentia dicta,
Rebus ab antiquis vrbs paruula, sola relicta,
Nunc tenet imperium, iudicat omne solum.
Vrbs noua construitur, sed asylum Roma vocatur,
Vrbis circuitus, subitò signatur aratro,
Hoc signum nulli præteriisse datur.
Remus erat primus signi salitu violator,
Quem dux militiæ subitò percussit aratro,
Remus vt interiit, lex ea firma fuit.
Innumeri Romæ populi dum suscipiuntur,
Dumq; Sabinarum mulieres diripiuntur,
Guerra datur patriæ, bella Sabina patent.
Fœmina Tarpegia statuit tunc tradere Romam,
Prodita, quæ capitur, discerpitur, indeq; prona,
Tarpeiæ rupis nomina prima sonant.
Robore Romano stans subdita terra Sabina,
Sub Tacito iam rege suo, sua fœdera minat,
Vt sub pace sua viuere Roma sinat.
Rege sibi Tacito iam Romulus associato,
Præcipit ex populo centum residere senatu,
Quos facit in Latio iugiter esse caput.
Plebeios equites tunc rex ibi primus adegit,
Idola constituit, Romanaq; templa peregit,
Omne solum Latij, cum probitate regit.

Romulus in Capriæ fertur cecidisse paludem,
Qua, rapuit regem fantastica fœmina ludens,
Indeq; non rediit, qua cecidisse pudet.
Nunc erat Osea præclarus in orbe propheta,
Cuius de Christo legimus præconia læta,
Tunc Nabuchodonosor sedit in arce Sion.

Nabuchodonosor rex Babylonis expoliat & captiuat Iudæam, & ponit ibi regem pro se, nomine Sedechiam genere Iudæum.

Nunc Nabuchodonosor rex impius est Babylonis,
Obtinet imperium, furit vndiq; more leonis,
Dissipat & retinet climata cuncta soli.
Vicerat Arphaxad, dominum regemq; Medorum,
Pamphiliam, Phrygiam, regnum capit Assyriorum,
Orbem Iudaicum vastat & omne forum.
Templa Dei veri iubet vndiq; rex aboleri,
Se solum per regna Deum mandauit haberi.
Nemo sibi similis clade tyrannus erit.
Hic regem Ioachim vinctum deportat Hebræum,
Atque catenatum populum ducit Pharisæum,
Omne quod est sanctum, iudicat esse reum.
Vinxit Hebræorum tunc millia dena virorum,
Ex omni Iuda de collegio meliorum,
Atq; nouum regem iussit habere solum.
Rex nouus est ex Iudæis, dictus Sedechias,
Cui Nabuchodonosor iubet omnia subdita fiant,
Qui legem Domini perdere prorsus hiat.
Fit quasi Chaldæus populus sceleratus Hebræus,
A facie Domini proiectus erat Pharisæus,
Iudicio cœli factus vbiq; reus.

Nabuchodonosor destruxit Hierusalem & templum, populumq; seruum facit.

Erigitur rex ille nouus contra Babylonem,
Fraus patuit, rex intumuit, plenusq; furore,
Rursus in Hebræos præliа dira mouet.
Vrbs bona Ierusalem præcingitur obsidione,
Sustinet & rabidum per tempora longa leonem,
Intus & exterius turba caduca dolet.
Rex nouus incautus, nimio iam tempore clausus,
Cùm iam Chaldæis obsistere non foret ausus,
Per medium muri lapsus ab vrbe ruit.
Qui fugiens capitur, vincitur, & exoculatur,
Natus vterq; suus, patre conspiciente necatur,
Vrbs quoq; Hierusalem diruta tota iacet.
Destruitur templum, sed primitus expoliatur,
In populo Domini miranda ruina paratur,
Vir cadit & mulier, pes, manus, atq; caput.

De Nabuzardan principe coquorum Babyloniæ.

Vir Nabuzardan, princeps malus ille coquinæ,
Addidit apprimè casum tormenta ruinæ,
Ex omni populo nil remanere sinens.
Transtulit ex plebe pueros simul & mulieres,
Agricolas cum pace domi iussit remanere,
Aurea vasa Dei prorsus ab vrbe ferens.
Ex auro binas tunc detulit ille columnas,
Quas Salomon quòdam formauerat arte rotundas,
Sustulit altare perspicuumq; mare.
Forma columnarum quas plaga tulit Babylonum,
Ter senos habuisse datur numeros cubitorum,
Non poterant currus, nec iuga ferre boum.
Transfertur Iudas nunc funditus à regione,
Migrat, & arua colit seruiliter in Babylone,
Ira Dei facit hæc, sicut & antè solet.

De etymologia huius nominis Nabuchodonosor.

Quid sonet hoc nomẽ Nabuchodonosor, videamus,
Quo casu, qua sorte fuit, si gesta feramus,
Rem satis ignotam, prodigiumq; damus.
Nascitur incerto coitu puer ex muliere,
Fœmina mœcha domi puerum non ausa tenere,
Proiicit in syluam, nil pietate gerens.
Bubo reseruat eum, lactat capra, virq; leprosus
Fortè venit, miseransq; capit puerum speciosum,
Nominat & puerum vir Nabuchodonosor.
Hoc nomen tria continet hæc, quæ iam memorauit,
Quæ tria componens hoc nomine vir numerauit,
Sicut & inferius pagina lecta canit.
Nabuc, id est bubo: chodir, capra: nosora, lepra,
Hæc tria singula, tam bene consona, nomina tetrà,
Sunt Nabuchodonosor, sic docuêre metra.
Armena lingua nosces hæc dicta fuisse,
Hæc & ab Armenis fateor me sic didicisse,
Amodo rex idem, somnia magna videt.

De tribus pueris Anania, Asaria, Misaël, & de puero Daniele consocio eorum.

Iudaicus populus migrauerat in Babylone,
Dum pueros Nabuchodonosor tulit à regione,
Quos & in obsequiis eius adesse monet.
Indeq; sorte Dei multi pueri Pharisæi,
Germinis Hebræi qui iussa colunt Mosei,
Moribus aulei confamulantur ei.
Vestibus ornari iubet hos aulaq; morari,
Carnibus egregiis semper vinoq; cibari,
Moreq; regali præcipiebat ali.
Asfanat eunuchus datus est custos puerorum,
Et Manasar socius conuiuia fecit eorum,
Deliciis pueros qui refouere volunt.
Tunc Azarias, Misaël, Daniel, Ananias,
Viuere mente pia cœli didicêre sophia,
Regu ad obsequia, dum reuerenter hiant.
Et quia lex nescit vesci gentilibus escis,
Spreuerat his escis, Daniel pro tempore vesci,
Tres quoq; consocij participesq; sui.
Faba cibus fuit his, & aqua pro corpore potus,
Vidit vt hæc dapifer perterritus illicò totus,
Sic ait, ô pueri, non erit iste iocus.
Pallida fit facies tenui faciente dieta,
Corpora deficient, nec erunt præcordia læta,
Talia nunc fieri regia iussa vetant.
Si fuerint pingues alij rutilante rubore,
Vosq; macri facie pulchro fugiente colore,
Pœna mei capitis dira sequetur, ait.
Hi referunt, Patiare parum denisq; diebus,
Prospicies si discolor est macies faciebus,
Si melior fuerit, non timor vllus erit.
Sustinuit dapifer, pueri tenuêre dietam,
Quumq; dies transisse decem, videt ordine metam,
Clarior his alijs forma colorq; fuit.

Asfanat

Asfanat & Manasar referunt hæc omnia regi.
Rex vbi perlegit quæ vita pudica peregit,
Lautius hos pueros iussit vbiq; regi.

Visio Nabuchodonosor regis Babyloniæ interpretata per Danielem.

Visio terribilis præcordia regia mouit,
Dicere quam voluit, sed eam Deus ipse remouit,
Immemor existens ipse dolebat obid.
Rex vocat ariolos satrapasq; magosq; priores,
Quotquot in imperio cognoscit & in Babylone,
Husq; dolens animo verba timenda mouet.
Magna velut memini mirandaq; somnia vidi,
Quæ doleo de corde meo potuisse relidi,
Nescio quid vidi, quid meditabar ibi.
Arduam materies erat ordoq; materierum,
Qui mihi nunc rerum poterit distinguere verum,
Iure pares procerum munere semper erunt.
Dicere si nequeunt, aut si mihi promere nolunt,
Arioli qui phana colunt cœtusq; magorum,
Insimul vt pereant mando per omne solum.
Somnia rex quærit, sed non valet arte doceri,
Nam quod mente gerit nequeunt exponere cleri,
Sic apud ariolos visio dicta perit.
Mira petens miræ succensus spiritus iræ,
Tres pueros pariterq; magos iubet ense perire,
Iussit & ariolos morte perire suos.
Militiæ princeps Arioch, pro morte magorum,
Suscipit edictum, pariterq; trium puerorum,
Vtq; cadat Daniel, regia iussa volunt.
Dum iubet hos pariterq; magos rex ipse necari,
Cumq; videt Daniel hominum tormenta parari,
Ad famulos regis corde precatus, ait;
Differat hoc fieri rex, obsecro mente fideli,
Forte Deus cœli monstrabit & hoc Danieli,
Cuius ab indiciis ipse docendus erit.
Hæc puer implorat, Dominumq; precando laborat,
Tres quoq; consocij secum vigilantius orant,
Rem sibi quam petiit, dat Deus absq; mora.
Doctus ad hoc Daniel, regis festinat ad ædem,
Inuenit & regem celebri consistere sede,
Qua Nabuchodonosor imperat atq; sedet.
Tunc ait, ô bone rex, pietas altissima cœli,
Somnia quæ petij, iam disseruit Danieli,
Ipsa tibi referam, laus referatur ei.
Rex erat in thalamis solido dans membra sopori,
In medioq; thori finem meditatus honori,
Vidit in orbe soli se quoq; posse mori.
Quo meditante satis quæ surgat in vrbe propago,
Astitit in somnis aspectibus eius imago,
Corpus habens varium, cuius & acta dabo.
Stabat ibi validus tanquam vir corpore rectus,
Cui caput ex auro, species argentea pectus,
Grossior ex humeris inclyta forma fuit.
Ilia cum fœmore sunt ærea, ferrea crura,
Fictilis est pedibus ferro permixta figura,
Talis erat species, totaq; forma sua.
Absq; manu lapis excisus de monte recessit,
Qui caput atq; pedes statuæ ventremq; repressit,
Ad nihilum redigens quicquid imago ferat.
Tempora regnorum designat imago tuorum,
Rex Chaldæorum vertatur & Assyriorum,
Nam cadet ipsorum pompa, corona, thronus.
Te caput ex auro demonstrat imago priorem,
Monstrat in argento, post te satis inferiorem,
Sic tua regna Deus diminuendo mouet.
Ænea materies dabitur peiora mereri,
Et magis in ferro poterunt confusa videri,
Fictilibus pedibus, tunc diadema perit.
Tunc lapis absq; manu cæsus de monte resurget,
Percutietq; pedes, & ferrea crura peruret,
Conteret & pectus, comminuetq; caput.
Tota cadet statua quasi mox extincta fauilla,
Nec decor, aut species, aut forma vigebit in illa,
Æs, aurum, ferrum, cunctaq; membra cadunt.
Ille lapis qui conteret hoc, super omnia crescet,
Regnaq; compescet, & climata cuncta capesset,
Et sibi perpetuum congeret imperium.
Si causam quæres quis debeat ista mereri,
Vt valeat cœli princeps terraq; videri,
Iudicio veri respice, Christus erit.
Hæc vbi verba dedit, citò rex à sede recedit,
Mitior incedit, puero prostratus obedit,
Seq; suis pedibus cum pietate dedit.
Atq; Deo cœli laudes dedit ore fideli,
Qui bona quaq; velit cognoscere dat Danieli,
Ipse mihi princeps amodo (dixit) erit.

De aurea statua Nabuchodonosor, & de tribus pueris in fornace proiectis.

Fecerat ex auro statuam Nabuchodonosor rex,
Lata fuit cubitis sex, longa fuit decies sex,
In campo duram rex celebrabat eam.
Quam colit, implorat, laudat, veneratur, honorat,
Quisquis ab hac hora, statuam non pronus adorat,
In gladio pereat, non obeuntem in hora.
Inde tuba cecinit, cytharis cantuq; boauit,
Omnis homo veniat reuerenter eam venerari,
Iste Deus meus est, hunc recolamus, ait.
Tres pueri spreuêre deum regis Babylonis,
Accusant illos subitò populi regionis,
Et cupit hos perimi turba repleta dolis.
Hinc regis furor intumuit, pueriq; vocatis,
Eius in aspectu manibus pedibusq; ligatis,
In loca fornacis hos iubet ipse iaci.
Sexagintanouem cubitis tunc flamma volauit,
Quæ multos hinc inde viros furibunda vorauit,
In pueris tamen his, nil feritatis agit.
In medio flammæ nullo sunt ordine læsi,
Vestibus aut membris penitus non ignis adhæsit,
Nec capitis minimi tunc periêre pili.
Cantabant laudes Domino resonantibus hymnis,
Exterius feruens, erat intus frigidus ignis,
Vnde tribus pueris læsio nulla fuit.
Miratus fornacis opus, rex ipse laborat,
Cernere quid faciant pueri, stant intus & orant,
Rem citus explorans, hos iubet ire foras.
Tres fuerant (inquit) pueri fornace ligati,
Quattuor en video, nullo sunt igne crémati,
Prorsus & illæsi, nil habuêre pati.
Filius ipse Dei quantus puer astitit illis,
Vestibus aut membris sani sunt atq; capillis,
Virtus summa Dei cœlitus astat eis.
Sanctificos igitur pueros rex pronus adorat,
Cum populis satrapisq; suis solerter honorat,
Plorat & implorat, clamat & absq; mora,

Solus Hebræorum Deus est, rex ille polorum,
Hunc volo, credo, colo, turbamq; refuto deorum,
Idola destitui mando per omne solum.

Secunda visio Nabuchodonosor, de arbore pertingente vsque ad cœlum, & de interpretatione Danielis.

Altior arce poli, mens regis erat Babylonis,
Nocteq; clausa thoris, stans lata quiete soporis,
Vidit ab arce poli somnia digna coli.
De medio terræ stetit arbor ad alta superne,
Visa suos ramos super omnia regna referre,
Texit fronte sui quicquid in orbe fuit.
Omnis auis Nili, venit eius fronde potiri,
Ex hac omne pecus potumq; cibumq; requirit,
Stant sub ea pueri, fœmina, virgo, viri.
Tunc ait emissa vox cœlitus ordine dicta,
Arboris abscindas truncum radice relicta,
Nam licet ipsa perit, germen ab inde redit.
Cæsores veniunt, qui dum satis intima cædunt,
Quæ fuerant subtus viuentia cuncta recedunt,
Quicquid ibi fuerat, prorsus ab inde vehunt.
Visio qualis erit, sermone patet Danielis,
Quid sibi causa velit, edisserit ore fidelis,
Tu de qua quæris, rex (ait) arbor eris.
Ecce tuis ramis, terras, mare, sydera tangis,
Quæq; velis frangis, saluas, alis, opprimis, angis,
Qua mare, terra vehit, iam tua dextra regit.
Tu Nabuchodonosor, factus dominus dominorum,
Imò per omne solum dictus Deus esse deorum,
Decidis, & comedes gramina, more boum.
Sensibus humanis, actisq; cibisq; carebis,
Brutus eris, quia bruta geris, nec iniqua vereris,
Consimilisq; feris, viriferitatis eris.
Cognoscent in te reges, & regna regentes,
Quòd Deus exaltans humiles, reprimensq; potentes,
Rex est regnorum, datq; creatq; bonum.
Annis septenis daberis succumbere pœnis,
An nescis quia de cœlis tua gloria venit?
Cui Deus hanc dederit cœlitus, eius erit.
Sed neq; desperes iterum tua regna tenere,
Nam diadema feres, tibi natus erit tuus hæres,
Cognosces Dominum, sanctaq; vota feres.

In capite anni apparuit visionis effectus, cùm rex factus est brutus.

Terminus est anni, quo visio noscitur angi,
Quo meruit frangi regis diadema tyranni,
Desit ergo quies, venit amara dies.
Stultus in hoc verbo loquitur rex, ore superbo,
Vah Babylon Babylon, proprio te robore seruo,
Omnia regna rego, sum Deus orbis ego.
Cumq; loquendo sedet, Deus altius intonat ædes,
Prorsus ab hac sede, tibi dico, Superbe recede,
Vt pecus incede, gramina pronus ede.
Brutus es, in terris, fœno vesceris & herbis,
Esto timor populis & pœna futura superbis,
Exemplar regum, qui male regna regunt.
Verbere diuino fit rex fera, more ferino
Pascitur in limo, iacuit quasi bestia fimo,
In pascente fera, nil rationis erat.
Hunc vbi gramen alit, dum mente vagatur inani,
Principis insani nascuntur vertice cani,
Albior est aquilis, vnguis ad instar auis.

De eodem.

Tempore pendente, dum rex fuerat sine mente,
Sub septem ducibus, tota Babylone manente,
Dum rex facta luit, salua corona fuit.
Dum pater ipse perit, gnatus diademata quærit,
Dictus Euilmerodab, vult regna paterna mereri,
Curia primatum, non ita (dixit) erit.
Dixit eum Daniel: penitus non posse perire,
Vnde putant satrapæ dominum post pauca redire,
Ipsis in medio clausa corona silet.

De eodem.

Anno triceno quo captiuantur Hebræi,
Rex brutus, recreatur homo moderamine cœli,
Correctus, sapiens, ad meliora redit.
Congaudentq; duces qui præfuerant Babyloni,
Applaudunt populi, famulantur vbiq; coloni,
Rex re habet propria regna, fauore poli.

Item de eodem.

Rex modò conciliis regitur vatis Danielis,
Dogmata de cœlis dedit ipse propheta fidelis,
Dicit ei, Bone rex, hæc tibi iura velis.
Lege Deum cœli studeas ex corde vereri,
Cuius opem poteris, ad regna tuenda mereri,
Sic tibi magnus eris, cras quoq; sicut heri.
Pœniteas, veniamq; petas, commissaq; plange,
A vino, carnisq; cibo, te fortiter ange,
Sobrietate tua, facta priora luas.
Sic annis septem, Daniel cum rege cohæret,
Rex iubet vt fiat regni pro parte cohæres,
Cum natis eius, iura coæqua gerens.
Respuit hæc Daniel, regis lux vltima venit,
Tunc alter Nabuchodonosor, pro patre resedit,
Post menses denos, qui sua fata dedit.

De Susanna à falso crimine liberata.

Vxor erat Ioachim specie Susanna decora,
Quam duo presbyteri, dum clam violare laborant,
Voce reluctantis, mota querela sonat.
Crimine pro falso, trahitur lapidanda fidelis,
Spiritus è cœlis loquitur labiis Danielis,
Liberat hanc Daniel, sed periêre senes.

De Euilmerodab rege Babylonis filio Nabuchodonosor.

Surgit Euilmerodab, Babylonis honore leuatus,
Carceris è medio Ioachim secum reuocatur,
Et secum semper tractus amore sedet.
Iste puer Merodab, prius à patre carcere clausus,
Dum patris in regnum succedere non foret ausus,
Cum socio Ioachim vincula longa tulit.
Causa fuit cur vincla luit, quia patris honorem,
Desipiente patre, voluit prius in Babylone,
Vnde reuertente patre, flagella dolet.
Post patris & fratris mortem, sua vincula soluit,
Eripiens Ioachim, regni diademata tollit,
Et quasi consocium, seruat, honorat eum.

Euilmerodab timet, ne pater suus iterum resurgat à mortuis.

Rex Euilmerodab Ioachim coniunctus amore,
Pertimuit, ne rursus ei pater in Babylone,

Auferat imperium, consociumq; monet,
Jura resurgendi, scio te dissoluere nosse,
Ecce patrem vereor de morte resurgere posse,
Dic precor ingenio quo mihi tutus ero?
Ille refert, corpus per frusta trecenta secabis,
Vulturibus totidem sua membra voranda parabis,
Sic tibi secura secula cuncta dabis.

De Baltasar rege Babyloniæ filio Euilmerodach.

Trina fuit proles Euilmerodach senioris,
Regusar, & Labosar, & Baltasar, hic regionis,
Post obitum fratrum Baltasar acta colit.
Baltasar imperium nunc suscipit in Babylone,
Somnia magna videt rex, horrida, plena timore,
Soluat vt hæc Daniel, curia tota monet.

¶ Chronica illius temporis, sub Baltasar rege Babylonis.

ANnis ab Adam discursis quinq; millibus quingentis & quatuordecim. Anno à diluuio 1324. A diuisione linguarum 1224. Ab imperio Nini 1330 annis. A destructione Troiæ, annis 434. Olympiade septima. Regnante Ezechia in Iuda. Regnante Ozea in Israël. Anno ab Vrbe condita 30, Numa Pompilius, filius Romuli, regnat Romæ annis 40. Tunc etiam Nabuchodonosor, nomina trium puerorum, qui in Hebraico sunt vocati, Ananias, Misaël, Asarias, mutauit in lingua sua Chaldæa dicens, Misac, Sidrac, & Abdenago. Eodem tempore, Numa Pompilio filio Romuli regnante, multa genera simulachrorum facta sunt Romæ. Capitolium ædificatum est. Tunc apud Hebræos regnabat Manasses, à quo Esaias occisus fuit. Tunc erat viuens Samia, id est Beneuentana Sibylla.

De Numa Pompilio filio Romuli rege Romanorum secundo.

Iam Numa Pompilius tollit diadema paternum,
Suscipe Romanum mea Musa retexere regnum,
Iam magis ornatè gesta referre placet.
Numa, duos menses solenniter addidit anno,
Nomine qui resonant Ianuarius & Februarius,
Antè decem fuerant, nec minor annus erat.
Hic, Capitolia primitus imperat ædificari.
Regnaq; Romula iuraq; regia magnificauit,
Nunc & Ero filia prima sibylla canit.

Visio Baltasar regis Babylonis de manu scribente in pariete, interprete Daniele propheta.

Baltasar vt regnum tulit in Babylone paternum,
Mille sui satrapæ magnalia regia cernunt,
Quos vocat vt comedant fercula multa sua.
Gens ibi Chaldæa, captiuaq; plebs Pharisæa,
Mira videre meat, celebri plaudente chorea,
Laude, tuba, cythara, festa coluntur ea.
Dum comedunt, dũ vina bibunt, post fercula centũ,
Tunc libuit quæ non decuit regem temulentum,
Nam sacra vasa Dei, confamulantur ei.
Vasa loquor templi Domini quondam Salomonis,
Quæ rapuit Nabuchodonosor, princeps Babylonis,
Et Nabuzardan qui coquus eius erat.
Vascula diuina Babylonis, facta rapina,
Regia nunc vina male commaculata propinant,
In quibus arioli vina bibêre sui.
Rex Satrapis hæc verba dedit, dum vina biberunt,
Ista Dei mihi vasa mei captiua dederunt,
His agimus laudes qui bona cuncta ferunt.
Ecce mei statuêre Dei quòd lex Mosei,
Viribus ipsorum cadat, & damnentur Hebræi,
Hæc vbi rex loquitur, adfuit ira Dei.
Vidit enim digitos hominis inscribere muros,
Sola manus patuit, casus scribendo futuros,
Manes, ethel, phares, litera quam videt est.
Hanc per scripturam metuit rex acta futura,
Territus est, sua regna timens prorsus ruitura,
Sed nequeunt populi rem reserare suam.
Litera multorum solui nequit arte magorum,
Contremuêre duces, mens regia plena dolorum,
Aduocat huc omnes qui sua phana colunt.
Attrahitur Daniel, qui soluere scripta rogatur:
Pollicitis multis rex & regina precatur,
Dicere quid paries ordine scriptus habet.
Ille refert, dona teneat ruitura corona,
Scripta tamen promam, quia cerno pericula prona,
Scriptus ibi paries deteriora sonat.
More patris peccare tui plerunq; videris,
Nam mutos surdosq; deos colis & reuereris,
Tu sacra vasa, reis pocula ponis eis.
Ligna, cuprum, lapides, aurum coluisse videris:
Qui flatum, regnumq; dedit tibi, spernere quaris,
Iudicio cœli rex periturus eris.
Iam Babylon capitur, rex hic nouus ecce leuatur,
Defluit imperium, diadema tuum variatur,
Perdere te video cum regione caput.
Baltasar his dictis, sub eadem nocte necatur,
Atq; Medus Darius rex in Babylone leuatur,
Sic Medus & Persa subiugat omne caput.

Daniel mittitur in lacum leonum sub Dario rege Medorum & Babylonum, auunculo Cyri.

Rex Darius Cyrusq; nepos peramant Danielem,
Quem vatem sibi primatem statuere fidelem,
Vnde pius Daniel regna subacta tenet.
Hoc aliis regnum satrapis pensatur amarum,
Consilium nunc concipiunt cœtus satraparum,
Tunc & apud regem dicta maligna mouent.
Hanc populis ô rex, petimus reponere legem,
Nemo Deum rogitet, nisi te solummodo regem,
E gladio pereat qui tua iussa neget.
Lex data tunc satrapis placuit, sed non Danieli,
Orat enim semper Dominum, super æthera cœli,
Quo fundente preces insidiantur ei.
Hic vbi stãs orat Dominum, dum pronus honorat,
Plebs foris explorat quid agat stationis in hora,
Ante thronum regis, mota querela volat.

Cur tibi complacuit, bone rex, proponere legem?
Cùm Daniel alium quàm te, colat amodo regem,
Si uis iura coli, debet & inde mori.
Lege fori reus ipse mori de iure vocatur,
Nec mirum qua pœna virum petit vt perimatur,
Quem nisi tradideris, tu perimendus eris.
Dum furor excrescit, dum turba superba tumescit,
Dicta perhorrescit rex, sed compescere nescit,
Corde fauet vati compatiturq́ satis.
Mitigat ergo dolum, dicens populis Babylonum,
Hoc reor esse bonum, tradatur in ora leonum,
Hoc satrapæ cupiunt, hoc mea iura volunt.
Territus ipsarum strepitu rex ipse minarum,
Annuit vt Daniel mergatur in ima ferarum,
Hoc potuit satrapis non placuisse parum.
Non dederant alimenta feris tribus ante diebus,
Vt citius quam nunc dabitur caro missa voretur,
Nec fuit his ausus rex adhibere pecus.
Missus in ima loci, penitus non læditur ille,
Sanus & incolumis Domino fert cantica mille,
Clausit ab externis rex pius ipse lacum.
Cumq́ recedit, ait, Qui stat super æthera cœli,
Verus Hebræorum Deus assistat Danieli,
Nónne suus Deus est? ipse fauebit ei.
Clamat ad hæc mala plebs, ex lex reus est, pereat rex.
Rex abiit, siluit, doluit, latuit, metuens res,
Tristior incedens parta pericla videns.
Filius Astyagis Darius dominus Babylonum,
Mane meat spectare lacum turbamq́ leonum,
Nam Danielis ibi flere pericla volunt.
Intus vt aspiciunt Daniel surgens ait, Adsum,
Ecce meum corpus nullo discrimine passum,
Omnia cerne Deum rex bone posse meum.
Rex ait exclamans, Magnus Deus est Danielis,
Imperat in terris regnans super æthera cœli,
Hunc volo, credo, meum cœlitus esse Deum.
Solus Hebræorũ Deus est, Dominus Dominorum,
Idola nostrorum condamno, refuto deorum,
Esse Deum solum credo per omne solum.
Huc adeant satrapæ, fortesq́ viri Babylonum,
Sicut & hic Daniel mittantur in ora leonum,
Qui prius insontem sic periisse volunt.
Regis ad imperium rapitur cœtus satraparum,
Et cibus ipsarum consumitur ore ferarum,
Mira vident alij, nec timuêre parum.

De origine & de dignitate & gente Sueuorum.

Acta Sueuorum post hac & bella canemus,
Gallorum Senonum, gentem secum referemus,
Hic loquar vnde fuit gens & origo sui.
Quæ bona, qui mores sibi sint, quo gaudet honore,
Qua regione sedet, quo sit recolenda decore,
Cur prior in bello signa vel arma mouet.
Orbe Macedonia peperit natura Sueuos,
Tempore grandæuos, proceres, ad prælia sæuos,
Ingenio validos, littera narrat eos.
Terra Sueuorum prius extitit Italicorum,
Mucro Macedonicus populos eiecit eorum,
Marteq́ præripuit quicquid in hoste fuit.
Iudicio cœli dominantur in orbe Sueui,
Culmen ad imperij gens audacissima venit,
Iam sua progenies, Romula regna regit.
*Militia diri, cupiunt *additare requiri,*
Cæsar ab his meruit diadematis orbe potiri,
Regnaq́ sortiri, Marte calore viri.
Nunc vbicunq́ geri respublica prælia quærit,
Ordine primus erit, gladio vult primus haberi,
Moreq́ signiferi primus in hoste ferit.
Corpore sunt graciles, agiles, & robore magni,
Actibus ancipites sunt, more leonis & agni,
Mitis & austeri militis acta gerit.
Hospita terra satis sua dat conuiuia gratis,
Vinetis & agris ibi copia fertilitatis,
Arboribus, pratis, flumine, pisce latis.
Fons ibi Danubij, primum nanciscitur ortum,
Cui facit Vngaria, Rutenia, Græcia portum
Alpibus Italiæ, terminus eius adest.
Per medium patriæ, Rheni decet acta referre,
Rhenus ab alpe cadens, medius rigat intima terræ,
Castrorum latè copia multa patet.

Alemanni vnde dicti.

Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus,
Indeq́ nonnulli referunt dictos Alemannos,
Sed vox æquiuoca nomina falsa parat.
Illud ego nomen, alia video ratione,
Quicquid prisca sonent, quod sentio, litera promet,
Lector abhinc capiat, quæ magis apta sonent.
Alle, *sonat totum.* Man, *vir: si Teuthona lingua*
Hæc duo coniungat, totum vir, litera signat,
L geminata, *satis nomina clara facit.*
His ita dimissis, quibus acta Sueuica scripsi,
Rursus ad historias mea penna recurrere gliscit,
Ad Cyri sedem dactyle verte pedem.

¶ *Cyrus rex Persarum & Medorum obsidet Babyloniam, & capit eam.*

DVm Tarquinius Superbus ab Vrbe excluſus, Romam obſidione premeret: Cyrus rex Perſarum & Medorum totius Orientis iam obtento imperio, caput ipſius imperij Babyloniam capiẽdam obſedit. Vbi quum vnus militum ſuorum, fluuium Gangem, qui vnus de quatuor fluminib. paradiſi eſſe narratur, temerè pertrãſiret, impetus fluminis eum ſubmerſit. Quo caſu cõtriſtatus Cyrus, volens vlciſci in fluuium, in quadringentos & ſexaginta riuos eũdem fluuium ſubdiuiſum ac deriuatum, vetularũ etiam pedibus tranſmeabilem fecit. Simili quoq; ingenio fluuium Euphratem, per mediã Babyloniam fluentem, à proprio alueo deriuauit, & ſic vrbẽ illã omnium vrbium potentiſſimam cepit, anno 1400, poſt ipſius Babylonis fundationẽ: de cuius ſitu & euerſione verba Oroſij breuiter inferamus. Cepit Cyrus vrbẽ (inquit Oroſius) quam vel opere humano extrui, vel humana virtute poſſe deſtrui, incredibile fuerat apud mortales. De ſitu quoq; eius idẽ Oroſius ſic ait: Babylonia campi planitie latiſſima per quadrum diſpo-

posita, murorum eius incredibilis erat firmitas & magnitudo. Erat enim latitudo, id est spissitudo muri cubitorum quinquaginta, altitudo eius quater tantùm, longitudo verò 480 stadiorũ spatiis circumcingitur: murus cocto latere, atq; bitumine est pactus. Fossata exteriora, ampla & lata, quæ flumina circumuallabant. In vnaquaque fronte murorum, quingentæ portæ æreæ. Murorum autem latitudo, in consummatione pinnarum, vtroque latere habitacula defensorũ habebat. Et media intercapedine muri, quadrigas viginti capiebat: domus defensorum tricameratæ, proceritate mirabili præminebant. Eo tempore Daniel de Cyro, & de Christo, atque de Antichristo multa prædixit. Abacuch etiam tunc Canticum fecit, dicens, Domine, audiui vocem tuam & timui, & cætera.

Cyrus rex Persarum & Medorum succedit auunculo suo Dario in imperium.

Persarum Dominus Darius regniq; Medorum
Baltasar interimit, regnumq; capit Babylonum
Obtinet Ægyptum, subiugat omne solum,
Quo moriente nepos recipit diademata Cyrus,
Fit Cyrus virtute pius certamine mirus,
Et gladio dirus, consilioq; scius.
Cyrus, Hebræorum pater efficitur populorum,
Soluit & exilium rex, vincula tollit eorum,
Quos iubet ad proprium nunc remeare solum.
Templa reformari vult, Ierusalem reparari,
De variis terris decreuit eos reuocari,
Lege iubet Mosi rex holocausta dari.
Si causam quaris, cur compateretur Hebræis,
Scripsit Esaias quòd ab ore sonat Danielis,
Præco fuit Cyri, scripsit & ista sibi.
Ante dies Cyri bis centum primus ab annis,
Scripserat hæc Esaias, quæ mea pagina pangit,
Insuper addo decem, quos numerare decet.
Dixit enim Dominus: Cyrum mea dextera prendit
Subiiciam gentes sibi, cum diademate regni,
Ipse mei populi vincula soluet, ait.
Ille domum Domini, templumq; reædificabit,
Vrbem Ierusalem per circuitum renouabit,
Plebs mea legitima tunc holocausta dabit.

Daniel destruxit Bahal, & draconem interfecit sub rege Cyro.

Filius Astyagis Darius rex ille Medorum,
Baltasar extincto diadema tulit Babylonum,
Et regi Cyro cessit vtrunq; solum.
Cyrus nanq; nepos erat, alter auunculus eius,
Cyrus in imperio non rexit climata peius,
Cui Daniel vates iunctus amore placet.
Tunc erat ille Bahal deus in Babylone vocatus,
Viuere cunctatus, cultus, veneratus, amatus,
Cui cibus est multus, nocte dieq; datus.
Hunc vbi præsciuit Cyrus reuerenter adiuit,
Hic ait, ô Daniel, deus iste meus bene viuit,
Nónne potest credi viuere, quisquis edit?
Quotidie manducat oues triginta potenter,
Et vini sex vasa bibit plerunq; latenter,
Cogor obista quidem prorsus habere fidem.
Dicit ei Daniel: Non est deus iste, sed est æs,
Deciperis bone rex, tecum tua decipitur plebs,
Ipse nihil comedit, sed neq; vina bibit.
Cyrus ait; Mihi crede magis, quia sentit & audit,
Et bibit & comedit, plaudit sibi plebs, & obaudit.
Hæc ita si dubites esse, probare potes.
Ante Deum propone cibos, templo bene clauso,
Si comedet quæcunq; dabis vino satis hausto,
Crede Deo vero, cui famulabor ego.
Econtrà. si falsa loquor, si falsa probabis,
Idola quæ colimus, tu comminuenda putabis,
Et mihi quæ cupias sacra colenda dabis.
Dicta placent regi, placuit pactum Danieli,
Dicit ad hæc Daniel, confisus robore cœli,
Rex bone quod quæris fœdere, cautus eris.
His ita dispositis, rex fortiter ostia clausit,
Hisq; sigillatis, pactis pars vtraq; plausit,
Nocte tamen cineres cribrat ibi Daniel.
Mane venit Cyrus, Danielq; vocatus ad illum,
Rex ait, ô Daniel, bene prospice, cerne sigillum,
Integra signa mea, nónne videmus ea?
Integra sunt, ait, hic sed & integra nolo relinqui,
Rumpe sigilla citò, videas intrinsecus, inquit,
Intrat & aspiciens, fercula nulla videt.
Cyrus ait, Mihi plena magis victoria cedit,
Quæ dedimus comedenda deo, deus ecce comedit,
Et data cuncta sibi vina falerna bibit.
Alter ait, pauimenta vide, vestigia cœnæ,
Qui fuerint qui detulerint alimenta moderna,
Ecce pedes hominum pingere cernis humum.
Fraude reuelata, rex repperit antra parata,
Vnde reseruata fuerat via, clam reserata,
Inde rapi poterant, fercula cocta data.
Ergo sacerdotes peremit, templumq; deorum,
Vxores, pueri, simul interimuntur eorum,
Ipse Bahal periit, comminuitq; chorum.
Rursus ait Cyrus; viuens Deus in Babylone,
Est alius, quem si poteris delere draconem,
Ampla tuæ fidei spes mihi salua foret.
Non est ille deus, Daniel ait, ecce probabo,
Est draco terribilis, quem protinus ipse necabo,
Et tibi serpentis viscera fracta dabo.
Sic vbi serpentis speciem videt ore patentis,
Proiicit in ventris loca vas picis igne calentis,
Offa picis liquidæ viscera rupta tenet.

Daniel iterum mittitur in lacum leonum sub Cyro rege, vbi portat ei prandium Abacuch propheta.

Deficiente Bahal, sed & intereunte dracrone,
Plebs doluit, terrorq; fuit grauis in Babylone,
Ad solium regis mota querela venit.
Hic aiunt; Rex, trade virum qui templa deorum
Destruxit, pariterq; deos & nomen eorum,
Vnde dolent satrapæ, qui tua phana colunt.
Nititur econtra vatem rex ipse tueri:

Plebs ait ad regem, mortem potes ipse mereri,
Tutor & absconsor si Danielis eris.
Inde metu populi, strepituq; calente malorum,
Traditus est Daniel, detrusus in antra leonum.
Cyrus ad hæc doluit, militiæq; chorus.
Absq; cibo fuerat furiosa caterua ferarum,
Nec tamen hunc læsit deus aut ferus vnguis earum,
Sed famulantur ei singula sorte Dei.
Tunc Abacuch in Iudæa, cùm iam foret æstas,
Detulit ad cœnam solitam messoribus escas,
Hinc Deus è cœlis intulit orsus ei.
Prandia cocta ferens Abacuch, porta Danieli,
In medio iacet ecce laci, vir corde fideli,
Ast at & in Babylon turba leonis ei.
Ille refert: Domine, nunquam vidi Babylonem,
Nescio quippe lacum, totamq; laci regionem,
Angelus inde senem fortius ire monet.
Angelus hũc portans Abacuch, retinente capillo,
Prandia dat quæ vir tulerat, dum peruenit illò,
Ad loca dum venit, clamat, & inquit ei:
Serue Dei Daniel, Dominus tibi prandia misit,
Tolle cibos, comede, te gratia summa reuisit.
Ille Deo grates retulit atq; sibi.
Angelus, his dictis, Abacuch, citus inde reportat,
Vnde prius fuerat messis messoribus orta,
Et dedit ad propria sic remeare loca.
Dum septena dies lugenda foret Danielis,
Exiit à solio Cyrus rex ille fidelis,
Quærit & asseiri funera sancta viri.
Dumq; venit flere Cyrus sanctum Danielem,
Intus prospiciens videt hunc sine clade sedere,
Quippe nihil rabidæ tunc nocuêre feræ.
Vidit & exclamans inquit; Deus est Danielis,
Arbiter æthereus, distinguens sydera cœlis,
Imperat in terris & dominatur eis.
Ingrediantur, ait, magni satrapæ Babylonum,
Interiora laci scrutentur & ora leonum,
Et necis vt Daniel experiantur onus.
Dixit, & iniecti, subitò sunt ore vorati,
Rex pius & Daniel celeri sunt laude leuati,
Gloria summa Deo, qui bona cuncta facit.

De Sardanapalo vltimo rege Assyriorum, qui primam culcitram adinuenit.

Vltimus Assyriæ rex, nomine Sardanapala,
Fecerat ex pluma, plumaria, clausus in aula,
Facta suis digitis culcitra prima fuit.
Fila videns regem contexere turba virorum,
Obstupuit, dicens; Periit decus Assyriorum,
Fœmineus rex est, fœmineusq; thronus.
Non valet imperij rex fœmina iura tueri,
Quippe colum baiulat similis factus mulieri,
Occidamus eum: rex ait; Hoc nec erit.
Nulla meæ mortis dabitur victoria vobis:
Hæc dicens, validis se contulit ilicò focis,
Talibus interiit Sardanapala iocis.
Ipsis temporibus rex Arbanus ille Medorum,
Destruxit regnum quod diximus Assyriorum,
Obtinuit populum, diripuitq; forum,
Lydorum quoq; tunc regnum, rex Cyrus adegit,
Argorum nilominus hic diadema subegit,
Omne decus mundi Cyrus in orbe regit.

¶ *Chronica.*

CYrus quum subiugasset Babyloniam, cum regno Medorũ & Assyriorum, & regnum Lydorum & Argiuorum: in superbiam elatus, regionem Scythiam, cui tunc Tamira regina Amazonum dominabatur, cum exercitu ducentorum milium petit: & quum Araxim fluuium pertransisset, castrametatus ibi, & gente Scythica ad se callidè euocata, tertiam partem exercitus reginæ, cum filio eius interfecit. Vnde regina postmodum Cyro inter angusta montium prouocato, & vndiq; circumcluso, cum toto exercitu eum ita deleuit, vt nec vnus remansisset, qui alibi nunciaret. Caput ipsius Cyri gladio amputatum, in vtrem sanguine plenum submersit, dicens, Sanguinem sitisti, sanguinem bibe. Res miranda & omni homini pertimenda, quum tantus princeps cum tanto exercitu, viribus fœmineis potuit omnino extingui.

Regina Amazonum interfecit Cyrum.

Venit Amazonida celebris regina Thomira,
Quæ gladio dira fuit, & certamine mira,
Et potuit Cyrum subdere Marte virum.
Ipsa caput regis sub eodem sanguine mergit,
Dicens, Tolle, bibe, prauigula pessima regis,
Sanguinis es sitiens, sanguine mersa bibe.
Causa necis Cyri, fit filius ipse Thomiræ,
Quem Cyri manus occidit, prohibens sepeliri,
Vnde caput Cyri, sanguinis atra bibit.

¶ *Chronica.*

ANno ab Vrbe condita 364, Sueui & Senones Galli, id est Burgundiones, Allobrogi, sub duce Brennio Italiam intrant, Romam petunt, Fabium consulem bello eis occurrentem, cum toto exercitu suo extinguunt, & vniuersam Romanam iuuentutem occidunt, domos subuertunt, & mille viros Romanos, extinctis aliis, in Capitolium obsessos, constringunt. Aquibus tandem mille libris auri in tributum receptis, discedunt: & reuertentes, à consule Camillo apud fluuium Metaurum, vbi nunc est ciuitas Phanum, vincuntur. Tunc etiam ibi phanum ad honorem Fortunæ ædificauerunt. Vnde & Phanum ciuitas nuncupatur. Cætera versibus suppositis de Brennio explicamus.

De Brennio duce Sueuorum & Senonum Gallorum, per idem tempus.

Incoluit centum primaua Sueuia pagos,

Non vrbes, non castra volens, sed rura vel agros,
Erudiens diros semper ad arma viros.
Metropolim fingunt populi cognomine Cymbrum,
Quam neq; constringunt muro, nec in aggere cingi.
Nam sua dextra fera, murus & agger erat.
Quando super gentes exercitus ibat eorum,
Mille viros, pagus dabat vnus & arma virorum,
Sic sibi centena millia, semper erant.
Brennius ipsorum dux est, at & Allobrogorum,
Viribus illorum, dux prædo fuit populorum,
Diripuit spolium, terruit omne forum.
Sublato rerum spolio raptoq; tributo,
Hæc eadem repetit, rediens anno reuoluto,
Et patriæ populis, diuidit illa suis.
Rursus in æstate populo fruges reparante,
Eligit ex pagis tot millia sicut & antè,
Et redit ad spolia dux, feritate sua.
Munera promissa spernit, præsentia quærit,
Quod manus arripuit, hoc solum credit haberi,
Quod videt, hoc credit, despicit id quod erit.
Nullos constituit reditus, censusve futuros,
Præsentes tantùm quæstus, reputat valituros,
Vnde queat populos magnificare suos.

De eodem Brennio.

Sede Bisuntinus fuerat tunc rex Seguinus,
Cuius erat Sauna fluuius, Rhodanusq; marinus,
Primaq; pars Araris Allobrogusq; sinus.

De Allobrogis.

Cùm loquor Allobrogos, fluuiũ perpẽdo Labroiam,
Quæ fuit vrbs quondã grandis, velut altera Troia,
Nomen Auenza fuit, quæ peritura ruit.
Illa superborum viguit feritate virorum,
Marte Sueuorum periit primatus eorum,
Decidit armorum cultus, & omne forum.

De Sequana & Ligeri fluminibus.

Vxor erat Brenni, Seguini filia regis,
Cuius ab auxiliis dux, Gallica regna subegit,
Sequana cum Ligeri, Brennica signa vehit.
Fecit apud Gallos Senonensem Brennius vrbem,
Quæ residens, hostes per eam bellando perurget,
Cuius & auxiliis Brittona regna tulit.
Cũ loquimur Senones, hoc Sauna parit tibi nomen
Indeq; sunt Senones, qui quondam mœnia Romæ,
Vicerunt, quorum Brennus erat dominus.
Defuncto socero, fit regni Brennius hæres,
Qui modo Romanum regnum confisus habebat,
Intrat in Italias, agmina multa ferens.

Quot annorum erat Roma, tempore Cyri regis.

Tempore quo regnat Cyrus rex ille Medorum,
Roma trecentorum fuit annorum, sed eorum,
Prælia Gallorum, diripuêre solum.
Italicas partes, tunc sæua Sueuia pressit,
Viribus illorum, Romana potentia cessit,
Omne solum Latij, Romaq; capta fuit.
Ast loca præcipua, Romæ, Capitolia dicta,
Non modo sunt victa, sed nec sine clade relicta,
Causa salutifera, garrulus anser erat.
Nanq; soporatis custodibus, adfuit hostis,
Et quasi iam fuerant, penetrata foramina postis,
Sed vocat anser eos iam quasi morte reos.
Exsurgunt vigiles, cùm Roma capi potuisset,
Garrula ni subito vox anseris illa fuisset,
His tamen expulsis, integra causa fuit.

De aureo anſere, quem Romani coluerunt annis quadringentis.

Anseris aurata tanquam Deus inde figura.
Ritè coli meruit, sub honore diu valitura,
Quippe nec immunis anser in vrbe fuit.
Non aderant cordæ, neq; congrua lina balistis,
Cùm lini species nusquam foret vlla ministris,
Crinibus & caudis, expoliantur equi.
Sic & ab his contorta pilis fit corda balistis.
Arcus distenti, subito tenduntur abyssis,
Indeq; Romanis sunt loca tuta magis.
Post & equi cordæ per multa pericula rerum,
Deficiunt: sed & accipiunt crines mulierum,
A quibus auxilium sub breuitate ferunt.
Calua cupit mulier, magis hic vel rasa videri,
Quàm viduata viro, bene compta sub hoste teneri,
Vnde comas capitis, rasa puella dedit.
Mortis in articulum, Romana potentia ducta,
Pace data, censum tribuit, cessanteq; lucta,
Mille libras auri, Brennius inde tulit.

Item de Brennio.

Brennius vt remeat, sequitur Camillus & angit,
Flumine Metauro, Fanensia litora tangit,
Et super Illyricum Marte fugauit eum.
Quæ, quia Fortuna Romanis contulit omen,
Ædificant vrbem, cui dant, ex nomine nomen,
A phano phanum, nomen habere canunt.
Brennius ? Italiæ qui munera viribus haurit,
Flumine Metauri, pondus male reddidit auri,
Victor & vnde fuit, deteriora luit.

Brennius ædificat Mediolanum, Veronam, & Brixiam, & Senogalliam, & vrbem Senam in Tuſcia.

Nunc super arma tonat dux Brennio, creatq; Verona.
Qua contra Romã voluit gestare coronam, (nam
Nam quasi Veroma, dicta Verona sonat.
Brixia fundatur, Ticina Papia paratur,
Et Mediolanum, Brenno satagente nouatur,
Vrbs maris ? Illyrici, nunc Senogallia fit.

Interpretatio Mediolani.

Sus fuerat medio, lanoso vellere tergo,
A vario tergo dux Brennius intulit ergo,
Hæc Mediolani nomen habebit, ait.
Has vrbes domini primi tenuêre Sueui,
Sub quibus Allobrogi fuerant, Senonesq; coæui,
Has ita compleuit Brenno labore leui.
Iam latè quod dico patet, sunt nanq; feroces,
Corpore veloces, agiles, fortes & atroces,
Hostibus ense nocent, sicut & acta docent.

Brenno vincitur à Romanis apud Senas in Tuſcia.

Militia validas nunc Brenno relaxat habenas,
Ædificatq; Senas, Tuscorum robore plenas,
Cum quibus & Romæ bella reuersa mouet.

Manlius Torquatus consul roburq; senatus,
Surgit in occursum Senonum multis comitatus,
Et validis cuneis primus in hoste ferit.
Lucius hunc Quintus, sequitur dictator ab intus,
Brenno videns Quintum tunc & cadit in labyrin-
Nam labyrintheo Marte grauatur eo. (thum:
Roma sagax cuneo, Senones circundat vtroque,
Gallicus ordo ruit, circundatus antè retroq;,
Terga dedit Senonum copia, Brenno quoque.
Brennica pars cessit, dum sanguine terra madescit,
Agmina casorum distinguere literа nescit.
Victa manus Senonis, fusa per arua ruit.
Ad mala festinans, iterum dux agmina minat,
Et citò declinat per littora lata marina,
Quà Senonum cuneis Romula castra ferit.
Fortior effecta Romana potentia surgens,
Agmina Brennica fusa per omnia morte perurget,
Pauci sunt Senones, qui remeare valent.

Trecentæ matronæ Romanæ & octogintaduæ, prępарant venenum dare maritis suis.

Tunc simul inuentas matronas dico trecentas,
Octogintaduas Romano carcere tentas,
Conuictas, propriis ferre venena viris.
Iratus populus, iubet has potare venenum,
Et reliquæ scelerum socia, simul inde biberunt,
Conscia si qua fuit, parta venena luit.

Brenno & Senones Galli transeunt in Græciam cum ducentis millibus armatorum.

Romano iam sopito pro tempore bello,
Eligit armatos bis centum millia Brenno,
Migrat & ad Danaos & citò vincit eos.
Centum millia tunc posuit Græcis dominari,
Quos hodie Galatas dat Græca loquela vocari,
A Gallis Galatas publica fama vocat.

De Brenno duce Sueuorum & Senonum Gallorum.

De Græcis salit ad Delphos Brenni comitatus,
Haud procul à Thracia, sola feritate vocatus,
Obtinet archatus prorsus in omne latus.
Idola magnorum videt vndiq; multa deorum,
Magnus erat cultus, maior thesaurus eorum,
Obsequio quorum subiacet omne solum.
Iuppiter est maior, post admirandus Apollo,
Post Æsculapius, reliquos non nomine tollo,
Qui stant ante deos, & venerantur eos.
Aurea poma Dei parui manibus tenuerunt,
Quæ magnis offerre deis, quasi tunc voluerunt,
Sicut in historiis Brennica gesta ferunt.
Iuppiter ex auro texta, cum pondere veste,
Enituit, gemmæq; sibi sunt arte retextæ,
Sic Æsculapij, sic & Apollo fuit.
Stat pater imberbis vir Apollo, sed in Creta nati,
Aurea barba nitens Æsculapij memorati,
Miratus Brennus, risit abinde satis.
Miror, ait, pater iste senex imberbis habetur,
Aurea sed nati pueri cur barba videtur?
Dedecus est patri, nolumus ista pati,
Cur Iouis est auro vestis gemmisq; venusta?
Frigida plus hyeme, collum grauat, inquit, onusta,
Nil valet algori, nec decet ipsa coli.
Lanea sit vestis sibi, sit leuis apta calori,
Lanea barba patri sit cana deo senori,
Filius imberbis stet, ratione fori,
Credite vos Senones, vobis Deus ista parauit,
Tollere nos aurum, censura superna vocauit,
Omnia quæ video, tollite prorsus, ait.
Omnia dum rapiunt, stant corpora nuda deorum,
Nuda verenda Iouis, sed nuda pudenda suorum,
Hunc ego non patiar, dixit Apollo, dolum.
Albis virginibus vlciscar dedecus istud,
Brenno luet, populusq; ruet, nobis quoq; priscus
Restituetur honor, quem modò tollit homo.
Despicit ambigua Brennus responsa deorum,
Et iubet vt locuples eat hinc modò turba suorum,
Ac properent auri pondera ferre domum.
Aplibus ingeritur dux, ad Galatas rediturus,
Obruitur niuibus, subito casu periturus,
Deperit in niuibus miles vbiq; suus.
Albis virginibus tunc vltus Apollo putatur,
Dum mediis albis niuibus, dux ipse necatur,
Sic responsa Dei, vera videntur ei.

¶ De Cambyse filio Cyri regis Persarum.

CAmbyses filius Cyri, quatuor nominibus nũcupatur. Vocatur enim Xerxes, vocatur Nabuchodonosor, vocatur Assuerus, & vocatur Cambyses, secũdum diuersas eius historias. Cambyses, templũ Domini à patre suo ex parte restauratum, prohibuit ædificari, & omnes Hebręorum cæremonias præpediuit: ipsosque Iudæos tributarios fecit. Cambyses 18 anno Tarquinij Superbi, cœpit regnare. Istius Nabuchodonosor fuit dux Holofernes, quẽ Iudith castissima interfecit. Iudith apud Iudæos, & Lucretia apud Romanos contemporaneæ fuisse leguntur.

Item de eodem Cambyse.

CAmbyses nouam Babyloniam in Ægypto dicitur instaurasse, quæ olim ab Argiuorum, rege, nomine Api, condita, Memphis dicebatur. In ea etiam habitauit Pharao, quãdo filij Israël ab eo in luto & latere opprimebãtur. In ea quoq; postea Philadelphus Ptolemæus Rex Ægypti vero Deo templum ędificauit, ad similitudinem templi Salomonis, sicut postea dicemus. Non mireris lector, si Cambyses iste vocatur Nabuchodonosor. Ille enim primus Nabuchodonosor, rex Babylonię, centum annis ante Cambysem mortuus erat, & post eum filius eius iunior Nabuchodonosor, & post eum Euilmerodab, & post eum Baltasar ille, scilicet quem Cyrus pater Cambysis occidit. Temporibus autem

tem Cambysis erant Iudæi in Hierusalem per Cyrum regem reuocati: quos Cambyses filius Cyri, qui in hoc loco vocatur Nabuchodonosor, est persequutus per Holofernem suum ducem. Tunc viuebat Iudith, quæ Holofernem interfecit. Cætera versus habent.

Item de eodem Cambyse versificè.

Dum gladio Cyrum regina Thomira peremit,
Pro patre Cambyses pleno diademate sedit,
Nomina bis bina, cui genitura dedit.
Esdras nominat hunc Artaxes aut Assuerum,
Aut Nabuchodonosor, aut Cambysem, sed in æuum
Quattuor hæc huius nomina regis erunt.
In libris Hester signabimus hunc Assuerum,
In libris Iudith Nabuchodonosor referemus,
Sed modò Cambysem scripta subacta ferunt.
Hoc sub Cambyse cœpit Iudæa grauari,
Hierusalem templumq; simul, vetat ædificari,
Atque graues census, imperat inde dari.
Omnia quæ Cyrus pater eius contulit illis,
Quàm citò Cambyses mandauit vbiq; refringi,
Sub cuius vita res ea mansit ita.

De septem magis, & de Mergo puero.

MOrtuo Cambyse sine filio, & fratre suo Mergo puero remanente, septem Magi custodiebant palatium & regnum cum puero * Mergo. Vnus autem Magorum nomine Hermeides, puerum Mergum in templum occultè deductum, clam suffocauit, & fratrem suum Mergo coætaneum, regem substituit. Reliqui verò sex Magi hæc ignorantes, & de puero dubitantes, per mulierem cubiculariam in somnis tentare cœperunt, vtrum puer ille aures haberet, an non: vbi deprehensum est illum vtraque aure carere (Cambyses enim eas pro crimine fecit abscidi) Quo cognito, Hermeidem & fratrem eius ceciderunt, mittentes sortem eius quis eorum sex magorum, rex esset futurus. Sors autem talis erat, vt cuius equus prius daret hinnitum, euntibus eis ad templum, ille regnaret. Darius ergo vnus ex istis Magis, equo suo cum equa ante fores templi tota nocte seruato, mane dum cum aliis pergeret, primum tulit hinnitum, & sic in imperium est eleuatus. Eodem tempore Romani à persequutionibus Tarquinij Superbi sunt liberati.

De Dario rege Persarum filio Hystaspis.

Defuncto Cambyse magi septem venientes,
Suscipiunt totum regnum, pro rege regentes,
Et frater regis Mergus adhæsit eis.
Mos erat, inclusos seruare palatia reges,
Et septem sub rege magos tibi condere leges,
Cum quibus & Mergum tunc habitasse ferunt.
Hunc Mergũ datur Hermeides magus arte necasse,
Et proprium fratrem vice Mergi sede locasse,
Clausus vt ipse lare regia iura daret.
Eiusdem fratris fuit auris vertice secta,
Tangitur in somnis, patet auris cæsa reperta.
Hunc igitur perimunt consociumq; magum.

De Tullio Hostilio rege Romanorum contemporaneo.

Tullius Hostilius nunc tollit in Vrbe coronam,
Ampliat & vallo satagit præcingere Romam,
Bella foris renouat fortis ad arma volat.
Purpura prima sibi Romæ fuit, vnde senatus
Dum videt ornatum simili titulo decoratur,
Flumine rex periit, rex modò Marcus erit.
Tunc super Allobrogos viguere Sicambra trophæa
Signa veretur Arar, speciosa timet Basilea,
Fertilis Alsatia gesta veretur ea.

* *Herodotus Patizithen vocat, & Mergũ nominat Smerdin.*

PARTIS NONÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS DECIMA.

TEMPLVM DOMINI RESTAVRATVR.

De rege Persarum Dario, filio Hystaspis.

DArius iste filius Hystaspis fuit, & vouerat Deo cœli templũ, & Hierusalem restaurare, si quando eum in regnum Persarum cõtigeret eleuari. Vnde commonitus per Zorobabel principem sacerdotum, quod vouerat adimpleuit. Eo tempore prophetauerunt vltimi prophetarum, Aggeus, Zacharias, Malachias: quorũ vnus sic prophetauit de Christo & Ecclesia; *Erit* (inquit) *gloria domus eius posterior maior quàm prior:* hoc Iudæi de templo materiali intelligunt dictum, sed omnino frustrantur.

Esdras eo tempore libros Hebræorum à Chaldeis combustos tanquam alter Moses reparauit. Cætera versus habent.

De eodem Dario filio Hystaspis rege Persarum.

Tali sorte magi regem recreare laborant;
Cuius equus prior hinnitum prima daret hora,
Sit rex Persarum non obeunte mora.
Fecit equum Darius magus huc de nocte venire,
Ductus equus præfertur equam de nocte salire,
Quo residet Darius pòst veniente die.
Mane magi veniunt sortem quamcunq; videre,
Venit equus Darij coitum confisus habere,
Dans prior hinnitum regia fata ferens.
Quàm citò cunctorum plaudit censura magorum,
Sit rex Persarum Darius, princepsq; Medorum,
Iudicet imperium, regnet in omne solum.
Iste Deo cœli Darius promiserat antè,
Si fieret rex Persarum Domino mediante,
Mœnia Ierusalem cuncta paranda daret.
Ierusalem nunc Zorobabel regit ille sacerdos,
Cui Darius promiserat hinc remouere superbos,
Et templum veri conciliare Dei.
Hunc Darius rex pontificem promissa monentem,
Suscipit exultans, auditq; foueq; petenter,
Mœnia Ierusalem cuncta parare volens.
Insuper inuenta per tempora longa retenta
Vasa dat, & templa reparat, tribuens alimenta,
Quicquid amore Dei postulat, addit ei.
Templa Dei passim cernens vrbemq; vastare,
Æmula Iudæis doluit gens praua domasse,
Et velut antè solet patria tota dolet.
Inde repleta dolis gens tota dolet regionis
Et simul inscribunt Dario regi Babylonis,
Dissipet vt templum destituatq; bonis.
Hoc (aiunt) templum si stabit in vrbe potentum,
Respuet appensum regi persoluere pensum,
Vrbs quoque sicut heri tota rebellis erit.
*Scripta remittit ad hæc Babylonius *,*
*Est mea spes & vult mea lex saluetur ibi,**
Sic quoque tres reges constituere patres.
Cyrus, Cambyses, reges sic instituerunt,
Mœnia Ierusalem surgant velut ante fuerunt,
Sic decet imperium sic mea vota gerunt.

¶ Chronica.

ANnis ab Adam quinque millibus sexcentis octuagintaquatuor: annis à diluuio 1307: annis à diuisione linguarum 1306, anno ab Vrbe condita 375, cùm virgo Vestalis Pompilia propter stuprum viua defossa est; tunc Xerxes filius Darij filij Hystaspis regnauit pro patre, de quo prælia multa & mirabilia gesta leguntur: ex quibus inter cætera pauca ponemus.

Xerxes aduersus Leoniden regẽ Spartanorum exercitum talem collegit; mille millia armatorum, mille ducentas naues rostratas, tria millia nauium oneratarum. Cui Leonides rex Spartanorum cum pau-
cis, id est quatuor milibus occurrit, in lo-
cis arctissimis, & triduo cum eo pugnauit, vbi tunc ad suos dixisse refertur: Prandete apud superos, cum inferis cænaturi. Et hi ausus aggredi tantum exercitum, tota no-
cte illa, & die sequenti pugnauit: hostes ita compressit, vt omnes pariter morerentur: ipse quoque Leonides cum suis occu-
buit. His & aliis præliis Xerxes nimis exte-
nuatus, & à suis omnino contemptus, à
præfecto suo Artabano tandem occidi-
tur: & ipse Artabanus regnat pro eo. Cæte-
ra de Xerxe versus habent.

De Xerxe rege Persarum filio Darij, filij Hystaspis.

Vita boni Darij iam tunc in fata recedit,
Filius est Xerxes cui tota monarchia cedit,
Qui populum Domini pace fedare dedit.
Pontificis Ioachim sub lege reguntur Hebræi,
Ædificant templum cum Ierusalem Pharisæi,
Omnia restituunt, nemo resistit eis.
Subiugat Ægyptum Xerxes à patre relictam,
Græcia subducitur sub eodem principe victa,
Et probitate sua plurima regna tulit.

De Esdra & Iosepho, sub eodem tempore.

Esdras ipsius regis sub tempore venit,
Iosephus in patria sub eodem rege resedit,
Dogmata de cœlis doctor vterque dedit.

De Artabano rege Persarum.

Iam rex Artabanus diademata Persica minat,
Nascitur en Socrates vultu facieq; caprina,
Cuius & egregium dogma fuisse ferunt.

¶ Chronica.

ANno ab Vrbe condita 70, annis ab Adam discursis quinque millibus quingẽtis trigintaseptem, à diluuio 1370, ab imperio Nini 1353, à destructione Troiæ 467, Ancus Martius rex Romanorum regnat annis vigintribus:

De Anco Martio rege Romanorum quarto, sub eodem tempore.

Nũc Ancus Martius sit summus in vrbe monarchus
Roma triumphales nondum sibi finxerat arcus,
Ille prior statuit subdere regna sibi.
Hic & Auentinum montem prior addidit Vrbi,
Hostia iuncta mari per eum bene condita surgu,
Morbo, non febri, Ancus in Vrbe perit.
Tunc in Iudæa vixisse datur Ieremias,
Est & in Ausonia Byzantia condita prima,
Vrbs modò Dyrrhachium dat sibi principium.
In terris medicus nunc summus in ordine claret,
Qui dedit antidota, finxitq; poëmata Thales,
Vixit Olympiades ter deciesq; decem.
Intima Danubij nunc præripuere Sicambri,

Tollen

Tollere iam ſatagunt quæ Bagarus irrigat amnis,
Inclyta Patauiæ climata victa fauent.

De Eſdra, qualiter libros Hebraicos à Chaldæis peruſtos reparauit, & nouos literarum apices informauit.

DVm Xerxes regnaret in Perſide, Eſdras omnes libros Hebraicos à Chaldęis peruſtos reſcripſit, & nouos apices adinuenit, atque modum ſcribendi à dextra in ſiniſtram inſtituit. Prius enim omnes antè & retrò, tãquam aratores ſcribebant: tunc etiam Græci, qui tredecim tantùm literas habebant, viginti quatuor literas ſuis poſteris conſtituerunt. Cætera verſus habent eodem titulo.

De Artaxerxe rege Perſarum, qui dicebatur Longimanus.

Longimanus dictus Artaxes, orbe reſedit,
Scriptaq́ Iudaica tunc Eſdras cuncta refecit,
Nam gens Chaldæa ſcripta cremauit ea.
Scripta Dei ſub Chaldæis ſunt igne cremata,
Quæ variis Eſdræ ſtudiis iterum reparata,
Plena ſuo populo ſunt valitura data.
Ipſe nouos apices fingit ſcriptoq́ reponit,
Vnde leues aditus lectoribus ordine promit,
Grammate Iudaico quos iubet ipſe coli.
Sicut arantis opus ſolet antè retroq́ vagari,
Pagina ſcriptorum ſcribendo ſolebat arari,
Riteq́ ſulcari circuter orbe pari.
Nunc prius à dextra ſcripturas incipit Eſdras,
Qui modus Hebræis ſcribendo perenniter extat,
Nam cute vel cera ſcriptor arator erat.
Tẽpore quo dextra ſua grammata corrigit Eſdras,
Græcia diſpoſuit ludos agitare paleſtra,
Grammata tunc voluit bis duodena coli.
Nanq́ prius ſex atq́ decem gens Græca legebat,
Nec plures apices tunc Græcus lector habebat,
Qui prior hæc docuit grammata, Cadmus erat.

¶ Chronica.

ANnis ab Adam 5681, à diluuio 1470, à diuiſione linguarum 1369: anno ab imperio Nini 1380, anno ab Vrbe condita 97, à deſtructione Troiæ 416, Rex Sedechias & omnis populus Iuda captiuati ſunt ſub Nabuchodonoſor in Babylonem. Eiſdẽ diebus Ieremias de Chriſto, & de Ieruſalem multa prædixit. Tunc etiam philoſophi eſſe cœperunt. Quorum vnus Pythagoras ex ictibus malleorum diuerſe cõcrepantium, muſicæ artis ſeptem diſcrimina vocum inuenit. Poſt quem Socrates omnium philoſophorum clariſſimus, Platonem & Ariſtotelem docuit & educauit. De quorum doctrina & inæſtimabili ſapientia vſque hodie mundus claret.

De Tarquinio Priſco rege Romanorum quinto, per idem tempus.

Tarquinius Priſcus nunc ſuſcipit ordine regnum,
Subiicitur Capua, loca Samia, Troia, Salernum,
Iſte ſuam Romam murat, & orbe nouat.
Signa Sicambrina, Troianaq́ prælia magna,
Sentit & horreſcit validiſſima gens Alemanna,
Terraq́ Germana rura tuenda parat.
Regnum Baguaricũ nunc arma Sicambria tollunt,
Littora Danubij ſibi vectigalia ſoluunt,
Prælia iam Rhenus reddit ad arma ferus.

Item de Cambyſe.

DIximus ſuperius Cambyſem eſſe quadrinomium; vocatur enim Cambyſes apud Perſas; vocatur Xerxes apud Eſdram; vocatur Nabuchodonoſor in libro Iudith; vocatur Aſſuerus in hoc libro Heſter. Cuius hîc geſta pauca verſibus explicabimus in proximo capite. Acta ſunt autem hæc de Heſter, anno 290 captiuitatis primæ Iudæorum, vbi Ezechiel prophetauit. Ea tempeſtate Sicilia per terræmotum concuſſa: de Ætna monte ignis emiſſus, villas & agros combuſſit. Ciuitas Atlantis ab arida in mare contracta, inſula tunc facta eſt.

LIBER HESTER.

De Aſſuero rege, & Mardocheo, & Amano, qui Iudæos interfectos cupiebat, & patibulo ipſe adiudicatur.

Heſter & Aſſueri placet inclyta geſta fateri,
In medio cleri volumus narranda moueri,
Quæ titulo veri condecet acta geri.
Diuitias regis, mirabile culmen honoris,
Dicere non poſſet Plato, vel lingua Catonis,
Qualibus effertur regia pompa bonis.
Inclyta principibus fuerant conuiuia regis,
Delicias & opes oculis vehementer adegit,
Ordo miniſtrantis fercula mira vehit.
Copia vaſorum manibus geſtata virorum
Nec recipit numerum, neq́ pondus habetur eorum,
Nec veherent vſquam millia plauſtra boum.
Omnibus optata fuit huc regina vocata
Vaſtis, vt ornata faceret conuiuia grata,
Quæ nimis elata, non tulit acta rata.
Rennuit ad regem regina ſuperba venire,
Rex ita confuſus, plenuſq́ pudoris & iræ,
Conqueritur mirè, nec mala geſta filet.
Iudicium quærit quid habet regina mereri,
Iuſſa ſui Domini quia renuit ipſa vereri,
Vltio iudicij plena furoris erit.
De ratione data legitur ſententia lata,
Spernere quæ voluit regina venire vocata,

Cedat & à solio digna dolore suo.
Pellitur ergo foris, fastu vacuata decoris,
Altera Iudaici generis fert culmen honoris,
Tam citò deperiit fœmina nisi dolis.
Hester fœcunda fuit hæc regina secunda,
Gentis Hebræorum de stirpe nitens oriunda,
Et Mardochæi neptis, amica Dei.
Complacuit regi præferre ducem regioni,
Qui vice regnantis suprema gubernet honoris,
Rex erit interius summus, & ille foris.
Annulus ergo duci datus est, & cura corona,
Iura, potestates, sibi suscipit in regione,
Vnde vices regis sustinet, atque fouet,
Curribus euehitur, præconibus insinuatur,
Aman adoratur, plebs omnis eum veneratur,
Sed Mardochæus non veneratur eum.
Solum nanq; Deum veneratur, adorat, Hebræus,
Dux male confusus, quia spernit eum Pharisæus,
Acriter iratus fortiter odit eum.
Cogitat ergo modum, quo vindicet in Pharisæum,
Nec satis est illi, si solum perdat Hebræum,
Ni Iudæorum perderet omne genus.
Ante domum propriam dux prima patibula ponit,
Vt Mardochæum videant pendere coloni,
Et pereant reliqui prorsus in orbe soli.
Fama volat, qua dux Aman delebit Hebræos,
Nunc Mardochæus populusq; simul Pharisæus,
Fletibus ac precibus dicit; adesto Deus.
Quumq; ducis mira foret ira, furore ferino,
Hester regina dolet aduentante ruina,
Et petit à Domino ne mala tanta sinat.
Imperat in populo ieiunia nunc triduana,
Dissipet vt Dominus mala quæ præcogitat Aman,
Ne genus hoc Abraham sub ducis arte cadat.
Tendit & ipsa queri scelus ante pedes Assueri,
Et ducis austeri vulti horrida facta fateri,
Iudicio cœli rex bonus vltor erit.
Sed timet exire, nisi sumpta licentia præstet,
In Domino confisa tamen, dum prodiit Hester,
Gaudet & arridet rex, nihil illa timet.
Quumq; manu regis solio conducta sederet,
Rex ait vt peteret quicquid placuisset habere,
Quicquid enim cupiat, regia cura feret.
Intulit illa, peto mecum te sumere cœnam,
Sint mihi, sintq; tibi, rex, obsecro, gaudia plena,
Et simul hic Aman prandia nostra gerat.
Annuit & venit rex, in thalamoq; resedit,
Et duce præsente secum regina comedit,
Verbaq; rex placito corde benigna dedit.
Exprime quid cupias, quia nulla petita negabo,
Si medium regni peteres dandum reputabo,
Et tibi si cupias hoc diadema dabo.
Exprimit illa dolens lachrymis perfusa dolores,
Et ducis in populum tensos feritate furores;
Audit & obstupuit rex, nimiumq; dolet.
Addidit illa; domi, rex, cerne patibula poni,
Stat mihi plusq; tibi stat furca parata pudori,
Ante tuos oculos nos facit iste mori.
Sorte crucis morimur, damnamur more latronum,
Filius ecce tuus de sanguine cùm sit eorum,
Iste rubor tibi sit, perpetuusq; dolor.
Rex salit ante fores, cœpitq; furore grauari,
Dum iacet ante pedes, domine, satagitq; precari,
Hæc fugit, hic sequitur: rexq; reuersus ait.
Ecce dolum video, patet hic qua mente laborat,
Ante meos oculos pacis tibi denegat horam,
Vltio consimilis mando sit absq; mora.
Præcipitur subitò dux impius illaqueari,
Et propria furca quam fecerat ipse leuari,
Talia pro meritis dux sibi dona parit.
Nunc Mardochæo tribuit rex regna regenda,
Omnia quæ tenuit dux impius, ipse gubernat,
Gaudent Iudæi de pietate Dei.

De Seruio rege Romanorum sexto, per idem tempus.

SEruius rex, filius ancillæ captiuæ, sed nobilis, superaddidit Vrbi tres montes, scilicet Viminalem & Quirinalem, & alium tertium. Vrbem quoque cinxit fossatis. fontes etiam attraxit per aquæductum. Socer fuit Tarquinij Prisci, à quo etiam per proditionem occisus est. Qui Romæ postmodum pro eo regnauit. Cætera versus habent de Seruio rege sexto Romæ.

Item de eodem Seruio versificè.

Seruius ad regni scandit diademata lautè,
Filius ancillæ captiuæ, nobilis autem,
Germine regali natus, & aptus ali.
Hic per aquæductum satagit traducere fontes,
Tresq; suæ Romæ struduit superaddere montes,
Mœnia fossatis cinxit in orbe datis.
Censuit ipse prior Romæ populum numerari,
Æqua suis numeris populo iubet arma parari,
Militis & populi iura coæqua dari.
Tarquinij Prisci natus gener extitit ipsi,
Ille gener socerum lethali cuspide fixit,
Sic socer à generi proditione perit.
Natus Alexander rex est, sua iam patet ætas,
Datq; Malachias præconia sancta propheta,
Dictus Bucephalus tunc equus eius erat.
Præcipitat post Nathanabum puer ipse magistrum,
Ille patricidam puerum prædixerat ipsum,
Auguriumq; luit, si pater ipse fuit.

¶ Chronica.

ANnis ab Adam quinque millibus sexcentis septuaginta vno, à diluuio 1408, ab imperio Nini 1414. anno à diuisione linguarum 1307, à destructione Troiæ 501, ab Vrbe condita 160. Iudith interficit Holofernem.

Superiori titulo diximus; Cambysem filium Cyri in libro Iudith, Nabuchodonosor nominari. Cuius dux Holofernes per manus ipsius castissimæ Iudith dicitur fuisse occisus, sub Ozia rege Samariæ, sicut suppositis versibus explicamus. Eisdem temporibus, anno ab Vrbe condita 160. apparuit prodigium tale, vt cœlum ardere vide-

videretur. Tunc Romæ grauissima fuit pestilentia, ita vt maxima pars hominum moreretur. Vbi duo consulares viri consumpti sunt, scilicet Lucius & Seruilius. Tunc etiam serui contra dominos Romæ insurrexerunt, duce Erbonio, viro Sabino, Capitolium incendunt; consulem Valerium tandem de ipsis triumphantem occidunt. Sequenti anno homo rusticus, nomine Quintus Cincinnatus ab aratro in consulem assumptus, de hostibus triumphauit, & rusticano more iugum boum equis imponens, iunctis ante se hostib. deductis, ipse in habitu rustici, sine aliis ornamentis, Vrbem triumphator ingressus est.

LIBER IVDITH.

De Iudith & de Holoferne duce regis Nabuchodonosor, qui alio titulo vocatur Cambyses.

Rex fuit Arphaxad super omnia regna Medorum;
Quem Nabuchodonosor rex vicerat Assyriorum,
Hunc quoq; Cambysem scripta fuisse volunt.
Ordinat iste ducem, quē scripta vocāt Holofernem,
Datq; potestatem, quod & omnia regna gubernet,
Indomitos populos deleat orbe suo.
Ille per omne solum dum iura tulit regionum,
In Mesopotamiam vertit vexilla suorum,
Atque super Syrios diripit omne bonum.
Adfuit Ozias tunc temporis Israëlita,
Hic vbi Samariam videt hoste minante petitam,
Territus, ad populum dicta reponit ita;
Vndiq; nos angit manus imperiosa tyranni,
Iam quasi per portas aditus sub robore frangit,
Ni manus alma Dei sola resistat ei.
Turba coacta foris, stetit intus plena timoris,
Quæ magis Assyrio voluit seruire furori,
Quam pro lege poli victa sub ense mori.
Suggerit Ozias, quinis differre diebus,
Quid si fortè Deus tribuet solatia rebus?
Vt redimat populos hoste cadente suos.
Fœmina stans vidua celebris sanctissima Iudith,
In populum culpas, nimium commota refudit,
Nam tentare Deum, non decuisset ob id.
Ponere quippe dies Domino vel dicere metas,
Assidue legimus nostros vetuisse prophetas,
Nam tentare Deum dogmata sacra vetant.
Rursus ait; Vidit Dominus, qui sydera cudit,
Sæpe malos fudit, & iniquos peste retrudit,
Fundite (quæso) preces, tollat vt ipse neces.
Dixit, & absq; mora faciem lauat, atq; colorat,
Vestibus egregiis stans fœmina tota decora,
Per medias portas pergit, abitq; foras.
Cum socia famula venit ad montana supernè,
Cui mediis campis elatus adest Holofernes,
Fœmina stans facie splendida, visa placet.
Quæritur vnde venit, quid agat, quò pergere quærit,
Hæc ait; Huc veni, te principe quæso tueri,
Nam super Hebræis tu dominator eris.
Insinuabo tibi qua te decet arte potiri,
Vt citò sortiri valeas quæcunq; requiris,
Iam tibi subduntur terra, propheta, viri.
Fœmina dum loquitur, pulcherrima tota notatur,
Ducta manu trahitur, thalamo sedet, esca paratur,
Inq; ducis domibus mansio pulchra datur.
Nos (ait) à castris lex ire iubet Mosea,
Præcipe per castra, si fœmina transit Hebræa,
Aut si nocte meat, nemo repellat eam.
Hoc etenim restat, quia pergere cogimur extra;
Si placet, hoc præstat: dux præstat, & intus & extrà
In duce nanq; Dei gratia fauit ei.
Tertia nox venit, dux nocte sopore quieuit,
Nocte ducem magnum gladio ducis ipsa peremit,
Et caput ancillæ portet vt illa dedit.
Exiliunt pariter, festino calle meantes,
Per medias portas citò suscipiuntur ouantes,
Confluxit populus, protulit illa caput.
Morte ducis scita, plebs exilit Israëlita,
Gens ducis ascita fugit hinc sub vulnere trita,
Inclyta Samaria salua remansit ita.

De Artaxerxe rege Persarum, qui cognominatur Ochus.

ARtaxerxes Ochus rex Persarum, discedere ab armis & quiescere totam Græciam iubet. Eo tempore Lacedæmonij, qui & Græci, Athenienses bello presserant. Vnde & vtrique plurimum fatigati, quietem optabant. Eo tempore Romæ in medio foro specus apparuit, vnde consultis diis, Roma disposuit, vt ibi viuus homo deberet præcipitari; & sic pestilentia, inde exorta, sedari. Obtulit se ad hoc Marcus Curtius, qui quum armatus pro salute Reipublicæ in specum sese præcipitasset, morte sua horribilem illam voraginem clausit. Iisdem temporibus Artaxerxes Ochus, subiugata iam Sidone, & Ægypto, & Syria, maximam partem Hebræorum, quos olim Salmanasar captiuauerat, in Hircaniam transmisit, iuxta mare Caspium, inter altissimos montes, qui iam in multum populum creuisse feruntur, & in diebus Antichristi creduntur egressuri. Legimus etiam, ipsos ab Alexandro Magno illic inuentos, & magis ac magis ipsis montibus intercluſos, sicut postea in Alexandro dicturi sumus. Cætera de Artaxerxe Ocho versibus explicamus.

Mortuo rege Assuero & Cambyse, succedit Artaxerxes Ochus in imperio Persarum.

Regis in vrbe Chusis Assueri vita recedit,
Post Artaxerxes, Ochus cognomine, sedit,
Iste per Ægyptum prælia multa dedit.
Nathanabus rex Ægypti nunc inde fugatur,

Æthiopum terras pulsus coluisse putatur,
Post & Alexandri doctor in arte fuit.
Tempora pontificis tunc dicimus esse Ioannis,
Post patrem Iudam qui restitit ense tyrannis,
Et Iudæorum rexit vbique solum.
Missus ei regis dedit aspera facta vagosus,
Expoliat templum, populus gemit vndiq; totus,
Fitq; tributarius plebe dolente locus.
Pyrficus Anagosus moritur, claret Diogenes,
Claruit & Socrates, qui nunc sibi nomine pœna
Parta venena bibit, pocula letha sibi.

De Philippo rege Macedonum, patre Alexandri, per idem tempus.

ARtabano rege Persis imperante, Philippus filius Amyntæ, pater Alexandri Magni, per annos vigintiquinque tenuit regnum Macedonum. Fuit autem nutritus apud regem Thebanorum, nomine Epaminundam, virum strenuissimum, & philosophia præclarum. Apud quem in tãtam sapientiam fortitudinémque profecit, vt Græcorum ciuitates, quæ dominandi libidine, singulæ cogitauerant imperare, omnes suo subiecisset imperio: inferioribus enim contra superiores suadens, omnibus ad inuicem callidè concitatis, omnium tandem efficitur Princeps & dominus: & ita liberam illam Græciam suis virtutibus & ingeniis, libertate priuauit. Item Philippus, ciuitatem Byzantium cinxit obsidione: quæ hodie Constantinopolis appellatur, & condita fuerat à Pausania rege Spartanorum. Tunc Philippus in eadem obsidione, pecuniarum suarum copiis iam exhaustis, relicta sibi obsidione, pirata efficitur, & centum septuaginta nauium spolia rapuit, & militibus dedit. Item relicta ibi obsidione, ad Scythas & Amazones prædãdi causa cum Alexandro filio suo festinat. Vbi non inuentis thesauris, pecorum inæstimabilem prædam deduxit. Item Athenienses cum omnibus Lacedæmoniorum aliorumque Græcorũ ciuitatibus subiugauit, & in seruitutem redegit. Item quum Alexander quasi prodigus militibus erogaret, & magis quàm pater ab omnibus laudaretur: pater ad eum sic dixisse narratur: Fili, non æstimes illos tibi esse fideles, quos pecunia corrupisti. An propterea hoc facis, vt Macedones non regem suum, sed ministrum te reputent, & rerum præbitorem. Idem Philippus, dum Alexandro fratri vxoris suæ Olympiadis filiam suam copularet, in medio nuptiarum inter duos Alexandros sedens, filium suum scilicet & generum, à Pausania nobili iuuene Macedonum, dolo occisus est.

De Arsamo rege Persarum patre Darij, quem postea Alexander deuicit.

Post Occum regem fuit Arsamus ipsius hæres,
Iacius antistes primatum fertur habere,
Arsamus in populo stat mala multa ferens.

Sicambri eodem tempore Germaniam occupauerunt, vnde etiam Germani appellati sunt.

Iam quasi quingentis tempus defluxerat annis,
Cum sua Germanis infligunt bella Sicambri,
Igne, fame, gladiis, innumerisq; malis.
Littora Danubij, preciosaq; littora Rheni,
Allexère duces, fluuiiq; meatus amœni,
Terraq; luxurians dicit, amande veni.
Tanto quippe nitet super omnia regna decore,
Vt domini nimio Rheni capiantur amore,
Vnde sibi patrias has retinere volent.
Amodo Germani cupiunt de more vocari,
Moribus & lingua cum Teuthonicis variari,
Lingua magis placuit qua Megus amne cadit.
Progenies Priami Germanica nomina quærit,
Et cupit a Rheno populus Germanus haberi,
Terra Sicambra perit, nemo Sicamber erit.

De Dario rege Persarum, quem Alexander deuicit.

Arsamus interiit, Darius fit regius hæres,
In Persis pariterq; Medis sua regna cohærent:
Huic & Alexander bella Macedo geret.
Philippus tunc interiit rex ille Macedo,
Magnus Alexander claret, cuius decus edo,
Hic sua gesta fero, scriptor & actor ero.

¶ Chronica.

ANnis ab Adam quinque millibus: a diluuio 1454: à diuisione linguarum 1353: anno ab imperio Nini 1443: à destructione Troiæ 536: anno ab Vrbe condita 166: regnat Tarquinius Superbus Romæ.

De Tarquinio rege Romanorum sexto.

Post socerum Tarquinius venit ille Superbus,
Et Romam turbare parat, feritate proteruus;
Ardea terra fuit quæ mala prima luit.
Hanc pater obsedit, dum filius arce recessit,
Lucretiæ qui tunc thalamum de nocte repressit,
Nec scelus euadit, pulsus ab Vrbe cadit.
Filius atq; pater damnantur; aitq; senatus;
Amodo non rege sed consule Roma regatur,
Regibus ablatus sit locus, hisq; datus.
Scripsit & Ouidius super ipso crimine versus,
Dum foderet gladio tenerum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:

Proce-

Procedant teſtes, me non fauiſſe tyranno,
Ante virum ſanguis, ſpiritus ante Deum.

Quod Germani & Romani à Troia venerunt, & quaſi pares & confratres ſunt æſtimandi.

Dum fortuna duces Germanos læta decorat,
Creſcit & alta ſonat ſuper omnia climata Roma,
Cuius ad imperium prælia magna tonant.
Hanc quaſi reginam metuit ſatis ora marina,
Terra Ciſalpina timet aduentante ruina,
Sed loca Germana gaudia magna parant.
Nam quos Troia ſuos olim generauit alumnos,
Romanos & Germanos videt vndiq; ſummos,
Et quaſi conſocios ſemper habebit eos.
Eſſeq; Romanum Troianum cauſa fatetur,
Germanus patriota ſuus fraterq; videtur,
Mater eis populis Troia vetuſta fuit.
Nec populo populus nunc armis ſubiicietur,
Sed regni quaſi conſocius fraterq; putetur,
Pace ſimul coëunt, publica iura petunt.
Germanus populus ciuis Romanus habetur,
Communis populus, regnum commune tenetur,
Sed tenet imperium Roma regitq; decus.

Catalogus regum Albanorum & Romanorum.

AEneas reliquit in Latio regem Aſcanium. Cui ſucceſſit Poſthumus frater eius. Poſt quem regnauit Latinus Syluius. Poſt quem Alba Syluius. Poſt quem Capi Syluius, deinde Ægyptus Syluius regnat annis 24
Capi Syluius regnat annis 28
Carpenates regnat annis 13
Tiberius regnat annis 8
Agrippa regnat annis quadraginta. ſuo tempore eſt Homerus in Græcia.
Aremus regnat annis 19
Auentinus regnat annis 37
Procax regnat annis viginti tribus. tunc Fidus & Argus menſuras & pondera reperiunt.
Amulius regnat annis quadraginta quatuor. Iſte Amulius depulit fratrem Numitorem: cuius Numitoris filia Ælia, genuit Romulum & Remum. Tunc Achab in Iſraël, & Aſa ſuper Iudæa regnabant.
Romulus regnat annis 39
Numa Pompilius regnat annis 40
Tullus Hoſtilius regnat annis 33
Ancus Martius regnat annis 23
Tarquinius Priſcus regnat annis 38
Seruius Tullius regnat annis 33
Eo tempore fuit Cyrus rex Aſſyriorum.
Tarquinius Superbus regnat annis 35
Iſte prius excogitauit carceres & omnia genera tormentorum.

De omnibus Sibyllis & de nominibus earum, & de patria, & origine, & actibus ipſarum, à diebus Alexandri Magni.

SIbyllæ generaliter omnes fœminæ dicuntur prophetantes, quæ * ob diuinam voluntatem omnibus interpretari, & ventura pronunciare ſolebant. Tradunt autem doctiſſimi authores; decem fuiſſe Sibyllas. Quarum prima, Perſis: ſecunda Libyca: tertia Delphica eſt, quę ante Troiana bella vaticinata eſt: quarta, Cumęa, in Italia: quinta, Erictea, in Babylonia orta, dicta Erythræa, ab inſula, in qua eius dicta ſunt carmina: ſexta, Samiana, à Samo flumine Beneuentano vocata: ſeptima, Amalthæa, vel Cumana: octaua Helleſpontica: nona Phrygia: decima Tiburtina Grę cè, Albunea Latinè vocatur; ex cuius carminibus multa de Deo & Chriſto ſcripta continentur.

Fuit igitur hæc Sibylla, Priami regis filia, & ex matre Hecuba procreata. Vocata eſt autem in Græco Tiburtina; Latinè verò Albunea nomine, vel Caſſandra: & illa circuiens diuerſas prouincias ac partes orbis, prædicauit per Aſiam, Macedoniam, Eroſtachiam, Agaguſdeam, Ciliciam, Pamphiliam & Galatiam. Quumque mundi partes vaticiniis ſuis repleſſet, inde venit Ægyptum, Æthiopiam, Bragadam, Babyloniam, Aphricam, Libyam, Pentapolim, Mauritaniam, & Palarinum. In omnes has prouincias prædicauit, & ſpiritu prophetiæ repleta, prophetauit bonis bona, malis mala. Scimus nanq; quæ in præconiis ſuis annunciauit; & quæ in nouiſſimis erant ventura prædixit.

Audientes igitur famam eius Romani, ſtatim nunciauerunt in conſpectu Senatorum. Mittentes ergo ſenatores legatos ad eam, fecerunt ipſam cum magno honore deduci Romam. Centum igitur viri ex ſenatu Romano ſomnium in vna nocte viderunt ſinguli. Videbant ſinguli quaſi nouem ſoles eſſe in cœlo, qui ſigillatim diuiſi, diuiſas in ſe figuras habebant. Primus ſol erat ſplendidus & fulgens ſuper omnem terram. Secundus ſol ſplendidior & magnus, ætheream habens claritatẽ. Tertius ſol ſanguineo colore flammiger, igneus & terribilis, ac demũ ſplen-

didus satis. Quartus sol, quarta generatio est tempore Christi. Quintus sol erat tenebrosus, sanguineus & lampas, sicut in tonitruo tenebroso. Sextus sol tenebrosus nimis, habebat aculeum stimulum scorpionis. Septimus verò sol terribilis erat, & sanguineum iterum habens in medio gladium. Octauus autem sol erat effusus, sanguineum habens colorem in medio. Nonus autē sol erat nimis tenebrosus, vnum tamen habens radium fulgentem.

Quumq; Romam ingressa esset Sibylla, videntes eam ciues Romani, admirabantur nimiam pulchritudinem eius: erat enim venusto aspectu, decora vultu, eloquens in verbis: atq; Dei pulchritudine satis benè cōposita, suis auditoribus dulcem præbebat eloquiū. Venientes autem viri, qui somnia viderāt, dicunt ad eam; Magistra & domina quàm ad magnū decorem est corpus tuum; qualem nunquam in fœminis, præter te, vidimus: precamur vt somnium, quod omnes nos in vna nocte vidimus, quod futurum præmonstret aperias. Respondens Sibylla dixit ad eos: Non est æquum, in hoc loco, stercoribus pleno, & diuersis certaminationibus polluto, sacramentum huius visionis detegere. Sed venite, ascēdamus ad Appenninum montem, & ibi adnuntio vobis, quæ ventura sunt ciuibus Romanis. Et fecerūt, vt dixit. Quos interrogauit. & illi visionem quam viderāt, narrauerunt ei. At illa dixit ad eos; Nouem soles quos vidistis, omnes futuras generationes præsignant. Quod verò dissimiles eos vidistis, dissimilis erit vita in filiis hominum.

Primus autem sol, prima generatio est: erunt homines simplices & clari, amantes libertatē, veraces, mansueti, benignissimi, amantes consolationes pauperum, & satis sapientes. Secundus autem sol, secūda generatio est: erunt homines splendidè viuentes, crescentes multum, Deum colentes, sine malitia conuersantes in terra. Tertius verò sol, tertia generatio est: exurget gens contra gentem, & erunt pugnæ multæ in Roma. Quartus autem sol, quarta generatio est: erūt homines, quod verum est abnegantes: & in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph, & procreabunt ex ea sine commixtione viri, de Spiritu sancto, nomine Iesum: & ipsa erit virgo ante partū, & virgo post partum: qui ergo ex ea nascetur, erit verus homo, sicut omnes Prophetæ prædicauerunt: adimplebitq; legem Hebræorum, & adiunget sua propria insimul, & permanebit regnū eius in secula seculorum. nascente autem eo, exercitus angelorum à dextris & à sinistris erunt, dicentes; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Veniet nanque vox super eum, dicens; *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

Erant ibi ex sacerdotibus Hebræorum, qui audientes hæc verba, indignati dixerunt ad eam: Ista verba terribilia sunt: si-leat hæc regina. Respondens Sibylla dixit eis: O Iudæi, necesse est ista fieri; sed vos non credetis in eum. Dixeruntque; Nos non credemus, quia verbum & testamentum dedit Deus patribus nostris, & nō auferet manum suam à nobis.

Respondit eis iterum: Deus cœli sibi generaturus est filium, vt scriptum est: qui similis erit patri suo, & postea vt infans per ætates crescet, & insurgent reges in eum & principes terræ. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen: & regnabit in Roma, & subiiciet omnem terram sibi. Non multi, non pauci; non tres, neq; duo, sunt dij; sed vnus Deus, solus & immensus, qui fecit cœlum, solem, stellas & Lunam, frugiferamque terram & mare. Qui autem illum honorant, æternam vitam hæreditabunt, perpetuum cuius ipsi hæreditabunt paradisum. Mortuorum verò simul resurrectio erit; & claudorum cursus velocissimus erit: surdi audient, & cæci videbunt: non loquentes, loquentur. ex quinque panibus, quinque millia hominum saturabit, & colligent reliquias fragminum duodecim cophinos, exinde replebunt in specie populorum. Ventos compescens verbo, mare calcans, ambulans super vndas, infirmitates omnibus soluet: surgere faciet mortuos, repellens multos dolores: & de pane vno, saturatio erit viuorum. Sed quum omnia fuerint perfecta quæ dixi, in ipso omnis resoluetur lex, & impias manus infidelium postea inueniet.

Post hæc conuenient sacerdotes Hebræorum contra Iesum, quia multa signa faciet, comprehendentque eum, dabunt Deo alapas manibus incestis, & in vultu sacro expuent venenata sputa. Dabit verò ad verbera sanctum dorsum simpliciter, & colaphos accipiet: tacebit, ne quis agnoscat

scat vnde verbum venit: corona spinea coronabitur: ad cibum autem fel, & ad sitim acetũ dabunt, & suspendent eum in ligno, & occident. Templi verò velum scindetur in medium, & dies erit tenebrosus per horas sex, & sortẽ mortis finiet tribus diebus somno suscepto, & tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet. Et nihil valebit eis; quia die tertia resurget, & ostendet se discipulis suis, & ipsis videntibus in cœlum ascendet: & regni eius non erit finis.

Dicunt me Iudæi insanam & mendacem Sibyllam; quum autem facta fuerint omnia, tunc demum reminiscentur mei, & nullus postea me dicet insanam, sed Dei magnam Sibillam.

Dixitq; principibus Romanorũ; Quintus autem sol quinta generatio est: eliget sibi Iesus duos piscatores de Galilea, & leges suas docebit eos, dicẽs: Ite, & doctrinã quã accepistis à me, docete omnes gentes, & per septuaginta & duas linguas subiicientur omnes nationes. Sextus autem sol sexta generatio est, & expugnabunt istam ciuitatem annos tres & menses sex. Septimus verò sol, septima generatio est: & exsurgent duo reges, & multas facient persequutiones in terra Hebræorũ, propter Dominum. Octauus autem sol octaua erit generatio, & in desertatione erit Roma: & præpugnantes vlulabunt in tribulationibus & doloribus, dicentes; Putásne peribimus? Nonus autem sol, nona generatio est: & exurgent Principes Romani in perditione multorum. Tunc exurgent duo reges de Syria, & exercitus eorum innumerabilis sicut arena maris: & obtinebunt ciuitates & regiones Romanorum vsque ad Chalcedoniam. Et tunc multa erit sanguinis effusio. Omnia hæc quum reminiscuntur, ciuitas & gens contremiscunt in eis, & disperdent Orientes. Et post hæc surgent duo reges de Ægypto, & expugnabunt quatuor reges, & occident eos, & omnem exercitum eorum, & regnabũt annos tres & menses sex. Et post eos alius rex per C literam nomine, potens in prælio: qui regnabit annis triginta, & ædificabit templum Deo, & implebit legem, & faciet iudiciũ propter Deum in terra. Et post eum surget alius rex, qui regnabit paucis temporibus: & expugnabunt & occidẽt eum. Post hæc verò erit rex per B nomine, & de B procedet rex Audon, & de Audon egredietur A, & de A procedet A, & de hoc generabitur A: & ipse secundus A, erit bellicosus nimis & præliator. Et de ipso A nascetur rex per R nomine, & de R nascetur L, & potestatem habebit super decem & nouem reges. Et post hæc surget rex Salicus de Francia, per K nomine: ipse erit magnus & piissimus, potens & misericors, & faciens iustitiam pauperibus. Tanta enim erit in eo virtutis gratia, vt per viam gradientem arborum contra eum inclinentur cacumina. Aqua enim occurrens, minimè cursum eius tardabit. Similis autem imperio Romanorum rex antè non fuit, nec post eum futurus est. Et veniet Rex post eum per L nomine, & post hoc regnabit L, & post L triginta, & de L egredietur A, & ipse A erat nimis bellicosus & fortis in prælio, & multus erit per terrã siue per aquas: & non dabitur in manibus inimicorum, & morietur exul extra regnum, & in manu Dei anima eius erit. Tunc exurget rex per V nomine, & ex vna parte Salicus & alia Longobardus, & ipse habebit in terra potestatem contra pugnantes, & contra omnes inimicos. Et in diebus illis procedet rex per O nomine, & erit potentissimus & fortis & bonus, & faciet iustitiam pauperibus, & rectè iudicabit: & de ipso procedet alius O potentissimus, & erunt sub eo pugnę inter paganos & Christianos, & sanguis Græcorum eorum effundetur: & cor eius in manu Dei, & regnabit annis septẽ, & de ipsa muliere nascetur rex per O nomine: hic erit sanguinarius & facinorosus, & sine fide & veritate: & per ipsum multa erit malitia in terra, & multa sanguinis effusio, & destructæ erunt Ecclesiæ in ipsius potestate. In aliis nanque regionibus tribulationes erunt multæ & prælia. Tunc surget gens contra gentem in Cappadociam, & Pamphiliam captiuabunt in illo tempore, eo quòd non intrauit per ostium in ouile. hic nanq; rex regnabit per annos quatuor. Et post eum surget rex per H nomine, & in diebus eius pugnæ multæ erũt, Syriam expugnabunt, & Pentapolim captiuabũt. Ipse enim rex erit ex genere Longobardorum. Tunc exurget alius rex Salicus per C nomine, & expugnabit Longobardos: & erunt prælia & pugnæ. Ipse autem Salicus erit fortis & potens, & paucis temporibus erit regnum eius. Tunc exurgent Agareni, & tyranni, & captiuabunt Tarentum & Barro: & multæ ciuitates deprædabuntur. Et etiam volẽtes venire Ro-

mam, & non est qui resistat eis, nisi Deus deorum, & Dominus dominorum.

Tunc venientes Armeni Persidem disperdent, ita vt non recuperentur ciuitates, quas deprædabunt, & accurrentes ipsi ponent fossas iuxta Orientẽ, & expugnabunt Romanos, & obtinebũt pacẽ aliquãtisper.

Et intrabit rex Græcorũ, vir belligerator in Æpolim, & destruet templa idolorũ: & veniet locusta & bruchus, & comedent omnes fructus Cappadocię & Cilicię, ac fame cruciabũtur: & postea nõ erit amplius.

Et consurget rex Salicus alius, scilicit H, vir fortis & belligerator, & indignabuntur contra eum multi vicini & parẽtes. In diebus illis tradet fratri fratrem, & cum sorore commiscebitur, & multa nephanda hominum erunt in terra. Senes cum virginibus cubabunt, & sacerdotes mali cum deceptis puellis. Episcopi malefactorum sectatores erunt, & fiet effusio sanguinis in terra, & templa sanctorum polluent. Et erunt in populo fornicationes, immunditiæ, & Sodomiticũ scelus, ita vt visio ipsorum in contumelia eius appareat. Et erunt homines raptores, contumelioſi, odientes iustitiam & amantes falsitatem, & iudices Romani immutabuntur. Si hodie ad iudicandum admittuntur, alio die mutabuntur, propter pecuniam accipiẽdam, & non iudicabunt rectum, sed falsum.

Et erunt in illis diebus homines rapaces, cupidi & periuri, & amantes falsitatem, & destruetur lex & veritas, & fiet terræmotus per loca diuersa & insulares ciuitates, & regiones dimergentur. Et erunt per loca pestilentiæ hominum, & terra ab inimicis desolabitur: & non prævalebit consolari eos vanitas deorum. Postea exsurget rex per L nomine. Et erunt sub illo bella & duodecim annis regnabit. Et post hunc surget rex per F nomine, & veniens obtinebit, & regnabit aliquanto tempore, & veniet Romam, & captiuabit eam, & non mortificabitur anima eius in manu inimicorum vllis diebus vitæ suæ. Sed erit bonus & magnus, & faciet iustitiam pauperibus, & ipse viuet multo tempore. Post hæc verò surget alius rex per H, nomine: & de ipso H, procedẽt duodecim H, & erit de genere Longobardorum & Teuthonicorum, & regnabit per annos centũ. Tunc post eũ exurget rex H nomine, Salicus de Frãcia. Tunc initium dolorum erit, qualis non fuit ab initio seculi. Et erunt in diebus ipsius multę pugnę & tribulationes multorum & sanguinis effusio, & terręmotus per ciuitates & regiones, & terræ multæ captiuabuntur, & non erit qui inimicis resistat, quia Dominus iratus erit in terra. Roma in persecutione & gladio expugnabitur, & erit deprehensa in manu ipsius regis. Et erunt homines rapaces, cupidi, tyranni, odientes pauperes, opprimentes insontes, & saluantes noxios. Eruntq; iniusti & nequissimi, & dominatores exterminij captiuabuntur: & non est in terra, qui pro eis resistat, & eruat eos, propter malitias eorum & cupiditates.

Et tunc exurget rex nomine H animo constans. H ille idem, cõstans erit rex Romanorum & Græcorum. hic statura grandis, aspectu decorus, vultu splendidus, atq; per singula membrorũ lineamẽta decenter compositus, & ipsius regnũ 122 annis terminabitur. In illis ergo diebus erunt diuitiæ magnæ, & terra abundãter dabit fructum suum, ita vt tritici modium denario vno venundetur, modiũ vini denario vno, modium olei denario vno. Et ipse rex Scripturam habebit ante oculos, dicẽtem: Rex Romanorum omne sibi vẽdicat regnum Christianorum. Omnes ergo insulas & ciuitates paganorum deuastabit, & vniuersa idolorũ templa destruet, & omnes paganos ad baptismum conuocabit, & per omnia templa crux Christi Iesu erigetur. Tunc nanq; pręueniet Ægyptus Æthiopiã munus dare Deo. Qui verò crucem Iesu Christi nõ adorauerint, gladio punientur.

Et cùm completi fuerint 122 anni, Iudæi conuertentur ad Dominum, & erit ab omnibus sepulchrum eius glorioſum. In diebus illis saluabitur Israël, & habitabit confidenter.

In illo tempore surget princeps iniquitatis de tribu Dan, qui vocabitur Antichristus. Hic erit filius perditionis, caput superbiæ, magister erroris, plenitudo malitiæ: qui subuertet orbem, & faciet prodigia & signa magna per falsas simulationes: deludet autem per artem magicam multos, ita vt ignis de cœlo descendere videatur. Et minuentur anni sicut menses, & menses sicut septimana, & septimana sicut dies, & dies sicut hora. Et exurgent ab Aquilone spurcissimę gentes, quas Alexander rex inclusit, Goth videlicet & Magoth. Hæc duodecim regna, quorum numerus est sicut arena maris.

Cùm

Cum autem audiet hæc rex Romanorum, conuocato exercitu debellabit eos, atque prosternet vsq; ad internecionem. Et postea rex veniet Hierusalem,& ibi deposito capitis diademate, & omni habitu regali, regnum Christianorum Deo Patri relinquet,& filio eius Iesu Christo. Et quũ cessauerit imperium Romanum, tunc reuelabitur manifestè Antichristus,& sedebit in domo Domini in Hierusalem. Regnante autem eo, egredientur duo clarissimi viri, Helias & Enoch,ad annunciandum aduentum Domini: & Antichristus occidet eos,& post dies tres à Domino resuscitabuntur. Tunc erit persequutio magna, qualis non fuit antea,nec postea subsequetur. Abbreuiabit autem Dominus dies illos,propter electos,& occidetur virtute Domini Antichristus à Michaële archangelo in monte Oliueti,Quumq; hæc Sibylla & alia multa Romanis prædiceret futura,quibus etiam signis adiudicandum Dominus venturus sit, vaticinando versus intonuit,dicens.

Versus Sibyllini de Christo.

Iudicij signum; tellus sudore madescet;
E cœlo rex aduenier per secla futurus;
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem:
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celsum cum sanctis iam terminus extat in ipso,
Sic animæ cum carne aderunt,quas iudicat ipse,
Cùm iacet incultus densis in vepribus orbis,
Reiicient simulachra viri,cunctam quoq; gazam,
Exuret terras ignis pontumq; polumq;;
Inquirens tetri portas effringet Auerni,
Sanctorum sed enim cuncta lux libera carni
Tradentur fontes, æternaq; flamma cremabit.
Occultus actus manifestans quisq; loquetur,
Secreta atque Deus reserabit pectora lucis;
Tunc erit & luctus,stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar,& chorus interit astris,
Voluetur cœlum, lunaris splendor obibit,
Deiiciet colles,valles extollet abimo:
Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
Iam æquantur campis montes & cærula ponti,
Omnia cessabunt,tellus confracta peribit:
Sic pariter fontes torrentur fluminaq; igni,
Sed tuba personitum tristem dimittet ab alto,
Orbe genus facinus miserum variosq; labores,
Tartareumq; chaos,monstrabit terra dehiscens,
Et coram hoc Domino reges sistentur ad vnum,
Recidet è cœlis ignisq; & sulphuris amnis.

Tunc iudicabit Dominus secundum vniuscuiusque opus, & ibunt impij in gehennam ignis æterni; iusti verò,vitæ æternæ præmium recipient,& cœlum nouum, & terram nouam: & mare iam non erit. Et regnabit Dominus cum sanctis in secula seculorum; Amen.

PARTIS DECIMÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS VNDECIMA.

ALEXANDER MAGNUS *Philippi filius.*

ANnis ab Adam 5888,à diluuio 1638: à diuisione linguarum 1537: ab imperio Nini 1731: à destructione Troiæ 772: anno ab Vrbe condita 427: mortuo rege Græcorum Philippo, Alexander filius eius,in regnum successit: de quo traditur, quòd non Philippi,sed magis cuiusdam nomine Nathanabi regis ab Ægypto expulsi,& in domo Philippi tunc commorantis filius fuerit. Igitur Alexander, terminis patris sui non contentus, subitò cogitat obtinere imperium. Vnde compositis rebus in Græcia, & assumptis secum paucis, scilicet 32000 peditum, & 7000 equitum, & 580 nauibus, Darium regem Persarum, Arsami filium,qui à Cyro 14 erat imperator Persarum, propterea maximo bello aggreditur, quòd Darius à patre suo Philippo postulabat tributum. Cui Darius legatos & epistolam superbiam continentem transmisit, dicens se regem regum & consanguineum deorum, Alexandrum verò esse famulum suum. Misit etiam Alexandro obuiã exercitum militũ 200000, qui ab Alexandro non minus ingenio q̃ viribus superati sunt. Darius iterũ restauratо exercitu,cum eo congreditur, vbi ipse fugatur,mater Rogodõ & soror eius & filia Rosanen, & vxor cum paruulis eius capiuntur. Darius pro redimẽdis captiuis, me-

diam partem regni sui obtulit Alexandro, sed non obtinuit.

Alexander super Darium victoriam bis adeptus, Parmenionem principem suum nauigio cum exercitu mittit inuadere classem Persarũ; ipse verò cum exercitu, trãsit in Syriam. Vbi reges vltrò se sibi subiicientes, partim in gratiam recepit, quosdam permutauit, quosdam peremit: Tyrum & Sidonem cepit; Siciliam, Rhodum; & Ægyptum suæ ditioni subiecit. Eodemque tempore condidit vrbem, quam Alexandriam nomine suo vocauit.

Iudæis, tributa & forum sibi denegantibus, minas terribiles intulit, & ad eos tanq̃ perdendos accessit. Sed Iadus princeps sacerdotum, à Domino in visione cõmonitus, cum processione totius populi portans nomẽ Domini tetragrammaton aureis laminis in fronte cõscriptum, ei venienti occurrit. Alexander viso nomine Dei, ab equo descendit, & nomen Domini pronus adorauit, atq; animo mitigatus, per manũ sacerdotis templum intrauit, datisq; holocaustis & oblationibus Iudæos in gratiam recepit, & à tributo per septem annos absoluit. Rursumque Darij regnum inuadit. Darius spe pacis ablata, miro studio bellũ reformat. Vbi victus, dum fugeret, à seruis suis ob gratiam Alexandri, variis vulnerib. foditur, & iam exhalãte spiritu, in via relinquitur. Alexander hoc dolo seruorũ comperto, & Dario mortuo inuento, fecit edictum dicens; Quicunque se Darium dominum suum occidisse confitebitur, illum super alios faciam esse notabilem & excelsum. Quo audito, serui interfectores Darij, spe magnæ remunerationis allecti, seipsos produnt. Quos Alexander in cruce fecit esse excelsos, & ab omnibus aliis pro meritis denotandos. Hoc tertio & vltimo bello, Persarum vires ita cecidisse feruntur, vt extunc illud potẽtissimum regnum seruitutem patienter ferre videretur. Tribus his bellis quindecies centena millia Persarum cecidisse fertur.

Reges Persarum.

HIc est finis imperij Persarum. Et hæc sunt nomina omnium regum Persarũ. Cyrus, Cambyses, Mergus cum septem magis, Dari⁹, Xerxes, Artabanus, Artaxerxes, q & Assuerus filius Darij & Parisatidis, Artarxes, qui & Ochus, & Arxes filius eius, Arsamus, & Darius filius Arsami. Omnes isti reges in Perside 225 ann. imperauerũt.

Ex tunc Græci seu Macedones imperant. Quorum monarchia cum Alexãdro incepit, & morte eiusdẽ Alexandri finitur.

His diebus alius Alexander, rex Epirotarum, auunculus Magni Alexandri, cum nepoti vellet succurrere, à Brutis & Lucanis occisus est. Igitur Alexander Hircanos & Brutos & Mãdros, imperio suo subegit. Reginam quoque Amazonum nomine Alestram, procaciter cum muneribus spe suscipiendæ prolis, ad se venientẽ suscepit.

Inde in Indiam procedens, Porum Indorum regem fortissimũ, opulentissimũ, & singulari cõgressu vicit & obtinuit. Rursumq; in signũ suę victorię, regno restituit, & eum ductorẽ per vltimas & ignotas partas Indiæ, sibi cõstituit. De cuius domo aurea, & vinea aurea & argẽtea, atq; de racemis ex hyacintho & smaragdo factis, verificè inferius dicem⁹. Porus tandẽ cũ cõtra Alexandrũ perfidè moliretur, occisus est.

Alexander ad arbores Solis & Lunę accessit; à quibus etiam qua morte & vbi esset periturus, audiuit. Cum leonibus & serpentibus & vnicornibus pugnauit. Brachmanicos per epistolas consuluit.

Goth & Magoth æternaliter concluſit. Vndecim tribus Hebræorũ, montib. æternaliter circumcinxit, de quibus omnib. in versibus plenius dicemus atq; iucundius.

Alexander, toto Oriente deuicto, venit in Babyloniã; vbi totius Occidentis regum legatos vltrò se offerẽtiũ recepit; Romanis etiam terrorẽ incussit, scribens eis epistolã continentẽ sic: *Si venero, venero.* Cui tunc Romani scripsisse legũtur: *Si veneris, inuenies.* Harum tamen euentũ mors Alexãdri subitò præpediuit. Romani tamen prius ei miserant clypeum aureum, & ipse eis concessit regna & honores, quoscunque ipsi suis armis possent lucrari. Nondum enim Alexander vicerat Dariũ regem Persarũ.

Res miranda, cùm 12 annis tantùm imperâsset, omnes fines orbis inæstimabili timore perterruit; quem etiã totum citò obtinuisset, si eũ mors subitò non occupasset.

De Alexandro narrat Iosephus, dicens: *Cùm Alexander persecutus Persas, vsque ad Pamphilicum mare veniſſet, ipsum mare viatrò apertũ est ei: & ipse, sicco pede trãsiuit, sicut olim per mare rubrum filij Israël transierunt.* Quod miraculum, aut ideo fuit, quia Alexander erat magnus Dei cultor, aut quia per eum Deus superbiam Persarum fuerat puniturus.

Hæc

Hæc de Alexandro prosaicè breuiter tetigimus; cætera versificè subsequentia disponemus.

Item de eodem Alexandro Magno, versificè.

Regnat Alexander per climata Græca monarchus,
Inde per imperium Persarum dirigit arcus,
Cuius honor Darij Marte vel arte perit.
Dupla decennalis pueritiam fluxerat ætas,
Dum puer imperij Persarum tollere metas,
Marte per athletas omnia regna vetans.
Transiit hinc Hellespontum signisq; suorum,
Marte prius Syriam titulis adiunxit honorum,
Obtinuit patriam diripuitq; solum.
Obuia signa duces Darij numerosa ferentes,
Ad Granicũ fluuium dant prælia, sorte cadentes,
Marte cadunt equites, terga dedêre duces.
Ira mouet Darium, Darius mouet arma potẽtum,
Atq; duces reuocare studet, per climata centum,
Vltra cisq; mare, miles & arma fauent.
Transiit Enphratem Darius, populusq; fugatus,
Bella Macedonibus maiora referre paratus,
Omne quod exciderat nunc rehabere ratus.
Vicerat Hioniam puer idem Pamphiliamq;,
Dum videt ad bellum Dariũ regem properantem,
Conueniunt reges, signa tulêre duces.
Terga dedit Darius, cecidit gens Persica victa,
Stant soror & mater, stat filia capta relicta,
Rex vbi turba cadit calle fugatus abit.
Stat Rogodon mater, Rosanen quoq; filia capta,
Sunt & Alexandro iam Persica regna subacta,
Vxor ad hæc Darij capta sub ense fuit.
Persa ruit, cæsisq; suis certamine turbis,
Mœnia Persipolis profugus rex præripit vrbis,
Tristis & in thalamo clauditur ipse suo.
Fit velut exanimis, semotus ab ordine mentis,
Fata suæ gentis queritur, iacet in pauimentis,
Spes recidiua perit, vixq; loquela redit.
Scribit Alexandro supplex satis absq; rigore,
Et repetit matrem natamq; simulq; sororem,
Magnaq; pollicitans, hæc sibi dicta mouet;
Dimidium regni nostri cum pace tenebis,
Thesauros quos possideo, tu solus habebis,
Et mihi consocius rector & actor eris.
Scribit Alexander; defende tuas regiones
Ferro, non auro, quia non vendemus honores;
Tollere nam venio, vendere nulla volens.
Optat Alexander fieri per regna monarchus,
Inde suos proceres iubet arma referre Damascum,
Quæ citò succubuit bellaq; prima luit.
Obsidet inde Tyrum, Sidonis tollit honorem,
Obsidione data dum ferret in hoste laborem,
Vrbem Ierusalem subdere colla monet.
Insuper & censum Dario de more solutum,
Postulat, atq; forum fieri sibi siue tributum,
Ni facerent totum perderet ipse locum.
Iura sacerdotum Iadus vnus in Vrbe regebat,
Hic & Alexandro deferre tributa timebat,
Nanq; prius Dario subtitulatus erat.
Motus Alexander de corde minatur Hebræis,
Vnde capit Gazan, grauis & ferus est Pharisæis,
Sed vox sancta Dei lata reportat eis.
Dicit eis Dominus: Nolite timere proteruum,
Obuius ad regem Iadus exeat antè sacerdos,
Cum bene signita fronte sedente mitra.
Auratis laminis mea nomina scripta beata,
Iod, he, vau, he portabit fronte locata,*
Illicò mens regis, prona fauebit eis.
Tunc & in vrbe pia celebris processio fiat,
In psalmodia laudetur vera sophia,
Hoc hodie fiat, rege meante via.

Tres processiones principales.

Ter datur in mundo processio sancta notari,
Prima fuit Jericho, Iosue mandante parari,
Nunc & Alexandro noscitur ista dari.
Montis Olueti fit tertia, qua Galilæi
Aspexêre Dei saltum super æthera cœli,
Cœtus Apostolicus prospicit acta Dei.
Hæc vbi iussa Dei data percipiunt Pharisæi,
Occurrunt populi regi lætanter Hebræi,
Et Jadus hæc sancta nomina monstrat ei.
Rex vbi sancta Dei tetragrammata nomina vidit,
Cedit equo, prostratus humi, se sponte relidit,
Atq; sacerdotem pronus adorat ibi.
Arguitur rex voce ducum, cur pronus adoras,
Ille refert; quia non hominem sed nomen honoro,
Ipsum credo Deum, plus reuerebor eum.
Hic verus Deus est, terram, mare, sydera condit,
Qui mihi Persarum regnum donare spopondit,
Ipse dabit mundi climata cuncta mihi.
Rex templum, per pontificem conductus, adiuit,
Ordine legitimo loca thurificanda requirit,
Multaq; mirifice dona relaxat ibi.
Quærit & à populo quæ nam bona gliscit habere,
Turba petit patrias leges cum pace tenere,
Rex fauet, & sic plebs nulla tributa feret.
Rex abit, & regem Dariũ dominumq; Medorum
Vincit Alexander, summus spoliator honorum,
Ense perit Darius, subiugat iste solum.
Vulnere seruorum Darius perit ipse suorum,
In medio belli dolus est inuentus eorum,
Punit Alexander mortis in hoste dolum.
Nomina seruorum lector, vis nosse malorum?
Ariobarzanes & Basso nomen eorum,
Qui simul in Darium præripuêre dolum.

Planctus Alexandri super Darium.

Vidit Alexander Darium super arua iacentem,
Cuspide confossum, nudum miserè morientem,
Iudicioq; Dei heu, miseretur ei.
Veste sua complexus eum, tactusq; dolore,
Conqueritur regem regum caruisse decore,
Motus & ad lachrymas tristia dicta mouet;
Quis fuit ausus, ait, regum confundere regem,
Cuius ab imperio fert tota monarchia legem?
Omnia qui tenuit, omnibus (inquit) eget.
O pater Jndorum, Persarum, rexq; Medorum,
Per summos tibi iuro deos, per sacra deorum,
Reddo tibi regnum restituamq; thronum.
Tu pater esto mihi, sed ego tibi filius, inquit,
Te solo dominante volo tibi regna relinqui,
Optoq; dum viuis, filius esse tibi.
Dicit ei Darius: Miracula respice fili,

Imperium qui iam tenuit, per climata Nili,
Me modò non teneo, subditus ecce tibi.
Interitu perpende meo discrimina rerum,
Motibus innumeris variare momenta dierum,
Omne quod instituunt fata, perire ferunt.
Ecce vides, fili, iaceo sub tegmine Nili,
Sorteq́ tam misera morior miser absq́ cubili,
Talibus exemplis cautior esto tibi.
Quando fauet fortuna, tota natura rotunda,
Semper in ambiguis variè peruersa reducit,
Vertit & infernis, qui tulit alta prius.
Regna dat & tollit, leuat, opprimit atq́ resoluit,
Quos vocat, eiicit, erigit, obruit, omnia voluit,
Legeq́ mentita singula damnat ita.
Tu nimis extolli per prælia prospera noli,
Regi nanq́ poli sunt omnia subdita soli,
Ipse tibi tribuet viuere sine metu.
Parce meæ matri, mea filia sit tibi coniunx,
Rectius inde tibi veniet vel gloria vel ius.
Sic poteris totas iure tenere meas.
Offer & vxori tua dona, parce sorori,
Parcere victori laus est & culmen honori,
Qui tegit alta poli, det tibi regna soli.
Persarum regnum post quam sibi victor adegit,
Desponsatur ei deuicti filia regis,
Tradidit & socero digna sepulchra suo.
Iudaici populi puero scribuntur amici,
Indeq́ procedens, quicquid tenet India vicit,
Sæpe sui pereunt peste, calore, siti.
Rex erat Indorum sub eodem tempore Porus,
Climata regnorum tenuit triginta duorum,
Vicit Alexander prorsus vbiq́ solum.
Vicit in vrbe Susi miranda palatia Pori,
Ex auro Pori regum fabricata decori;
Quæ statuit Porus regia iura coli,
Artibus egregiis, erat aurea vinea regis,
Cui manus artificis pendentia grana subegit,
Omne genus lapidum vinea pulchra vehit,
Vinea palmitibus frondes spaciosa tetendit.
Copia gemmarum sub ea velut vua pependit,
Et quasi terrena tunc paradisus erat.
Vua smaragdina viridis pendebat ad ima,
Grana hyacintina peperit sibi vinea prima,
Hanc & Alexander tollere prorsus hiat.
Sic & Alexandri fuit aurea vinea Pori,
Ipse misertus ei, Porum restaurat honori,
Qui tandem meruit traditor inde mori.
Vicit Amazonides, ibi rex, vicitq́ leones,
Tunc vnicornes vicit varioq́ dracones,
Qua populus Garamas nudus arare solet.
Vidit Hebræorum populos quasi millia centum,
Sub duce Salmanasar captos inibiq́ retentos,
Qui de Samaria præda potentis erant.
Fertur Alexander hac plebe petente rogari,
Eius vt auxilio queat in patriam reuocari,
Rex vbi res patuit, Non miserebor, ait.
Si populo peccante Deus vos hìc reliquit,
Iussa Dei cœli per me nequeunt vacuari,
Vt Deus instituit sic maneatis, ait.
Insuper ipse preces deuoto corpore fudit,
Vt Deus hos faceret alpina rupe recludi,
Ne magis hinc abeant; quod petit ipse fuit.
Ardua montana fuerant hinc inde remota,
Quæ rex transposita videt huc, coniunctaq́ tota,
Concludunt populos, continuantq́ loca.

Author reddit rationem cur montes translati sint; vtrum per preces Alexandri, vel alio iudicio.

Rege petente fit hoc, sed non prece traduce regis,
Nec prece pagani fieri tam grandia legi,
Sed prece Christicolæ, sæpe venire solent.
Dummodo transferri montes rex fortè perorat,
Incidit in punctum fati quia venerat hora,
Nam si non peteret rex, tamen ista forent.

De Goth & Magoth quos Alexander inter montes conclusit.

Finibus Indorum species fuit vna virorum,
Goth erat atq́ Magoth, dictum cognomen eorum,
De causis quorum scribere pauca volo.
Ex aliis scriptis poteris cognoscere quid scit,
Narrat Esaias, Isidorus, Apocalypsis,
Tangit & in titulis magna Sibylla suis.
Carnibus humanis solet hæc gens sordida vesci,
Quid sit rex, vel lex, vel dux, vel ius ibi nescit,
Regula tunc illis normaq́ nulla fuit.
Fertur ab his lupus atq́ canis vel rana vorari,
Funeribus voluit Goth, atq́ Magoth, saturari,
Turba cadaueribus vescitur ore pari.
Patribus ipsorum tumulus sit venter eorum,
Tumbaq́ natorum patris est in ventre suorum,
Tale dedit populo vita ferina forum.
Turpia sunt plura, quibus vtitur atra figura,
Vidit Alexander quid turba facit peritura,
Præparat & meritis reddere digna suis.
Montis ob hanc causam tenet hãc sub tegmine clausam,
Sic quod in æternum discedere non erit ausa,
Ne ferat exemplum vita nefanda malum.
O lector, Goth atq́ Magoth, vis scire quid est hoc?
Tecta super tecta, resonant hæc nomina lecta,
Deniq́ multiplici tegmine tecta fuit.
Gens ea quæ tanto conamine clausa tenetur,
Fine dato mundi, pòst fortior egredietur,
Tunc quoq́ deficiet lex noua, lexq́ vetus.
Tunc Antichristi robur præstabitur isti,
Vt queat ecclesiis gens ipsa resistere Christi,
Ipsaq́ Christicolis tunc grauis hostis erit.
Tunc rex Romanus surget, teste ante Sibylla,
Viribus imperij qui gentem destruet illam,
Qui rex Ausoniæ fiet & Italiæ.
Nomen & ille Dei conscriptum fronte tenebit
Auratis laminis, cui mundus pace fauebit,
Postea conuersus relligiosus erit.
Christi siue patris nomen, iussu deitatis
Deferet auratis laminis in fronte ligatis,
Hostibus iratis prælia dando satis.
Deniq́ pro Christo statuet dimittere Romam,
Religione bona deponet in vrbe coronam,
Stare Hierosolymis, viuere mente bona.
Huius erit constans animus longæuaq́ vita,
Tunc conuertetur Iudæus & Israëlita,
Annis centenis rex remanebit ita.
Ex tunc terrigenis iam non erit vlla potestas,
Grandis & infesta populis tribulatio restat,

Pax abolenda perit, turbidus orbis erit.
Ista Sibyllinis scriptis præconia dixi,
Si nec in his contentus eris, patet Apocalypsis,
Et reliqui libri dent potiora tibi.

De disputatione inter Alexandrum & regem Brachmanorum.

Brachmanides vidit, nec eos seruire coëgit,
Scripsit eis, & ab his rescripta volumina legit,
Quæ loca sint regi, quomodo regna regit.
Scribite quas leges, quod opus, quæ iura tenetis,
Prælia si geritis, si tempora pacis habetis,
Bacchus adest vobis, siue bibenda Thetis.
Quod genus armorum, vel opes, quæ forma ciborũ,
Quis ritus, quis honor, quæ templa vel ara deorum,
Venditor aut emptor, quæ bona, quódue forum?

Responsio regis Brachmanorum.

Talia dum quærit cupiens rex ipse doceri,
Hic ait; austeri nolo sub lege teneri,
Sed magis innatum ius mihi semper erit.
Prælia non gerimus, pia tempora semper habemus,
Vina perhorremus, sed aquas potare solemus,
Nata mihi domus est, crypta, spelunca, nemus.
Non genus armorum teneo, neq; templa deorum,
Non caro non panis mihi dant alimenta ciborum,
Nec mihi sunt vrbes, nescio ferre forum.
Idola non colimus, neq; thura Diis adolemus,
Mente Deum verũ colimus, veneramur, habemus,
Munera phana Deo reddere nolo meo.
Si Deus est, si cuncta tenet, si cuncta creauit,
Nec domibus claudi voluit, neq; munus amauit,
Quærit adorari, non sibi dona dari.
Si Deus est cœli, templo nequit ipse teneri,
Si sua, non tua sunt, à te sua quomodo quærit,
Tu sua si tribuis, non tibi gratus erit.
Ergo superuacuum fuit, illi sistere templum,
Aut dare quæ sua sunt, aut idola condere centum,
Quæ penitus miseros nouimus esse deos.
Quomodo te lapidis aut æris imago iuuabit?
Quam manus artificis mutam surdamq; parauit,
Cum sibi non habeat, non tibi dona dabit.
Vis placare Deum? vis noscere qualia quærit?
Dilige mente Deum, pete, crede, stude, reuerere,
Hæc iubet ipse geri, cras quoq; sicut heri.
Iussa Dei sunt hæc; bene fac, male facta relinque,
Sic facias aliis, sicut fieri cupis in te,
Hoc facias homini, quod cupis ipse tibi.
Munera des miseris, quæ ferre Deo voluisti,
Quæ tribuendo, bonum recipis quod mente petisti,
Arma, quibus noceas, bellaq; nulla geras.

Responsio Alexandri ad regem Brachmanorum.

Dicit Alexander: Bone rex errare videris,
Omnia quæ colimus, dum vana fuisse fateris,
Nec mihi iam sapiens, sed maledictor eris.
Natus es in syluis, rudis es, quasi bestia crescis,
Egregiis escis vesci, pro corpore nescis,
Quid sit honoris opus, militiaq; iocus;
Non genus armorum, non bella venusta virorum;
Nescis te regem, neq; me Dominum dominorum,
Nonq; puellarum scis modulare chorum,
Dulcia cantica nulla, vel organa nulla iocosa,
Sunt tibi tristia, stas quasi bestia res tenebrosa,
Stas quasi deserta vel sine fronde rosa.
Aula mihi grandis, sublimis & arte decora,
Et thronus excelsus, me totus mundus adorat,
Quos volo suscipio, quos volo pello foras.
Omnia castigo, tanquam Deus, ordine diuo,
Omnia soluo, ligo, summo diademate viuo,
Fercula lauta cibo, sunt mihi vina, bibo.
Retia mando mari quoties volo pisce cibari,
Scimus & aëreis auibus semper dominari,
Quæ mare, terra parit, tollimus arte pari.
Est mihi vinea, sunt viridaria fonte recluſa,
Sunt mihi carmina, cõsona, tympana, lætaq; Musa,
Histrio dat variis cantica plena iocis,
Dum canibus ceruus capitur Philomelaq; Niso,
Dum volat accipiter quasi tunc sumus in paradiso,
Respice quæ dico didyme crede citò.

Responsio regis Brachmanorum ad Alexandrum.

Brachman ait; Perpendo magis te desipientem,
Derides quæ recta vides, audi patienter,
Nam citò qui loqueris, tu tibi stultus eris.
Libera cuncta Deus animantia prima creauit,
Obsequiisq; suis ea libera stare putauit,
Vt videant homines quanta creator agit.
Fecit Adã dominum super omnia, tunc ad honorem,
Non ad opus mortis, nec vt opprimat inferiorem,
Sed magis vt pariter libera, læta forent.
Arboreos fructus Deus illi cessit edendos,
Non pecudes, vel aues, hominésue dedit perimũdos,
Nec varios flores quos genitura fouet.
Culpa fuit causa, peccataq; prima parentum,
Quod varias carnes comedit censura potentum,
Et terræ flores mandat arare boues.
Primò Cain mactauit Abel, prior ipse latronum
Incidit in vitium, spoliansq; premensq; colonum,
Ædificans vrbem pressit vbiq; bonum.
Eius ad exemplum rapuit post turba malorum,
Ex quibus (ô tu rex) stas summus in orbe latronum,
Omnia præcipitas, diripis omne bonum.
Dic mihi, quo iure moritur fur iudice fure?
Cur latro prædonem damnat, vel prædo latronem?
Cum parili laqueo dignus vterq; foret?
Pro minimo si fur vitio suspenditur ille,
Tu rapiens quæcunq; potes per climata mille,
Dignior es meritis damna referre tuis.
Pro boue si potuit mortem sic prædo mereri,
Tu qui regna rapis, qua vis ratione tueri?
Maior es in culpis, pœnaq; maior erit.
Ista creatori contraria vita videtur,
Vnde minus stabilis tua gloria falsa putetur,
Desine; crede mihi; rex miserere tibi.

Alexander respondet ad regem Brachmanorum.

Rex miser, ex nemore, mundi spoliatus honore,
Vita tibi misera est, sensus leuis absque decore,
Turpia non metuens, turpia ferre soles.
Non ego prædari soleo, nec iniqua lucrari,
Nec latro monstrari merui, neq; prædo vocari,
Orbis ego dominus summus & absq; pari.

Me genuit natura Iouis, censura deorum,
Lege supernorum regnum mihi cedit auorum,
Ecce mihi tribuit Iuppiter omne solum.
Diuidit imperium diuina potentia mecum,
Dat mihi terrigenas, retinet cœlestia secum,
Et mihi regnorum tradidit omne decus.
Non igitur nunc alterius mihi vendico regnum,
Tollo meum proprium solium, rego iure superno,
Iureq; cœlicolo regna tuebor ego.
Iura damus populis, sed nos non lege tenemur,
Vnde nec ex factis, aliquid peccasse videmur.
Quod mihi complacuit lex mihi semper erit.

Responsio Brachmanorum ad Alexandrum.

Conditor es iuris, qui spernere iura videris,
Crimina condemnas, qui crimine primus haberis,
Corripiens alios, deteriora geris.
Si legis, sancita legis, si canone degis,
Cur legis non iussa regis, moderamine regis,
Tu tua gesta tegis, rex aliena regis.
Nosce tuas maculas, si noscere vis aliorum,
Corrige te citius, si corripis acta tuorum,
Sic potes imperium, sic retinere thronum.
Crede polum non esse thronum Iouis, atq; deorum,
Nec regnum donare queunt, neq; iura bonorum,
Imo sub inferno tartara magna colunt.
Disce creatorem, cœli fabricasse decores,
Indeq; dat nobis quoscunq; tenemus honores,
Hunc tibi tu Dominum prospice, nosce, cole.
Rex ego Brachmanico semper volo viuere more,
Non comedo carnes, vel aues, neq; destruo flores,
Nec matris terræ viscera scindo boue.
Pace bona teneo populum, teneo regionem,
In patria nullum nisi te cognosco latronem,
Poma cibus mihi sunt, quæ mea sylua fouet.
Dant mihi diuitias animantia singula terræ,
Quæ video, tango, teneo, possumq; referre,
Assistunt volucres & modulantur aues.
Non mihi sunt, nec erunt, aurũ vel auara metalla,
Ne vel auaritiæ vitio mea pectora fallant,
Vel valeant populi vertere corda mei.
Sola mihi cura sit ad illa venire futura,
Quando Dei pura fiet manifesta figura,
Qua veniente meum credo videre Deum.

Item de Alexandro, quomodo locuta est ei arbor Solis & Lunæ, & prædixerunt eius mortem.

Arboreas voces Solis Lunæq; loquentes
Consuluit, didicitq; sibi sua fata frequenter,
Et licet hæc didicit, mors fuit ipsa sibi.
His ita perspectis vicit tandem Babylonem,
Sæpe minas scripsit deuincere mœnia Romæ,
Sed prius horribili sorte venena tulit.
Æthera transiliit, fundi maris infima vidit,
Omne quod audiuit mirum, mirandus adiuit,
Qui tandem lethi pocula morte bibit.

Verba authoris.

Dum cadit inclyta gloria regia, sorte veneni,
Fracta potentia, scissa monarchia, lapsa recedit,
Gesta sub Antiocho promere Musa veni.

Historia Romana mortuo Alexandro.

POst mortem Alexandri, in diuersis mundi partibus Romani triumphare cœperunt. In Macedonia, in Aphrica, apud Samnites, circa Iugurtinos, & circa Pyrrhum regem Epirotarum, & aliàs. de quibus singulatim per diuersa capitula suo loco tangemus.

In hoc autem loco illud specialiter tangitur; quòd Romani, qui illo tempore ab hostibus occidi: sed non capi posse dicebantur, inter angusta montium à Samnitibus capti, cùm Samnites occidendi eos potestatem haberent, ad maiorem Romanorum ignominiam, vestibus eos penitus denudatos, detectis eorum genitalibus, remeare fecerunt. Testatur autem Oriosius sic dicens: Si Romani Samnitibus talem fidem seruassent, qualem sibi ab eis seruari volebant, aut hodie Roma non esset, aut Samnitibus subiaceret. Cętera versificè explicamus.

Item de Romanis, sub compendio, versificè.

Roma Macedoniam tulit & certamine Persen,
Bella Iugurtina vicit, plerunq; reuersa,
Nunc sub Tarpeia rupe Iugurta iacet.
Consul Torquatus fertur nece pendere natum;
Cur? Sine mandato, bello deuicerat Afros;
Nam sine mandato nil dedit esse ratum.
Marcus ad Æthiopes missus deuincere Maurum,
Vincere tunc potuit, sed honori prætulit aurum,
Quod quia corde sitit, iustius ore bibit.
Consul Samnites euicit, & inde patronos
Abstulit, & Romæ posuit super aruа colonos,
Sic etiam Siculos mandat arare solo.

Verba authoris.

Attamen antè lego Romanos Samnite victos,
Vestesq; nudatos, feretroq; patente relictos,
Dedecus hoc illis Samnia prima tulit.
Etsi Roma fidem Samnitibus hanc tenuisset,
Quam sibi seruari voluit, prior ipsa luisset,
Totaq; vel caderet, vel sibi seruа foret.

¶ *Chronica.*

ANnis ab Adam quinque millibus excursis & nongentis quinquaginta; à diluuio 1650, à diuisione linguarum 1551. ab imperio Nini, 1840. à destructione Troiæ 866. ab Vrbe condita 260; Tarquinio Superbo ab Vrbe excluso, Romani sibi consules, qui Reipublicæ potius consulerent quàm præciperent, creauerunt. Quorum primus Brutus consul constituitur; qui priorum regum sęuitiam imitatus,

tatus, filios suos & vxoris suæ fratres interfecit, & Rempublicam sibi pro filiis dicitur adoptasse. Tarquinius autem, auxilio Porsennę Tuscorum regis, Vrbem obsedit triennio, cepisſetque, nisi idem Porsenna misertus, Romanam obsidionem soluisset. Cætera versus habent.

Item de Romanis versificè, & de primis consulibus post reges expulsos.

Regibus exclusis, regnat sine rege Senatus,
Consulibusq; tribus regit orbis & Vrbis hiatus,
Dansq; magistratus fulget in orbe caput.
Nunc dictatores fiunt pariterq; tribuni,
Romanum regnum non amodo creditur vni,
Consulibusq; suis Roma beata fuit.
Roma quadringentis & sexaginta duobus
Annis, bisq; semel auxit sub consule robur,
Et tulit imperium glorificata suum.
Dictator primus, vir nomine Largus habetur,
Princeps militiæ, Cassius annumeretur;
Pythagoras moritur, fulget in Vrbe decus.
Primus erat Consul vir, Brutus nomine, Romæ,
Valerius collega suus, plenus ratione,
Et regimen Romæ consul uterq; fouet.
Mira loquor, dum Valerius consul moreretur,
Vnde sibi tumulus fiat neq; nummus habetur,
Publica res tribuit, quo sibi tumba fuit.

¶ Qualiter regnum Alexandri diuisum est in duodecim partes post mortem eius.

ALexandro mortuo in Babylonia ex potu venenato, principes eius coadunatum ab eo imperiū inter se diuidunt, & quasi prædam vndique discerpunt, atq; ipsi sub se totum Orientem longo postea tempore tenuerunt. Ptolemæus enim tenuit Ægyptum; Antipater tenuit Græciam; Seleucus, id est Antiochus Syriam cum Antiochia & Babylonia. Cassander tenuit Lyciam & Pamphiliam; Antigonus autem maiorem Phrygiam: & alij alias quasi rapuêre prouincias, & singula portabant diademata, sicut in libro Machabęorum scripta reperimus. Tandem vnus contra alterum, in tantam inuidiam & odium deuenerunt, vt mutuis vulneribus sese interfecerint. Nam vt inter se possent liberius debacchari Olympiadē Alexandri matrem, & filium eius quatuordecim annorum, nomine Herculem, occiderunt Antigonus & Cassander. Ptolemæus autem Sother qui tenebat Ægyptum, in necem Iudæorum vehemēter exardens, occasione orandi in templo Domini in Hierusalem sabbatho, nemine prohibente intrauit, & viros & mulieres ac pueros, cum omni substantia eorum, captiuos in Ægyptum deduxit, & totius orbis mercatoribus pro seruis vendidit. Vnde & omnes tunc per totum mundum leguntur fuisse dispersi. Iosephus dicit; quia nunquam fuit tam magnum exilium Hebræorum, sicut hoc. Sicut & his versibus acta leguntur.

De primo Ptolemæo Sother, qui Alexandro succeſſit in Ægypto.

Regnat in Ægypto Sother primus Ptolemæus,
Cuius ab insidiis populus vexatur Hebræus,
Destruitur, capitur, factus vbiq; reus.
Ille capit Syriam statuitq; sedere Damasci,
Tunc dedit Hebræis mutanda pericula nasci,*
Instituitq; dolo bella gerenda solo.
Dixerat orandi studiis intrare libenter,
Sabbatha dum seruant, intrat, nullo prohibente,
Vrbem Hierusalem templaq; sacra tenet.
Inde capit populum, pueros simul & mulieres,
Et spolium quotcunq; potest regionis habere,
Prorsus in Ægyptum singula capta ferens.
Vendidit hinc homines emptoribus in regiones,
Empta per omne solum gens vēdita perdit honorem,
Non loquor exilium maius in orbe fore.

Chronica ipsius temporis de Appio qui fecit viam Appiam Romæ, & de aliis.

Princeps Romanus nunc Claudius Appius extat,
Cuius & Appia post via condita, strataq; restat,
Quæ modo Romanis nomen iterq; parit.
Constituit animi nunc mœnia prima senatus,*
Vrbs Beneuentana tunc ædificata putatur,
Vtraq; Romano consule facta suo.

Pyrrhus contra Romanos.

ANnis ab Adam 5960: annis à diluuio 1660, à diuisione linguarum 1560; à destructione Troiæ 871. ab Vrbe cōdita 264; initum est bellum Romanorum cum Tarentinis, aduocato in auxilium Pyrrho rege Epirotarū contra Romanos, qui mirabilem multitudinē equitum & peditum cum elephantis in prælium ducunt. Romani sub consule Leuino, pariter & Pyrrhus, non pro commodo temporali, sed pro sola gloria & pro libertate tuenda, pugnā conserunt apud Heracliā Campanię ciuitatem, per quinquaginta dies pugnātes, & mori potius quam cedere bello optantes. Romani terrore ele-

phantum, quos antea non viderant, consternati, in fugam vertuntur. Cæsa sunt ex eis quatuordecim millia & octingenta septuaginta peditum. Capti peditum mille decem. Ex equitibus eorum cæsi sunt ducenti quinquaginta sex, capti octingenti duo. Signa Romanorum perdita, viginti duo. Pyrrhus verò quantum detrimenti pugnando receperit, ipse in verbis suis sic dicens, ostendit: Vici, inquit, viros inuictos, & ego victus sum ab eis. Qui dum increparetur à suis cur se victū diceret, cùm ipse vicisset. Respondit: Si iterum sic vicero, reuertar sine milite in Epirum. Romani eisdem diebus aliud passi sunt detrimentum; quia eorum pabulatores, grandine percussi, alij sunt mortui, alij in via semiuiui inuenti. Rursus in Apuliæ finibus cum Romanis Pyrrhus congressus, vincitur & fugatur, vbi Romanorum quinque millia, de exercitu verò Pyrrhi decem millia cæsi sunt. Ipse quoque Pyrrhus, grauiter in brachio est vulneratus. Tertiò rursus in Lucania, prælio inter eos conserto, cum vtriusque partis maximo detrimento, victus est Pyrrhus, & quinto anno ab Italia fugere compellitur. Tanta autem virtute Pyrrhus pugnauit, vt etiam à Romanis potuisset laudari. Pyrrhus in Achaia saxo ictus, mortuus est. Quo mortuo, Tarentini à Carthaginensibus accipiunt auxilium contra Romanos.

De secundo rege Ptolemæo Philadelpho per idem tempus in Ægypto post Alexandrum.

Rex Ptolemæus adest alter Sother Philadelphus,
Liberat Hebræos redimens per climata seruos,
Placat Iudæos, seruat, honorat eos.
Millia centena bis denaq; capta redemit,
Quodq; ducentenis drachmis caput exulis emit,
Atq; decem drachmis, donaq; plura dedit.

¶ *Septuaginta interpretes.*

NOta; quia Ptolemæus iste Philadelphus, volens ad plenum cognoscere, si scripta Iudæorum veraciter ex Deo essent: Septuaginta eorum interpretes, ad inuicem, singulos in singulis cellulis separauit, nec eos inuicem consilium aut colloquium habere permisit, donec vnusquisque per se cuncta transferret. Quumque ipsorum omnium dicta conferret, nullam inter eos potuit discordiam inuenire; Quo casu credidit & asseruit, vno Dei spiritu eos omnes omnia quæ scripserant, didicisse, & vnum verum Deum esse, à quo omnia Iudæorum scripta manarent. Iste Philadelphus dicitur Esdram prophetam in palatio suo tenuisse charissimum, & eius petitione Iudæos maximè ab exilio reuocasse. *Cætera versificè pagina scripta refert.*

Septuaginta duos sapientes parte remota,
Imperat Hebraica transferre volumina tota,
Nec voluit minimum prorsus abesse iota.
Dum quasi legista Philadelphus transtulit ista,
Instituit templum, templi Salomonis ad instar,
Vt quasi lege Dei sacrificaret ei.
Vasa Dei, mensamq; Dei, variosq; decores,
Iudaico more, simili fabricauit honore,
Cultum consimilem semper habere volens.
Aurea gemmifera mensa fuit inclyta forma,
Vasaq; gemmarum species miranda perornat,
Vt lux in tenebris aurea mensa fuit.
Vrbs Pharaonis erat quondā cognomine Memphis,
Qua dedit hoc templum Domino Sother Philadelphus,
Hanc sub Pompeio post cecidisse lego.

Chronica eiusdem temporis de diuersis præliis Romanorum cum diuersis gentibus.

*Consule Carthago legitur tunc iuncta *Metello,*
Nummus ab argento fit in Vrbe, sed Aphrica bello
Vndiq; succubuit, victaq; tota luit.
Annibal, ante ferox, obsederat acriter Vrbem,
Innumeris cuneis grauiter quàm circiter vrget,
Sed citò morte eam Scipio saluat eam.
Annibal in bello Romanos vndiq; vicit,
Annulus ex auro modio tres inde remisit,
Quos rapuit gladiis Annibal ipse sibi.
Ad nihilum tandem post Annibal ipse redactus,
Robore Romuleo pauperrimus vndiq; factus,
Dum Romam timuit letha venena bibit.
Primus ab argento Romæ fit pondere nummus,
Cuius ab exemplo similem facit vndiq; mundus,
Et normam tenuit quam sibi Roma dedit.
Deuincit Roma multos sub consule reges,
Tollit Athenienses factas prius à Ioue leges,
A Ioue patre suo iura paterna legens.

¶ *Carthago cum Roma.*

QVia Carthaginensium facimus mentionem, ratio suggerit vt de ipsa debeant aliqua explicari. Carthago antequàm Roma septuaginta duobus annis habuit originem, & à Tyro ædificata est, facta caput totius Aphricæ. Habuit autem potentissimos reges, & vna de quatuor principalibus mundi ciuitatibus reputata est.

Fuit autem semper infelix, quia vel intestinis bellis, vel extrinsecis, semper infelicitatem portauit. Pestilentia quoque

que frequenter afflicti ad remedium suum pueros impuberes deis immolabant. Vnde iratis diis, vt ipsi asserunt, imò irato Deo vero super eorum sceleribus, tam in Sicilia quàm in Sardinia infeliciter pugnauerunt: atque sub temporibus regum Persarum, Cyri, Darij, Philippi & Alexandri, vsque ad tempora Romanorum, multifariè sunt attriti. Itaque dum Carthaginenses Tarentinis auxilium præstant, à Romanis monentur, vt fœdus pacis, quo eis tenentur, non rumpant. Illi autem cum periurio à fœdere discedunt. Quæ causa, bellorum occasio potissima fuit. Atque propter hoc Romani Aphricanum bellum, quo nunquam maius fuit, intulerunt. De quo suis locis & temporibus per suppositos titulos aliqua inferemus: sed hîc de regibus Antiochis; & primùm de Ptolemæo Euergete aliqua verificè, & de Chronicis ei temporaneis, dicemus. & post hæc de Carthagine.

De Ptolemæo Euergete, qui tertius regnat in Ægypto & in Antiochia post Alexandrum Magnum.

Regnat Euergetes, qui tertius est Ptolemæus,
Tunc erat Onias dictus princeps Pharisæus,
Nunc Iesus Sirac viuit, amatq; Deum.
Iste suis manibus conscripserat Ecclesiasten,
Ex alio titulo liber hic Sapientia nunc est,
Cuius & in choro scripta legenda colo.
Nunc & apud Rhodanũ stant agmina Romula læta
Quadraginta cadunt Gallorum millia cæsa,
Romani Gallos regna tenere vetant.
Nunc terræmotu legitur cecidisse colossus,
Conteritur prorsus, crus, venter, pectora, dorsum,
Seruat Romanus nunc caput atq; manum.

¶ *Chronica.*

ANnis ab Adam excursis sex millibus cẽtum & sexaginta, à diluuio 1760, à diuisione linguarum 1660. annis à destructione Troiæ 1135. ab Vrbe condita 483. Romani, Appio Claudio & Quinto Fabio consulibus Aphricanum bellum adorsi, Geronem regem Syracusanorum, Penis familiarem cõiunctum, primò debellantes in deditionem suscipiunt.

Deinde Agrigentum vrbem Siciliæ, in qua Penorum præsidia & rerum copiæ, vnà cum imperatore eorum Annibal tũc erant, obsidione cingunt & capiunt, paucis cum rege clam elapsis, reliquos sub corona vendiderunt. Post hæc Penis nauale prælium parantibus, à consulibus Romanis Caio & Duilio, classibus obuiatur, vbi Romani victores fiunt. Rursus à Carthaginensibus bello reparato, à Scipione Lucio, & ab ipso Caio, consulibus, sub Hannone rege suo victi & cæsi, in fugam vertuntur.

Postea Marcus Regulus bellum Punicum suscipiens, iuxta fluuium Bagrada, castrametatus est. Ibi serpens miræ magnitudinis, cuius corium postea centum & viginti pedum fuit, plurimos de exercitu deuorauit; quem Marcus Regulus, arte & virtute necauit, coriumque pro miraculo Romam transmisit. Idem Regulus cum tribus regibus ex Aphrica, scilicet duobus Asdrubalibus & Hamilcare, bellum conseruit. Eosque in fugam conuertit, cæsis ex eis septemdecim millibus. Captis quinque millibus cum septemdecim elephantis, & oppida octuagintaduo in deditionem recepit.

Carthaginenses, tantis infortuniis fracti, & rebus extenuati, pacem petunt. Sed cùm duras conditiones audissent, malunt in libertate mori, quàm in seruitute miseram vitam seruare. Vnde & auxilia Hispanorum & Gallorum conquirunt, & Antippi regis Lacedæmoniorum subsidio per precium acquisito, bellum innouant; vtrobique acerrimè pugnatur. Romani in fugam vertuntur. Sic in hoc decimo bello, Carthaginenses glorioſè triumphant. Cæsa sunt ibi Romanorum triginta millia. Regulus captus & catenatus, cum viris quingentis.

Romani hac clade comperta sub Ælio Paulo, & Lucio Metello consulibus, Penis iterum bellum indicunt. Itaque tam nauali quàm terrestri prælio, Penis profligatis atq; submersis, Carthaginenses pacem petere iterum compelluntur. Ad quam petendam, cùm Regulum captiuum mitterent, & non impetrassent, abscissis ei oculorum palpebris, vigilando ipsum necauerunt; de quo Tullius postea sic dixit: *Marcum Regulum ærumnosum, nec infelicem, nec vnquam miserum reputaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Penis, non grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus, non denique animus ipse qui tot virtutum præsidio, tantóque comitatu, cùm corpus eius carperetur, carpi certè ipse non potuit.* Hęc autem dicta, modernis ad exemplum sunt reseruata.

Romani iterum sub consulibus Atilio

& Luctatio, Carthaginenſes tot bellis & calamitatibus attriuerunt, vt tunc demum pacem & duras conditiones à Romanis ſibi dudum propoſitas, quaſi libenter acciperent. Conditio autem hæc erat; vt trium millium talentorum pondus per annos ſingulos, vſque ad viginti annos, Romanis pro expenſa perſoluerent. Siciliamque atque Sardiniam, quas tunc occupauerant, dimitterent. Hæc pactio facta eſt, vigeſimotertio anno poſt incœptum Punicum bellum. Vbi quot reges, quot conſules & principes, & ſenatorum ordines deperiſſent, quantę ſtrages vtriuſque populi fuerint, nemo poſſet literis explicare.

In hoc loco ſubſequenter verificè apponemus, qualiter Antiochus Magnus, cognomine Seleucus, à quo Seleucia vrbs condita eſt, ſubiugauit Philopatorem regem Ægypti, qui erat quartus Ptolemæus à morte Alexandri Magni: & qualiter Iudæi ab eodem Antiocho ſunt afflicti, & in tutelam Romanorum recepti.

De Ptolemæo Philopatore, quarto ab Alexandro: quem Antiochus rex Syrię vicit, & imperauit pro eo, & Iudæos fecit ſibi tributarios.

Regnum Philopator quartus Ptolemæus habebat,
Antiochus Syriam propria virtute regebat,
Qui duo, dum viuunt, prælia dira gerunt.
Obtinet Antiochus, ſed & interimit Ptolemæum,
Subiugat Ægyptum, populũ quoq; ſubdit Hebræũ,
Atq; tributarium canone fecit eum.

De eodem Philopatore qualiter afflixit Iudæos.

Rex grauis hoſtis erat, populus dolet abſq; medela,
Conſulibus Roma defertur Hebræa querela,
Onias princeps ſummus Hebræus erat.
Miſſus Romanus Scipio datus eſt Aphricanus,
Et Scipio Naſica, collecto milite vadunt,
Cedat vt Antiochus contineatq; malum.
Cogitur Antiochus, ſed eo ſub conſule iurat,
Amodo Iudæis quia nulla feret nocitura,
Obſes & Antiochi filius ipſe fuit.
Filius hic obſes Seleucus ritè vocatur,
Cui pater Antiochus in Perſide fortè necatur,
Eſt caro per fruſta plurima ſecta ſua.
Nam tunc in phano Manuhe fertur cecidiſſe,
Atq; ſacerdotum manibus caro ſecta fuiſſe,
Vltio digna Dei talia reddit ei.

De Seleuco minori filio Antiochi, qui ſuccedit in regnum, fratre ſuo Seleuco maiore Romæ pro obſide manente.

Filius Antiochi minor, hic Seleucus honores
Suſcipit, Hebræis referens plus patre labores,
Onias princeps ſummus in Vrbe dolet.
Mittit Heliodorum mãdans loca ſancta grauari,
Sacra prophanari templum iubet expoliari,
Seraphin & Cherubim comminuenda dari.
De latebris templi iuuenes duo clam ſalientes,
Corpus Heliodori fodiunt, abeuntq; latenter,
Dux vbi morte ruit, territa turba fugit.
Hi duo qui fuerint iuuenes, nequit arte doceri,
Nam neq; tunc ſciri potuit moderamine veri,
Ioſephus hos miſſos dicit ab arce Dei.
Territus Onias occiſo principe plorat,
Suſcitet vt Deus hunc, populis lachrymãtibus, orat,
Viuus Heliodorus proſilit abſq; mora.
Theſauri templi ducis hac ſunt morte redempti,
Cauſa reſurgentis, cor mollit, & acta potentis,
Deſinit Antiochus clade grauare locum.

¶ Romana hiſtoria de Carthagine.

ANno ab Vrbe condita quingenteſimo ſeptimo, gaudia Romanorum de victoria Carthaginenſium vertuntur in luctum. Roma enim inundatione Tiberis, incendio, caſuque domorum & hominum, mirabili ſtrage vaſtatur. Romani ipſis diebus cum Gallis habentes conflictum, primò vincuntur, ſecundò vincunt: tunc etiam Carthaginenſes pacem ſuprà memoratam ruperunt. Igitur ciuitas Carthaginenſium iam ſuſtinere non poterat, vt quæ prius regnis & regibus atque inſulis dominabatur, Romanis daret tributũ: vnde & Hamilcar dux eorum Romanis inferre prælium machinatur, ſed antè ab Hiſpanis occiditur, quam ad bellum Romanorum procedat.

Hannibal autem, filius Hamilcaris; qui ante aras deorum, patri ſuo iurauerat, quòd de Romanis vindictam acciperet; quàm citò vrbem Saguntum, Romanis amicam in Hiſpania, obſidione circundat, capit & deſtruit: deinde cum inæſtimabili mantu Gallorum in Italiam feſtinans, per alpes Pyreneas, vbi mons Iouis nominatur, igne & ferro & ſanguine hircorum, primus iter aperuit, Gallosq; Alpinos ſibi reſiſtentes, deuicit. Quum ad Ticinum peruenisſet; Romani ſub Cornelio Scipione, & Sempronio Longo conſulibus, cum Hannibale bellum commit-

mittunt: vbi vincuntur, & ferè totus exercitus Romanorum deletur. Scipio autem per filium eius, qui postea dictus est Aphricanus, grauiter vulneratus, exemptus est.

Rursus Romani præliantur, iterumque vincuntur. Tertiò Romani restaurato exercitu, pugnantes, in fugam vertuntur. Ibi Hannibal sauciatus, dum Apenninum montem transiret, asperitate hyemis, & nimietate vigiliarum, oculum vnum amisit.

Postea apud Cannas & in aliis diuersis locis, de Romanis toties triumphauit, vt de manibus occisorum nobilium Romanorum tres modios anulorum Carthaginem in signum victoriæ transmisisset. Romani in tantis attriti miseriis iam desperantes, vrbem deserere & prouinciam dimittere cogitabant. Vnde dicit Orosius; quia si tunc Hannibal ad Vrbem subitò processisset, Romani proculdubio aut omnes in seruitutem redacti, aut omnes cęsi fuissent. Nam Hannibal in Apulia circa Tarentum diu tunc moratus, multos de suis calore ac fœtore ibi amisit. Interea Claudius ex prætore factus proconsul, exercitum Hannibalis natura & angustia locorum magis quàm viribus, vicit, & aliis Romanis spem vincendi dedit. Item Scipiones Asdrubalem, Pœnorum Imperatorem, cum exercitu in Italiam properantem, grauissima pugna presserunt.

Hannibal ex Apulia castra mouens, vrbem aggreditur. Vbi dum viri & mulieres trepidantes super muros Vrbis ad mœnia tuenda confugerent, Hannibal à grandine & tempestate bis correptus, ab infestatione & impugnatione Vrbis arcetur: ob quam causam Romani diis suis Vrbem defensantibus ascribebant. Hoc autem factum est anno decimo, postquàm venit Asdrubalis necati fama.

Romanis iam animo consternatis, & eorum ærariis exhaustis, Scipio, satis adhuc adolescęs, vltrò sese obtulit, quod Vrbem & patrem atque patruum suum vlciscereturt: tunc enim erat vigintiquatuor annorum. sic factus proconsul, cum exercitu Pyrenæum montem transcendit: & ibi capta noua Carthagine, ex ipsa præda vrbis stipendia militibus ampliauit. Magonem fratrem Hannibalis captiuum cum aliis Romam transmisit. Pœnorum regem Asdrubalem vicit, & octoginta ciuitates aut destruxit, aut in deditionem recepit.

Interea Hannibal in Italia Martellum consulem cum toto exercitu suo deleuit. Crispinum consulem in insidiis callidè euocatum pari modo necauit.

Asdrubal frater Hannibalis ab Aphrica cum exercitu in auxilium fratris missus, in mõte Pyrenæo Romanorum insidiis præuenitur, & cum toto exercitu peremptus est. Captiui Romanorum quatuor millia quos ducebat, liberati sunt. Ceciderunt in eodem prælio de Romanis octo millia. De Aphris verò ceciderunt quinquaginta octo millia, & fuerunt capta quinque millia quadringenta quatuor. Caput Asdrubalis fratri suo Hannibali proiectum est in castra. Viso capite fratris, stragęque suorum comperta, Hannibal animo fractus, tertiodecimo anno, quo ipse intrauerat Italiam, secessit ad Brutios; & sic vnus annus sequens, inter eum & Romanos, vtraque parte versa in tædium, sine bello quieuit. His temporibus Apollonius rex Tyri & Sidonis ab Antiocho iuniore Seleuco rege, à regno Tyri & Sidonis fugatur: qui nauigio fugiens, mira pericula patitur. Sicut in subsequentibus versificè exponemus.

De Apollonio rege Tyri & Sidonis, & de eius infortuniis atque fortunis.

Filia Seleuci regis stat clara decore,
Matreq; defuncta pater arsit in eius amore,
Res habet effectum, pressa puella dolet.
Stat scelus occultum, sed non remanebit inultum,
Ante patris vultum flet pressa puellula multum,
Crimen inhumanum corde patrasse manu.
Sorte iacente patre, rumor volat vndiq; latè,
Qua niteat specie sua filia, qua probitate,
Hac tamen in populo sordida culpa latet.
Patre requisito, verboq; satis repetito,
Pascitur vt proprio tradatur nata marito,
Progenies regum nanq; rogabat eum.
Corde pater doluit, pro nata sæpe rogari,
Solus enim voluit violentus amator amari,
Nec cupit hanc alij cum ratione dari,
Vnde parat fraudem, qua se queat ipse tueri,
Ante suam portam problemata iussit haberi,
Qui sciet hæc (inquit) dicere sponsus erit.
Tunc & Apollonius Tyrus regnabat honestus,
Cui satis infestus fuerat rex ille scelestus,
Cuius & insidiis mira pericla tulit.
Tyrus Apollonius prædoctus grammate legis,
Antiochi regis scelerum problemata legit,
Cum patre concubuit filia, dixit ei,
Crimine detecto, metuit pœnalia lector,

Nam dolet Antiochus patulo problemate lecto,
Et parat vt pereat, qui modò lector erat.

De eodem Apollonio fugiente à facie Antiochi.

Cedit Apollonius tormenta timens inimici,
Nauigio celeri, Sidonia regna reliquit,
Quæ prius incoluit regna paterna sibi.
Dum fugiens plangit, Tharsensia littora tangit,
Qua populos immensa fames tam duriter angit,
Vt pereant vita, si tribulentur ita.
Hæc vbi præsentit rex, subuenit esurienti,
Copia frumenti populo præstatur ementi,
Atq; dedit gratis pondera multa satis.
Hoc erat auxilium quo salua fit illa propago,
Vnde fit in pago mox aurea regis imago,
Qua sibi perpetuo munia laudis agunt.
Erigit interea, pergens super æquora vela,
Dum sine cautela pergunt, mouet vnda querelam,
Ventus enim validus turboq; grandis erat.
Turbine de cœlis, ruptis super æquora velis,
Regia pompa perit, sed opes Neptunus ademit,
Enatat infelix rex, caro nuda tremit.
Nuda sub algore stant viscera plena dolore,
Dedita mœrore, nudataq; prorsus honore,
Dum data damna dolet rex, ea dicta mouet.
O male Neptune, fallax super æquora numen,
Quo loca fortunæ conuertit in ima cacumen,
Et citò præcipitat, qua meliora parat.
Quæ mihi Sidonem fortuna dedit regionem,
Nunc malè peruersa nomen mihi tollit & omen,
Fit grauis atq; fera qua mihi mater erat.

Item de eodem Apollonio naufragium passo.

Astitit interea misero piscator, & inquit,
Heu quia te iuuenem miserum fortuna relinquit,
Dic quis es? vnde venis? Naufragus inquit ei,
Qui fueram non sum, pelago quo nescio veni,
Naufragus egredior, numen Neptunus ademit,
Tu pietate Dei vir miserere mei.
Ille videns speciem iuuenis, formamq; decoram,
Tradit ei mediæ chlamydis qua fungitur oram,
Contulit hospitium, pauit, & absq; mora.
Conualuit, dum concaluit caro frigida regi,
Hospes ei bona pauca vehit, sed largus adegit
Lectulus hospitij stramina pauca dedit.
Naufragus inquirit, qua vir solet arte potiri,
Quæ bona sortiri, quod opus nunc possit iniri,
Vt valeat miseri surgere vita viri?
Paruulus hospes ait; Soleo piscando vagari,
Retia mando mari, solitus sum pauca lucrari,
Esto mihi socius, si cupis arte pari.
Si tamen ignores piscantis inire labores,
Aut si maiores alibi sperabis honores,
Est tibi materies vtilis ante fores.
Archistrates rex est dominus nostræ regionis,
Curia regalis satis est ornata patronis,
Qua bene te poteris plus recreare bonis,
Vtere veste mea, regisq; require plateam,
Filia regis ea residet, constante chorea,
Rexq; per aruа meat, vadè videbis ea.

Item de Apollonio, vbi susçipit eum rex Archistrates, & dat ei filiam suam.

Regis erant festa, iuuenes luſere palæstra,
Naufragus ad gesta veniens, prædoctior extat,
Aspicit Archistrates, virq; iocusq; placet.
Dumq; pila ludunt, iaciunt, manibusq; retrudunt,
Incaluit ludus, placuit super omnia nudus,
Naufragus arte sui primus vbiq; fuit.
Balnea regis erant solita statione parata,
Dum venit Archistrates regalia ferre lauacra,
Naufragus ingreditur, seruitioq; vacat.
Hic vbi se regi, serui moderamine iungit,
Rex bonus iniungit regalia membra perungi,
Pectora dans lauacro ritè lauanda suo.
Dum placet obsequium iam regia mensa paratur,
Naufragus ad mensam præcone vocante vocatur,
Ast homo nudatus verba dedisse datur;
Non ego regali sum dignus in æde vocari,
Nec conuiuari, neq; sedis honore locari,
Totus enim perij, me spoliante mari.
Rettulit hæc regi missus, qui iussa peregit,
Rex vbi dicta legit, vestes miseratus adegit,
Hic vbi dona vehit, nuda verenda tegit.
Curia regalis conuiuia magna perornat,
Egregia norma, rex gaudia magna reformat,
Inclytus ornatus lustrat vtrunq; latus.
Gaudia de more resonant, rex fulget honore,
Naufraga pauperies nimio depressa pudore,
Erubuit comedens, dum sua damna dolet.
Deflexo capite dum naufragus ille sederet,
Et rex & proceres sua gesta notanda viderent,
Arguitur iuuenis tristia facta gerens.
Dicit ad hæc quidam, quod cogitat ille notaui,
Aurea si poterit clàm tollere vasa putauit.
Nobilis Archistrates, non ita sentit, ait.
Imò recordatur quia naufragus expoliatus,
Non habet ornatus quales decet hos comitatus,
Tristior est cunctis, & dolet ipse sibi.
Aduenit interea pulcherrima filia regis,
Organa cum citharis cantumq; decenter adegit,
Vnde domus regis gaudia magna vehit.
Virgineos gestus & cætera, curia laudat,
Naufragus arguitur, cur non super omnia plaudat?
Rex ait, ô socie, nónne puella placet?
Ille refert; Bone rex, strepitum nunc si placet arce,
Filia non artem nouit, sed percipit artem,
Ars ait arte mei plena patebit ei.
Filia desistat, si noscere vis citharistam,
Porrigat huc citharam, nos experiemur in ipsa,
Curia percipiet quid mea Musa potest.
Surgit Apollonius facie formaq; decora,
Intonuit cithara, dedit organa voce sonora,
Visus eis satis est Orpheus arte bona.
Audit & obstupuit Cleopatra puella canorem,
Præbuit & iuueni magnum reuerenter honorem,
Hunc quoq; doctorem vult sibi virgo fore.
Traditur extemplo Cleopatra docenda magistro,
Tradidit & iuueni varios pater ipse ministros,
Et loca distribuit cantibus apta sibi.
Docta satis tandem cithara, miroq; canore,
Doctoris bona virgo sui feruebat amore;
Languida de more pectora virgo fouet.

Nescit

Nescit Apollonius qua langueat arte puella,
Indicat ista patri, metuit pater edita verba,
Ingreditur q3 tacens qua grauis illa iacet.
Filia conticuit, quærit pater vnde doleret,
Incipit hæc flere, lachrymas gemitumq3 mouere,
Plorat & ipse pater viscera mœsta ferens.
Filia quid pateris? Grauis est mihi passio dicit,
Soluere quam medici nequeunt, neq2 prorsus amici;
Væ mihi cur moreris? dicito (quæso) mihi.
Illa refert; discede pater, modicumq3 quiescas,
Nam mihi plus morbi tua iam præsentia præstat,
Scriptaq3 suscipies ex quibus ista scies.
Filia scripta parat, quibus hæc dat gesta notari,
Nolo maritari regi, neq2 sponsa rogari,
Naufragium passo me pater (oro) dari.
Naufragus ignorat quæ filia scripta subegit,
Et tulit hæc regi, rex sustulit atq2 relegit,
Menteq3 collegit quid data charta velit.
Visitat in thalamo rursus pater ipse puellam,
Et quæ scripta dedit manibus conclusa reseruat,
Ac verbis placidis intulit ista sibi;
Quæ mihi scripsisti, si filia corde petisti,
Quod, volo, quæsisti, nec in hoc tibi quæro resisti,
Quod petis, ecce dabo, nanq2 libenter ago.
Non genus aut patriam inuenis, nõ nomina scimus,
Sed si virtutes actusq3 notare velimus,
Regibus est potior nec probitate minor.
Læta puella satis languoribus euacuatis,
Oscula dat patri, surgens sanissima gratis,
Gaudet & optatis voce reuersa patris.
Hoc ita præscito iuueni fauet illa cupito,
Læta nec inuicto contraditur ipsa marito,
Quo satis ascito, sana fit illa cito.
Copula regalis mandatur & aula parari,
Ille coronari rex & gener inde vocari,
In solio soceri sedit honore pari.

Item de Apollonio, vbi mortuo Antiocho, ipse eligitur in imperium Antiochiæ.

Antiochus moritur, nam fulminis igne crematur,
Filia cum patre pari de sorte necatur,
Materies cineris corpus vtrunq2 fuit.
Rege carent proceres, regemq3 creare laborant,
Quilibet illorum dominum se velle perorat,
Quisq2 sibi dominum quærit Apollonium.
Hunc dominum fieri primatum turba requirit,
Possit vt asciri, regniq3 decore potiri,
Hæc ita sortiri fata dedêre viri.
Litera missa foras, & missus vbiq3 laborat,
Et satis explorat qua rex manet orbis in ora,
Per varios fluctus, missa carina volat.
Dum citò festina premit æquora missa carina,
Vidit Apollonius venientia vela marina,
Et stetit in prora quærere facta noua.
Quærit & à nautis, quid agant, quæ sint noua rerũ,
Si vel emenda gerunt, vel ibi venalia quærunt,
Respondent homines, & noua magna ferunt;
Mortuus Antiochus rex est, dominus dominorum,
Quærit Apollonium regem robur seniorum,
Hunc etenim solum regna tenere volunt.
Innumeri iam legati mittuntur in orbem,
Quærere per patrias, per singula regna, vel vrbes,
Nos quoq3 legati, mittimur, ista pati.
Dicite (quæso) viri, quo debeat orbe requiri,
Quo studio, qua parte queat quæsitus adiri,
Orbis enim dominum patria quærit eum.
Archistrates loquitur, genero cautè reticente,
Quis sit Apollonius, non nosco, suiue parentes,
Miror vbi latuit qui modo summus erit.
Ridet Apollonius conceptaq3 gaudia celat,
Se prius ignotum socero ridendo reuelat,
Exprimit & nomen, quo reuerendus erat.
Hic ego sum, dixit, quem nuntius iste requirit,
Ergo pater iubeas, si me cupis orbe potiri,
Omne quod est, vel erit, me quoq2 subdo tibi.
De nihilo nihilum pietas tua me releuauit,
Rebus adornauit, socero sponsaq3 beauit,
Regem restituit, me recreauit, ait.
Hoc pater audito, loquitur verbo redimito,
Filia quid facimus? tu glorificata marito,
Ante virum propera, gaudia funde citò.
Tolle gener gemmas, aurum totumq3 decorem,
Antiochum tollas, quo congaudemus, honorem,
Sponsaq2 te sequitur, munera multa mouens.
Tu mihi par fueras, nunc orbe tuo dominaris,
Filius antè mihi dominus nunc esse probaris,
Perge precor fili, suscipe regna tibi.

Apollonius tendit Antiochiam, sed vxor eius in partu mortua, proiicitur in mare.

Pergit Apollonius, socero cum pace manente,
Pergunt & nautæ, vento valido veniente,
Lætaq3 prosequitur sponsa vocata virum.
Coniuge prægnante, redit hinc qua venerat antè,
Sed maris in medio male tempestate minante,
Parturiens mater mortua visa iacet.
Filia viua quidem, sed mater obisse putatur,
Capsa satis digna pro funere clausa paratur,
Quam sibi pro tumulo rex tribuisse datur.
Fertur & indulta pro morte pecunia multa,
Qua fierent pulchra dominæ quandoq3 sepulchra,
Congrua reginæ cùm maris aura sinet.
Flebilis hac arca dum fœmina ponitur arcta,
Arca tulit chartam conscripto grammate partam,
Quæ loquitur, quæ sit, quid velit, vnde venit.
In mare proicitur, per littora multa vagatur,
Reperit hanc medicus; refert; medicina paratur;
Fœmina concaluit viua, mouetq3 caput.
Mortua regina loquitur, sumpta medicina,
Huc licet, ô medice, me vexerit aura marina,
Sum quia regina turpia nulla finam.
Viuere casta volo, mea iam tibi munera dono,
Ne violanda thoro tribuar, lachrymosa peroro,
Non habitare foro prostituenda volo.
Annuit, & mane tulit hanc ad templa Dianæ,
Ordine virgineo qua præcipit hanc habitare,
Atq3 deæ vana pinguia thura dare.

Apollonius relicta filia in vrbe Tharsia, pergit Antiochiam.

Pergit Apollonius, nimium pro coniuge plorans.
Tharsorum portum, modica fortitur in hora,
Suscipit hunc populus, pergit & ipse foras.
Paruula nata quidem citò commendatur ibidem,
Rex redit in patriam quam rexerat ordine pridem,

Hospita non tenuit cum pietate fidem.
Filia regis erat ex nomine Tharsia dicta,
Vrbeq; Tharsorum populo rogitante relicta,
Post data supplicijs hospitis arte fuit.
Tranquilio tunc hospes erat, cui parua puella
Est data, quam coniux Dionysia nomine seruat,
Tharsensis patria seruat, honorat eam.
Hospitis vnica filia paruula tunc generata
Est, cui Tharsia filia regia sit sociata,
Vtraq; nunc nata stat paritate rata.
Regis & ex thalamis nutrix ibi digna remansit,
Vbere cuius ali pater hanc pro tempore sanxit,
Quæ vocat obsequijs nocte dieq; suis.
Vna fuit nutrix, & vita coæua puellis,
Gloria dissimilis, genus est & forma rebellis,
Parq; deæ Veneri Tharsia pulchra fuit.
Virgo decennalis fuerat, cum sedula nutrix,
Fine diem claudens, tulit vltima gaudia lucis,
Littore Neptuni tunc sibi tumba fuit.
Ingemuit pro morte nimis nutricis alumna,
Quotidie lamenta mouet, quia luctus inundat,
Sola petit tumulum Tharsia sæpe suum.
Regius ornatus dum virginis acta decorat,
Totus eam populus laudat, reueretur, honorat,
Hospitis inuidia nascitur absq; mora.
Filia nam propria minus hac formosa videtur,
Et minor ornatus quo glorificetur, habetur,
Omne tulit secum Tharsia virgo decus.
Præcipitur serui manibus clam virgo necari,
Eius vt ornatu queat altera virgo parari,
Et magis aptari splendidiorq; dari.
Tranquilio dum sæpe suo seruo iubet ista,
Hospita pessima plus Dionysia mandat & instat,
Clam tamen id quærit sponsus & illa geri.

Tharsia filia Apollonij capitur à piratis, & venditur lenoni in ciuitate Militena.

More suo tumulum nutricis virgo requirit,
Seruus vt hanc perimat clam mane paratior iuit,
Fata suæ famulæ Tharsia plorat ibi.
Virgo videns animum serui, petiit misereri,
Vir mala corde gerit, neq; vult pietate moueri,
Imò tenens gladium, mors tibi (dixit) erit,
Dum timet illa viri collum feritate feriri,
Plorat, & inquirit cur debeat istud iniri,
Dic homo, cur morior? Rettulit ille sibi;
Fata tua mortis species tua pulchra meretur,
Et bonus ornatus qui te gradiente videtur,
Auferet hoc secum nostra puella decus.
Dum ratiocinium perimenda puella teneret,
Turba piratarum videt hanc, satagitq; tenere,
Seruus abit fugiens, sola puella sedet.
Mirantur nautæ faciem, formamq; decoram,
Prædasit egregia quam ferre pirata laborat,
Tharsia dum rapitur nauigat absq; mora.
Procidit ante pedes regina puella virorum,
Narrat & horribiles casus mortesq; suorum,
Et petit vt parcant commaculare thorum.
Dicit eis; Curate mei misera misereri,
Turpibus obsequijs ne me iubeatis haberi,
Credite quòd fuerim filia regis heri.
Me peto vobiscum sub virginitate tueri,
Artibus & meritis iustis scio iusta mereri,
Sæpe meis manibus quæstus honestus erit.
Complacuit nautis, quod prouida Tharsia dicit,
Et iuuenum mentes ornata locutio vicit,
Castaq; prænaluit virgo, relicta sibi.

Tharsia venditur à piratis in vrbe Militena, vbi regnat Athenagoras, qui saluat eam à stupro.

Vela dedit ventis, tulit altos nauta meatus,
Virgo suæ carnis nullos capit inde reatus,
Vrbs Militena rati littora prima facit.
Magnus Athenagoras rex præfuit in Militena,
Vrbs populo plena fuit, inclyta, diues, amœna,
Ciuibus in medio grande lupanar erat.
Tharsia venalis media producta platea,
Dum super arua meat concurrit ab vrbe chorea,
Nam maris esse deam turba putabat eam.
Venditur emptori qui stupra tenet regionis,
Arte lupanari vendebat iura pudoris,
Actor erat scorti, turpis amore fori.
Primus Athenagoras rex quærit habere puellam,
Primitias cui virgineas dum leno reseruat,
In thalamum regis Tharsia tracta venit.
Solus vbi solirex debita quærit amoris,
Virgo suis lachrymis defendit iura pudoris,
Et petit audiri pro bonitate viri,
Parce mihi, bone rex, sed plus tibi parcere cura,
Respice præterita, potius perpende futura,
Tu tibi præcipias nobilitate tua.
Regis Apollonij sum filia, Tranquilioni
Dum commissa forem, sum tradita perditioni,
Sumq; manu serui iussa sub ense mori.
Res erat in fatis, & ego quasi perdita gratis,
Cum properando ratis adiit me plena piratis,
Meq; datam morti prædo pirata rapit.
Regula mercati, contraria nobilitati,
Dedita luxuriis grauis æmula virginitati,
Me tibi prostituit, turpia lucra pati.
Hæc tibi displiceant, quia te decet ira vereri,
Regia sum genere, cupio te rege tueri,
Sit mihi virginitas cras peto sicut heri.
Integra censeri cupio, volo casta teneri,
Vnde tibi laudem poteris sine fine mereri,
Et tibi perpetuo gloria grandis erit.
Tharsia dum thalamo iam prostituenda putatur,
Obtinuit probitate sua ne prostituatur,
Alterius generis lucra parantur ei.
Tharsia lenoni cupiens lucrosa putari,
Versibus & citharis studuit quam plura lucrari,
Vnde lupanari distulit ipsa dari.
Nobilium dona conquirere Tharsia prona,
Membra pudicitiæ redimit, laudisq; coronam,
Lucraq; multiplicat, dum citharista sonat,
Taliter obtinuit, ne corpore commaculetur,
Néue lupanari, vel sorde viri violetur,
Integra stat secum, fertq; tenetq; decus.

Apollonius pergit ab Antiochia in Tharsiam vrbem requirere Tharsiam filiam suam.

Magnus Apollonius cùm iam sua regna teneret,

Per-

Pergit vt & natam ſecum mereatur habere,
Atque ſepulturam matris adire geret.
Rex pater vt venit, vbi ſit ſua Tharſia quærit,
Hoſpita defunctam ſatagit mentita fateri,
Rex ſine fine gemit, ſpesq; paterna perit.
Dicta pater credit, dolor inclytus intima lædit,
Triſtior incedit, dum per maris alta recedit,
Vrbis ad arua redit quæ Militona dedit.

Apollonius recognoſcit & recipit filiam ſuam in vrbe Militena, per regem Athenagoram.

Grandis erat feſtiua dies, recolenda per vrbem,
Adueniunt turbæ patremq; venire perurgent,
Vt curet feſtis latus adeſſe ſuis.
Rex citò feſtinat clauſa latitare carina,
Qua ſua ſentina tenebras, non gaudia minat,
Et iubet vt famuli gaudia nulla ſinant.
Magnus Athenagoras rex aduenit ex Militena,
Triſtitiam remouere volens ad gaudia plena,
Nec ſibi permiſſum quod cupiebat, erat.
Dicit Athenagoras; ô Tharſia virgo decora,
Verſibus & citharis hunc lætificare labora,
Munera percipies quæ cupis abſque mora.

Tharſia recognoſcitur à patre ſuo Apollonio.

Ad patris ignota ſolatia Tharſia venit,
Nec tamen arte ſua tormenta doloris ademit,
Nam pater in tenebris ſtans ſua fata gemit.
Hic gemit, illa canit, cantuq; reſultat inani,
Nam pater inſanit, rumpuntur vertice cani,
Commotusq; magis, rex lachrymanter ait;
Vade puella foras, mea mens mœrore laborat,
Longius a prora ſi vis tua dicta perora,
Si mea vis dona, deſine, vade foras.
Non tua dona volo, ſed quæ problemata promo,
Nunc mihi te ſolo ſolui reſerante peroro,
Surge recede ſolo, te precor abſq; dolo.
Tharſia fortunam memorat cantando paternam,
Et mala quæ patitur numerat pſallendo moderna,
Regis Apollonij triſtia fata canit.
Triſtis Apollonius gemitans, plenusq; dolore,
Gaudia non recipit, neq; carmina digna canore,
Pulſaq; calce patris Tharſia læſa dolet.
Læſa puella dolens plangit nimis & lachrymatur,
Cum gemitu planctuq; ſuo, patris memoratur,
Hos quoq; verſiculos protulit ore ſuo:
Tharſia væ miſera, miſeri proles genitoris,
Regis Apollonij dolor & fortuna doloris,
Nunc vtinam moriar, dedita ſæpe mori.
O pater infelix, ô nata caduca parentis,
Cauſa fui mortis genitricis, mors morientis,
Et patris & matris mortis origo fui.
Nunc & ego moriar, vtinam neq; nata fuiſſem,
Nec mihi nec patribus tot fata nociua dediſſem,
Mallem non naſci, vel malè nata mori.
O rota fortuna, quæ tempore cuncta reuoluis,
Cur mala quæ patior nullo mihi tempore ſoluis?
Hæc mala non merui, qua modo læſa lui.
Quid merui? quid deſipui, quia læſa recedo?
Nunquid ob hoc patior, quia facta mei patris edo?
Regis Apollonij filia ſemper ero.

Apollonius recepit filiam ignotam, & fit lætitia magna in vrbe Militena.

Geſta paterna canens dum verſibus exprimit illa,
Neſcia cui loquitur, patris eſt accenſa fauilla,
Quæ ſatis ardore pectora mœſta mouet.
Rex animo triſti dixit; Dic, quid cecineriſti?
Quo patre veniſti? patria qua nata fuiſti?
Dic tibi, quid loqueris? qua noua mira geris?
Illa genus patriamq; refert, & cætera cuncta,
Quomodo perdita, captaq;, vendita, ſitq; redempta,
Et quod Athenagoras rex pius hoſpes erat.
Dum pater attentè, conſiderat iſta loquentem,
Mox ait ad ſtentem; Me Tharſia noſce parentem,
Iam tua cauſa patet, filia noſce patrem.
Verus ego genitor, tu filia vera propago,
Moribus & ſpecie materna videris imago,
Matris es indago, ius tibi patris ago.
Rapta patris veri dulcedine Tharſia quærit,
Filia cenſeri, regalia iura mereri,
A modo dines erit Tharſia pauper heri.
Cognita nata patri fuit illicò vera medela,
Gaudia iam reparat, natæ reſonante loquela,
Lux & vita patris ſilia regis erat.
Rex dedit amplexus viuam rediuiuus adeptus,
Sæpeq; complexus, ſatis eſt ſuper oſcula feſſus,
Nam velut ex animis, nata, paterq; cadit.
Deſerit altaratis, rex latus adeſt tribulatis,
Filia, vita patris, mediis ſtat Tharſia pratis,
Veſtibus auratis glorificata ſatis.
Stabat Apollonius, populo rogitante vocatus,
Ritè coronatus, ſolioq; throno q; leuatus,
Nobilis archatus ſtipat vtrunq; latus.
Narrat Athenagoras quos pertulit ipſa labores,
Et varios caſus mortis, variosq; dolores,
Multorum lachrymas pro pietate mouens.
Teſtaturq; patri, ſe teſtem virginitati,
Cum fuerint illam multi violare parati,
Ipſa tamen meruit turpia nulla pati.
Rex & Athenagoras nunc à patre præmia quærit,
Cum meruiſſet, heri patris gener optat haberi,
Filia tunc tacuit, ſed pater inquit, erit.
Ergo ſubarrari datur, & regina vocari,
Gaudia regali mandantur in vrbe parari,
Sponſaq; pro meritis Tharſia virgo dari.
Exilij priſci iam Tharſia vult reminiſci,
Et ſatis vlciſci quæ pertulit a modo gliſcit,
Prima lupanari pœna paretur, ait.
Tharſia contendit, reus in cruce leno pependit,
Quem rogus incendit, ſic Tharſia digna rependit,
Sic mala ſunt reprobis, ſic bona nata bonis.
Nititur & reliquas regina referre querelas,
Quomodo perdita, tradita, vendita, capta reuelat,
Quanta q; perfidia Tranquilionis erat.
Rex vbi ſigna mouet, perdit citò Tranquilionem,
Perdit & vxorem, cuius Dionyſia nomen,
Tharſenſes ciues gaudia multa monent.
Rex pater vxoris recolit nunc fata prioris,
Scire ſepulturam loca vult, funusq; doloris,
Qua potuit genitrix parturiendo mori.
A modo poſt multa, cum Tharſia iam foret vltra,
Vela vehunt vltra materna videre ſepulchra,
Si qua reuelare vir, mare, terra valet.

Dummodo regales laxant super æquora naues,
Fortuitu mane veniunt ad templa Diana,
Quæ genitrix planè viua potensq; manet.
Rex pius vxoris dum signa refert morientis,
Viua sedens loquitur, cognoscit & acta loquentis,
Viua videns viuum suscipit illa virum.
Lætus Apollonius reginaq; cum regione.
Exornant thalamum, gestantur vtræq; corona,
Filia cum genero, gaudia mira mouent.
Tempora passiua fugiunt, redeuntq; datiua,
Mater adest viua, natamq; videt rediuiuam,
Sic tota castigat, soluit & ipsa ligat.

Apollonius visitat socerum Archistratem.

Visitat Archistratem rex sponsa videt genitorem,
Post apud Antiochos, regum veneratus honore,
Obtinet imperium, regna paterna fouens.

¶ Carthago destruitur.

SCipio Aphricanus totam Hispaniam peruagatus à Pirenæo vsque ad Oceanum omnia obtinuit, & Romanis prouinciam fecit. Annibal verò iam tota Aphrica à Scipione igne ferroq; vastata, à suis in patriam reuocatus est. Qui interfectis omnibus Italicis militibus, qui eum sequi nolebant, cum fletu Italiam dereliquit. Sed prius, vnde mirandum est, Annibal bellis morbisq; ferè iam exhaustus, Sempronium consulem Romanorum cum exercitu secum bellantem deuicit, & in Vrbem fugere coëgit.

Cùm igitur Annibal ad Aphricanum littus appropiasset, misit speculatorem qui de statu terræ sibi permutaret. Qui ad eum reuersus, dixit; se non Vrbem sed diruta sepulchra vidisse, Annibal Carthaginem veniens, Scipionis colloquium petit. Vbi, dum se ambo mirabiles bellatores mutuis colloquiis aspexissent, vterq; alterum admiratus pacis infecto negotio, discesserũt. Rursusque inter eos bellum conseritur. Quod magno vtriusq; principis ingenio, virtuteq; confectum. Romanis tandem plenam victoriã dedit. Cæsa sunt ibi Carthaginensium decem millia, elephanti octuaginta interfecti vel capti. Annibal Carthaginensibus suadet residuam spem eorum in pace ponendam, ipseq; cum quatuor militibus clam elapsus, ad Rumetum regem confugit.

Carthaginensibus pax à Scipione senatu assentiente, conceditur, Caio Cornelio, Lentulo Publio consulibus. Naues Carthaginensium plusquàm quingentæ in altum ductæ, in præsentia & conspectu vrbis suæ, cremantur. Scipio ab Aphrica deuicta vocatus est Aphricanus; & Romam rediens, cum triumpho gloriosè receptus est.

Eo tempore Punicum bellum, anno 18, postquam secundo initiatum erat, finitum est. Anno ab Vrbe condita 546.

Eisdem temporibus apparuerunt prodigia in cœlo, videlicet, Sol minor solito, Solem pugnare cum Luna; duas Lunas simul exortas; duo scuta sanguinem sudasse; cruentas spinas in corbe à cœlo cecidisse.

Orosius refert, quòd ipsis diebus ciuitas Campaniæ nobilissima Tarentum destructa est. Per quam, tam Pyrrhi regis Epirotarum, quàm Carthaginensium bellum originem accepit. Extunc Romani ex omnibus regnis & ciuitatibus & oppidis, quæ suprà nominauimus auro, argento gemmisq; in immensum ditari cœperunt. In prioribus enim bellis pecora tantùm & res exiguas rapuerunt. Cætera versificè contemporanea dicamus de rege Antiocho Epiphane, & de Iudæis in principio Machabæorum. Quibus dictis ad Romanam historiam reuertemur.

De rege Antiocho Epiphane, fratre Seleuci, in principio Machabęorum.

Epiphanes, frater Seleuci, surgit & est rex,
Dicitur illustris, qui binis tempore lustris
Obses erat Romæ, vincula longa dolens.
Tunc in Iudæis generatio pessima creuit,
Iura Dei spreuit, colit idola, diis adoleuit,
Astaroth & Baalim tunc holocausta dedit.
Quærit, vt Antiochus det eis pro lege lupanar,
Templaq; det phana, ferat idola, construat aras,
Plebs etenim vana lege carere parat.
Incircuncisi, sceleroso dogmate pleni,
Nomina permutant, dicantur vt Antiocheni,
Talibus Antiochus tractus & ipse venit.
Dum venit Epiphanes, reuerenter suscipitur rex,
Gaudet & impia plebs, quia rex dedit vt foret exlex.
Altera plebs doluit, quæ mala cæsa luit.
Cœtus iniquorum gaudet super acta malorum,
Cæsa beatorum sunt millia multa virorum,
Turba sacerdotum plangit & omne solum.
Husq; datis damnis, binisq; fluentibus annis,
Rex rediit, bona cuncta dedit, rapienda tyrannis,
Omne decus Domini, vasaq; sancta tulit.
In medio templi, iussit Iouis idola poni,
Spreta lege poli, comedunt porcina coloni,
Phana Behelzebub iussit in Vrbe coli.
Corpora dat iuuenum sursum crucifixa leuari,
Et iubet infantes, ad eorum colla ligari,
Sic senis & iuuenis perdita via cadit.
Impius Epiphanes montis Sion occupat arcem,
Datq; Macedonibus quibus hos crudeliter arcet,

Et iubet vt crucient quotquot habere potest.
Lex periit, plebs interiit, loca sanguine turgent,
Altera plebs exlex locuples permansit in Vrbe,
Moreq; gentili thurificabat ibi.

De Mathathia patre Machabæorum, per idem tempus.

Nunc Machabæorum pater exurgens Mathatias,
Plurima restaurat quæ perdita flet Ieremias,
Legis enim Domini vult reparare vias.
Rennuit idolatris scelerum præbere fauorem,
Catholicos populos, iuuenes simul & seniores,
Legis in auxilium subdere colla monet.
Idola sectantem perimit cum sacrificante,
Aggregat astantem populum, sub lege morantem,
Destituens aras, bella futura parat.
Ad loca tuta redit, metuens à principe læsi,
Cum quo secedit populus qui rectus obedit,
Hostibus assiduis prælia sæpe dedit.

Hæc sunt nomina filiorum Matathiæ, qui dicuntur Machabæi.

Omnia natorum Matathiæ nomina panges,
Est Simon, Iudas, Eleazarus, atque Ioannes,
Quintus erat Ionathas prælia mira parans.
Incircuncisos præcidit quosq; suorum,
Sabbatha restaurat, legemq; reformat eorum,
Idola destituit, mundificatq; solum.
Despicit Antiocho supponere colla tyranno,
Iura magistratus cum iam bene rexerit anno,
Corpus adit tumulum, spiritus ante Deum.
Epiphanes quia Iudæis voluit dominari,
Motibus assiduis iubet his sua bella parari,
Rettulit & populus prælia Marte pari.
Sabbatha non seruant, quia pars aduersa proterua
Atrius eneruat populum, dum sabbatha seruat;
Non datur vlla quies, nec vacat illa dies.

¶ De bello Macedonico.

POst Aphricanum bellum sequitur Macedonum. Quod cum multo Romanorum detrimento, tandem victis, hostibus, terminatum est. Quintio Flaminio consule pax data est eis. Qui post hæc Lacedæmonios pugnando deuicit, obsidesque nobilissimos ab eis accepit, Demetrium Philippi filium, & Armidem, Nauidis filium, acceptosque, ante currum triumphalem, in Vrbem deduxit Romanorum captiui, qui sub Annibale venditi fuerant, abrasis capitibus in signum abolitæ seruitutis reuertuntur.

Eo tempore Lucius Fuluius, commisso prelio cum Cenomannis, qui Cremonam vsque peruenerant, & Placentiam deuastabant, splendidè triumphauit. Item Flaminius proconsul, Philippum regem, cum Thracis & Macedonibus atque Illyricis contra se venientem, multis millibus ex Macedonibus cæsis, subegit.

Hisdem diebus Annibal apud Ephesum ad Antiochum Antiochiæ regem venit, eumque contra Romanos admodum concitauit. Vnde & classis Antiochi Annibal præpositus efficitur, & à Scipione, nauali prælio superatur. Statim ab Antiocho pax deposcitur, & præstatur.

Annibal ad Brusiam regem Bithyniæ fugiens, dum à Romanis reposcitur, veneno bibito, vitam finiuit. Ipsis temporibus, Scipio Aphricanus vir omni laude dignissimus, ab ingratis ciuibus suis expulsus, apud Liternum oppidum morbo consumptus, obiit. Qui suo sepulchro epitaphium sic iussit inscribi: *Ingrata patria, nec ossa mea habebis.* Nunc de Iuda Machabæo, & actibus eius, variatis dictaminum modulis, versificè lectoribus ferculum proponamus, & postmodum rursus ad Romanam historiam reuertamur.

PARTIS VNDECIMÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS DVODECIMA.

IVDAS MACHABÆVS.

DEficiente patre surgit Iudas Machabæus,
Corde gigãteus, quo principe regnat Hebræus,
Deficit Antiochus, prænalet ipse Deus;
Iudaicas gentes reuocat, per regna latentes,
Marte premit proceres, perimit virtute potentes,
Militiaq; sui magnus in orbe fuit.
Loricam virtutis habens, animumq; leonis,
Samariæ Syriæq; ducem primum regionis
Fudit Apollonium, destituitq; bonis.
Eiusdem mucrone ducis cinctus Machabæus,
Alterius Syriæ dominum Simon Chananæum
Post premit in bello, Marteq; fudit eum.
Millia septena tunc interfecta feruntur,
Armaq; Iudæis satis hinc collecta leguntur;
Plebs erat armata, reddere bella rata.

Antiochus mouet exercitum aduersus Iudam Machabæum.

Commouet Antiochum strages, casusq3 suorum,
Armaq3 regnorum vocat infinita suorum,
Sic, vt Hebræorum dissipet omne solum.
Iussit vt interea Lysias deleret Hebræos,
Et male Iudæos cruciet, dictos Machabæos,
Viuere morte reos non patiatur eos.
Regna domi posuit Lysia sub principe tuta,
Ipseq3 Persarum pergit captare tributa,
Cum quibus Hebræos suppeditare putat.
Hæc vbi dux Lysias potuit mandata mereri,
Iussit ad Hebræos elephantica castra moueri,
Montibus & planis prælia dira geri.
Eligit ergo duces tres aduersus Machabæum,
Nicanorem cum Gorgia simul & Ptolemæum,
Quorum militia quam citò fundat eum.
Quadragies mille peditum, plus millia septem
Tradit eis equitum, quibus agmina bellica septent,
Insuper arma Syri plura dedêre viri.
Iudas in Masphat, & millia quinque virorum,
Atque equitum mille, tulit agmina pauca suorum,
Cum quibus in Domino prælia ferre volunt.
Vespere, tres venêre duces, iam sole cadente,
Qui Iudam de nocte putant captare latenter,
Fraudeq3 præscita, fraude cauetur ita.
Ignibus hic positis, Iudas ad plana rediuit,
Gens vacuis visis loculis, montana requirit,
Errat, & in vanum nocte laborat ibi.
Ex improuiso Iudæ certamine viso,
Mane duces fugiunt, Machabæi robore nisi;
Nam fractis cuneis diripit arma citò.
Parte tamen tenta Gorgias bella retentat,
Obuius est Iudas, reliqua iam parte perempta,
Ictibus argutis fudit & arma ducis.
Fudit & illorum tria millia cæsa virorum,
Armaq3 cunctorum Iudas collegit eorum,
Detulit & spolium, dines ad omne bonum.
Collectis magnis Lysias hinc inde tyrannis,
Bella mouens iterum, binis mergentibus annis,
Deterius cunctis victus, & ipse fuit.
Omnibus Antiochi satrapis ducibusq3 fugatis,
Et locupletatis populis ac magnificatis,
Mœnia Hierusalem gliscit adire satis.
Quumq3 vident templum syluestri frutice plenum,
Spurcitia cœnum, spectantibus est alienum;
Hæc vbi conspiciunt, pectora mœsta gerunt.
Dum satis hic plorat, lachrymis dum fletus inundat,
Intus & exterius templi sacra mœnia mundant,
Ianua conficitur, porticus ampla datur.
Hæc vbi mundauit, equites hinc inde locauit,
Qui satis impugnent fortissima mœnia Dauid,
Arcis custodes vincere Marte volens.
Tres anni iam transierant, ratione colendi,
Quum facies templi reparatur, mense Decembri,
Quando prophanata cuncta fuêre sacra.
Vrbe resarcita penitus sunt idola trita,
Nunc & Amonitam gentem premit Israëlita,
Castraq3 munita rumpit in orbe sita,
Inde Timotheum satrapam vincit Machabæus,
Interit Heuæus, cecidit princeps Idumæus,
Obtinet Hebræus, vincit vbiq3 Deus.
Intonat Antiocho grauis & celeberrima fama,
Omnia montana Iudas tenet, omnia plana,
Restat vt Antiochi victa corona cadat.
Territus est super omni a rex, plenusq3 pudore,
Corde tumens, animoq3 ruens, ardensq3 furore,
Visceribus fractis, peste sequente dolet.
Nam cadit à curru, confractus in interiora,
Vulnere collisum iecur & diaphragma laborat,
Vermibus innatis fœtuit absque mora.
Exiit à stomacho fœtore referta putredo,
Horruit ipse miser, sed plus eques ille Macedo,
Pelle sub inflata vermis in ore natat.
Ipse suo tandem victus fœtore suiq3,
Nescit vbi fugiat, quia fœtor abundat vbique,
Vndique stat sanies, membra cruore liquent.
Dum videt à cunctis misera se sorte relinqui,
Cognitor ipse sui, iam morti proximus, inquit,
Debet homo vero subditus esse Deo.
Spondet & Hebræos non cogere ferre tributa,
Libertatis eis dat fœdus, eosq3 salutat,
Quos sibi dilectos quærit & esse putat.
Antiochi puer Antiochus, dominus dominorum,
A patre tunc legitur fidei commissus eorum,
Rexq3 diem functus, fertur obisse thorum.
Rex moritur peregrè, montana dedêre sepulchrum,
Dedecus illatum sibi morte reliquit inultum,
Vltio digna fuit, nam sua facta luit.

De Antiocho iuniore filio Epiphanis aduersus Iudam Machabęum.

Iunior Antiochus tollit diademata patris,
Filius Epiphanis, sed & æstuat actibus atris,
Prælia dans gratis deteriora satis.
Tunc equites fuerant viginti millia regi,
Et varios pedites quasi centum millia legit,
Curribus innumeris, turba vehenda vehit.
Stant numero triginta duo fortes elephantes,
Quisque tulit turrim, turrisq3 viros iaculantes,
Terq3 decem diros portat vbique viros.
Custodes pedites, habet vnica bestia mille,
Quingentos loricatos equites, sedet ille,
Qui ductor fuerat, signifer intus erat.
Bestia docta fuit ad prælia, sanguine mori,
Et rubei vini fit amica, bibendo colori,
Vt rostro rapiat, quos videt ipsa mori.
Aduenientia circuit agmina regia Iudas,
Arma nitentia prospicit omnia sorte futura,
Et rediens acies instruit ipse suas.
Iudaicas fortes confortat vbique cohortes,
Nec docet humanas, sed cœli credere sortes,
Vincant Iudæi, sorte fauente Dei.
Occurrit genti Iudas animo vehementi,
De regis tunc parte viri cecidêre ducenti,
Hostibus inuasis pugna fit arcta satis.
Dum videt astantes Eleazarus hinc elephantes,
Æstimat in primo regem fore bella citantem,
Dirigit huc acies ipseq3 primus adest.
Per medium ventris penetrat corpus morientis,
Opprimiturq3 fera iuuenis sub mole cadentis,
Bestia dum cecidit pressus & ipse ruit.
Parua manus Iudæ nimio conamine nisa,
In medio gentis fuerat pars infima visa,
Propterea cessit, ne morerentur ita.
Obtinet Antiochus campum, victorq3 remansit,
Indeq3

Indeq; Hierusalem properans ad mœnia transit,
Quam quum vastauit rex, satiatus abit.

Demetrius filius Seleuci iunioris insurgit contra Antiochum iuniorem filium Epiphanis.

Filius Antiochi Seleuci præmemorati,
Nomine Demetrius, repetit diademata patris,
Antiochus iuuenis restitit arte satis.
Nam placuit satrapis vt honor redderetur eidem,
Quem pater obtinuit, iusto diademate pridem,
Patria Demetrio præstat vbique fidem.
Copia primatum quæ Demetrium veneratur,
Antiochum Lysiamq; capit, redditq; ligatum,
Enseq; Demetrij perdit vterque caput.
Dum benè Demetrius cum pace teneret honores
Incipit Hebræis solitos renouare labores,
Vnde Hierosolymam regia signa mouet.
Alchimus aduersus Iudam fit in vrbe sacerdos,
Miserat & Bachidem rex impugnare proteruos,
Hic in Iudæam perdere cuncta meat.
Cunctos Iudæos veniens ex vrbe vocauit,
Pace data, dum bella vacant, dux castra locauit,
Iudas, non veniam, ne pereamus, ait.

Bachides euocatos Iudæos in dolo occidit ex eis sexaginta millia, nec eos sepeliri permisit.

Nunc Iuda remanente domi, plebs arua capessit,
Duxq; dolum texit, dum turba frequentius exit,
Turbaq; dum vadit plurima, cæsa cadit.
Sexagies sic mille viri gladio perimuntur,
Absque sepulturis omnes iacuisse leguntur,
Carnibus exutis esca fuêre lupis.

Alchimus sacerdos per Demetrium factus contra Iudam Machabæum mansit in Hierusalem.

Dux remeat Bachides, præsul tenet Alchimus vrbẽ,
Qui proceres Bachidis retinet, quibus omnia turbet,
Lædunt Iudæos, & Machabæus eos.
Alchimus afflictus tandem nimis a Machabæo,
Pergit ad Antiochum, fugiens accusat Hebræos,
Iudice Demetrio, curia damnat eos.
Alchimus & Nicanor eunt, dum pugna paratur,
Obuius est Iudas, sed vincitur atq; fugatur,
Integer ipse tamen, clausus in vrbe manet.

Nicanor reuertitur, sed Iudas insequutus interficit eum.

Castra mouet remeare volens Nicanor ad vrbem
Pars Iudæ, super arma furens ad terga perurget,
Urget & inducit damna, pericla duci.
Nicanor primo gladio prostratus in imo,
Interiit, suagens periit, tergo resupino,
Iudas sublatum detulit inde caput.
In facie templi suspendunt colla peremptι,
Membra ducis, sunt esca lupis, linguamq; potentis,
Tunc auibus cœli plebs benedicta dedit.

Iudas Machabæus recipitur in tutelam Romanorum contra Demetrium.

Iudas Demetrij synthemate sæpe grauatus
Postulat a Roma solatia magna senatus,
Romanisq; fauet, consociusq; manet.
Demetrio sub decreto Respublica mandat,
Ipsorum socios ne plus affligat & angat,
Amodo Iudæos qui grauat, angit eos.
Interea sub Demetrio bellum reuocatur,
Copia militiæ contra Iudam renouatur,
Alchimus & Bachides signa tulêre duces.
Intulit & Iudas tria millia mane virorum,
Quumq; vident hostes, pars maxima cedit eorum,
Vix octingenti prælia ferre volunt.
Dicit eis Iudas; Confidite, ne timeamus.
State viri fortes, pro lege Dei moriamur,
Sæpe solet magnam vincere parua manus.
Irruit in Bachidis cornu Iudas sibi dextrum,
Vincit & a tergo cornu feriente sinistro,
Dum pars victa luit, victus & ipse ruit.

Mortuus est Iudas Machabæus, & sepultus apud Mediam cum planctu magno.

Mira viri probitas maior feritate leonis,
Sic pro lege poli, pro tutela regionis,
Viuere dum potuit, maluit ipse mori.
Planctus Hebræorum resonat, gemitus seniorum,
Digna sepulchra patrum nanciscitur ipse suorum,
Corpus apud Mediam fertur habere solum.

Romana historia de destructione Carthaginis, tempore Machabæorum.

ROmani hoc tempore iam deuictis Græcis, Syris, Hispanis & Aphris, Carthaginem, tanquam Romanæ vrbis æmulam, delere decreuerunt. Cuius situs, secundum Orosium, talis fuisse narratur:

Muro amplexa 30 millibus passuum, tota penè mari cingebatur, atque faucibus aperiebatur, habentibus tria millia passuũ. Murus triginta pedum latitudinis fuit, ex saxis quadratis, in altitudine cubitorum quadraginta. Arx, cui nomen erat Byrse, paulò amplius quàm duo millia passuum tenebat. Ex vna parte murus communis est vrbis & Byrse, arx imminet mari. Quod mare Stagnum vocant, quia obiectu protentæ linguæ strangulatur.

Cùm igitur Carthaginem Romani delere decreuissent, ortum est tertia vice Punicum bellum, Lucio Censorino, & Marco Manlio consulibus, anno 50 post secundum bellum. Igitur minor Scipio, qui tunc erat tribunus militum, vnà cum consulibus, Romanũ exercitum in Aphricam ducit. iuxta Vticam castrametatur. Euocatisq; ad se Carthaginensibus, arma simul & naues sibi dari præcipit. Quod dum sine mora facerent, & per decẽ millia passuum

à mari & ab Vrbe discedere præciperentur, pœnitentia ducti, & in Vrbem reuersi, defensare se parant. Duos Asdrubales duces sibi constituunt. Arma quoque sibi reparare quibus vtantur.

Romani autem Carthaginem acriter impugnãt. Qui ad vltimam sortem deducti, primùm Asdrubales sibi suspectos, necauerunt. Ad vltimum quoque Romanis in deditionem venerunt.

Itaque Carthago funditus diruitur, lapidibus murorum omnibus in puluerem comminutis. Ipsaq; cremata septemdecim diebus arsisse perhibetur, omnisq; multitudo captiuorum, exceptis paucis Principibus, vendita est. Regina Asdrubalis, cum duobus filiis, furore fœmineo ignibus ingentibus se ingessit, in quo ipsa vltima regina, Didoni primę Penorum reginę, moriendo socia fuit. Factum est autem Carthaginis excidium, anno suæ conditionis 700: anno verò ab vrbe Roma condita 603, Cneo Cornelio, Lentulo Lucio, & Mutio consulibus. Itaq; bellum Punicum tertium anno ex quo cœperat tertio, terminatur.

Nunc de Ionatha Machabęo & de actibus eius, versificè aliquantulum delectemur: rursumq; ad Romanam historiam redeamus.

Mortuo Iuda Machabæo erigitur Ionathas in principem sacerdotum, contra Demetrium & ducem eius Bachidem.

Dum fert Demetrius, Iuda pereunte, trophæum,
Erigitur Ionathas, populumq; tuetur Hebræum,
Perdere iam Bachides morte minatur eum.
Dum mortem Ionathæ Bachides, plerumq; requirit,
Abdita deserti Techue compulsus adiit,
A facie Bachidis quo tueatur ibi.

De morte Ioannis Machabæi fratris Ionathæ.

Cura Ioannis erat quod visitet hinc Nabutheos,
Et petat vt secum populos tueantur Hebræos,
Plebs etenim Domini semper amauit eos.
Missus abhinc tandem, quendam peruenit ad amnẽ,
Insidiæ magnæ saluunt, perimuntq; Ioannem,
Culpa fuit Zambri, qui latitabat ibi.
Nec tamen hæc culpa post hæc permansit inulta,
Nuptia dum fieret Zambri, fuit acriter vlta,
Sponsa vir, & socij, nam periêre sui.

Ionathas pugnat cum Bachide & fugat eum in deserto Iechue.

Singula deserti Bachides loca sæpe requirit,
Vt queat occursu Ionathæ quandoq; potiri,
Hæc vbi perquirit, vir videt arma viri.
Occurrunt sibi signa ducum, Iordanis ad vndas,
Grandis erat Bachidis acies & miles abundans,
Altera pars timuit, paruula nanq; fuit.
Dicit ad hæc Ionathas, video grauis imminet hostis,
Ecce velut nostris, non est fuga congrua nostris,
Denegat hinc aditus flumen & inde palus.
In cœlum clamate Deum, pugnaq; virili
Quærite sortiri quicquid Deus inde requirit,
Fortiter in Domino belligerate viri.
Dixit, & in Bachidem fulgentia signa retorquet,
In Domino fortes confringit in hoste cohortes,
Tergaq; dat Bachides, agmina fusa iacent.

Alchimus moritur percussus paralysi à Domino.

Alchimus interea tristis, plenusq; furoris,
Tecta domus Domini rumpi iubet interioris,
Acta prophetarum rupta iacere foris.
Ira Dei respondit ei, quia tunc paralysis,
Ossibus & neruis necat hunc, omnino relisis,
Sic annis binis, terra quieuit ibi.

Ionathas scienter incidit in insidias Bachidis, & vincit eum.

Inuisus Ionathas, dum fortè per arua rediret,
Insidias posuit Bachides, quibus ipse periret,
Conscius ille venit, qui latet, ille perit.

Simon Machabæus triumphat in Bachidem.

Castra mouens Bachides, cũ Simone bella patrauit,
Simon eum reprimens, celeri virtute fugauit,
Hierusalem Bachides Marte fugatus adit.
Iraq; tunc Bachidis multos de plebe necauit,
Dixit enim; pereat quæ nos huc turba vocauit,
Cuius ab edicto turba perempta cadit.

Ionathas & Bachides faciunt pacem & fiunt amici adinuicem.

Dum Ionathas Bachidesq; forẽt tam corde minaces
Gaudet vterq; ducum sub fœdere ponere pacem,
Fœdera constituunt, fœdus vtrunq; placet.
Factus amicus eis Bachides reddit Machabæis,
Castra, viros, spolia, prædasq; remittit Hebræis,
Dat quoque Hierusalem, dat quod in arce tenet.
Filius Epiphanes regis, quem scripsimus antè,
Surgit Alexander, cœtuq; ducum comitante,
Subiugat Ægypti regna paterna sibi.
Arteq; subtili regit omnia climata Nili,
Demetrius timuit quia regna paterna requirit,
Aduocat auxiliũ qualibet arte sibi.
Quærit amore pari Ionatham sibi consociari,
Vult & Alexander Ionathæ virtute iuuari,
Alter in alterutrum rex feritate salit.
Littera Demetrij Ionathæ sic missa perorat:
Captiuos tibi reddo viros, tibi trado coronam,
Zonam purpuream, pluraq; magna bona.
Esto mihi socius, me, vel mea lædere parce,
Do tibi Hierusalem, patriam reddemus & arcem,
Et bona quæ rapui singula reddo tibi.
Libera Iudæa tibi sit, te rege redempta,

Annus

Annua plus auri tria millia tolle talenta,
Cum quibus ædifices, quæ tibi castra placent.
Venit Alexandri contraria charta priori;
Respue Demetrium, me suscipe, spe meliori,
Me tibi, teq; mihi, viuere, siue mori.
Demetrius fuit occisor Iudæ Machabæi,
Hostis & ipse Dei, populi destructor Hebræi,
Perdere te studuit, quomodo credis ei?
Rex tibi Demetrius promittere falsa laborat,
At ego vera tibi promitto, daboq; coronam,
Purpura cum zona sit tibi, tolle moram.
Fœdera Demetrij spreuit Ionathas Machabæus,
Fœdus Alexandri populus suscepit Hebræus,
Amodo Demetrius fertur ab hoste reus.
Bella gerunt reges, fortissima pugna paratur,
Vincit Alexander, rex Demetrius iugulatur,
Gloria fit Ionathæ, terra quieta manet.
Demetrius de Demetrio tunc filius hæres,
Impar Alexandro nescit sua regna tenere,
Mox abiit profugus prælia nulla gerens.
Demetrium puerum recipit sic insula Creta,
Qua materna domus fuit, vrbs præclara Mileta,
Illaq; maternus regna regebat auus.

Demetrio rege occiso, Alexander Antiochus accepit vxorem filiam Ptolemæi regis.

Extincto iam Demetrio, sumptoq; trophæo,
Victor Alexander, natam petit a Ptolemæo,
Futq; gener à socero fœdere iunctus eo.
Virgo venusta, data cum patre venit Cleopatra,
Regia mandata, sponsalia sunt celebrata,
Vtraque lætata cur ita laude vacat.
Nunc ab Alexandro Ionathas cum pace vocatur,
Venit, honoratus stat, regibus associatus,
Purpura regalis sit sibi larga magis.
Scribitur hic Ionathas præcelsior inter amicos,
In medio regum iam sede, thronoq; potitur,
Pluraq; dum venit, rex sibi dona dedit.
Regia quæ fuerint insignia per lege thema,
Aurea fibula, regia purpura, seu diadema,
Sceptrum regale, iam Machabæus habet.
Sic abit in patriam Ionathas, hæc dona reportans,
Qui dum per medias tulit hæc insignia portas,
Organa cum citharis, vrbs sua læta tulit.
Vix annis binis, sunt hæc sibi signa quieta,
Demetrius iuuenis consurgit ab vrbe Mileta.
Hic & Alexandrum regna tenere vetat.

Demetrius filius Demetrij insurgit contra Alexandrum in Antiochia.

Iunior à Creta cùm Demetrius remearet,
Currit Alexander contraria bella parare,
Alter in alterutrum, Marte, furore calet.
Demetrius statuisse ducem legitur Ptolemæum,
Prima super Ionatham vexilla tulit Machabæum,
Viribus Hebraicis ille repressit eum.
Victus abhinc Ptolemæus abit, Ionathaq; sequente,
Fugit in Azotum, suscepit & vrbs fugientem,
Armaq; dux reparans, exit ab vrbe volans.
Exit ab vrbe foras, tentare pericla priora,
Vincit eum Ionathas, dux vergit ad interiora,
Sic tria millia ter cæsa per arua iacent.
Addidit Azotum Ionathas comburere totum,
Vritur ipse Dagon, templum ruit vndique notum,
Vrit & in totum Marte calente locum.
Audit Alexander rex, quàm bene pugnet Hebræus,
Addit & in donis placare satis Machabæum,
Vesteq; purpurea latus adornat eum.

Ptolemęus rex aufert filiam suam Alexandro, & dat eam Demetrio iuniori cum regno Antiochiæ

Sperat Alexander, soceri virtute iuuari,
Vnde suas vrbes præcepit ei reserari,
Sic socer in cunctis rector & actor, ait.
Ipse socer scrutatur opes, scrutatur & vrbes,
Et populos pro velle suo iurare perurget,
Clauiger est plenè, regia castra tenens.
Vidit in Azoto Ptolemæus cuncta perusta,
Plangebantq; viri loca deuastata venusta,
Dicentes, Ionathas, hæc tibi damna parat.
Dissimulat Ptolemæus ad hæc captusq; furore,
Cogitat hunc Ionatham confundere proditione,
Aut quocunq; modo, fraus paritura foret.
Cogitat & genero rex tollere prorsus honorem,
Et dare Demetrio regnum, populiq; fauorem,
Et prius vxorem se pepigisse dolet.
Scribit Demetrio, tibi (quæso) reconciliari,
Vrbibus & castris regni, dabo te dominari,
Vxor Alexandri, vult tibi sponsa dari.
Iure maritali, tibi vult mea filia iungi,
Meq; fauente tibi, tecum diademate fungi,
Hæc tibi cùm fuerint, crede monarchus eris.
Litera Demetrio placuit, super omnia grata,
Tradidit & natam Ptolemæus ei Cleopatram,
Vrbes & reliqua sunt sibi castra data.
Sic socer atq; gener vrbem tenet Antiochenam,
Ægypti tulit atq; Asiæ socer hic diadema,
Et parat vt Ionatham rebus & arte premat.
Tristis Alexander, regni spoliatus honore,
Milite collecto, belli saliente furore,
Aduersus reges agmen & arma mouet.
Bellum conficitur, rex regibus exsuperatur,
Victus Alexander, populo pereunte fugatur,
Et fugiens, Arabum tendit adire solum.
Natus Alexandri sequitur patrem fugientem,
Maternos etenim reges habuêre parentes,
A quibus auxilium propietate petunt.
Rex Arabum, regis metuens iram Ptolemæi,
Tollit Alexandri caput & pro lege trophæi,
Muneris insignum quam cito misit ei.
Munera funesta Ptolemæo gaudia præstant,
Febre sed infesta moritur Ptolemæus, & extans
Demetrius solus, tollit in vrbe thronum.
Demetrio iuuene solo iam regna tenente,
Impugnat Ionathas arcem Dauid vehementer,
Concutit & reliqua cuncta nociua loca.
Tunc à Demetrio nimis aspera litera venit;
Præcipimus Dauid arcem non amodo lædi,
Sed quia læsistis vltio (dixit) erit.
Territus est populus quia scripta minantia legit,
Consurgit Ionathas portans sua munera regi,
Et facit interea mœnia sancta regi.
Pergit, & in dubium, quia nullo fœdere pacis,
Demetrij functus, peruenit ad arua minacis,
Hostibus ingratis, fit via tuta satis.

Rex vbi præsentit sublimia dona ferentis,
Cessauit feritas, tacuit turbatio mentis,
Suscipitur Ionathas, mente fauente bona.
Aurea spinula, regia purpura, regia zona,
Sceptraq; regia, pallaq; regia, magna corona.
Tradita sunt Ionathæ, pluraq; magna bona.

Demetrius dimisso exercitu, habet seditionem in Antiochia circa se factam à ciuibus.

Demetrius dum continet omnia, stringit honores,
Dum tenet omnia climata subdita, seu regiones,
Dimittens equites, prælia nulla mouet.
Paruus ei remanens exercitus, est peregrinus,
Indeq; Demetrius vilis reputatur & imus,
Spernit & odit eum terra mariq; sinus.

Tryphon princeps Antiochiæ eligit sibi in regem Antiochum puerum, filium Alexandri decollati in Arabia.

Tunc erat in patria Tryphon princeps memorandus,
Regis Alexandri fautor, vir robore magnus,
Qui pro morte sui regis amara luit.
Ille videns ciues omnes contemnere regem,
Vt faciant alium posuit sub fœdere legem,
Natus Alexandri nunc sua regna reget.
Trypho vocat puerũ dominum, quem rex Arabita
Detinuit secum, viso patre perdere vitam,
Sic & aui studiis ille remansit ita.
Rex Arabum cum gente sua, procerumq; senatu,
Erigit Antiochum puerum, tribuens comitatum,
Demetrius metuit, cum mala fama venit.
Poscit in auxilium rex Demetrius Machabæum,
Et rogat vt populum sibi iam trãsmittat Hebræum,
Aduersus ciues, qui tueantur eum.
Suscipit à Ionatha, tria millia missa virorum,
Rexq; videns acies, satis est gauisus eorum,
Quas facit Antiochum mox habitare forum.
Antiochi ciues stantes contra diadema,
Millia centena fuerant, & bis duodena,
Sub quorum gladiis rex perimendus erat.
Vt perimat regem, consurgit in vrbe tumultus,
Rex ab Hebræorum populo fuit acriter vltus,
Nam rex eripitur, plebis & arma cadunt.
Millia centena cæsi iacuêre platea,
Hebraicus populus nanciscitur illa trophæa,
Millia quæ remanent, viua reseruat ea.
Saluantur regi, quos edita pugna subegit,
Qui redimunt vitam, ponentes fœdera regi,
Amodo non alio principe velle regi.
Ciuibus euictis, & Demetrio releuato,
Iudaico populo, certamine glorificato,
Gratia sit Ionathæ, fœdere stante rato.
Sed rex Demetrius, post immemor obsequiorum,
Vexat Hebræorum populos, loca, iura locorum,
Nec pudet antiquum sic iterare dolum.

Tryphon & puer Antiochus, filius Alexandri, vincunt Demetrium & tollunt Antiochiam.

Regis Alexandri iam filius est adolescens,
Iunior Antiochus, cum Tryphone, robore crescens,
Vrbis enim procerum pompa vocabat eum.
Rex Arabum iuuat Antiochum, matriq; parentes,
Demetrius metuens Arabes, vexilla ferentes,
Plus timet Antiochos intus in vrbe suos.
Signa mouent reges, mandatur & arma moueri,
Sanguine quisq; gerit regalia iura tueri,
Iunior Antiochus primus in hoste ferit.
Tryphonis in bello nullatenus arma quiescunt,
Prælia concrescunt, iam sanguine rura madescunt,
Victaq; Demetrij pars, ibi terga dedit.

Tryphon & Antiochus puer tenent simul regnum Antiochiæ.

Trypho puerq; tenent vrbem simul Antiochenam,
Gloria sit plena puero, quia fert diadema,
Vndiq; per patriam charus, amandus erat.
Dicit & Hebræis se munere velle mereri,
Vt veniat Ionathas, regni modo iura tueri,
Maior quam fuerit, me duce (dixit) erit.
Vt tenuit teneat vrbes, loca, iura, coronam,
Sit sibi sibula, purpura, sceptraq;, regia zona,
Aurea mitto sibi vascula multa bona.
Me sibi, seq; mihi, sua iam conformet honestas,
Vt bibat ex auro, fiat sibi plena potestas,
Signifer imperij, tutor & vltor erit.
Simon erit secum princeps, regniq; patronus,
Hinc & in Ægyptum teneat sua iussa colonus,
Fratribus ambobus, sic honor est, & onus.

Ionathas cùm sui ferè omnes fugerent, ipse cum paucis super Demetrium triumphauit.

Rector erat Ionathas Syriæ, Simonq; Damasci,
Demetrius per eos videt ampla pericula nasci,
Et parat vt Ionathas qualibet arte cadat.
Obuiat in bello Ionathæ, virtute suorum,
Nunc & Hebræorum fugit omnis pompa virorum,
Mille viri tantùm, tunc tenuêre solum.
Quum Ionathas vidit quòd Hebræũ robur abiuit,
Pianxit, & ingemitans vestes à corpore scidit.
Orat, & in Domino prælia mouit ibi.
Sic virtute Dei manus obtinuit Machabæi,
Et citò qui fugiunt, ad eum vertuntur Hebræi,
Copia Demetrij maxima cessit ei.
Sunt ibi Demetrij plus quàm tria millia cæsa,
Nulla fuit Ionathæ pars, hoc certamine læsa,
Copia tunc spolij multa remansit ibi.

Tryphon cogitat occidere Ionatham prius, & postea dominum suum regem Antiochum.

Iunior Antiochus cùm Tryphonis esset alumnus,
Odit eum Tryphon, quia subditus est sibi mundus,
Hunc & ob inuidiam perdere morte parat.
Pectore concepta Tryphon dum crimina celat,
Antè cupit Ionatham perimi, nulliq; reuelat,
Regis enim magnus tutor & vltor erat.
Aduocat in fraudem populum sic Tryphon Hebræũ,
Vtq; dolo, quocunq; modo, capiat Machabæum,
Nomine colloquij sæpe vocabat eum,
Terq; quaterq; vocat, toties venit ille vocatus,
Fraus caret effectu, quia pluribus est comitatus,
Robore militiæ munit vtrunq; latus.
Decipitur tandem, paucis de mille retentis,
Quumq; dolo capitur, fert vincula decipientis,
Nec tamen interiit tunc datus ipse mori.

Quot-

Quotquot erant ſecum Tryphon iubet ipſe necari,
Indeq; Iudæam per ſe putat exſuperari,
Mœnia cum populo perdere ſorte pari.

Simon Machabæus erigitur loco Ionathæ in principem Iudæorum.

Fama refert Ionathã ſub Tryphone fraude necatũ,
Erigitur Simon, populiq; tenet dominatum,
Tryphon ad hæc venit, ſcriptaq; mittit ei.
Dicens: Non dubites Ionathan conſiſtere vita,
Sed quia theſaurum mihi debuit Iſraëlita,
Hunc habeo mecum, vir manet obſes ita.
Mittite theſaurum, detentus & ipſe redibit,
Mitte duos natos eius, vel & ipſe peribit,
Quòd ſi vultis eum, dicta referte mihi.
Simon adinuentas fraudes in Tryphone nouit,
Mittere theſaurum tamen hunc & perdere nouit,
Ne videatur ob id frater ab hoſte mori.
Ne dicant populi, fratrem cupit ille necari
Simon, vt in populo ſolus valeat dominari,
Sitq; domi princeps ſummus, & abſq; pari.
Filioli, remanere domi (dixit) iubeantur,
Ne nati, cum patre, pati pariter videantur,
Néve dolor duplex ſit, pereunte patre.

Romana hiſtoria contemporanea; qualiter Corinthus capta eſt, & de Numantia ciuitate Hiſpaniæ, & de aliis cauſis.

ANno ab Vrbe condita 603, Simon Machabæus, occiſo fratre ſuo Ionatha, fit princeps ſacerdotum in populo Iudæorum, de cuius actibus in proximo ponemus, cùm de hiſtoria Romanorum ſibi contemporanea, primitùs aliqua explicabimus.

Deleta igitur Carthagine, Corinthus inter omnes Macedonię & Achaiæ vrbes opulentiſſima, à Romanis igne ferroq; deletur. Eo tempore in Hiſpania, ſub Mancino conſule, apud Numãtiam male pugnatum eſt. Senatus ipſum Mancinum, qui victus cum hoſtibus fœdus iniit, rupto fœdere mittit, vt ab ipſis perimatur. Scipio Aphricanus conſul creatur, & contra Numantiam mittitur. Numantini dum ſe ſuperari præſentiunt, volentes mori potius quàm ſeruire, in medias acies Romanorum, furore ducti, proſiliunt. Romani certè fugiſſent, ſi Scipio non interfuiſſet. Ad vltimum Numantini cum hominibus & omni ſupellectili ſua, ne in aliquo Romani ſuper eos lucrari, vel triumphare viderentur, ignibus ſe ſuaque conſumunt.

Eo tempore Iugurtinum bellum eſt terminatum, Metello Marioque conſulibus. Tunc bellum Cymbricum, & Gallorum Teutonicorum, & Germanorum, tam miſerabiliter actum eſt, vt in vno bello octuaginta millia Romanorum & quadraginta millia Gallorum & lixarum, fuſa legantur, Caio Manlio conſule, & Quinto Cepio procõſule. Deinde Marius in quinto conſulatu ſuo eos vicit, cum multis Romanorum detrimentis, ſicut ex præmiſſis dictis ſuperius poteſt perpendi.

Poſt hoc bellum, ſequitur intrinſeca clades Romanorũ. Orta ſunt enim bella inteſtina, Sylla, Caio, Marioq; authorib. Quibus per decem annos protractis, 150 millia Romanorum cæſa fuiſſe leguntur: ob quã cauſam ait Tullius; Romanã Rempubl. nõ ſolũ imminutam, ſed penè fuiſſe amiſſam.

Poſt hæc Romanorũ geſta dicamus de Simone Machabæo verſificè, atq; de regibus Antiochiæ, Tryphone ſcilicet, & Antiocho iuniore, & de Demetrio, qui omnes contẽporanei Simonis Machabæi fuerũt. Tunc enim rex Demetrius per Tryphonẽ & per Antiochum iuniorem deiectus ab Antiochia, cõfœderatus eſt cum Simone Machabæo contra Tryphonem, qui occiderat Ionatham, & occiderat Antiochum dominum ſuum in dolo, & regnabat ſolus in Antiochia. Quibus explicitis verſificè, rurſus de Romanis proſaicè ſcribemus.

Tryphon, accepto argento pro redemptione Ionathæ, interficit eum.

Suſcipit argentum Tryphon, Ionathanq; retentum
Ducit in Hebraicos fines, ſed & agmina centum
Ducit, vt in totum perderet ipſe locum.
Reſtitit & Simon, animo præmaior Achille,
Quumq; videt Tryphon, quia non deuincitur ille,
Occiſo Ionatha, ſic redit in patriam.
Plangit eum populus, corpusq; per arua requirit,
*Quod tamen inuentum, iubet commodè * ſepeliri,*
Fratribus ac patribus iunctus habetur ibi.

Tryphon, occiſo Ionatha, interficit Antiochum in dolo dominum ſuum.

Tryphon & Antiochus pariter ſunt calle meantes,
Explicat ipſe dolum quem pectore preſſerat antè,
Nanq; ſuum dominum fraude peremit eum.
Fraude ſua Tryphon regni tenuit diadema,
Sic Aſiæ totius habens inſignia plena,
Antiochi ſolij iam dominator erat.

Simon & Demetrius confœderantur aduerſus Tryphonem.

Demetrio Simon ſcriptum cum munere mittit,
Et petit offenſas quas fecerat antè remitti,
Spondet & auxiliis ſemper adeſſe ſuis.
Demetrio iam pace data, Simon capit arcem,
Et reliquas vrbes cunctas præmunit & arcet,
Atq; duces natos ordinat eſſe ſuos.
Simon enim ſenuit, fractuq; laboribus, inquit,
Opto meis natis vexilla paterna relinqui,
Succedant iuuenes deficiente ſene.

Dicit eis, estote meis similes Machabæis,
Bella deis inferte reis, guerram Chananæis,
Corde gigantæi iussa tenete Dei.

Iudas & Ioannes filij Simonis triumphauerunt super Tryphonem.

Tryphonis vt noceat exercitus exit ad amnem,
Occurruntq; duces, Iudas puer, atq; Ioannes,
Peruenit ad rabidas hostis & hostis aquas.
Dum metuunt amnem, primus vadit ipse Ioannes,
Restitit his ingens cum Tryphone Tryphonis agmen,
Plaga fit horribilis, pugnaq; magna nimis.
Victus abit Tryphon, pressus gladijs puerorum,
Cæsa per arua iacent tria millia quinque virorum,
Viribus exhaustus perdidit ille solum.
A pueris ducibus iam Tryphone Marte fugato,
Demetrius venit rex, ad noua bella paratus,
Antiochos ciues vincere posse ratus.
Ciuibus Artaxes assistens tunc Mediæ rex,
Demetrium bello deuincit, & in Medias rex
Viuum detentum, carcere claudit eum.
Huius Demetrij profugus post prælia natus,
Ponticus Antiochus materna lege vocatus,
In Pontum patriam pulsus abire parat.
Insula Pontus adest, ad quam datur ille fugari,
Maternis opibus vires inibi reparauit,
Sperat & imperium post rehabere magis.

Simon Machabæus renouata cum Romanis amicitia mittit eis aureum scutum.

Regibus electis, pax venit, pugna recessit,
Omnis homo sub vite sua sicuq; quiescit,
Optima pax populis, rure domiq; fuit.
Simon amicitiam Romæ pacemq; reformat,
Præparat ex auro clypeum, gemmisq; subornat,
Mille minas auri pondere forma tulit.
Munere placatus, clypeum tulit ille senatus,
Nec fuit ingratus, quia Simon eis sociatus
Fœderis æterni munus ab inde tulit.
Ænea tunc tabula conscripta, solebat haberi,
Fœdera qua poterant Romana legenda videri,
Quam posuit Simon, montis in arce Sion.

Romana historia contemporanea, de Catilina & de aliis diuersis.

REgnante Antiocho Pontico, filio Demetrij, in Antiochia, & Tryphone indefugato, bellum Catilinarium Romæ est subsecutum. Quod Salustius simul Iugurtino, lucidè satis descripsit, sicut & in scholis doctorum solet frequẽtiùs lectitari. Ideoq; ea nos non describimus, quia omnibus nota esse videntur. Tangemus verò bellum inter Romanos, & Mithridatem regem, his temporibus factum.

De bello Romanorum cum Mithridate, rege Armeniæ, per idem tempus.

ANno igitur ab Vrbe condita, sexcẽtesimo septuagesimo, Mithridates rex Armeniæ, & in Ponto, dum Nicomedem regẽ Bithyniæ, Romani populi amicũ regno priuare conaretur, à senatu, ne id ageret, monitus est, minis etiam grauibus insertis, nisi cessaret. Vnde motus Mithridates, non solùm Nicomedem à regno eiecit, sed etiam Cappadociam igne ferroque vastauit, alio rege, nomine Barsane, amico Romanorũ, inde expulso. Deinde Ephesum veniens edictum dedit, vt omnes ciues Romani qui illic inuenti fuerant, necarentur. Inde etiam ducem suum Archelaum in Græciam mittens, Athenas & totam Græciam in deditionem accepit.

Contra Mithridatem Sylla transmissus, centum millia de exercitu eius cecidit, vrbemque Athenienſium diu à se obsessam, tandem recepit. Mithridates, suorum strage comperta, mittit Archelao in auxilium 83 millium electorum. Ex quibus quinquaginta millia cęsa fuisse feruntur à Sylla. Archelaus cum Sylla, tertia vice congreditur. Ibique vincitur, & vniuersæ copiæ eius funduntur. His & aliis innumerabilibus casibus Mithridates exhaustus, ad hanc deuenit miseriam, vt ipse qui totius imperator fuerat Orientis, & non gladio, sed veneno se vinci posse timeret, ipse se tandem veneno interficere cogitauit: verumtamen quia naturam suam medicinis ita firmauerat, vt venenum ab eo bibitum nocere non posset, cũ à Romanis tot mortibus grauaretur, & insuper filius eius eum à regno pellere attentaret, cùm veneno sępius potato mori nõ posset, vxorem suam & filios primo loco interfecit, & post hæc militi suo collum gladio secandum supponit: taliterq; septuagesimo ætatis suæ anno extinctus, omnibus mortalibus exẽplum miserabile metuendumq; reliquit.

De Pontico Antiocho, filio Demetrij, & de Tryphonis depositione.

Ponticus Antiochus quem Demetrius genera uit,
A satrapis in regna patris meruit reuocari,
Et vice Demetrij patris ad alta salit.
Trypho luit, solioq; ruit, deiectus honore,
Nauigio vectante suo, fugit a regione,
Deditus exilijs, Persica rura colens.

Ptolemæus, dux Antiochi Pontici, occidit Simonem Machabæum socerum suum dolo in conuiuio, & duos filios eius maiores.

Antiochi dux militiæ fuerat Ptolemæus,
Quem generum sibi constituit Simon Machabæus,
Dux gener ad cœnam fraude vocauit eum.

Tunc

Tunc inuitati fuerant cum Simone nati,
Dum conuiuati sunt, sedéq; more locati,
Præcipit hos subitò traditor ille capi.
Ipse necat socerum, natosq; duos meliores,
Cepit & ipse socrum propriam natosq; minores,
Filius vnus ad hæc, exiit ante fores.
Dux vbi maiorem videt euasisse Ioannem,
Non necat vxorem soceri, sed seruat eandem,
Et pueros paruos, matre tenente duos.
Simonis occisi natus confugit ad vrbem,
Quem sibi pontificem faciunt ex ordine turbæ,
Hunc vocat Hircanum grandis Hebræa manus.

Ioannes Hircanus obsidet Ptolemæum interfectorem Simonis patris sui in arce Dagon.

Fama refert, quòd in arce Dagon staret Ptolemæus,
Euocat Hircanus populum constanter Hebræum,
Igne, fame, gladio, Marte, coarctat eum.
Dux sedet obsessus, sedet intus cum duce mater
Hircani fratresq; sui duo voce minaces,
Dux (aiunt) pereat, nosq; perire placet.
Ecce mori volumus, si commoritur Ptolemæus,
Pro vita nostra nunquam sibi parcat Hebræus,
Vt cadat ense reus, præcipit ipse Deus.
Dux videt arctari causam, mortemq; parari,
Et iubet Hircani matrem super arce ligari,
Pendent & pueri, fune trahente pari.
Duxq; flagellari iubet hos, mortemq; minari,
Ni citò cessarifaciant & ab hinc remeari,
Morte cadent pueri, mater & ipsa cadet.
Vinceret Hircanus, sed compatitur modò matri,
Filius abscedit, quia viscera fert pietatis,
Discedunt populi, sed dolet illa satis.
Vita salusq; ducis mater, puerique fuêre,
Nec tamen hic potuit dux impietate carere,
Nam iubet vt pereant, corda ferina gerens.

Antiochus Ponticus obsidet Hircanum in Hierusalem.

Dum videt Hircanus quia Pòticus occidet vrbem,
Et populum Domini nimia feritate perurget,
Mitigat ingenio visa pericla bono.
Accipit inuenta tria millia fortè talenta,
In sacris templi, Dauid pietate retenta,
Quæ quasi res sacra sub statione vacant.
Inde trecenta dedit regi, strepitumq; remouit,
De reliquo xenodochium componere vouit,
Ne populus Domini commoueatur ob id.
Rex abiit, pax emicuit, plebs læta reuixit,
Atq; nouum xenodochium Hierosolyma finxit,
Quo domus hospitibus lectus & esca datur.

Determinatio omnium historiarum secundum magistrum Gotfridum.

POst mortem Simonis Machabęi, & filij eius Ioannis Hircani, terminum accipiunt historiæ Machabęorum. Omnes etiam aliæ canonicæ historiæ finẽ habent, sola Romana historia remanente. De Iudæis aũt Iosephus & Egesippus à tempore Machabęorum seriem scripserunt, & non solùm sacerdotes, sed etiam reges postea, vsq; ad Herodem, sub quo Christus natus est, fuisse demonstrant. Vnde Iudæi, qui in transmigratione Babylonis vnctionem regum suorũ defecisse asserunt, mentiuntur: quia post Machabæos regnauit Iohannes Hircani filius, nomine Aristobolus, & Alexãder frater eiusdem Aristoboli, & vxor Alexandri, nomine Alexandra: & postea Aristobolus filius Alexãdri. Et post Aristobolum regnauit frater eius Hircanus, quẽ Hircanum Pompeius Magnus per violentiam, fratri suo Aristobolo viuenti subrogauit, ipsumq; Aristobolum captũ in Hierusalem, Romam vinctum trãsmisit. Post quem postea Herodes alienigena, filius Antipatris pagani & matre Iudęus, per potentiam Romanorum successit.

Ex his omnib. patet, quia nascente Christo, ablatũ est sceptrum & regnũ de Iuda, secundum Prophetam dicentem: *Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*; scilicet Christus. Hæc ad argumentum contra Iudæos scripsimus, sub compendio, quæ plenius per ordinem à temporibus Machabæorũ vsque ad Christum ponemus.

Nunc igitur de Aristobolo, filio Ioannis Hircani, verificè dicamus, qui primꝰ post transmigrationem Babyloniæ fecit se regẽ vocari, anno à transmigratione 482. Post Aristobolum autem ad historiam Romanam reuertemur; de Põpeij Magni principatu seu consulatu incipientes.

De Aristobolo primo rege Iudęorum post transmigrationem Babyloniæ.

Deinde tulit natos Hircanus & vrbis alumnos;
Primus Aristobolus fuit, Antigonusq; secundus,
Tres alios fratres, pòst recitare placet.
Mortuus Hircanus, reginæ regna reliquit,
Acer Aristobolus matrem depellit, & inquit;
Non patiar matrem substituisse patrem.
Carcere tres fratres cum matre iubet religari,
Antigonum statuit secum pro fratre morari,
Nec tamen in solio stare colore pari.

De vxore Aristoboli, quæ Antigonum dolosè perimit, propterea quòd recusauerat rem cum illa habere.

Vxor Aristoboli nimis Antigonum peramauit,
Nec tamen ille suo vult crimine commaculari,
Vnde sibi mortem fœmina mœcha parit.
Crimine mentito, sic retulit illa marito;
Noueris Antigonum regno subfraude cupito,
Te cum parte tua perdere velle citò.
Coniurauit enim, cras signa notanda videbis,
Si veniens, armatus erit, si turba fauebit,
Indicio veri, quod loquor (inquit) erit.

Motus Aristobolus creditq; fauetq; loquenti,
Insidias mortemq; parat fratri venienti,
Si venit armatus, perdat vt ille caput.
Dixerat Antigono prius hæc, regina latenter,
Te precor armatum videam cras mane decenter,
Curia te videat, laudet & arma tua.

Vltio diuina in occisores Antigoni regis.

Formoso vectatus equo, multis comitatus,
Nescius Antigonus, Veneri tulit arma rogatus,
Miles ab insidiis perforat ense latus.
Hinc dolor, hinc gemitus, hinc planctus erat seniorũ,
Dum iuuenis iuuenum flos florum, gemma bonorũ,
Contigit innocuum mortis inire thorum.
Tristis Aristobolus, quia perdidit hunc sine causa,
Mox necat vxorem, quæ falsa referre sit ausa,
Ipseq; morte sui, rex male facta luit.
Nam dolor & morbus simul inuasere tyrannum,
Æger erat semper, neq; vitæ perficit annum,
Vltio iusta Dei digna refundit ei.
Iste prior rex est, redeuntibus à Babylone,
Nemo prius voluit præsumere iura coronæ,
Plebs sine rege fuit, nec diadema tulit.
Ante quater centum transactis orbiter annis,
Octuagintaq; plus, recto numero numerandis,
Plebs caruit rege, iura paterna regens.

Alexander, secundus rex Iudæorum post transmigrationem Babyloniæ, succedit Aristobolo fratri suo.

Regis Aristoboli primus successor honoris,
Frater Alexander, rex & princeps regionis,
Vita fuit scelerum, mors inimica bonis.
Iste necat fratrem, quem regna cupisse veretur,
Alter vt ignauus, quia nil valuisse videtur,
Miles erat secum, cui negat omne decus.
Regnat Alexander, cognomen habens Machabæus,
Gesta sui sceleris, populus non laudat Hebræus,
Ipseq; plus populum dixerat esse reum.
Odit eum populus, cunctis vitiis maculosum,
Respuit exosum, spreuitq; virum furiosum,
Odit eos planè rex, odiumq; manet.
Quærit ab ipsis rex, quo tempore, qua ratione,
Ipse sui populi captare valeret amorem,
Respondetur ei, cùm morieris, erit.
Curat Alexander pacem quamcunque parari,
Quolibet ingenio, sub qua videatur amari,
Pax datur à populo, sed simulata magis.
Pace simul data, noua prælia sunt renouata,
Demetrij regis acies à plebe vocata,
Versus Alexandrum stat, feritate rata.
Victus Alexander, sed non sine clade cruoris,
Excitat in populum gladios, stimulosq; furoris,
Monstrat ab effectu pectora, plena dolis.
Et quia Demetrium populus sub fraude vocauit,
Millia quinquagies gladio feriente necauit,
Monstrat & in reliquis, horrida facta magis.
In cruce suspensos tenet octingenta virorum,
Cum quibus vxorum pudibunda reuelat eorum,
Præbet adulterij plena platea forum.
Rex vbi stupra gerunt, sedet in medio mulierum,
Aspexêre viri, miranda pericula rerum,
Quæ cruce suspensi, plus moriendo ferunt.
Vxores puerosq; tenent, coram crucifixus,
Viscera disrumpunt pueris cernentibus ipsis,
Taliter inducit, dupla flagella crucis.
In medio residens rex, læta mente comedit,
Sanguine non vino, mens ebria, sanguine sæuit,
Cantibus & citharis gaudia magna dedit.

Antiochus succurrit populo afflicto sub Alexandro: sed ipse Alexander perimit eum in bello.

Territus est populus, tanto saliente furore,
Et decies mille fugiunt simul à regione,
Antiochi regis fœdus & arma mouent.
Antiochus cum Demetrio superare superbum
Stant, sed Alexander solita feritate proteruus,
Conterit Antiochum, tollit & ense caput.
Æger Alexander victa statione potentum,
Dum redit in patriam, quartana febre peremptus,
Vxori cedit, cui diadema dedit.
Nomen Alexandri retinet regina mariti,
Cui regnum, natosq; duos in morte reliquit,
Est prior Hircanus, frater Aristobolus.

Romana historia contemporanea, de vniuerso orbe reipublicè subiugando.

ANno ab Vrbe condita septingentesimo, finito iam bello Mithridatis, aliisque intrinsecis seditionibus vsquequaque sopitis, Romani suis terminis non contenti, vniuersum orbem in suam prouinciam adunare proponũt. Vnde Pompeius Magnus, consul & dux constitutus, assumpto exercitu transiit in Asiam, & breui tempore Ægyptum & Antiochiam, atque vniuersum Orientem in deditionem acquirit, quibusdam regibus permutatis, quibusdam receptis, imò subiectis: tandem ad Iudæos arma conuertit. Vbi quanta fecerit in templo Domini, & in Hierusalem, post istum titulum sequens pagina insinuabit.

In præsentiarum autem de Aristobolo filio Alexãdri, regis Iudæorum, & de Hircano fratre eius, quomodo alter alterum supplantauit, & quomodo Pompeius Aristobolum minorem natu, sed viribus & animo potiorem, à regno destituit, & Hircanum instituit, & qualiter cepit Hierusalem, & templum Domini celeberrimum violauit, verificè disponemus. Iterumque his dictis ad ipsam Romanam historiam reuertemur.

De morte reginæ Alexandræ.

Metellus, Leliusq; duces, Marcus quoque Crassus,
Consule Pompeio, tunc destruxêre Damascum,
Omnia iam Syriæ climata Roma tenet.
Regnat Alexandra, celebris regina, potenter,
Ipsa placet populo, reparans sacra templa decenter,
Morbus vt inuadit fœmina morte cadit.

Aristo-

Aristobolus, filius Alexandri minor natu, occupat regnum Iudæorum, expulso Hircano maiore fratre suo.

Iudicio matris quæ rexerat ordine regnum,
Debuit Hircanus regnum retinere paternum,
Frater Aristobolus Marte repellit eum.
Rex Arabum iuuat Hircanum, iuuat Antipaterq;,
Victus Aristoboli virtute, fugatur vterq;,
Cæsaq; nunc Arabum millia dena cadunt.
Obtulit Hircanus Romanis sæpe querelam,
Quòd sit Aristobolus rapiens regni diadema,
Nam prior Hircanus præficiendus erat.
Spreuit Aristobolus Ramanos, motaq; Roma
Iudicat Hircanum dignum magis esse corona,
Iudicium spernit rex, & ad arma volat.
Consule Pompeio, premit hunc Romana potestas
Impar Aristobolus post prælia plurima gesta,
Vix modò Hierusalem clausus in vrbe tenet.
Intus Aristobolus circundatus, obtinet vrbem,
Copia Pompeij, muros mangonibus vrget,
Talpaq; Romana mœnia multa cauat.
Cœtus Hebræorum feruens feritate cruorum,
Mœnia murorum tenet indeuicta suorum,
Sed latet ipsorum mortis in vrbe dolus.
Intus & Hircani fuerat clam secta cohortis,
Quæ patulis portis aditum dedit vndique mortis,
Consul vt ingreditur tollit vbique locum.
Confluit ad templum plebs plena timoris Hebræa,
Circiter armata premit hos Romana chorea,
Desuper emissa saxa tuentur eam.
Ardua fossata fuerant prius arte parata,
Ne manus armata, valeat loca tollere sacra,
Quæ nisi planata sint, ea salua vacant.
Solos Iudæos voluit Pompeius habere,
Hircani socios, qui tunc loca sancta tenerent,
Sacra prophanari, dux nec ab hoste ferens.
Munda reseruari cupit hæc Pompeius honestus,
Ne premat hæc polluta manus, maculétve scelestus,
Solis Iudæis sancta relaxat eis.

¶ De Pompeio.

POmpeius ob templi reuerentiam cauere proposuerat, ne pagani intrarent in illud, ne etiam sacra vasa vel alia quæ in templo erant, attingerent vel commaculârent. Vnde voluit, vt soli Iudæi Hircanũ extra templum tollerent & seruarent. Aristobolus autem stans supra pinnaculum templi, videns ex dispositione Pompeij illuc ingredi velle, saxa desuper iaciendo se defatigauit. Vnde assiduè pugnãtibus, vix post tres menses Sylla in templum violenter irrupit, deinde impetu armorum gentilium omnia prophanata sunt.

De Aristobolo & eius audacia.

Stabat Aristobolus, retinens pinnacula templi,
Nec patitur fieri quod fertur ab ore potentis,
Iactat enim lapides, nec via sacra patet.
Vincere Pompeius templi loca non potuisset,
Sabbatha Iudæis nisi vel scenophegia fuissent,
In quibus hi penitus non operantur opus.
Vix post tres menses, consul vicisse notatur,
Primus adest Sylla, per quem templum penetratur,
Furius & Fabius post comitantur eum.
Romanis gladiis dum iam loca præripiuntur,
Turba sacerdotum cadit, & subitò perimuntur,
Et super altare corpora cæsa manent.
Nec tamen interea templi sacra victima cessat,
Lingua sacerdotum nec adhuc sub vulnere fessa,
Nec moriendo cadens desinit ore canens.
Obstupuit consul, quia plebs ex parte necata,
Sedula sacrificat, neque cessat victima sacra,
Sacra ministeria stant quasi pace data.
Vulnera suscipiunt, sed pectora rubra cruore,
In medio mortis Domino dant semper honorem,
Turba sacerdotum psallit vt antè solet.
Dum nequit Hebræus patulis discedere portis,
Ignibus abbreuiat moriendo pericula mortis,
Captus Aristobolus, rex populusq; fuit.
Omnia quæ loquimur, populo pereunte patrata,
Turba minus doluit, quã quod modò gens scelerata,
Cherubin & Seraphin vidit & illa sacra.
Omnia quæ fuerant in templo sacra reuelant,
Quæ Deus a populis cernenda per omnia celat,
Omnia propatulo gentibus eius erant.
Vndiq; Pompeius multa comitante caterua,
Cuncta Dei sancta quasi publica facta reseruat,
Dum tamen illa videt, pœnitet atq; timet.
Thesauros videt in templo, sed nec loca tangit,
Atq; suos equites ne tangant, fortiter angit,
Omnia nanq; Dei, sancta videntur ei.
Iusserat & templi loca commaculata lauari,
Vasaq; restituens, petit ordine sacrificari,
Iura sacerdotum iussit habere locum.
Censuit Hircano regnum, patriamq; relinqui,
Consul Aristobolum regem sub carcere vincit,
Vincla tulit Romæ, quæ moriendo dolet.

Iulius Cæsar mittitur in Gallias, Romæ subiugandas.

ANno ab Vrbe condita septingentesimo, reuerso ab Oriente Pompeio, & propter plurimas victorias cum mirabili triumpho recepto, Caius Iulius Cæsar ad Occidẽtis Gallias, Trãsalpinas & Cisalpinas, atq; ad Illyricũ, vt domaret eos, missus est. Ipso Põpeio, & Lucio Bibulo consulib.

Has itaque robustissimas gentes, Caius Iulius Cæsar, effuso prius multo Romanorum sanguine, in prouinciam omnes redegit. Rheno etiam flumine transmeato, Germanos ferocissimos, tam bello quàm muneribus, omnes deuicit. Germanorum autem virtutem & fortitudinem, qui scire desiderat, Suetonium legat. Iosephus etiã & Egesippus, de ipsis tanquam de hominibus mori nõ timentibus, incredibilem audaciã & fortitudinẽ atq; virtutẽ describũt.

Porrò quum Cæsar in perdomandis illiusmodi gentibus, vnius lustri terminum

sibi permissum transisset, reuertẽti sibi ad Vrbem, debitus triumphus à senatu, ex Pompeij consilio, est denegatus. Caius Cæsar, spe frustratus, & rubore confusus, venit Rauennam, deinde Ariminum trãsiens, ad Vrbem festinãs, cunctis sociis amicisq; lachrymabiliter conquestus est de his quæ in eius iniuriam agebantur. Interea Pompeius cum ciuibus irã Cæsaris timentibus secedit, primò Brundusium, deinde Dyrrhachium. Cæsar Vrbem ingreditur, fractisq; ab ærario foribus septem millia centum & triginta quinque pondera auri abstulit. Argenti etiam noningenta millia deportauit. Inde ad legiones quas apud Ariminum reliquerat, reuersus, Alpes transiit. Ibiq; tam Gallos quàm Germanos largissimis muneribus donat, & ante eos, iniurias à Romanis ciuibus sibi illatas, conqueritur & deplorat. Auxilium quoquè ab omnibus postulat, & impetrat. Soli Massilienses ei auxilium denegant, quos & ipse variis afflictionibus destruit & deuastat.

Hic finem habent historiæ Hebræorum, & incipiunt gesta noui Testamenti.

AB hoc loco in antea * finem habẽt historiæ Hebræorum, & incipit tractatus noui Testamenti, & natiuitas & acta Iesu Christi. Quia verò vniuersum vetus Testamentũ descripsimus, exceptis Prophetarũ dictis; necesse est, vt omnes prophetias de Christo prolatas, in mediũ proferamus; vt per ipsa omnia quæ in nouo Testamẽto scripturi sumus, tãquam à fonte veritatis, ꝑ latis testimoniis, fides nostra possit corroborari. Quibus solenniter appositis, à Ioanne Baptista noui Testamenti exordium capiemus, & tam de Christo, quàm de Romanis imperatoribus contemporaliter per ordinem, authore Deo, singula distinguemus.

Incipit discordia inter Iulium Cæsarem & Pompeium generum suum.

Vicerat Ægyptum Pompeius, & Israëlitas,
Et mare cis citra tulit omnia regna petita,
Migrat in Italiam, terra quiescit ita.
Summus erat Roma, tulit omnia iura, corona,
Seruit ei mundus, summum tenet vndiq; nomen,
Sed Iulium socerum regna tulisse dolet.
Sufficit egregia Pompeij ferre trophæa;
Amodo Cæsarea fert prælia nostra chorea,
Nam gener in socerum bella reformat ea.

PARTIS XII FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM

PARS XIII.

TESTIMONIA OMNIVM prophetarum quæ sunt de Domino Iesu Christo, ad defensionem fidei Christianæ, & Iudæorum siue hæreticorum confusionem.

CVm omnes veteris Testamẽti historias secũdum Mosen, & Iosephum, & secundum alios auhores, pro modulo meo compendiosè sub heroico metro, & prosaicè, vsq; ad tempora Christi, Domino iuuante, protulerim, & de ipso Domino Iesu Christo, sub compẽdio aliquid dictauerim; cùm dicta Prophetarum, à veteri Testamento manantia, ad fidem Christi, & firmitatem noui Testamenti pertineant; antequam ad gesta noui Testamenti, vel ad natiuitatem Christi perueniamus, & antequàm de Pompeio & Cęsare, aut de Romanis imperatoribus, qui omnes sub tẽporibus noui Testamenti continẽtur, dicamus; de cætero, ad confusionem aduersariorum Christianę fidei, & ad catholicæ Eccleſiæ defensionem, dicta prophetarum per singulos fidei articulos lucidè breuiterque collegimus, & ordine collocauimus.

Verũtamen quia Iudęi, nostri aduersarij, scripturam metricè prolatam, pro minori forsitan authoritate suscipiunt, quã si stylo simplici, sicut ipse Propheta ꝑtulit, verbotenus prosaicè proferantur; ego autem hęreticis occasionem malignãdi in hac parte subtraxi, & quicquid de prophetis dicere ꝓposui, stylo simplici, de verbo ad verbũ, breuissimè compilaui; ne fortè legentibus maior esset obscuritas; vel aduersariis occasionẽ præstarem; quũ verba illiusmodi, quæ propriã seriem in sua prolatione desiderãt, sub heroico metro de verbo ad verbũ ꝓferri, sine aliqua sensus diminutione, non

non possint. Igitur in Domino procedamus, paucis in principio versib. prælibatis.

Deliberatio authoris.

Scribo prophetias veterum, signabo prophetas,
Post referam vatum loca, nomina, tempora, metas,
Et genus, & patrias, signa, sepulchra sua.
Dicta prophetarum metricè non edere quæro,
Ne metricè prolata cadant à tramite vero,
Simpliciter referam, nec variator ero.
Diceret hæreticus, vel perfidus hostis Hebræus,
Non metra, non versus recipit sermo Pharisæus,
Nec Moses docet hæc, nec iubet ipse Deus.
Ergo prophetias tali decet ordine promi,
Sicut ab antiquis vatum prolatio ponit,
Litera non patitur versibus illa coli.

Incipiunt dicta prophetarum; & primùm, quòd Deus pater habet filium.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. & iterum; *Tecum principiũ in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Ex vtero, id est ex substantia ipsius Patris, siue de pectore Patris; vnde pater eructauit verbum bonum, secũdum Dauid dicentem: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Item; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ.* Item; *Adorabunt eum omnes gentes, omnes reges seruient ei.* Item de Christo; *Veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamẽti quem vos vultis.*

Notandum autem, quòd Christus in eo quod à Patre genitus est, filius dicitur: sed in eo, quod à Patre in mundum missus est, Angelus nominatur. Vnde in Daniele, Nabuchodonosor respiciẽs in fornacem, dixit; *Ecce ego video viros quatuor solutos, ambulãtes, & species quarti, similis filio Dei.* Item Deus ad Mosen: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat & custodiat te: obserua eum, & audi vocem eius.* Quis est iste angelus, cui Dominus dat nomẽ suum, & potestatem? Nemo certè, nisi filius, dicẽte Dauid; *Quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Item Esaias apertè dicit, Deum patrem genuisse filium: *Antequàm parturiret, peperit, & antequàm veniret partus eius, peperit masculum.* Quasi apertè dicat, Antequã virgo in carne Christum parturiret, genuit Pater Filium in diuinitate: & antequàm in virgine tẽpus parturiendi veniret, genuit eum Pater sine tẽpore. Item Esaias; *Nunquid qui alios parere facio, ipse ego non pariam, dicit Dominus? & qui generationem aliis tribuo, nunquid ego sterilis ero, dicit Dominus?*

Igitur ex his omnibus Iudæus & hæreticus aut credãt, Christum Dei esse filium, aut omnes prophetas, dicant esse mendaces, qui ista omnia prædixerunt.

Quòd si interrogant Iudæi & hæretici, quo tempore, vel quomodo Pater Deus genuit filium: dicimus; quia ab æterno est filius, sicut & Pater, testante Dauid: *Ante Solem permanet nomen eius, & ante Lunam sedes eius.* Item alius Propheta; *Egressus eius à principio, à diebus æternitatis.* Item Pater dicit de filio; *Ante luciferum genui te;* id est ante omnia tempora. Sicut & ipse filius Sapientia Dei, de seipso dicit: *Necdum erant abyssi, & ego cõcepta sum, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes grauedine cõstiterant, ante colles parturiebar. Quando præparabat cœlos, aderam. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram, componens omnia.*

Si autem quæritur, quando Filius sit genitus? dicimus, quia suæ natiuitatis arcana, nec apostolus didicit, neque propheta, vel aliqua creatura cognouit. Esaias enim dicit cap. 53. *In humilitate iudicium eius sublatum est: generationem eius quis enarrabit?* Dicit beatus Iob; *Sapientiam Dei Patris vnde inuenies.* Item alibi; *Radix sapientiæ, & origo filij Dei, cui reuelata est?* Christus enim ita à Patre venit, sicut splendor à lumine, sicut verbum ab ore, sicut sapientia à corde.

Quòd Christus Iesus est Deus & Dominus omnium.

IStas authoritates scripturarum obiiciũt nobis Iudęi & hęretici, abnegãtes Christum esse Deum & Dominum. Dixit ad eosdem Iudæos Dominus in monte Sinai: *Audi Israël, Deus tuus vnus est.* & iterum; *Ego sum Deus, & præter me non est alius.* & iterum dicit; *Ego sum Deus, & gloriam meam alteri non dabo.*

Nos autem ad hæc omnia respõdemus, quia propter illius temporis statum & necessitatem dicta sunt ista tunc eis. Erant enim rudes & indocti, & ad colenda idola proni, sicut aliæ gentes, propter quod adhuc eorum imbecillitas doctrinã de subtilitate trium personarum in Deo capere nõ poterat, sed satis erat eis tunc vnum Deum cognoscere, & tenere, & ab vnitate Dei non recedere. Quod tamen sæpe fecêre, ad idololatriam se conuertentes. Et illa eis tunc dicta sunt secundum temporalem intellectum.

Spiritualiter autem prophetæ prædicauerunt Christum esse Deum. Vnde Dauid in psalmis: *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Attende, ô lector, quia dicitur Deus vnctus à Deo. Christus interpretatur vnctus. Qua vnctione est vnctus? certe oleo lætitiæ à Patre.

Iste est ille Christus, quem Pater sub persona Cyri regis Persarũ olim sic descripsit, & Deum ac Dominum esse prænuntiauit, per Esaiam dicens capite quadragesimo quinto; *Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & regna & dorsa regum vertam, & aperiam ante eum ianuas, & portæ eius non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros, & arcana secretorum, vt scias quia ego Dominus, qui inuoco nomen tuum, Deus Israël.* Ecce in persona Cyri regis Persarum descripsit Deus Pater Filium suum Christũ Iesum, cui subiecit regna per fidem Christianam; cui reuelata sunt omnia; qui vectes ferreos in inferno confregit. Illum autem Cyrum regẽ Persarum comparare Deo absurdum est, cùm fuerit idololatra, & in eo non sint ista omnia completa.

Ad istum Filium Christum, dixit Deus in Genesi capite primo; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* De isto Christo Domino scribitur in Genesi, de Sodoma & Gomorrha. Ait enim capite decimonono; *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham, ignem & sulphur à Domino.* Ecce Dominus à Domino, prima scilicet & secunda persona deitatis.

Dauid similiter dicit in psalmis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Zacharias propheta dicit: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ exploraverunt me.* Christi vox est hæc, qui missus est ad gentes, post gloriam deitatis, quam habuit apud Patrem, quando exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Factus obediens vsque ad mortem. Iste Christus filius Dei est ille, qui dicit: *Lætare & lauda filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me.* Ecce Dominus à Domino exercituum missus dicitur, qui est Christus, Deus noster.

Opponunt autẽ nobis hęretici, Si Deus est Pater, & Filius Deus est: ergo duo dij sunt, & non est vnus deus. Audi ergo Esaiã, vtranque personam vnum Deum esse dicentem: *Tu es Deus, & in te est Deus.* In eo quod dicit; Tu es Deus; Patrem ostendit. In eo verò quod addidit; Et in te est Deus; Filium esse declarauit. Item ille ipse Esaias, vt vnum solum Deum esse ostẽderet, subiecit; *Non est absque te Deus. Verè tu es Deus, absconditus Deus Israël.* Alibi etiam nomen Patris & Filij vnum esse monstratur, ipsô Patre ad Mosen dicente; *Attende illi, & ne inobediens ei fueris. Est enim nomen meum in illud.*

Quòd Deus in Trinitate est trinus & vnus.

SI quæris homo; quur tres personas, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sub vnitate pronuntias? Audi Esaiam prophetam dicentem: *Ego primus, & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram. Dextera mea mensa est cœlos. Num à principio vel abscondito loquutus sum ex tempore? Antequàm fieret tempus, ibi eram; & nunc Dominus Deus misit me.* Ecce duæ sunt personæ; Dominus & Spiritus eius qui mittit, & tertia persona eiusdẽ Domini, quæ mittitur. Vnde scriptum est: *In principio fecit Deus cœlum & terram, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* In eo vocabulo quo vocatur, Deus; intellige Patrem dici. Quod autem dicit; In principio; intellige Filium. In illo autem; qui ferebatur super aquas; intellige Spiritum sanctum.

Item in Psalmis Dauid: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* De persona trinitatis etiam dicit: *Spiritus meus erit in medio vestri.* Attende lector. Ecce Deus loquitur de Spiritu suo. Post hæc de tertia persona, id est de Filio suo subiunxit, dicens; *Ecce mouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Ista pauca de Trinitate sufficiant. Amodo de incarnatione Dei subnectam, qualiter Filius Dei factus est homo.

Quòd Filius, qui dicitur Deus, factus est homo.

ESaias de nascente in carne filio Dei, sic dixit cap. 9: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super*

super humerum eius. Hoc ita intelligas; Quia super humerum portauit crucem, siue titulum à Pilato conscriptum, in quo principatus hodie esse notatur. Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.

Dauid item dicit: *Mater Sion dicit hoc; Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Huic prophetiæ Iudæi contradicere non potentes, dicunt Christum adhuc non venisse.

Daniel autem propheta tempus aduentus Christi planè ostendit, & annos enumerat, & manifesta eius signa prænunciat. Sic enim dixit angelus Danieli: *O Daniel, aduerte sermonem, & intellige visionem: Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum.* Istæ septuaginta hebdomadæ, à tempore Danielis numeratæ, proculdubio ostendunt, quòd sanctus sanctorũ, qui est Christus, olim venisse ostenditur.

Hebdomades nanque in sacra Scriptura septem annis continuãtur, testante Domino ad Mosen: *Numerabis septem tempora hebdomadis annorum*; id est septies septem, quæ simul faciunt nouem & quadraginta. À tempore autem Danielis vsque ad nostra tempora, plus quàm centum milia hebdomades* enumerantur. Ideoq; iam natus est Christus.

Quòd hoc nomen Iesus per Mosem inuentum est, & præfiguratum.

IOsue filius Naue, à Mose vocatus est Iesus. Iste post obitum Mosis, dux populi effectus est, & princeps, & terram promissæ hæreditatis distribuit. itaq; mutatio nominis significat, quia defuncto Mose & legali pręcone cessante, dux nobis Dominus Iesus erat, qui nos futuros ad terram cœlestis promissionis per fluẽta Iordanis, id est per gratiam baptismatis sanctificatos perduceret.

Quòd Christus ex semine Abrahæ nasciturus erat.

DIxit Dominus ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; hoc est, in Christo Iesu: de quo etiam ait Dauid: *Et benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes seruient ei.*

Quòd Christus tempore Herodis erat nasciturus.

DIxit patriarcha Iacob (Geneseos capite quadragesimo nono.) *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Ipse erit expectatio gentium.* Itaque non defecit principatus & regnum in Iuda vsque ad tempora Herodis alienigenæ. Iudæi autem dicunt, se adhuc Regem habere in quibusdam ignotis finibus terrę. quod falsum est. Dicit enim Osea propheta capite tertio: *Sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine altari, sine sacerdotio*: quæ omnia scimus esse completa.

Quòd Christus de stirpe Dauid nasciturus erat.

DAuid dicit: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem meam.* Et iterum: *Semel iurauí in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta, & testis in cælo fidelis.* Item in libro Regum: *Factum est verbum Domini ad Nathan dicens; Vade dic seruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus; Non tu ædificabis mihi domum ad habitandum: sed quum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de vtero tuo, & firmabo regnum eius: hic ædificabit domum nomini meo, & erigam thronũ eius in secula. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & fidelis erit domus tua vsque in secula. In conspectu tuo erit thronus tuus firmus iugiter.*

Quicunque omnia hæc putat in Salomone esse completa, nimis à veritate videtur errare. Ille enim viuente patre adhuc cœpit regnare. Vnde alius intelligitur fuisse promissus, qui nõ ante mortem, sed post mortem eius promotus & cõfirmatus, est suscitandus. Non vt domum Domini de parietibus lapideis ædificet, sed de viuis & preciosis, sanctis fidelibus. Salomonis nanque domum plenam fuisse mulieribus alienigenis, idola colentibus, constat. Ipse etiam ab eis in eãdem idololatriam seductus est: quia post bonum initium malum exitum habuit.

Quis igitur est iste rex & filius Dauid, cui? domus fidelis est in perpetuũ, nisi Christus, qui ex genere Dauid natus est, in quo & ista

completa sunt omnia? De quo & ipse Dñs dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum; Dominus iustus noster.*

Esaias etiam propheta dicit, capite vndecimo: *Egredietur virga de radice Iesse.* Virga ista est Maria, quæ genuit florem Dominum nostrũ saluatorem Christum. De quo sequitur dictum: *Et requiescet super eũ spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & repleuit eum spiritus timoris Domini.* Esaias iterum dicit de Christo, capite vndecimo: *In die illa erit radix Iesse, qui stat in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur; & erit sepulchrum eius glorioſum.* Christus verò stat in signum populorum; quia Christiani signaculum crucis exprimunt in frontibus suis. Ipsum gentes deprecabuntur; & in eo totum iam cernitur esse completum. Sepulchrum eius in tantum est glorioſum, vt cognoscẽtes quia per mortem eius redempti sumus, sepulchrum eius glorioſum exhibeamus & teneamus. Ipse quoque locus, miraculis coruscans, totum mundum trahit ad ipsum. De ipsa petra sepulchri sancti dicit Esaias capite decimosexto: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montẽ filiæ Sion.* Montem Sion intelligimus Hierosolymam, in qua agnus Christus habuit illud glorioſum sepulchrum.

Quòd Christus de virgine, sine virili admixtione, natus est.

ESaias dicit: *Loquutus est Dominus ad Achas dicens: Pete tibi à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* & adiecit: *Audite itaque domus Iacob*, id est, genus Dauid, de qua stirpe regia descendit Maria: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, hoc est nobiscum Deus.*

Obiiciunt hîc nobis Iudæi dicentes: Nõ dixit Virgo, sed dixit, Iuuencula. Quibus respondemus; quia nõ est signum vel miraculum si iuuẽcula pariat: sed si virgo parit, hoc est miraculum & signum. Vnde erubescat Iudęus, quia illud est verè signum & miraculum, si virgo parit. Oportebat enim Christum nasci in carne per mirabilẽ partum virginis.

Iterũ de virgine dicit Esaias capite quadrageſimo quinto: *Rorate* (inquit) *cæli desuper: & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinabit semen, & iustitia simul oriatur: ego Dominus creaui eum.* Per cœlos intelligimus verbum & sapientiam Dei. Per nubes rorantes, ipsam viam qua descendit. Per terram, intelligimus Mariã. Per hoc quod dicit: Ego Dominus creaui eum; intelligere, quia sine omni admixtione hominis creatus est, sola deitate creante.

De eadem virginali natiuitate, dicit iterum in alio loco Esaias: *Vidi* (inquit) *lapidem de monte abscissum sine manibus præcidentis: & quum peruenisset in terram, repleuit orbem terræ.* Iste lapis intelligitur Christ⁹, de quo Dominus dicit per Esaiam: *Ecce mitto in fundamentis Sion lapidem preciosum, electum, angularem: & qui crediderit in eum, non confundetur.* Istum talem lapidem vidit Daniel sine manibus abscissum, id est sine virili cõmixtione de virgine intacta natum. De monte, id est de Iudæis duris & lapideis.

Quòd Christus in Bethlehem nasciturus erat.

MIcheas propheta sic dicit: *Et tu Bethlehem domus Ephrata, tu non es parvula in millibus Iuda. Ex te enim mihi egreditur, qui sit dominator in Israël: & egressus eius sicut à diebus æternitatis. Stabit* (inquit) *& videbit, & pascet gregem suum in virtute & in honore & virtute nominis Dei sui: & conuertentur ei termini terræ, & erit iste pax.*

Quòd magi Christo munera obtulerunt.

DAuid in psalmis dicit: *Et veniet, & dabitur ei de auro Arabiæ, tota die benedicent ei.* Et in alio loco Dauid: *Reges Tharsis & insulæ munera offerunt: reges Arabum, & Saba, dona adducent.* Balaham propheta dixit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israël.* Magi enim in Oriente videntes stellam, per artem suam signũ Christi esse cognouerunt, & sequẽtes stellam in Bethlehem, munera obtulerunt.

Esaias propheta ad hæc dixit: *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum, à populo diuiso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius.* Intelligendum est hoc de populo Persarum robustissimo, terribili & diuulso: ex quibus Magi venientes, Christo munera obtulerunt. Item

Esaias

Esaias: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes:* & cætera.

Quòd Christus mansuetus & pauper venturus erat.

ESaias dicit: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, panper, & mansuetus, sedens super asinum indomitum.* Item Esaias, ex persona Dei Patris: *Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde, & glorioſus inter filios hominum. Ipse asperget gentes multas, & super ipsum continebunt reges os suum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos portauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem humiliatus est, propter iniquitates nostras: & attritus est, propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum; & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. De angustia & iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium: propter scelus populi mei percussi eum, & dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua: eo quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius: & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius. Pro eo quòd liberauit anima eius, videbit, & saturabitur. In scientia quippe sua iustificabit iustus seruus meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. Idcirco dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit.* Esaias item dicit: *Non clamabit, neque audient in plateis vocem suam. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Sed in veritate iudicium suum proferet, quoadusque ponat in terra iudicium; & in nomine eius gentes sperabunt.* Dauid iterum de Christo dicit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium,* &c.

Quòd Christus rex & sacerdos non oleo materiali, sed oleo lætitiæ Spiritu patris sui vnctus est.

ESaias ex persona Christi dicit: *Spiritus Domini super me, propter hoc quòd vnxit me: euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum.* Dauid etiam ad Christum dicit: *Sedes tua Deus in seculum seculi: virga recta est virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Quòd Christus signa & prodigia erat facturus.

ESaias dicit: *Ecce Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut ceruus, & clara erit lingua mutorum.* Esaias iterum: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me: ad annunciandum misit me, vt mederer contritos corde, & prædicarem captiuis remissionem, & cæcis visum.*

Quòd Deus voluit omnibus hominibus in corpore apparere.

ESaias dicit: *Inglorioſus erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Hieremias autem dicit in libro Baruch: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ab eo. Qui inuenit omnem viam prudentiæ, & ostendit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est. & cum hominibus conuersatus est.* Abacuch dicit: *Domine audiui auditum tuum, & timui. In medio duûm animalium cognoscēris. Dum appropinquauerunt anni, innotescēris. Dum aduenerit tempus, ostenderis.* Iterum ipse Abacuch dicit: *Videbunt gentes, & dolebunt populi*; id est Iudæi. Esaias iterum dicit: *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur, & videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum.* Et iterum Esaias: *Vox speculatorum leuauerunt vocem simul, laudabúntque, oculo ad oculum videbunt eum.* Et iterum Esaias: *Parauit Dominus brachium suum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

Quòd Iudæi Christum non erant recepturi, nec agnituri.

HIeremias dicit: *Præuaricatione præuaricata est in me domus Iuda, ait Dominus.*

Negauerunt me, & dixerunt; Non est ipse. Hoc Iudæi adhuc dicunt, alium expectantes, qui est Antichristus.

Esaias dicit: *Non est species ei, neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus. Desideravimus eum despectũ & nouissimum virorum, & scientem ferre iniquitatem, & quasi absconditus vultus eius. Vnde nec reputauimus eum.* His verbis prædicta est Iudæorum incredulitas, quibus visus est Christus non habere speciem neque decorem Dei, & ideo non cognouerunt eum, neque reputatus est ab eis esse Deus. Quem quia non erant agnituri, Esaias prædixit his verbis: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Item Esaias: *Auditione audietis, & non intelligetis, & cernentes non videbitis, & non scietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & in tenebris ambulant.*

Quòd Iudæi non agnoscentes Christum, in vnum consensum conuenirent, vt Christum occiderent.

DAuid in psalmo: *Quare fremuerunt gentes?* id est Romani: *& populi*, id est Iudæi, *meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ*, id est Herodes & Pilatus: *& principes*, scilicet sacerdotum, *conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Item Dauid: *Circundederunt me canes multi*, id est Iudæi, *concilium malignantium obsedit me.* Item alius propheta: *Facti sunt mihi in sagittam reciprocam. Hæc dicit Dominus: Proiice illud ad statuarium decorum, precium quod appreciatus sum ab eis.*

Notandum est omnibus, quòd Iudas illud precium quod pro nece Christi acceperat, reportauit, & proiecit in templũ. Illam pecuniam dixit Iesus esse mercedem suam, quam reddebant ei pro omnibus operibus suis bonis quæ fecerat eis, suscitando mortuos, reddendo cis visum, auditum, & cætera; pro quibus omnibus Iudæi dederunt in æstimationem triginta denarios.

Quòd discipulus familiaris erat Christum ad precium venditurus.

DAuid dicit: *Qui edebat panes meos, ampliauit super me supplantationem.* Et iterum: *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Hieremias etiam de ipso Iuda sic prædixit: *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino.* Hoc dictum tam Iudæis, quàm Iudæ traditori, bene congruit: quia peccatum eorum tam fortiter scriptum est, vt deleri propter duritiam eorum non possit.

Quòd Christus tradidit semetipsum oblationem Patri pro nobis.

ESaias dicit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et iterum: *Eò quòd tradidit in mortem animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Item Hieremias ait: *Reliqui domum meam, diuisi hæreditatem meam, tradidi dilectam animam meam in manus inimicorum*, id est Iudæorum.

Quòd Christus traditus est ab impiis Iudæis.

HIeremias testatur in Prouerbiis, vbi liber Sapientiæ dicit: *Dixerunt impij, Comprehendamus virum iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat.* Et iterum: *Si enim verè filius Dei est, suscipiet illum, & liberabit eum de manu inimicorum: vt sciamus reuerentiam illius, probemus patientiam eius. Morte turpissima condemnemus eum*; id est afflictione crucis.

Quòd Christus ab amicis & à discipulis erat derelinquendus.

DIcit Dominus per Dauid prophetam: *Omnes amici mei dereliquerunt me, & ego relictus sum solus.* Et iterum: *Quærunt animam meam, vt auferant eam.* Et rursum: *Longè fecisti notos meos à me.* Et addit: *Elongasti à me amicum.* Zacharias propheta etiam dicit: *Percutiam pastorem, & dispergentur greges.* Discipuli enim, capto Domino, fugerunt.

Quòd Christus per falsos testes erat accusandus.

OSea propheta dicit: *Væ eis, quoniam recesserunt à me: ipsi vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Ego redemi eos, & ipsi loquuti sunt contra me mendacium. Ego erudiui eos, & confortaui brachium eorum, & ipsi cogitauerunt in me malitiam.*

Reuerſi

Reuersi sunt vt essent absque iugo, & facti sunt quasi arcus dolosus. Dauid etiam dicit: *Insurrexerunt in me testes, & mentita est in sancto eius.*

Quòd flagella, & palmas, & ictus, sustinuit Christus.

ET Iob de Christo dicit: *Exprobrantes & conspuentes percusserunt maxillam meam; sectati sunt pœnis meis.* Dauid etiam dicit: *Ego in flagella paratus sum.* Et iterum: *Congregata sunt in me flagella.* Esaias etiam dicit: *Non sum contumax, nec contradico, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus faciem meam, non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Hieremias etiam de eo dicit: *Dabit percutienti sibus se maxillam, saturabitur opprobriis.* Et iterum Hieremias: *Posuisti scapulas meas ad flagella, & maxillas meas ad palmas.*

Quòd spinea corona erat coronandus.

IN Canticis canticorum de contumeliis filij ex persona Patris, Salomon ait: *Exite filiæ Hierusalem, & videte coronam spineam, quam capiti eius imposuit synagoga.* Hieremias etiam dicit: *Spinis peccatorum suorum circumdedit me, propter istam.* Esaias quoque dicit:: *Plantaui vineam electam, & expectaui vt faceret vuas, & fecit spinas.*

Quòd Iudæi clamaturi erant vt crucifigeretur.

HIeremias de synagoga dicit: *Reliqui domum meam, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua. Dedit contra me vocem suam blasphemans dicens: Crucifige, crucifige.* Et alibi ipse Hieremias dicit: *Super quem aperuistis os vestrum? aduersus quem acuistis linguam vestram?* Et Esaias dicit: *Ruit Hierusalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum contra Dominum.* Iterum ipse dicit: *Expectaui vt facerent iudicium, & fecerunt iniquitatem, & non iustitiam, sed clamauerunt.*

Quod milites veste coccinea induerent eum.

ESaias propheta dixit, capite sexagesimo tertio: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum, & indumentum tuum tanquam calcantium in torculari?* At ille respondens, ait: *Torcular calcaui solus.* Calcare se solum dixit torcular, quia ipse solus pro mundo sustinuit passionem, solus etiam delicta omnium hominum lauit Dominus, Iesus Christus.

Quòd Christus tacuit, dum pateretur.

DAuid dicit: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes.* Et iterum: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus qui non aperit os suum.* Esaias etiam dicit: *Sicut agnus coram tondente se, qui non aperit os suum, in humilitate iudicium eius sublatum est.*

Quòd in ligno suspendendus erat Christus.

DAuid dicit: *Expandi manus meas*; scilicet in cruce. Et iterum: *Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Vespertinum intellige, siue in mundi huius vespera, siue in solis occasu. Item Dauid: *Dominus regnauit à ligno.* Abacuch etiam dicit: *Cornua in manibus eius.* Iterum Abacuch dicit de ascensione crucis: *Dominus fortitudo mea, constituit pedes meos super excelsa, vt vincam in claritate ipsius.* Item alius Propheta: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui quia super me cogitauerunt consilia, dicentes: Mittamus lignum in pane eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Panis iste, corpus Christi est, lignum autem crux est.

Quòd clauis in cruce fixus est.

DAuid dicit: *Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & conspexerunt me*, &c. In Canticis canticorum dicit: *Manus meæ distillauerunt myrrham*; id est sanguinem preciosum, quo redemptus est mundus. Malachias propheta dicit: *Plangent eum quasi vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* Dolere intelligimus Iudæos in die iudicij, quando videbunt in gloria deitatis sedentem & iudicantem, ipsum in quem transfixerunt.

Quòd inter latrones crucifixus est.

ESaias propheta dicit: *Et inter iniquos deputatus est.* Abacuch propheta dicit: *In medio duûm animalium cognoscêris*; id est inter duos latrones erat.

Diuiserunt sibi vestimenta eius.

DAuid ita dicit: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Omnia quidem vestimenta diuiserunt milites: sed in tunicam Domini sortem miserunt, dicentes: *Non scindamus eam*; sicut Euangelista testatur. Erat enim tunica inconsutilis, preciosa, & circumtexta. Quæ in alio loco dicitur nascenti Christo, de cœlo in sinu matris fuisse porrecta, & postea in longum ad mensuram pueri creuisse, sicut ipse puer vsque in virilem staturam crescebat.

Quòd felle & aceto potatus est.

DAuid dicit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Dominus Iesus Christus ipsum clamauerat, dicens: *Ego te plantaui vineam meam electam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Vnde & Moses ait: *Vua eorum vua fellis, & botrus in amaritudine ipsis.*

De eodem.

QVod hyssopo circundederunt spongiam plenam; in psalmis sic: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.*

Quòd pro inimicis orauit Christus.

ESaias dicit capite quinquagesimo tertio: *Et pro persecutoribus & transgressoribus orauit.* Abacuch in persona Domini dicit: *Dum conturbata fuerit anima mea in ira, misericordiæ memor ero.* Iesus Christus enim, ardente ira Iudæorum, contra eum dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Quòd non pro suis, sed pro nostris peccatis mortuus est.

ESaias dicit: *Pro iniquitate populi sui ductus est ad mortem.* Et iterum Esaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: cuius liuore sanati sumus.* Esaias iterum capite quinquagesimo tertio: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & Dominus posuit super eum iniquitates omnium nostrum. Qui cùm peccatum non cognouisset, peccatum pro nobis omnibus factus est.*

Quòd verè mortuus est.

IN lege scriptum est: *Recubãs dormiuit vt leo, & vt catulus leonis, quis suscitabit eum?* Dauid in sexagesimo septimo psalmo apertè dicit: *Deus noster, Deus saluos faciendi nos; & mors Domini exitus mortis.* Hieremias ait: *Quasi à somno suscitatus sum, & somnus meus dulcis mihi.* In Daniele quoque Angelus de morte loquutus, & de occisione Christi: *Scito & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem. Hebdomadæ septem, & hebdomadæ septuaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur Hierusalem, & platea, & murus in angustia templorum, & post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, ille qui eum negaturus est. Et erit clades Iudæorum, & sanctuarium & ciuitatem dissipabit populus cum duce venturo.* Populum istum intelligimus Romanũ cum Tito & Vespasiano.

Quòd tenebræ factæ sunt eo moriente.

AMos propheta ait: *Et erit in die illa, dicit Dominus; Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam lumen.*

Quòd crura eius non frangerentur.

DIxit Dominus ad Mosen: *Os non comminuetis ex eo.* Præceptum enim tunc fuit illis Pascha celebrare, & occidere agnum sine macula, in similitudinem Christi futuro tempore nascituri. Cuius agni ossa confringere, prohibiti sunt à Deo per Mosen.

Quòd lancea latus eius erat vulnerandum.

BEatus Iob ita prædixit; *Confixit me, & posuit me quasi signum. Circundedit me, quasi gigas, & vulnerauit lumbos meos. Occidit me vulnere, & vulnere lanceæ super vulnus clauorum.* Vnde ait Dauid; *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hieremias autem ait de synagoga; *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renes meos phia-*

las

las pharetræ suæ. Zacharias propheta dicit; *Videbunt in quem confixerunt*; id est hominem Christum quem crucifixerunt.

Quòd de vulnere eius sanguis & aqua exiret.

ZAcharias propheta dicit; *Cùm egrederetur vir ab Oriente, ecce aquæ redundantes à latere dextro*; scilicet Christi. Item Propheta de eadem aqua dicit; *Flumina aquæ viuentis egredientur de corpore ipsius.* Aqua ista viuens, est baptisma, quod viuificat credentes in Christo.

Quòd sepultus est Christus.

DAuid dicit; *Collocauerunt me in obscuro sicut mortuos seculi.* Esaias item dicit; *Erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur, & erit sepulchrum eius glorioſum.*

Quòd monumentum eius lapide signaretur.

IEremias dicit; *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapides super me: Concluſit vias meas lapidibus quadris, circumædificauit aduersum me, vt non egrediar.*

Quòd ad infernum descendit Christus.

IN libro Ecclesiastes Dominus ipse dicit; *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Deo.* Dauid etiam dicit, *Vita mea in infernum appropiabit.* & iterum; *AEstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Descendit enim, sicut homo in infernum, sed solus inter homines ipse liber fuit, quia mortem nõ timuit.

Quòd Christus fideles suos de inferno liberauit, & in cœlum rediit.

DOminus Deus per Oseam prophetam dicit; *Ego capiam, & vadam, & tollam, & non est qui eruat. Videns reuertar ad locum meum*; hoc est ad cœlũ. Item Propheta; *Ego dormiui & quieui, & resurrexi, quoniam Dominus suscitauit me.* Rursus dicit Propheta; *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis.* Iterum etiam Propheta; *In pace dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me.* Esaias ad hæc dicit; *Nunc exurgam, nunc exaltabor, nunc sublimabor.*

Quod per triduum rediit ab inferis.

OSea propheta dicit; *Venite reuertamur ad Dominum, & ipse cepit, & saluabit nos. Viuificabit nos post duos dies, & in tertia die suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.*

Quòd Christus missurus erat Apostolos piscatores, in signo crucis.

IEremias propheta prædixit sic; *Ego mittam piscatores meos dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Item dicit; *Et mittam venatores, & venabuntur eos de montibus & collibus, & de cauernis petrarum.* Hoc dictum ad conuersionem gentium spiritualiter pertinere videtur. Quos quia post resurrectionem suam Dominus ad prædicãdum gentibus mitteret, Esaias loquitur, dicens: *Veni vt congregem eos ex omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam.* Quoniam etiam dicit Dauid; *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces.* & iterum; *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Quòd Christus vsq; ad Patrem ascendit in cœlum.

DAniel dicit; *Aspiciebam in visu noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.* & addit; *Vsque ad antiquum peruenit*; id est ad Patrem. Item adiecit; *Et in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit potestatem ei, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.*

Ecce ostensum est, quomodo filius hominis in nubibus cœli sublatus est, & vsque ad omnipotentem perductus. Videntes autem æthereæ potestates, carnem Christi in nubibus ascendentem, & portas cœli ingrediẽtem, dixerunt; *Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Vnde Dauid subiunxit, atque ait: *Ascendit super Cherubin, & volauit. Volauit super pennas ventorum.* Dauid iterum dicit; *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Captiuitatem ductam esse captiuam, intelligimus carnẽ Christi de terris assumptam, quam ipse Christus, deuicta morte, duxit secum captiuam. Vnde Dauid in alio loco

ad laudem Christi hortatur omnes gentes, dicens; *Regna terræ cãtate Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem.* Nota quia locus ille, vnde Christus ascendit in cœlum, est in partibus Orientis. Post hæc Dauid subiunxit; *Visi sunt ingressus tui Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.* Videntibus enim omnibus Apostolis & quingentis viris, ascendit in cœlum.

Christi etiam ascensionem, Salomon in Canticis Canticorum prædixit sic; *Ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles*; id est super excelsos. Amos propheta ad hæc ait; *AEdificauit Dominus cœlos ascensum suum, & pollicitationem in terra formauit.* Esaias dicente Domino ait; *Exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Item Dauid: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Nunquid Archangelus aut Propheta sedet à dextris Dei? Nam nullus eorum in ea gloria est, nisi ille solus quem Deus dignum habet suo consessu. Ille sedet ad dextram Patris. Vnde Dauid: *Regnauit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam, & regnum eius omnium dominabitur.*

Quòd Christus sedet ad dextram Patris, & misit in Apostolos Spiritum sanctum.

DAuid dicit; *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: id est, dedit Spiritum sanctum apostolis post ascensionem suam. Vnde Ioel propheta; *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt: & iuuenes vestri visiones videbunt.* Zacharias etiam dicit; *Effundam de Spiritu meo super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem.* Istud impletum est, quãdo loquebantur variis linguis apostoli. Vnde dixit Dauid: *Non sunt loquelæ neq; sermones, vbi non audiantur voces eorum.*

Quòd Christus ad iudicandum venturus est.

DEus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Si enim in primo humilitatis suæ aduentu tacuit, in secundo tamen non tacebit, cùm venerit iudicaturus, vt reddat singulis secundum merita eorum. Vnde Propheta subiunxit: *Ignis ante ipsum ardebit.* De hac iudicij examinatione per ignem, dicit Daniel; *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix, candidum, & capilli eius, quasi lana munda. Thronus eius, flamma ignis. Rotæ eius, ignis accensus. Fulminis ignis, lampadesq; egrediebantur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. In iudicio sedit, & libri aperti sunt*; scilicet bonorum ac malorum gestorum: quia singulis reddet secundum operà sua. De illo ignis iudicio, Malachias ait: *Ecce dies venit ardens: Vt clibanus exuret eos, & omnes facientes iniquitatem accendet.* Esaias etiam dicit: *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi verbo quadrigæ eius, reddere in indignationem furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis.* Esaias iterum dicit: *Auditam faciet Dominus gloriam voci suæ, & terrorem brachij sui ostendet in consummationem furoris, & in flamma ignis deuorantis.* Nota, quia brachium Domini, Christus intelligitur. Esaias iterum dicit: *Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus seculorum, ad separationem malorum & bonorum, quia in virtute surrexisti, quando in principio percussisti superbum*; id est diabolum, separando eum à consortio bonorum angelorum. Esaias iterum: *Dominus sicut fortis egredietur sicut vir præliator suscitabit cœlum, vociferabit & clamabit, & super inimicos suos confortabitur.* Item dicit Esaias: *Væ potentibus in Israel, quia non cessabit iracundia mea in eis & iudicium faciam de inimicis meis, & cremabo eos igne.* Item Esaias: *Induit se iustitiam sicut loricam & circumposuit galeam salutis capiti suo: & operuit se veste vindictæ, vt retribuat retributionem aduersariis suis.* Micheas etiam dicit: *Audite colles iudicium Domini aduersum populum eius.* Ezechias etiam dicit: *Immittam dicit Dominus, furorem super te, & iudicabo te secundum vias tuas, & dabo super te omnes abominationes tuas.* Ioel propheta locum iudicij denominat. *Exurgant* (inquit) *& ascendant omnes gentes in valle Iosaphat. ibi sedebunt in iudicio omnes gentes in circuitu.*

Recapitulatio omnium suprà dictorum.

ECce vidistis ad confirmationem & fidem Euangeliorũ Christi, testimonia prophetarũ, & legis testimonia, ex quibus declarauimus saluatoris Christi natiuitatẽ, & nomẽ & genus & patriã. Natiuitatem, passionem; & virtutes; curationes atque mira-

miracula; eius comprehensionem, flagella, palmas, & conspuitiones eius; crucis suspensionem; fellis & aceti potationem; crucem, & tituli crucis inscriptionem; sepulchrum eius; de inferno, de corporis sui incorruptione; de resurrectione carnis eius; de ascensione in cœlũ; de regno eius æterno, & de futuro eius aduentu ad iudicandum viuos & mortuos.

Item de eodem loquitur author.

DE cætero congruum esse conspexi; de circuncisione Iudæorũ, & de sabbathorũ superuacua obseruatione ostendere, ad Iudæorum & omnium hæreticorum confusionem: inde scribere & ad sanctæ Ecclesiæ defensionem & gloriam.

Scribam etiam breuiter de ritu sacrificiorum, quia locum & tempus non habet hodie. Scribam quia vetus Testamentum propter gentes datum est, ita vel magis quàm pro Iudæis. Scribam de vocatione gentium ad gratiam: vt in omnibus accipiamus nostræ fidei firmitatẽ, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi.

Quòd temporale sabbathum & obseruantia eius reprobata est.

NOmine sabbathi vsurpant sibi Iudæi, sed, quid ipsum sabbathum valeat, ignorant. Legem carnaliter custodiunt, cùm tota sit spiritualiter inspicienda; dicente Deo per Dauid: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.*

Si igitur lex & Prophetæ, in parabolis & in ænigmatibus constat, non est carnaliter accipienda, sed spiritualiter. Ocia enim sabbathorum carnalia, & à Domino & à sanctis patribus euacuata sunt, & dissoluta.

Si enim crimen esset in sabbatho operari, Deus Pater in sabbatho nollet operari. Sed operatus est Deus in sabbatho. Sic enim scriptum est in Genesi: *Compleuit q́ Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Ergo in principio sabbathum ab ipso Deo solutum est, quoniam operatus est in ipso, explens omnia in sabbatho, & benedicẽs sabbatho, quia in eo compleuit omnia.

Item, si crimen est in sabbatho operari, quare Iosue successor & discipulus Mosis, septem diebus circuiit Hiericho cum arca Domini, cum toto exercitu, cum armis & tubis & buccinis & clangoribus: & destruxit Hiericho: quũ infra illos septem dies certum sit fuisse sabbathum, in quo nemo tunc ibi requieuit?

Item Machabæi, communi consilio & consensu omnes decreuerunt pugnare die sabbathi. In sabbatho etiã de hostibus triumphauerunt.

Ex istis testimoniis cognoscimus, quòd in isto elementario die sabbathi operari non est peccatum. Nec istud diurnum sabbathum spectat ad fidem, sed spirituale illud, quod veram requiem significat. Nam hoc carnale gaudium non est datum propter purificationem, sed propter tentationem, dicente Domino in lege: *Vt tentem eos, vtrum ambulent in viis meis, an non. Sex diebus colligetis manna, septimo non colligetis.* Itaque quum dicit; *Vt tentem eos:* apparet sabbathum non fuisse præceptum propter iustificationem, sed propter tentationem. Item dicit Dominus per Ezechielem prophetam; *Dedi eis præcepta non bona.* Et iterum: *Cessare faciam omne gaudium eorum & sabbathum.* Item dicit: *Neomenia & sabbatha vestra odit anima mea.* Itaque si obseruanda sunt sabbatha, cur Deus ea cessare mandauit? & si bona sunt, quare sabbatha Deus odit?

Iudęi autem sic obiiciunt: Dominus dixit eis, Memento vt diem sabbathi sanctifices: sex diebus operaberis: septimo autem die, sabbathum Domini Dei tui est, nõ facies omne opus in eo. Nos autem sic determinamus: In eo opere sex dierum, sex milium annorum opera demonstrantur. Mille autem anni apud Deum, vnius diei spatio comparantur: sicut ait Dauid; *Quoniã mille anni ante oculos tuos, tanquam dies vna.* Horum sex milium annorum sabbathum, est millesimi septimi anni tempus, & requies futuri regni ac seculi, vbi non erit vlla operatio rerum, sed requies sola sanctorum.

Quæritur quare dixit Hieremias: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondus in die sabbathi, nec inferatis per portas Hierusalem, & nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbathi?* Intelligẽda sunt omnia ista figuraliter. Scripta sunt autem ad correctionem. Ille enim pristinus carnalis homo, qui diem sabbathi violare visus est dũ ligna colligeret, propter quod est punitus: significat formam eius, qui in die iudicij fuerit inuentus cũ opere carnali, id est, contraxisse ligna, fœnum, stipulam ad escam.

ignis conuenientia: ista colliget in suam perniciem, quum in vltimo die fuerit iudicatus, pellendus ab Angelis, & morte puniendus æterna.

De escis non repudiandis secundum Iudæos.

FActus est sermo Domini ad Heliam prophetam, dicens: *Surge & vade in Sarepta Sydoniorum, & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ vt pascat te.* Et surrexit, & abiit in Sareptam ad portam ciuitatis, & accepit à vidua escam, & manducauit. Tunc Helias, iussu Domini, vasa eius repleuit, & apud ipsam alienigenam hospitatus est, & escis gentilibus apud eam vsus est. Notandum igitur, quia Helias cibis gentilibus nunquam vesceretur, nisi lex spiritualiter data fuisset. Immunda enim animalia, mores hominum immũdorum significant.

Quòd vetus Testamentum non propter Iudæos tantùm, sed propter gentes datum est.

DAuid propheta dicit: *Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Item Dauid: *Ad annunciandum brachium tuum, generationi omni quæ ventura est.* Esaias etiam dicit: *De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Iudicabit Dominus gentes, & arguet populos multos vsque in longinquum.* Item in Psalmis: *Magnificabit Dominus facere cum eis, magnificabit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* His testimoniis manifestatur vetus Testamentum, prius datum esse Iudæis, deinde gentibus esse concessum. Quod propterea datũ est in typum, quia in eo poterant cognoscere Christum, quem Iudæi mente cæcati non intelligunt.

Quòd Iudæi non possunt intelligere literas Christi, nisi prius credant.

ESaias dicit: *Si non credideritis, non intelligetis.* Iustus enim ex fide viuit. Propterea Abraham factus est pater multarum gentium, quia credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

De circuncisionis abominatione.

DIlexit Deus Abraham ante circuncisionem, nec præcepit eum circuncidi, nisi postquàm Isaac filius eius natus est, & postquàm promisit ei, dicens: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam maris.* Tunc iniunxit ei circuncisionem tanquam signum characteris, vt per hoc signum inter alias nationes admixti & dispersi cognoscerẽtur. Cùm enim in deserto per quadraginta annos fuissent, quia tunc gentibus non erant admixti, ideo Dominus non præcepit eos in deserto circuncidi. Sed postquàm transierũt Iordanem, & fuerunt inter gentes, tunc Iosue circuncidit eos.

Quia verò iam gentes crediderunt in Christum, non indigent circuncisione carnis, sed vitiorum in corde. Quam cordis circuncisionem prædixit Moses filiis Israël, dicens: *In nouissimis diebus circuncidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui.* Vnde & Hieremias præuidens illud tempus esse proximum, in quo corda, non præputia circuncidi debent, prædicat dicens: *Circuncidimini Domino Deo vestro, & auferte præputia cordium vestrorum, Viri Iuda & habitatores Hierusalem, ne fortè ingrediatur, vt ignis, indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* His verbis admonetur Israël, recedere à vetustate circuncisionis & legis, & ad gratiam noui Testamenti transire, & cordis circuncisionem tenere. Vnde Dominus per Esaiam: *Ecce nouam faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, & plebem meam, quam acquisiui.* His verbis quis aliud intelliget, nisi baptismatis factam purificationem?

Quòd Deus reprobauit sacrificia Iudæorum.

IAm de sacrificij reprobatione, quòd victimæ Iudæorum abiectę sunt, & in abominationẽ Dei transierunt: Dominus dicit per Esaiã: *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? dicit Dominus, Plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium. Sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, quum veneritis ante conspectum meum. Quis quæsiuit hæc de manibus vestris? vt ambularetis in atriis sanctis meis? Ne afferatis vltrà sacrificium frustra. Incensum vestrum, abominatio est mihi. Neomœnias, & sabbatha vestra, & alias festiuitates vestras, non feram. Iniqui sunt cœtus vestri Israël, & festiuita-*

uitates vestras odiuit anima mea, & factæ sunt mihi molestæ. Laboraui sustinens, & quum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & quum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Item ipse Dominus per Esaiam: *Facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum*; id est sacrificia eorum. Morticina enim sunt veteris legis sacrificia, quæ apud Dominum iam tanquam stercora abiecta reputantur. Vnde idem Esaias in alio loco dicit: *Qui immolat bouem, quasi qui interficit virum. Qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem. Qui offeret oblationem, quasi offerat sanguinem suillum*; id est porcinum. *Qui recordatur thuris, quasi adorat idolum.* Item Hieremias de sacrificio Iudæorum: *Vt quid mihi offertis thus de sabba? & calamum suaue olentem, de terra longinqua? Holocaustomata vestra non sunt recepta, & victimæ vestræ non placent mihi. Propter hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filij simul. Vicinus & proximus peribunt.* Ioel propheta similiter dicit: *Interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.* Malachias propheta etiam dicit: *Non est mihi voluptas in vobis, ait Dominus. Et munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offeretur & sacrificabitur oblatio munda, in nomine meo, ait Dominus exercituum.* His igitur Prophetarum testimoniis patet; sacrificia Iudæorũ esse immunda, sed gentium oblationes apud Deum esse acceptas.

Quòd Iudæi scripturas veteris Testamenti non intelligunt.

OMnia sacramenta, scripturarum significationes & figuras habent. Iudæi autem ea non intelligunt quæ legunt. Sicut loquitur Dominus ad eos per Prophetam: *Dic (inquit) populo huic; Non audietis & non intelligetis, & cernentes non videbitis, & non scietis. Incrassatum est enim cor populi huius.* Et iterum: *Auferet Deus à Iuda & Hierusalem, validum & fortem, iudicem & prophetam, sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.* Ista certè omnia abstulit ab eis Deus, & clausit ab eis sacramenta mystica, secundum duritiam cordis eorum, vt non intelligant. Esaias enim dicit: *Erit visio vobis sicut vmbra libri signati & clausi, quem quum dederit scienti literas, dicet; Lege istud: & ille respondebit; Non possum: signatum est enim.* De gentibus verò adiecit Dominus, dicens per Esaiam: *In illa die, audient surdi vmbram istius libri, & oculi cæcorum videbunt.*

Ex his omnibus patet, quia patefacta sunt gentibus mysteria legis, & Iudæis sunt clausa. Sicut dicit Daniel: *Clausi & signati sunt senes, vsque ad tempus consummationis, quousq; impleatur visio, vt cognoscant omnia hæc.* Item attende lector: Mosi facies tegebatur, cùm descendisset de monte cum tabulis. Vnde significatur populus Iudaicus excæcatus, vt legem non videat, nec intelligat, quia velamen Mosis tetigit corda eorum.

Quòd Deus duo Testamenta dedit in mundo.

QVod autem duo Testamenta, vetus scilicet & nouum, hominibus à Deo sint tradita, Salomon in Canticis canticorum declarat dicens: *In vineis sunt poma omnia, noua & vetera:* de quibus Dominus Christus dicit; *Simile est regnum cælorum homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & vetera.*

Quòd euacuato veteri Testamento, dandum erat nouum Testamentum.

ESaias dicit: *Ecce ego facio noua. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones, quia dedi in deserto viam, & in inuio flumina.* Istis vaticiniis vult, nos veteris legis obliuisci, & nouam legem suscipere. Nouam enim demonstrat, cùm dicit: *In inuio flumina, & in deserto viam*; & glorificatur in gentibus, quæ erant tanquam bestiæ agri: *sine doctrina populum acquisitum*, dicit hunc mundum in æternum contra Israël. Vnde subiunxit; *Non me inuocasti Iacob, neque libasti.*

De noui Testamenti promissione dicit Esaias: *Quæ prima fuerunt, ecce veniunt. Noua quoque annuncio, antequàm veniant.* Item per Hieremiam prophetam promittit nobis Dominus nouum Testamentum dari, & vetus Testamentum euacuari. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iacob & domui Iudæ fœdus nouum? non secundum pactum quod pepigi*

cum patribus vestris, in die quando apprehendi ego manum eorum, vt educerem eos de terra AEgypti, pactum quod irritum fecerunt. Sed hoc est pactum quod feriam cum domo Israël. In his dictis, facta est manifesta commemoratio noui Testamenti nobis dandi, & veteris auferendi. Dicit item Propheta: *Hoc est Testamentum quod ordinabo domui Israël per dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam scriptam in mentibus eorum, & in cordibus eorum;* non in tabulis petrinis scilicet, sed secundum interiorem hominem, remota vetustate carnalis operationis; vbi carnalia tantummodo eis promissa sunt. Nobis autem spiritualia & cœlestia per nouum Testamentum promittuntur in gloria ventura, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Item dicit Esaias: *Lux à me exibit, & iudicium in lucem gentium.* Per hæc verba ostendit; nouum Testamentum commune esse Iudæis & gentibus; Osea propheta testante: *In die illa dicit Dominus, vocabit me vir meus. Non vocabit me vltra Balaham. Percutiam fœdus in die illa cum bestiis agri, & cum volucribus cœli, & cum reptilibus terræ, & conteram arcum, gladium & bellum, & dormire eos faciam fiducialiter. Sponsabo te mihi in æternum in iustitia & iudicio, in misericordia & miseratione & fide: & scies ecclesia mea, quia ego Dominus.*

Quòd non per circunciſionem, ſed per baptiſmum promiſſa fuit olim remiſſio peccatorum.

QVòd per baptiſmum fieret purgatio peccatorum futura, non per circunciſionem, quæ fuerat in forma baptiſmi: ſcripturarum voces ad ipſum apertè declarãt. De quo baptiſmo Eſaias ait: *Hauritis aquas in gaudio de fontib. Saluatoris.* Quibus verbis in ipſum ſaluatorem Propheta oſtẽdit, de cuius fonte aquas prędicationis prædicat hauriẽdas, id eſt de fontibus Ieſu. Hoc enim nomen Hebraicum, Saluator dicitur. Vnde & ipſe Ieſus clamat: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Item de baptiſmo per Ezechielem prophetam Spiritus ſanctus prædixit ſic: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ioel etiam propheta dicit: *Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac per omnes riuos: inde fluent aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit omnem terram;* id eſt omnes gentes. Zacharias de hoc fonte ait; *In die illa, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutione peccatorum, & menſtruatorum.* Nota lector; Quis eſt iſte fons patens, niſi in quo omnes renaſcuntur, & per quem peccatorum purificantur delicta & ſordes menſtruatæ? id eſt immundam animam ſaluari, quæcunque lauacro abluitur.

De quo fonte Ioel propheta dicit: *Erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Hieruſalem. Medium earum ad mare Orientale, & medium ad mare nouiſſimum. In die illa erit Dominus vnus & nomen eius vnum, & reuerretur omnis terra, vſque ad deſertum.* Aquæ igitur iſtæ viuæ, non aliud quam baptiſma demonſtrant, quod hominem infuſione ſancti Spiritus viuificat. Quid aliud eſt: *Exibunt aquæ de Hieruſalem?* niſi quia Dominus de Hieruſalem cum diſcipulis ſuis exiens, ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Quòd autem pars aquarum media dirigitur in partes Orientales, intellige hoc ad populum circunciſionis. Medium autem ad mare nouiſſimum, intellige ad populum gentium: vt omnibus ſitientibus aquas ſuas Dominus largiatur, tam Iudęis quàm gentibus quæ in Chriſto credunt.

De iſtis aquis adhuc per eundem Ioel prophetam dicitur: *Quòd egredientur de domo Domini, & creſcent in fluuium, & pergent ad ſolitudinem, ſiue ad mare mortuum, & omnia ad quæcunque venerint, viuificentur, atque ſanentur.* Item idem propheta: *Conuerti me ad portam domus Domini, & ecce aquæ egrediebantur ſubtus limen domus Domini, & ecce ad Orientem ibant.* Facies enim domus Domini reſpiciebat ad Orientem, & ecce aquæ redundant, ſtatimque aquæ antecedebãt ad latus templi. Poſtremum ad meridiem, ad meridianum altare, à dextro, id eſt ab vndecimo latere.

Deinde dicit: *Traduxit me per aquas, & ait ad me: Aquæ iſtæ quæ egrediuntur Orientales, & deſcendunt ad plana deſerti, vtique ad gentes, intrabunt mare, & exibunt, & ſanabuntur. Atque omnis anima viuens, quæ reſpicit quocunque venit torrens, viuet, & erunt piſces multi ſatis;* id eſt renati. Et adiecit Propheta: *Poſtquàm fuerint aquæ illæ, ſtabunt ſuper illas piſcatores.* Hi ſunt apoſtoli, atque doctores. *Plurimæ ſpecies erunt piſcium*

scium eius: hoc est, ad significandam veritatem gentium, ad vndam lauacri venientium.

Vnde iterum adiecit: *Sicut pisces maris magni, multitudines nimiæ, in ripis eius vtraque parte, omne lignum pomiferum, & non deficiet folium ex eis, & non deficient fructus eius per singulos menses. Afferte primitiua, quæ de sanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum, & folium eius ad medicinam.*

Micheas quoque propheta de baptismi sacramento sub figura transitus maris, ita reuelat, dicens: *Secundum diem transgressionis suæ de AEgypto, ostendam eis mirabilia:* Deinde hostes nostros sequentes, id est peccata nostra præterita, tanquam Ægyptios in mare proiectos, ita & in baptismo deleta, atque submersa & extincta, iuxta illud Prophetæ dictum: *Quoniam miserebitur conuertetur, & miserebitur nostri, demergétque delicta nostra, & proiiciet in profundum maris peccata nostra.* Quid enim clarius est hoc testimonio? quidve apertius? Omnis verus Israël exiit de Ægypto per fidem, dum renunciat seculo, ingreditúrq; mare rubrum, scilicet baptismum, Christi cruore signatum. Tunc etiam hostes se persequentes intereunt, quia delicta moriuntur, vbi animæ in regeneratione resurgunt.

Legimus etiam Aaron in præfiguratione baptismi, aquis ablutum, eiusque filij paterni sacerdotij participes, etiam aquæ purificatione sanctificantur. Iam tunc quidem purgatio illa, baptismi formam gerebat, cuius nunc lauacri sacramento abluitur omnis populus Ecclesię, in remissionem peccatorum.

Esaias autem propheta, inter alia ostendit; nequaquam posse delicta Iudæorum dimitti, nisi abluti fuerint à baptismo. Vnde ait: *Lauamini, mundi estote.* Pro omnibus quippe victimis, quas memorauerat idem Propheta: pro cunctis neomeniis, & sabbathis, atque aliis solennitatibus, solam baptismi purificationem præcepit: pro cunctis quoque inquinamentis peccatorum, solum lauacrum, quo tantùm peccata abluuntur, solummodo quæsiuit.

Quòd chrismate omnia sanctificantur per Christum.

QVòd omnia sanctificantur chrismate, loquutus est Dominus ad Mosen: *Sume tibi aromata prima, & oleum de oliuetis, faciésque vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum, & vnges ex eo tabernaculum Testimonij, & arcam Testamenti, mensamq; cum vasis suis. candelabrum & vtensilia eius. altaria thymiamatis & holocausti, & vniuersa quæ ad cultum eorum pertinent. Sanctificabisq; eos, vt sacerdotio fungantur: & filiis Israël dices: Oleum vnctionis sanctum erit mihi.* Ecce figura illius tabernaculi, ad typum Ecclesiæ, hodie ducitur: cuius omnium populorum diuersitas perungitur in testimonium sanctitatis. Quæ vniuersalis vnctio, per illam vniuersitatem operum figurabatur, vt sacri chrismatis vnctione delibuti, omnes sanctificarentur; & sanctificati, ad gloriam Dei præparentur.

Quòd credentes in Christo per signum sanctæ crucis saluarentur.

FIguram sanctæ crucis, in frontibus fidelium designandam, per Ezechielem prophetam legimus prænunciatam. *Vocauit (inquit) virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis, & dixit ei: Signa thau in frontes virorum gemẽtium & dolentium, super cunctis abominationibus quæ sunt in medio eius.* Et post hæc adiecit; *Transite per ciuitatem, & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentem, & virginem, parvulum, & mulierem interficite, vsque ad internecionem. Omnem autem super quem videris thau, ne occidas.*

Quòd litera Hebraica thau, ostendit speciem & formam crucis.

INtelligere oportet (ô lector) nos hanc sententiam. Thau litera propriè ostendit speciem, & formam crucis, cuius signaculo prænotati sunt, quicunque ab exitio huius seculi liberantur. Eiusdem signi typum, præfigurabat in Ægypto signaculum sanguinis agni immaculati. Quo imaginariè postes, id est frontes corporis nostri signantur: vt meritò dicamus: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* De hoc signo dicit Esaias ex persona Domini: *Ecce, venio vt congregem de omnibus gentibus & linguis, &*

venient & videbunt gloriam: & ponam in eis signum crucis. Et alibi scriptum est: *Erit (inquit) Dominus notus per lignum æternum, quod non auferetur.* Hoc lignum esse intellige sanctæ crucis. Vnde ait Dauid in psalmis: *Dicite in nationibus, quoniam Dominus regnauit à ligno.*

Quòd panis & vini sacramentum futurum erat pro holocausto.

QVòd panis & calicis sacramentum, Deo placitum esset, loco & virtute holocausti, Scripturarum testimoniis demonstrabimus. Huius sacrificij præfiguratio primo tempore in sacerdotio Melchisedech fuit incœptum & prefignatum.

Melchisedech autem sacerdos Dei excelsi, cùm benediceret Abrahæ, ob mysterium futuri holocausti, panem & vinum obtulit Domino in sacrificium. Hoc enim ille primum in typo filij Dei Iesu Christi expressit.

Dauid etiam ex persona Dei Patris sic dicit: *Ante luciferum genui te; Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Christus enim tempore suæ passionis cùm cœnaret cum apostolis, impleuit illud tale sacrificium secũdum Melchisedech. Hoc etiam apostolis in suam commemorationem fieri iussit. Has ergo victimas Iudaicas, quales Aaron obtulit, hodie offerunt credentes, sicut idem Melchisedech, rex Salem, immolauit; id est panem & vinum, quod est corporis & sanguinis Domini verissimum sacramẽtum. De quo idem Dominus ait: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.*

Salomon etiam de figura huius sacramenti sic ait: *Sapientia ædificauit sibi domum, & excidit sibi columnas 7. Immolauit victimas suas. Miscuit vinum suum. posuit mensam suam. Misit seruos suos, dicens: Si quis est paruulus, veniat ad me. & insipientibus loquitur: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum meum quod miscui vobis. Derelinquite insipientiam & viuetis, & ambulate per vias prudentiæ.* Dei autẽ sapientia Christi mensam constituit, in qua mactauit & obtulit hostiam sui corporis & sanguinis. In quo miscuit vinum sui sanguinis in calice diuini sacramenti. Mensa autem præparata est altare Domini. Misit etiam Christus seruos suos apostolos atque doctores, ad insipientes, id est ad omnes gentes, quæ verbum Dei ignorabant, & dixit eis: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinũ meum, quod ego miscui vobis:* id est sancti corporis Christi poculum percipite: cuius quidem gratia gentes sumunt. Iudæi autẽ non meruerunt. Vnde Esaias: *Hæc dicit Dominus: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ cõstrictione spiritus vlulabitis, & dimittetis nomen vestrum, & seruos meos,* id est Christianos *vocabitis nomine alio.* In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino amen. Interficitur enim Israël; succedit & gentium populus; tollitur vetus Testamentum, redditur nobis nouum, cùm datur nobis salutaris gratia, & poculum sanguinis Christi. Illis quoque fame ac siti arescentibus, mutatur ex nouo populo nomen aliud, scilicet Christianum, & omnia quæ sunt gesta, resonant gratiæ nouitatem.

De vocatione gentium ad fidem.

DAuid propheta dicit: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius omnes patriæ gentium.* Esaias autem dixit: *Gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Et iterum Esaias: *Congregamini, & venite & accedite simul, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non est alius, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua. In memetipso iuraui, dicit Dominus, egredietur de ore meo verbum, & non reuertetur ad me vacuum,* quoniam in fines terræ dilatabitur ecclesia Dei. Vnde Esaias prædixit: *Lauda sterilis quæ non paris. decanta laudes, quæ non pariebas: quoniam multi filij deserti, magis quàm eius quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: & sanctum tuum gentes hæreditabunt, & ciuitates desertas inhabitabunt.* Et iterum: *Quæsierunt me, qui non interrogabunt: Inuenerunt qui non quæsierunt me.* Et iterum dicit: *Ecce ego ad gentes quæ non inuocabunt nomen meum expandi manus meas ad populũ credulum. Quæsierũt me gentes quæ nõ interrogabãtur;* quia scilicet ad eos propheta non venerat, neque illis Christum nunciauerat.

Cuius

Cuius ergo populi sunt istæ promissiones, nisi gentium quæ requirunt Deum? Et quis est populus de quo ait: *Expandi manus meas ad populũ incredulum*, nisi perfida synagoga Iudæorum? Sequitur: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis*; quia scilicet nesciẽt panem verbi Dei. Vocato ex gentibus populo, Iudęa ieiunio aresçit. Iterum idem dicit: *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Et iterum: *Venio vt congregem ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, & venient, & videbunt gloriã meam, & ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mari, & in Libya, & in Aphrica, tenentes sagittam*, id est velocem verbi prædicationem. Hieremias etiam dicit: *Congregabuntur omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem, & non ambulabunt post prauitatem cordis sui.* Item Hieremias: *Iurauit Dominus in virtute & in iudicio, & benedicent eum omnes gentes, ipsumq; laudabunt.* Hieremias iterum de vocatione gentium: *Dominus* (inquit) *fortitudo mea, ad te gentes venient ab extremis terræ. Et dicent: Verè mendacium possederunt patres nostri.* Rursus Hieremias ad populum Israël: *Audite vocem tubæ.* Et dixerunt: *Non audiemus.* Oseas propheta dicit: *Miserebor eius, qui fuit sine misericordia: & dicam in populo meo; Populus meus es tu, & erit in loco vbi dictum est ei: Non plebs mea vos. Ibi etiam vocabuntur filij Dei viui.* Item dicitur in Sophonia: *Reddam populis labrum electum, vt vocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei, & post hæc adorabit me de loco suo, & omnes insulæ gentium adorabunt me.* Micheas etiam ait: *Erit in nouissimis dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes populi, & properabunt omnes gentes & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hierusalem, & iudicabit populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum.* Item Zacharias de ecclesia gentium: *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, & scies, quia Dominus Deus exercituum misit me ad te, vsque quo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & vadant habitatores vnus ad alterum dicentes: Eamus & deprecemur faciem Domini: & quæramus Dominum Deum exercituum; vsquequo veniant populi multi, & gentes robustæ, ad quærendum Dominum Deum exercituum in Hierusalem.*

Quòd omnibus hominibus mandatum est credere in Christum, ex authoritate sacræ Scripturæ.

PAtriarcha Iacob in benedictionibus patriarcharũ, dixit: *Non deficiet princeps de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est. Ipse erit expectatio gentium.* Dauid in persona Christi ait: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam & terminos terræ.* Et iterum Dauid dixit: *Constitues me in caput gentium, populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Et Dauid ait: *Ante Solem permanet nomen eius, & ante Lunam sedes eius, & benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes seruient ei: & dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen eius in gentibus.*

Iesus à flumine Iordane vbi baptizatus est à Iohanne, dominandi sumpsit exordium, & inde peruenit per fidem in gentibus, vsque ad terminos terræ. Item Propheta: *Leuabit lignum in nationibus procul, & sibilabit ad eum populus de finibus terræ.* Vnde alibi scriptum est: *Ego Dominus vocaui te iustitiam tuam, & apprehendi manum tuam, & seruaui te in fœdus populi, in lucem gentibus, vt aperires oculos eorum, & educeres de conglutione vinctos, de domo carceris sedentes in tenebris.* Vnde Dominus in alio loco dicit: *Educam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem.* Item de Christo: *Ecce seruus meus, suscipiam illum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium proferre gentibus. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur foris vox eius. In veritate educet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius insulæ expectabunt.*

Intellige ô lector, Christus ex susceptione carnis humanæ, seruus est factus patris: ad Iudæos veniens, non est receptus. Ipse iudicium in gentibus protulit.

Quale iudicium? vt ex fide ſcilicet iudicarentur omnes. Eius vox non audietur foris, hoc eſt in hæreſibus,& Iudęis extra eccleſiam Dei poſitis.

Item de ipſo Chriſto in Eſaia: *Ecce intelliget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde, & inter Angelos aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Sicut ait Dauid: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Per prophetam Aggęum Dominus de Chriſto in gentibus regnaturus,ſic dicit: *Spiritus meus erit in medio veſtrûm. Nolite timere, quia hoc dicit Dominus: Adhuc modicum & ego commouebo cœlum & terram, mare & aridam, & vocabo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Hanc prophetiam nemo fidelis de Antichriſto intelligat. Gentes enim eum non deſiderant, neque deſiderabunt, ſed ſoli miſeri & impij & increduli Iudæi,eum expectabunt.

Quòd regnum Chriſti manet in æternum.

DAniel dicit: *Videbam viſionem noctis, & ecce in nubibus cœli,quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius oblatus eſt, & ipſi datus eſt principatus & honor & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ſeruient ei. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Per hoc teſtimonium probatur Chriſtum à Deo Patre ita accepiſſe dominationem & regnum, vt poteſtas eius ſit æterna. Daniel affirmat hoc,dicens: *In diebus illis,ſuſcitabit Dominus cœli regem, qui in æternum non commouebitur, & regnum eius populo alteri non dabitur, & percutiet & conteret vniuerſa regna, & ipſius ſolium ſtabit in æternum.* Eſaias ait: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Dauid etiam addidit dicens: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec extollatur Luna*, id eſt vſque ad conſummationem ſeculi.

Vterque populus,Iudæus & Gentilis,vocatur in regnum Chriſti.

ESaias dicit: *In die illa nutriet homo vaccam boum, & duas oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum.* Vacca boum, eſt plebs ex ſemine patriarcharum: oues duæ, ſunt eccleſiæ venientes de gentibus: & idcirco duæ oues & vna vacca, ſunt eccleſiæ ex gentibus: homo autem nutrit eam, ipſe Chriſtus, eſt qui dicit per Hieremiam: *Conuertimini ad me filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego iterum aſſumam vos de ciuitate, & de cognatione, & dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia atque doctrina.* Ciuitatem hanc intelligamus Iudæam, ſiue Hieruſalem. Cognationem verò, gentes. Paſtores autem, apoſtolos vel eccleſię doctores, Chriſti gratiam prędicantes. Sicut Hieremias Iudæos Chriſto ſeruire proclamat,dicens: *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum meum de collo tuo, & vincula illius disrumpam, & ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo, quem ſuſcitauit eis.* Item Ezechiel, Chriſtum ſub perſona Dauid ſuper vtranque gentem regnaturum prædicat. *Rex (inquit) vnus erit, omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius duo regna, nec polluentur amplius in viis ſuis, & ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus ſuis, in quibus peccauerunt, & mundabo eos: & erunt mihi populus, & ego eis ero Deus.*

Daniel autem propheta poteſtatem Chriſti, non ſolùm ſuper gentes,ſed & ſuper Iudæos à Deo patre datam deſcribit, dicens: *Data eſt ei poteſtas & honor, tribus & linguæ ſeruient ei.* Quæ linguæ ſunt iſtæ, niſi gentiũ nationes? Micheas etiam propheta originem Chriſti declarat dicens, cùm eum ſuper Iſraël dominaturum cognouit: *Et tu Bethlehem domus Ephrata, non es minima in millibus Iuda. Ex te mihi prodibit dominator Iſraël. Stabit & paſcet gregem in virtute nominis Dei ſui, & magnificabitur vſque ad terminos orbis terræ, & erit iſte, pax.* Amos quoque propheta dicit: *Præpara in occurſum Domini Dei tui Iſraël, quia ecce ego conſummans tonitruum, & creans ſpiritum, & nuntians hominibus Chriſtum ſuum.* Zacharias autem dixit: *Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, & aſcendet ſuper pullum aſinæ, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Quæ prophetia, quomodo in Chriſto completa fuiſſet, Euangelia ipſa teſtantur.

Quòd Iudæi in Chriſtum non erant crediturí.

Moſes

MOses legislator pronunciat Iudæorum incredulitatem. *Erit* (inquit) *Israël vita tua pendens ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Vnde & Esaias: *Domine, quis credet auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et vidimus eum, & non erat aspectus.* His verbis demonstrat, quòd Iudæi Christum videntes non receperunt. Quem quia neque credere, neque cognoscere potuerunt, subiungit de excidio eorum dicens Hieremias sic: *Ascendite muros eius, & dissipate: auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Prævaricatione prævaricata est in me domus Iuda, ait Dominus. Negauerunt me, & dixerunt: Non est ipse: expectantes alium; qui est Antichristus.* Vnde Iesus Christus dicit: *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me. Alius veniet in nomine suo, & recipietis eum.* Item Hieremias: *Sermo Domini factus est in opprobrium, & non receperunt adhuc.* Dauid autem dum gentes crederent, dixit: *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* De Iudæis autem dicit: *Filij alieni mentiti sunt mihi. Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.*

Qui sunt alieni? Certè Iudæi. Pro eo quòd ipsi in perfidia permanentes, ab æternæ vitæ præmiis abdicati sunt. Quæ præmia nobis à Christo promittuntur. Ad hęc etiam Esaias ait: *Audite audientes, & intelligite. Videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures aggraua, & oculos claude: Ne fortè videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos.* Item alibi dicit: *Tota die extendi manus meas ad populum non credentem mihi: qui ambulant vias non bonas.* Hieremias ait: *Oculi sunt illis, & non vident: aures sunt eis, & non audient.* Et iterum: *Populo huic factum est cor inobediens & incredulum. Verbum enim meum proiecerũt, & sapientia nulla est in eis.*

Quòd Christus à Iudæis erat recessurus propter eorum duritiam & incredulitatem.

HIeremias ex persona Iudæorum dicit: *Tibi peccauimus, expectatio Israël, Saluator noster. Quare sicut extraneus factus es in terra? & quasi viator declinans in nobis?* Ex his verbis accipitur, quia Christus recessurus erat à Iudæa. Item alibi: *Quare sicut colonus futurus es in terra, citò recessurus?* scilicet à Iudæa. Alibi etiam ex persona Christi dicit idem Hieremias: *Quis dabit mihi in solitudine diuersorium viatorum, & relinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum, & extendunt linguam suam quasi arcum mendacij & non veritatis.* Diuersorium illud intellige, ecclesiam gentium, ad quam diuertit Christus in solitudine, à Iudæa recedens.

Quòd Iudæi propter peccatum suum dispersi sunt per orbem.

ESaias dispersionem Iudæorum sic prænuntiat: *Ipse redemit eos, & eleuauit cunctis diebus seculi. Ipsi autem ad iracundiam eum prouocauerunt, & respuerunt Spiritum sanctum eius, & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos.* Osea propheta sic dicit: *Væ eis, quia recesserunt à me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia: & recesserunt à me, & ego erudiui eos: & confortaui brachia eorum, & ipsi in me cogitationes mendacij cogitauerunt: reuersi sunt vt essent absque veritate, facti sunt quasi arcus dolosus: abiecit eos Deus meus, quia non audierunt eum in nationibus.* Esaias etiam dicit: *Propter scelus populi mei, percussus sum. Dabo impios pro sepultura eius.* Per Hieremiam Christus in sua passione sic dicit: *Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua: dedit nanque continuò vocem suam, & ideo odi eam. Et dixit: Congregamini omnes bestiæ: venite, & properate ad deuorandum.* Venerunt enim bestiæ agri, id est feroces principes gentium: & populi Iudęorum traditi sunt illis ad deuorandum. Vnde subiunxit in persona Christi: *Propter me exterminata est exterminio omnis terra eorum*; scilicet Iudæorum. Esaias prænunciauit exterminium & dispersionem Iudæorum, dicens: *Effudit Deus super populum suum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognouit: & succidit eum, & non intellexit.*

Quòd Hierusalem propter Christum dispersa est.

PEr Hieremiam sic prænunciat, dicens Dominus: *Abscondite muros eius, & dissipate. Auferte propagines eius, quia non sunt Domini.* Esaias etiam ait: *Et prouincia Iudæ concidit, quia linguæ eorum contra Dominum*; scilicet quando clamauerunt: Cru

cifige,crucifige.& quando dixerunt:Non habemus regem,niſi Cæſarem.

Dauid propheta etiam prędixit deſtructiones & calamitates Hieruſalem propter Chriſtum,ſic:*Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem & in ſcandalum. Effunde ſuper illos iram tuam,& indignatio tua comprehendat eos:ſiat habitatio eorum deſerta*; & in tabernaculis Iudæorum non ſit qui habitet, tanquã ciuis in Hieruſalem, vbi clamauerunt ipſi: Crucifige, crucifige. Item Daniel,poſt occiſionem eorum,prædixit deſtructionem Hieruſalem: *Muros Vrbis & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo*; id eſt, Romanus exercitus cum Veſpaſiano & Tito.

Quòd Iudæis à Deo repudiatis gentes vocandæ erant.

ESaias propheta ſic dicit: *Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus.* Ecce foras eiicitur Iſraël, non habens oculos & aures & terrenas promiſſiones, & collegerunt ſe in vnum diuerſitates gentium. Vbi ſcilicet illi cęcati & eiecti ſunt,iſti introierunt:& ad iſtos pertinet hæreditas,quæ illis fuerat repromiſſa.

Adiungit etiam Propheta: Quòd gentes in locum & ſedem Iudæorum ſucceſſuræ erant, dicens: *In diebus illis cantabunt canticum in terra Iuda, Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponet in ea muros & antemurale, aperiet portas, & ingredientur gentes,cuſtodientes veritatem. Venient,& ſeruabunt pacem, & in Deo ſperabunt, quia incuruabit, & vſq; ad terram deſtruet eam: vſq; ad puluerem coculcabit eam pes pauperis, & greſſus egenorum.*

His verbis intellige, humilitatem gentium ſucceſſiſſe in ſedem & locum, vnde ſuperbia Iudęorum ceciderat. Vnde idem Eſaias ad Iudæos exprobrandos dicit: *Dimittetur nomen & hæreditas veſtra electis meis*; ſcilicet gentibus. Ipſi autem vos interficient,& ſeruos ſuos vocabunt vos alio nomine. Ille populus meus benedicetur ſuper terram, benedicetur à Deo, amen. Et qui iurabit in terra,iurabit in Deo,amẽ. In terra,id eſt in carne Chriſti iurat:in qua quicunq; iurat,in Deo iurat.

Quòd Iudæi omnes, in fine mundi ſunt credituri in Chriſto.

OSea propheta dicit: *In diebus multis ſedebunt filij Iſraël ſine rege, & ſine principe, & ſine altari, ſine ſacrificio.* Deinde ſubiungit: *Et poſtea reuertentur filij Iſrael, & inquirent Dominum Deum ſuum, & regem ſuum, & credent in Domino, in nouiſſimis diebus.* Malachias etiam ante finem mundi, Eliam dicit ſic eſſe mittendum ad conuerſionem Iudæorum: *Ecce ego mittam vobis prophetam Eliam antequàm veniat dies Domini, magnus & admirabilis, & conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.* Eſaias dicit: *Tunc conuerſi videbunt*; videlicet credent in Chriſto, atque intelligentes ſanabuntur, & cognoſcent omnia. Secundum hoc etiam dicit Hieremias: *In nouiſſimis dierum agnoſcetis eam.* Sophonias etiam propheta ait: *Dabo vos in nomen & in laudem omnibus populis terræ, & conuertam captiuitatem veſtram coram oculis veſtris: dicit Dominus.* Ezechiel etiam dicit: *In nouiſſimis diebus inuitabo vos, & in nouiſſimo annorum veniam. Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & reducam vos in terram veſtram, & effundam ſuper vos aquam mundam,& mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & faciam vt in præceptis meis ambuletis: & iudicia mea cuſtodietis, & habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, & ſaluabo vos de vniuerſis inquinamentis veſtris.*

Quòd gentes prius, & Iudæi poſtea erant credituri.

VIdens Dauid quòd gentes præuenirent Iudæos in fide, ſic dicit: *AEthiopia præueniet manus eius Deo:* id eſt, prius, quàm Iudæa, credet in Chriſtum gentilitas, peccatis denigrata. Vnde Eſaias ait: *Cùm plenitudo gentium prius introierit, tunc omnis populus ſaluus fiet.* Et in Deuteronomio ſcriptum eſt: *Eritis in caput, incredulus autem populus in caudam:* quia in nouiſſimis conuerſi erunt Iudæi, mortuo prius Antichriſto.

Explicit tractatus ſuper omnes prophetias,quæ de Chriſto ſunt.

Iam

Iam incipiunt omnia nomina Prophetarum & patrum veteris Testamenti,& de origine & patria eorũ,& de prædicatione & morte & sepultura eorũ,& primùm de Dauid.

DAuid rex & propheta, de genere Iuda,filius Iesse, natus in Bethlehem, à Domino vocatus in regnum,in triumphis glorioſus, promptus ad pœnitentiam pro peccatis, velox ad veniam. Qui leonem &vrſum ſine gladio interfecit. Cithara ſua immundum ſpiritum depulit. Gigantes expugnauit. annis quadraginta regnauit. Vixit autem ſexaginta. Sepultus eſt in vrbe ſua Bethlehem, quæ alio vocabulo dicitur Ephrata.

De Salomonis vita & morte & ſepultura eius.

SAlomon vir glorioſiſſimus, omni ſapientia plenus, theſauris & militia ornatus,Deo dilectus, rex in Hieruſalem ſuper duodecim tribus Iſraël, quadraginta annis regnauit. Sepultus eſt autem ad patres ſuos in Rama,id eſt in Bethlehem.

De Elia propheta; origo,vita & finis eius.

ELias Thesbites ſacerdos,magnus propheta, habitator ſolitudinis, fide plenus,in ſancta meditatione aſſiduus,tyrannos interfecit, virtutum ſignis effulſit. Triennio clauſit à pluuia cœlum, & orante eo, rediit pluuia. Mulieris filium mortuum ſuſcitauit. Eius virtute farina hydriæ non defecit. Vas olei perpetuo fonte manauit. Eius verbo, ignis de cœlo ſuper ſacrificium deſcendit. Eius verbo,duo principes quinquagenarij, cum ſuis militibus combuſti ſunt. Ipſe Iordanem transiens cum melote ſua fluuium interrupit, & ſiccis pedibus tranſiuit. Ipſe in cœlum igneo curru raptus,aſcendit.

Item de Elia propheta,quomodo venturus eſt.

ELias iterum venturus eſt, ſecundum Malachiam prophetam, in fine mundi,præceſſurus Chriſtum, cũ magnis prodigiis, virtutibuſque ſignorum. Ita vt bellum gerat cum eo vel cum illo ſocio ſuo Enoch, qui cum eo venturus eſt: & occidet Antichriſtus eos. Cadauera quoq; eorum in plateis inſepulta iacebunt.

Deinde ſuſcitata eorum corpora erunt à Domino, & regnum Antichriſti plaga magna percutietur. Poſt hæc veniet Dominus, & interficiet Antichriſtum gladio oris ſui,& eos qui adorauerunt eum;& regnabit Dominus cum omnibus Sanctis ſuis in gloria ſempiterna, amen. Elias de tribu Aaron,cùm in vtero matris ſuæ eſſet in Galaad,Sobi pater eius ſomnium vidit, quod naſcente Elia, viri candidis vtentes veſtimentis inuoluebant eum candidis,& ei pro cibis ignem ad nutrimentum ſubminiſtrabant. Prophetæ autem Hieruſalem hoc ſomnium interpretantes, dixerunt patri eius: Ne timeas:erit enim natio eius lumen verbumq; ſcientiæ. ipſe enim iudicabit Iſraël in gladio & igne.

De Eliſæi prophetæ origine & vita & ſepultura eius.

HEliſæus propheta, interpretatur Dei mei ſalus. Heliſæus,Eliæ diſcipulus, ex oppido Amælmahad, ex tribu Ruben natus eſt: cuius ortu, aurea vitula in Galgalis mugitum dedit. eademque vox perſonuit in Hieruſalem. Tunc quidam propheta præſagium dixit:Hodie in Hieruſalem natus eſt homo propheta, qui eorum deſtruet idololatriam. Heliſæus,Elię ſpiritu gemino impletus, pluribus & maximis virtutum ſignis emicuit.

Heliſęus Iordanem in tranſitu ſuo refrenatis vndis,diuiſum flumen retrò conuertit. Heliſæus aquas Iericho, ſteriles ad fœcunditatem perduxit. Heliſæus inſultantes ſibi pueros tradidit beſtiis, quarum ſubitò ſunt dentibus deuorati. Heliſęus aquas ſanguineas in mortem hoſtium Iudæorum diſcurrere fecit. Heliſæus fœminam ſterilem verbo fœcundat;cuius poſtea filium mortuum ſuſcitauit. Amaritudinem ciborum temperat. Ex decem panibus hordeaciis centum viros ſaturauit, & fragmenta collegit. Naamã leproſum ſanauit. Securim ferream de fundo Iordanis ſupernatare fecit. Hoſtem Syriæ cæcitate percuſſit. Incredulo principi mortem in Samaria prædixit. Hoſtium innumerabilem multitudinem diſperſit. Mirabilem famem vnius diei ſpatio repulit. Cadauer hominis ſuſcitauit.

Heliſęi ſepulchrum in vrbe Sebaſta, vſque hodie venerabile apparet. Heliſęus duplicem ſpiritum habuit Eliæ,& dupliciter miracula fecit. Elias viuẽs,Heliſęus verò iam mortuus,mortuum ſuſcitauit. Elias

famem & ſiccitatem intulit populo: Heliſæus autem vnius diei ſpatio, populum à fame incredibili liberauit.

De Eſaiæ prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Eſaias filius Amos, qui interpretatur ſalus Domini. Amos propheta non eſt iſte quem patrem dicimus Eſaiæ: ſed eſt alius vir, eodem nomine nuncupatus. Amos enim propheta natus eſt de genere paſtorum, de oppido Hiechuæ.

Pater verò Eſaiæ, nomine Amos, vir nobilis fuit in Hieruſalem. Iſte vir fuit magnæ ſanctitatis. Eſaias ſemper nudo corpore & nudis pedibus iuſſu Domini conuerſabatur, in conuentu populi. Eſaiæ oraculo, rex Ezechias ſpatium 15 annorum à Domino obtinuit ad vitam, cùm iam eſſet moriturus.

Manaſſes corpus Eſaię, ſerra lignea per mediam lineam corporis ſecari præcepit. Narrant Iudæi cauſam quare occiſus eſt Eſaias; Primò, quia appellauit eos populum Sodomorum & principes Gomorrhæ; Altera cauſa fuit, quia cùm dixiſſet Dominus ad Moſen: *Non poteris videre faciem meam.* Eſaias dicere auſus eſt; *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Sepulchrum Eſaiæ eſt ſub quercu Ioel, ſecus decurſus aquarum.

De Hieremiæ prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Hieremias ex tribu ſacerdotali, natus in vico qui dicitur Anatat, qui eſt tribus miliaribus ab Hieruſalem. Hieremias, ſacerdos in Iudęa poſitus, Propheta in gentibus conſecratus, antè quàm plaſmaretur, in terra eſt agnitus, & vt virgo permaneret, admonitus.

Hieremias puer cœpit prædicare, arguens populum in delictis, & hortans ad pœnitentiam. Ipſe autem à perfidæ plebis crudelitate frequenter afficitur, ligatur, & in carcerem mittitur. Proiicitur in lacum. Catenis cingitur. Ad vltimum autem in Ægypto apud Taphias à populo lapidatur: ſepultus eſt in loco, vbi Pharao rex Ægypti habitabat. Quia verò Ægyptij eius precibus à ſerpentibus fuerant liberati, ſepulchrum eius apud eos in magna veneratione tenetur.

De Ezechielis prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Ezechiel interpretatur fortitudo Dei, filius fuit Buzi, qui interpretatur deſpectus. Ezechiel ſacerdos, filius Buzi, genitus in terra Suſa, in typo Chriſti, filius hominis nuncupatur.

Ezechiel captiuus cum rege ſuo Ioachim in Babyloniam ductus ad concaptiuos ſuos, in Babylonia prophetauit, corripiens eorum offenſiones, & zelo Dei motus, cuncta eorum crimina & turpitudines arguens. Quem populus Iſraël dolo interfecit, pro eo quòd ſeueritate vel authoritate pontificali, ab eo corriperentur ob ſacrilegij impietatem. Sepultus eſt à populo, in agro Maurim, in ſepulchro Sem, filij Noë, & filij Sem, nomine Arphaxad. Tùc erat quinta ætas mundi.

De Danielis prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Daniel propheta interpretatur iudicium Dei, aut vir deſideriorum vel amabilis. Daniel de tribu Iuda, genere nobilis, de proſapia regum & ſacerdotum. Ipſe puer, cum rege Ioachim, cum tribus pueris in Babylonem tranſlatus eſt, & princeps omnium Chaldæorum effectus eſt. Vir glorioſus & aſpectu decorus, mente humilis, corpore caſtus, perfectus in fide, cognitor ſecretorũ, præſcius futurorum.

De Abdiæ prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Abdias propheta Solonitis, de ciuitate Eliæ, Solomon regi prędixit, quòd per mulierem à mandatis Domini declinaret. Sepultus eſt Abdias iuxta quercum in Silo.

Aggęi prophetæ origo & vita, & ſepultura eius.

Aggęus propheta, natus eſt in Samaria. Iſte eſt ille qui ad Hieroboam vitulos immolantem, miſſus, à Domino venit, eumque arguit immolantem. Alius autem propheta iuſſus ei in prædicatione tunc aſſiſtere, nõ aſtitit illi. Quem ad propria reuertentem leo ſtangulauit, quia ſocium fefellerat. Aggęus autem obiit, & ſepultus eſt in Bethlehem.

De Tobiæ prophetæ origine & vita, & ſepultura eius.

Tobias propheta interpretatur bona Dei, filius Ananię, de tribu Nephtalim, in

in ciuitate Chial, in regione Galilææ. Iſte captus à Salmanaſſar, exulauit in Niniue, qui per omnia iuſtus omnia ſua captiuis & pauperibus erogauit, mortuos aſſiduè ſepeliuit. caſu à ſtercore hirundinis cæcatus eſt, & tãdem à Domino viſum recepit poſt decem annos; & diuitias adeptus eſt à Domino. Sepultus eſt in Niniue ciuitate.

De tribus pueris Anania, Azaria, Miſaël, & de vita & morte eorum.

TRes pueri, ſtirpe regia clari, memoria glorioſi, ſcientia eruditi, fide pares, extinxerunt camini ardentis flammas & incendia. In medio ignis Deo hymnum cantauerunt. Sepulti ſunt ſimul ſub vno ſpecu, in Babylonia. Ipſi pueri in Hebræo vocati fuerant, Ananias, Azarias, Miſaël. Sed Nabuchodonoſor poſtea eos nominauit, Sidrac, Miſac, & Abdenago, quod eſt interpretatum laudabilis, glorioſus, & victor regnorum.

De Eſdra propheta, & vita & ſepultura eius.

ESdras ſacerdos Dei & propheta, interpretatur ædificatio Hieruſalem: quidam dixerunt eum Malachiam, id eſt Angelum Dei. Iſte ſacræ ſcripturæ reſtauratuit hiſtorias, alter lator legis poſt Moſen. Ipſe nanq; poſt captiuitatem, legem à gentibus Chaldæorum cõbuſtam renouauit: Hebraicarum literarum elemẽta inuenit. & ſcribere ſuos à dextra in ſiniſtrã docuit, quia prius antè & retrò ſicut oratores ſcribebant. Ipſe reduxit Iſraël, & reædificari fecit Hieruſalem. Ibiq; ſepultus eſt ipſe.

De Zorobabel, & Nehemiæ prophetæ origine, & vita & ſepultura eius.

ZOrobabel & Nehemias de tribu Iuda, & prophetæ & ſacerdotes Dei, ſub Dario rege Perſarum filio Hyſtaſpis, templum Domini reædificant, muros Hieruſalem extruunt, atque Iſraël ad priſtinum ſtatum reducunt; cultum quoque religionis, iusq; ſacerdotum reſtituunt. Ipſi etiam in Hieruſalem ſepulti, requieſcunt.

De reginæ Heſter origine & vita, & ſepultura eius.

HEſter regina, quæ interpretatur liberatrix populi ſui Iſraël, filia fratris Mardochæi, captiua de Hieruſalem in vrbem Suſin tranſlata eſt: & ob ſuam formoſitatem cõnubiis regis Perſarum, nomine Aſſueri, copulata eſt. Ipſa ſe morti obtulit, vt populum à morte liberaret: & Aman ducem, populum Domini perdere volẽtem, ex præcepto regis crucifixit: & populum à morte & à ſeruitute eripuit. Sepulta eſt in Suſi, vrbe Medorũ, in qua & ipſa regnauit.

De viduæ Iudith origine & vita, & ſepultura eius.

IVdith, interpretatur laudans. Interpretatur etiam vidua. Iudith vidua, filia Merari, de tribu Simeon, magnanimis, in gloria virorum virtute preſtantior. Ipſa pro ſalute populi, morti ſe obtulit, nec furorẽ regum trepidauit. Nam principem Holofernem dormientem necauit, ſaluoq; pudore, ſuis ciuibus triumphum & caput ipſius principis reportauit. Vixit annis 105. Sepulta eſt in ſpelunca viri ſui Manaſſe, in ciuitate Napulia, quæ eſt in tribu Iuda, inter Dothin & Balim.

De Zachariæ filij Barachiæ origine & vita & ſepultura eorum.

ZAcharias filius Barachiæ, interpretatur memoria Domini. Iſte fuit propheta atq; ſacerdos, filius Ioiadæ ſacerdotis, qui cognominatus eſt Barachias, quem populus, ex imperio regis Iudæ Ioas congregatus, lapidauit inter templum & altare. Quem ſublatum ſacerdotes ſepelierunt in Hieruſalem.

De Machabæorum origine & vita, & ſepultura eorum.

MAchabæus interpretatur nobilis vel triumphans. Ipſi Machabæi filij Matathiæ fuerunt quinque, Ioannes, Simon, Iudas Machabæus, Eleazar, & Ionathas. Machabæi iſti, quot triumphos geſſerint aduerſus gentem Perſarum, & de circumfinitimis nationibus, & quomodo pro legis obſeruantia ſint occiſi, manifeſta narnat hiſtoria.

Verba authoris.

EXplicat interpretatio nominum omnium prophetarum ſiue patrum veteris Teſtamenti, ſecundum Iſidorum etymologiarum, authore magiſtro Gotfrido Viterbienſe. Incipiunt autem nomina omnium patrum noui Teſtamenti. Et de vita & origine, & prædicatione eorum omnium patrum, tam noui quam veteris Teſtamenti.

PARTIS DECIMÆTERTIÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XIIII.

NOVVM TESTAMENTVM.

De Zachariæ & Elizabethæ origine & vita & sepultura eorum.

ZAcharias & Elisabeth, interpretantur iusti, testante Luca Euangelista, qui dicit: *In diebus Herodis regis Iudæ, sacerdos nomine Zacharias & vxor eius Elisabeth de filiis Aaron: & erant* (inquit) *ambo iusti ante Deum.* Isti in iuuentute steriles, in senectute verò fœcundi, ambo requiescunt in Hierusalem.

De Ioannis Baptistæ origine & vita: & mors eius.

IOannes Baptista, filius Zachariæ ex tribu Leui ortus in Hierusalem, Angelo nunciante conceptus: Christi prænuncius, præco iudicis, propheta altissimi, vox verbi, amicus sponsi, testis Domini, lucerna luminis, terminus prophetarum, baptismatis initium. Qui prænuntiatus vocem patris abstulit. Nondum natus Christum prophetauit. Salutauit Dominum in vtero. In columba cognouit, Iesum in deserto digito monstrauit. Cuius vestimentum lanugo camelorum fuit, habitatio eremus. Victus eius mel, & locusta. Qui dum Herodi prohiberet fraternum violare coniugium, in carcere mancipatur: caput eius Herodias filia regis, pro ludi sui præmio à patre poposcit, & ebrius pater assensit, & illa illud matri suæ præsentauit. Sepultus est in Sebasta oppido Palæstinæ, quæ olim Samariæ vocabatur: quam Herodes filius Antipatris ad honorem Augusti Cæsaris, Augustam Græco sermone vocauit.

De Mariæ virginis origine & vita: & finis eius.

MAria quæ interpretatur stella maris, vel domina, vel illuminatrix, vel clara significat ecclesiam, stirps Dauid, virga Iesse, hortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei, hospitium Spiritus sancti. Virgo sancta, virgo perfecta, virgo ante partum, & in partu, & post partum. Salutationem ab Angelo accepit: quæ conceptionis mysterium non agnoscit, partus qualitatem inquirit, & contra legem naturæ fideliter credidit. Quam Dominus virginē, virgini discipulo commendauit, vt ipsū mater haberet vitę comitem: quem filium nouerat integritatis vt eam custodiret. Quidam eam corporalem necem passam asserunt ab hac vita migrasse, pro eo quod iustus Simeon dixerit ei; *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Dubium tamen est, si hoc gladio materiali dixerit, an pro verbo Dei validiore & acutiore omni gladio. Specialiter autem nulla docet historia, beatam Mariam gladio fuisse peremptam, quia nec obitum eius vspiam legimus; quum tamen eius reperiatur sepulchrum.

De Simonis Petri origine & vita & finis eius.

SImon, obediens interpretatur, eo quòd obediens fuit Domino, dicenti: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Petrus interpretatur, agnoscens: eo quòd agnouit, dicēs: *Tu es Christus filius Dei viui.* Petrus ortus in vico Bethsaida, prouincia verò Galilæa, quæ est iuxta stagnum Genezareth, qui prius vocatus est Bariona. Petrus firmamentum petræ in Ecclesia est; Cephas, caput Ecclesiæ est. Petrus Apostolorum princeps est: primus confessor Dei & discipulus est. Pastor humani generis. Clauiger æthereus, Christi amator, Christi & negator. Confitendo laudatur, præsumendo elatus, negando lapsus, lachrymando purificatus. Confessione probatus, passione coronatus. hic in Ponto & Cappadocia, Galatia, Bithynia, Asia atque Italia, Euangelium prædicauit, & talium virtutum signis effulsit. Mare pedibus gradiendo calcauit: præteriens, mortuos vmbra sua resuscitauit. Claudis gressum restituit: paralyticis membra reparauit. Viduam defunctam, Dorcam, id est Tabitham, mortuam suscitauit. Ananiam & Sapphiram terræ deglutiēti tradidit. Simonem Magum cœlum ascendentem ad terram collisit. Antiochiæ 8, & Romæ 25 annis tenuit pontificatum, anno 36 post passionem Christi, à Nerone crucifixus est.

est, posito capite deorsum. Sepultus est Romæ in Vaticano, secus viam triumphalem, tertio lapide ab Vrbe, ad Orientalem plagam, tertio calendas Iulias.

De Pauli apostoli origine & vita, & finis eius.

PAulus interpretatur mirabilis. Paulus, qui prior Saulus, angelus gentium, aduocatus Iudæorum; à Christo de cœlo vocatus, in terra prostratus, oculatus, erat cæcus & cecidit. Cæcatus vidit, atque surrexit. Persecutor Ecclesiæ, vas electionis factus est. Ex lupo ouis. Vocatione inter Apostolos nouissimus, prædicatione primus & summus. Gamalielis, in lege discipulus. Euangelij præco. Cuius patria in Iudæa fuit: genus eius de tribu Beniamin. In secundo anno post ascensionem Domini baptizatus, dignitatē meruit apostolatus: & inter cæteros verbi Dei gloriam latius omnibus seminauit, & Euangelicam doctrinam sua prædicatione compleuit: incipiens enim à Hierosolymis vsque ad Illyricum, & per Italiam, Hispaniam vsque processit, & nomen Christi multis adaperuit gentibus, quibus non fuerat declaratum.

Pauli miracula ista sunt: Raptus tertium cœlum cōscendit. Spiritum pythonis obmutescere fecit. Adolescentem mortuum suscitauit. Magū cęcitate percussit. Claudo proprium donauit incessum. Viperæ in seipso morsum non timuit, sed viperā in igne combussit: patrem Publij à febrib. oratione sanauit: pro Christi nomine passus est, famem, sitim, frigus, & nuditatem, die & nocte, in profundo maris fuit. Rabiē pertulit ferarum: multa verbera: carceris sæpe tormenta, catenas, vincula: ligatus, à Iudęis traditus: à gentibus lapidatur ad mortem. In sporta dimittitur per murum. Virgis cęditur. In carcere vinctus, facto terræmotu, resoluitur. Tandem à Nerone gladio decollatur. Eodem die quoque Petrus est crucifixus, tertio calendas Iulij. Sepultus est Romæ via Hostiensi, anno 36, post passionem Domini; tertio ab Vrbe miliario, contra Orientalem plagam.

De Andreæ origine & vita, & finis eius.

ANdreas Græcum nomen est, interpretatur decorus, primus vel secundus inter discipulos. Iste in sorte prædicationis, Scythiam atque Achaiam accepit. In qua etia post multa miracula, cruce suspensus obiit, vndecimo calen. Decembris.

De Iacobi apostoli fratris Domini origine & vita, & finis eius.

IAcobus interpretatur supplantator, filius Zebedæi, frater Ioannis, quartus in ordine. Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione gentium, scripsit. Atq; Hispaniæ, & Occidentalibus gentibus Euangelium prædicauit. Et in occasu mundi lucem prædicationis infudit. Ipse ab Herode tetrarcha gladio cæsus, occubuit, octauo calendas Augusti. Sepultus in arce Marmarica.

De Ioannis apostoli & euangelistæ origine & vita, & finis eius.

IOannes, interpretatur gratia Dei. Ioannes figuratur aquila, quia præ cæteris altius volando, in Euangelij prædicatione cōscendit. Ipse est filius Zebedæi, frater Iacobi. Virgo à Deo electus, & præ aliis dilectus: qui de pectore Christi, vbi recubuit, Euāgelij fontem potauit, & quasi vnus de paradisi fluminibus, verbi Dei gratiam in orbe diffudit: cui mater Christi, quasi alteri filio commissa fuit.

Hic in insula Patmos relegatus, scripsit Apocalypsin. Occiso autem imperatore Domitiano, solutus est, & iuit in Ephesum, ibiq; Euangelium nouissimus edidit. Cuius miracula hæc sunt:

Virgas syluestres in aurum mutauit. Lapides de littore collectos, in gemmas conuertit. Item alias gēmas confractas & contritas, in propriam formam restituit. Et matronam viduam, ad preces populi suscitauit. Iuuenem mortuum, reddidit rediuiuum. Venenum absque periculo bibit, & iuuenē eodem veneno mortuum suscitauit. Anno sexagesimo septimo post passionem Domini, tumulum (fratribus vale dicto) intrauit, & tanquam in lecto facta oratione quieuit. Vnde quidam eum non mortuum asserūt, sed in sepulchro viuum requiescere & dormire affirmant: pro eo quòd terra ipsius tumuli scaturiens, & se commouens, semper ad superna conscendat, & in superficies sepulturæ se moueat, & puluis quasi flatum intus quiescentis, semper ebullit. Vixit annis octuaginta nouem. Requieuit autem apud Ephesum, sexto calendas Ianuarij.

De origine Philippi, apostoli Christi, & vita & finis eius.

PHilippus interpretatur os lampadis. ortus à Bethsaida ciuitate, vnde & Petrus fuit. Gallis iuxta mare Oceanum prędicauit Christum. Ipse Hierapoli vrbe Phrygiæ crucifixus & lapidatus, obiit: ibiq; cum filiabus suis sepultus est. Obiit tertio calendas Maij.

De origine Thomæ, apostoli Christi, & vita & finis eius.

THomas interpretatur abyssus, Didymus, id est dubius. Thomas Euangelium Christi prædicauit Parthis, Medis, & Persis, Hircanis, Bactrianis, & Indis, tenens Orientalem plagam. Lanceis transfixus. Mortuus est in Calamia ciuitate Indię, vbi cum honore est sepultus, duodecimo calendas Ianuarij.

De origine Bartholomæi, apostoli Christi, & vita & finis eius.

BArtholomæus interpretatur aquæ suspendentis. Bartholomæus nomen habet ex lingua Syria, scilicet Lycaonia. In sorte prædicationis apud Iudæos, euangelium Matthæi in linguam eorum conuertit. In vltimo, in Albana vrbe maioris Indiæ, viuus excoriatus est à barbaris, & iussu regis Astyagis decollatus: sicque terræ conditus est. Eius autem passio est nono calendas Septembris.

De origine Matthæi, apostoli & euangelistæ Christi, & vita & finis eius.

MAtthæus apostolus & euangelista, cognominatus Leui, primùm in Iudæa euangelizat, postea in Macedonia prædicat: & passus in Perside, requieuit in montibus pastorum, vndecimo calendas Octobris.

De origine Iacobi Alphæi, apostoli Christi; & vita & finis eius.

IAcobus Alphæus interpretatur iustus vel excelsus. Ipse Hierosolymorum episcopus primus, cognomine iustus, sororis matris Domini filius: vnde dicitur, frater Domini. Qui etiam tantæ virtutis fuit, vt populi fimbriam vestimenti sui certatim tangerent. Ipse à Iudæis præcipitatus, lapidatus est, & iuxta templum sepultus. Iosephus eum dicit tantæ sanctitatis fuisse, propter eum Hierosolyma sit destructa. Eius natalitium est in calendis Maij.

De Iuda, apostolo Christi, fratre Iacobi, & vita & finis eius.

IVdas Iacobi interpretatur Iustus. Ipse fuit frater Iacobi, & in Mesopotamia atque in Ponto euangelizauit, & gentes inhumanitas, quasi belluas, suo dogmate instruxit. Sepultus est in vrbe Armeniæ, nomine Eriton, quinto calēdas Nouembris.

De Matthia apostolo, & vita & finis eius.

MAtthias vnus de septuaginta discipulis fuit: sed pro Iuda Iscariote factus vnus ex duodecim: prædicauit in Iudæa. Natale eius est sexto calendas Martij.

De Simone apostolo Christi.

SImon Zelotes interpretatur Chananæus, vel possessio, vel possidens. Iste creditur esse par Petri in cognitione, & similis honore. Ipse in Ægypto obtinuit principatum, & post Iacobum Iustum tenuit cathedram Hierosolymorum. Post annos autem eius triginta, sub Traiano imperatore, sustinuit martyrium crucis. Requiescit in Bosporo. Natale eius est quinto calendas Nouembris.

De Luca Euangelista, apostolo Christi, & vita & finis eius.

LVcas Euangelista, interpretatur medicus, siue lucens. Natione Syrus, arte medicus, eloquio Græco eruditus. Quem dicunt aliqui fuisse proselytum, & literas Hebraicas ignorasse. Pauli fuit discipulus, & indiuiduus comes peregrinationis eius. Obiit 74 vitæ suæ anno. Sepultus est in Bethania quindecimo calendas Nouembris. Cuius ossa translata sunt in Constantinopolim, tempore Constantini Imperatoris.

De Marco Euangelista & apostolo Christi; & vita & finis eius.

MArcus Euangelista interpretatur excelsus. Ipse in baptismo, filius Petri fuit, & discipulus. Cuius Euangelium non nulli

nulli à Petro dictatum dicunt. Ipse sibi pollicem dicitur abscidisse, ne in posterum ad sacerdotium promoueretur. Marcus tamen, primus tenuit cathedram Alexandrię, primusq; ecclesias Ægyptiorum fundauit. Mortuus est octauo anno Neronis. In quiete sepultus, septimo calendas Maij.

De Barnaba, apostolo Christi, & vita & finis eius.

BArnabas, prius dictus erat Ioseph, & interpretatur fidelis. Natus ex Cypro ciuitate, quæ à Cyro rege Persarum condita est. Cum Paulo tenuit apostolatum. deinde seiunctus à Paulo, opus prædicationis exercuit. Cuius natale est Idus Iunij.

De Timotheo, discipulo Pauli apostoli: & vita & finis eius.

TImotheus episcopus sanctus, discipulus Pauli, & spiritualis eius filius. Quẽ puerum secum idem Paulus assumpsit. Ipse pudicus & virgo permansit. Natus fuit de ciuitate Lystrensium. Sepultus est apud Ephesum, in loco qui vocatur Pion, vndecimo calendas Septembris.

De Tito discipulo Pauli apostoli Christi, & vita & finis eius.

TItus Pauli discipulus, & in baptismo spiritualis filius, natione Græcus: ex gentibus solus à Paulo circunciſus post Euangelium: qui ad destruendas aras Cretensium, & ad ecclesias ædificandas ab apostolo relictus, ibidem in pace sepultus est.

Verba authoris.

EXcursis hactenus omnibus historiis Hebræorum & Assyriorum, Medorum, & Persarum, & Alexandrinorum, & Ægyptiorum, & Antiochorum, & Macedonum, & Græcorum, & Aphrorum, & Francorum, & Romanorum: quia iam ad tempora natiuitatis Christi peruenimus, qui est Rex regum & Dominus dominantium, ad eius historiam stylum vertamus, à Ioanne Baptista incipientes, à quo sumit principium nouum Testamentum.

De Ioanne Baptista.

Aduentum Christi lego præueniſſe Ioannem,
Cuius erat baptiſma prius Iordanis in amne,
Maximus in cunctis vatibus ille fuit.
Vox clamantis erat, præceſſit & ordine verbum,
Chriſtus erat verbum, veniens à Patre ſupernum,
Qui ſub voce ſui notus in orbe fuit.
Vox ea teſtis erat, digito monſtrauerat agnum,
Baptizauit eum pro mundi ſorde lauandum,
Dixit & eſſe Deum, quando lauabat eum.
*Quantus erat vates ſuus * cognoſcere verum,*
Nullus erat maior inter natos mulierum,
Teſtis ei Deus eſt, vt ſacra ſcripta ferunt.
Eſtq; ſacerdotis natus, quondam Zachariæ,
Eliſabeth mater fuerat cognata Mariæ,
Sydus erat, veniens lucifer ante diem.
Incolit arbuſta deſerta, calore peruſta,
Vita ſit anguſta, cibat hunc mel, ſiue locuſta,
Aſperior Zona membra beata domat.
Vinaq; non nouit, terrena relinquere vouit,
Omne nephas odit, bona prædicat, atra remouit,
Prædicat Herodi: ſed iugulatur obid.
Inuidiaq; Dei, comburunt corpus Hebræi,
Et quaſi morte rei cineres ſpargunt Phariſæi,
Ne modo diſcipuli confamulentur ei.
At caput in diſco tenuit pòſt filia regis,
Hoc dat Herodiadi matri, quæ crimen adegit,
Triſtis adeſt genitor dum caput illa vehit.
Pòſt caput hoc ſacrum, celebri conclaue ſeratum,
Atque reſeruatum, per ſecula ſit veneratum,
Regibus & populis ſpes valitura datum.

Qualiter inuentum fuit caput Ioannis Baptistæ.

Hoc caput Alpini Pipini tempore regis,
Fur monachus Hieroſolymis furtiuus abegit,
Clamáq; pera clauſum, trans maris alta vehit.
Ad loca fortè venit, vbi ſunt noua bella patrata,
Pipini gladiis ſunt millia multa necata,
Rex ibi victor erat, nec ſine clade data.
Occiſi ſunt nanque ſui proceres duodeni,
Quos in eccleſia monachus tunc cernere venit,
In feretris poſitos curia tota gemit,
Stante procul monacho, ſurgunt à morte necati,
Et caput abſconſum rapiunt, dignè venerati,
Clamantes pariter, quis velit iſta pati?
Cur latitat magni caput hoc inſigne Ioannes,
Qui tribuit nobis vitam, de morte vocandis?
Exeat ante Deum, nos veneremur eum.
Vidit & obſtupuit rex, totaq; pompa ſuorum,
Abſtulit a monacho caput inclyta turma virorum,
Cantica lætitiæ dant roboante choro.
Rexq; ducesq; ſimul, quorum caro ſana reuixit,
Ædificant mox eccleſiam pro nomine Chriſti,
Qua poſuêre ſacrum relligione caput.
Decreuêre duces omnes inibi monachari,
Et ſacrum caput hoc ibi perpetùo venerari,
Theſauros & agros omnia caſtra dari.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, versificè.

Geſta noui Teſtamenti per carmina promam,
Qualis, & vnde tonat Chriſti generatio, ponam,
Sicut in eccleſia pagina ſacra ſonat.
Ex Abraham datus eſt Iſaac, de quo patre natus,
Iacob, & hinc Iudas, cum fratribus eſt generatus,
Iudas de Thamar, dat Phares atque Zaram,
Datq; Zaram Eſrom, Aram generatur ab Eſrom,
Ex Aram fuit Aminadab, quo ſemine Naaſon,

Quem genuit Salmon, gignit & ille Booz.
Datq; Booz, Obeth, de quo Ieſſe generatur,
De Ieſſe Dauid rex atque Propheta creatur,
Ex Dauid Salomon, qui genuit Roboam.
De Roboam venit Abias ille Ioſaphat,
Qui genuit Ioram, quo patre creatur Oſias,
Et poſt eum natus eſt Ioachimq; datus.
Qui genuit Achas, de quo datus eſt Ezechias,
Qui genuit Manaſſem, quo natus Amon, dat Oſiã,
Quem Iechoniam pòſt genuiſſe ſcias.
Qui Iechonias migrans prius in Babylonem,
Gignit Salathiel captiuus ea regione,
Natus Salathiel pòſt gignit Zorobabel.
Zorobabel dedit Eliachim, de quo venit Azor,
Naſcitur ex Azor, vir ductus nomine Sadoch,
Ex Sadoch Achim, poſteritate venit.
Ex Achim Eliud, de quo datus eſt Eleazar,
Natus & Eleazar ſuſcepit in ordine Mathan,
Ex Mathan Iacob, connumeratur ad hoc.
De Iacob Ioſeph, cuius ſit ſponſa Maria,
Quæ peperit Chriſtum, genitum de Patre ſophia,
Cui refero laudes mente fauente pia.

De patre & matre Mariæ virginis, & de ipſius natiuitate, ſecundum librum de infantia Saluatoris.

Ordine mirifico diuinitùs orta Maria,
Quomodo concepit virgo, peperitq; ſophiam,
Scribere me recta, det Deus ipſe via.
Anna fuit Mater, Ioachim narro genitorem,
Tempore longæuo fuerant ambo ſine prole,
Anna fuit ſterilis, triſtis vterq; dolet.
Et quia prole carent, plus deſpiciuntur vbiq;,
Quotquot ſunt homines, dat probra frequenter vtriq;,
Triſtitia cordis ſemper vterq; liquet.
In templo vir & vxor erant ſeruire libenter,
Expulit hos Simeon, cuſtos templi violenter,
A facie Domini cedite, dixit eis;
Spernit (ait) ſteriles Dominus, ventres ſine fructu,
Audit & erubuit mulier, pleniſſima luctu,
Flente ſimul Ioachim, ſic vir & vxor abit.
Arua petens Ioachim, commotus ab vrbe recedit,
Qua propriè paſcuntur oues, qua lactis & hœdi,
Pauperibus Domini tunc alimenta dedit.
Anna domi, ſponſusq; foris pro ſorte moratur,
Illa domi, Ioachim ruri, gemit atq; precatur,
Viſitet vt ſterilem cœlitus ille pater.
Spreuerat ancilla dominam, dixitq; frequenter,
Contemnit Dominus te, ſpreueruntq; parentes,
Non eris obſequiis amodo digna meis.

Angelus Gabriel annunciat Annæ natiuitatem virginis Mariæ, ſecundum librum infantiæ Saluatoris.

Anna ſui dum pomœrij ſub flore ſederet,
Paſſeris ex nido pullos rutilare videret,
Mœſta ſatis loquitur, triſtia verba ferens.
Me, miſeram ſolam ſterilem fecit Deus, inquit,
Nec minimas plaſmator aues ſine prole relinquit,
Ah Patèr è cœlis, rex miſerere mei.
Trade mihi ſobolem, ſterilis depelle pudorem,
Non mihi ſed tibi, da mirande creator honorem,
Prolem quam dederis, ſpondeo ferre tibi.
Si dabis optatum ſemen, tibi confero natum,
In templo ſeruire tuo, tibi ſanctificatum,
Cùm dederis natum, mox tibi reddo datum.
Angelus è cœlis Gabriel dicit mulieri,
Fœmina quod quæris, Domino donante mereris,
Indiciis veris quàm citò mater eris.
Filia nanq; pia, tibi fit, dicenda Maria,
Virgo Deum pariet, qui dicitur alma ſophia,
Nomine Meſſias, ſpes bona, vita, via.
Sicut & vxori, ſic Angelus ipſe marito,
Dixit, & adiecit, ſponſam properanter adito,
Fiat vt in Domino filia veſtra citò.
Currit ad hæc Ioachim, nihilominus Anna cucurrit,
Curſibus oppoſitis currunt, ſpes optima ſurgit,
In medijs campis narrat vterq; ſibi.
Sic vidi, ſic audiui, ſpes noſtra reuixit,
Filia fit nobis cœleſti numine, dixit,
Spernere rem noli, ſuſcipe iuſſa poli.
Vade marite, greges noſtros velut antè reſerua,
Sic ego pergo domum, Domini cognoſcere verba,
Cùm partus veniet, tempus & acta ſcies.

Maria virgo naſcitur, filia Annæ & Ioachim.

Tempore quo placuit Domino, parit Anna puellam,
Nata maris ſtella, regina Maria nouella,
In templo Domini nocte dieq; fuit.
Vbere lactari didicit, tandemq; cibari,
Creuit, & a cunctis meruit vehementer amari,
Moribus & ſpecie dignior, abſque pari.
Mos erat, in templo teneras ſeruire puellas,
Quas ibi lege ſua cum religione reſeruant,
Eruditunq; ſatis, nectere fila ſacris.
Iuſſa Dei, legemq; Dei, diſcunt meditari,
Vela Dei, veſtesq; Dei diſcunt operari,
Hæc data virginibus, ſunt ibi ſorte pari.
Stella maris, didiciſſe magis prædicta meretur,
Sanctior his, & doctior his, reuerenter habetur,
Omne tulit ſecum, virgo Maria decus.
Sæpius his orat, magis his deuota laborat,
Fletibus implorat lachrymas altaris ad oram,
Viuere quod valeat virginitate bona.
Pſallere cùm nouit, puerilia facta remouit,
Primaq; virgineo ſe viuere corpore vouit,
Hoc ſibi propoſitum, clàm tenet ipſa domi.

Maria virgo deſponſata Ioſeph, non vult maritari.

Poſt annos tredecim, lex intulit eſſe neceſſe,
Nubat vt expreſſe, quia tempore nubilis eſſet,
Viuere coniugio cogitur ipſa ſuo.
Quisq; ſacerdotum iubet illam ſoluere votum,
Cum tamen hoc votum fuerit ſoli ſibi notum,
Renuit in totum ferre puella iocum.
Dicit ei mater; Paries ſub virginitate,
Filius à Patre tibi fit, Deus ex deitate,
Dixit enim Gabriel; Tu ſibi ſola places.
Pluribus oblatis, nullum tulit illa maritum,
Turba ſacerdotum diiudicat illud iniquum,
Quod ſatis oblatum ſpreuerat ipſa virum.

Iudicijs

Iudicio Domini petit hoc synagoga requiri,
Coniugio cuius, iam debeat illa potiri,
Cuius & in thalamum sit tribuenda viri.
Sorte ferente Dei, signum sit ab æthere cœli,
In scapulis Ioseph tunc alba columba resedit,
Hanc & ei sponsam stans synagoga dedit.
Iratus Ioseph, dictis omnino rebellat,
Tollite (dixit) eam, quia sponsam nolo puellam,
Cernite, nam senui, non placet illa mihi.
Cœtus ait; tribuit sponsam tibi diua potestas,
Si contemnis eam cœli grauis vltio restat,
Plenaq; suppliciis pœna ferenda tibi.
Territus his monitis, timuit, sponsamq; recepit.
Nec tamen hic illi thalamo coniunctus adhæsit,
Casta reseruari iussa puella fuit.

Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioseph.

Mos fuit Hebræis, sponsæ nouiter sociatæ,
Ante duos menses non tangere virginitatem,
In quibus & Domino reddere vota placet.
Sponsa sit interea thalami sub tegmine clausa,
Sic, vt ei nulla persona, loqui foret ausa,
Donec sortiri debeat acta viri.
Quumq; per ancillas seruanda recluditur illa,
Aggreditur Ioseph aliam pro tempore villam,
Qua voluit fabricis ligna parare suis.
Quæ sint ancillæ proponam nomina recta,
Sephora, Susanna, Jazahel, Babenq;, Rebecca,
His custodita virgo manebat ita.
Dum sedet in thalamis conclusa Maria fidelis,
Suscipit à cœlis verbum sancti Gabrielis,
Voce salutantis, Angelus inquit ei:
Gratia plena tibi salue benedicta Maria,
Concipies pariesq; Deum de Patre sophiam;
Audit, & expauit lumine, Virgo pia.
Nescio Virgo virum (dixit) dic, vnde sit istud?
Ne timeas, par anymphus ait, iam concipe Christũ,
Flamine de cœli quod loquor (inquit) erit,
Iam cognata tua sterilis, confectaq; tabe,
En per sex menses est ventre tumens Elisabeth,
Quum fuerit sterilis fœmina, germen habet.
En ancilla Dei; respondet virgo fidelis;
Fiat vt in cœlis placuit, verbum Gabrielis;
Dixit, & ipsa fuit flamine plena Dei.
Quumq; tumet ventre, festinat adire parentem;
Gaudia sunt vetulæ pro matre Dei veniente,
Et puer in ventre gaudia prima mouet.
Voluitur in ventre saliens gaudensq; Ioannes,
Mater ait; quid, & vnde mihi, quia veneris ad me?
Filius iste meus sentit adesse Deum.
Matre Dei, veniente mei, tua facta notaui,
Virgo Dei respondit ei; Deus ista patrauit,
Exaltans humiles, alta repellit, ait.

Ioseph videns Mariam prægnantem voluit occultè dimittere eam.

Testibus ancillis Virgo remeauit ad vrbem,
Ioseph de villa qua manserat illicò surgens,
Prægnantis ventrem germen habere videt.
Vnde furore tumens subitò, plenusq; fauillis,
Quærit ab ancillis, quid nam modò contigit illis,
Quis potuit thalamum commaculare meum?
Hæ reserunt; Hic nemo fuit, non est locus ire,
Huc foribus clausis solet Angelus ipse venire,
Visitat & cibat hanc, alloquiturq; piè,
Angelus est, splendore nitens, nos terruit omnes,
Ingreditur si quando placet, non nouimus vnde,
Nec valet audiri vox ibi sacra viri.
Quid loquitur, quid dicat ei, nos scire nequimus,
Introitum prohibere sibi, si quando velimus,
Ingreditur planè, dum loca clausa manent.
Credidit hæc Ioseph; Domino faciente patrari,
Sed timet à populo super hac causa lapidari,
Crimen adulterij dum noua fama trahit.
Territus ex more, ventrisq; patente pudore,
Tristior efficitur, quia totum perdit honorem,
Deserit & sponsam, prorsus abire volens.
Ioseph culpatur, sons nanq; fuisse putatur,
Quòd thalamum sua sponsa suum violasse notatur,
Nam custodiri debuit arte viri.
Quæritur & causa, cur Virgo tam bene clausa,
Sic proprium fraudasse virum perpenditur ausa,
Esse tamen vera dicta Maria negat.
Quæritur examen Domini, quo Virgo probetur,
Quòve senex culpa tali caruisse putetur,
Vtq; reseruetur sortis vtriq; decus.
Hoc erat examen quod & instituit Moysi lex,
Circuit altare Domini Ioseph, vicibus sex,
Exorcizatas quàm citò potat aquas.
Si fuit in culpa, fit vultus ei maculosus,
Si caruit culpa, fit vultus ei speciosus,
Nec non lege pari sors solet inde dari.
*Sic potuit Ioseph culpa viraq; * carere,*
Credidit, & sponsa prorsus sine fraude manebat,
Et inculpatum nomen vterq; tenet.
Angelico meruit Ioseph sermone moneri;
Suscipe vir sponsam, non est opus ista vereri,
Virgo Dei genitrix flamine (dixit) erit.
Virgo prius, nunc virgo manet, pòst virgo manebit,
Venit ei virtute Dei quod germen habebit,
Huius mysterij sæpe minister eris.
Credidit hæc vetulus, monitus sermone maritus,
Et dedit obsequium, Domino mandante petitus,
Sic vacat obsequiis sponsa Maria suis.

Christus nascitur in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis.

Partus adest, aulaq; caret virgo paritura,
Adstabulum perducta boum regina futura
Parturit, obtenta virginitate sua.
Paruulus est, & filius est sub tempore Iesus,
Ad lectum fuit esca boum sibi stramen obesum,
Cognouit Dominum bos asinusq; suum.
Horrida crypta nimis tenebrosaq; luce nitescit,
Virgo Deum pariens partus symptomata nescit,
Nam quasi non pariens integra virgo manet.
Obstetricare volunt partum binæ mulieres,
Et satagunt partus loculum de more videre,
Sed prohibet Ioseph, gesta secreta tenens.
Importuna tamen mulier, dum tangere vellet,
Arida dextra manus remanet contracta misellæ,
Rursus vt hinc abeunt, aret vtriq; manus.
Fœmina dum plorat, quia iam contracta laborat,
Angelus ex hora verbum sibi dulce perorat,
Iste puer sanam te facit absque mora.

Ante pedes pueri manus petit illa salutis,
Sanaq; fit subitò manibus releuata caducis,
Integra fit penitus consona membra cutis.

Verba authoris sub admiratione de partu Virginis.

Mira Dei proles genitura parit genitorem,
Virgo prius, pòst virgo manens, parit absq; pudore,
Fœminei sexus nulla nociua dolens.
Filius æqualis Patri, se patre minorem
Carne sub humana formauit, & inferiorem
Criminis humani tollere stigma volens.
Filius à Patre venit sola pietate,
Sic verbum caro fit, grauidatur flamine mater,
Trinus ad hec Deus est, nomina trina patent.
Filius adonai, genitus sub tempore Christus,
Et Deus est & homo, gemino de nomine mixtus,
Sic duo iunguntur, quod sit vtrunque Deus.
Unio naturæ, sic insita constat vtrique,
Quod Deus est & homo, Deus vnus regnat vbique,
Credere non aliter de deitate licet.

Quod Christus est verus Deus & verus homo.

Christus homo Deus est, idē Deus est homo Christus,
Christus verus homo, verus Deus est crucifixus,
Sed caro, non deitas, hostia mortis erat.

Similitudines de partu Virginis.

Vt radio Solis vitream penetrante fenestram,
Permanet integritas, dum splēdet & intus & extra,
Integra Virgo magis, concipit atque parit.

Verba authoris.

Arida virga nuces legitur floresq; dedisse,
Et rubus illæsus, nec adustus in igne fuisse,
Sic parit illæso corpore virgo suo.
Vellere compluto permansit vt area sicca,
Spina rosam genuit, fructum rosa protulit ipsa,
Sic fert mater eum, virginitate Deum.
Stercora corrupta si tangant lumina Solis,
Stercore corrumpi, nequit eius forma coloris;
Est Deus in matre mundus, vt ipse foris.

Angeli cantabant Gloria in excelsis Deo.

Virgineum partum, Ioseph pro tempore celat,
Angelus hunc Christum pastoribus esse reuelat,
Qua vigilum pecudis copia grandis erat.
Pastores (inquit) annuntio gaudia cœli,
Saluator mundi, natus de Virgine venit,
In Bethlehem Iudæ filius ipse Dei.
Ite, videte locum vigiles, dum tempus habetis,
Infantem clausum pannis (ait) inuenietis,
In fœno positum fert ara facta boum.
Angelus vt loquitur, cœtus venit Angelicorum,
Gloria, paxq; bonis cantatur in alta polorum,
Gaudent pastores, aspiciuntq; polum.
Pastores abeunt, Christum cognoscere natum,
Inueniunt puerum paruastatione locatum,
Orat & inclinat turba beata caput.

Magi veniunt Hierosolymam dicentes; Vbi est qui natus est rex Iudæorum?

ANno ab incarnatione Domini tertio, anno verò ab Vrbe condita 835, Herodes filius Antipatris, rex Iudæorum, audiens à Magis Christum esse natum, scelus immanissimum perpetrauit. Timēs enim, cùm esset alienigena, de semine David natum esse puerum, qui iure hæreditatis requireret regnum Iudæorum, callidè per Magos loco & tempore nascentis pueri perscrutato, circa Bethlehem à bimatu & infra, omnes pueros occidi præcepit; Ioseph Christi nutritio prius per Angelum præmonito, & puero iam in Ægyptum translato. Quod scelus aduertens Deus, durissima, & indecora eum clade morborum flagellauit.

Vnde Iosephus, in decimoseptimo libro Antiquitatum sic ait: Herodem porrò indies maior morbus vrgebat, supplicia dudum commissi sceleris expetens. Lento nanque igne extrinsecus in superficie vrebatur; intrinsecus verò maius condebatur incēdium. Auiditas inexplebilis cibi semper inerat ei, nec tamen satiari valebat ingluuies, rabidis faucibus increata. Intestina eius vlceribus intrinsecus obsecta. Verenda eius putredine corrupta, scaterevermibus apparebant. Spiritus eius incredibilis erat inflatio. Dicebant ergo illi, quibus diuinandi erat peritia, has pœnas ob multa scelera ab ipso crudeliter gesta, diuinitùs in eo deposci.

Refert etiam Iosephus, quòd vbi salutis eius apparuit desperatio, ex singulis vicis & castellis Iudæorum, nobiles & primarios viros ad sese vocatos, in vincula posuit. Accersita ad se sorore sua Salome, atque viro eius Alexandro: Noui (inquit) Iudęos de meo interitu gauisuros. Sed potero habere lugentes, & exequias honorabiles, & plangentium multitudinem, si volueritis vos meis obedire præceptis. Statim ergo quum exhalauero spiritū, omnes illos quos in vinculis teneo interficite, vt omnes Iudęi, & omnis domus defleat obitum meum.

Item Herodes, cùm vitæ suæ exitum adesse sentiret, ad incidendum pomum, cultellum poposcit. Quo accepto, in seipsum ictum vibrauit. Asserit etiam Iosephus, quòd antequā moreretur, post duos quos antè necauerat, tertium quoq; filium inter-

interfecit. Mortuo Herode, Archelaus filius eius succeſſit in regnum.

Item de Magis Hieroſolymam venientibus, verſificè narratur.

Hieruſalem venere Magi, ſtellam repetentes,
Quæ prius his exorta fuit, ſatis ex Oriente,
Nomine Baltaſar, Melchior, & Gaſpar.
Territus Herodes interrogat hic ſapientes,
Quid ſibi ſtella velit quæ ſplenduit ex Oriente,
Quo legitur naſci Chriſtus in orbe ſoli?
Reſpondent Scribæ, ſi vis cognoſcere fide,
In Bethlehem Iudæ naſcentis ſigna require,
Si ſuper his dubita, Chronica ſcripta Iudæ.
Cogitat Herodes, puerum ſe perdere poſſe,
Et iubet ire Magos, pueri loca ſignaq; noſſe,
Vt necis in puerum perficiatur opus.
Stella Magis quæſita redit, dux eſt & eorum,
Cernitur in Bethlehem natus Deus ille deorum,
Virgineo partu, virgineoq; thoro.
Cernentes verum regem, tria dona dederunt;
In ſomnis moniti, per deuia pòſt abierunt;
Aurum, thus, myrrham, dona fuiſſe ferunt.

Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem.

Nunc iubet Herodes pueros ſine lege necari,
Chriſtus in Ægyptum voluit cum matre fugari,
Vbere lactari, pauper & exul ali.

Ioſeph in Ægyptum fugit.

Ioſeph in Ægyptum deſerta per horrida tranſit,
Virgo labore viæ defeſſa, quieſcere ſanxit,
Vmbra ſibi patula, palmaq; grandis erat.
Pomaq; dactylica dum cernit ab arbore prima,
Optat vt excelſa ſe palma reflectat ad ima,
Seq; ſui fructus carpere pauca ſinat.
Dicit adiſta puer; Altiſſima flectere palma,
Flectitur hinc palma, genitrix qua veſcitur alma,
Quæq; ſibi voluit, dulcia poma tulit.
Dicit ei Ioſeph, ex vtribus vnda recedit,
Vrget amara ſitis, iam torrida viſcera lædit,
His puer arriſit, miraq; verba dedit.
Exeat ex palma ſubitò radicibus vnda,
Proſilit hoc dicto fons, indeq; potus abundat,
Hinc abeunt mane, palmaq; recta manet.
Nocte petunt antrum, cuius clauduntur in ore,
Inde vident ad ſe binos exire dracones,
Ante pedes pueri ſtant, mala nulla mouent.
Ieſus ait matri, Noli conſpecta vereri,
Obſequiis noſtris poterunt hæc nata videri,
Cuncta ſalutifera cras tibi, ſicut heri.
Hinc vbi procedunt, occurrit turba leonum,
Obſequium ferre, tanquam domino regionum,
Et quaſi cum puero longius ire volunt.
Obſtupuit mater, ſocij ſimul obſtupuêre,
Dicit eis Ieſus; Famuli nolite timere,
Se mihi ſubiiciunt, huc veniendo feræ.

De aſſumptione beatæ Mariæ Virginis.

Semper in obſequiis ſeruata Maria Ioannis,
Iam quinquagenis tranſactis Virginis annis,
Spiritus & corpus tranſiit ante Deum.
Corporis ipſius, terræ, pars nulla remanſit,
Veſtimenta tamen plebs eccleſiaſtica ſanxit,
Vt ſacra ſeruari, ſemper honore pari.

In principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum; verſificè.

In Patre principio, genitum Patris à Patre verbum,
Venit ab arce Patris ſtans in Patris arce ſupernum,
Stans Deus hìc & ibi, regnat vtrinque ſibi.
Abſq; Deo nihil eſt factum, ſunt cuncta per ipſum,
Atq; quod eſt factum, ſtat vita perennis in ipſo,
Vitaq; lux hominum, luxq; beata Deus.
Lux nitet in tenebris, ſed non comprehenditur illis,
Miſſus homo fuerat Baptiſta, diebus in illis,
Famaq; tunc vera, magna Ioannis erat.
Hic venit teſtis fieri, de lumine Chriſto,
Crederet vt mundus, ipſo perhibente, per ipſum,
Non erat hic homo lux, lux erat ipſe Ieſus.
Induit humanam, ſeruato minimè formam,
Stans quod erat, fit nõ quod erat, mundiq; reformãs
Iura premit mortis, vita ſalusq; bonis.
Sub ſpecie ſerui, voluit paruus reputari,
Inſignis ac prodigiis mundum renouari,
Se, cum pauperibus viuere lege pari.
Venerat ad propria, carnali veſte recepta,
Nec fuit accepta, quia cauſa putatur inepta,
Credere Iudæum carne latere Deum.
Qui tamen hunc, hîc ſuſcipiunt, hi ſanctificantur,
Filioli, ſanctiq; Dei, ſub lege vocantur,
Hæc qui crediderit ſcripta, beatus erit.
Qui neq; ſanguinibus, neq; carne viri generati,
Sed fidei virtute, Dei ſunt flamine nati,
Viuere cum Chriſto ſub deitate dati.
Credere nos docuit, quia verbum fit caro factum,
In nobis habitauit homo Deus, vnde ſubactum,
Mundum dæmonibus, liberat ipſe Deus.
Vidimus in Chriſto qualis ſit gloria Patris,
Filius eſt vnigenitus, Ieſus deitatis,
Stat ſibi vera ſatis gratia plena Patris.

Verba authoris; quod impoſſibile ſit ſcribere omnia miracula Chriſti.

Geſta Dei Chriſti metricè per ſingula dici,
Pagina non patitur, neq; vos iubeatis amici,
Nec valet ingenium cuncta referre meum.
Quæ tamen ex cunctis his vtiliora videmus,
Aut magis ignota, præſtante Deo referemus,
Atq; Prophetarum dicta mouebo parum.
Quomodo virgineo voluit Deus ordine naſci,
Quo lauacro ſtatuit mundo pereunte renaſci,
Quomodo mors mortis vitaq; noſtra fuit.
Qua cruce, quo ligno patitur, pereunte maligno,
Quod morſus mortis, mortem premit ordine digno,
Quod redimit ſanctos, victor ab hoſte ſuos.
Acta reſurgentis ſcribemus, & alta petentis,
Pneumatis ardentis in diſcipulos venientis,
Dona ſalutifera, tempora ſigna canam.

Quòd Christus in terris tres mortuos in terra suscitauit, vnum in domo, alterum in porta, tertium in sepulchro.

Tres Deus in terris homines, à morte vocauit,
Primò domi, pòst in porta viuos releuauit,
Tertius à tumulo quatriduanus abit.
Surdis auditum, cæcis dedit ordine visum,
Contractis gressum, sanauit dæmone nisos,
Sanans leprosos Christus in orbe suo.
Reddidit & mutis sola pietate loquelam,
Abstulit & morbos populis, tribuitq; medelam,
Quicquid in hoc mundo præcipiebat, erat.
Panibus ex quinque satiauit millia quinque,
Sportas bis senas, de fracto pane relinquens,
Qui supereſt populis, se saturante suis.
Millia dæmonia, verbi virtute fugauit,
Æquoreos fluctus, pedibus calcando meauit,
In vinum puras numine vertit aquas.

De apparitione Domini in monte Tabor.

Eliæ, Mosi, sit ei præsentia testis,
Vox Patris intonuit; Charus mihi filius est hic,
Quo mihi complacui, reddite vota sibi.
Offerri, tradi voluit, manibusq; ligari,
In cruce cònfigi, latronibus associari,
Clausaq; sub tumulo mortua membra dari,
Tunc Deus infernum virtute sua penetrauit,
Tartara confregit, Belial magnum religauit,
Cum reliquis patribus, traxit abinde Dauid;
Rupit & infernum, fortissimus ille gigantum,
Vnde dedit saltum Deus est releuatus in altum,
Misit & à superis pneumata sancta suis.
Morsus & inferni, mortis fuit actor Auerni,
Victor ab æterni regni, redit alta superni,
In Patris arce sui, qua Deus ante fuit.
Hinc iterum veniet Iudex, vt crimina purget,
Omnis homo cum carne sua, formaq; resurget,
Index pro meritis omnibus vnus erit.
Pœna malos, sed vita bonos æterna capesset,
Pœna malis, sed vita bonis per secula crescet,
His mors, his vita, perpetuatur ita.

Innumerabilia esse miracula Christi & sanctorum.

Sicut arena maris numero caret atque carebit,
Vtq; carent numeris fulgentia sydera cœli,
Sic nec habent numeros inclyta signa Dei.
Vt taceam Christum, quis dicere signa suorum,
Tempore vel numero posset tibi discipulorum?
Illud ego nequeo, nec numerare volo.
Nanq; leguntur ægri variis iacuisse plateis,
Vt viuente Petro languentibus orbe choreis,
Vmbra sui capitis corpora sanet eis.
Omnia de sanctis, quorum doctrina remansit,
Non ego, cùm nequeam, miracula scribere sanxi,
Non ea narrare philosophia valet.

Maria Magdalena & Maria Iacobi & Salome veniunt ad monumentum.

Vt videat Dominum deuota Maria sepultum,
Mane resurgendo festinat adire sepulchrum,
Dicit & ad socias pectore mœsta suas:
Quomodo iam poterit nobis lapis iste reuolui?
Deniq; magnus erat, sed vix ea verba resoluit,
Sublatum lapidem cùm lachrymata videt.
Aspicit introrsus mulier, non est ibi corpus,
Angelus exortus sedet albus, & intulit orsus;
Quem quæris mulier? hæc tacet: ille refert:
Quæris (ait) Iesum? non est hic, cerne trophæa,
Surrexit Dominus, vos præuenit in Galilæa,
Sicut dixit, vbi mira videbis ea.
Ne timeatis (ait) vos, sed properando redite,
Dicite discipulis: Dominus surrexit, abite,
Voce subaudita, fœmina pergit ita.
Dum remeat, subitò iuuenem conspexit in horto,
Ad quem conuersa, modicè sub calle retorto,
Dicit ei; Dominum quis tulit inde meum?
Dic mihi tu, si tollis eum? Tunc alma sophia,
Nomine sub proprio, vocat hanc, dicitq;, Maria;
Audit & agnoscit fœmina, verba pia.
Illa refert, Rabbi: vir ait; me tangere noli,
Nec mea membra coli tangive decet velut olim,
Ad Patrem nondum scando per astra poli.
Dicito discipulis, Dominus de morte reuixit.
Sicut eis dixi, caro viua manet crucifixi,
Ite videre Deum, viuere constat eum.
His Petrus auditis, surgente Ioanne resurget,
Ambo simul currunt, iuuenis tamen ante cucurrit,
Et loca prospiciens, omnia vera videt.
Linteolos ibi compositos, sursum rursumq;,
Vidit, & exultans, pariter collegit vtrunq;,
Et redit ad socios, læta referre suos.
Inclyta gesta Dei, mirandaq; signa trophæi,
Aspiciendo viri, citò consurgunt Galilæi,
Vt modò viuenti confamulentur ei.

Apparuit Iesus ianuis clausis in medio discipulorum.

Stabant discipuli, thalamo, foribusq; recluſi,
Laude resurgentis nondum sed fletibus vsi:
Stante metu populi ianua clausa fuit.
Ingrediens Iesus, dum ianua clausa maneret,
Dicit: Pax vobis, ego sum, nolite timere;
Iam latus atque manus cernite, siue pedes:
Hic sum qui fueram, non me phantasma putetis,
Ossibus & carne corpus constare videtis,
Hæc duo non propriè spiritus vllus habet.
Tangite me totum, verumq; resumite Iesum,
Et corpus palpate meum per vulnera læsum,
Tangere discipuli membra beata petunt.
Gaudent gaudentes, quoniam tetigêre loquentem,
Appositisq; cibis comedunt, ipso comedente.
In fracto pane, spes magis ampla manet.

Non erat Thomas cum eis quando venit Christus.

Hac vice non aderat Thomas, Domino veniente,
Cui referunt omnes; quia vidimus omnipotentem;
Crede quòd hic fuerit: qui dubitanter ait:
Ni latus atque manus & crura pedesq; videbo,
Ni digitum plagis fixum pro velle tenebo,
Prorsus ab hoc dubio non remouebor ego.

Tunc

Tunc post octo dies, cum ianua clausa fuisset,
Ingressus Iesus, Thomæ prior intulit ipse;
Huc infer digitum; respice; tange latus.
Dicit ei Thomas: Dominus meus & Deus es tu,
Respondet Iesus: Quia tangis, credulus es tu,
Qui post crediderit (dico) beatus erit.

Quæstio & solutio quomodo intrare potuit ianuis clausis.

Qui potuit nasci de clausa virgine matre,
Qui valet à terra cœlum transcendere latè,
Hunc foribus clausis ire redire patet.

De ascensione Domini in monte Oliueti.

Quadraginta Deus fuit hîc docuitq; diebus,
In quibus humanis tribuit sua dogmata rebus,
Quæ nos discipuli post docuêre sui.
Montis Oliueti præcessio discipulorum,
Et quingentorum plus septuaginta virorum,
Conspiciunt Christi corpus inire polum.
In cœlum saliens, dixit; Pergatis in orbem,
Atque creaturis cunctis, per rura, per vrbes,
Dicite regna Dei; gesta referte mei.
Saluus erit qui crediderit, baptismate tactus:
Qui non crediderit, homo condemnatur, & actus;
Credentesq; Deo, signa sequentur eos:
Tunc linguis vbicunq; nouis mea iussa loquentur,
Quorum dæmonia sermonibus eucientur,
Serpentes tollent, abiicientq; febres.
Mortiferum si quid biberint, non vsque nocebit,
Sermo meus, signis magis & virtute patebit,
Gratia de cœlis plena fauebit eis.

De pentecoste.

Dum pentecostes completur meta dierum,
Quinquagies Phœbus dum lustrat climata rerum,
Spiritus intonuit fusus in orbe Deus.
Stabat apostolicus sub eodem tegmine cœtus,
Dumq; Hierosolymis expectat munera lætus,
Spiritus emicuit flammigerumq; decus.
Verba loquente Petro, fulgentibus ordine signis,
Spiritus intonuit; datus est diuinitus ignis.
Fitq; repentè sonus, plena fit igne domus.

De aduentu Spiritus sancti in apostolos Christi.

Sub specie flammæ descendit pneumatis ignis,
Cœtus apostolicus variis fert dogmata linguis,
Sacra super cunctos flamma resedit eos.
Septuaginta duas referebant ordine linguas,
Dixit Hebræorum circunstans turba maligna;
Ebrietas facit hæc, vina Falerna patent.
Petrus adorsus eis, placidè respondit Hebræis;
Ebria turba Dei non est, sed & hora diei
Tertia non tribuit vina bibenda meis.
Hæc Deus æternus promisit ab ore Iohelis,
Spiritus in populi fundetur corda fidelis,
Si tamen infelix credere vera velis.
More prophetarum miranda futura loquuntur,
Signa super populum subita virtute feruntur,
Ex variis terris aduena turba fuit.
Parthi vel Medi, Phrygij sunt aut Elamitæ,
Pontus & Asia, Mesopotamia, Pamphiliq;,
Et reliquæ gentes orbis in orbe sitæ.
Quisque sua lingua videt hos miranda loquentes,
Sunt ibi nonnulli tam grandia signa timentes,
Spernunt Iudæi singula signa Dei.

Author ponit comparationem inter vetus & nouum Testamentum, vtrum eorum sit dignius & charius apud Deum.

Quot legimus quandoque tribus sub lege fuisse,
Quot Iosue lapides datur ex Iordane tulisse,
Discipulos totidem respice Christus habet.
Germen apostolicum venit de germine patrum,
Semine stans fidei, non sanguinitate creatum,
Vnde fides Abrahæ semen in orbe tenet.
Hoc genus electum, baptismate sanctificatum,
Sub vero Iosue sumpsitq; deditq; lauacrum,
Christus peccatum fonte remouit atrum.
Petra Deus petras has à Iordane leuauit,
Discipulos duodenarios vbi consolidauit,
Nam Petrus à petra nomen & acta trahit.
Tu Petrus, es petra, super hanc (ait) ædificabo,
Te mihi clauigerum cœli terræq; vocabo,
Soluere te mundum siue ligare dabo.
Tunc nostri sub nube patres plerunque fuerunt,
Et merso Pharaone maris baptisma tulerunt,
Sic etenim Pauli dogmata sacra ferunt.
Iudæi tunc manna Dei pro pane tulerunt,
Tunc & aquas fundente petra de fonte biberunt,
Christus aquas dederat. nã petra Christus erat.
Regna Gomorrhæi, Iebusæi, vel Chananæi,
Sorte iubente Dei, tunc lucrabantur Hebræi,
Terrea qui fuerant, terrea dantur eis.
Hæc eadem nos Christicolæ, meruisse videmur,
Et maiora satis cœli pietate tenemus,
Sicut & his ritulis carmina nostra ferunt.
Christus ab Ægypti nos eripuit regione,
Per mare nos rubrum duxit, mersoq; Pharaone,
Mannaq; quotidie nos alit atque fouet.
Tunc mare transimus, tunc à Pharaone redimus,
Tunc dolet Ægyptus, lauacrũ dum fontis adimus,
Tunc sine clade sumus, manna ministrat humus.
Vnda maris rubri, rubeo perhibente colore,
Significat Christum roseo vicisse cruore,
Quo Pharao periit, tartara fracta dolent.
Ille fuit sanguis hœdi morientis & agni,
Quo voluit tangi postes habitantis & angi,
Ne noceat famulos edita plaga suos.
Spiritus è cœlis Deus, in nobis fuit ignis,
Ipse dedit nobis legis sacra dogmata dignis,
In tabulis cordis non tabulis lapidis.
Pro patria Chanaan tulimus cœlestia regna,
Et pro terrenis, speramus habere superna,
Deniq; discipuli sic docuêre sui.
Plura dedit Petro, quam tunc Moses habuisset,
Maior erat Paulus, quàm quisq; propheta fuisset,
Plura dedit reliquis, quam quis in orbe tulit.
Hos fratres, illos seruos, Deus ipse vocauit,
Hos signis & prodigiis magis ipse beauit,
Crede, quòd est Moses his minor atq; Dauid.
Ob terrena Deum populus dilexit Hebræus,

Munera perpetua, non quærit homo Phariſæus,
Nec promiſit eis regna ſuperna Deus.
Diſcipulis Chriſti, ſpes non eſt rebus in iſtis,
Nec docet inſiſti terrenis, regula Chriſti,
In cœlum repit, cœlica dona petit.
Innumeros pars noſtra viros à morte reſoluit,
Quotquot ſunt morbi febresq́, venenaq́ tollit,
Quicquid demoniis iuſſit, vbiq́ fuit.
Idola totius mundi pars noſtra fugauit,
Idolatras ad notitiam veri reuocauit,
Omnis in orbe locus, fert deitatis opus.
De cœlis inſedit eis tunc flaminis ignis,
Dans varijs linguis, variiq́ niteſcere ſignis,
Et ſonus illorum venit in omne ſolum.
Tranſtulit & montes pars hæc dans ſurgere fontes,
Et calcat maria, mundanti à crimine ſontes,
Quando volunt, lapidis lympha pateſcit eis.
Vnda fit his vinum, vinumq́ ſit vnda ſub illis.
Gemmas de minimis fecit pars noſtra lapillis,
De virgis aurum, pars dedit iſta bonum.
Pars ea, ſerpentes domuit, vinxitq́ dracones,
Syluarumq́ feras, tigridesq́, ferosq́ leones,
*Quicquid peſtiferum terra, * populusq́ mouet.*
Ignis & aër eis obſiſtere non potuerunt,
Nam mare placatum, ventosq́, poloſq́ dederunt,
Quorum virtutes, non elementa ferunt.
Vt taceam viuos, cineres aut oſſa bonorum,
Nil minus exercent miracula præteritorum,
Auxiliis quorum ſtatq́ vigetq́ ſolum.

De ſancto Euchario & Materno.

Signa beatorum nequeunt numero numerari,
Attamen hìc vnum de millibus opto notari,
Vnde ſit in reliquis gloria nota magis.
Eucharius fuit, atq́ ſuus collega Maternus,
Diſcipuli Petri, verbum colueꝛe ſupernum,
Quos ſibi trans alpes Petrus abire iubet.
Quumq́ Iouis montem niueo iam calle ſubirent,
Ille Maternus obiit, ſed iter timet alter inire,
Qui Romam rediens indicat acta via.
Præbet ei baculum quo fungitur ordine Petrus,
Tactus eo ſocius ſurrexit pergere ſecum,
Perueniunt Treuerim, prædicat ille Deum.
Dogma Dei ſeritur, baptiſmate terra beatur,
Qui fuit in tumulo, tulit illic pontificatum,
Sedis & efficitur Belgica Roma caput.
Quadraginta dies fuit ille prius tumulatus,
Quitotidem Treueri tulit annis pontificatum,
Eſt & ibi baculus, quo ſibi vita datur.
Hæc vt perpetuis pateant miracula rebus,
Nullus habet baculum Romæ per ſecula præſul,
Hoc erit in Treueri perpetuale decus.

Hìc ponit ſub compendio de ſingulis apoſtolis originem & obitum & virtutem. & primùm de Petro.

Roma prius mundum totum viciſſe videtur,
Solus eam verbo potuit deuincere Petrus,
Petri nanq́ throno ſubiacet omnes homo.

De Paulo.

Raptus & in cœlum Paulus ſit & in paradiſum,
Nocte dieq́ maris iacuit ſub gurgite viuus,
Indeq́ poſt rediens, omnia regna tenet.

De Ioanne.

Regna Ioannis erant ipſo viuente ſuperna,
Apocalypſis eum docuit cœleſtia regna,
Et patefecit ei ſingula facta Dei.
Ille ſuo tumulo poſt quàm voluit ſepeliri,
Eius ibi corpus corrumpere tumba nequiuit,
Viua ſuæ carnis culpa remanſit ibi.
Dixerat ante Deus quòd eum ſic opto manere,
Propterea verè legitur caro viua iacere,
Spiritus in cœlo permanet ante Deum.

De Iacobo.

Multa Hieroſolymis Iacobus miracula fecit,
Corpus ad Hiſpanos diuina potentia iecit.
Quamodo terra Dei munera portat ei.

De Andrea.

Bethſaida patria, ſed apoſtolus à Galilæa,
Extitit Andreas, cuius tibi narro trophæa,
Tu quoq́ Muſa mea ſurge, canamus ea.
Innumeros populos, in lege Dei ſolidauit,
Quinquaginta viros, à morte ſimul reuocauit,
De cruce poſt Chriſtum martyrizatus abit.

De Philippo.

Bethſaidæ ciuis quondam fuit ipſe Philippus,
Occiduos Gallos docuit cognoſcere Chriſtum,
Phrygia Hieropolis, de cruce membra tulit.

De Thoma.

Quid tibi vis promat Gotfridus, Apoſtole Thoma?
India tota bona, tibi ſeruit & ipſa corona
Trans mare, trans Romam iam tua geſta ſonant.

De Matthæo.

Æthiopes nigros benè candidat ille Matheus,
Dans Euangelium Chriſti, verus Phariſæus,
Quorum corda, pius lucidat ipſe Deus.

De Barnaba.

Barnabas Cyprius, Ioſeph fuit antè vocatus,
Moribus & meritis Paulum ſatis eſt imitatus.
Præmia martyrij poſt moriendo tulit.

De Marco.

Marcus, diſcipulus fuerat pro tempore Petri,
Hic Euangelium ſub Tito Cæſare fecit,
In populo Domini plurima ſigna dedit.
Credè quòd ille liber quem Marcus ſcripſerat idem,
Pauſat Aquilegiæ ſaluus, quem tempore ei idem,
Perlegi, vidi, quando morabar ibi.

De Bartholomæo.

Vicit & Armenos vir Bartholomæus & Indos,
Indomitos populos poſuit ſub lege benignos,
Idola comminuit, Aſtaroth, atque Behir.
Filia Polymiti ſub dæmone perdita regis,
Salua fuit, verboq́ ſuit rex dogmata legis,
Suſcipit ipſe Dei, terraq́ credit ei.

Exce-

Excoriatus ad hæc, sanctus fuit atq; peremptus,
Cuius & inuentum corpus, retinet Beneuentum,
Insula sed Tiberi, deputat ossa sibi.

De Iuda.

Frater erat Iacobi Iudas, cognomine Iustus,
In Mesopotamia mansit, sermone venustus,
Et tulit in Ponto plura, labore suo.
Indomitas gentes docuit baptismate fultus,
Est apud Armenos Erichthone sub vrbe sepultus,
Illa sepultura mense Nouembris erat.

De Matthia.

Matthias fuerat vnus de septuaginta,
Qui numerum duodenarium, post sorte subintrat,
Iudæ Iscariotis sit locus vnus ei.

De Simon.

Simon Zelotes, interprete vir Chananæus,
Discipulus Christi, virtutibus est Pharisæus,
Et quasi par Petri seruat, amatq; Deum.
Simon in Ægypto præsul, summusq; virorum
Post Iacobum, fuit antistes Hierosolymorum,
Martyrium subiit, mense Nouembri crucis.

Verba authoris.

His titulis quæ de sanctis, lector tenuisti,
Isidorus docuit, veluti per me didicisti,
Sic tibi contribui, sicut & ipse mihi.

De Luca.

Lucas proselytus, medicus, regioneq; Syrus,
Præditus eloquio, diuino dogmate mirus,
Discipulus Pauli, consociusq; pius.
Christicolis spes magna fuit, vir dogmate fultus,
Castro Bethaniæ cum iam foret ipse sepultus,
Constantinopolim rex pius ossa tulit.

De Timotheo.

Discipulum Pauli describo virum Timotheum,
Enutriuit eum Paulus, puerum Phariſæum,
Et docuit Christum semper amare Deum.
Virgo fuit sanctus, vitaq; fideq; pudicus,
Natus in vrbe Lyson, Pauliq; probatus amicus,
Est apud Ephesios corpus honore situm.

De Tito.

Pauli discipulus fuit omni tempore Titus,
Græcus erat patria, sermone suo redimitus,
Prædicat in Creta, fundat & ecclesias.
Solus apud gentes circuncisus fuit ille:
Iusserat hoc Paulus, deuitans scandala mille,
Creta suum post hæc insula corpus habet.

¶ Verba authoris.

EXpliciunt nomina & ortus & acta patrum principalium super nouum Testamentũ. Incipiemus nunc scribere qualiter lignum sanctæ crucis natum in paradiso fuit, & inde translatum, & in Hierusalem vsque ad tempora Christi seruatum. Dicemus etiam de triginta denariis quibus Christus venditus fuit: quomodo primi in mundo nummi fuerunt, & qualiter de manu in manum ad Christi tempora peruenerunt.

Quòd lignum sanctæ crucis natum fuit in paradiso, & inde in monte Libani trãsplantatum, & Hierosolymis conseruatum.

Narrat Athanasius quoniam Noë patriarcha,
Filiolos genuit binos, egressus ab arca,
Ex quibus Hiontus tunc erat astrologus.
Hic patre narrante didicit quæ sit paradisi
Gloria, quam fuerat protoplasti perdere visi,
Quam petit a Domino, monstret vt ipse sibi.
Raptus in ecstasi decus Hiontus paradisi,
Vidit, & arrisit, loca singula sancta reuisit,
In dubium q; venit, quid sibi causa velit.
Nescit ad hæc, si corpus habet, si stat sine vita,
Aut si cum vita, loca sancta videt redimita,
Cernit inaudita, stans variatus ita.
Nunquid (ait) viuo? si viuo, domúmne rediboꝰ
Sed si non viuo (dixit) remeare nequibo,
Somnia quæ video, sorte probare volo.
In patriam si ferre queam tres ordine fructus,
Viuus ero, si non potero, sine corpore ductus,
Exanimatus eo, nec remeare queo.
*Quæ tria ligna lego, si transplantando eligo,**
Extra corpus ego non sum, sed corpore dego,
Corpus obiisse nego quod ratione rego.

Trias quædam in sacro ligno crucis.

Sic dubius stans Hionitus pater in paradiso,
Qua varios fructus discernens vndiq; visu,
Plantas arboreas tres tulit inde bonas.
Nomina sunt, abies, & palma, fuitq; cypressus,
Quas pater Hionitus feliciter inde regressus,
Plantat diuersis disparibusq; locis.
Sed trahit has natura simul, pariter coalescunt,
Diuersis foliis, vno sub cortice crescunt,
Absq; labore viri, sola fit arbor ibi.
Vnus erat truncus, sed forma triplex foliorum,
Trina fit vnius ligni, natura colorum
Trina, Deum trinum significare volunt.

Quónam tempore fuit hæc arbor hominibus nota.

Tempore quo Dauid, templum iubet ædificari,
Arboris illius cœpit natura notari,
Et noua terrigenis cognita facta parit.
Dum montis Libani succidi sylua iubetur,
Arboris illius species miranda videtur,
Vt videt hanc Dauid, lætus ouanter ait;
Arboris ex trina specie fit trina figura,
Hac ego passuram perpendo Dei genituram,
Vnde salus mundo fit bonitate sua.
Hanc ego præcipio cum religione secari,
Quam volo seruari, thalamoq; meo venerari,
Gaudia nanq; mihi trina figura parit.

Præparatio pro templo Domini construendo per Dauid.

Gestat & assignat lapides rex, multaq; ligna,
Astruit & tigna, cœlesti numine digna,

Vnde domus Domini ſacra, paranda fuit.
Dicit ei Dominus; Quoniam vir ſanguinis es tu,
Nullo prætextu domus hoc fiat mihi queſtu,
Qui poſt te veniet filius extruet hæc.

Dominus vult templum ſuum ab Salomone ædificatum, & præſcribit illi modum.

Morte diem functo Dauid, Salomoneq; ſumpto,
Vox ait à Domino: Salomon, conſtanter agunto,
Ædifices templum, tu mihi pacificus.
Malleus in templo non tinniat atq; ſecuris,
Conſona iuncturis facies ſit lympida muris,
Petris quadratis, omnibus arte datis.
Paruit his Salomon, qui dum ſacra tecta pararet,
Propoſuit lignum, templi ſtatione locare,
Quod pater in thalamo tam reuerenter habet.
Colligitur menſura loci, menſuraq; ligni,
Sed nimis apparet longum, ſub nomine tigni:
Poſt tamen appoſitum, ſtat breuitate minus.
Rurſus in anguſta templi dum parte vocatur,
Dum menſuratum longum nimis eſſe putatur,
Deficit à medio ſub breuitate caput.
Nullius artificis potuit tunc arte parari,
Vt queat ex aliqua templi ſtatione locari,
Miratus Salomon rex, ſapienter ait;
Arbitror hoc lignum, meliori numine dignum,
De cœlis Deus ecce dedit mirabile ſignum,
Hæc ego corde meo, ſigna relinquo Deo.
Ante fores templi iubet hoc rex ipſe reponi,
Vt videant illud, reuereuter ab vrbe coloni,
Sperantes aliquid ſignificare boni.

Regina Auſtri venit conſiderare domum Domini.

Diuerſis ornamentis dum rex parat illa,
Auſtralis regina venit in aula Sibylla,*
Munera dans regi, quæ numeroſa vehit.
Suſcepta reuerenter ea tunc à Salomone,
Illa domum Domini conſiderat & regionem,
Aſpicit & lignum verba beata mouens.
O radix ligni (dixit) tu ſis benedicta,
Cuius & hæc pars eſt pro mundi pace relicta,
Myſtica magna geris, porta ſalutis eris.
Miror (ait) regem ſtudio lignum reuereri,
Per quod Hebræorum video regnum remoueri,
Inde ſalus mundi, mors ſibi (dixit) erit.
Miſſus ab arce poli, de virgine debet oriri,
Quem video cœli, regno, terraq; potiri,
Subiicietur enim terra, polusq; ſibi.

De cruce lignea & paſſione Chriſti.

Innotuit tandem populis verbum mulieris,
Cœpit & in ligno plebs iſta futura vereri,
Odit & hoc hodie, quod per amabat heri.
Sic modò feſtinans populus vitare ruinam,
Hoc in piſcina Siloë demergit ad ima,
Mergitur arbor, atris vt putreſiat aquis.
Temporibus longis, Siloë ſub rupe reſedit,
Extunc de cœlis piſcinæ gratia venit,
Angelus in Siloë corpora ſana dedit,
Hæc etiam fuerat piſcina Probatica dicta,
Quæ poſt exhauſta fuit arbor, nigra relicta,
Temporibus Chriſti nigra iacebat ibi.
Hanc ſub Pilato fuerat Simon angariatus,
Monteq; Caluario fit in hac Ieſus cruciatus,
Furcatum legitur crux habuiſſe caput.
Furca manus tenuit, pedibusq; pependit inima,
Non habuit Chriſtus tunc, quo caput ipſe reclinet,
Nam legimus titulum non tetigiſſe caput.
Tres habuit ſpecies crux vnica, tresq; colores,
Quinq; Deus plagas, tres clauos, quinq; dolores,
Carne quidem moritur, non deitate Deus.

Quòd triginta denarij, quibus venditus eſt Chriſtus, fabricati ſunt tempore Nini regis Aſſyriorum, & de manu in manum vſq; ad Chriſti tẽpora perueuerunt.

Denariis triginta Deum vendit Galilæus,
Quos & Apoſtolus hic deſcribit Bartholomæus,
Vnde prius veniant? quis fabricauit eos?
Fecerat hos nummos Ninus, rex Aſſyriorum,
Et fuit ex auro Thares fabricator eorum,
Cum quibus inſtituit rex Niniuita forum.
Regia denariis erat his impreſſa figura,
Rebus vt æternis exempla daret valitura,
Formaq; ſic fieret perpetuata ſua.
Filius illius Thares, qui dicitur Abram,
Suſtulit hos nummos poſt hæc, cum coniuge Sara,
Quando iubente Deo tranſiit in Chanaan.
His nummis tunc emit agros, ab Hierichonitis,
His etiam Ioſeph eſt emptus ab Iſmaheltis,
Hos tenuit Pharao dives in ære ſuo.
Hosq; Sibylla potens habuit regina Necaula,
Auſtri regina, quæ poſt Salomonis ab aula,
In templum nummos dat reuerenter eos.
Quos Nabuchodonoſor templo prius expoliato,
Detulit in Babylon, vbi militis inſolidatum,
Regibus in Sabba dicimus eſſe datos.
Hos reges Sabba, quos poſt noua ſtella vocauit,
Cum tria, tres ſocij, dona tulêre magi.

De veſte Chriſti, è cœlis (vt putatur) miſſa.

Angelicis monitis his regibus inde regreſſis,
Mittitur è cœlis puero digniſſima veſtis,
Hæc inconſutilis, mira colore fuit.
Hanc pater, è cœlis miſit, non fœmina neuit,
Longa fit atq; breuis, puero creſcente recreuit,
Temporis æquæui, ſtamine texta leui.

Munera Chriſto oblata in fuga non detulit.

Dum iubet Herodes puerum pro morte requiri,
Mater eum timuit, fugiens ad climata Nili,
Ducta metu mortis virgo latebat ibi.
Tunc in ea crypta, tria ſunt hæc dona relicta,
Aurum, thus, myrrha, veſtisq; Dei benedicta,
Paſtores veniunt, ipſaq; dona vehunt.
Vir fuit aſtrologus, qui dona relicta remouit,
Omneq; portentum Chriſti, Perſidam nouit,*
Armenus patria, iuſtus, honeſtus erat.

Reſtituuntur munera & veſtis.

Tem-

Tempore quo Christus docuit, tunc Angelus isti
Dixit, dona Dei redde quæcunq; tulisti,
Munera sacra Dei restituantur ei.
Redditur hæc tunica breuis, in forma puerili,
Iesus vt induitur, modulo fit longa virili,
Vidit & obstupuit mens tremefacta viri.

De nummis proditoriis Iudæ, & agro inde empto.

Denarios triginta Deo quos inde tulerunt,
In Gazam templi, Iesu mandante dederunt,
Quos Iudam pretio, pòst habuisse ferunt.
Detulit hos Iudas Scarioth, facta nece Christi,
Quos reiicit, quia pœnituit pro morte magistri,
Seq; necans laqueo, ventre crepat medio.
Tunc in agrum figuli, nummos ter quinq; dederunt,
Militibusq; suis totidem pro parte tulerunt,
Quos vigiles tumuli, nocte fuisse ferunt.

Authoris cautio sub nummis Iudæ Iscariothis.

Fortè putas lector, contraria me posuisse,
Dum nummos illos ex auro scribo fuisse,
Nam liber argenti nomine, gesta dedit.
Marcus ob argentũ, Dominum descripserat emptũ,
Non auri dixit numismata, siue talentum,
Sed licet hoc taceat, non minus illud erat.
Mos fuit antiquis, auri nomen variare,
Atq; per argentum diuersa metalla vocare,
Hoc vsu, nunquam regula prisca caret.
Nosce quod hæc sanctus, sic scripsit Bartholomæus,
Cuius ad Armenos sermo narratur Hebræus,
Qualiter est auro venditus ipse Deus.
Ergo patente nota solus neget hoc idiota,
Cuius habent vota, non discere facta remota,
Lectores dociles pagina nostra vocat.

¶ De prælio inter Cæsarem & Pompeium facto in Thessalia per Emathios campos.

ANno ab Vrbe condita 710, temporibus Zachariæ & Elisabeth, ante Ioannis Baptistæ natiuitatem, Iulius Cæsar cum Gallorum & Germanorum inæstimabili exercitu, hyemali tempore, Romam tendit. Pompeius vrbem defensare cupiens, vniuersas gentes Orientales, quas ipse suæ ditioni subiecerat, in auxilium per filium suum vocat. Principes Romanorum & senatus, & Lentulus consul, Pompeium Magnum in Græcia morantem, circa tempus quo consules renouandi erant, remoto à consulatu ipso Lentulo, Pompeium Magnum ducem Romanorum, fauore omnium creant. Pompeius ex vna parte, Cæsar ex altera, vniuersas fere mundi copias, Romano sanguine conquisitas, ad effundendum sanguinem Romanum congregauerunt. Iam enim Roma cùm ab aliis vinci non posset, ipsa se vincere conabatur. Iuxta Poëtam dicentem: *In se magna ruunt.*

Igitur octuagintaocto cohortes ex vtroq; latere, in totidem acies disponunt. In campis Thessaliæ vtriq; conueniunt. Res miranda & auditu stupenda. Romani domini, quasi vnius matris & vrbis filij, seipsos cum matre interficiunt, & mater & filij intestinis furoribus euiscerantur. Ambigua itaq; diu sorte pugnantes, dum pars Iulij atrociſſimis congressionibus in acie præualeret, Pompeius terga cõuertit, Cæsar verò mirabiliter triũphauit. Cæsa sunt ibi quindecim millia Pompeianorum, cũ triginta tribus centurionibus.

Pompeius nauigio per Cyprum fugit in Ægyptum. Vbi statim cum ad littus descendit, iussus est à Ptolemæo rege, quem ipse creauerat, ob gratiam Cæsaris decollari.

Vxor Pompeij Cornelia, cum filiis fugit nauigio, & periit. Cæsar Pompeium persequitur, & cùm Alexandriam peruenisset, caput Pompeij cum armilla oblatum est ei. Quo viso, fleuit: & minas intulit his, qui tãtum principem occidere non timuerunt. Cognitis autem contra se Ægyptiorum insidiis, in Ægyptios arma conuertit. Quibus citò deuictis, Cleopatræ regnum dedit Ægyptiorum. Ptolemæus autem cum nauali prælio victus, in scapham fugiens, submersus est, & ab vndis proiectus in littore, per loricam auream cognitus est.

Post hæc Cæsar Romam veniens, consul atq; dictator ab omni populo vocatus est. Deinde contra Pompeianos in Aphricã transtulit bellum, & apud Tapsum cum Iuba & Scipione bellũ conseruit. Vbi Romanorum & barbarorum plurimam stragem fecit. Iuba autem victus, militi suo collum gladio ferienti exhibuit. Scipio verò semetipsum interfecit. Cato rigidus apud Vticam veneno hausto, se interfecit. Cæsar insuper nepotes Pompeij, & filiam eius Pompeiam, iussit occidi. Et sic vrbem cum quatuor triumphis ingreditur. Iterum Cæsar in Hispaniam contra Pompeianos milites proficiscens, cum plurimo sudore illos deuicit. Indeque regressus quatto anno post bellum Thessalicum, in quo Pompeium primò fugauerat, Vrbem totam potentissimè tenebat, atque omnibus dignitatibus in vrbe vacanti-

bus, ipſe tenens omnia, ſolus omnia Cæſar erat.

In ſummo igitur Cæſar culmine conſtitutus, cùm altius non poſſet, nec in eodem ſummo bonæ habitudinis diu conſiſtere, cogitat eum inde fortuna præcipitare. Sanè quum rempublicam contra maiorum patrum inſtitutionem permutat, dum numerum ſenatorum plus iuſto multiplicat, dum ſenatui poteſtatem & honorem debitum non conſeruat, Brutus & Caſſius, conſentiente ſenatu, eum in curia interficiunt. Hanc Cæſaris hiſtoriam nos quidem breuiter tetigimus, ſed Lucanus eam verſificè & plenius eſt proſequutus.

Proœmium authoris, continuantis hiſtoriarum diuerſitates.

POſt opera Domini noſtri Ieſu Chriſti, & poſt aſcenſionem eius in cœlum, ſiue etiam poſt aduentum Spiritus ſancti, necnon poſt apoſtolorum prædicationem, de quibus iuxta paruitatis noſtræ modulum loquuti ſumus; ſequitur vt de Romanis pontificibus, qui ſunt caput omnium Chriſtianorum, dicamus. Quòd ſi apoſtolicos ſimul cum imperatoribus poſitos cerneret, magis appetit * in tractatu omnium Imperatorũ capiat lectionem. Vbi à Iulio Cæſare, vſque ad Carolum, & à Carolo vſque ad dominum imperatorem Fridericum, & ſucceſſorem filium eius Henricum Regem planiſſimè inueniet nomina & tempora, & annos & menſes, & dies eorum, & Apoſtolicorum. Et quot pontifices fuerunt ſub vnoquoq; imperatore.

Geſta autem eorum, non omnia, quum ſit impoſſibile, ſed magis neceſſaria, atque auditu delectabiliora inueniet. In quibus, cuiuſlibet hominis animis poterit iocundari, & erudiri. Quia igitur naſcente Chriſto, imperatores eſſe cœperũt, congruum eſſe conſpicimus, iuxta Chriſti tractatum, nomina & geſta ponere imperatorum: Chriſti enim & imperatorum origo, & geſta, & tempora, ſimul omni tempore currunt.

Et de geſtis Chriſti vel Apoſtolorum vel pontificum Romanorum, aut aliquorum ſanctorum, nihil dicere poſſumus, niſi etiam tempora Imperatorũ tangamus, & plerunque geſta Pontificum Romanorum cum Imperatorum geſtis & temporibus miſceamus.

Itaque ab hoc loco in antea, à primo Cęſare Iulio, & à primo imperatore Octauiano Auguſto, incipiemus: de quibus ſcribendo, nouum Teſtamentum, & acta ſanctorum, cum eis contemporaliter, authore Domino, proferemus. Prius tamen hic de Iob pauca verſibus exponemus, & de Sem, filio Noë, qui & Melchiſedech eſt dictus, qui Deo ante legem, & ante tempora Hebræorum, ſacrificauerunt in pane & vino, cùm ipſi ambo non Hebræi, ſed gentiles fuiſſent.

Quòd Iob rectus fidelisq; fuit, etiam ſi neque Hebræus, neq; Moſeus.

Scriptus Elia vel Enoch, Noë, Moſes, Abraham,
Iſaac atq; Iacob, ſed ſcribitur vltimus hic Iob,
Surge Deus Sabaoth, doctor & actor ad hoc.
Dogmate de cœlis Iob rectus & ore fidelis,
Non fuit Hebraigeneris, neq; vir Moſei,
Et tamen alma Dei gratia fauit ei.
Progenies Eſau, de gentibus eſt oriundus,
Natus & in Sehir, Syriæ regionis alumnus,
Deditus obſequiis, nocte dieq;, Dei.
*Non onis aut vituli ſacri dat, vel ouibus * hœdi,*
Imò Deo cœli quaſi Melchiſedech adoleuit,
Panibus & vino ſacrificanda dedit.
Inde vides lector, quia non prius à Moſeo,
Vita ſacerdotum, nec ab ordine venit Hebræo,
Nam ſacra gentiles prima tulère Deo.
Melchiſedech etenim Gentilis erat Chananæus,
Filius eſt Noëi, Sem nomine, nullus Hebræus
Tunc erat in mundo cum tulit illa Deus.
Melchiſedech Abrahæ dedit hæc libamina vitæ,
Dum ſub eo reges victi fuerant Elamitæ,
Obtulit & decimas tunc prior ille ſuas.
Vnde patet, gentes ad ſacra fuiſſe priores,
Conſtat & Hebræos libamine poſteriores,
Indeq; Chriſticolæ ſacra priora fouent.
Si decimas Abraham pagano ſoluit Hebræus,
Non petat à nobis, ſed ſoluat eas Phariſæus,
Quod prius inſtituit cœlitus ipſe Deus.

PARTIS DECIMÆ QVARTÆ FINIS.

GOT-

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XV.

De discordia inter Cæsarem & Pompeium.

Cæsar apud Gallos summũ cõtraxerat omen,
Suppeditans gentes, deuicerat & regiones,
Sed sine decreto tollere lustra solet.
Concipit inuidiam citò Pompeiana potestas,
Quod sibi lustra socer Cæsar sine canone præstat,
Indeq; lege reum concio damnat eum.
Ira mouet Iulium, quia non damnandus haberi,
Debuit ob meritum, sed charus in Vrbe teneri,
Nunc socer in generum durior hostis erit.
Cæsar vt occiduis regnis potuit dominari,
Æstimat imperij solio se posse leuari,
Vrbis & orbis opes tollere sorte pari.
Cæsar ad imperium potuit conscendere primùm,
Ipse socer generum gladio depellit in imum,
Vulnere depereunt ambo, sed ille prius.
Cessit in Ægyptum Pompeius, vbi Ptolemæi
Spado tollit ei iugulum; lætantur Hebræi,
Deniq; templa Dei rupit amarus eis.

De sepulchro Iulij.

Cætera Cæsarea nequeo narrare trophæa,
Litera Chaldæa nequit, aut Romana chorea:
Sed neq; Musa mea carmine tangit ea.
Nulla manus regum tot prælia mira patrauit,
Nemo suis potuit conatibus assimilari,
Militia fuerit summus & absq; pari.
Mira sepultura stat Cæsaris alta columna,
Dicta fuit Iulia, sed vulgus dicit Agullam,
Aurea concha patet, qua cinis ipse iacet.
Quattuor hic annis, sex mensibus, imperat orbi,
Transfixus gladiis mortalia fata resoluit,
Vulnera dum cecidit bis duodena tulit.
Cassius & Brutus sunt fons & origo malorum,
Ordo senatorum sceleri consensit eorum,
Sanguinis illorum fit modò grande forum.
Lucius Antonius consors fuit Octauiani,
Hi duo, dum Iulij perhibent se morte grauari,
Insimul vltores sunt, feritate pari.
Lucius Octauij sponsam Iulijq; sororem,
Consocij regis matrem refouebat amore,
Cuius & intuitu Cæsaris acta dolet.
Lucius Antonius socio Romæ remanente,
Migrat in Ægyptum, superans ea regna potenter,
Et Pompeianos punit vbiq; malos.
Tunc dedit Antipatri regni moderamen Hebræi,
Abstulit Hircano regimen regni Pharisæi;
Cur? quia Pompeij gratia fauit ei.
Istis temporibus tres fulgent ordine soles.
Tres quoq; stant lunæ nunc cœlitus in regione,
Tunc & aratores verba dedêre boues.
Cur (aiunt) stimulo nos stulte bubulce perurges?
Deficient homines magis, & seges alta resurget,
Nulla fames veniet, lædere parce boues.

Antipater & filij eius Herodes & Phaselus, fiunt procuratores totius Iudææ, Hircano sacerdote in Hierusalem existente.

Cùm foret Antipater gentis moderator Hebrææ,
Filius Herodes recipit curas Galilææ,
Cætera Phaselus frater vbiq; tenet.
Hircanus qui rex fuerat, fit in vrbe sacerdos,
More sacerdotum, reprimitq; regitq; proteruos,
Quattuor hi proceres omnia iura tenent.
Impiger Herodes natu minor acta paterna,
Et loca fraterna, valida virtute gubernat,
Rebus & officiis primus vbiq; fuit.
Vt potuit probitas Herodis multa videri,
Iudicat hunc Roma meritis maiora mereri,
Amodo Tetrarcha vir Galilæus erit.
Dicitur Antipater potu cecidisse veneni,
Vnde suis natis prædicta Tetrarchia venit,
Lucius Antonius his sua signa dedit.
Cùm foret Herodes Tetrarcha super Galilæa,
Natus Aristoboli patria depulsus Hebræa,
Regulus Antigonus regna reposcit ea.
Iure sui patris patriam deposcit Hebræam,
Postulat & Syriam, totamq; petit Galilæam,
Lucius Antonius verba repellit ea.
Nec tamen Antigonus cœpta ratione quiescit,
Transiit ad Persas, vbi Parthica signa capessit,
Et rediit, patriam vincere Marte suam.
Agmina Persarum, vexillaq; Parthica multa,
Detulit Antigonus, nec damna reliquit inulta,
Vrbem Hierusalem præripit atq; tenet.
Abstulit Hircano cum labro complice nasum,
Ne fieret princeps, nec haberet pontificatum,
Hoc etenim Mosi lex inhibebat ibi.
Phaselus captus, manibus pedibusq; ligatur,
Et quia turpis ei cum carcere pœna paratur,
Concutit ad lapides nocte dieq; caput.
Indeq; dum moritur, datur hæc moriendo fateri,
Grata mihi mors est, neq; viuere quæro mereri,
Nam mihi post mortem frater & vltor erit.
Tunc erat Herodes longa statione remotus,
Rex Arabum nam colloquio cognomine Bochus,
Iunctus ei fuerat, militiæq; iocus.
Fama refert fratrem, miseram iam morte perisse,
Antigonum Hierosolymum regnum tenuisse,
Hircanum nasum deseruisse caput.
Territus Herodes, tristis, plenusq; furore,
Quærit opes Bochi regis, belliq; fauore,
Ille timens Parthos prælia nulla mouet.
Anxius Herodes implorat opes Cleopatræ,
Cuius in Ægypto vires sunt vndiq; latè,
Spondet opes mulier, subsidiumq; patet.
Prouidus Herodes timet insidias mulieris,
Cuius auaritia vitio subnectitur æris,
Hoc etenim vitio ius ratioq; perit.
Pergit ad optatum terraq; mariq; senatum,

Conqueritur casum proprium, patriæq; reatum,
Indicat & socios morte perisse suos.
Postulat vltores dominos, vrbisq; fauores,
A quibus Antipater eius habebat honores,
Filius Herodes stat miser ante fores.
Annuit his precibus Cæsar prior Octauianus,
Ordo senatorum fauet, ac populus Medianus,
Annuit Antonius dux, procerumq; manus.
Roma per Antoniũ iubet agmen & arma moueri,
Iam neq; se poterunt Persarum signa tueri,
Præparat & Parthis Parthica bella geri.
Imperat Antigonum prima statione grauari,
Romanumq; ducem Sosium super arma parari,
Qui prior Antigono prima flagella parit.
Nauigat Herodes, Sosio duce, se comitante,
Hierusalem capitur, populus perit, igne cremante,
Persica pompa ruit, Parthica turba luit.
Victus & Antigonus reliquis prius exsuperatis,
Ante pedes socij prece poscit opus pietatis,
Sed magis obtinuit probra, maligna satis.
Antonio dedit Antigonum, regem Pharisæum,
Ille videns captum, regem damnauit Hebræum,
Interimitq; reum longa securis eum.
Rumpere dum templum Romana cupido paratur,
Supplicat Herodes, ne vim Sosius patiatur,
Vixq; sacris Domini pax valitura fuit.
Plus timet Herodes, si dentur sancta videri,
Quam proprij capitis casus mandetur haberi,
Motus ad hæc Sosius, quod petis (inquit) erit.
Nulla reuelata sacra sunt, neq; commaculata,
Nulla prophanata, neq; sunt loca visa beata,
Salua domus Domini, mundaq; tota fuit.
Dona dat Herodes sua regibus atq; magistris,
Plurima significeris tribuit, rerumq; ministris,
Nec fuit immunis miles, in orbe sui.
Re bene patrata, regina venit Cleopatra,
Cuius & Antonij mens fertur amore ligata,
Eius enim studiis nocte dieq; vacat.
Fœmina plena dolis, dum lora teneret amoris,
Consilij Cleopatra malis, sine fronte pudoris,
Corde nephanda colit, quæ vomit ore foris.
Pulchra quidem nimis, absq; fide, regina petulca,
Saccus opum, scelerumq; locus, res crimine fulta,
Ad mala subtilis, nec satiata viris.
Poscit, vt Herodes & Bocus rex Arabita,
Regna simul perdant pariter, statione petita,
Ipsaq; regnorum iure fruatur ita.
Dux, licet ex more nimio præuentus amore,
Renuit Antonius mulieri ferre fauorem,
Vnde nimis grauiter fœmina nisa dolet.
Cui tamen ex parte tribuit, partemq; reliquit,
Vnde nec in totum, sed partim fœmina vicit,
Quæ mortem regum poscit, & ore sitit.
Insuper imperium Cleopatra laborat habere,
Suggerit Antonio summum diadema tenere,
Vrbis & orbis opes tollere posse gerens.
Vrget vt vxorem propriam deponat honore,
Cæsaris Augusti matrem Iulijq; sororem,
Cæsar ob ista dolens iam noua bella mouet.
Reiicit vxorem, mœchamq; tenet Cleopatram,
Sic super Antonium noua sunt certamina nata,
Antonius periit, sic Cleopatra luit.
Imperat Augustus post prælia multa patrata,
Interit Antonius, regina perit Cleopatra,
Eius & vberibus aspidis ora vocant.
Filius & nata quos tunc habuit Cleopatra,
Nomine vulgari sunt Sol & Luna vocata,
Sunt, quasi mancipia, capta, moriq; data.
Ante triumphantis currum de more feruntur,
Ludibriis & conuitiis miseranter aguntur,
Cæsar, vt ille ruit, summus in orbe fuit.

Interfectio Iulij Cæsaris vindicatur per Octauianum & per Antonium.

ANno ab Vrbe condita 715, Iulio Cæsare interfecto, Octauianus simul cum Lucio Antonio, qui sororem Iulij, nomine Octauiã, habebat vxorem, ciuile bellum innouat contra Pompeianos: & post multa prælia bene gesta, Pompeium filium magni Pompeij occidit: & Brutum & Cassium, interfectores Caij Iulij, eousque coëgit, vt ipsi seipsos necarent. Romæ viginti millia militum cingulo militiæ priuauit, triginta millia seruorum dominis eorum restituit: & septem millia seruorum, quorum domini non extabant, patibulo affixit.

Interea Antonius, repudiata sorore Iulij Octauia, transtulit se in Ægyptum: ibique coniunxit sibi adulteram Cleopatram, & Cęsari rebellare tentauit. Octauianus iam domitis omnibus atque subiectis, aduersus Antonium nauale prælium parat: & Brundusio proficiscitur in Cyprum. Congressíque ambo principes, ab hora quinta diei vsque ad septimam, cum vtriusque exercitus detrimento, acerrimè ancipiti victoria pugnauerunt. Sequens pars diei cum sequenti nocte, Cæsari in victoriam cessit. Prior ex bello cum suis fugit Cleopatra, quam fugientem Antonius sequitur. Cæsa ibi duodecim millia de exercitu Antonij feruntur: vulnerata verò sex millia.

Antonius nauali prælio tertiò victus, quartum parans denuò victus est. Dumq; iterum ad struendam classem laborat, omnibus ad Cæsarem confluentibus, in vrbem Alexandriam se recepit, suis omnibus iam destitutus. Vbi dum imminere sibi Cæsarem cerneret, ipse se interfecit. Cleopatra autem appositis ad mamillas serpentibus, mortua fuisse perhibetur: Cæsar autem vrbe Alexandria potitus.

Eo tempore imperium Græcorum finiuit. In hac enim vrbe, ab Alexandro Magno condita, Græcorum reges vsque ad

ad illud tempus regnasse leguntur. Vnde quidam, monarchiam Græcorum vsque ad Octauianum perdurasse, asseruerunt. Nam post mortem Alexãdri Magni, dum principes eius Asiam ab eo conquisitam, inter se partirentur, in quatuor mundi partibus, quatuor regna emerserũt. Inter quæ, duo fuerunt principalia, ad austrum Ægypti; cuius metropolis Alexandria fuit; Ad Orientem verò Syriæ, seu Aquilonem & Mesopotamiæ: cui⁹ caput erat Antiochia, quam Seleucus Magnus rex Antiochus, à nomine patris sui Antiochi, dicitur instaurasse, & in ea sedem regni Babyloniæ collocasse. Nam Antiocnia ante illud tempus vocabatur Reblata. Eratq; tunc caput Syriæ Damascus.

Interea legati Indorum & Scytharum ad Augustum Cæsarem veniunt, pacem petentes. Et sicut olim Alexandro Magno in Babylone posito, omnium regum & nationum Occidẽtalium ab eo pacem legati postulabant, & subiectionem vltrò offerebant; ita nũc vice conuersa, tam ab Oriente quàm ab Occidente legati deditionem ei offerentes occurrunt.

Sic itaque iam sedatis omnium seditionum motibus, toto orbe terrarum pace inaudita seculo iam reddita, totoq; mundo ad Romanorum censum descripto, anno imperij Augusti Cęsaris quadragesimo secundo,

Christus nascitur.

ANno ab Vrbe condita 752. Olympiade 193; [reuolutis ab Adam 5500 annis; regnante in Iudęa Herode, filio Antipatris, alienigena; hebdomada (secũdum Danielẽ) sexagesimasexta, natus est Iesus Christus filius Dei, ex Maria virgine secũdum carnem filius Dauid, in Bethlehem Iudæ. Qui vt vera lux mundi, & vera pax esse monstraretur, eadem nocte, qua natus est, Angelus cum luce magna pastoribus apparens, prædicat gloriam in excelsis Deo & in terra hominibus pacẽ. Cui multitudo cœlestis exercitus consona cantica simul cum eo cantauit.

His dictis de Octauiano Augusto prosaicè, alia de eodem subsequentia, versibus decantemus, vt vtroque ferculo lectores reficiantur.

De exaltatione Octauiani Imperatoris, quem Romani volebant pro Deo habere.

Erigitur nascente Deo rex Octauianus,
Germine Romanus formosus, ad omnia planus,
Militia validus, munere larga manus.
Fit gladius vomer, fiunt de cuspide falces,
Mars siluit, pax emicuit, miles fuit auceps,
Nascentis Christi tempore pax rediit.
Octauianus tunc potuit deus ipse vocari,
Nam bonitate sui meruit reuerendus amari,
Mundus eum coluit totus honore pari.
Vrget eum cœtus, solus Deus vt vocitetur,
Ipse timet, si maior eo post hac orietur,
Ne pereat nomen, perdat & ipse decus.

Idolum Romæ.

Maxima tunc Romæ Capitolica stabat imago,
Cuius in hoc titulo lectoribus acta notabo,
Atque Sibyllino dogmate dicta dabo.
Grandis imago nimis, potuit vix recta leuari,
Sæpe leuata satis, nulla valet arte iuuari,
Quin cadat vlterius, nam recidiua cadit.
Vnius vitulæ tandem datur arte leuari,
Cuius & ingenio potuit sic ipsa locari,
Ne cadat vlterius, stetq; vigore pari.
Sed nec adhuc populus stabat sub imagine tutus,
Spiritus à statua sic est in plebe locutus,
Cum virgo pariet, tunc & imago cadet.
Turba negans partum cum virginitate creari,
Credidit hoc dicto statuæ rem perpetuari,
Dicens, quòd nunquam germina virgo parit.
Octauianus ad hæc rex consulit ore Sibyllam,
Vt Christi causas referat: cui rettulit illa,
Maior te veniet, signa futura vide.
Arte Sibyllina patuit sibi cœlitus ara,
Qua videt angelica manifestiùs agmina clara,
Quæ puero regi cœlica regna parant.
In gremio matris stabat sapientia Patris,
Dextra coronati pueri dat dona beatis,
Cœlitus emicuit gloria multa satis.
Cæsar ait; Video miracula millia mille,
Territus obstupuit nimium, dixitq; Sibyllæ;
Heu, minor hoc puero sum reputandus ego.
Scribe Sibylla mihi, quis nam puer ille vocatur?
Quisve pater suus est, aut quæ regina putatur?
Quod sibi sit regnum? quod diadema datur?
Rettulit illa: Dei Deus est de flamine natus,
Virginis ex vtero sine seminis arte creatus,
Perdita colligere rex sine fine datus.
Desine, Cæsar ait; Deus amodo nolo vocari,
Ille puer Deus est, quem mundus habet venerari,
Cui fauet angelicus cœtus, & vnda maris.
His dictis, Cæsar puerum deuotus adorat,
Nunc aras & thura parans offerre laborat,
Prima Deo cœli tunc ibi thura dedit.
Post annos quinquagenos, mensesq; decenos,
Spiritus Augusti reddit sua tempora cœlo;
Surgit Tiberius nomine functus eo.

De fonte olei qui fluxit in Tiberi.

Magna taberna fuit tunc emeritoria dicta,
Emeritis ascripta viris, vitaq; relicta,
De qua fons olei fluxerat in Tiberim.
Vnde Sibylla canit; Tellus sudore madescet;
Et reliquos versus, quibus hæc tibi causa patescet,
Si super his dubitas, scripta Sibyllæ legas.

De Augusto Cæsare, Tiberio priuigno, & Germanico Imperaoribus.

ANno ab Vrbe condita 756, anno verò ab incarnatione Domini 15, Augustus Cæsar, anno imperij sui 58 diem suum functus est; cui Tiberius priuignus eius in regnum succesſit. Ille moderatiſſimè gubernans rempublicam, nec ciues intus iniuriauit, nec foris bellorum mouit tempestates. Quarto autem imperij eius anno, id est ab incarnatione Domini 19, Germanicus, filius Drusi, pater Calligulæ, de Germanis triumphauit. In tantum autem tunc temporis humanus fertur fuisse Tiberius, vt, dum augenda tributa præsides suaderent, responderit, Boni pastoris esse, pecus tondere, non deglutire.

De templo Isidis Romæ destructo à Tiberio Cæsare.

HIs diebus miles quidam sceleroſus, in templo Isidis, Paulinam matronam, neptem Tiberij, dolo circunuentam stuprauit: sicut hoc eodem capitulo inferius versificè continetur.

De Ioanne Baptista, per idem tempus.

ANno ab incarnatione Domini 30, anno verò Tiberij Cæsaris 15, cùm iã in Iudæa quatuor principes, quos Græci tetrarchas vocant, Archelao mortuo, præsiderent; Iohannes in deserto baptiſmum pœnitentiæ incipit prædicare. Ad cuius baptiſmum Dominus Ieſus aquas sanctificaturus aduenit. Atque extunc prædicare, & facere miracula cœpit. Elegit enim principes duodecim, quos Apoſtolos appellauit. Inter quos, pro bono vnitatis, vnum constituit principem Petrum. Post quos, viros 72 posuit discipulos.

Breui post hæc, tempore interiecto, Ioannes de inceſtuoso connubio arguebat Herodem: propter quod in carcerem ponitur: & in die natalis Herodis (iuxta Euãgelium) inter epulas necatur. Idipsum Iosephus refert, bellumq; maximum pro eo exortum inter Aretham regem Arabum, & Herodem: vbi triumphauit Aretha. Dixit autem Iosephus, hæc propter peccatũ quod in Ioannem Herodes perpetrauerat, accidisse. hæc dixit Iosephus de Ioanne.

De Christo autem idem Iosephus sic scribit: Fuit his temporibus Ieſus, sapiens vir, si tamen virum nominari fas est: erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum qui libenter ea quæ vera sunt, audiunt: & multos quidem Iudæorum, multos etiam de gentibus sibi adiunxit. Et credebatur esse Christus. hũc, qui ab initio eum dilexerant, accusatione primorum nostræ gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum eum esse decreuisset, non deseruerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus, secũdum quod diuinitus inspirati prophetę, hęc & alia de eo innumerabilia miracula futura esse prædixerant. Sed & in odium Christianorum, qui ab ipso sunt nuncupati, & nomen perseuerat & genus.

Hoc propterea ego Gotfridus de religione nostra doctiſſimi viri Iosephi Iudæi in hoc loco testimonium posui, vt ostenderẽ Iudæos de aduentu Christi non ignorare; sed ad damnationis suæ augmentum, inuidia eos excæcatos vera de Christo credere noluisse. Cætera de Tiberio Cæsare & de Christo, & de actibus eius, versibus elucidanda ponemus.

Item de Tiberio Imperatore, secundo ab Augusto, & de Christo, versificè narratur.

Tiberio Roma nunc subiiciuntur honores,
Cuius ad imperium sæuus damnatur Herodes,
Pilatus capitur, gens homicida dolet.
Iudice Tiberio Titus cum Vespasiano
Vindicat in populo Christum, gladio mediano,
Postulat hoc ratio, vult crucifixa caro.
Exiit edictum sub Cæsare, scribitur orbis,
Cœtus apostolicus iam mundat climata morbis,
Et videt in cœlum iam remeare Deum.
Spiritus intonuit, descendit summa potestas,
Dans varias linguas sanctus, miracula præstans,
Idola deficiunt, templa prophana ruunt.
Tiberij lepram diuina Veronica sanat,
Rosa nimis facies sanatur Vespasiana,
Iudaicos populos perdere Titus amat.
Pilatus Christi Romanis dogmata scripsit,
Prædicat esse Deum, quem perfida plebs crucifixit,
Et monet vt viuant amodo lege pia.
Lege noua Christi monet hos, normaq; teneri,
Cuius & imperio totus valet orbis haberi,
Tiberio placuit, quod petis (inquit) erit.
Tunc indignatus, respondit ad ista senatus,
Lex aut archatus, nisi per me canonicatus,
Me quoq; dante datus, non erit orbe ratus.
Sint licet ista bona, non incipit hic mea Roma,
Dedecus aternum portaret nostra corona,
Si qua per imperium lex aliena sonat.
Annis Tiberius vixit tribus & duodenis,
Morte remisit onus, reddens sua tempora cœlis,
Sed prius in terris commoda multa dedit.

De templo deæ Isidis destructo à Tiberio.

Grandis in orbe soli dea scribitur Isidis olim,
Nam quasi voce poli responsa dabat regioni,

Roma

Roma ſuum templum iuſſit in vrbe coli.
Vnica Tiberij neptis, matrona decora,
Iſidis in templo Paulina frequenter adorat,
Vt dea dicta ſibi conferat ampla bona.
Hæc vbi ſæpe meat media conſpecta platea,
Stans quaſi pulchra dea, celebri ſuffulta chorea,
Hanc vt habere queat miles, amabat eam.
Mundus eam quærit, ſed diſplicuit mulieri,
Cras quoq; ſicut heri potuit nihil inde mereri,
Sic ſatis ægrotans, mundus amore perit.
Inde viri facies, pallore coacta liqueſcit,
Carnis adeſt macies, & amoris cauſa pateſcit,
Vnde ſacerdotem poſcit vt addat opem.
Poſcit vt hanc nocte faciat templo reſidere,
Atq; Dei promittat ei reſponſa mouere,
Iſidis in ſpecie dicta doloſa ferens.
Intus erit Mundus, dum venerit ipſa latenter,
Vt quaſi iuncta Deo coëat de nocte libenter,
Deniq; iuncta Deo, ſponte fruetur eo.
Hoc præuenta dolo, Paulina venire monetur,
Iſidis in forma dum mundus ab intus habetur,
Neſcia iuncta viro perdidit illa decus.
Poſt vbi Paulina miles ſe monſtrat eunti,
Dura mihi fueras, inquit, pro te pereunti,
Te tamen obtinui functus amore tui.
Quando Deum tenuiſſe putas, te ſolus adiui,
Iſidis in templo tecum de nocte coiui,
Te ſatis aſciui, teq; fruebar ibi.
Milite pro ſcelere ſatis inſultante ſuperbo,
Audit & obſtupuit mulier triſtiſſima verbo,
Mallet & ipſa mori, quàm malè geſta coli.
Horruit auditam mulier decepta loquelam,
Iudice Tiberio ponens lachrymoſa querelam,
Curia tum doluit totaq; triſtis erat.
Idola Tiberius iubet in Tiberim iaculari,
Atq; ſacerdotes templumq; ſub igne cremari,
Pulſus ab vrbe foras miles honore cadit.
Illaq; tunc ſceleri ſe non fauiſſe probauit,
Deniq; ſe gladio Paulina pudica necauit,
Spiritus & ſanguis ſit mihi teſtis, ait.

Hiſtoria gentis Saxoniæ ſub illo tempore, qualiter venit de Macedonia.

Nunc bene procedo, dum tempora Saxonis edo;
Saxo, velut credo, patria fuit antè Macedo,
Regis Alexandri miles vbiq; fuit.
Rege diem functo, tulit à Babylone meatum,
Circuit Italiam ratibus, veniens Arelatum,
Siculiq; Pharon, tranſit in Oceanum.
Inde per Oceanum Britannica littora tranſit,
Flandria pertimuit, ſed nec ſine clade remanſit,
Guiſara Saxonica terminus eius erat.
Reſpice, tu lector, cui regna notamus auorum,
Non tunc Saxonicum fuerat cognomen eorum,
Imò Turingorum crede fuiſſe ſolum.
Arua Turingorum dum fortè Macedo capeſſit,
Prælia compeſcit ſimulans, quaſi prælia neſcit,
Imò ſuo pretio quærit abinde cibos.
Fraudibus oſtenta mercator habens alimenta,
Falſaq; frumenta vendit, mercede retenta,
Vendit ei carè, nec ſine fraude parat.
Plenus erat terra falſo velamine ſaccus,
Deſuper oſtenſus, pretio dum creditur aptus,
Inferius latè vendita terra patet.
Fraude reuelata, grauis eſt deriſio nata,
Et nimis irata doluit gens ludificata,
Vnde ferunt patriam venditione datam.
Conſilium capiunt, vt vendita terra ſeratur,
Quicquid enim ſeritur, ratio iubet vt repetatur.
Semine ſic illis vendita terra datur.
Dum iacet in ſaccis cariſſima terra tenetur,
Nam per eam patria ſibi tradita tota videtur,
Saxo rapit penitus littora, rura, decus.
Fraus mala ſaccorum fuit incentiua malorum,
Fraude Turingorum mors & labor inſtat eorum,
Iure Macedonibus tollitur omne ſolum.
Hinc oritur guerra, ſeritur pro ſemine terra,
Terra ſuper terram, patriam facit inſita ſeruam,
Pars eniſa dolo ſit viduata ſolo.
Mentis in ardore dat bella Macedo furore,
Victa Turinga dolens fugit hinc aſperſa rubore,
Pacis opus petiit, fœdus inire volens.
Fœderis actores, pacis poſuêre tenores,
Vt patriam pariter teneant, lucrentur honores,
Armaq; per populum nulla ferenda fore.
Pax vbi congeritur, ſub fraude Macedo veretur,
Ne male fruſtretur, ſi totus inermis habetur,
Vnde breues gladios, clam tulit arte ſecus.
Ipſe breuis gladius apud illos ſaxo vocatur,
Vnde ſibi Saxo nomen peperiſſe notatur,
His quoq; cultellis vita redempta fuit.
Ordine pacifico dum terra quieta locatur,
Vndiq; Saxonibus ſua mors occulta paratur,
Viq; dolo pereant torua Turinga parat.
Fraude mori dignus ſua congerit arma Turingus,
Pacis habens pignus, mouet ardua bella malignus,
Irruit in proceres, arma doloſus habens.
Saxo ſuo more cultro defendit honorem,
Hoſtibus ingeritur audacior ipſe leone,
Ictibus eripitur, victa Turinga dolet.
Gentis honorata viguit victoria latè,
Nam quoſcunq; placet, ſuperant, ſolita probitate,
Quod loquor ecce patet, ſubdita terra iacet.

De morte Tiberij, & exaltatione Caij Caligulæ, tertij ab Auguſto.

ANno ab Vrbe condita 785; anno verò ab incarnatione Domini 39, Tiberius, vigeſimotertio imperij ſui anno, venenō periit. Cui ſuccedit Caius Caligula, tertius ab Auguſto, vir omniū ante ſe ſceleratiſſimus. Sorores enim ſuas, quas ipſe primò ſtupro polluit, poſtmodum exilio damnauit, & aliis innumeris ſe criminibus horribilibus inquinauit. Quarto autem anno imperij ſui, à ſenatu interficitur. Inuenti ſunt poſt mortē eius duo libelli, quorum vnus Pugio, alter Gladius dicebatur: in quibus electiſſimorum Romanorū nomina ſcripta erant, quos ipſe occidere propoſuerat. Arca etiam, cum vaſis multis venenis plenis, apud eum inuenta eſt: quæ ſcilicet vaſa, in mare fuſa, plurimos piſciū interfecerunt. Hæc de Caio Caligula, ad memoriam ſuarum iniquitatum, proſaicè

dicta sufficiant. Cætera gesta, sibi contemporanea, de aliis, versibus supponam.

Item de eodem Caio Caligula Imperatore, versificè dictum.

Caius Caligula fit Cæsar, ad omnia sæuus,
Nunc Euangelium describit in orbe Matheus,
Vt prius in terris iusserat ipse Deus.
Caius Caligula bello superauit Hebræos,
Interimit gladio, seruosq; facit Pharisæos,
In templo Domini collocat ipse deos.
Nomine quippe suo, Iouis est ibi grandis imago,
Hanc & adorare mandatur Hebræa propago,
Chronica sic referunt vt recitator ago.
Quattuor his annis, sex mensibus enumeratis,
Caius exsoluit Cæsar sua tempora fatis,
Gaudia Iudæis mors dedit ampla satis.
Tunc apud Antiochos Petrus pro præsule sedit.
Cuius & in Christo monitis prouincia credit,
Tunc quoq; Cornelio dogmata sacra dedit.
Tunc etiam legitur fieri conuersio Pauli,
Cuius & ecclesia monitis reuerenter obaudit,
Qui Stephanus fuerat, iam protomartyr erat.

De exaltatione Claudij Imperatoris, quarti ab Augusto.

ANno ab Vrbe condita 805; anno verò ab incarnatione Domini 44. occiso Caio Caligula, Tiberius Claudius imperat, quartus ab Augusto. Sub hoc Claudio Herodes (Iosepho testante) Iacobum fecit occidi, & Petrum tenuit in vinculis, quem Angelus eduxit, & liberauit. Hoc scelus ab Herode perpetratum, vltio diuina puniuit. Quod Lucas scribens, sic ait: *Cùm* (inquit) *Cæsaream descendisset Herodes, & in die solenni regia veste præclarè indutus, pro tribunali sedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum: Cumq; populus acclamaret ei, tanquam Deo, non sicut homini, statim percussit eum Angelus Domini, eo quòd nõ dedit gloriam Deo: & scatens vermibus expirauit.* A Iosepho hoc idem, sed prolixius dictum inuenies.

Hoc tempore Apostoli in omnes fines orbis diuisi sunt: Petrus Romam sortitur: Paulus, qui alios sapiẽtia præcellebat, Græcos sapientes inuadit: Iohannes inuadit Asiam; Andreas Achaiam; Matthæus Æthiopiam; Thomas & Bartholomæus vtranque Indiam; Simon Thaddæus Ægyptum & Mesopotamiã, deinde Persidem & Scythiam: Philippus, Hierapolim: Iacobus in Iudæa remanens Hierosolymorum rexit ecclesiã: nam alter Iacobus ab Herode fuerat decollatus: qui tamen, vt dicitur, prius Hispanis prædicauerat, vbi adhuc sepulchrum eius habetur clarissimum.

Isti apostoli non armis, sed verbis & miraculis orbem aggressi, non alieno, sed suo proprio sanguine triumphantes, meliùs quàm Romani vicerunt.

Anno itaque imperij Claudij septimo, tanta seditio in solennitate paschæ Hierosolymis orta est, vt de his qui cõstipatione populi in foribus templi opprimerentur, triginta millia Iudæorum inuenirentur extincta.

Anno imperij Caij nono, omnes Iudæi ab Vrbe sunt expulsi, quod tam Iosephus, quã Suetonius dicunt. *Claudius* (inquiunt) *Iudæos, assiduè tumultuantes, ab Vrbe expulit.* Claudius viginti senatores, & trecentos equites, paruis de causis perdidit. Ipse verò Claudius quartodecimo imperij sui anno, veneno periit; Nero autẽ ei in imperium successit.

De exaltatione Neronis Imperatoris quinti ab Augusto.

ANno ab Vrbe condita 857; anno autẽ ab incarnatione Domini 59, Nero quintus ab Augusto imperium suscepit, vir omnium flagitiosissimus: qui Caium Caligulam auunculum suum, nequitia superauit. Tantæ nanque petulantiæ fuit, vt assumpto varij vestitus decore, tam Græciæ quàm Italiæ vrbes, & theatra perlustraret, ipsosq; histriones suis ioculationibus vinceret. Luxuriæ tam effrænis fuit, vt aurea sibi retia ad piscãdum, & domum auream ad habitandum pararet. Vrbẽ fecit in duodecim partibus succendi: quæ quum per septem dies arsisset, ipse in altissima turri stans, cantilenas de incendio Troiæ quondam compositas lætissimus decantabat.

Nero matrem & sororem stuprare non abhorruit: Senecam magistrum suum interfecit: Nero primus in christianos mouit seditionem: Matrem suam euiscerauit. Nero audiens Galbam in Hispania ab exercitu imperatorem esse creatum, animo fractus, à senatu hostis pronunciatur. Ipse fugiens apud quartum lapidem ab Vrbe seipsum occidit, & (vt dicitur) à lupis est deuoratus. Cætera de Caio & de Nerone, versibus explicamus.

De Nerone, versificè.

Scandit Nero thronum, blasphemus in orbe colonus,
Nulla sorte bonus, neq; dignus honore patronus,
Saccus opum, scelerum signifer, orbis onus.
Nero suæ matris iubet intima viscera findi,
Quo loculo stringi potuit, quo spermate gigni,
Quo iacet alueolo matre creatus homo.

Nero

Nero suam Romam voluit comburere magnam,
Cernere tunc cupiens quantam daret vndiq; flam-
Vt viduata latè gaudia Roma daret. (mam,
Nero puer quondam, fertur metuisse magistrum,
Dum tenet imperium, metuisse fatetur idipsum,
Vnde virum Senecam, dum timet, ipse necat.
Nero magum Simonem scelerum nutritor amauit,
Cuius & intuitu, Petrum, Paulumq; necauit,
Ipse lupis rabidis perfidus esca fuit.
Gesta Magi Simonis vel regis culpa Neronis,
Regibus exemplum pariunt, frænumq; furoris,
Suntq; timor reprobis, spesq; beata bonis.

Chronica contemporanea de Clodouæo rege Francorum.

Nunc baptizatur Clodouæus in vrbe Remensi,
Angelus è cœlis oleum dedit omnipotentis,
Gratia baptismi quo celebrata fuit.
Fertur adhuc oleum cœleste Remis retineri,
Quo reges vncti, soliti sunt regna mereri,
Vnctio Francigenis hac ita semper erit.
Tempore Tiberij, Caijq; simulq; Neronis,
Petrus erat papa Romæ, qui religionis
Dogma fidemq; Dei primus in vrbe colit.
Petrus in Antiochis octonis sederat annis,
Bisq; decem Romæ seruit diuina tyrannis,
Insuper & quinque sedit & octo dies.
Euangelistam Marcum fertur docuisse,
Qua crucifixus erat Petrus, tumulum tulit ipse,
Rasuram capitis primus & ipse tulit.
Linus erat viuente Petro, viuente Nerone,
Nanq; vices eius gessit, Tuscus regione,
Annis quindenis vltima fata colens.
Et Cletus viuente Petro, Lino sociatur,
Qui simul exterius curabant pontificatum,
Sed dabat interius dogmata sacra Petrus.
Tradita non erat his papalis plena potestas,
Nec ligat aut soluit Linus Cletúsve, sed extant,
Sub vice pontificis pondera ferre Petri.
Qui socius Lini fuerat pro tempore Cletus,
Annis ter senis Romæ sedisse videtur,
Quorum temporibus vixit in Vrbe Petrus.

De Galba, & de Othone, & de Vitellio, electis Imperatoribus, & de Vespasiano.

GAlba sextus ab Augusto Imperator, Neronis morte comperta, Romam venit: vbi dum nobilem quendam, nomine Pisonem, sibi in filium adoptasset, ab Othone, tam Galba quàm Piso, septimo imperij sui mense necantur. Itaque dum Romæ Otho vsurpat imperium, Vitellius in Germania idem arripere conatur.

Item Vespasianus in Syria, contra Iudæos à Nerone transmissus, multis malis eos attriuerat: & Iosephum, eorum prudentissimum ac sapientissimum sacerdotem, in vinculis tenebat. Citò Vespasianus ab exercitu Neronis Imperator creatur. Iosephus iste, de quo tam sæpe loquimur, filius Matthiæ, nō solùm inter Iudæos, sed etiam apud Romanos postmodum tantæ authoritatis fuit, vt statua ei in Vrbe donata, libri quoque eius bibliothecæ traderentur. Eius autem opera sunt in historia 20 librorum Antiquitatum. Liber etiam Machabæorum secundus, ab eo dicitur compositus. Otho contra Vitellium bellum parat: vbi dum primò circa Alpes: secundò iuxta Placentiam; tertiò in loco qui dicitur Castoris, victor fuisset: quartò, quū suos iam vinci vidisset, seipsum occidit, mense tertio, quo cœperat imperare. Vitellius Romam veniens regnum vsurpat. Multisq; ibi crudeliter actis, cùm audisset de Vespasiano, primò quidem regnum dimittere cogitat, sed postea confortatus à sociis, Sabinum fratrem Vespasiani, cum suis in Capitolium fugauit; ibique eum & suos omnes incendio & ruina, vno tumulo, & mori & sepeliri coëgit.

Vespasianus autem hortatu principum, & Iosephi suprà memorati, suscepit imperium; relictoq; Tito filio suo in obsidione Hierosolymorum, ipse per Alexandriam, Romam venit. Interea Vitellius à suis capitur, & tam per viam sacrā, quàm per forum, turpiter ductus, vnco trahitur, & mersus in Tiberim communi caruit sepultura.

Igitur à passione Domini quadraginta annorum spatio iam transacto, quem terminum Iudæis Deus tunc ad spatium pœnitentiæ indulsisse videtur, quum pœnitentiam despicerent, imò interficiendo duos Iacobos & Stephanum, peccata multiplicarent: vltio diuina, sicut eis à Domino prædictum fuerat, populo impiissimo superuenit. Sancti viri, qui tunc erant Hierosolymis, reuelatione diuina præmoniti, ab Vrbe secedunt, & in castello quod dicitur Pella, se claudunt.

Ciuitas Hierusalem Titi obsidione cingitur, in die magno paschalis solennitatis, cùm populi extranei totius Iudææ illuc cōfluxissent. Vrbs tandem, cum multo sanguine Romanorum capitur; templum autem, vbi principes se & sacerdotes receperant, maximo postmodum legitur labore deuictum.

Titus itaque vrbem & templum, iuxta prophetiam Domini Iesu Christi, deleuit; nam lapidem super lapidem non reliquit. año 1100 à restitutione ipsius tēpli, quādo restaurauit illud Darius fili⁹ Hystaspis rex Persarum. Ibi 6000 Iudæorū interfecta legūtur, secūdū scripta Cornelij & Suetonij.

Qui autem Iudęorum miſerabilem occiſionem pleniùs cognoſcere volunt, legant Ioſephum hiſtoriographum eorum; qui in ipſa die paſchali, tanquam vno carcere diuina diſpoſitione concluſos, triceſies centena millia commemorat in Vrbe fuiſſe. Ex quibus vndecies centena millia, igne, fame, ferro perierunt, præter illos qui in villis & caſtellis aliis ſunt extincti.

Adiecit inſuper Ioſephus in hæc verba: Æſtimo, quia ſi eundem impiiſſimum populum Romani punire diſtuliſſent, aut hiatu terræ, aut aquæ diluuio, aut ignibus Sodomitanis & fulminibus de cœlo miſſis, eadẽ ciuitas ſupplicia pertuliſſet: quia nequiorem protulit ætatẽ hominum, quàm illi fuerint, qui eadem ſupplicia primitùs protulerunt.

Iudæi qui tunc occiſi non ſunt, 80000 fuiſſe legimus, qui vſq; in præſentem diem per totum orbem diſperſi cernuntur.

Titus poſt triumphum tam magnificũ, à toto exercitu imperator eſt appellatus. Veſpaſianus ſimul cum Tito, Vrbẽ ingreditur, vbi triumpho maximo & inaudito, vno curru ſedens cum filio, ductis ante ſe captiuis, & bibliotheca Iudæorum, ſuſcipitur. His diebus valde aucta eſt Reſpublica: denique Achaia, Lycia, Rhodus, Byzãtium, Samothracia, Cilicia & Comogena, in prouinciam Romanorum redacti, Romanis legibus & iudiciis paruerunt.

Veſpaſianus anno decimo imperij ſui, fluxu ventris in propria villa ſua moritur, inxta terram Sabinorum. Titus autem filius eius, Octauus ab Auguſto ſuccedit, excluſis à catalogo Imperatorum Vitellio & Othone. fuit autem vir moderatiſſimus, qui frequenter dixit; Dies perditur, in qua bonum non operamur. Anno imperij ſui ſecũdo, in villa qua & pater eius obiit, cum planctu omnium Romanorum defunctus eſt. Cætera de eodem verſificè canamus.

Item de exaltatione Veſpaſiani & Titi Imperatoris, octauo ab Auguſto, verſificè dictum.

Tempore Tiberij rex Veſpaſianus habetur,
Qui poſt Neronem Romæ diadema meretur,
Hic & Hebræorum deſtruit omne decus.
Imperioſa manus conſurgit Veſpaſianus,
Filius eſt Titus, quem poſt hunc laude canamus,
Vrbibus amborum creuit in orbe ſalus.
Filius atq; pater populos deſtruxit Hebræos,
Pro ſolo nummo triginta dedit Phariſæos,
Sicut ab his emptus ſcribitur ipſe Deus.
Annis viginti fuit hic Titusq; duobus,
Claruit ipſorum ſuper omnia climata robur,
Inuiſoſq; Deo perdit vterq; reos.

De exaltatione Titi Imperatoris.

Titus honoratus populo plaudente leuatus,
Prorſus Hebræorum legitur puniſſe reatus,
Clarus in eloquio, lux erat in populo.
Hic dedit Hebræis æterno tempore luctum,
Perditur illa dies (dixit) quæ ſtat ſine fructu,
Nil valet (inquit) honor Cæſaris abſque bono.
Papa fuit Clemens, Tito diadema tenente,
Anni ter terni menſes duo, quo moriente,
Tranſierant, & ad hæc octo duoq; dies.

De exaltatione Domiciani Imperatoris, noni ab Auguſto.

ANno ab Vrbe condita 825; anno autẽ ab incarnatione Domini 83, Domicianus nonus ab Auguſto, Tito fratri ſuo ſuccedit. Iſte ſuos, tã occiſione quàm exiliis iniquè tractauit. Romanum exercitum apud Germanos & Dacos incautè perdidit. Iſte in tantam veſaniam deuenit, quòd Deum & Dominum ſe iuſſerit appellari. Ad ſimilitudinem Neronis in Chriſtianos mouit perſequutionem. Ipſe Ioànnem Euangeliſtam, vltimum tunc Apoſtolorum, in Patmo inſula exilio relegauit, vbi etiam ſcripſit Apocalypſim. Domicianus in palatio ſuo occiſus, anno decimoquinto imperij ſui, dedecorosè legitur fuiſſe ſepultus: cui Nerua ſuccedit, decimus ab Auguſto.

Item de eodem Domiciano, verſificè dictum.

Titi Germanus nunc regnat Domicianus,
Perfidus, inſanus, ſanctis crudelis, amarus,
Perdat vt Eccleſias mittit vbiq; manus.
Dauidica de ſtirpe viros poſt quàm ſuperauit,
Amodo ne reges fierent, omnino necauit,
Sic genus illorum prorſus honore cadit.
Sæuus in imperio tu Domiciane tyranne,
Mittis in exilium populo plangente Ioannem,
Tu male diſcedis, clarior ille redit.
Rex annos ſex atq; decem vixiſſe notatur,
Tunc & Anacletus Romæ ſediſſe putatur,
Græcus ab Athenis, clarus in Vrbe fuit.
Vixit Anacletus annis Romæ duodenis,
Atq; dies ſeptem, cum menſibus ordine denis,
Poſt & Alexander nomine papa venit.

De Nerua Imperatore, decimo ab Auguſto.

Domicianus obit, ſed Nerua fit actor honoris,
Qui citò lege fori damnauit geſta prioris,
Nec patitur regis geſta maligna coli.
Fama Ioannis adeſt, vir ab exilio reuocatur,
Omne quod inſtituit rex impius, euacuatur,
Omne malum reiicit Nerua, quod ille tulit.
Imperium Neruæ ſpatio præciditur anni,

Tempo-

Tempore cuius erat celebris doctrina Ioannis,
Nunc & Alexander papa beatus adest.
Annis ter senis viuentis tempore plenis,
Mensibus & septem, sua tempora præsul ademit,
His tamen ad requiem tres superadde dies.

De Traiano Imperatore, vndecimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 95, Nerua, vnius anni imperator, qui omnes exilio detentos iusserat reuocari, mortuus est. Cui succedit Traianus, vndecimus ab Augusto; quem Nerua, adhuc viuens, in filium adoptauerat. Iste in vrbe Agrippina, quæ hodie vocatur Colonia, in Francia, Imperij culmen accepit, & multas gentes trans Rhenum & trans Danubium, prudenter subegit. In Oriente etiam vltra Euphratē, & vltra Babyloniam, multas regiones subiugauit.

Iste Christianos persequi incepit: sed citò cessauit. Eius tēporibus domus aurea Neroris, ictu fulminis incensa est, & cremata. Eo tempore Ioannes solus, sine sanguinis effusione, apud Ephesum in pace migrauit. Traianus decimonono anno imperij sui obiit, per fluxum ventris.

Item de eodem Traiano, versificè dictum.

Traianus Romæ, Syriam tenet & Babylonem,
Finibus Indorum multas subiicit regiones,
Alter Alexander plurima bella mouens.
Cæsare Traiano mediis regnante sub annis,
Intonat Ecclesiis obitum venisse Ioannis,
Transiit in tumulum corpus, & ante Deum.
Annis quindenis lux Cæsaris vltima venit,
Præsul Alexander Romæ tunc Papa resedit,
Cuius apud Neruam tempora scripta dedi.
Traiano iam defuncto post tempora multa,
Gregorio papa, Romana potentia functa,
Traiani Regis gesta vetusta legit.
Prælia gesturus pergebat ab Vrbe monarchus,
Pontis apud Tiberim properans dum transiit arcus,
Obuia stat vidua, mota querela sonat.
Stes (ait illa) meum rediens vlciscere natum,
Nam morior, dum sic video ceruice necatum,
Hoc scelus imperium vindicet, ecce caput.
Cæsar ait; pugnabo prius, curabo redire:
Illa refert; si non redeas, quo vindice fiet?
Quam laudem Deus hic te meruisse sciet?
Rex satis iratus, iubet vt vindicta feratur;
Post abiit, sed non redijt, quia Marte necatur;
Vnde virum laudem plus meruisse patet.
Hoc pietatis opus dum Gregorio memoratur,
Ingemuit, pro morte viri multum lachrymatus,
Orat vt alma Dei dextera parcat ei.
Dum tacet in precibus, stans angelus increpat illum,
Scis quia non habuit baptismatis ille sigillum?
Quomodo tu lachrymis dona neganda petis?
Ast homo tu pacis, opus expetis hoc pietatis,
Quo semel indulto, non amplius ista petatis,
Traianus requiem, te rogitante, capit.
Excessit præsul, sed non permansit inultum,
Angelico pulsu femur eius tempore multo
Claudicat, & pœna corpore signa tenet.

¶ Chronica.

TEmpore Traiani, Clementi papæ successit Euaristus Romæ. Apud Antiochiam post Euodiū succedit Ignatius. Hierosolymis verò erat tunc Episcopus Polycarpus. Anno autem Traiani duodecimo, post papam Euaristum succedit Alexander Romæ. Apud Alexandriam post Cerdonem succedit Primus. Antiochiæ autem post Ignatium succedit Heros.

De Adriano Imperatore, duodecimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 118, Adrianus duodecimus ab Augusto, suscepit imperium. Adrianus cognominatus est Ælius, ab Ælia vrbe, quæ prius vocabatur Hierusalem. Iste etiam Pater patriæ vocatus est, pro eo quod iustus & misericors esset, & tributa debita omnibus remisisset; Iudæos in Palæstinā, id est in Hierusalem, quæ tunc ab ipso Adriano Ælia est appellata, redire volētes prohibuit: sed Christianos ibi habitare permisit; præcipiens, ne vltra Iudæis in eā reuertendi licentia præstaretur. Eo tempore Egesippus doctor fidei Christianæ clarissimus habebatur, qui ex Apostolica prædicatione quinque libros composuit, & historiam Iudęorum à Machabæis vsq; ad excidium Hierusalem, luculenter descripsit. Adrianus anno imperij sui decimooctauo obiit.

Item de eodem Adriano dictum versificè.

Cæsar Adrianus, functus diademate Romæ,
Vrbis Hierusalem cupiens extinguere nomen,
Nominat hanc Æliam, rem variare volens.
Imperat Hebræis per climata, per regiones,
Ne vocitent hanc Hierusalem, sententia Romæ
Iussit vt hoc Ælia nomen in orbe sonet.

¶ Chronica.

ANno tertio Adriani, obiit papa Alexander, cui Xistus succedit. In Alexādria mortuo Primo succedit Iustus. Eo tēpore vrbs Hierusalē ab Adriano Ælia vocabatur, & à gentibus inhabitabatur: propter quod etiā carebat Episcopo. Sed postea Christianis in ea esse incipiētibus, prior eorū fuit episc. Marcus, Xisto iam mortuo papa, & Telesphoro sedēte. In Alexandria verò, post Iustū Eumenides erat episcop⁹.

De Antonino Pio Imperatore, decimotertio ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 139, Antoninus Pius susçipit imperium, decimustertius ab Augusto. Iste etiam Pater patriæ dictus est: qui iuxta duodecimũ ab Vrbe lapidem, anno vigesimo imperij sui obiit. Cætera de Antonino Pio, versus insinuabunt.

Sed hoc nota, quòd anno Antonini primo Telesphorus, vndecim annis papatu retento, obiit; cui Iginus est substitutus. Igino succedit Pius papa. In Alexãdriam post Eumenidem succedit Marcus. Pius papa moriens, Aniceto papatum reliquit. Marcus in Alexandria substituit Celadionem. Egesippus historiographus dicit, se tempore Aniceti Romam venisse.

Item de eodem Antonino Pio, versificè dictum.

Antoninus Pius est patriæ pater inde vocatus,
Parcere subiectis quia fertur vbiq; paratus,
Non cogit populos ferre tributa suos.

Galenus medicus.

Huius temporibus fulget medicus Galenus,
Qui dedit antidotum, cuius nos dogmata tenemus,
Tempus Hippocratis diximus esse prius.
Imperat Antoninus viginti circiter annos,
Papa Telesphorus est Græcus, Romæ venerandus,
Annis vndenis, qui sua fata dedit.
Insuper & septem menses consistere rebus,
Fertur, & vndenis vitam finisse diebus,
Vtilis in populo, dignior ante Deum.

De Antonino iuniore, & Aurelio Commodo, fratre suo, decimoquarto ab Augusto; & de papa sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 145, Antoninus iunior cognominatus Verus, cum Commodo Aurelio fratre imperium susçepit. Hi Vologesum regem Parthorum, Armeniam, Cappadociam Syriamque vastantem, graui bello pressérunt. Antoninus anno imperij sui 19, moritur in Pannonia. Cui filius eius Commodus, decimusquintus ab Augusto succedit. Iste Commodus multos ex senatoribus interfecit, & Reipubl. per omnia incommodus fuit: nisi quòd contra Germanos bellum feliciter gessit.

Per idem tempus innumeræ hæreses emerserunt. Inter quas Taciani cuiusdam hæresis magis pestifera fuit. Nã ab omnib⁹ animalibus abstinendum prædicabat, ingratus existens Deo, qui hæc humanis visbus procreauit. Item nuptias refutabat, accusans Deum, qui eas ad restaurationem humani generis fecit: aduersus quem Clemens scribens, inter cætera sic dicit: *An & Apostolos improbas? Petrus enim & Philippus vxores habuerunt, & filias etiam virgines nuptui dederunt.*

Eo tempore, Capitolium Romæ fulmine percutitur, & bibliotheca Romanorũ magna magnorum studiis composita, ibidem concrematur. Aliud etiam incẽdium Romæ tunc exortum, templum deæ Vestæ, & palatium, & plurimas vrbis partes consumpsit.

Commodus post multa flagitia perpetrata, in domo Vestilia dicitur fuisse strangulatus, 13 imperij sui anno. Cui successit Ælius senex. Cętera de Antonino iuniore, & de Commodo, versificè leguntur. Sed hîc nota, quòd his diebus mortuo papa Aniceto, succedit Romæ Soter. In Alexandria verò Agrippinus erat substitutus: Antiochiæ autem post Heronem, Cornelius est substitutus. Eodemq; Cornelio defuncto Theophilus sextus ab Apostolis sedebat.

Item de eodem Pio Antonino, versificè narratur; & de papa sui temporis.

Iunior Antoninus, rex æmulus ecclesiarum,
Errorem sequitur sub schismate Cataphrygarum,
Fertur & ecclesiis non nocuisse parum.
Tunc erat Iginus Romanus papa beatus,
Quattuor atq; decem regit annis pontificatum,
Plus quoq; tres menses, insuper octo dies.
Imperat Antoninus minor, annis non duodenis,
Commodus imperio post eius tempora venit,
Tractatus cuius iam recolendus erit.

De Commodo Imperatore, quintodecimo ab Augusto, post Antoninum iuniorem.

Commodus imperio felici tempore viuit,
Theodosium nunc Philosophus sua carmina scribit,
Summus & interpres tunc erat ille sibi.
Discipulus Pauli nunc Trophymus est Arelati,
Præsulis Irenij sunt dogmate clarificati
Quosquos Lugdunum siue Vienna capit.
Commodus imperio quindenis vixerat annis,
Insuper & septem Romæ dignè memorandis,
Regibus & populis charus in orbe fuit.
Nunc & Anicetus Romæ stat papa, secundus,
Natus apud Calabres, vir nobilis atq; facundus,
Annis ter ternis qui sua fata dedit.
Bisq; decem superadde dies, mensesq; quaternos,
Eius doctrina legimus gaudere modernos,
Cuius & in Romagesta beata sonant.

De

De Ælio Imperatore, decimosexto ab Augusto, qui cognominatur Pertinax, & chronica sui temporis, & de Papa sui temporis.

AElius senex, decimussextus ab Augusto, ex hoc quod ad regnum electus, pertinaciter restitit, Pertinax dictus est: quem quinto mẽse quo regnare cœperat, vel secundo, alios imperio anno imperij sui* Iulianus Iurisperitus, in placido occidit: qui dum regnum inuadere molitur, à Seuero iuxta pontem Miluiũ vita priuatur.

Item de eodem Ælio Imperatore, & de Papa sui temporis.

Ælius vnius anni statione resedit,
Attamen in populo qui sufficienter obedit,
Viribus & meritis commoda multa dedit.
Papa Pius, Romæ fuit annis tunc duodenis,
Bisq; decem superadde dies, quibus ordine sedit,
Plurima Romanis dogmata sancta dedit.

De Claudio Imperatore, decimoseptimo ab Augusto; & de papa sui temporis.

Claudius imperium recipit cum pace paratum,
Cui fundit sua Roma preces, rogitante senatu,
Romanis natum præstet vt esse caput.
Ipse refert; vitiis satis est regnasse paternis,
Nolo meum natum maculis vexare modernis,
Sit sibi diuitiis viuere pace suis.
Claudius iste decem, minus vno, vixerat annis,
Cum quo papa Pius tempore commemorandus,*
Cuius & ætatem me recitasse patet.

De Seuero Imperatore, decimooctauo ab Augusto, & de papa sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 195, Seuerus natione Apher, qui ex eo, quod vltus erat Imperatorem, Pertinax dictus est, decimooctauo ab Augusto, imperiũ accepit. Iste ferociſſimus natura, quintam persecutionem mouit in Christianos; Iudæos & Samaritas, Parthos, Arabes, & Gebanos bello suppressit.

Eo tempore pater Origenis Leonides, in Alexandria martyrium accepit, Origene adhuc puero martyrium plurimùm affectante. Qui cùm ad iuuenilẽ peruenisset ætatem, & tam in Alexandria quàm aliis regionibus magnificè, tam viris, quàm mulieribus prædicaret, timens, ne lubrica iuuenilis ætas circa mulieres in vitium laberetur, ipse sibi manus iniecit, & sua genitalia ferro succidit; existimans etiam ad litteram illud esse seruãdum, cùm dicitur: *Beati qui se castrauerũt propter regnum cœlorum.* Iste Origenes multa in Ecclesia Dei volumina egregia composuit. Seuerus magnã partem Britanniæ muris communiuit. Vbi 15 imperij sui anno, apud Eboracum, diem vltimum clausit.

De eodem Imperatore Seuero, & de papa sui temporis.

Sumptus ad imperium Seuerus Cæsar habẽtur,
Symmachus interpres sub eo vixisse docetur,
Pace bona tenuit Cæsar in Vrbe decus.
Nunc in Alexandria studium datur vrbe vigere,
Quo didicit quæ post docuit pollens Origenes,
Cuius & Ecclesia dogmata magna tenet.
Seuerus plenos duodenos perficit annos,
Papa Soter nunc sede sedet Romæ venerandus,
Annis vndenis cuius & hora venit.

De Antonio Aurelino Caracalla Imperatore, decimonono ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 214, filius Seueri Aurelius Antoninus Caracalla, imperium suscipit. Caracalla iste asperior patre, & libidinis intemperãtissimus, nouercam suam non timuit habere vxorem. Iste dum contra Parthos bellum molitur, ab hostibus inter Ediſſam & Carrham occisus est. Cui Macrinus succedit, qui eodem anno occisus est.

De eodem Antonino Aurelio Caracalla versificè.

Tertius Antoninus Seueri filius extat,
Imperij qui Romuleti fit diua potestas,
Ipsius Antonini longa columna fuit.
Nunc gens Gotthorum mouet incentiua malorum,
Opprimit Ausoniam, Persas, terramq; Medorum,
Primus & ipsorum seruet in orbe dolus.
Præsul Eleutherius quindenos perficit annos,
Sex menses & quinq; dies, Græcus venerandus,
Vixit & Antoninus sex simul, atq; duos.

De Macrino Imperatore vigesimo.

Cæsar Macrinus spatio perditur imus,
Nil habet historia, si promere gesta velimus,
Vix anni spatio vixit in orbe suo.
Cæsare Macrino post tempora pauca relicto,
Annis papa decem consedit nomine Victor,
Atq; duos menses addo, decemq; dies.

De Marco Aurelio Imperatore, vigesimo primo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini, 221, Marcus Aurelius sacerdos tẽpli Heliogabali, 21 ab Augusto, sortitur imperiũ. Iste fertur vitam duxisse flagitiosam. Ipse etiam anno imperij sui 4, à tumultu militũ, cum matre sua necatur.

Cui succedit Aurelius Alexãder, omniũ voluntate creatus. Iste ex matre, nomine Mammea, christiana natus, rempublicam laudabiliter gubernauit; Xerxem quoque,

regem Persarum, maximo bello deuicit: consilio Vlpiani, reipubl. se modestum & & suauem exhibuit. Ipse Alexander à tumultu militari, anno 12, apud Moguntiam occiditur.

Tempore Aurelij, mortuo papa Zepherino, succedit Calixtus, mortuo citò Calixto, succedit Vrbanus: Vrbano similiter citò mortuo, succedit Pontianus in papatum Romæ.

De eodem Aurelio Imperatore vigesimo primo ab Augusto.

Imperat Aurelius, laudatus in orbe monarchus,
Arius erroris nouiter prætenderat arcus,
Cogitur Ecclesia pace carere sua.
Romanus præsul Zepherinus, vir venerandus,
Bis denos pariterq; duos peruixerat annos,
Fertq; duos menses vita, decemq; dies.

¶ Chronica.

ANno ab incarnatione Domini, 238, Maximianus & Diocletianus habent imperium. Quorum temporibus Origenes librum de Martyriis composuit.

De Maximiano & Diocletiano Imperatoribus, 22 ab Augusto.

Maximianus erat vir miles in Vrbe cohortis,
Scandit ad imperium, Christi crudelior hostis,
Opprimit Ecclesias, miraq; damna parat.
Hic sine decreto, cunctoq; dolente senatu,
Seditione datus, conscendit ad imperiatum,
Criminibus natus, perdere sancta ratus.
Tresq; decemq; malis cùm rex male vixerit annis,
Vrbanus papa tunc Vrbe fuit venerandus,
Annis ter ternis vita beata fuit;
Mensibus vndenis potuit plus viuere rebus,
Plus quoq; bissenis legitur vixisse diebus,
Sanctaq; Cæcilia tunc sua martyr. erat.
Tunc Diocletianus princeps cum Maximiano
Imperium tenuêre simul, nullo mediano,
Vnus eis fuerat quæstus, & vna manus.
Ambo simul Christo reparant per climata bellum,
Et simul in sanctos agunt mortale duellum,
Perdunt ecclesias, scripta beata cremant.
Hi reges primùm gemmas in veste tulerunt,
Nec prius in pannis gemma, corióve fuerunt,
Purpureos reges antè fuisse ferunt.
Rex Diocletianus sedet annis bis duodenis,
Et Marcellinus tribus annis papa resedit,
Atq; duos menses, quindeciesq; dies.

De Gordiano Imperatore, vigesimotertio ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 241, Gordianus vigesimustertius ab Augusto fit Imperator. Tunc Anterius papa defuncto Pōtiano, successit. Quo mortuo, Fabianus per columbam è cœlo lapsam, & super caput eius manētem, dignus episcopatu ab omnibus iudicatur.

Gordianus admodum puer Parthis bellum indicit. Quos dū diuersis prælijs prosperè gestis, oppressisset: ipse fraude suorū, anno sexto imperij sui, super Euphratē interficitur. Tunc etiam in Antiochia defuncto episcopo Zebenno, succedit Babilas. In Alexandria verò, Demetrio defuncto episcopo, succedit Heraclas.

Item de eodem Gordiano Imperatore narratur.

Gordianus habet sex annis ritè coronam,
Cœlitus emissa recipit miracula Roma,
De Fabiano præsule, mira sonant.
Dum foret in precibus sanctorum turma recūbens,
Spiritus in specie legitur venisse columba,
Indicat in cleris quis modò præsul erit.
Sic Fabianus fieri tunc Papa meretur,
Et tribus atq; decem pius annis præsul habetur,
Vltrò mensis adest, bis quoq; quinq; dies.
Pontianus erat post ipsum papa vocatus,
Quinq; tenens annos, bis mensem pontificatus,
Charus & in populis præsul vterq; fuit.

De Philippo Imperatore, vigesimoquarto ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 248, Marcus Iulius Philippus 24 ab Augusto, cum filio suo Philippo, imperiū sortitur. Iste primus Christianus Imperator fuit. Anno imperij eius quarto cōpletus est ab Vrbe cōdita milleſimus annus: qui cum gaudio omnium ab Imperatore magnificis ludis & solennitate celebratur. Anno autem Imperij sui sexto, per fraudem Decij, & per tumultum militarem, ipse Imperator cum filio suo necatur. Cui succedit Decius, ab Augusto vigesimusquintus.

De eodem Imperatore Philippo versificè.

Suscipit imperium populo plaudente Philippus,
Iste prior Cæsar voluit cognoscere Christum,
Et dedit ecclesijs prædia multa suis.
Dum tenet imperium Christo memorabilis ille,
Principium Romæ fuit annis ordine mille,
Illeq; solennis annis in Vrbe fuit.
Cornelius Papa sedit regnante Philippo,
Annis tota tribus stat vita, decemq; diebus,
Annis septenis Cæsaris hora venit.

De Decio Imperatore, vigesimoquinto ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 253, Decius, ob odium Philippi Christiani, immaniſſimam persequutionem, septimam à Nerone, in Christianos commouit: qua Fabiano Papa coronato, Cornelius cathedram Romæ suscepit.

Decius, quarto imperij sui anno, cū filio suo, inter barbaros interficitur, cui Gallus cum Volusiano filio suo succedit, 26 ab Augu-

Augusto. Huius diebus moritur Origenes, anno 70 ętatis suę. His diebus beatus Laurētius affus, in craticula martyrio coronatur. Et notandum, quòd Gallus & Volusianus, secundum quosdam, similiter Decij sunt vocati. Qui dum contra Æmilianum bellum pararēt, anno imperij secundo interfecti sunt. Æmilianus autem tertio anno ex quo inuaserat imperium, 5 mense vita priuatur.

Tunc Stephano papa iam mortuo, Xistus Romæ tenuit pontificatum. Cætera versus insinuabunt. Tunc etiam Hierosolymis Alexander Episcopus martyrio est coronatus: Heracle etiam episcopus Alexandriæ similiter, cui episcopus Dionysius succedit. Cornelio Papa martyrio coronato, succedit Lucius: quo citò mortuo, succedit Stephanus Papa. Cætera versus dicunt.

De eodem Decio Imperatore versificè.

Decius vnius anni diadema recepit,
Æmulus Ecclesiæ diuina repellere cœpit,
Sæpeq; Christicolis verbera sæua dedit.
Antonius monachus recolendo numina clarus,
Viuit in Ægypto nunc summus Anachoritarum,
Cuius ab exemplis non tenet ordo parum.
Decius in populum dum iure suo dominatur,
Papa simul Lucius tenet vrbis pontificatum,
Orbe coæquæuo pollet vtrunque caput.

De Valeriano Imperatore vigesimosexto ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 259, post Augustum loco 26. Valerianus in Græcia, Galienus autē à senatu Romæ, Cæsares creantur. Isti octauam post Neronē in Christianos persecutionē mouerūt.

His diebus Papa Xistus Romæ, & Cyprianus in Carthagine martyrio coronantur. Xisto succesit Dionysius.

Imperator autem Valerianus captus à rege Persarum, nomine Sapore, cæcatur: & quamdiu vixit, regi Persarum equum ascendere volenti, dorsum suum curuauit: & ille per dorsum eius, tanquam per strepam, semper equum ascendit. Galienus aūt tam miserabili socij sui motus exēplo, erga Christianos postea mitior est inuentus; & datis decretis, instituit, vt quocunq; more quisq; velit, teneat quod diuinū est.

His diebus Alemani Italiam depopulantur. Gothi Græciā, Macedoniam, Pontum & Asiam peruagantur. Guadi & Sarmatę Pannonias armati ingrediuntur. Hispania quoq; Germanorum inundatione deletur. Parthi autē Syria & Mesopotamia potiuntur: his malis respubl. intus & exterius minoratur. Galienus deserta republ. apud Mediolanum interfectus est.

Tunc mortuo papa Dionysio, Felix papa succesit. Ea tēpestate apparuerunt Manichæi. Quidā enim homo, nomine Manes, Perses, moribus & factis barbarus, execrabilē hæresim docuit. Nūc enim Christum se esse dicebat; nunc etiam se esse Paracletum prædicabat; atq; ad similitudinē Christi duodecim discipulos suos ad prædicandum mittebat, habens dogmata à prioribus hęreticis mutuata: cuius sectatores vsque hodie Manichæi vocantur.

Item de eodem Valeriano Imperatore, versificè.

Imperij Valerianus dum captat honorem,
Gothica gens validos reuocat per regna dolores,
Bella Macedonibus perniciemq; mouet.
Christicolas Valerianus dum persequeretur,
A Persis capitur, cæcatur ibiq; tenetur,
Ludibrium Persis, perniciesq; suis.
Nam quoties Persarum rex equitare volebat,
In dorso Valeriani cæci residebat,
Quo conculcato pòst residebat equo.
Iam Valerianus quindenum vixerat annum,
Cum Stephanus primus iam papa foret venerandus,
Quattuor hic annos vixit honore suo.
Addo duos menses, quibus est subsiste e rebus,
Plus etiam vixit numero ter quinq; diebus,
Sic Stephanus requiem papa beatus habet.
Temporis illius fit Xistus papa secundus,
Græcus erat genere, doctissimus, ore facundus,
Postq; duos annos facta resoluit humo.
Mensibus vndenis peruixit, sexq; diebus,
Cuius temporibus Laurentius affus habetur,
Iam reddunt cæsis lumina signa crucis.

De Valerio Imperatore vigesimoseptimo ab Augusto.

Valerij Dionysius stat tempore præsul,
Mensibus vndenis, annisq; duobus habetur,
Insuper ad requiem sex superadde dies.
Cæsar Valerius sex mensibus, octo diebus,
Fertur ab historiis Romanis sistere rebus,
Pace bona tenuit quicquid in Vrbe fuit.

De Claudio Imperatore vigesimooctauo post Augustum.

ANno ab incarnatione Domini, 274, Claudius 28 post Augustum, cōsentiēte senatu fit Imperator. Iste Gothos qui iam per 20 annos Illyricū & Macedoniam fuerāt peruagati, bello repressit, atq; incredibili strage deleuit. Vnde clypeus ei aureus, & statua equestris decernitur à senatu. Anno autem imperij sui secundo, morbo correptus, diem obiit. Cui Quintilius frater suus ab exercitu substitutus, decimo septimo imperij sui die, vitam finiuit.

De eodem Claudio versificè narratur.

Claudius imperij solio residere meretur,
Aduersus Gothos armis sua regna tuetur,
Vnde per Illyricum contulit arma secus.
Bella per Illyricum dum Claudius ampla moueret,
Gothus in arma ruens, quasi despicit arma, temerè
Dimicat, & teritur, mira pericla ferens.
Claudius imperio datur annis stare duobus,
Nunc etiam Felix sedet annis Papa duobus,
Terq; duos menses, adde duosq; dies.

De Aurelio Imperatore vigesimo-nono ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 276. Aurelianus vigesimusnonus ab Augusto, suscepit imperium. Iste, quum esset vir bellicosus, circa Danubium Gothos diuersis ac magnis præliis vehementer depressit. Ipse etiam terminos Romani imperij restaurauit in Occidente. Deinde in Oriente digressus, reginam Genobiam, quæ occiso marito suo Odenato, Syriam vsurpauerat, in potestatem redegit. Itaque tam Orientis quàm Aquilonis victor existens, Romam reuersus, Vrbem muris firmioribus honorauit. Item in Gallia super fluuium Ligerim, ciuitatem Aurelianam, nomine suo construxit.

Ecclesiæ Dei benignus prius apparuit, quam in fine vehementer afflixit. Ante oculos eius fulmen de cœlo cecidit, omnibus hominibus terrefactis. Ipse autẽ paulò pòst anno imperij sui sexto, submergitur in Tiberi.

De eodem Aurelio Imperatore versificè.

Suscipit imperium vir pessimus Aurelianus,
Ecclesiæ tormenta parans erat hæresianus,
Mergitur in Tiberi, cessat iniqua manus.
Annis quinque malus tunc vixerat Aurelianus,
Papaq; Romanus nunc præsidet Eutychianus,
Annis ter ternis cui pia vita manet.
Adde decem menses, quatuor adde dies.

De Tacito Imperatore trigesimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 281. Tacitus trigesimus ab Augusto suscepit imperium. Qui in Ponto, sexto mense occisus est. Post quem, dum Florianus partem imperij inuaderet, tertio mẽse, ex quo id vsurpauerat, occisus est apud Tharsum.

Item de Tacito Imperatore versificè.

Tacitus vnius tulit anni iura coronæ,
Eutychianus erat sub eodem tempore Romæ,
Vita breuis Taciti sub breuitate sonet.
Annis ter ternis præfatus Papa resedit,
Atque decem menses, quibus illi clerus obedit,
Bis binosq; dies plus, sua vita dedit.

De Probo Imperatore trigesimo-primo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 282 Probus trigesimus primus ab Augusto adeptus imperium, Barbaros qui Galias occupauerãt, fortissimo bello deuicit. Ipse autem anno Imperij sui septimo, à militibus apud Firmium, in turri Seratarii interficitur.

Cui succedit Carus, anno ab incarnatione Domini 288, natione Narbonensis, ab Augusto trigesimus secundus.

De Caro Imperatore trigesimo-secundo ab Augusto.

Carus bella gerens Persarum parte remota,
Vincit, & est regio Persarum subdita tota,
Fulmine percutitur, dum premit ipsa loca.
Suntq; sui nati gladio post pauca necati,
Carinus, Numerianus, sunt ambo vocati,
Post annos quinque, Carus ab orbe cadit.
Caius papa sedet vndenos circiter annos,
Menses bis binos ipsi iungamus ad annos,
Insuper & vitæ iungimus octo dies.

De Maxentio Imperatore, trigesimo-tertio ab Augusto.

Cæsar septenis Maxentius imperat annis,
Cuius & abscissum Tiberis caput abstulit annis,
Dum Constantinus rex iugulasset eum.
Qui iugulauit eum susceptit in Vrbe coronam,
Pro nece regis ei tribuit diademata Roma,
Taliter Imperium tunc habuisse sonat.
Miltiades nunc papa sedet Romæ tribus annis,
Octo dies, mensesq; duos iungamus ad annos,
Magnus in Ecclesiis maior in orbe fuit.

De Maximiano & Diocletiano Imperatoribus suprà memoratis.

ANno ab incarnatione Domini 290 Diocletianus, ab Augusto trigesimus tertius, ab exercitu imperator creatur. Qui paulò pòst Maximianũ ex Cæsare socium sibi & parem fecit Imperatorem; Constantium verò & Galerium Cæsares creauit. Iste est ille Constantius, qui ex vxore Theodora, priuigni ipsius Maximiani prædicti, genuit sex filios, & ex Helena, sua cõcubina, genuit Constantinum. Hanc Helenam quidam ex patria Treuerorum oriundam asserunt. Alius de regno Persarum, vbi Constantius ad tributa colligenda transmissus, eam legitur contigisse.

Imperatores autem Diocletianus & Maximianus in Ecclesia Dei persequutionẽ decimam à Nerone, per Christianos immanissimã, seuius & crudelius aliis omnib. pro-

protraxerunt: vbi quot millia Christianorum interierint, non posset literis explicari.

His temporibus Imperatores beatum Mauricium in Gallias, ad expugnandos hostes Imperij cum legione sua, destinauerunt, qui à beato Marcello Papa cum legione sua Christiana, benedictione percepta, simul cum Imperatore Alpes per montem Iouis transcendit. Quumque apud Ottodorum ad idololatriam (sicut ibi mos fuerat) vocaretur, ipse suique omnes Christum confitentes, dum sacrificia idolorum agere renuunt, martyrio coronantur. Paucos tunc ex ipsa legione fugientes, Romani insequuntur: ex quibus iuxta fluuium Rhenum nouem occidunt, in oppido quod Bunna vocatur: Gerionem verò cum sociis trecentis triginta in suburbio Coloniæ Agrippinæ vrbis occiderunt. Similiter etiam Victorem cum trecẽtis quadraginta sociis, in vrbe sub Colonia, olim Troia, nunc verò Santis vocata, interfecerunt.

Constantius ab Alemanis prius victus, secundo prelio tam acriter vicit, vt septuaginta millia hostium ibi cæsa numerentur. Cùm igitur Imperatores Ecclesiam mirabiliter afflixissent, ambo iudicio Dei in dementiam versi, Imperij dignitatem refutant, habitumque Imperialem deponunt; Diocletianus in Nicomedia, Maximianus verò Mediolani, anno vigesimo imperij Diocletiani.

His diebus Papæ Marcellino succedit Marcellus; Cui citò successit Eusebius Papa: post quem paulò pòst Miltiades Romæ papatum suscepit.

Relicto imperio ab Augustis, Constantius & Galerius, qui eorum Cæsares erant, Imperium inter se in duo diuiserunt. Galerius quidem Illyricum, Asiam & Orientem retinuit; Constantio autem Italia, Gallia & Aphrica in sortem deuenit. Iste Cõstantius erga omnes homines erat clemens, & erga Deum religione vtebatur. Cultores Dei libenter venerabatur. Qui in Britannia moriens, filium Helenæ Constantium in Gallia Imperatorem constituit.

PARTIS DECIMÆQVINTÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XVI.

IMPERIVM TRANSFERTVR AD GRÆCOS.

De Maxentio Imperatore, filio Maximiani.

Milites prætorij, Maxentium, de quo suprà diximus, Maximiani Imperatoris filium, Romæ Imperatorem augustum creauerunt. Cuius pater Maximianus, qui iam Imperij dignitatem reliquerat, quum audisset Constantinum Gallis imperare, transit in Gallias, intendens Constantinum dolo circunuenire, qui à filia sua, vxore Constantini proditus, & à Constantino fugatus, in Massilia est occisus.

Galerius autẽ Imperator, dum in Christianos per decem annos persequutionem crudeliter exerceret, tandem à Domino castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superius eructabat. Desperatus itaque à medicis, pœnas illiusmodi, iudicio Dei, in vltionem sibi datas esse cognouit. Vnde & à persecutione Christianorum iussit cessari. Ipse autem paulò pòst, cum eodem dolore vitam finiuit.

Interea Maxentius Imperator Romæ nimiam seueritatem in ciuibus exercebat. Atque inter alia facinora, vxores senatorum aliorumque nobilium Romanorum, violenter ad suam libidinem rapiebat, eisque publicè abutebatur. Ipsos senatores, obiecto eis falso crimine, proscribebat. Magicis artibus vtebatur in tãtum, vt prægnantes fœminas euiscerari præciperet, & locum infantis in ventre prospiceret. Ibique factis præcantationibus magicis, futura sibi faciebat prædici. Igitur aduersus eundem sceleratissimum tyrannum Con-

ſtantinus iam amicus factus Chriſtianorum, cùm à Romano populo clàm vocaretur, & ipſe ad hoc præparaſſet exercitum, erat anxius atque ſollicitus, quo modo ſine graui hominum ſtrage Maxentium vinceret. Nocte autem ſoporatus, ſignum crucis igneo fulgore nitentis, ad Orientem per viſionem in cœlo conſpexit; atque admiratus quid hoc eſſet, dum cauſam perquireret, angelos ad ſe audit loquentes: *O Conſtantine, in hoc vinces.* Mane autem facto, vocat ad ſe milites Chriſtianos, & cognito, illud ſignaculum Chriſtianæ fidei fuiſſe, gauiſus eſt valde ſuper viſione: frontem ſuam ſigno crucis Chriſti muniuit, ſeque futurum Chriſtianum promiſit, ſi victoriã obtineret. Orabat autem, vt ſine ſtrage Romanorum ciuium, à Deo victoria præſtaretur. In quo etiam Deus eum mirabiliter exaudiuit.

Cùm enim Maxentius naues iuxta pontem Miluium in modum muſcipulæ, ad decipiendum ignarũ militem callidè collocaſſet; Conſtantino autem iam in prælio apparente, Maxẽtius de victoria omnino deſperaſſet; citò, quaſi ſpiritu dæmoniaco incitatus, vrgentibus hoſtibus ad pontem Miluium fugit, & in ipſa machinamenta nauium quæ hoſtibus præparauerat, repentè proſiliit; ibiq́ue in Tiberim ſubmerſus, vitã finiuit. Nullus præter eum ex vtroq; exercitu legitur in eodem prælio periiſſe. Quumq́; Conſtantino Romæ, cum ingenti gaudio pararetur triumphus, iuſſit non ſibi, ſed Domino Ieſu Chriſto victoriam recognoſci. Crucem autem in curru triumphali præcepit conſtitui & adorari. Poſtea Conſtantinus à Sylueſtro eſt baptizatus. Quod autem de lepra eius legitur, videtur apocryphum, quia in nullis libris authenticis, neque in Chronicis reperitur.

Nota, quòd anni à tempore Petri Apoſtoli, principis Apoſtolorum, vſque ad Sylueſtrum Papam, ſunt ducenti nonaginta nouem, & duodecim dies. Melchiade autem Papa mortuo, ſucceſſit Sylueſter, à quo in baſilica Lateranenſi baptizatus eſt Conſtantinus. Rurſus etiam ſicut in multis ac diuerſis Chronicis legimus, ſicut etiam Hiſtoria tripartita innuere videtur, ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo, in villa quæ dicitur Aquilona, rebaptizatus fuiſſe narratur. Tres quoq; filios eius poſtea eodem errore legimus deuiaſſe.

Cætera de Maxentio verſibus proponuntur. Alia plura de Conſtantino ſcribimus, quæ præſenti pagina ſupponuntur.

Conſtantinus factus Chriſtianus, pacem omnibus eccleſiis reddidit. In quo facto Licinius Auguſtus, collega eius, cõſenſit. Ambo itaque Imperatores communiter legem faciunt, vt Chriſtus qui Vrbem à tyrannide Maxentij liberauit, ab omnibus colatur. Item ipſi ambo, Galerio Maximino Imperatori, qui tunc Orientem tenebat, ſuper eadem cauſa ſcripſerunt. Galerius autem in tabulis æneis prius edictum perpetuum dederat, vt Chriſtiani vbique punirentur. Recepto verò amborum edicto Imperatorum, conſenſit; & ne amplius pro fide Chriſtiana aliquis puniretur, per omnia loca ſcripto Imperiali præcepit. Reddidit etiã cauſam, quia Chriſtiani quantò magis puniuntur, tantò plus creſcunt. Mandat etiam, vt ad cultum deorum nullus, niſi propria voluntate, cogatur. Poſt pauca, Galerius Maximinus Lycinio Auguſto, rupto fœdere bellum indicit. Ex qua cauſa, multis tam vrbibus quàm prouinciis profligatis, tandem venitur ad prælium; vbi cùm Galerius exercitum ſuum fundi conſpiceret, turpiter aufugit. Inde reuerſus ad propria, omnes ſacerdotes ſuos tanquam deceptores, interfecit. Poſtea cùm grauiſſimis morbis à Domino ſe affligi perciperet, & mortem cerneret imminere, ſera pœnitentia motus, Deum Chriſtianorum confitetur, & pro eo ſcribit hoc modo:

Imperator Cæſar Galerius Maximus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, inuictus, auguſtus: Indeſinẽter curam prouincialium noſtrorum gerentes, vtilitatibus eorum conſulentes, quæ ad commune & publicum bonum ſpectant, nunquam deſinimus prouidere. Vnde cognitum eſſe omnibus non dubito, quod ex decreto Auguſtorum Imperatorum Diocletiani & Maximiani parentum noſtrorum, ab officialibus Imperij prædæ & direptiones multæ ſunt factæ. Igitur, vt in poſterum omnis metus Chriſtianis, & ambiguitas auferatur, huius noſtri edicti lege ſancimus, vt omnibus hominibus innoteſcat, licere omnibus his qui Chriſtianam ſectam religione venerantur, per noſtræ indulgentiæ largitatem, vt vnusquiſque quemadmodum vult, & prout animo libet,

bet, religioni christianæ solennitatique deseruiat. Sed & domos orationum, id est dominicas ædes, pro voluntate eorum permittimus. Illud etiam hac lege sancimus, vt si quæ domus, vel agri, vel quælibet prædia, ex bonis Christianorum antè Imperatorum iussionibus ad ius fisci fuerint sociata: si qua comparata etiam ab aliquo sunt, vel distracta, vel dono donata, hæc omnia in antiquum ius Christianorum præcipimus reuocari, & propriis dominis vniuersa restitui.

Respice lector, hæc fuit mutatio dexteræ excelsi. Post hæc Galerius, propter diuersos morbos ac diuturnos, luce oculorum priuatus, finem vitę recepit. Licinius autem Imperator, collega Constantini, qui prius Christianis sese benignum exhibuit, omnes Christianos à palatio exclusit, & persequutionem omnibus intentauit. Contra quem Constantinus exsurgens, vicit eum præliis diuersis, primò in Pannonia, deinde sæpiùs terra mariqué deuictum ad deditionem coëgit, tandémque occidit.

Hîc transfertur imperium à Roma in Byzantium.

IGitur Constantino absque socio monarchiam obtinente, Ecclesia diutissimè tribulata respitat, plena in omnibus pace recepta. Tunc Constantinus generalissimum fecit edictum, vt per totum mundum Christiana religio teneatur.

Tunc Imperator Syluestro Romano pontifici regalia insignia concessit; & ipse, vt maiorem ecclesiis daret, quietem, curiæ tumultum amouit, seque cum omni pompa sua Byzantium in regionem Græcorum transuexit. Ex qua donatione videtur Romanæ ecclesiæ Roma cum Italia & Gallia fuisse à Constantino collata.

Imperij verò fautores asserunt, Cõstantinum non ita regnum dedisse, sed Romanos pontifices tanquam summi Dei sacerdotes, ob diuinam reuerentiam in patres elegisse, vt ab eis debeant benedici, eorumque apud Deum orationibus adiuuari. Adiiciunt etiam approbationem; quia Constantinus cùm inter filios suos orbem diuisisset, vni dederit Orientem, alteri Occidentem, & tertio Ptolemaidem cum Babylonia. Quam rem, honestus Princeps non fecisset, si regna Occidentalia cum quibus & Italia comprehenditur, ecclesiæ contulisset. Theodosio etiam, aliisq; multis religiosis imperatoribus, Romam cum regnis Occidentalibus in sortem venisse; at tenuisse affirmant. Ad hæc, imperiales disputatores Euangelia inducunt, vt illud; *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Item; *Dominus ipse tributum pro se & pro Petro persoluit.* Paulus etiam dicit: *Cui honorem, honorem: quia omnis potestas à Deo est.* Hic dicens ipse Paulus tunc non Petrum intellexit in verbo, sed impiissimum Neronem, qui totius orbis tenebat imperium. Introducunt etiam Augustinum dicentem: Quo iure possides villam? diuino aut humano? Diuino* quia Domini est terra & plenitudo eius. Si humano? Ergo à regibus. Si dicis; Quid mihi & regi? Respondet, Quid tibi & possessioni?

Ecclesiæ autem defensores, ita respondent: Christus Ecclesiam suam mundanis possessionibus, quæ regalia dicuntur, voluit honorari. Non est credendum, quòd Deus Ecclesiam suam, quam sanguine suo redemit, cui misit Spiritum sanctum, paracletum de cœlis, aliquo spiritu erroris decipi permisisset, vt ea quæ non debuit, possideret. Multi enim viri probatæ vitæ, regalia hactenus tenuerunt, qui cum his regnum Dei acquisisse creduntur.

Aliis etiam modis quàm plurimis posset probari, quòd & Constantinus ecclesiæ regalia iustè contulit, & ecclesia licitè susceptit. Si enim quæritur; vnde reges hæc habeant? respondent; Dei ordinatione & electione populi. Quòd si Deus hæc tribuendo regibus, iniustè non fecit: quantò magis iustè fecit Deus ordinando, vt à regibus, quibus ipse dedit, ad personam ecclesiasticam transferrentur? Sicut Deus voluntatem populi ad ordinandum regem sub vno consensu disponit; ita etiam principis voluntatem ad largiendum Ecclesiæ regalia prouocauit. Cor regis in manu Dei. Omnisque potestas à Deo est. Ergo & Ecclesiæ potestas in terris à Deo est. Igitur & Deus regem habere regalia, iustè disposuit: & princeps iustè dedit ecclesiæ, & ecclesia licitè digneque susceptit.

Ego autem, vt de sensu meo loquar; Vtrum Deo magis placeat gloria & exaltatio Ecclesiæ, quæ hoc tempore est; aut humiliatio quæ primitus fuerat? confiteor me ignorare. Videtur multis quidem primus ille status sanctior; iste felicior. As-

sentio autem matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, quæ fundata est supra petram, id est Christū: Credo quod credit; sentio quod sentit; æstimo possidenda quæ possidet. Quod enim ecclesia nullo errore decipi possit, inde credendum est, quia portæ inferi nō prævalebunt aduersus eam. Quòd autem fides eius manet in æternum, inde credendum est, quia dixit Christus: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Cætera super his quæstionibus, maioribus nostris soluenda relinquimus. Pauca tamen versificè adhuc de Constantino dicemus.

Item de eodem Constantino Imperatore, trigesimoquarto ab Augusto.

Rex Constantinus, si scribere vera velimus,
Verus Christicola fuerat sub tempore primo,
Nouit & hoc Oriens, occiduusq; sinus.
Annis bis denis, Rex cum diademate sedit,
Eusebius binis annis tunc papa resedit,
Insuper & mensem, ter quoq; quinque dies.
Sub Constantino Syluester Papa notatur,
Fertq; quater senis, minus anno, pontificatum,
Atque decem menses fert, totidemq; dies.
Baptizauit eum Syluester, idemq; fatemur,
Arius hunc post hæc corrupit, & inde dolemus,
Schismate nanque suo commaculauit eum.
Hoc fuit in villa, quam ritè vocant Aquilonam,
Quando rebaptizans fœdauerat ipse coronam,
Scripta tripartita testificantur ita.
Præsulis Eusebij manibus Nicomediensis,
Turpe tulit lauacrum Rex, turpia dogmata sensit,
Tres quoq; filioli sic sapuêre sui.
Rex Constantinus proceres in fraude Latinos,
Duxit ab Italia, fieriq; coëgit Achiuos,
Constituens Romam rebus & arce nouam.
Transtulit imperium Græcis, tribuitq; fauorem,
Dans alienigenis, quem Roma tenebat honorem,
Italia destituens, Græcula regna colens.
Cardinis imperij tunc partibus enumeratis,
Terna tribus tribuit regalia climata natis,
Tresq; tribus iubet his participare datis,
Occiduos primo, Græcos dedit ille secundo,
Ternus habet Babylon, Ptolemaidaq; iure rotundo,
Taliter instituit quicquid in orbe fuit.
Ipsis temporibus crux sancta reperta leuatur,
Helena sancta fuit, cuius studiis veneratur,
*Vt sit nomen latus * crux benedicta caput,*
Cum Constantino Marcus quoq; Papa resedit,
Cui binis annis populus Romanus obedit,
Octo sibi menses adde, decemq; dies.
Inter Syluestrum Petrumq;, dies numerando,
Colligo tercentos, minus vno circiter annos,
Si numerando, decem iungo, duosq; dies.

De tribus filiis Constantini, scilicet Constantio, Constantino & Constante, trigesimiquinti ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 341, Constantinus, filius Constantini suscipit imperium, cum duobus fratribus suis, Constantio & Constante; 35 ab Augusto. Iste à quodam presbytero, Arij discipulo deceptus, in Arianam hæresim incidit. Arius eodem tempore ab Alexandro episcopo, ab vrbe Alexandria, propter suum errorem, erat eiectus. Eusebius autem episcopus Nicomediæ, qui Ariano veneno erat infectus, Imperatori Constantino iuniori suadet, vt concilium celebretur, & Ario ibi audientia concedatur. Itaque tam Arius quàm Alexander ad concilium in palatium Constantinopolitanum vocantur. Vbi Alexander tota nocte in oratione perstitēs, causam ecclesiæ Domino commendabat. Mane facto, Eusebius Arium ad Ecclesiam vocat. Qui dum eundo illuc, humanæ necessitatis causa, ad secessum declinat: iusto Dei iudicio, viscera quibus fœtidum errorem portabat, in locum fœtidissimum euisceratus, per inferiorem corporis meatum emisit, & mortuus est.

Fautores Arij cum pudore & confusione fugerunt. Attamen rem gestam Imperatori celantes, per eunuchos Cæsaris contra catholicæ fidei doctores insurgunt.

Post paucos dies Alexander moritur. Cui Athanasius est substitutus: qui feruentis ingenij & in negotiis ecclesiasticis vigilantissimus, non solùm contra hæreticos subtilis, sed etiam contra Imperatorem stetit pro Ecclesia fortissimus agonista. Cuius virtutes & labores & fructus, qui scire desiderat, legat Historiam tripartitam.

Constantinus dum contra Constantem fratrem suum bellum informat, iuxta Alsam fluuium, non longè ab Aquilegia, à ducibus eius occiditur. Constantius, occiso Constantino, solus Orientem tenuit. Constans autem tenuit Occidentem. Itaque hæretici Ariani, metuentes, ne fortè si Athanasius adeundi principem acquireret facultatem, ipsum Imperatorem catholica fide ac religione imbueret; ipsi ad Imperatorem prius accedentes, circumueniunt eum, mentientes

Atha-

Athanasium esse virum sceleratum & flagitiosum, ostendentes ei manum cum brachio cuiusdam Arsennij, quam dicebant Athanasium ad exercẽdam artem necromanticam, instinctu dæmonum, à corpore ipsius Arsennij abscidisse. Ad hæc iussu Cæsaris, synodus apud Tyrum congregatur: vbi Athanasio ducto in causa, astitit prædictus Arsennius, habens vtranq; manum: quo comperto, hæreticorum mendacia cognoscũtur, & ipsi mirabiliter erubescunt. Nec tamen Constantius Imperator, & ipsi hæretici à persequutione Athanasij quiescunt; imò eũ ad fratris sui Constantis imperium trãsire compellunt. Ipse autem ab Imperatore Constante satis humanè susceptus, & honorificè habitus, & in cathedram suam postea potẽter remissus est. Mansit autem tunc ibi in ecclesia Treuerorum, cum Maximo eiusdem ecclesiæ episcopo. In quo loco, fidem catholicam, scilicet *Quicunque vult*, scripsisse asseritur.

Eo tempore Liberius ab Imperatore Constantio, in exilium truditur, & Felix suus diaconus, ei ab hæreticis subrogatur. Inter hunc Liberium & Syluestrum medius sedit papa Iulius. Isdem temporibus Victorinus rhetor & Donatus grammaticus, Romæ clari habentur. Floruerunt tunc in ecclesia Dei glorioſi pontifices, Paulinus Treuerẽsis, qui Maximo successit, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, & Hilarius Pictauiensis: qui omnes propter testimonium fidei Catholicæ in exilium tunc missi fuerunt. Ex quibus Hilarius, scripturarum suarum variis munimentis Gallicanam ecclesiam adornauit.

Constans Imperator aduersus Saporem regem Persarum, vario euentu nouẽ prælia gessit. Nouissimè autem indiscretè congressus, fugit; & postea in oppido Elenau, iuxta Hispaniam, dolo principis, nomine Magnentij, occisus est. Idem Magnentius apud Augustodunum inuasit Imperium. In Illyrico verò milites quendam veteranionem senem creant Imperatorem. Constantius interea fratrem intendit vlcisci. Vnde veteranionem senem primò purpuram deponere compulit. Postmodum etiam cum eo acriter dimicauit. Magnentius autẽ victus apud Lugdunum, seipsum occidit: & frater eius Decennius, quem ipse in Gallia Cæsarem creauerat, laqueo seipsum suspendit. Cætera de tribus filiis Constantini Magni, & de Ario, pauca versificè ponimus.

Item de filiis Constantini, versificè narratur.

Cum Constantino Constans tenet omnia frater,
Catholicos qui persequitur tota feritate,
Regibus Eusebius Arianista placet.
Contra catholicos dum disputat Arius arte,
Naturæ secreta petens, diuertit ab arce,
Quæ male dum crepitat, viscera pressa crepant.
Præsul Athanasius & Hilarius, absque ruina,
Ordine catholico reparant modo dogmata prima,
Ordo quibus cleri catholicandus erit.
Constans cum fratre sedet annis bis duodenis,
Magna salus cleri tunc Marcus Papa resedit,
Cuius & ecclesiis regula dogma dedit.
Hic octo menses & binos perficit annos,
Bisq; decem vixisse dies præsul venerandus
Fertur, & in populo mira dedisse suo.
Papa sedet Iulius Constante sedente beatus,
Vndenis Romæ tenet annis pontificatum,
Ter ternos menses Papa decemq; dies.
Constans cum fratre semper fuit Arianista,
Exilio Iulium Papam transmisit obista,
Constans morte perit, Papa solutus erit.
Nũc quoq; grammaticæ summus Donatus in arte,
Hieronymo cum discipulo docet edere Partes,
Nos quoq; discipulos condecet esse suos.

De Iuliano apostata, imperatore trigesimo sexto, ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo quarto, Iulianus post Constantium suscepit imperium, ab Augusto trigesimus sextus. Constãtius eum, dum adhuc viueret, creauerat Cæsarem; qui prius ab imperatorib. fuerat clericus & lector ordinatus: sed postea à militibus seductus, cingulũ militare susceperit.

Iulianus à Constantio Cæsar creatus, cum de Germanis & Alemanis magnificè triumphasset, elatusq; de prosperis successibus in quoddam templum intrasset, corona quæ ibi pendebat, cecidit fortè super caput ipsius: quo viso, milites per hoc signum prædicant sibi imperium à diis auguriatum. Hoc itaque augurio, & priori prosperitate leuatus Iulianus, imperij nomen vsurpat, ac fidẽ Christi omnino contemnit.

Constantius interea contra Persas parat exercitum, sed fraude Iuliani comperta, Romam ad ciuile bellũ reuertitur: sed non peruenit, quoniam in ipsa via diem suum clausit, anno sui imperij vigesimo quarto. Iulianus igitur Augustus creatus,

prima fronte quasi facta prædecessorum suorum arguens, præcepit ab exiliis episcopos reuocari; deinde arte potiùs quàm violentia ecclesias debilitare intẽtat. Nam quasi religionis intuitu, dicebat clericos à ludis & à malitia, postremò ab omni terrena possessione arcendos, tanquam eos, quibus lex Euangelica dicit: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* Templa paganorum præcipit aperiri; fastigia imperialia* vt coqui, eunuchi, tonsores & cursus publicos equorum & mularum, tanquam philosophus imperat amputari. Lectionibus nocte vigilando atque scribendo, in die verò in senatu scripta sua recitando operam dabat: vnde & philosophos prorsus amplexus, solus post Iulium Imperator philosophus dicebatur. Scriptis autem suis imperatores suos prædecessores, & etiã Christianos, admodum lacerabat.

His diebus erant in Ecclesia Dei episcopi religiosi & clarissimi, Miletus Antiochenus, Maris Chalcedonensis, Basilius Cæsarienſis, Gregorius Nazianzenus. Ex quibus præfatus Maris episcopus Chalcedonensis, dum Iulianus Fortunæ sacrificaret, restitit ei in faciem: qui philosophica moderantia vsus suauiter arguit episcopum, his verbis: *Neque Galilæus tuus te potuit à cæcitate curare.* Cui sic respondit Maris episcopus: *Ego pro cæcitate mea gratias ago Deo meo, quia hoc in me propterea factum est, vt te impium apostatam non viderem.*

¶ *Item de Iuliano.*

IVlianus secundum Pythagoram dicebat, in se spiritum Alexandri Magni requieuisse. Ipse quoq; , ad instar Alexandri, totum orbem sibi subiugare parârat. Qua intentione dum cum exercitu ad expugnandam Persidem pergeret, & in eundo, Basilio Cęsarienſi episcopo, suæque ecclesiæ minaretur post peractum bellum Persarum in reuersione sua mortem inferre: ipse dum in prælio vertitur, telo de cœlo misso penetratur: qui dum telum ab alto contra se venire videret, non corde pœnituit, sed obstinatus Christo improperauit, dicens: *Vicisti Galilæe, vicisti.* Solebat enim Christum semper Galilæũ vel Nazarçum vocare.

Legitur autem in vita sancti Basilij, quòd Deus sanctum Mercurium, cuius arma tunc in ecclesia Cæsarienſi pro memoria eius pendebant, in prælium ad occidendum Iulianum misisse. Nam & ipsa arma, in illa die in ecclesia requisita, ibi non erant: die verò sequenti, in ecclesia more solito sunt inuenta, sanguine humano consperſa, & tanquam de prelio nuper reuersa. Quæ omnia inferiùs versificè posuimus, vt in eis lector magis delectaretur. Verũtamen quia Porphyrius & Calixtus, alijque ipsius Iuliani fautores, sapientiam, pietatem atque philosophiam eius prædicant & commendant, & iniquitates eius silentio prætereunt; nos, qui veritatem sine adulatione vel odio prosequimur, de Iuliani flagitiis, subscripta eius opera nephanda narramus.

Post mortem Iuliani, simulachra, magica arte instituta & inuenta, Socrates in Tripartita historia narrat, hîc dicens: Quumq; mortuus fuisset Iulianus, & impio pius Imperator succeſſisset, ingredientes principes in templum, viderunt mulierem per capillos suspensam, extensas manus habentem. Cuius vterum aperuerat Iulianus, vt in hepate ipsius mulieris inspiceret, si de Persis posset victoriam adipisci. Hoc nefas inuentum est in loco qui dicitur Carris. In Antiochia verò, plurimas arcas aiunt in palatio fuisse repertas, humanis capitibus plenas, & in puteis multorum submersa corpora virorum: vnde & in Antiochia tam Christianos quàm paganos in theatris & plateis de morte Iuliani sceleratissimi, mirabili tripudio præfatus scriptor asserit exultasse. Iouianus tamen corpus Iuliani in Tharso Ciliciæ honorificè sepeliuit. Quod corpus, sicut in vita sancti Fabiani legitur, rex Persarũ Sapor nomine, iusserat excoriari, & de ipso corio, colore coccineo colorato, cathedrã sibi ad opprobrium Romanorum parari. Cætera de Iuliano, versus insinuabunt.

Item de eodem Iuliano Imperatore versificè demonstratur.

Clericus Imperium suscepit apostata Romæ,
Cui Iulianus erat baptismatis ordine nomen,
Ille scelus patriæ, prauus vbique, fouet.
Ipse Hierosolymis iam templa iubet reparari,
Iussit Hebræorum populos hinc inde vocari,
Lege facit Mosis sanguine thura dari.
Sic odio Christi, templum iubet ordine sisti,
Cumq; parant templum prisca statione magistri,
Illico Iudæis obuiat ira Dei.
Templa tremunt, pauimenta ruunt, & tigna subillis
Igni-

Ignibus è cœlis pereunt exusta fauillis,
Exiliunt lapides, area sola manet.
Igneus extemplo globus est emissus in illos,
Incendens homines, vestes, caput, atque capillos,
Astantesq; viri iure cremantur ibi.
Hæc ne fortuitu mala proueniſſe putentur,
Signa crucis confixa ſibi geſtare videntur,
Geſtant Iudæi corpore ſigna dei.

Iulianus apoſtata diuino telo necatur.

Rex abit ad Perſas, vbi dum pugnare paratur,
Sancti Mercurij mucrone cadens penetratur,
Sicut & his titulis geſta reporto tibi.

Is morte ita præuentus, non potuit efficere ea quæ iam contra patriam diui Baſilij, & etiam contra ipſum Baſilium decreuerat.

Nouerat ipſe ſibi bellum campeſtre parari,
Ad quod dum properat fertur plerunq; minari,
Exitium patriæ Baſilioq; dari.
Ibo reuerſurus dixit, ſatagamq; redire,
Baſilium tunc pontificem mandabo perire,
Et populum pariter me remeante die.
Territus antiſtes populum vocat, atque precatur,
Sancta Dei genitrix patriam ſibi quo tueatur,
Audit & in cœlis verba ſonare Dei.
Dixit enim Chriſtus, Iulianum perdite regem,
Prorſus enim ſanctam ſatagens diſperdere legem,
Imperat vt populi dogmata ſancta negent.
Mittite Mercurium, ſecum pugnare duello,
Quippe minatus erat ſi poſſet vincere bello,
Perdere tunc populum, Baſiliumq; meum.
Enſis in eccleſia clypeusq; manere ſolebat,
Quo bene Mercurius viuens ſua bella gerebat,
Nunc tibi nec clypeus nec ſuus enſis erat.
Hæc quia ſic deſunt, potuit cognoſcere præſul,
Vindice Mercurio, regem fore corpore laſum,
Sicut & audierat voce tonante Ieſu.
Interea quidam vir de certamine venit,
Hic ait, aduenit miles de culmine cœli,
Mercurius, regi vulnera letha dedit.
Arma per eccleſiam populus dum bellica quarit,
Sanguine regali poterant conſperſa videri,
Quæ medio cleri nemo videbat heri.
Sic per Mercurium deus interimit Iulianum,
In ſanctos Domini furientem, more ferarum,
Sicut & in ſcriptis geſta priora canunt.

Iulianus Imperator cruorem ſuum ſpargit contra cœlum, Chriſto palmam prębens victoriæ.

Fluxit & à latere validus de vulnere torrens,
Quem manibus Cæſar ſpargebat in aëra longè,
Attonitusq; magis, dum moreretur, ait:
O Nazarene, viciſti, magne minorem,
Ecce triumphanti, proprium tibi reddo cruorem,
Sic miſer interiit, tartara regna fouens.

Item de Iuliano, quomodo rex Perſarum fecit eum excoriari, ſicut legitur in vita ſancti Fabiani.

Regis Romani cæſum corpus Iuliani,
Perſarum rex more boum iubet excoriari,
Cumq; ſibi corpus protraheretur, ait;
Hoc corium nunc ſemper erit nobis ad honorem,
Fiat vt æterno ſic Roma ſubacta pudore,
Legeq; mancipij ſeruiat ipſa mihi.
Sit ſpecies corij, rubeo vicina colori,
Indeq; ſit cathedra conformis, & apta decori,
Vnde dolens poterit Roma dolore mori.
Poſt annos binos Iuliani vita recedit,
Damaſus Hiſpanus tunc Romæ papa reſedit,
Annos bis ſeptem qui ſibi fine dedit.
Hisq; duos menſes ſuperadde, diesq; decenos,
In quibus hæreticos deteſtatur Manichæos,
Poſt quoque Siricius papa repreſſit eos.
Annis quindenis idem quoque Papa reſedit,
Menſibus vndenis Manichæa volumina cædit,
Quos & ab eccleſiis depulit ipſe ſuis.

De Iouiano Imperatore, trigeſimo ſeptimo ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Iuliano mortuo, & milite poſito in ſummo diſcrimine, Iouianus natione Pannonius, vir chriſtianiſſimus, votis omnium petitur ad imperium. Qui dum ſe chriſtianũ eſſe, & ob hoc gentilibus diceret ſe imperare non poſſe; ipſi ſe pro eius amore chriſtianos eſſe firmabant.

Iouianus itaque trigeſimus ſeptimus ab Auguſto Imperator creatur. Iſte propter pericula Romani exercitus fœdus cum Sapore rege Perſarum, Romanis quidem inglorium, ſed tempori inſtãti perutile compoſuit. Vbi tradito quodam oppido, cum ſuperiori parte Meſopotamię, milites cautè redeũt: deinde princeps catholicus, epiſcopos à Conſtantio in exilium miſſos, reuocauit; templa idolorum claudi præcepit, eorumq; ſacerdotes fugauit.

Poſt hæc Athanaſium epiſcopum, vt eum catholica fide imbueret, ſcripto rogauit. Qui ſub ſigillo & conſenſu omnium epiſcoporum Ægypti, ſcripſit, & miſit ei fidem Niceni concilij: id eſt, *Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, creatorem,* &c. Has literas Imperator gratanter ſuſcepit, & fidem catholicam edictis imperialibus roborauit: & vt omnes, qui ſacras virgines raperent, aut violarent, aut qui eas impudicè aſpicerent, capite punirentur, mãdauit. Poſtea eum in Antiochia, Atha-

nasius vidit,& de fide catholica pleniùs informauit.

Imperator autem in domo nuper calce delinita,quum essent prunæ appositæ, nocte suffocatus est, ætatis suæ anno trigesimo tertio, imperij sui mense octauo. *Cætera versificè gesta referre placet.*

De eodem Iouiano Imperatore, versificè subinfertur.

Gloria Romulei solij sit nunc Iouiani,
Mente Deum coluit,nec culmine regnat inani,
Sicut & his titulis fistula nostra canit.
Dum rogat hunc populus Romanũ sumere sceptrũ,
Cultor, ait, Christi sum,vobis prorsus ineptus,
Christum credo Deum,vos reprobatis eum.
Cœtus ait; Cupimus propter te credere Christo,
Quem dudum reprobasse pudet pro rege sinistro;
Idola despicimus, te duce præstò sumus.
Te decet Imperium, vbi nos diadema paramus,
Nos etiam iam Christicolas te rege notamur,
Suscipe dum petimus, te tibi nosq; damus.
Vita fit ipsius duodenis vtilis annis,
Congrua Christicolis,multumq; nociua tyrannis,
Tunc quoque Siricij præsulis hora fuit.
Annis Siricius ter quinque sedere notatur,
Mensibus vndenis plus temporis annumeratur,
Insuper & vitæ ter dedit octo dies.

De Phoca Cæsare, trigesimo octauo ab Augusto.

Phocas ter denis feliciter imperat annis,
Cum quo tres Papæ Romæ fuerant venerandi,
Primus Anastasius præfuit ille pius.
Annis bis binis sub Phoca Cæsare viuit;
Ad cathedram Petri pòst Innocentius iuit,
Annis ter quinque præsul & iste fuit.
Atque duos menses, viginti quinque diebus:
Tertius est Sosimus sub Phoca Cæsare præsul,
Viginti menses fert, totidemq; dies.

De Valentiniano Imperatore, trigesimonono ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo septimo, Valentinianus cum fratre Valente, natione Pannonus, stirpe mediocri oriundus,animi verò & corporis magnitudine commendabilis, & moribus vrbanus, ab Augusto trigesimus nonus, consensu militum in Nicea sumpsit imperium. Iste,dum Iulianus Augustus templum ingrediens Fortunæ sacrificaret, ministrum sacrificij pugno percussit. propterea Iulianus, cui talia displicebant,eum à militiæ dignitate remouit. Deus autem iustus iudex,qui dixit, *Centuplum accipies:* pro militia ei reddidit Imperium.

Valentinianus Valentem fratrem suum elegit ad imperiũ. Anno imperij sui quarto, Gratianum filium suum fecit Imperatorem.

Eodem tempore apud Atrebatas, vestis lana cum pluuiis mixta, visa est è nubibus descendisse. Valentinianus Auxenti Mediolanensi episcopo defuncto,conuocata episcoporum synodo, suadet alium ordinari: vbi Ambrosius præsens,adhuc catechumenus, ab omnibus postulatur. Vnde Imperator, eum baptismi gratiã primitùs consequutum,præcipit presbyterum ordinari. Interea Imperator Valẽs,cùm primitùs catholicus esset,suasu Eudoxij episcopi Constantinopolitani, & ab vxore propria seductus, incidit in hæresim Arianam,& ad hoc iureiurando se alligauit,atq; à præfato episcopo Ariano est iterũ baptizatus.

Eo tempore Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminos inuadentem , bello repressit. Ipse autem imperij sui anno vndecimo apud Brictionem oppidum,diem obiit. Cætera de Valentiniano, versus habent.

Item de Valentiniano,versibus enarratur.

Imperat ecce Valens cum fratre Valentiniano,
Gothorum socij fiunt sub dogmate vano,
Arianista suis Cæsar vterque fuit.
Hos mala Gothorum lex,legibus auxit eorum,
Istria rura colunt, maculant diadema decorum,
Expoliant patriam,diripiuntq; forum.
Annis vndenis vixisse Valentinianum,
Scribimus , & fratris annos quasi quinque notamus
Hæreticos ambos dicimus atque malos.
Nunc Cælestinus ter ternis præsidet annis,
Adiicitur mensis, bis quinque dies numerandi,
De quibus in serie demitur vna dies.
His quoq; temporibus stat Xistus papa secundus,
Annis ter denis viget eius dogmate mundus,
Plusq; decem residet præsul & octo dies.

De Valente imperatore,quadragesimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 373, Valens,quadragesimus ab Augusto, Orientis rexit Imperium. Gratianus autem,& frater eius iunior Valentinianus,in Occidente regnabant. Valens itaque (vt diximus) Arianus, legem dedit, vt monachi ad militiam cogerentur. Vnde multi monachi per Ægyptum,terreni regis contemnẽtes imperiũ, martyrio coronantur.

Valens per artem necromanticam perscrutatur,quis post eum sit regnaturus. Arte dæmoniaca sunt ei literæ istæ quatuor demonstratæ, th. e. d. a. Ipse autem ab illo die,

die, omnes quos istas literas in capite nominis potuit reperire, precepit occidi. Vnde factum est, vt Theodosius comes, pater Theodosij, qui postea imperium tenuit, ab eo preciperetur occidi. Qui prius baptismi gratiam apud Carthaginem consequutus, percussori sponte iugulum prebuit. Interea Gratian° Imperator catholicus apud Argentarium Galliæ oppidum, cum pauco Romanorum detrimento, triginta millia Alemanorum bello prostrauit.

Eo tempore controuersia oritur in regno Gothorum, inter Phridigernum & Athalaricum. Phridigernus cùm esset debilior, ab Imperatore Valente auxilio impetrato, Athalaricum in fugam conuertit. Vnde Phridigernus, amore Valentis Imperatoris cum gente sua fidem Arianam suscepit.

Gothicæ literæ hoc tempore fuerunt inuentæ.

EO tempore Gulfias Gothorum episcopus, literas Gothicas adinuenit, & per eas in suum idioma literas diuinas conuertit. Non multò pòst, tempore Gothorum elapso, gens terribilis Hunnorum aduenit, quæ gens (secundum scripta Iordanis, ipsorum interpretis & actoris) ex incubis & meretricib. est procreata, infra Mæotidas paludes, quę sunt in confiniis Asiæ & Europæ. Hæc gens conductu vnius ceruæ transmeantis, transiuit inaccessibiles prius illas paludes. Vbi vsque adeò gentem Gothorum perterruit, vt rex Gothorum Hermanaricus, qui multas iam gentes deuicerat, timore Hunnorum seipsum interfeciſſet, anno ætatis suę 110. Gothi post mortem regis sui Hermarici, animo fracti, à Valente Imperatore petunt habitationes: quas Imperator eis largitur in Thracia, vbi Gothi à quodam duce ad conuiuium dolo inuitati, cùm ipsi priusquàm venirent dolum præsensissent, eos omnes qui eos inuitauerant, morte consternunt, & tota ipsa regione, igne, ferroque destructa, diffunduntur vbique. Contra quos Valens procinctum parans, ab Antiochia mouens, pœnitentia ductus, episcopos catholicos præcipit ab exilio reuocari. Pugna in Thracia inter Gothos & Romanos conseritur. Vbi dum Romanus fugit exercitus, Imperator Valēs, sagitta sauciatus, in cuiusdā paruissimę villulæ casam fugit, vt latens vitam reseruet. Quē insequentes Gothi, simul cum casa, igne consumunt, anno Imperij sui decimoquinto; post mortem verò fratris sui anno quarto. Mortuo Valente, Gratianus q cum eo regnabat, cum fratre suo Valentiniano iuniore tenet imperium.

De Gratiano Imperatore, quadragesimo primo ab Augusto.

Cæsar Romanus diadema tenet Gratianus,
Tunc erat Ambrosius sub Christi dogmate clarus,
Martini Turonis extitit ampla salus.
Qui cupit Ambrosij per dogmata sanctificari,
Qui sibi Martini miracula vult numerari.
Non ego sufficio, viderit ille magis.
Annis bis ternis vixit Cæsar Gratianus,
Tunc Pontianum Papam vixisse notamus,
Hunc annis quinque mensęq; stare patet.

De Theodosio Imperatore, quadragesimo secundo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 383, Gratianus (est autem Gratianus ab Augusto quadragesimus secundus) volens reipub. suo tempore subuenire, Theodosium, natione Hispanum, virum fortem & religiosum, purpura induit, & imperatōrem Orientis creauit. Theodosius tam virtute quàm prudentia, gentem Gothorum deuicit: & Athalaricū regem Gothorum Constantinopolim ad se vocauit. Ibi tunc Athalaricus obiit. Gens autem Gothorum visa mansuetudine Principis, voluntariè se ipsam imperio Romano suppossuit. Theodosius Arcadium filium suum, socium imperij elegit.

Gratianus à Maximo in Britannia imperium vsurpante, occiditur; & frater eius Valentinianus, ab Italia fugatur, qui ad Theodosium veniens, benignè receptus est.

Anno ab incarnatione Domini trecentesimo octuagesimo octauo, Gratiano interfecto, Theodosius quadragesimus primus ab Augusto imperium Romanum solus obtinuit.

Erant tunc in Ecclesia Dei viri sanctissimi, Martinus Turonēsis episcopus, Ambrosius Mediolanensis, Seuerinus Colonienſis episcopus, Hieronymus presbyter, Augustinus catechumenus, à beato Ambrosio tunc baptizatus.

Theodosius contra prædictum Maximum tyrannū mouens exercitum, in partibus Aquilegiensium occidit eum. Deinde cum filio suo Honorio paruulo, Romā venit, ibiq; rempublicam ordinauit.

Valentiniano regnum Occidẽtis reliquit. Ipſe autem Conſtantinopolim remeauit.

Porrò Valentinianus dum in Galliam reuertitur, fraude cuiuſdam Arbogaſti,& Eugenij (vt quidam aſſerũt) laqueo eſt ſuſpenſus. Eugenius ab Arbogaſto Imperator ibi creatur. Quidam dicũt Valentinianum præ nimio dolore, hoc genus mortis ſibimet intuliſſe. Morte Valẽtiniani comperta, Theodoſius in Eugenium tyrannum parat exercitum. Tunc etiam ſcripſit in Ægyptum ad Ioãnem monachum, Eutropium eunuchum,& euentum rei à viro ipſo ſanctiſſimo requiſiuit. Cui vir beatiſſimus, plenam victoriam promiſit. Theodoſius confiſus in Deo, pergit,& Gothos contra tyrannos ante ſe præmittit. Quorum decem millia ab Arbogaſto interimuntur: procedit Imperator,& quum in Alpibus hoſtibus occurriſſet, ibique Arbogaſtus in eminentiori loco poſitus, vt meliorem pugnandi opportunitatem videretur habere, Theodoſius tota nocte proſtratus in precibus, mane in Domino confiſus, congreditur, & glorioſè triumphat. Ibi Eugenius captus, occiditur. Abrogaſtus interfecit ſeipſum. Theodoſius autem rebus omnibus bene diſpoſitis, anno vndecimo poſt mortem Valentiniani, apud Mediolanum vitam finiens, in Domino requieuit. Cętera de Theodoſio verſibus explicamus.

Item de eodem Theodoſio Imperatore, verſificè narratur.

Fulget Theodoſius diademate poſt Gratianum,
Concilium reficit Conſtantinopolitanum,
Arius inſanus ſpernitur ore, manu.
Phanaq; templa ruunt nũc prorſus, & idola ceſſant,
Aria ſcriptura perit, igne manuq; repreſſa,
Dogmata catholica Cæſaris aula parat.
Vixit Theodoſius annis quaſi bis duodenis,
Atque duos vltra Lucius tunc Papa reſedit,
Tres annos viuit, menſibus octo ſibi;
** Inſuper adde decem pro ratione dies.*
Conſtantinopoli fertur caput eſſe Ioannis,
Scriptaq; Hieronymi, quæ multis contulit annis,
Bethlehemita domus miſit in omne ſolum.

Item de Theodoſio & Arcadio Imperatoribus.

Arcadius cum Theodoſio diademate fulget,
Eccleſiæ nunc catholicæ cenſura reſurget,
Ordo bonus cleri nunc caput orbis erit.
Scribitur Arcadius annis quater octo ſedere,
Cornelius Papa tres annos fertur habere,
Inſuper adde decem de ratione dies.
Fama Ioannis tunc claruit Anachoretæ,
Vt foret audita defunctis reddere vitam,
Conſtantinopoli ſunt ſua membra ſita.

De Arcadio & Honorio fratribus, Imperatoribus, ſimul regnantibus, quaſi quadrageſimustertius ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 390, Honorius Occidentis, & frater eius Arcadius Orientis, poſt mortem patris ſui Theodoſij ſortiuntur imperium, ab Auguſto quadrageſimo tertio loco; adhuc Damaſo papa Romæ, Theophilo in Alexandria, Ioanne Hieroſolymis, Flauiano Antiochiæ,& Nectario Cõſtantinopoli præſidentibus.

His diebus quidam monachus, nomine Dirimachus, ab Oriẽte Romam veniens, dum ludum gladiatorum tanquam inſaniam ſedare voluiſſet, à circunſtantibus eſt lapidibus obrutus & necatus. Quo comperto, Honorius Imperator eũ inter beatos martyres cenſuit computari; & pro eadem cauſa, ludum gladiorum, ne amplius ſic fieret, interdixit.

De Ioanne Chryſoſtomo.

EO tempore Ioannes Chryſoſtomus, qui interpretatur os aureũ, apud Conſtantinopolim epiſcopus eſt ordinatus. Temporibus Honorij & Arcadij, viri ſanctiſſimi Martinus & Ambroſius de hoc ſeculo migrauerunt.

Gothi, cùm ab Imperatoribus munera quæ tempore Theodoſij accipere conſueuerant, habere non poſſent, conſilio Ruffini patricij, diſcedunt à curia,& regem ſibi creant. Ruffinus poſtmodum detectus, propter commiſſum dolum, ante portas vrbis Conſtantinopolis decollatur: caput eius cum manu & brachio eius dextro, ad improperium & ludibrium per omnes vicos vrbis circumfertur. Arcadius vir mitis & quietus, anno decimoquarto poſt obitum patris ſui Theodoſij, vitam finiuit,& imperium Oriẽtis filio ſuo octenni Theodoſio reliquit: Anthemio præfecto tunc ipſum puerum regente. Ipſe etiam Anthemius muro fortiſſimo regalem cinxerat vrbem. Cætera de Honorio & Arcadio, verſus habent.

Item de Arcadio & Honorio Imperatoribus, verſificè narratur.

Cæſar

Cæsar Honorius imperat omnibus Arcadiusq́;
Magnus in Epiro legitur tunc signa dedisse
Præsul Donatus, forma beata patrum.
Nanq; sputo datur ille suo superâsse draconem,
Exput in faciem serpentis, ea statione,
Vt sibi nec virus nec modò vita foret,
Ponderis in carne serpens datur hic habuisse,
Quod satis octo boum iuga ducere non potuissent,
Tunc Augustini dogmatis hora fuit.
Nunc veniunt Hunni, Gothi, veniunt & Alani,
Væ fuit Hispanis, Gallia pressa cadit.
Tempore quindenis tunc vixit Honorius annis,
Simplicius Papa totidem, tunc vixerat annis,
Addeq; plus septem de ratione dies.

Honorius defuncto Arcadio imperat solus, quadragesimus quartus ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 412, defuncto Arcadio, Honorius ab Augusto quadragesimus quartus tenet imperium Occidentis. Gothi cum rege suo Alarico, dum Honorius esset Rauennæ, per Dalmatiam & Venetiam digressi, in confinio Æmiliæ castrametantur; terram ad inhabitandum superbè ab Imperatore poscentes. Addunt etiam, quia si gratis habere non possent, ipsi vltrò tollerent. Imperator accepto consilio, terram circa fines Hispaniæ, quæ tunc imperio erat rebellis, tradidit eis. Ad quam possidendam dum Gothi proficiscuntur, Stilicus patricius, socius Honorij, eos fraudulenter insequitur, prælioq; cum eis commisso, militem perdit; ipseq; aufugit.

Hac de causa Gothi ad iram permoti, ad Æmiliam vnde venerant, subitò reuertuntur; totaq; ipsa prouincia igne ferroq; vastata, ad vrbem Romam procedunt; quam etiam trepidantem irrumpunt, datisque præceptis, ne Ecclesiæ violentur, aliquãtis vrbis partibus concrematis, prędam mirabilem tollunt. Interea Papa Innocentius, ne pœnas ipsius vrbis aspiceret, tanquam Loth iustus remotus à Sodomis, Rauennæ morabatur.

His diebus pagani improbrabant Christianis, dicentes; Romam temporibus Paganorum creuisse, Christianorum autem tempore decreuisse, eique propter Christianitatem insolita pericula imminere. Ob quam causam, beatus Augustinus tunc composuit librum de ciuitate Dei. Orosius tunc historias suas texuit. Hieronymus eccleſiasticam historiam ab Eusebio episcopo Cęsarienſi compositam transtulit.

Hæc autem tam terribilis irruptio Vrbis facta est per Alaricum regem Gothorum, anno ab Vrbe cõdita, milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto; anno autem ab incarnatione Domini quadringenteſimo decimo quinto. In eadem præda Wandalorum, ſoror Honorij, Placidia, capta eſt, quam Ataulphus poſtea eſt in matrimonium ſortitus.

Interea quidam princeps Conſtantinus, imperium Galliarum inuadens, Conſtantem filium ſuum, monachum, Cæſarem fecit. Sed paulò pòſt, pater apud Arelatum, filius verò apud Viennam, regno vitaq; priuantur.

Gothi autem Romanorũ victoria glorificati, per Campaniam, Apuliam & Siciliam, in Aphricam ire proponunt. Quúmque in confinio Brictiorum incautè ſeſe mari cõmittunt, multos ex ſociis perdiderunt. Rex Alaricus eorum, tunc vltimũ diem clauſit; quem Gothi in tantũ luxerunt, vt amnem nomine Barentũ, iuxta ciuitatẽ Cozentiam, de alueo deriuarent; ipſoq; rege Alarico cum multis militum copiis ibi ſepulto, omnes captiuos q huius facti conſcij erant, occiderent: & poſtea amnem ad ſuum alueum reuocarent. Gothi propter mortem Athalarici redire proponunt, atq; Ataulphum regem ſibi creantes, Romam redeunt, ibiq; ea quę reliquerant, depopulantur. Ataulphus verò rex Gothorum, amore vxoris ſuæ Placidiæ, quæ erat ſoror Honorij Imperatoris, à finibus Romanorum diſcedit, & in Gallia prope ciuitatem Narbonenſem, vbi hodie villa ſancti Ægidij dicitur, in loco qui vſque hodie palatium Gothorum vocatur, conſedit; ſupra Rhodanum fluuium; à quo loco per Conſtantium comitem poſtea pulſus, in finibus Hiſpaniæ cum Gothis reſedit.

His diebus ſub Innocentio Papa, corpora ſanctorum Stephani protomartyris, & aliorum ſanctorũ reuelata ſunt Luciano presbytero, ſub Ioanne epiſcopo Hieroſolymitano. Non multo pòſt tempore, ſub Bonifacio, qui Sozimo ſucceſſori Innocentij fuerat ſubſtitutus, Hieronymus presbyter obiit, anno ętatis ſuę 91, in Bethlehem. Defuncto Papa Bonifacio, Cęleſtinus ſedit in Vrbe. Hucuſq; Oroſius Chronica ſua perduxit.

Honorius Imperator trigeſimo primo Imperij ſui anno (quorum annorum, duos cum patre, tredecim cum fratre, reliquos

cum filio fratris sui regnauerat) Romæ obiit.

De Honorio & Theodosio Imperatoribus, versificè.

Rursus Honorius & Theodosius imperat aula,
Gothica pessima gens rapit omnia flumine Sauna,
Wandalus Hispanos opprimit ense malo.
Occupat, & captam violat gens Gothica Romam;
Destruit ecclesias, torpescit in Urbe corona,
Omnia diripiunt quæ valuêre bona.
Rex triginta tribus Theodosius imperat annis,
Tunc non peruixit præsul Sisinnius annum,
Præstat parua decem vita duosq; dies.

Item de Theodosio iuniore Imperatore, quadragesimo quinto ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 426, Theodosius iunior, quadragesimus quintus ab Augusto, patruo mortuo solus habet imperium. Huius virtutes in Tripartita historia, omnibus suis prædecessoribus præferuntur. Inter quas & hæc commemoratur; quod, ad instar Alexãdri Magni, dũ in exercitu feruore solis, & pulueris, atq; itineris nimietate fatigatus, nimia siti laboraret, poculũ aquę iucundissimum sibi oblatum, ne ipse præ aliis solus haberet potandi refectionem, bibere recusauit.

Tempore istius floruerunt Ioannes Cassianus eremita, qui Collationes, id est vitas patrum conscripsit. Et sanctus Germanus, Altisiodorensis episcopus.

Hucusque Theodericus episcopus, & Socrates, & Sosomenus viri disertissimi, historias produxerunt; quæ post modum in vnum volumen redactæ, & à Cassiodoro senatore, per Epiphaniũ scholasticum, à Græco in Latinum translatæ, à tribus memoratis authoribus Tripartitæ historię sunt nominatæ.

Tempore istius Imperatoris Theodosij iunioris, Wisogothi, id est Australes Gothi, habitabant in Galliis. Ostrogothi verò, id est Occidentales Gothi, ex quibus Auares, id est Vngari, Pannonij & Longobardi descenderunt, transeunt Danubium. Ostrogothi prius in Pannonia fuerunt commorati, postea in Thracia per 48 annos habitauerunt; deinde ad Occidentem venerunt.

Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum duce Modigisilo, Hispanias occupauerunt.

Eo tẽpore Bonifacius comitatũ Aphricæ ab Imperatore accepit; qui in Hispaniã transiens, Wandalis totam Aphricam subiecit: qui vniuersam terram vastantes, vbẽ Hipponensem, cui tunc præerat beatus Augustinus, obsidione pręcingunt. Beatus autem Augustinus, ne vrbis suę videret excidium, migrauit ad Dominum, ætatis suæ anno septuagesimo sexto. Romani autem tradẽtes Wandalis tertiam partem Aphricæ, pacem cum eis fecerunt. Rex autem Wandalorum Gensericus Arianus, christianos affligens, episcopos in exilium misit; & inuadens Carthaginem, multis diuitiis & ornamentis ecclesiasticis spoliauit.

Anno imperij Theodosij iunioris trigesimo, terræmotus horribilis Constantinopoli fuit; propter quem ibi diuinę commutationis cantatum est primitùs, Ἅγιος ὁ Θεὸς ἰσχυρὸς ἐλέησον ἡμᾶς: hoc est sanctus Deus, sanctis fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Hoc canticum dum à toto populo cum Proculo suo episcopo caneretur, illicò terræmotus cessauit: vnde ab Imperatore, & sorore eius Pulcheria, tunc præceptum est promulgatum, vt hoc canticum per totum orbem de cætero caneretur.

De Atila & eius origine.

HIs diebus Atila Hunnorum rex, occiso fratre suo Bleda, Thraciam & Illyricum cœpit vastare. Cui Theodosius, datis septem millibus libris, promissis etiam singulis annis mille libris, à suis finibus exire persuasit. Ipse verò Theodosius, paulò pòst apud Constantinopolim diem suum finiuit, 41 imperij sui anno; anno autem post mortem patrui sui vigesimo sexto. Cætera de Theodosio isto versus narrabit, & alia sibi contemporanea.

De eodem Theodosio Imperatore, versificè narratur.

Theodosio solo regnum retinente minore,
Transit ab Hispanis gens Vandala plena furore,
Aphrica conteritur, totaq; capta dolet.
Catholicus fuerat populus qui dicitur Apher,
Aphrorumq; fidem subuertit Vandalus acer,
Vnde fides Christi panca remansit ibi.

Quomodo Diabolus apparuit Iudæis in specie Mosi.

Sub specie Mosi loquitur nunc dæmon Hebræis,
Deuotè qui suscipitur satis à Phariseis,
Qui dare dona Dei pristina spondet eis.
Insula Creta fuit, cui prædicat ille futura,
Omnia quæ narrat, promittit eis valitura,
Spondet eis patriam conciliare suam.
Per mare transite, sicco pede (dixit) abite.

Atque

Atque Hierosolymam me præueniente, redite,
Omnia quæ scribi vultis, habetis ibi.
Quumq; per æquoreos fluctus conducit Hebræos,
Turba simul sequitur, spes magna fouet Pharisæos,
Impetus æquoreus quam citò claudit eos.
Parsq; reseruata, quam non maris obruit vnda,
Fit citò catholica Christi baptismate munda,
Cætera quæ periit piscibus esca fuit.

De Martiano & Valentiniano Imperatoribus, quadragesimis sextis ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 453, Martianus consilio Pulcheriæ sororis Theodosij iam defuncti, 46 ab Augusto, Imperium Orientis suscepit: adhuc regnante Valentiniano in Occidente, qui erat 45 ab Augusto. Martiano igitur & Valentiniano Imperatoribus, Atila rex Hunnorum, subiugatis sibi fortissimis gentibus Ostrogothorũ, & Gepidarum aliisq; diuersis populis, totam Macedoniam, Mysiam, Achaiam, & Thraciam peruagatur. Odiebat autem Atila Romanos, propter antiquam eorum dignitatem. Odiebat etiam Wisogothos, propter eorum fortitudinem: vtrosque etiam opprimere intendebat. Sed ambas gentes, simul inuadere, Romanos scilicet & Wisogothos, non volebat: timebat enim, ne aduersus eum vtrique sociarentur, vnde & eos per suam versutiam ab inuicem seiungere, & in alterutrum concitare conabatur. Proinde Valentiniano Romanorum Imperatori in dolo scribebat, se contra Romanos agere nolle, sed contra Wisogothos. Scribebat etiam Wisogothis, nihil contra eos agere, sed contra Romanos.

Eutius autem tunc patricius Romanorum, fraudẽ Atilæ præcognoscens, Theoderico regi Gothorum ex persona Valentiniani Imperatoris scribit; monens diligenter, vt contra Atilam immanissimum tyrãnum, totius orbis inuasorem, ipse cum Romanis conueniret. Igitur Atila indicit Wisogothis bellum. Wisogothi autem per legatos rogantes Romanos, Eutium patricium accipiunt in auxilium. Hic Eutius autem ascitis sibi Francis, & Sarmatis, & Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolis, Brionibus, multisq; Celticæ ac Germanicæ nationibus, Wisogothis succurrit.

Atila verò cum Aldarico rege Gepidarum, & Vialamire Rege Ostrogothorum, innumerisque Regum nationibus mouet procinctum. Itaque in campis Catalaunię vterque exercitus sedet. Atila in interioribus visceribus pecorum, per Pythones euentum rei perquirit; seque vincendum intelligit. Sed ex altera parte principem, omnium potentiorem, esse casurum, in fœdissimis præsagiis auguriisque præsensit. Atila pugnam aggreditur, Romani tũc eminentiorem locum habebant. Itaque ab hora nona vsque in noctem, acerrimum bellum protenditur. Theodericus autem rex Wisogothorum, sicut Atila in auguriis præuiderat, in bello occubuit. Atila verò in fugam versus, victum se prodidit, sed noctis beneficio potuit occultari. Mane facto, Wisogothi regem suum requirunt; sed mortuo inuento, iterum in hostes irruêre, cum Thurismundo filio regis occisi disponunt.

Eutius autem patricius, timens, ne forte, si Hunni penitùs delerentur, Gothi extunc in nimiam gloriam eleuati, Romam opprimerent, dicit ad Thurismundi filium Theoderici: Si fratres tui mortem regis cognouerint, regnum inuadent. Tu ergo velociter domum reuertere, ne in solio regni debeas à fratribus præueniri. Taliter à patricio seductus iuuenis, relictis hostibus, domum festinãter abiuit. Deprehensum est postea, quòd Atila viribus suorum destitutus, de subsellijs suorum ignem sibi magnum præparauerit. In quem, si in eum hostes irruerent, volebat immergi. Refert eorum scriptor Iordanis, quòd in eodem famosissimo prælio ceciderint 165000, ex vtraque parte; exceptis 15 millibus, qui in congressu Francorũ & Gepidarum priori nocte corruerunt.

Thurismundus occiso Theoderici regis filio, à suis rex creatus, consilio Eutij patricij Tholosam ciuitatem suam ingreditur.

Atila recedentibus Wisogothis, securus iam factus, versus Romam iter cõuertit, & in via obsidione cingit vrbem Aquilegiam, metropolim Venetiarum. Quam lõgo tempore obsessam, cùm vincere eam se posse non crederet, atque de recessione iam cogitaret, quadam die circa muros vrbis deambulans, videt ciconias pullos suos paruulos ex nidis extra ciuitatem portantes. Vbi aduocans milites ait: Istæ aues, futuram ciuitatis cladem perpendũt, propter quòd etiam filiolos exportauerunt. Hæc aiens, milites ad euersionem loci fortiùs animauit. Vnde instructis machinis,

variisq; tormentis, vrbem repentè deuicit, & vsq; adeò desolauit, vt prioris formæ ædificij vestigia non valeant inueniri. Asserunt multi, quòd vrbem vacuam inuenerit: quia ciues per mare, quod est eis contiguum, reliquias sanctorum in Venetias, cum omni supellectile, nauigio detulerũt. Ibiq; deinceps perpetuò, habitantes, Veneti, quasi aduenę sunt nominati. Vnde inter Gradenses, qui priores ipsius loci habitatores, & Aquileienses, de patriarchatu vsq; hodie controuersia versatur.

Exercitus Atilę ibi tantus fuit, quòd suis clypeis aggerem ad similitudinem rotundi montis, ob futuram memoriam Atilæ, cõportauit. Alij verò dicunt, eum per Cæsarem Iulium fuisse congestum. Ego Gotfridus montem illum vidi meis temporicus bene munitum & inhabitatum.

Atila postmodum talibus elatus euentibus, omnes Venetias circueũdo vastauit. Atque in Liguriam procedens, Mediolanum & Papiam crudeli animi aduersione depopulatus est. Atila de Liguria tendit Romam; cui Leo Papa longè occurrit: &, ne vrbi noceat, precibus impetrauit. Illud etiam Atilã ab Vrbis accessu maximè refrenauit, quòd Alaricus, prior rex Gothorum, postquàm Romam expoliauit, subitanea morte decessit. His itaque de causis Atila frænum retrò conuertit, & ad propria remeauit.

Interea Valentinianus, virtutem Eutij præfecti æmulatus, eum cum Boëtio senatore, præcepit occidi. Eapropter & ipse paulò pòst, ab inimicis est interfectus, anno imperij sui trigesimo. Quo mortuo, Maximus vxorem eius Eudoxiam sibi copulauit, & Imperium vsurpauit. Deinde Gisericum Regem Vandalorum ad Vrbem vocat. Romani, Vandalorum aduentu perterriti, vlciscuntur in Maximum, eumq; necantes in minutissima frusta decidunt. Ipsi autem metu Vandalorum fugientes, Vrbem relinquunt.

Gisericus rex, vrbem quasi vacuam ingreditur. Papa Leo ingredienti occurrit in porta, eumq; ab incendio vrbis, & occisione ciuium, abstinere precatur. Rex barbarus Vrbem ingressus, omnem prædam rapuit, Eudoxiam cum duabus filiabus abduxit: atque per dies 15 in vrbe moratus, ab incẽdio & occisione ciuium abstinuit, sicut Papa rogauit. Facta est hæc secunda ab Alarico Romanæ vrbis captiuitas; per violentiam Vandalorum; anno ab Vrbe condita, 1204. Postea Gisericus filio suo Transmundo filiam Valentiniani principis in matrimonium copulauit.

Atila verò ab Italia in patriam reuersus, nuptias celebrat, & eadem nocte per fluxum sanguinis de naribus inebriatus expirat. Iste est Atila, metus orbis, flagellum Dei, superbus incessu, oculos furiosos circunferẽs, amator belli, manu propria temperatus, consilio validus, supplicantibus exorabilis, propitius cunctis in fide receptis: forma breuis, pectore lato, minutis oculis, capite grandiore, rara barba, canitie consperſus, simus naso, colore tetro.

Vndecim millium Virginum tempus, & martyrium.

AVthor Iordanis scribit, in exercitu eius fuisse quinquies centum millia, Atila, vndecim millia Virginum apud Coloniam simul martyrio coronauit. Nicasium episcopum Rhemis occidit. Martianus Imperator paulò pòst à suis fraude necatur, anno imperij sui septimo.

Item de eodem Martiano Imperatore, versificè narratur.

Nunc Cæsar Martianus stetit ordine primus,
Nunc rex Gothorum dat prælia Theodericus,
Quem timet Italicus pro feritate situs.
Obtinet Hispanos, belloq; premit Catalanos,
Siciliaq; Pharo posuit tentoria prauo,
Omnia diripuit vulnere, Marte, manu.

De Papa Leone.

Sex annis Martianus vixit numerandis,
Primus papa Leo viginti præfuit annis,
His mensis denos iungite, bisq; duos.

De Simplicio Papa, & Felice.

Simplicius Roma post primum papa Leonem
Suscipit Ecclesiæ dignè recolendus honorem,
Annos quindenos vita beata fouet.
Adde dies septem, quibus hic non vixit ineptè,
Felicis Papæ post annos exprime septem,
Vndenos menses, octo decemq; dies.
Tempore felicis fuerat rex Theodericus,
Impius, impatiens, Gothorum ductor iniquus,
Nomine Christicola, re sceleroſus erat.

De Gelasio Papa.

Gelasius Papa stat tempore Theoderici,
Et sub Zenone Gothorum dogmata vicit,
Annis bis binis, mensibus octo fuit.
Ter ternosq; dies detulit ad requiem.

De Leone Bissa Græcorum Imperatore, quadragesimo septimo ab Augusto.

Anno

ANno ab incarnatione Domini 440, Leo Bissa apud Constantinopolim Orientis susceпit imperium, 47 ab Augusto. Qui filium suum Leonem, socium imperij elegit: Occidentis verò imperium Mauronianus apud Rauennam accepit, qui iuxta Tastonam ciuitatem, quarto regni sui anno occisus est. Post hũc Seuerus sine iussu Augusti apud Rauennam tunc regnũ inuasit. Qui etiam quarto anno Romę diem obiit. Leo Imperator Zenonem, generum suum, Orienti præfecit. Leo Imperator cum Ostrogothis pacem componens, Theodericum filium Theodemari (scilicet Veronensis) de quo Teutonici sæpissimè miram narrãt audaciam, obsidem recepit cùm octo esset annorũ. Leo Leonem filium Zenonis generi sui, qui Orientẽ tenebat, Imperatorem fecit. Ipse autẽ obiit vndecimo imperij sui anno. Zeno Imperator Orientis Romam veniẽs, à populo & à Senatu gratanter receptus est.

De Zenone Imperatore, quadragesimo octauo, ab Octauiano Augusto.

ANno igitur ab incarnatione Domini 476, Zenon, natione Isaurus, quadragesimus octauus ab Augusto, Imperium sortitur. Porrò Occidẽtale imperium, id est Romanum, nepos eius tenuit. Quo à regno pulso Orestes patricius filium suum, Augustum dicendum, Imperatorem Occidentis creauit.

Interea Odoacer, natione Rutenus, ex vltimis finibus Pannoniæ, cum Turcilinguis, & Cyris, & Herulis gentibus, ad inuasionem Romanorum mouit exercitũ. Cui dum Orestes patricius in terminis Ligurię occurrit, visa manu eius, perterritus fugit, & in Ticinum se contulit. Quem Odoacer insecutus, capta Vrbe occidit, atque inde per totam Italiam milite fuso regium nomẽ vsurpat. Iste Odoacer, à terra sua egressus, dum per inferiores Noricas partes, vel Pannoniæ superiores, transiret, virum Dei Seuerinnm, Rauennatem episcopum, qui verbum Dei prædicans ad radicem montis cellam construxerat, adiit; eumque de euentu rerũ consuluit. Qui spiritu prophetiæ, omnia quę pòst euenerunt, ei prędixit.

Augustus (proprium nomen est) prædictus, filius Orestis patricij, patre suo, eodem scilicet patricio, iam occiso, & patria capta ac deuastata, imperialem purpuram sponte deposuit, vndecimo mense regni sui. Odoacer, iam nullo sibi resistente, vrbem Romam ingreditur vt hostis, sibique subiectam tanquam rex vbique disponit. Postremò, tota Italia seruitio suo per quatuordecim annos mancipata fuit, &, tanquam Dominus, eam graui seruitute depressit. Cætera de Zenone versus habent.

Item de Zenone Imperatore, versificè narratur.

Zeno pater patriæ dum regna paterna teneret,
Inclytus eius erat Leo filius, vnicus hæres,
Militia validus, prælia sæpe gerens.
Ille necem quæsisse patris, falsò reputatur,
Zeno pater cui dicta patent, iubet vt moriatur,
Mater ab oppositis obuiat arte satis.
Carcere detento mater tristissima nato.
Curat ei similem iuuenem supponere fato,
*Filius euadit clàm, sed * ille cadit.*
Æstimat ergo pater morti succumbere natum,
Seruat eum mater, ficta specie monachatum,
Annis ter quinis clausus habetur ibi.
Filius ipse Leo vulgi ratione vocatur,
Præcipitur, quicunque Leo dicat, moriatur.
Permanet edictum cum feritate ratum.
Annis quindenis dum sic Leo clausus habetur,
Astrologus cum Grammaticis satis arte docetur,
Philosophus iuuenis totus in arte fuit.
Nutrit auem mater, humano more loquentem,
Plangere quæ didicit iuuenem, cum matre dolente,
Heu Leo, mi nate, gloria nostra iacet.
Victima paschalis Zenone sedente paratur,
Psittacus in medio plangit, luctus renouatur,
Heu Leo dixit auis, cur Leo nate peris?
Claro sermone dum nominat ipse Leonem,
Corda ducum pietate mouet, renouatq; dolorem,
Et regina sedens, plorat vt antè solet.
Zeno miratur, cur turba ducum lachrymatur?
Quærit, & iratus, quæ causa, quis ille reatus,
Qui modò primatum turbat vtrunque latus.
Mater ait; cognosce magis, te Zeno timeri,
Cur plorat, cur turba dolet, timet ipsa fateri,
Noscere si mauis, iam tibi narrat auis.
Zeno refert, tu (quæso) mihi monstra rationem,
Quem iuuenem deplorat, auis tua, quémve Leonẽ,
Viscera nanque mea psittacus iste mouet.
Edictum quod protuleras (ait illa) recedit,
Te solùm, si fortè velis, sententia lædit,
Esse mihi licitum dicere, Zeno dedit.
Nosce tuum natum falso damnâsse relatu,
Viuere monstratur qui creditur esse necatus,
Tu pater, hic natus, me genitrice datus.
Pulchrior est Venere, sapiens, validissimus armis,
Summis principibus charus, spes vnica paruis,
Quem decet imperium iam retinere tuum.
Si cupis ergo, duces paschalia festa tenere,
Me mihi, vel tibi te, lætum si quæris habere,
Ablue peccatum, rem pietate gere.
Esto pater, feritate carens, seruа rationem,
Mitte pater, natum dignare vocare Leonem,
Ipse Deus iubet hoc, curia tota monet.

Ceſſat vt illa loqui, primatum curia ſurgens,
Dat pedibus proſtrata preces, regemq́, perurgent,
Tum prece, tum lachrymis, gaudia ferre ſuis.
Motus ad iſta pater, dum curia tota rogaret,
Eſſe mihi natum, dixit, non ipſe putarem,
Sileo nunc, viuit, opto petita dare.
Annis bis denis, Zenonis gloria ſedit,
Alter Anaſtaſius tunc Romæ Papa reſedit,
Annus ei ſpatium ſolus in orbe dedit,
Vndenos menſes, viceſiesq́, diem.
Symmachus eſt Papa cum principe Theoderico,
Sedit & Hormiſda ſub eodem præſul iniquo,
Nunc & Anaſtaſij Cæſaris hora venit.

De Anaſtaſio Imperatore, quadrageſimo nono ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 491, poſt primum regem Frãcorum Pharamundum, regnabat ſuper Francos Clodouæus, cuius tempore Zeno Imperator moritur, anno imperij ſui 17. cui ſuccedit Anaſtaſius 49, ab Auguſto. Coniugem autem accepit Ariadnem.

Regnante igitur Anaſtaſio in Oriente, Theoderico verò Ariano Romam premente, Symmachus & Laurentius pro papatu in Vrbe contendunt; cui controuerſiæ cum effuſione ſanguinis multorum, tam clericorum quàm laicorum, tribus annis protelatæ, Theodericus, ſynodo vocata, finem impoſuit. Nam Symmachum, ſaniori conſilio electum, in papatu firmauit; Laurentium depoſitum, in ciuitate Lucerna fecit epiſcopum. His temporibus rex Vandalorum Tranſmundus, Giſerici filius, propter fidem catholicam 220 epiſcopos in inſulam Sardiniam exilio tradidit.

Ipſis diebus in Aphrica quidam Olympius Arianus, ſedens in balneo, dum ſuperbè blaſphemaret in Chriſtum, igneo gladio eſt de cœlo percuſſus. Alius quidam cum ab Ariano quodam epiſcopo baptizaretur, dicente ipſo epiſcopo, Baptizo te in nomine Patris, per filium, in Spiritu ſancto: ilicò aqua tota de fonte diſparuit. Hoc viſo, is qui baptizãdus erat, ad catholicam eccleſiam cõfugit, & baptiſmum ſuſcepit.

Interea Imperator Anaſtaſius Clodouæo regi Francorum per epiſtolas obtulit conſulatus ordinis dignitatem. Ipſe verò Imperator ab hæreſi Eutychiana propter admonitionem Papę Hormiſdæ non recedens, imperij ſui anno vigeſimo octauo fulmine ictus, interiit. Clodouæus autem rex Francorum, anno trigeſimo regni ſui, vita deceſſit, & Lothariũ filium ſuum, cum tribus aliis filiis reliquit, qui regnum inter ſe diuiſerunt.

Item de Anaſtaſio Imperatore, verſificè narratur.

Cæſar Anaſtaſius per Gothos bella perurget,
Hæreticus Theodericus nunc opprimit Vrbem,
Nec potuit Gothos tollere Marte ſuo.
Nunc duo Pontifices ipſis patuêre tyrannis,
Laurentius Symmachusq́, ſedent plenis tribus annis
In quibus errorem Gothica turba fouet.
Catholicas nunc eccleſias gens Vandala claudit,
Cuius & errori regio deuicta ſubaudit,
Fana per eccleſias Arianiſta parat.
Tranſmundus rex ipſorum feritatis amicus,
Pontifices dedit exilio trangreſſor iniquus,
Centum pontifices carcere Sardus habet.

Miraculum in blaſphemum Arianum.

Blaſphemare Deum dum cernitur Arianiſta,
Fulgure de cœlo mox lingua peruritur ipſa,
Hæc vbi lingua luit, cætera turba fugit.

Miraculum in baptiſmo Ariani cuiuſdam.

Dum baptizare quendam cupit Arianiſta,
Vnda parata ſibi ſubitò diſparuit ipſa,
Obſtupuit iuuenis, conſoluitq́, ſibi.

De Iuſtino Imperatore, quinquageſimo ab Octauiano Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 519, in Francia regnante Lothario, filio Clodouæi, cum tribus fratribus ſuis, Iuſtinus ſenex, natione Iſauricus, vel Illyricus, quinquageſimus ab Auguſto, ſuſcepit imperium, conſentiente ſenatu.

His diebus Rex Hildericus, filius Tranſmundi, quẽ mater eius Eudoxia docuit eſſe catholicũ, vniuerſos epiſcopos in exiliũ à patre ſuo relegatos, benignè reuocauit.

Iuſtinus Imperator, etiam zelo catholicæ fidei, hæreticos perſequebatur: ad quẽ Theodericus Arianus Ioannem Papam tranſmiſit, denuntians, quia niſi Iuſtinus à perſequutione Arianorum ceſſaret, ipſe Chriſtianos vellet affligere. Iuſtinus, precibus Papæ Ioannis inclinatus, aſſenſit, ipſumque Papam cum honore dimiſit; quem Theodericus & Boëtium priùs necari præceperat; propter quæ ſcelera, Theodericus ab hac luce ſubitò raptus, imperij ſui 30 diſparuit: & iuxta dialogum beati Gregorij, à quodam ſanctiſſimo eremita viſus eſt, à Ioanne Papa & Symmacho, quos ipſe occiderat, in Ætna monte corporaliter in ignem præcipitari. Quod autem quidam dicunt, ipſum Theodericum fuiſſe

fuisse Hermenrico Veronensi, & Atilæ contemporaneum, non est verum. Constat enim, Atilam longè post Hermēricum fuisse, Theodericū etiam longè post mortem Atilæ, quum esset puer octennis, Leoni Imperatori in obsidem datum fuisse. Theodericus dum ei mors immineret, filium filiæ suæ Amalsiundę, nomine Athalaricum, puerum decem annorū, Gothis principibus commendauit, cui & Imperium tunc Romæ reliquit; exorans Gothos, vt senatum & populum Romanum diligerent, & principem sororis suæ Iustiniano relinquens imperium, octauo imperij sui anno migrauit à seculo.

Item de eodem Iustino Imperatore, versificè narratur.

Iustinus senior meruit nunc sede leuari,
Iussit pontifices & ab exilio reuocari,
Ecclesias aperit, flumine, rure, mari.
Iustinus septem feliciter imperat annis,
Tempora nunc veniunt Papæ numeranda Ioannis,
Hic annos binos vixit in orbe suo.
Addere ter ternos menses curemus ad annos
Octo, decemq; dies, etiam ratione notandos,
Nunc quoque Gothorum feruet in orbe dolus,

De Felice papa.

Tertius est Felix Iustini tempore papa,
Quattuor annorum cui tempora sunt reputata,
Insuper & menses tres ratione vacant.

De papa Bonifacio.

Et Bonifacius est Iustini tempore præsul,
Annorum cui binorum vix tempus habetur,
Vigintiq; dies dant sibi digna quies.

De Iustiniano Imperatore, quinquagesimo primo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 527, Iustinianus, ab Augusto quinquagesimus primus, sumpsit imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Clodouei. Iste christianissimus, imperiū quasi iam mortuum prudentissimè suscitauit, rempub. reparauit, de Persis per Belisarium patricium magnificè triumphauit; Leges antè editas, nimietate diffusas, in compendium cōformauit: atque, inter alia infinita ecclesiarum beneficia, ecclesiā sanctæ Sophiæ, id est sapientiæ diuinæ, quę est Christus filius Dei, in Cōstantinopoli, miro opere & ornamento cōstruxit: regem Herulorum, nomine Craten, conuertit & baptizauit.

Tunc etiam rex Hunnorum Garda, & cum eo mulier quædam vidua ex principibus Hunnorum, & alij gentis illius, centum millia baptismi gratiam receperunt. Rex itaq; Athalaricus cum matre sua Eudoxia, in tuitionem Iustiniani Imperatoris suscipitur. at Athalarico post pauca à suis occiso, mater eius Theodatum suscepit in regnū: qui postea ingratus & perfidus, eam in balneo strangulauit. Iustinianus Vandalis ab Aphrica prorsus eliminatis, Aphricā in Romanā prouinciā reformauit. Theodatus traditor & strangulator vxoris, pœnas Iustiniani metuens, Agapetum Papam ad Imperatorem pro petenda indulgentia & pace trāsmittit; qua impetrata, fecit se ab ipso pontifice ad fidem catholicam reuocari: vbi & ipse pontifex diem suum functus, dum per portam regiæ vrbis, eius feretrum portaretur, cęcus quidam tacto feretro, fuit illuminatus.

Post hæc, Belisarius patricius, Theodatum ob cōmissum in vxore scelus, & Witegesium post Theodatum, regnum inuadentem, captum ab Imperatore trāsmisit: atq; totum regnum Gothorum, quod Iordanis actor eorū per duo millia annorum & amplius stetisse commemorat, tunc finiuit. Sic per eum sub Iustiniano, tam Vandalis ab Aphrica, quàm Gothis ab Italia extirpatis, vtrasq; prouincias in pristinam Romanorum subiectionem reduxit.

Hucusque Iordanis episcopus (natione Gothos, vt ipse testatur in sua Chronica) Gothorum historias protelauit.

Belisarius patricius cum Theodeberto filio Clodouei, fratre Lotharij, qui cum ducētis millibus Italiam inuaserat, bellum commisit: & rogantibus Francis, pacem concessit: atque sine damno Romani militis Italia exire persuasit.

Interea Parthi, totam Syriam & vrbem Antiochiam inuadunt, & depopulantur: quibus occurrēs Belisarius patricius, Vandalorum & Gothorū triumphator, vicit, & à terminis Romanorum repressit. His diebus Gothi cum Rege suo Totila tumultuantes, in Italiam iter deflectunt.

De Lombardis, & Prisciano grammatico, item de regula sancti Benedicti.

HIs temporibus gens Lombardorum, quæ ab insula Scantia, quam alij vocant Scathinauiam, à qua etiam Gothi egressi fuerunt, cum Alboino rege suo, in Pannonia habitando, * qui nō multò pòst Italiam occupauerunt (sicut postea dice-

mus) Beliſarius patricius in Italia manens, præcepto Theodoræ Auguſtæ, Syluerium papam inuitus in exiliũ miſit. Vigilio quoque ſucceſſori ſuo ſimiliter fecit. Priſcianus tunc libros grammaticæ artis ad Iulianum cõſulem & patricium à Cæſarea ſcripſit. His etiam diebus beatus Benedictus abbas regulam monaſticam ſcripſit.

Iuſtinianus princeps egregius, Republica ſuo tempore ſatis ſublimata, anno 39 imperij ſui diem obiit.

Hucuſque Victor epiſcopus Turonorum chronica ſua perduxit. Cætera de Iuſtiniano & de pontificibus ſui temporis, verſificè proferamus.

Item de eodem Iuſtiniano Imperatore, verſificè narratur.

Suſcipit imperium pro tempore Iuſtinianus,
Cuius & officio legaliaiura petamus,
Iure ſuo regimur, nam ſua iura damus.
Eius ab imperio gens Vandala victa fugatur,
Omne decus Domini virtute ſua reparatur,
Gaudet & eccleſia pace manente ſua.
Per triginta duos vitam deduxerat annos,
Hic quoque cum Gothis conflixit ſæpe tyrannis,
Gothorum princeps Athalaricus adeſt.

De Papa Ioanne & Agapeto.

His modo temporibus fuit alter Papa Ioannes,
Vixit & Agapetus reſidens tunc, præſul amandus,
Hi duo dum fuerant Athalaricus erat.
Præſul vterque fuit, annis quaſi bis duodenis,
Gothorum regis Theobaldi copia venit,
Ille per Italiam peſſima geſta dedit.

De Syluerio papa, & Theobaldo rege Gothorum, ſecta Arianorum.

Viuit adhuc magnus quem ſcripſi Iuſtinianus,
Syluerium papam ſub eo nunc commemoramus,
Octo ſibi menſes viuere ritè damus.
Syluerius ſine decreto fit Iuſtiniani,
Theobaldus ſimul & Gothi nunc hæreſiani
Ipſum conſtituunt, Cæſaris ira ſalit.
Dum Theobaldus obit, commotus Iuſtinianus
Imperat vt Gothi quos nouerat hæreſianos,
Cedat ab Italia pernicioſa manus.

De Vigilio papa, & altero Gothorum rege.

Vigilius papa vixit cum Iuſtiniano,
Viuere ſex annis quem tempore commemoramus,
Vigintiq; dies, plus quoque quinque damus.
Nunc rex Gothorum capitur dictus Vigilogus,
Iuſtinianus eum miſſum ſibi morte malorum
Iudicat, & gladio pertulit ille ſorum.

De Pelagio papa.

Pelagius papa fuerat cum Iuſtiniano,
Annis bis binis quem viuere commemoramus,
Pluſq; decem menſes de ratione damus.
Pelagius papa cùm vellet in Vrbe ſacrari,
Pontifices ad ſacra duos peragenda vocauit,
Hi duo ſufficiunt ad ſacra, canon ait.
Sicq; Ferentinus, ſic præſul adeſt Peruſinus,
Presbyter Andreas, hi tres tenuêre triclinum,
Non fuerant plures, nec tibi narro minus.

De Ioanne pontifice, & portento quodam.

Tertius eſt cum Iuſtiniano papa Ioannes,
Hic modo biſſenos cum Cæſare vixerat annos,
Vndenos menſes viceſiesq; diem.
Nunc acies quaſi pugnantes ſuper æthera viſa
Sunt, velut ignitæ, multæq; videntur vbique,
Quid ſit & vnde venit, nec recitare licet.

De Iuſtino iuniore, Imperatore Græcorum, 52 ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 567, regnante in Francia Hilperico, filio Clotharij regis cum trib. fratribus; Iuſtinus iunior, Iuſtiniani nepos, natione Thrax, quinquageſimus ſecundus ab Auguſto, imperium, ab Eutychio patriarcha coronatus, ſuſcepit. Iſte Eccleſias ab anteceſſore ſuo inſtitutas, multa largitione ditauit. Huius dieb. pax inter Romanos & Perſas rumpitur. Imperator autem ad Aretam regem Indorum Iulianũ tranſmiſit: qui eum (ſicut hîc deſcribimus) ornatum inuenit.

Stabat itaq; rex penè nudus, habens circa lumbos tantùm cinctură, & linea veſtimenta auro contexta, & circa ventrem indumenta ſciſſa, margaritis precioſis conſerta: in brachiis habebat quinos circulos, & aureas armillas: in capite, pannum gemmis ornatum: in collo, torquem aureum. Super quatuor elephantes, rotis quatuor, curru excelſo innitebatur ſtans. Scutum paruiſſimum deauratum, cum duab. lanceolis, in manu tenebat. Quem cùm Iulianus contra Perſarum regem nomine Eunucho armaſſet, reuerſus eſt.

Item Iuſtinus, miſſo Narſe, cum auxilio Longobardorũ, Totilam regẽ Gothorum interfecit, & Gothos de Italia radicitùs exſtirpauit: & Bucelinũ principem regis Francorum, ad deuaſtãdam Italiã miſſum, occidit: atq; Sindoaldũ regem Brẽdonũ, qui de comitibus Odoacri adhuc in Italia ſupererat, ſuſpẽdio peremit. Itaq; cùm Narſes, deletis omnib. barbaris, Italiã in ſtatum priſtinũ reduxiſſet, Romani (vt aſſolet) eius proſperis ſucceſſibus inuidẽtes, apud Auguſtum atq; apud vxorem eius accuſabãt. quamobrem Imperator miſit Longinum ad occupandum locum eius, in Italiam.

Sophia

Sophia quoque Augusta, furore mulièbri succensa, Narsen sicut eunuchum inter mulierculas suas ponendum, & more mulierum sibi seruiturum minabatur. Quæ omnia Narses grauissimè ferēs, Neapolim se contulit, missaq; legatione Longobardos in Italiam vocauit: quorum aduentum igneæ acies in cœlo (teste Gregorio) præcesserūt, & visæ sunt à multis, quæ & futuram effusionem sanguinis indicabant. Ex tunc Roma non solùm prouincias Transalpinas, sed & ipsam Italiam, quæ ab illo tempore à barbaris, quos Longobardos vocamus, inhabitatur, amisit. Porrò Iustinus Imperator Tiberium comitem in filium adoptauit, & Cæsarem legit, cùm verò se moriturum cognosceret, vocato ad se Eutychio pontifice & senatu, Tiberiū ex Cæsare fecit Augustum. Ipse autem vndecimo imperij sui anno, diem obiit.

De eodem Iustino versificè, & de Papa sui temporis.

Iustinus minor, imperij dum sede sederet,
Vngaricos proceres secum decreuit habere,
Aduersus Ligures prælia multa gerens.
Vigilogus rex Gothorum tunc prælia gessit,
Hispanos feritate sua gladioq; repressit,
Qua multas vrbes dissipat atq; tenet.

De Papa Pelagio.

Surgit Pelagius nunc Romæ Papa secundus,
Germine Romanus, discretus & ore facundus,
Sed sine Iustini lege resedit ibi.

Lombardi Romam & Italiam premunt; inundatio magna; & Fabianus Papa est.

Nam Lombardorum violenta manus populorum,
Igne, fame, gladio, partes premit Italicorum,
Vrbs erat obsessa, Romuleumq; solum.
Tantaq; nunc orbi pluuiarum copia cedit,
Quòd populus iam diluuium consurgere credit,
Destruxit pontes, plurima damna dedit.
Nunc minor vndenis Iustinus præsidet annis,
Tunc primus Benedictus erat præsul venerandus,
Vno plus mense sexq; decemq; dies.
Mira fames Ligures, & belli copia pressit,
Primaq; Lombardis super illos gloria cessit,
A longis barbis nomina fama trahit.

De Tiberio Constantino Imperatore Græcorum, quinquagesimotertio ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 576, Tiberius Cōstātinus, natione Thrax, ab Eutychio patriarcha coronatur: qui ab Augusto quinquagesimustertius imperauit. Iste dum in palatio suo deambularet, & crucem in pauimento sculptam videret, dixit: Eleuetur signum crucis hoc à pauimento: crucem enim Domini debemus adorare, nō pedibus conculcare. Qua sublata, iterū aliam crucem ibidem sculptam inuenit: qua rursus inde sublata, tertiam iterum crucem ibi sculptam aspexit. Quapropter ibidem profundam foueam fieri iussit, vbi fodiendo, multum aurum inuenit.

Similiter postea mortuo Narse patricio, in puteo quodam aurum plurimum est inuentum: quæ omnia Imperator more suo pauperibus erogauit. Idem Imperator Italia tunc à Lombardis vastata, sub Papa Benedicto, multas naues ab Ægypto frumento onustas, Romanis fame laborantibus misit, Persas per ducem Mauricium glorioſè deuicit, quem postea sibi genero & Cæsarem fecit. Item Hilperico, regi Francorum, mirifica dona transmisit.

His diebus Gregorius Romanæ ecclesiæ archidiaconus, à Papa Pelagio Constantinopolim missus, Moralia Iob, Leandro descripsit; atque Eutychium ipsius vrbis episcopum, de fide resurrectionis errantem, coram Imperatore correxit. Tiberius autem substituto sibi in imperio genero suo, Mauricio, āno imperij sui sexto, in pace quieuit. Cætera de Tiberio, versus habent.

De eodem Tiberio Imperatore, & de Papa sui temporis, versificè narratur.

Tiberius cum Pelagio nunc præsule sedit,
Gothica gens tandem proprio se vulnere cædit,
Sic sibi tunc finem turba maligna dedit.
Cæsar sex annis, vndenis Papa quieſcit,
Vndenos menses Papa subiunge dieſq;,
Insuper ad requiem iungere quæro diem.

De Mauricio Imperatore, quinquagesimoquarto ab Augusto, & de Papa sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 583, Mauricius ex Cappadocia oriundus, primus de genere Græcorum, ab Augusto quinquagesimus quartus imperat.

Huius diebus beatus Gregorius, Imperatoris cōsensu, suscepit pontificatum Romanum. Tunc sanctus Columbanus Scotus, Luxouiēsis abbas, persequutione compulsus, in ciuitatem Italiæ Bobium ve-

nit,ibiq́ue obiit. Tunc Romericus in monte ſuo Romerico, nobile cœnobium ſanctimonialium fecit, ſcilicet in regno Lothoringiæ.

Tunc etiam in Sueuia ſub diœceſi Conſtantienſi, Eccleſia ſancti Galli, valde honorabilis conſtructa eſt,eo viuente,quum eſſet abbas (vt dicitur) quadringentorum monachorum; qui omnes,ſancti eſſe creduntur, vno ſolo excepto Hebruino; qui dimiſſo tunc ordine monaſtico factus eſt maior domus, id eſt primus poſt regem in regno Francorum, per Brunihildam reginam, ſed nequiſſimam fœminam; cuius inſtinctu ille Hebruinus eccleſiam Dei eſt perſequutus, & quoſdam martyres fecit. Brunihilda tamẽ pro his peccatis dignam pœnam portauit: ipſa nanque à rege Clothario ad caudas equorum indomitorum ligata & tracta,finem miſerabilem,ſed dignum accepit.

Mauricius Imperator,dum beatum Papam perſequi non ceſſaret,anno decimonono imperij ſui videt in viſione monachum ante ſe ſtantem cum gladio vibrato, dicentem ſibi: Ecce,tu morieris. Quo viſo perterritus, culpamq́; ſuam cognoſcẽs, papæ Gregorio & epiſcopis atque abbatibus religioſis, humiliter ſcripſit, vt apud Deum ſuis precibus impetrarẽt,quo Deus eum pro ſuis culpis, non in futura, ſed in preſenti vita puniret. Ipſe quoque idipſum apud Deum multis lachrymis exorabat. Quum ergo Deus ad Eccleſię petitionem Imperatorem vellet audire,videt Imperator in ſomnis ſe coram crucifixo apud ænæam portam palatij ſtare, vocemq́; terribilem audire: Date Mauricium,date Mauricium. Et iterum; Vbi vis, ô tu Maurici, reddam tibi mala quæ feciſti? hic,an in futuro? Cumq́; ille reſpondiſſet,dicens: Non in futuro. Iuſſit eum cum vxore & liberis & cum omni ſua cognatione ad Phocam duci & tradi. Mane facto,Philippo genero ſuo ad ſe vocato, ſomnioq́; narrato, ait: Nunquid Phocam illum cognoſcis? Ille reſpondens; Iuuenis eſt,inquit,& temerarius. Nuncij interea quos ad viros Dei Mauricius miſerat,tunc reuerſi, ſimilia reſponſa ab eis in ſomnis viſa renuntiabant. Itaque exercitus à Mauricio miſſus, dum per eius auaritiam fame laborarent, in ſeditionem verſi Phocam ſibi creant Imperatorem. Quod audiens Mauricius, prefatæ viſionis præſagium eſſe percepit. Phocas inſecutus Mauricium iuxta Chalcedoniam, eum culpam ſuam recognoſcẽtem, cum vxore & filiis, ſecundum viſionem prædictam,decollauit. Cætera de Mauricio verſus habent.

Item de eodem Mauricio & de Papa ſui temporis.

Tempore Mauricij Romæ diademate functi
Catholicæ ſunt Eccleſiæ baptiſmate iuncti,
Gothorum populi,munere dante Dei.
Mauricij tempus viginti perficit annos,
Inſuper annus erit,recto numero numerandus,
Sub quo Gregorij vita beata venit;
Tresq́; decemq́; ſimul regit annis pontificatum,
Vrbis & orbis honor per eum digne releuatur,
Annis,ſex menſes iungo,decemq́; dies.

De Mauricio Imperatore, & Papa Gregorio,qui ſcripſit in Iob & Ezechielem.

Gregorius cum Mauricio dum ſede leuatur.
Contemnit ſedem, deuitat pontificatum,
Iuſſu Mauricij,cogitur atque venit.
Iſte Iob expoſuit,luſtrauit & Ezechielem,
Dogmate paſtorum præfulget, & in Daniele,
Huius & Eccleſiæ gloria magna ſedet.

De Phoca Imperatore, quinquageſimoquinto ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 603. Phocas quinquageſimuſquintus ab Auguſto, imperium ſortitur, habens vxorem Leontiam nomine. Iſte primò patricij cuiuſdam ſtrator fuit, poſtea miles, ad vltimum Imperator. Anno Imperij eius ſecundo beatiſſimus Papa Gregorius migrauit ad Dominum. Tunc tertius Bonifacius Papa impetrauit à Phoca, vt, ipſius authoritate, Romana eccleſia caput omnium diceretur Eccleſiarum. Nam Conſtantinopolitana eccleſia ſe primam (puto propter regni ſedem illuc tranſlatam) inſcribebat. Poſt hũc alius Bonifacius quartus à beato Gregorio, precibus ab eodem Phoca Auguſto obtinuit, vt templum à Domiciano Imperatore conſtructũ, quod Pantheon vocabatur, Eccleſiæ Dei datum in honore omnium Sanctorum dedicaretur.

His diebus Coſdroas Perſarum rex, Orientem peruagatus multas Romanis prouincias abſtulit, ac viuificę crucis vexillum ab Hieroſolymis aſportans, in ſolio ſuo, vbi ſe vt Deum adorari fecerat, poſuit. Phocas autem cùm multa ſcelera & homicidia perpetraret,ab Heraclio, Heraclij pa-

patricij prætoris Aphricæ filio, vocatu Prisci patricij generi sui, octauo imperij sui anno interficitur. Cætera versibus explicentur.

Item de eodem Phoca, versificè ponitur.

Phoca sedet Cæsar, restaurat & vndiq; læsa,
Agmina Lombarda sub eo sunt plurima cæsa,
Et dedit Ecclesiis pace sedere suis.
Imperio Phocæ Lombardus ab Vrbe fugatur,
Tuscia Spoletum virtute sua reuocatur,
Pax erat Italicis, sed recidiua satis.
Octo sedens annis Phocas tenet imperiatum,
Nunc Fabianus præclarus Papa vocatur,
Anni solius cui modò vita fuit.

De Papa Bonifacio, qui à Phoca Imperatore primatum omnium Ecclesiarum obtinuit.

Tertius est Papa Bonifacius ille benignus.
Qui petit à Phoca munus per secula dignum,
Vt sedes Petri prima sit, ille dedit.
Prima prius fuerat Constantinopolitana,
Est modò Romana, meliori dogmate clara,
Petrus enim princeps dogmata prima parat.
Octo capit menses vitæ Bonifacius iste,
Bisq; decem numerando dies pro tempore siste,
Sic tempus Papæ sub breuitate cape.
Quartus cum Phoca Bonifacius ille notatur,
Annos tres, octo menses, cui vita paratur,
Vigintiquinq; post superadde dies.

De templo Pantheon, Bonifacio dato.

Phoca Bonifacio dat Pantheon ante sacrari,
Qua cuncti statuêre Dei sua fana parari,
Idola constitui, pinguia thura dari.
Hæc domus immunda sacra benedicitur vnda,
Dæmonis existens sit sancta Maria Rotunda,
Primaq; dæmonij, nunc manet aula Dei.

De Papa Deusdedit.

Papa Deusdedit cum Phoca Cæsare sedit,
Cui ternis annis populus Romanus obedit,
Vigintiq; dies plus sibi vita dedit.

De inclinatione Romæ sub Phoca Imperatore.

Iste fuit Phocas cum seditione leuatus,
Milite fautore regnat, nolente senatu,
Tunc pars nobilium perdidit ense caput.
Nunc gens Persarum Romanis subdita pridem,
Iam transgressa fidem, populus non permanet idem,
Prælia permiscet, Roma caduca silet,
Cum fuerit domina, perdit gens Romula Persas,
Sic & Hebræorum sunt prælia prisca reuersa,
Romanus populus perdit vtrunq; solum.

De Heraclio iuniore, Imperatore Græcorum, quinquagesimosexto ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 612, Heraclius, occiso Phoca, à Sergio patriarcha coronatus, quinquagesimusextus ab Augusto, sortitur imperiũ, regnante in Frãcia Lothario, filio Hilperici. Iste anno Imperij sui secundo, genuit filium Heraclium Constantinum, ex Eudoxia. Mortua verò Eudoxia, filiam sororis suæ Martinam, incestuosè sibi copulauit, & ex ea filiam Heraclonam suscepit.

Hucusq; Isidorus episcopus historiam suam perduxit. Anno imperij sui octauo dum Heraclius à rege Persarum Cosdroë pacem peteret, nec impetraret: ipse quarto postea anno, qui erat imperij sui duodecimus, exercitum mouet in Persidem. Eundo autem in ponte Danubij cum filio Cosdroæ habuit singularem conflictum. Quo ibidem occiso & parte exercitus ipsius, tunc ad Christianitatem conuersus processit, atque omnem Persidem deuastauit. Cosdroëm in solio aureo tunc, vnà cum cruce Domini sedentem occidit, & lignum sanctum inde accepit. Inde reuersus Constantinopolim cum triumpho, postea crucem Hierosolymam reportauit. Vbi in introitu ipsius portæ, miraculum magnum apparuit: quod miraculum ego versificè in fine capituli huius annotaui. Ab illo tempore, Exaltatio sanctæ Crucis cœpit ab Ecclesia celebrari.

His diebus, Anastasius quidam in Perside, magus prius, postea Christianus & monachus, cum aliis septuaginta, martyrium sub iudice Marzabona, pro fide Christi susceptit à Persis. Cuius tunica postea quidam dæmoniacus indutus, curatus est. Huius corpus Heraclius de Perside asportauit.

Eo tempore MACHOMET, quem Saraceni hodie colunt, natus de stirpe Ismahelis, patre gentilis, matre Iudæus, legem suam prædicabat.

Eisdem diebus, mortuo Lothario rege Francorum, Dagobertus filius eius satis puer erat; quem Arnolphus (qui tunc Maiordomus erat) educauit. Idem Arnolphus postea Metensis episcopus fuit. Iste Dagobertus in Francia solus regnabat; sed fratri suo Heriberto circa Ligerim fluuium paucas vrbes & pagos dimiserat. A Clodouæo enim vsque ad istum Dagobertum regnum Francorum inter diuersos fratres variè diuisum, & inter filios filiorum, confusè & inæquabiliter regnatum erat. Terminus autem regni Francorum erat iam ab Hispania vsque Panno-

niam, habens in vno fine Aquitaniam, ex alio autem capite ducatum Bauariæ, qui protenditur vsq; Vngariam. Aquitaniam quidem in Occidente, Bauariam in Oriente habebat rex Francorum. Dagobertus itaque vnicus rex Francorum, leges Bauaris dedit. Qui dum patre suo Lothario adhuc viuente, cum Saxonibus bellum inisset, ab eis grauiter est vulneratus. Vnde postulato & accepto à patre auxilio, iterum cum Saxonibus pugna congreditur. Quibus glorioſè victis atque fugatis, vniuersam Saxoniam suæ ditioni subiecit: omnesq; illius gentis masculos, qui gladio Dagoberti statura fuerant longiores, eius imperio legimus tunc fuisse peremptos. Eo tempore beatus Cunibertus, Colonienſis erat episcopus.

Heraclius interea à Sergio patriarcha seductus, hæresi Eutychiana inficitur: insuper fit mathematicus & astrologus: tunc per constellationes cognouit, quòd homines circumcisi essent eius imperium vastaturi. Existimans autem homines illiusmodi esse Iudæos, missis ad Dagobertum legatis, omnes Iudæos postulat iussu regio baptizari. Quod etiam impetrauit. Ipse quoque Heraclius de Iudæis sui imperij similiter fecit. Non multò pòst Agareni, qui omnes sunt circuncisi, imperium eius inuadunt. Quos dum Heraclius, misso exercitu cogitat cohibere, quinquaginta millia de suo exercitu perdidit. Nam Heraclius apertis portis Caspios educit, homines sæuissimos, quos Alexander Magnus, propter eorum immanitatem, super mare Caspium olim concluſit, & cum istis aduersus Agarenos Imperator bellum instaurare proponit. Angelus autem Domini, eadem nocte, dum mane fuerant pugnaturi, de Imperatoris exercitu quinquaginta millia interfecit. Vnde fractus animo Imperator, ex dolore fit tumidus; & in hydropisin versus, anno Imperij quadrageſimoſeptimo emisit spiritum.

O iudicia Dei iustissima! quia Heraclius per virtutem & signaculum victorioſissimæ crucis glorioſissimè triumphauerat; postea Dei & ipsius crucis oblitus, magis in auguriis, quam in diuino auxilio confidebat; ab Agarenis, qui nec inter viros fuerant computandi, meruit infeliciter superari. Cætera de Heraclio, & de cruce, atq; de Cosdroë, versibus exponamus.

Item de Heraclio & de exaltatione sanctæ crucis, & de Papa sui temporis.

Heraclius stat magnificus, diademate summus,
Gothorum rex mirificus regnat Sisimundus,
Multos Iudæos subdidit ille Deo.
Expedit Heraclij iam Cæsaris acta fateri,
Qui crucis & cleri stauit loca, iura tueri,
Pro cruce quanta gerit, sermo canendus erit.
Vrbs bona Dauidica, modica sub pace quietà,
Fertur ab antiqua Persarum gente petita,
Marte requisita, crux latitabat ita.

De Cosdroë.

Cosdroës iratus, disponit vt vrbs capiatur,
Vrbs vbi pugnatur, capitur, populusq; ligatur,
Quumq; crucem rapuit Persica gens abiit.

De aula Cosdroë, & filio eius.

Cosdrois aula fuit, valida testudine plexa,
Intus habens latera gemmis auroq; retexta,
Qua velut ætherea sydera fixa micant.
Sub specie cœli potuit domus illa videri,
Desuper instituit currus quandoq; moueri,
Vnde ferens strepitum fulmina ficta dedit.
Cœlibe mentita sedet impius arce petita,
Cum cruce quasita, putat illic viuere vita,
Nec metuit mortem, dum resideret ita.
Filius ex ipsa patris feritate patrissat,
Acriter amissa fert prælia, sanguine mixta,
Militibusq; suis in loca sancta ruit.

Heraclius Persarum victor.

Obuiat Heraclius, reprimens virtute superbum,
Ponteq; Danubij celebrat cum rege duellum,
Et virtute crucis diripit arma ducis.
Impius occisus cadit hic, sed credere visus,
Deuictus populus redit, baptismate nisus,
Miles & ipsius credidit in Dominum.

Cosdroës decollatur.

Signa iubet Cæsar per climata Persa moueri,
Cosdroës absconsus memoratis tegmine cœli,
Deditus interiit cœlica pompa perit.
Amputat Heraclius regis caput ense maligno,
Obsequium dignum recipit venerabile signum,
Ad loca Dauidica cum cruce signa micant.
Montis Olineti, victorum munere freti,
Dum portas penetrare putant cum Cæsare læti,
Porta fit vt paries, turba repulsa redit.
Adfuit angelicus pro Cæsare sermo venustus,
Nolo quod Augustus gemmis procedat onustus,
Intrantis Christi sit memor ipse sibi.
Auferat ornatus, humilis pede progrediatur,
Heraclij manibus iam crux benedicta feratur.
Porta reformatur, spes via larga datur.
Sufficit Heraclij breuiter narrasse decores,
Me vocat ad reliquos regum mea Musa labores,
Carolus & reliqui, grandia gesta monent.
Imperat Heraclius annis quasi ter duodenis,
Quo crucis & cleri celeberrima gloria venit,
Illa recordatio perpetualis erit.

De

De Seuerino Papa.

Temporis Heraclij succedit Papa Seuerinus,
A tribus edoctus pater est ad dogmata primus,
Fertq; duos annos ipse, duosq; dies.

De Honorio Papa, & Ioanne.

Præsul Honorius est ipso cum Cæsare magnus,
Ipse duodenos in vita perficit annos,
Mensibus undenis, lux quoq; dena venit.
Temporis Heraclij Theodorus, ordine sedit,
Qui post sex annos, & menses quinque recedit,
Octo decemq; dies plus sibi vita dedit.

De Pyrrho patriarcha Constantinopolitano.

Constantinopoli tunc Pyrrhus erat patriarcha,
Quem probitate sua Theodorus ille coarctat,
Romanæ sedi quod famulator erit.
Gesta sua partis anathemate Pyrrhus ademit,
Romano se pontifici supponere venit,
Annis perpetuis sponsio talis erit.
Temporis Heraclij Mauricius ordine sedit,
Constantinopoli, cui Paulus præsul obedit,
Tunc sibi Romana dogmata Papa dedit.
Sex annis viuit Mauricius ordine rerum,
Et mensem, spatio vigintiquinque dierum,
Tempora pontificum sic numeranda ferunt.

De pontifice Eugenio.

Eugenius Papa, sub eodem tempore sedit,
Vita duos annos peragens à sede recedit,
Adde duos menses, ter dabis octo dies.

De Heraclio Constantino Imperatore, filio Magni Heraclij; & chronica sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 639, regnante in Aphrica Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclij filius, quinquagesimus septimus ab Augusto, regnum adeptus, quarto imperij sui mense, fraude nouercæ suæ Martinæ, Pyrrhique patriarchæ veneno necatur; ipsaque cum filio suo Heraclona regnum vsurpans per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filij sui, matrisque ipsius lingua abscissa, Constans Constantiniani, Heraclij filij, filius, à senatu Imperator creatur. Pyrrhus quoque patriarcha sceleris illius author in exilium truditur, & in locum eius Paulus subrogatur. Hic est Pyrrhus, qui cũ Cyro Alexandrino episcopo, hæresim quę duas in Christo voluntates negabat, condidit. Cætera versus habent.

Item de eodem Constantino tertio, & Papa sui temporis, versificè narratur.

Tertius accedit Cæsar Constantinianus,
Papaq; Romanus residet nunc Vitalianus,
Grandis in ecclesiis fit per vtrunq; salus.
Octo tulit Cæsar pro vita temporis annos,
Papa quater senos annos, ratione notandos,
Et menses septem vixit, & octo dies.

De Papa Deodato.

Papa Deodatus sub eodem tempore venit,
Annis bis binis, & bino mense recedit,
Quinque dies vltra, tunc sua vita dedit.

De pontifice Dionysio.

Papa Dionysius sub eodem rege notatur,
Annis quinque sedens, & menses quinque notatur,
Octo diebus et, plus quoq; vita datur.

De Agapeto Papa.

Agapetus Papa sub eodem tempore sedit,
Post annos binos, & menses octo recedit,
Bisq; dies septem, plus sibi vita dedit.

De Constante Imperatore, filio Constantiniani, quinquagesimo octauo ab Augusto; & chronica sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 642, pulso cum matre Heraclona, Constans Constantiniani filius, quinquagesimus octauus ab Augusto regnauit. Hic cùm in eandem, quã auus suus Heraclius, hæresim fuisset lapsus, Martinum Papam, eò quod Paulum patriarcham, Pyrrhum, & Cyrum, habita synodo excommunicasset, apud Cersonam in exilium misit; vbi multis miraculorum signis refulgens, migrauit ad Dominum.

Porrò Constans congregata sub Vitelliano Papa synodo, hæresim abdicauit, ac beato Petro miræ magnitudinis Euangelia, auro cooperta, gemmis ornata, misit. Ipse verò non multis pòst diebus Italiam à Longobardorum potestate eripere volẽs, per æquora nauigando, Tarentum applicuit. Pòst Beneuentum veniens, omnes penè ciuitates quas Longobardi inhabitabant, cepit. At ciuitatem Luceriam ad solum vsq; prostrauit: deinde accepta obside sorore, Rumaldi scilicet, Grimaldi regis filia, Neapolim iter flectit. Inde ad Vrbẽ iter tendens, Vitellianum Papã in septimo milliario obuium, cũ clero & populo habuit. Ac ita honorificè Romam ingressus, beato Petro pallium auro textum obtulit.

Cogitabat autem imperium ad Vrbem retransferre, eo quòd Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinũ Papam commisso, consilium dederant, tanquam hæreticorum fautores, exosos haberet.

Huius diebus beata Gertrudis virgo, Pipini Grossi filia, beato fine quieuit. Dagoberto quoque mortuo, Clodouæus filius eius successit. Nam alius filius, Sigibertus scilicet, dum adhuc viueret, Austrasiam reliquerat, eumque Cuniberto Colonien-siũ præsuli, & Pipino Grosso commendauerat.

Constans Imperator Heraclius ab Vrbe digressus, Siciliam ingreditur: vbi per sex annos moratus, fraude suorum in balneo occiditur, anno imperij sui octauo. Quo mortuo, milites quendam Mitium nomine, Imperatorem creauerunt. Hoc comperto, Constantius Constantiniani filius, intrauit Siciliam, & Mitium cum interfectoribus patris sui occidit; rebusq; in Hesperia compositis, Constantinopolim redit. Cætera de Heraclio Constante, versus habent.

Item de eodem Constante, Imperatore Heraclio, & de Papa sui temporis.

Heraclio regnante datur Leo Papa sedere,
Annos vita decem mensemq; refertur habere,
Pollet in eloquio scripta beata ferens.

De Benedicto pontifice.

Temporibus Heraclij nunc Papa venit Benedictus,
Ter ternos menses viuit, tumuloq; relictus,
Octo dies tenuit, quos sibi vita dedit.

De Theodosio Imperatore, filio Constantis Heraclij, & chronica sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 670, Theodosius Cõstantinus, filius Constantis Heraclij, cum duobus suis filiis, Heraclio & Tiberio, quinquagesimus nonus ab Augusto, sortitur Imperium. His diebus, Ansgisus, filius beati Arnulphi, Metensis episcopi, qui Maior domus, prius fuerat in regno Francorum, dignitatem Maioris domus adipiscitur. Constantinus Theodosius, anno imperij sui decimoseptimo, vitam finiuit.

De Iustiniano Imperatore, filio Theodosij, sexagesimo ab Augusto, & chronica sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 686, Iustinianus Theodosij Constantini filius, sexagesimus ab Augusto imperat. Iste composuit pacem cum Saracenis: & Aphricam ab eis liberatam Imperio Romano suppposuit.

Progenies omnium Carolorum, ab Ansgisi filio Arnoldi episcopi Metensis, qui prius fuerat dux Francorum & Maior domus.

EO tempore Pipinus, filius Ansgisij, fra ctus Maior domus, totum regnum ad ministrabat Francorũ. Cuius Pipini Gros si, ab hoc loco in antea, anni & gesta pe nuntur in catalogo regum Frãcorum. Re ges enim Francorum à temporibus istius Pipini Grossi, qui erat Maior domus, o mnibus regni negociis & honoribus de nudati, nomine solo regnabant; econtra Maiores domus, curam & fortitudinem regni tenebant.

Iustinianus à Leontio patricio, quem ipse per tres annos in vinculis tenuerat, nas so & labro mutilatur; qui Leõtius per trẽs annos occupat imperium, ipso Imperato re mutilato interim in exilio detento. Post illos tres autẽ annos, Tiberius, qui cognominatur Absimarus, eidem Leontio simili ter nasum abscidit, eundemq; in monaste rium trusit, atque ipse regnum vsurpauit, septem annis detinuit.

His diebus sub Sergio Papa synodus Aquilegiæ congregatur. Iustinianus quem Leontius patricius prius mutilauerat, per adiutorium regis Bulgariæ, vrbem Constantinopolim captam recepit, & postmodum per sex annos tenuit. Iste tunc cepit Tiberium & Leontium. Quos etiam in catenis positos, per plateas trahi præcepit, vniuerso populo post eos clamante sic, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Ipse etiam conculcabat eorum calcans, ad vltimum decollauit eos. Alios quoq; qui perpetratæ factionis erga eum rei extiterant, diuersis pœnis fecit cruciari. Item quotiescunq; de naribus mutilatis guttam rheumatis stillantis tergebat, toties aliquem illorum necari præcipiebat. Ipse etiam Gallicinum patriarcham, erutis oculis, Romam in exilium misit, & Cyrum abbatem, qui ei necessaria ministrauerat, fecit patriarcham, atque Tiberium filium Cyri, consortem regni sibi constituit. Deinde Philippum quem ipse in Ponto relegauerat, comprehendere voluit. Philippicus verò ab exercitu Imperator creatus, sexto milliario ab vrbe Constantinopoli pugna commissa, Iustinianum occidit, filium quoque Iustiniani fideles Philippici necauerunt.

De

De Philippico Constantinopolitano Imperatore, & chronica regum Francorum per idem tempus.

ANno ab incarnatione Domini 713, Philippicus, 61 ab Augusto, imperiũ accepit. Tunc in Francia solo nomine iunior Dagobertus regnabat. Pipinus verò Grossus, Maior domus, omnẽ regni honorem & potestatẽ habebat. Eo tempore populus Romanus statuit, ne chartæ ipsius Philippici in ecclesia, vel etiam iussa eius Romæ reciperentur, cùm esset hæreticus; neq; nomen eius inter missarum solennia recitaretur. Iste cùm in die sancto Pentecostes, egressus à balneo, post meridiẽ lecto cubaret, à Ruffino & Theodoro per Auream portam ingressis, comprehensus excæcatur; post annum & vndecim menses, ex quo cœperat regnare.

De Anastasio Imperatore, sexagesimosecundo ab Augusto; & chronica sui temporis.

ANno ab incarnatione Domini 714, Artemius, qui mutato nomine dictus est Anastasius, 62 ab Augusto, accepit imperium, & tribus annis regnauit.

Tunc mortuo rege Francorum Dagoberto iuniore, & Pipino Grosso, Carolus Martellus filius Pipini Grossi ex Alpheida, qui fuit auus Caroli Magni, factus est Maior domus, qui regnum Frãcorum per 27 annos administrauit, regibus adhuc, sed sine honore & vtilitate, ibi manentibus. Iste Carolus Martellus, Reguni fridum quendam regnum inuadere volentem, multis bellis pressit, Buguariam & Sueuiam subiugauit; Guasconiam, Saxoniam & Phrysiam deuicit, Saracenorum 385 millia occidit. Igitur dum regnum Frãcorum multis modis sub bellicosissimo principe Carolo Martello augmentaretur, Imperium verò Græcorũ minueretur, milites aduersus Anastasium Imperatorẽ creant Theodosium, licet inuitum: qui conserto prælio Anastasiũ vicit, & presbyterum fecit eum ordinari.

De Theodosio secundo Imperatore, sexagesimotertio ab Augusto.

THeodosius iste sortitus imperium 63 ab Augusto, vno anno imperauit. Cui succedit Leo 64 ab Augusto, manente adhuc in Francia Carolo Martello.

De Leone Imperatore Græcorum, sexagesimoquarto ab Augusto.

ISte 64 ab Augusto Imperator, vocatus Leo, imagines Domini iussit incendi, & sanctos suæ iniquitati resistentes decollari. Inter quos passa est sancta Theodoxia, cuius corpus adhuc integrũ, Constantinopoli cum ingẽti veneratione seruatur.

Gregorius Papa cùm vidisset Imperatorem Leonem iniquũ & incorrigibilem, totã Italiam à suo imperio discedere persuasit. Eo tempore reliquiæ sancti Augustíni de Sardinia in Papiam à Luprãdo rege Lumbardorum deportantur. Tunc etiã Beda venerabilis presbyter, in pace quieuit. His diebus Saraceni Constantinopolim per triennium obsidione cinxerunt; tandemq; sine victoria recesserunt. Romę quoq; 300000, per pestilentiam tunc perierunt. Leo imperator, imperij sui anno quarto, moritur; cui succedit filius eius Constantius.

De vltimo Constantio, Imperatore Græcorum, sexagesimoquinto ab Augusto.

COnstãtius igitur imperat anno ab incarnat. Domini 742, sexagesi. quintus ab Augusto. Iste maleficus sacrificabat dæmonibus, patre suo deterior factus: luxuriæ & omni immunditie deditus, ecclesiam Dei affligebat; vnde etiã suis iniquitatib. ipse & pater eius meruisse videntur, vt eorum regnum diuideretur. Anno imperij illius Leonis primo, Carolus Martellus filius Pipini Grossi moritur, relictis tribus filiis Carlomãno, Pipino Nino, & Griphone: quorum Gripho minor, inquietus, à fratribus apud Aluerniam captus, & detentus in prẹlio, cũ vxore sua Suanichilda, in quodam castello permansit. *Cætera versificè pagina nostra refert.*

Item de Theodosio Imperatore, versificè, & de Papa sui temporis.

Theodosij vita fuit annis bis duodenis,
Cuius & Ecclesiis ornatus tempore venit,
Hic & imaginibus ordine stare dedit.
Gregorius cum Theodosio stat Papa secundus,
Annis ipse decem fuit vrbis & orbis aluminus,
Ter ternos menses, ter tulit octo dies.
Tempore Gregorij præsul Bonifacius extat,
Sede Moguntina miracula plurima præstat,
Gratia baptismi Teutona regna tulit.

PARTIS DECIMÆ SEXTÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XVII.

IMPERIVM TRANSFERTVR AD FRANCOS.

¶ *Proœmium Authoris.*

SVperius promisisse me memini narraturum, qualiter Frãci, quorum facimus hîc mentionem, in Galliam venerunt, & qualiter à Romanorum principatu seiuncti, in propria sua authoritate & potestate, manere cœperunt.

Tempore igitur quo Æneas post Troię destructionẽ in Italiam venit, Priamus iunior, nepos magni Priami ex sorore, & cum eo Antenor, Troianorum princeps, cum 13000 per mare Illyricum in Venetias venerunt. Ibiq́ue Paduam ciuitatem ædificantes, in qua hodie ipse Antenor honorificè sepultus, more regio inuenitur, per Mæotidas paludes in Scythiam regionem sedes suas posuerunt, ciuitatem Sicambriam ædificantes, vnde etiam Sicambri sunt nominati.

Cùm autem toto orbe in prouinciam Romanorũ subacto, ipsi etiam inter alios subacti fuissent, elapso tempore Germaniam occupauerunt, vbi etiam Germani de cætero sunt vocati.

Deinde cùm Imperator Valentinianus impugnatos Alanos, & inter Mæotidas paludes receptos, delere non potuisset, edictum protulit, vt gens, quæcunque Alanos vinceret ac deleret, per decem annos proximos libera esset ab omni tributo. Quare Germani, ipsius gloriæ cupidi, aduersus Alanos mouent exercitum, eosq; vincunt, & omnino extinguunt, vnde per decem annos liberi à tributo fuerunt; & propter eandem victoriam à Valentiniano Imperatore Franci, id est feroces, sunt perpetuò appellati.

Expletis autem decem annis dum Romani à Francis solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrænes iam facti, ipsum tributum soluere renuerunt. Habuerunt autem inter se principes antiquos (vt dixi) Priamum & Antenorem. Quapropter dum à Romanis contra eos pugnatur, occiso in prælio Priamo rege eorum, in partes regni Thuringiæ se contulerunt cum principibus suis, filiis scilicet Priami & Antenoris; nomine Marcomede & Sunone. Porrò defuncto Sunone, communicato consilio, filium Marcomedis, nomine Pharamundum, regem sibi creauerunt.

Leges quoq; per authores suos Guisogastaldum & Salagastum compositas, extunc habere cœperũt. A Salagasto illo lex Salica nomen accepit; qua lege vsq; hodie Franci vtuntur, qui etiam Salici nuncupantur. Mortuo autem Pharamundo, filius eius Crinitus successit, à quo Francorum reges Criniti sunt appellati.

His temporibus, Francia crescere, Roma autẽ minui cœpit, vt suprà dixi. Gentes enim quæ subactæ Romanis fuerant, iam per se ipsas regnare didicerunt. Romanico conuerso, qui semper imperauerãt, seruire gentibus cogebantur. Gothi enim cùm ipsam Vrbem essent depopulati, vltra Ligerim fluuium in Gallia consederunt. Burgundiones quoque iuxta Rhodanum habitauerunt; qui & ipsi paulò pòst reges habere cœperunt. Sic etiam Franci, Rheno transmisso, Romanos qui illic habitabant, fugauerunt. Postea captis vrbibus Tornaco & Cameraco, atq; inde paulatim progressi Remis, Suessonam & Aurelianum, & Coloniam quæ tunc dicebatur Agrippina, Treuerim, ac penè totam Galliam atque Germaniam, ab Aquitania vsque in Bauariam sibi vendicant atque subiiciunt. Clodouæo, rege Francorum defuncto, Merouæus filius eius à quo Franci Merouæi sunt appellati, successit in regnum. Quo moriente, Hildericus successit: qui dum luxuriosè viueret, à suis expellitur à regno, & ad regem Thuringorum, Bisinum nomine, secessit: à quo humaniter receptus, vxorem suam Bisinam, reginam pulcherrimam, latenter tetigit. Postea idem Hildericus, iterum in regnum Francorum, per interuentum amicorum suorum receptus est. Post cuius vestigia sequuta est Bisina regina; quæ, interrogante Hilderico rege ad quid venisset;

set? respondit; Ad te venio, tecum permansura. Tenuit itaque rex eam pro vxore, genuitq; ex ea filium Clodoueum. Sed dum Hildericus expulsus à regno, in Thuringia (vt diximus) moraretur, Ægidius quidam Romanus, loco eius substitutus est in regno Francorum. Post octo annos Hildericus reuocatus in regnum, vrbem Agrippinã inuadit, & eiectis inde omnibus Romanis qui Ægidio fauere videbantur, suos fautores imposuit, Francos: vnde & eandẽ vrbem quæ vsque in illud tempus dicebatur Agrippina, præcepit propter incolatum Francorum perpetuò Coloniam appellari. Mortuo autem Ægidio filius eius, Siagrius, in ciuitate Suessona regnauit.

Hildericus Rex, vita decedens, Clodoueo filio suo regnum dimisit. Iste Clodouæus primus Christianus fuit inter reges Francorum, à beato Remigio baptizatus. Siagrius filius Ægidij, dum contra Clodouæum regnare aut certare non posset, secessit ad Alaricum regem Wisogothorum, qui Alaricus, nonus erat ab Alarico Magno rege Gothorum, à quo suprà diximus Romam captã & depopulatam. Siagrius à Clodoueo reposcitur. Alaricus ei eum remittit. Qui remissus, necatur; omnesque Romani qui tunc in Galliis habitabant, ita sunt exterminati, vt nec vnus posset in omnibus Galliis reperiri.

Videntur mihi Franci in illis temporibus linguam Romanam, qua vsque hodie vtuntur, ab illis Romanis qui ibi habitauerant, didicisse. Quæ autem lingua eis prius fuerit naturaliter, nos ignoramus. Itaque Clodouæus subiugatis Alemanis, iam Christianus factus, Gothis & Aquitanis bellum indicit. Quò dum pergeret, votum vouit beato Martino apud Turonũ; qui iam 112 annos post obitum suum habebat. Cumque triumphasset in Gothos, & Alaricum eorum regem occidisset, reuersus Turonum, gratias egit Deo & beato Martino. ditata etiam tunc ecclesia sancti Martini, equum suum quem prius iturus ad prælium dederat sancto Martino, per suam pecuniam redimere volens, centũ solidos custodi ecclesiæ, pro equi ipsius redemptione transmisit. Equus verò stetit immobilis. Hoc audiens rex, considerat beatum Martinum, illud equi pretium paruipendisse. Quare & alios centum solidos insuper pro equi redemptione porrexit: quibus enim datis, velociter sequutus est equus, & regi præsentatus. Vnde fertur dixisse Clodouæus: *Sanctus Martinus est bonus auxiliator: sed carus negotiator.*

Hęc omnia de origine Francorum ponimus in hoc loco, sub titulo Leonis Imperatoris, cuius temporibus Græci dominiũ Romæ omnino perdiderunt, & Franci imperium Romanum in Occidente habere cœperunt. Primò quidem per Carolum Martellum ducem Frãcorum, quem Pipinus Grossus, Maior domus, genuit ex Alpheida ducissa, occulto coitu. Deinde per Pipinum Nanium, filium ipsius Caroli Martelli. Postea per Carolum Magnum, filium Pipini Nani, primum Imperatorem Francorum. Deinde per Ludouicum filium Caroli; & deinceps vsque in præsentem diem; sicut in posterum per distincta capitula suis locis & temporibus, authore Deo, referemus.

De vltimo Leone Imperatore Græcorum, 66 ab Augusto; cuius temporibus imperium Græcorum ad Francos est deuolutum; & de Romanis Pontificibus illius temporis, & chronica diuersorum.

Cæsaris imperium nunc fertur adesse Leonis,
Sedecies ductis annis fert lora decoris,
Vltimus est ipse quem sua Roma colit.
Gregorius sedit cum Cæsare Papa Leone,
Annis rite decem Romanum gessit honorem,
Menses ter ternos addita vita fouet.
Insuper ad requiem pertulit octo dies.
Carolus Martellus dux Francica regna regebat,
Pipinus Nanus dux tunc cum patre sedebat,
Plurima Gothorum bella frequenter erant.
Græcorum reges hucusque licet memorari,
Quos loquor Italiæ tunc imperio dominari,
Nunc & in Italia Græca corona cadit.
Vertimur ad Francos, quorum virtute tueri
Italia gens poterit, securaq; Roma teneri,
Carolus Martellus tutor & author erit.
Pipinus Nanus fieri rex inde meretur,
Qui post Martellum papalia iura tuetur,
Fit quoque patricius, fert & in Vrbe decus.
Carolus imperium poterit post ista mereri,
Cuius & Ecclesia poterit virtute tueri,
Eius ab imperio Græca corona perit.

De genealogia Caroli Magni, à temporibus ataui sui Pipini Grossi, & qualiter ipsa progenies obtinuit regnum Francorum: quæ postea sortita est Romanum Imperium, & totum orbem.

ANno ab incarnatione Domini 710, mortuo Dagoberto, minore rege Francorum, filius eius paruulus in tutela Pipini Groſſi, qui erat Maior domus, remanſit. Qui etiam poſt pauca per inſidias quorundam periit. Tunc Grimoaldus filius legitimus Pipini Groſſi, regnum vſurpãs, à conſanguineis Dagoberti Regis defuncti captus eſt: & tandiu in arcta cuſtodia detentus, donec ibi mortuus eſt.

Eodem tempore pars illa Galliæ, in qua eſt Sequana fluuius & Ligeris, vocabatur Gaudina: vbi duo reguli fratres, ex conſilio matris, inuadunt regnum Francorum, id eſt Teutonicorum, ſuper Rhenum fluuium, cùm ibi tunc rex non eſſet. Et primo impetu vrbem Wormatiam inuadũt, vbi à Francis bello repreſſi, iterum reparatis viribus ciuitatem Moguntiam obſidione cingunt. Ad hęc Franci regem non habentes, Carolum Martellum, filium Pipini Groſſi, natum ex Alpheida, regem facere decreuerunt: qui coronam quidem recipere renuit, ſed vexillum eorum contra Gaudinos ſuſcepit, & cum regibus præfatis prælio conſerto, vtrunque regem manu ſua in prælio occidit: atque cum ipſa victoria præcedens Rhemis & Pariſiis, omnem Gaudinam prouinciam ſubiugauit.

Tunc idem Carolus Martellus perpetuo decreto conſtituit, illam prouinciam Gaudinam eo nomine non nominari, ſed Francigenã appellari: in lingua verò Teutonica, iuſſit eandem prouinciam vocari nomine ſuo Carlingam, & eos homines nomine ſuo vocari Carlingos, ſicut à Cæſare Cæſarea dicitur: quod vocabulum omnes Teutonici vſque hodie ſeruauerunt. Dicunt enim, Vado in Carlingam, venio de Carlinga, homo ille Carlingus eſt, & linguam habet Carlingam. In lingua autem Latina, vocant eos Francigenas, quaſi genitos à Francis. Teutonicos verò Occidentales, id eſt ciſcitraque regnum, Francos vocant. Terram quoque ipſam Franciam, à Francis dicunt. Franconiam quoque, à quodam duce eorum Francone, vocare eam conſueuerunt. Itaque de ipſo Carolo Martello, qualis fuerit, & quot filios reliquerit, dicamus.

De Carolo Martello.

ANno igitur ab incarnatione Domini 714, Maior domus erat iſte præfatus Carolus, cognomine Martellus, qui pater Pipini Nani fuit, & auus Caroli Magni, qui dux & Maiordomus Francorum exiſtens, natus ex Alpheida duciſſa, per cõcubinatum, ex patre duce Pipino Groſſo; ſua prudentia; omnes Gallias & Hiſpanias vicit & ſubiugauit; & eccleſiam Romanam atque Italiam à Gothis liberauit, & ipſe primus decimas eccleſiarum conſenſu Papæ Zachariæ, militibus dedit in feudum, pro eccleſiæ Dei neceſſitate. Eo tempore Beda presbyter obiit, nono calendas Iunij; qui multa ſcripta eccleſiis contulit.

Carolus Martellus reliquit duos filios, Pipinum & Carlomannum, qui ſimul duces, & Maiores domus Francorum dicebantur. Sed poſt annos 4, Carlomãnus fecit ſe monachum in monte Caſſino. Pipinus verò per Papã Zachariam ex electione Francorum, factus eſt rex Francorum, Hildrico ignauo rege per Francos tũc monacho in monaſterium miſſo. De Pipino verò, natus eſt Carolus Magnus. Caeterùm verſus habent, de Leone Imperatore, & Carolo Martello.

De primo aduentu Gothorum in Italiam, tempore Leonis, Imperatoris Græcorum, quando Carolus Martellus Italiam à Gothis liberauit.

Cæſare Græcorum diadema tenente Leone,
Plaga venit Romæ, pax deperit a regione,
Gothica nam rabies prælia dira mouet.
Ad ſcelus edoctos peperit Guaſconia Gothos,
Copia Gothorum genus eſt ſpeciesq; malorum,
Viribus ipſorum præda fit omne ſolum.
Marte premunt Ligures, pariunt hinc inde dolorẽ,
Tuſcia conteritur, ſentit quoq; Roma furores,
Itala terra dolet, mors erat ante fores.
Roma requirit opem; Leo non dedit; inde Quiritis
Amodo per Francos ſatagunt has tollere lites;
Teutonici veniunt, Francica ſigna nitent.
Gregorio Papa totoq; petente ſenatu,
Carolus Martellus committere bella vocatur,
Liberet vt patriam, munus ab Vrbe datur.
Militis ad pretium decimas reſpublica donat,
Papa vocat proceres, veniant defendere Romam,
His dedit eccleſia tunc decimata bona.
Copia Gothorum Martelli Marte fugatur,
Roma reformatur, pax eccleſiæ reparatur,
Gloria Francorum fulget in Vrbe caput.

De morte & ſepultura Caroli Martelli; & de filio eius Pipino Nano, cum duobus fratribus ſuis.

ANno ab incarnat. Domini 743, defũcto Carolo Martello, & ſepulto eo in

in Liguriæ ciuitate, quæ vocatur Aquis, Pipinus filius eius dictus Nanus, & frater eius Carlomannus, cùm tertium fratrem eorum Griphonem, tanquam hostem suum, à regno fugassent, regnum inter se diuidunt. Carlomannus accepit Austriam, id est *Osterrich*, & Alemanniam, id est Sueuiam & Turingiam: Pipinus autem Burgundiam & Neustriam atque prouinciam cis Rhodanum sortitur. Deinde mul tis præliis ab eis contra hostes commissis, anno ab incarnatione Domini 746, quando Fuldense monasterium fundabatur, Carlomannus fratri suo Pipino omnem terram relinquit: & ipse monasticum habitum, in monte Sirati, vbi olim latuit beatus Syluester, per papam Zachariam assumit: & inde propter nimiam hominum frequentiam, ad montem Cassinensem se transfert, & clericus factus, ibidem vitæ finem expectauit. Ibi etiam (sicut dicitur) aliquando porcos custodiuit: ibique in introitu Ecclesiæ beatam sepulturam accepit.

His temporibus Pipinus dux Francorum, factus est Patricius Romanorum.

ANno ab incarnatione Domini 751, cùm in regno Francorum Regibus solo nomine regnantibus, Maiordomus omnem regni administrationem ac potestatem haberet, & ecclesia à Gothis atque à Longobardis afflicta instanter à Francis auxilia postulasset; Pipinus dictus Nanus, cùm esset Maiordomus, ad Zachariam Papam legatos suos, Burchardum scilicet Guerzeburgensem episcopum, & Pholradum capellanum suum, gratia scisitandi transmisit: & quid de regno Francorum ei videretur agendum, quæsiuit. Papa itaque melius esse illum regem, qui regni totius curam & potestatem habet, quàm illum qui solo nomine rex est, remandauit. Stabat enim in rege sola nominis vmbra: in Pipino verò potestas & dignitas efficaciter apparebat. Erat tunc Hildericus rex ignauus & inutilis, ex antiquorum regum Francorum genealogia: qui reges à Mirouæo, filio Clodij, omnes Mirouæi fuerant appellati: qui etiam inane regis nomen habebant. Reuersi sunt igitur Pipini ab Vrbe legati, & omnis Gallia consilio Papæ Zachariæ libenter consensit.

Pipinus fit rex Francorum.

ANn. igitur ab incarnat. Domini 752, authoritate Papæ Zachariæ, Pipinus à Bonifacio Moguntino archiepiscopo, aliisque regni Principibus, in ciuitate Suessiona, in regnum eligitur. Sequenti anno, Papa Zacharia defuncto, Stephanus Papa succeßit: qui cùm ab Agistulpho rege Lombardorum multa mala pateretur, Pipino à prælio Saxonum reuertenti, vbi etiam de morte fratris sui Griphonis nuncium recepit, occurrit in villa quæ dicitur Carisius: rogans eum, vt ecclesiæ Romanæ succurrat. Cætera versus habent.

De Gothis & de Lombardis, à quibus Pipinus ecclesiam Romanam & totam Italiam liberauit.

Marte prius Gothis procul à regione remotis,
Gens venit Hunnorum, Ligurum contraria votis,
Omnibus Italicis perniciosa locis.
Hæc gens bella gerens dum dimicat hoste minante,
Fœmina pugnando crines sibi porrigit antè,
Barbaq; mentita, pendula pendet ita.
Mirantur Ligures longas sub pectore barbas,
Quumq; videt barbas, metuūt, quasi bestia larvas,
Gens Ligurum timuit, cessit, & arma dedit.
Sic Longobarda meruit gens illa vocari,
Nisa super Ligures hoc ingenio dominari,
Vicit & Apuliam, littore, rure, mari.
Rex Lombardus erat Luprandus in vrbe Papia,
Qui grauat ecclesiam, Romā premit vsq; Sutriam,
Nec patitur patriam pacis habere viam.
Papa coarctatur, Leo Cæsar ad ista vocatur,
Spes ibi nulla datur, rex Francorum rogitatur,
Sed neq; rex venit, cùm foret vmbra caput.
Hildericus tunc ignauus regnasse videtur,
Qui neq; Francorum regnum virtute tuetur,
Nec bene regales nouit habere lares.
Pipinus dux Francorum sua regna tueri
Curat, & ipse domus maior censetur haberi,
Rex & patricius qui citò magnus erit.
Pipinus dux Francorum tunc regna regebat,
Regis & officium plenè sub rege tenebat,
Rex ibi tunc vacuo nomine vilis erat.
Coram principibus dum rex in sede sederet,
Nil ibi præciperet, nisi dux prius ille iuberet,
Jura, potestatem, dux erat ipse gerens.
Rex erat Hildericus, qui tunc regnasse putatur,
Vmbra fuit regis, non rex, si iure notatur,
Francia si poterit non erit vmbra caput.
Tunc rex Luprandus regnabat in vrbe Papia,
Opprimit & Romam, simul & Papam Zachariam
Et nimis Ecclesiam perdere semper hiat.
Dum regimen regni Francorum Nanus haberet,
Rex tamen Hildricus vacuus vilisq; sederet,
Nanus Apostolico scripserat ista ferens:
Si cupis Ecclesias regni virtute iuuari,
Præcipias regem validum fortemq; leuari,
Robur ad hæc patriæ nos retinemus, ait.

Nam rex Hildricus, cui nomen Francia præstat.
Res quasi funesta, cui non datur vlla potestas,
Nudum nomen habet, sed mihi terra fauet.
Scribe pater Francis, pete, suggere præcipe semper,
Vt faciant regem patria gladioq; potentem,
Nam nihil auxilij principis vmbra facit.
Litera papalis Francis celeberrima venit,
Erigitur solium, Pipino gloria cedit,
Quippe sibi regnum Francia tota dedit.
Hildericus factus monachus, caput ipse totondit,
Seq; monasterio sub religione recondit,
Sic Fortuna fuit, sic rota versa ruit.
Sede Moguntina regem Bonifacius vngit,
Regis ad obsequium se Francia subdita iungit,
Ad regem Nanum cedit vbiq; salus.
Sic probitate sua regnum Pipinus adegit,
Corpore qui minimus res ad meliora redegit,
Et melius reliquis subdita regna regit.
Eius sponsa fuit grandis pede nomine Berta,
Venit ab Vngaria, sed Græca matre reperta,
Cæsaris Heraclij filia nanq; fuit.
Ex hac mixtura fit summa corona futura,
Carolus est Magnus quem Berta fuit paritura,
Scripsit visa prius iungitur arte sua.

¶ Chronicum.

TRroianam propaginem in duo genera regum quondam fuisse diuisam; id est in Æneam & Priamum iuniorem. Æneas venit in Italiam, à quo omnes Romani reges & Imperatores exierunt. Priamus verò iunior iuit in Germaniam, à quo omnes Germani siue Teutonici reges nati sunt. Istæ itaque duæ progenies à Troia venientes, in vnum Carolum Magnum concurrunt, cùm sit Teutonicus patre, & Romanus siue Græcus à matre Berta.

Pipini origo.

In duo diuisa Troiana propago parentes,
Iungitur in Berta Pipini semine ventre,
Semine Pipini Troia fit vna sibi.
Si modò Teutonica, Romanaq; germina quæres,
Gemma parentelæ stat Carolus vnicus hæres,
Romuleus matre, Teutonicusq; patre.
Pipini regis digressio scripta quiescat,
Contra Lombardos Pipini gesta patescant,
Qualiter ecclesiam iuuerit ecce canam.

Item de Pipino qualiter fit rex Francorum per Papam Zachariam.

ANno ab incarnatione Domini 754, Pipinus per Stephanum Papam à fidelitate Hilderici prædicti Francorum regis, cum omnibus Franciæ principibus est absolutus. Tunc etiam, Hilderico tõsurato & monachato, atque in monasterium detruso, Pipinus regalem recipit vnctionem. Eo tempore finem accepit regnum Merouæorum; incipit autem regnum Carolorum, qui Græcorum imperium Romæ postea obtinuerunt. Ex hoc etiam facto Romani pontifices mutandi regnum trahunt authoritatem. Pipinus igitur extunc regnum Francorum nomine & re laudabiliter gubernauit.

¶ Chronicum.

ANno autem ab incarnatione Domini 755, Pipinus rogatus à Papa Stephano, contra Astulphum regem Longobardorum mouet exercitum, & Italiam intrare disponit. Cùm autem Longobardi per angusta montiũ positis ante se ad tuitionem validis muris, defensionem sibi parassent; Pipinus, occisis ex eis plurimis, murorũ claustra confregit, & pertransiens, in plano Lombardiæ resedit. Astulphus rex in Papiam se colligit, vbi à Pipino obsessus 40 obsides dare, atque insuper iurare compellitur, ne Romanam ecclesiam amplius infestaret; vbi Stephano Papa honorificè cum militia Francorum Romam remisso, ipse in Franciam remeauit. Hoc anno Bonifacius Moguntinus archiepiscopus, qui ecclesiam Fuldensem, aliasq; multas fundauerat, à Phrysonibus quibus prędicauerat, martyrio coronatur. *Cætera, si qua placent, versibus acta patent.*

De obitu Luprandi regis Lombardorum, & de Astulphi regis exaltatione, & de primo introitu Pipini in Italiam.

Luprandus moritur, Astulphus sede leuatur,
Cuius & Ecclesia grauiore furore grauatur,
Eius primatu Roma perire datur.
Aurea Romanus sibi ferre tributa iubetur,
Romanus præsul nusquam sua iura tuetur,
Græci dissimulant, nec sua regna iuuant.
Nunc prece Pipinum repetunt ad prælia primum
Vincere Ticinum, regemq; repellat ad imum,
Liberet Italiam Romuleumq; sinum.
Venit, & obsedit regem, pariterq; coëgit
Reddere Romanis quæ tunc Astulphus abegit,
Gratia sit regi, qui loca sancta regit.
Visitat almificam Pipinus in agmine Romam,
Nec tamen in Roma voluit gestare coronam,
Fit modò patricius, nomen honorq; tonat.
Inde Moguntinas patriæ remeauit ad ædes,
Regia Francorum quæ tunc erat inclyta sedes,
Qua Germanorum gloria summa sedet.
Dum rex Luprandus regnaret in vrbe Papia,
Papa prius dictus sua fata tulit Zacharias,
Annis vita decem, bis quoq; mense sedet.
Ter senos numerando dies superaddis ad annos,
Erigitur Stephanus Roma præsul venerandus,
Cuius & astrictis pax redintegra fuit.

De

De secunda rebellione Astulphi regis, & de secunda victoria Pipini super eum.

REx Lombardorum Astulphus, post Pipini discessionem, ruptis promissionibus aduersus ecclesiam, sæuior solitò apparebat. Vnde Pipinus iterum cum fortitudine Italiam ingreditur; rursusq; Astulphus in Papia obsessus, omnia corrigere, fortioribus promissionibus & pluribus obsidibus coarctatur. Insuper ecclesiæ Rauennam cum quibusdam aliis vrbibus coactus est resignare. Ipse autem Pipinus in Galliam est reuersus.

Sequenti anno, Græcorum regno (sicut suprà taxauimus) decrescente, Francorum autem regno plurimùm iam sublimato, legati Constantini Augusti de Græcia cum magnis muneribus ad Pipinum venerunt, apud Compendiũ. Thassilo quoque dux Bauarorum cum suis principibus tunc, regi Pipino fidelitatem & subiectionem exhibuit. Post hæc etiam Saxones grauissimo bello Pipinus deuicit, & tributarios fecit. Non multò pòst Gunifarium magnum Aquitaniæ ducem prælio pressit, & obsides dare coëgit. Iterũ dux Guaifarius ab Aquitania, Thassilo etiam dux ab Aguaria, incipiunt rebellare. Pipinus post diuersa prælia, Guaifarium interfecit. Thassilonem quoque sufficienter oppressum subiugauit. deinde Turonis infirmatur Pipinus, & Parisios deportatus, anno 14 à die qua in regem vnctus est, anno verò ex quo post patrẽ suum acceperat principatum 23, diem obiit, relinquens duos filios, Carolum & Carlomannum. *Cætera versificè pagina nostra refert.*

Item de eodem Pipino, versificè narramus.

Dum putat Astulphi scelus euasisse senatus,
Rex Lombardorum mox ad grauiora paratur,
Nullaq; iam requies eius ab arte datur.
Præsul ab Astulpho queritur tormenta moueri,
Vita petit cleri Pipini more tueri,
Si modò tardus erit Roma repressa perit.
Alpibus euectus celeri Pipinus hiatu,
Milite congreditur, Astulphus Marte fugatur,
Vrbe sua clausus quærere pacta datur.
Iurat, & obsidibus sua quæstio tota ligatur,
Amodo si Papa Lombarda peste grauatur,
Auferat obsidibus regia pœna caput.
Pace reformata, Petro datur hostia grata,
Francia Brachata, loca visitat illa beata,
Et redit in patriam, pace manente rata.

De exaltatione Desiderij, regis Lombardorum, & de Rachisio aduersario eius.

Astulphi regis dum vita die breuiatur,
Rachisius frater monachus regnare paratur,
Cui Desiderij pars inimica fuit.
Diuisis populis, & regibus his tribulatis,
Arma premunt armis, & pluribus inde necatis
Oppositis cuneis pugnat vterque satis.
Nunc Desiderio Stephanus dat Papa fauorem,
Iurat & ille sibi, non ladere prorsus honorem,
Quem super Italicos Papa tenere solet.
Rachisius cedit monachus, pars altera sedit,
Gens Ligurum Desiderio reuerenter obedit,
Nam sibi subsidij tempora Papa dedit.
Rara fides Liguris; violat rex fœdera pacis,
Fœderis ante dati iam nexibus enacuatis,
Concutitur gratis Papa dolore satis.
Hæc vbi Roma sapit, doluit rebus variatis,
Stat quasi fracta ratis, vel præda parata piratis,
Vndique quassatis rebus & igne datis.

Carolus Magnus, filius Pipini, erigitur in regnum Francorum, mortuo Pipino.

ANno ab incarnatione Domini 768, imperante adhuc in Græcia Constantino quinto, Carolus Magnus, filius Pipini Nani, regnum diuidit cum fratre suo Carlomanno, & incipit regnare. Iste primo loco Hunaldum, qui occiso duce Guaipharío, bellum in Aquitania renouabat, ad Lupum ducem Guasconiæ fugauit: & postmodum, tam ipsum quàm Lupum in deditionem accepit. Inde sequenti anno in Wormatia generali curia celebrata, limina apostolorum, causa orationis visitare disponit. Anno tertio regni eius, Carlomannus frater eius moritur, & vxor eius cum filiis ad Desiderium regem Lombardorum confugit.

Carolus itaq; iam solus regnũ adeptus, Saxoniã cum exercitu ingreditur, omnibusq; ferro & igne vastatis, acceptis inde obsidibus, reuertitur; dehinc rogatu Adriani Papæ Italiam ingreditur, & Desiderium Longobardorum regem Ticini obsidione inclusit. Ibiq; dimisso exercitu, Romam orationis gratia pergit. Inde reuersus, Vrbem fatigatam ad deditionem compulit, regemq; captiuum abduxit.

Inter hæc Saxones, absentia regis elati, fide postposita, cõtigua terrę suæ loca populãtur. Porrò Rex subacta Italia, reuersus in Franciã, tripartito ordine militũ Saxoniã ingreditur, incendiisq; vastata terra, prædam immẽsam diripuit, & non multò pòst regressus, denuò ab eis obsides accepit.

His diebus Constantinus persequutor, trigesimo quinto imperij sui anno mortuus est, eiq; filius suus Leo successit, & Græcorum monarchiam per sex annos satis debiliter tenuit in Græcia.

De Leone Imperatore Græcorum sexagesimo primo suprà memorato, & chronica ipsius temporis.

ANno igitur ab incarnatione Domini 776, Leo sexagesimus sextus ab Augusto, imperium Græcorum accepit. Hic primò visus est mitior: vnde & principes, filium eius Imperatorem postulant.

Per idem tempus Saxones more suo, non semel, sed sæpe pactum mentientes Carolus diuersis præliis pressit, ac plurimis ex eis fidem christianam accipere persuasit. Porrò Leo Imperator, sexto imperij sui anno moritur. *Cætera versificè gesta referre placet.*

Item de Pipino & de generatione ipsius, versificè narramus: & quomodo Carolus vocatus est in auxilium Romanæ ecclesiæ, in Italiam.

Pipinus moritur, consurgit Carolus acer,
Natus in Ingelehein, cui Berta fit Ungara mater,
Pipinusq; pater, chronica vera patent.
Dupla fuit iuueni mensura pusilla parentis,
Maior erat probitas, species, audacia mentis,
Fama fuit celebris, gloria multa nimis.
Nunc moritur Stephanus memoratus Papa secũdus
Annis quinque suo viguit sub dogmate mundus,
Insuper in finem pertulit octo dies.
Tertius accedit Stephanus Romæ venerandus,
Quem Desiderius perturbat vbique tyrannus,
Temporis exigui vir modò Papa fuit.
Nam tribus hic annis & mensis quinque resedit,
Ter senos superaddo dies, quibus ipse resedit,
Cui Desiderius tempora torua dedit.
Erigitur post hunc Adrianus Papa beatus,
Cui Desiderius perturbat pontificatum,
Hic & opem Caroli pressus vbique petit.
Vixit Adrianus vigintiquatuor annis,
Addò decem menses, denosq; dies numerandos,
Insuper & septem sic superaddo dies.
Carolus egregius papalia scripta relegit,
Scribit ei Papa mala quæ Lombardus adegit,
Et petit vt Christi conferat arma gregi.
Francorum proceres pariter cum rege rogantur,
Vt simul ecclesiam virtute sua tueantur,
Actaq; Pipini commemorantur ibi.
Fertur ad hæc, procerum sententia talis haberi;
Si velit ecclesia Francorum Marte tueri,
Carolus Imperio præficiendus erit.
Nam labor est vacuus sic Italiam superari,
Ni maneat princeps, qui possit ei dominari,
Gestet & Imperij iura colore pari;
Qui tenet archiua, quæ sæpe cadunt recidiua,
Tempora passiua sibi sunt, sed pauca datiua,
Nam mala castigat, nec tamen ipsa ligat:
Sit rex Francorum Romæ dominus dominorum,
Imperium teneat, terram premat Italicorum,
Atque super Danaos auferat omne solum.
Regis opem precibus dum Roma per omnia queri,
Dum petit vt patriam dignetur ab hoste tueri,
Dicit vt Imperium tollat vt alter heri.
Rex ait; Italicos ego renuo ferre labores,
Ni simul Italicos habeam constanter honores,
Qui mihi si fierent, pax valitura foret.
Prælia Pipini perpendo mei genitoris,
Quanta super Ligures probus intulit arma doloris,
Nec tamen abstinuit turba reniſa dolis.
Non valet Italica sine principe terra teneri,
Si requiem cleri cupitis sine rege tueri,
Qui fuit error heri, cras quoque maior erit.
Nil valet archatus dum nullus eo dominatur,
Nec valet imperium nisi Cæsaris ense regatur,
Subiectam patriam regia norma parat.
Roma potens viguit dum Cæsar in Vrbe resedit,
Publica res creuit, gens Itala pace quieuit,
Terra suis dominis digna tributa dedit.
Tempora quæ memini, si Roma cupit reparari,
Aut Desiderij regis scelus euacuari,
Expedit Imperij quæ peto iura dari.
Rex vbi verba dedit, populus petit arma moueri,
Iura sui cleri petit, optat & ipse tueri,
Nam Desiderij Roma furore perit.
Curia Francorum precibus consentit eorum,
Tollat vt Imperium victoria Teutonicorum,
Stringat & Italicum fiscus vbique solum.
Signa mouent proceres, rex præcipit arma parari,
Trãsit & ad Ligures, quibus amodo vult dominari,
Sed Desiderius prælia dira parit.
Campus apud Ligures Mortaria ritè vocatur,
Rex vbi congreditur, Ligurum pars victa fugatur,
Sic Desiderij copia terga dedit.
Pro nece multorum, quæ facta fuit populorum,
Dicitur illorum Mortaria nomen agrorum,
Qua peregrinorum stat modò grande forum.
Tunc duo consocij meritis vitaq; beati,
Amis & Amilius parili sunt Marte necati,
Carolus his tribuit digna sepulchra satis.
Obsidet egregiam modò rex cum rege Papiam,
Et iubet vt gladiis Francorum subdita fiat,
Reddat & ecclesiæ quæ male rapta tenet.
Vrbs nimis obsessa dolet, igne fameq; repressa,
Vulnere defessa, Lombarda superbia cessat,
Et licet inuita, clausa remansit ita.
Dux ibi mirandus tenuit vexilla Rolandus,
Sic & Oliuerius socia probitate notandus,
Hos pro rege duces tunc habuêre truces.
Visitat interea regina potentia Romam,
Nec modò Cæsaream voluit captare coronam,
Orat, & ad Ligures signa reuersa volant.
Carolus Italiam, post quam remeauit ab Vrbe
Visitat & superat, fiscoq; subesse perurget,
Reddit & ecclesiis prædia digna suis.
Rex Desiderius, quem Marte recluserat intus,
Traditur exilio pariter cum coniuge vinctus,
Cuius Aquisgrani carcere vita cadit.
Dum Desiderium regem rex Carolus angit,

Ante ducentenis & quinque fluentibus annis,
Italia Lombardis subdita terra fuit.

Historia Lombardorum, qui prius Vinuli vocabantur.

DVo duces Lombardorum ab insula Scatinauia fuerunt, Hibor scilicet & Hangio: quorum mater fuit Gambara, sapientissima. Isti tunc egressi, in finibus Oceani maris, sub rupe quæ vocatur Altissima, septem viros à longissimis temporibus ibi positos, inueniunt dormientes, Romano more preciosè vestitos, & tam vestibus quàm corpore incorruptos: de quibus quũ vnum quidam vestibus expoliare tentâsset, tãgentis eos manus protinus aruerunt: propter quod alij omnes amplius eos attingere non tentauerunt. Locus autem ille, & ipsa prouincia, & populi illi, Vinuli vocantur, & crudis carnibus vescuntur, & sanguinem bibunt, sicut historia Lombardorum testatur. Crudis etiam & hispidis coriis bestiarum, quasi ceruis consimilibus induuntur; & nunquam sine arcu tenso & sine sagittis incedunt. Omni tempore niues habent, & in quibusdã locis eorum tẽpore æstiuo dies clara in medio noctis nostræ habetur, & quasi tũc sine noctibus esse vidẽtur. Dum apud nos est solstitium, Sol tamen ibi non videtur. Dies ibi minores sunt quã alibi: sed noctes longiores: quia scilicet quanto ibi à Sole longius disceditur, tanto Sol ipse terrę vicinior apparet, & vmbræ longiores excrescunt.

Lombardi, à Scatinauia exeuntes cum ducibus suprà dictis, in regione Scoringa aliquandiu cõsederunt. Illo tempore Ambrietasius dux Vandalorum, vicinas quasque prouincias bellis premebat. Vnde multis elatus victoriis, nuncios ad Vinulos mittunt, vt vel Vandalis tributa persoluant, aut se præparent ad bellorum certamen. Sic Hibor & Angio duces Vinulorum, simul cum Gambara matre sua, deliberant, melius esse armis tueri libertatem, quàm tributorum solutione libertatem fœdare. Mandantque Vandalis per legatos, pugnaturos se potius, quàm seruituros.

Refert Toclacus historiographus antiquitatis, fabulam ridiculosam: quòd Vandali accedentes ad idolum suum Godam, victoriam de Vinulis postulauerint. Illeque responderit, se illis victoriam daturum, quando primum Orientem solem conspexisset. Refert econtra; Gambaram ad deam nomine Feriam vxorem scilicet Godam, tunc accessisse, & pro Vinulis victoriam ab ea postulasse: eandemque deam Feriam consilium dedisse, vt mulieres Vinulorum crines suos dissolutos ante faciem suam ponerent, & primo mane cùm viris adessent, sesecq; pariter videndas versus fenestram, per quam Godam eas aspiceret, collocaret. Quod & factum ita fuisse refertur: quos cùm Godam sole Oriente inspiciẽs, vidisset, dixit, Qui sunt hi Longibarbi? Cui Dea Feria respondit, dicens; Vt, quibus ipse nomẽ tribueret, victoriam etiam condonaret. Itaque Vinulis (sicut aiunt) sic victoriam concessit. Hęc quidem fabulosa dicta videntur.

Verùm autem nomen Lombardorum est, à longa barba, ferro intacta, Longobardos eosdem Vinulos appellari. In lingua enim Vinulorum *lang*, id est lõga: *bart*, id est barba, interpretatur. Votam autem, quidam Gotham adiecta litera dixerunt. Ipse est qui apud Romanos dicitur Mercurius, & tũc ab vniuersis Germanis vt Deus adorabatur. vnde vsq; hodie, Goth in Teutonico, Latinè dicitur Deus. Vinuli igitur etiam hodie Longobardi dicuntur.

Commisso igitur decies cum Vandalis prælio, & pro libertate contendentes, Vinuli victores fiunt. Qui magna postmodũ fame coacti, in eadem prouincia Scoria, animo sunt consternati. De qua egredientes, dum in Moringam prouinciam transire disponerent, Assipidi eorum iter impediunt, denegantes eis transitum per terminos suos. Porrò cum Langobardi magnas hostium copias cernerent, & pro suorum paucitate cum illis congredi non auderẽt, tandem necessitas consilium adinuenit. Simulauerunt enim Langobardi, se in castris suis habere Cynocephalos, id est homines canina capita habẽtes. Quos etiam diuulgant apud hostes pertinaciter prælia gerere, humanum sanguinem bibere: atque si hostem non possint attingere, proprium sanguinem potare. His hostes auditis, crudelique * effecti, bellum quod indixerant, committere formidabant. habebant tamen apud se virum fortissimum, de cuius viribus omnimodis confidebant: quem solùm pro omnibus obiiciunt pugnaturum; mandantes Langobardis vt vnum eorum illi opponerent, qui cum eo pro omnibus singulare iniret certamen: ea

ſcilicet conditione, vt ſi Langobardorum pugil eum vinceret, ipſi trāſitum liberum obtinerent: ſin alter illum vinceret, ipſi ſicut venerant, repedarent.

Adhæc homo quidam, de genere ſeruorum Langobardorum, ſe obtulit pro omnibus pugnaturus: ea quidem conditione, vt ſi vicerit, libertati donetur. Langobardi gratanter quod poſtulat pollicentur. Ita cùm ſeruus hoſtem viciſſet, Langobardi in Mauringuam peruenientes, trāſeunt in Rugulandam: vbi modicum commorati, procedunt in prouinciam Anthap, & inde in terram Bathaib: deinde in Burgandam, quam per annos aliquot poſſederūt. Interea mortuis duobus ducibus Langobardorum, Hibor ſcilicet & Angione, ipſi ſibi regem creauerunt.

Regnat igitur Agelmund filius Agionis, de progenie Vinulorum, qui apud eos nobilior habebatur. Iſte ſuper Langobardos annis triginta tribus regnauit.

Huius temporibus quædam meretrix vno partu enixa ſeptem infantes, crudeliter omnes in piſcinam proiecit necandos. Rex autem Agelmund equo reſidēs, dum in piſcinā fortè veniſſet, haſta quam ferebat, miſeros tangebat infantes. Quorum vnus extenta manu, haſtam apprehendit. Rex miſericordia motus, & rem altiùs admiratus, mox illū ab aqua leuari præcepit, atq; per nutricem ſummo ſtudio mandat alendum: eumq; à piſcina, quæ dicitur Lama, Lamis appellauit: qui cùm creuiſſet, factus eſt iuuenis bellicoſus, multaq; virtute notatus, ita vt defuncto rege Agelmundo, ipſe regnum laudabiliter gubernaret.

Interea dum Langobardi ab omni hoſte ſecuros ſe eſſe putarent, Bulgari eos medio noctis inuadunt, regem Agelmundum & magnam partem ſuorum occidunt, regisq; vnicam filiam captiuam deducunt.

Langobardi poſtea reſumptis viribus, Lamiſionem ſuprà memoratū regem ſibi conſtituunt. Qui mox in Bulgaros arma conuertit. Primo igitur bello cùm Langobardi terga vertiſſent, rex Lamiſio eos confortat, ſeruis benè pugnantibus, libertatem omnibusq; præmia larga promittit. Vnde oēs armati in hoſtes Bulgaros manus conuertūt, omnes penè proſternūt, ſpolia & arma infinita diripiūt, & glorioſiſſimū habēt triūphū. Extunc & Lāgobardi ad exercēda prælia ſemper audaciores eſſe cœperunt.

Rege Lamiſione defuncto, qui ſecundo regnauit; Letha pro eo regnauit. quintus eorum rex, cùm annis quadraginta regnaſſet, ſuccedit ei filius eius Gildehoc quartus à primo rege eorum. Quo defuncto, quintus rex Gildehoc regnum ſuſcepit. Paulò pòſt Langobardi à finibus illis egreſſi, tranſeunt in Rugulanda, id eſt in patriam Rugorum: vbi propter terræ feritatem aliquandiu remanſerunt. Interea moritur rex Gildehocus: cui ſuccedit Claſſo filius eius. Defuncto quoque rege Claſſone, filius eius Guado ſuccedit, ſeptimus rex Langobardorum. Tunc egreſſi de Rugulanda, habitauerunt in campis patentibus, quos lingua eorum Felda vocabant, ibiq; tribus annis manſerunt.

Defuncto Guadone, ſuccedit Gualtaris filius eius, in regno octauus. Omnes autem reges illi fuerunt Adelingi, id eſt de nobiliori proſapia, quæ apud illos dicitur Adelinga. Gualtaris rex cùm ſeptem annis regnaſſet, obiit. Cui ſuccedit Alduinus, nonus, in regnum; qui Langobardos in Pannoniam perduxit. Iſte Alduinus habuit filium Alboinum, militem audaciſſimum, qui dum Gepidorum rex contra Lombardos pugnaret, filium regis Gepidorum vno gladij ictu extinxit, & de eiſdem Gepidis glorioſè triumphauit.

Eo tempore Iuſtinianus Imperator legum multiplicitatē abbreuiauit, & Imperium in diuerſis partibus orbis mirificè dilatauit: ſicut in tractatu eius, dū de aliis imperatoribus ſcriberemus, ſatis eſt enarratū.

His diebus beatus Benedictus abbas erat apud locum qui dicitur Sublatus: & paulò pòſt tranſiit ad montem Caſſinum.

Mortuo Alduino rege Langobardorum, filius eius prędictus Alboinus, quē genuit Rudilinda regina, vir bellicoſiſſimus, & per omnia ſtrenuus, ſuccedit patri in regnum, decimus regum Langobardorum. Iſte accepit in vxorem filiam Clotharij, regis Francorum, nomine Glotſuindam: de qua genuit vnam tantùm filiam, nomine Abbiſindam.

Obiit interea Turiſindus rex Gepidorum: cui ſuccedit Cunimūdus in regnum, qui rupto cum Lombardis fœdere, bellum cum eis potius, quàm pacem elegit, vt antiquas patris ſui iniurias, & fratris ſui necē vindicaret. Itaq; rex Alboinus cum Auaribus, qui prius Hunni, ſed poſtea Auares à regibus ſunt appellati, perpetuum fœdus com-

compoſuit: deinde ad indictum ſibi Gepidorum prælium properauit: dum Gepidi ad bellum procedunt, Auares, ſicut cum Albuino cõdixerant, Gepidorum regnum inuadunt. Quo audito, Gepidi in anguſtiis poſiti, & animo conſternati, ex cõſilio ſuo eligunt cum Lombardis prius pugnare: deinde Hunnos, id eſt Auares, à patria remouere. Igitur Gepidi & Lombardi bellum committunt. Hoc prælio Gepidi vſque adeo ſunt extincti, vt nec vnus ex eis nuncius remaneret. Albuinus in eo prælio regem Gepidorum Cunimundum occidit, & de teſta capitis eius ſcyphum ad bibendum parauit. Hoc genus ſcyphi, apud illos dicitur ſcapha, Latinè autem dicitur patera.

Albuinus filiam Cunimundi occiſi, nomine Roſimundam, deduxit captiuam. Quam quia Glotoinda filia regis Clotarij, prior ſcilicet vxor ſua, iam obierat, ipſam captiuam in ſuam perniciem (ſicut poſtea patuit) duxit vxorem. Ex illo tempore Lombardi ſupra modum ditati & exaltati. Gepidi verò quaſi extincti, perpetuò ſeruituti Hũnorum, id eſt Auarorum, ſunt mancipati.

Igitur cùm circunquaq; frequens Longobardorum victoriæ perſonarent, Narſes chartularius Imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellũ aduerſus Totilam regem Gothorum præparans, cùm iampridem Longobardos confœderatos haberet, legatos ad regem Albuinum direxit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium miniſtraret. Tunc Albuinus ei exercitum direxit, qui Romanos aduerſus Gothos iuuaret: quibus ſuſceptis, Romani cum Gothis bellum committunt. Quibus vſque ad internecionem pariter cum Totila ſuo rege deletis, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt.

Extunc Romani Longobardorum amici in Pannonia ſemper fuerũt. Igitur Narſes deleta gente Gothorum, & hoſtibus Romanorum in diuerſis mundi partibus ſuperatis, inuidiam ſibi apud Romanos contraxit. Romani eum apud Iuſtinianum Imperatorem & apud Sophiam Imperatricem, falſis delationibus grauiſſimè accuſabant. Iuſtinianus imperat vt Narſes ab Italia diſcedat, & Conſtantinopolim redeat, Longino præfecto loco eius in Italia conſtituto. Sophia quoque regina contra eum grauiſſimè commota, minas ei grauiſſimas inferebat, dicens; eundem Narſem eunuchum ita ſe velle de primere, vt in lanificio & in tela texenda eum cum aliis mulieribus viuere oporteret. Ad quæ verba Narſes eunuchus dicitur reſpondiſſe, quòd talem telam ei ordiretur, quam ipſa omnibus vitæ ſuæ temporibus complere non poſſet. Itaque odio metúque exagitatus, in Neapolim Campaniæ ciuitatem ſecedens, legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans, vt pauperrima Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam cunctis refertam diuitiis poſſidendam venirent: ſimulque miſit multimoda pomorum genera aliarumq; ſpecies rerum, quarum Italia fertilitate lætatur. His & aliis dictis Lõgobardorum animos Narſes ad intrandam Italiam vehementer allexit.

Longobardi legationem læti ſuſcipiunt; de futuris commodis extolluntur, & ad intrandam Italiam præparãtur. Eodem tempore igneæ acies in aëre apparuerunt, Italię ſanguinem qui poſtea effuſus eſt coruſcantes.

Albuinus rex Lombardorum, intraturus Italiam ab omnibus amicis ſuis Saxonibus petit auxilium, vt ſpatioſam Italiam cum plurib. poſſeſſurus intraret. Ad quem de Saxonibus viginti millia virorum cum vxoribus & filiis, cum Longobardis perpetuò manſuri venerunt. Hoc audientes reges Francorum, Clotharius & Sigibertus, Sueuos, & alias gentes in locis vnde Saxones exierant, collocauerunt.

Albuinus ſedes ſuas, id eſt totam Pannoniam, amicis ſuis Hunnis, id eſt Auaribus, ea conditione reliquit, vt ſi Longobardos aliquo tempore regredi oporteret, liceat eis ad ſuas poſſeſſiones in Pannoniam remeare.

Habitauerant Longobardi Pannoniam annis quadraginta duobus; à qua egreſſi ſunt mẽſe Aprili, indictione ſecunda, cum vxoribus & liberis Italiam poſſeſſuri.

Anno ab incarnatione Domini 588, Albuinus ingreſſus Italiam apud Forumiulij circa Venetias nepotem ſuum Gilphulfum primo loco Ducem conſtituit, eiq; illas Italiæ partes commiſit.

Eodem tempore moritur Clotharius rex Francorum, & regnum Galliæ inter filios eius quadrifariè diuiditur. Quorũ primus, Aribertus, ſedet Pariſiis; ſecũdus Guthrãnus, ſedet Aureliani; tertius Hilpericus

apud Senones, tenet ſedem Clotharij patris ſui; quartus Sigibertus ſedet in vrbe Metenſi. Romæ tunc erat papa Benedictus; in Aquilegia verò Paulus erat patriarcha, qui metu Lombardorum ad Gradum (id eſt Venetiam) cum omni theſauro eccleſiæ ſuæ, & cum ſupellectili confugit. Eodem tempore Auares qui & Hunni, ſiue Vngari, audita morte regis Francorum Clotharij, ſuper filium eius Sigibertum arma conuertunt; quibus ille in Thuringia occurrens, iuxta Albim fluuium de eis optimè triumphauit, illisq; poſtulantibus pacem dedit.

Albuinus cùm Teruiſium peruenisſet, epiſcopus eius eccleſiæ Felix ei occurrit; cui rex petenti ſuper omnibus bonis eccleſiæ priuilegij ſui firmamenta conceſſit. Albuinus Veronam omnesq; alias Venetiæ ciuitates, præter Paduam & Mantuam & montem Silicis, vicit. Venetia enim non in paucis inſulis, ſicut quidam æſtimant, conſtat, ſed etiam terminos à finibus Pannoniæ vſq; ad Aldam fluuium tenet) Laudenſium & Mediolanenſiũ) Probatur hoc per libros Annales, in quibus ciuitas Bergamum inter alias ciuitates Venetiæ numeratur. Dicitur autem Liguria circa Mediolanum & circa Papiam, quaſi à legendis leguminibus, quibus omni tẽpore plus quàm aliæ prouinciæ abundare videtur. Ligurij vſque ad fines Sueuorum & Burgundionum terminos ſuos extendunt.

Albuinus rex Lombardorum vxorem ſuam Roſimundam cogit bibere ex teſta capitis patris ſui Cunimundi, regis Gepidorum: quam ipſe in ſimilitudinem ſcyphi fecerat præparari.

ALbuinus rex in quadam ſua magna ſolennitate in conuiuio ſolenniter reſidens, cum ſcypho illo, quem de capite Cunimundi, regis Gepidorum, ſoceri ſui ſibi fecerat præparari, imperat, vt in præſentia omnium, reginæ propinetur: quæ dum facti ſceleris ignara, poculum bibitura tuliſſet, dicit ei rex Albuinus; Bibe cũ patre tuo. quo dicto, Roſimunda regina, magis quàm credi valeat, contriſtata, ingenium & animum ad huius ſceleris vltionem conuertit.

Rogat igitur ad hoc perpetrandum, ipſius regis pincernam, nomine Helmegis, & alium militem, nomine Paradeum. Erat autem Helmegis nutritius & collactaneus regis, miles fortiſſimus: qui dum primo fronte non conſenſiſſet, regina ſubtiliori vſa ingenio, imperat ancillæ ſuæ admodum ſpecioſæ, vt ſeſe pincernæ ad coitum ſequenti nocte ſupponat. Quod cùm puella ſemel aut bis peregiſſet, regina in ipſa nocte, clàm remota puella, ſeipſam militi ignoranti ſubiecit; expletaque cum eo libidine, dixit: Quam fœminam me eſſe exiſtimas? Ille reſpondens, nominauit puellam. Ait illa: Reginam me eſſe cognoſcas: vnde niſi meis dictis parueris, ipſo Albuino te feriente, peribis. Elige igitur magis illum occidere, mecumque regnare feliciter, quàm illo viuente, meque accuſante, perire. Ad hoc Helmegis pincerna in anguſtiis poſitus, quaſi inuitus ſequitur mulieris præceptum; tandemque iniquum conſilium peſſimum ſortitur euentum.

Qualiter autem Regina & Helmegis pincerna regis cũ milite Paradeo hæc ſcelera inchoauerint & terminauerint; qualiter etiã ipſi poſt modum perierint, ſubiecta pagina verſibus heroicis explicabit: quibus perlectis, ad hiſtorias Imperatorum iterum cõuertemur, & de Carolo, ſuiſque ſucceſſoribus hiſtorias proponemus.

Item de Albuino & de Roſimunda verſificè, qualiter illa ſe vindicat. & ipſa tandem veneno moritur.

Anni ſexcenti fuerant poſt tempora Chriſti,
Quando per Italiam Lombardus præſtitit eſſe,
Lombardus Vinuli nomina priſca tulit.
Regibus antè nouem iam præteritis Vinulorum,
Venit in Italiam rex Albuinus eorum,
Sic Lombardorum ſcripta priora volunt.
Ducta per Vngariam quõdam Lombarda corona,
Occupat Italiam, ſedem tenet vrbe Verona,
Taliter hiſtoriæ ſcripta priora ſonant.
Primus in Italiam rex Albuinus eorum
Vicit ab Vngaria bello gentem Gepidorum,
Interimens regem, diripienſq; forum.
Tunc Gepidi caput inde tulit regis Cunimundi,
Sub ſpecieq; ſcyphi capitis parat oſſa rotundi,
Victor & inde bibit pocula chara ſibi.
Interea ſua ſponſa prior moritur Glodoſunda,
Filia regis ei Gepidi fit ſponſa ſecunda,
Hæc Roſimunda fuit, cuius & arce fuit.
Ipſe caput ſoceri, quem fecerat enſe necari,
Arte ſcyphum fieri ſtatuens, auroq; ligari,
Vina ſuæ ſponſæ præcipit inde dari.
Fœmina neſciſſet quod teſta paterna fuiſſet,
Vina nec hauſiſſet, niſi diceret impius ipſe,
Teſta tui patris eſt, cum patre nata bibe.
Dum bibit immunda data vina gemẽs Roſimunda,
Pectora peſſundat, lachryma vehementer inundet,

Octo-

Occisiq; patris res fit amara satis.
Crimen inauditum, regemq; perhorret iniquum,
Præparat inuisum regina necare maritum,
Dum caput abscissum comperit esse scyphum.
Instruit ancillam, forma specieq; decoram,
Vt sibi pincernam coitus coniungat in hora,
Illa quod implorat perficit absq; mora.
Nocte sequente venit regina, loquens mulieri.
Militis huius ego volo te lecto remoueri,
Opto mihi fieri quod tibi fecit heri.
Abiit, se prostituit regina latenter,
Ignarum tenet ipsa virum, perpessa libenter,
Expletisq; iocis, incipit ipsa loqui;
Quomodo reginam tu non tetigisse vereris?
Ecce tui regis gladio dignè morieris,
Ni mihi credideris, hostia mortis eris.
Vir putat ancillam, sed vox sonuit Rosimundæ,
Vnde vir expauit, mulier confortat eundem,
Cœpit & ordiri facta futura viri.
Elige quod cupias, duo sunt quæ conspicis in te,
Aut regem perimes (inquit) vel rex perimet te,
Elige sorte fori, viuere siue mori.
Te licet inuitum (dixit) mihi quæro maritum,
Rex eris, & regem gladio iugulabis iniquum,
Si mihi credideris, quàm citò summus eris.
Dum regina dolet nimium pro morte paterna,
Vindice pincerna citò vindicat acta moderna,
Rege sopor ato sustulit ille caput.
In precium mortis tribuit se fœmina sorti,
Thesaurosq; suos in eum post pauca retorsit,
Indeq; post plura præripuêre fugam.
Nanq; Rauennatum ratibus rapuêre meatum,
Dux vrbis susceptit eos tribuitq; theatrum,
Patria tunc illis magna Rauenna fuit.
Cum Duce regina clandestina fœdera quærit,
Si pincerna perit, si morte potest remoueri,
Sponsus reginæ dux ibi solus erit.
Dum pincerna venit, potum parat illa veneni,
Potans præbet ei, simul & potare coëgit,
Fœmina mœcha bibit, nota venena sibi.
Illa prius moritur, defungitur ille sequenter,
Fraus ibi fraude perit, moritur mors morsa decẽter,
Sic grauis ira Dei digna rependit ei.

De Constantino Imperatore Græcorum, sexagesimoseptimo ab Augusto, regnante in Francia Caro Magno.

ANno ab incarnatione Domini 781, regnante in Francia Carolo Magno, Constantinus filius Leonis, sexagesimusseptimus ab Augusto, in Imperium successit Græcorum: cuius filia Carolo Magno à matre desponsata, alij copulatur: cuius Imperij anno tertio idem Carolus Rex Romã veniẽs, ab Adriano Papa honorificè susciptur: ibiq; sancto Pascha celebrato, Pipinus filius eius in regem Italiæ, & Ludouicus alius eius filius, in regẽ Aquitaniæ vnguntur. Ipse autem Carolus, vniuerso Romano populo acclamante, patricius Romanus appellatur.

Circa idem tempus Carolo pascha Domini in loco qui dicitur Ingelheim, quarto milliario ab vrbe Moguntia, celebrante, Tassilo cum maioribus Bauariæ Principibus venit: vbi dũ accusatus à Bauaris, quòd fidem Carolo non seruasset, immo Auares ad regnum deuastãdum duxisset, de his & de aliis maiestatis reus & capitali pœnã plectendus iudicatur. Rex tamen misericordia motus, in monasterio Lauracẽsi quod ipse construxerat, eum monasticum habitum assumere, & de peccatis ibi pœnitere permisit.

Constantinus interea Imperator, consilio matris suæ Irenes (vt aiunt) non multò pòst cæcatus, imperij sui anno primo diem obiit; regnauitq; post eum mater sua quinque annis: vnde postquàm in manum fœminæ deuenerat imperium, dignum erat vt ad Francos, viros potentissimos, transferretur.

Leo papa Romæ fuisse cæcatus & lingua mutilatus, & iterum à Deo redintegratus.

EOdem tempore Leo papa, anno ab incarnatione Domini septingentesimo nonagesimonono, post mortem papæ Adriani succedens, à Romanis flagitiosissimè tractatur, ità vt oculis vna die bis cæcatus, & lingua bis truncatus fuisset, & in capella quadam reclusus est. Sequenti nocte à quibusdam fidelibus ad basilicam beati Petri perductus, vbi virtute Dei oculos & lumen oculorum, & linguam cum loquela recepit. Deinde ad regem Carolum transiens, euentum rerum deplorat. Igitur Carolus, subiugatis sibi iam Bauaris, & Danis, & Saxonibus, atque Aquitanis, Normannis & Britannis, & Pannoniis, multisque aliis prouinciis ad vrbem Romam vlturus Papam, tendebat. Leo papa prius per legatos in sedem suam restitutus, tunc ei venienti ad decimum lapidem occurrit, & honorificè eum susceptit. Transactis post hæc decem diebus, rex in populo facta concione causam aduentus sui exponit, vbi Leo papa spontanea volũtate, nullo eum cogente, à crimine sibi obiecto tactis sacro sanctis Euãgeliis se purgauit. Cætera versus habent.

Item de eodem Leone papa tertio, versificè, quomodo cæcatus est, & lingua truncatus.

Prorsus ab ecclesia Ligurum iam peste remota,
Plebeq; Romulea gaudente per omnia tota,

Voluitur ambigua ſorte ferente rota.
Papa Leo capitur proceſſio dum celebratur,
Corpore conteritur, radicitus exoculatur,
Cæcus & horribili carcere papa iacet.
Suſtulit & linguam penitus gens illa maligna,
Cùm foret indigna papalia tangere ſigna,
Linguam cùm rapuit rurſus ab inde tulit.
Mane ſub aurora res vertitur ad meliora,
Dum populus plorat, dum carcere papa laborat,
Carceris è medio tollitur arte foras.
Triſtior Eccleſia dominum cùm cernere quærat,
Vulnera mortifera reficit clementia vera,
Lumine participat qui modò cæcus erat.
Præſul habens oculos videt omnia lumine priſco,
Gloria ſit Chriſto, qui mira patrauit in ipſo,
Quo meruit cæcus frontis habere decus.
Obtinet & propriam linguam, redeunte loquela,
Audit & eccleſia papa recitante querelam,
Pollet in eloquio qui modò mutus erat.
Authorum ſceleris Lector, ſi nomina quaris,
Campulus Eccleſiæ primicerius ordine cleri,
Author erat ſceleris, quem data pœna ferit.
Nomine Paſchalis, cantor, papæq; ſacriſta,
Sacrilegas dedit inſidias, nam perpetrat iſta,
Ambo pares ſcelere ſunt, pariterq; luent.

Leonis querela apud Carolum, & de Campulo & Paſchali reis.

Quæ Leo paſſus erat, populus tormenta reuelat,
Carolus interea ſuſcepit ab Vrbe querelam,
Et iubet vt veniat præſul, & ille meat.
Hæc vbi papa gerit, ſolatia regia quærit,
Multaq; Romulei ſecum tulit agmina cleri,
Vltio martyrij, quod Leo portat, erit.
Curia Francorum precibus miſeretur eorum,
Quærit & ipſorum quæ ſit modò cauſa laborum,
Stans Leo conqueritur, narrat & ipſe dolum.
Tempus vt exegit, Leo rettulit omnia regi,
Quæ mala collegit, quæ Campulus ille peregit,
Compatitur miſeris qui diadema regit.
Corde dolent mites, plorant pietate Quirites,
Præſulis horribiles properant extinguere lites,
Caſtra mouent proceres, regia ſigna nitent.
Copia primatum ſuſcepit ab Vrbe ſenatum,
Suſcipit archatum ſibi papa reconciliatum,
Pax velut optatur rege iubente datur.
Campulus & reliqui, quos noxia culpa notauit,
Traditur exiliis, quia crimina tetra patrauit,
Præſul & Eccleſia gaudia longa trahit.

Qualiter & quando Carolus Magnus factus eſt Romanorum Imperator, ſexageſimus-octauus.

ANno ab incarnatione Domini 801, ab Vrbe condita 1552, Carolus Magnus 33 regni ſui año, à Leone tertio, ſummo põtifice, coronatur, omni populo Romano tunc acclamante, & laudes imperiales canente. Eſt igitur Imperator Carolus 68 ab Auguſto vocatus.

Carolus igitur Auguſtus, illos qui in papam ſacrilegium commiſerũt, Campulum ſcilicet primiceriũ, & Paſchalem ſacriſtã, capitali ſententia condemnatos, interuentu papę viuere permiſit, & ad pœnitentiam agendam, exilio relegauit.

Porrò Irene, Græcorũ Imperatrix, miſſis legatis pacem inter Græcos & Francos ordinari rogauit. Cũ quibus Carolus miſſis ſuis nunciis, Irenen in vxorem ſibi poſtulauit. Cui dum Irene annuiſſet, Eutius patricius pręſentibus legatis Caroli, fratrem ſuũ Nicephorum fecit Imperatorem, & Irenẽ in monaſterium truſit. Nicephorus idem factus Imperator, legatos ſuos cum legatis Caroli tranſmiſit, & fœdus tunc inter ſe literis ac nunciis firmauêre. Rex quoq; Perſarum Carolum Imperatorem muneribus ſuis tunc honorauit. Cætera de coronatione Caroli verſus habent.

Item de coronatione Caroli Magni, verſificè narratur.

Vndique papali gaudens Leo pace beari,
Dum ſuper altari ſatagit diuina parari,
Ordine regali regia metra canit.
Laudat & Eccleſia populo plaudente coronam,
Imperij zonam ſatis obtulit inclyta Roma,
Laudibus Imperij fortiter aula tonat.
Rex vbi laudatur, dum Cæſar in Vrbe vocatur,
Cantica miratur, quibus a populo reboatur,
Iſtaq; principibus dicta referre datur;
Imperij nomen qui vult mihi promere Roma,
In vacuum promet, niſi nomine conferat omen,
Nil agitur pro me, ni valitura ſonent.
Laudibus Imperij tantùm nequit orbis haberi,
Effectum cum laude geri reſpublica quærit,
Si laus vana perit, gloria riſus erit.
Aſt quia complacuit populo me laude leuari,
Papaq; Cæſarea voluit me ſorte ſacrari.
Ne videar pauidus, ſuſcipiamus (ait.)
Quod non Roma tenet, gladio mea dextra requirit,
Opto ſuper Danaos procerum prætendere vires.
Vrbis & orbis opes conferat iſta dies.
Imperij nomen non rennuo tollere Roma,
Nanq; ſuper Danaos capiemus iura corona,
Tollere ſic nomen curia tota monet.
Carolus Imperij ſuſcepit in Vrbe coronam,
Cuius & auxiliis reparat ſua tempora Roma.
Sicut & in titulis pagina noſtra ſonat.

Carolus Romæ coronatus, cogitat inuadere Imperium Græcorum.

Carolus vt fungi ſtatuit diademate mundi,
Pontificis ſummi manibus decreuit inungi,
Cæſareis aquilis nomen onuſq; tulit.
Clerus ei cecinit, populus ſua iura ſubegit,
Nec tamen Imperij tunc plenum culmen adegit,
Nam Leo Græcorum rex diadema regit.
Quumq; foret magni terroris fama per orbem,
Quod caput Italiæ iam Carolus obtinet Vrbem,
Gliſcit vt & Romam poſſit habere nouam.
Non ſatis eſt regem Romæ captaſſe fauorem,
Nec putat Imperium pleno retinere decore,

Vnde

Vnde super Danaos protinus arma mouet.
Migrat in Ausoniam, pleno petit ista rigore,
Græcus vt imperium sibi deferat absq; tenore,
Ille necem metuens congrua pacta mouet.

Nicephorus Græcorum Imperator, à Bulgaris occiditur: Michaël gener eius erigitur, Carolo iam Romæ imperante.

ANno ab incarnatione Domini 812, Nicephorus Græcorum Imperator, à Bulgaris publico congressu necatur. Cui gener suus Michaël, in regnum substituitur. Iste nuncios Caroli, ad antecessorem suum missos honorificè dimisit, suosq; legatos cum eis ad Carolum destinauit, & pacem cum eo renouatam firmauit. Is etiam dum contra Bulgaros exercitum duxit, non prosperis vsus successibus, reuertitur, depositoq; regno monachus efficitur.

De Leone Græcorum Imperatore, iam Carolo Romæ imperante.

LEo filius Bardi patricij, Imperator in Græcia, cum quo rursus Carolus pacẽ perpetuam hoc modo componit, vt alter alterius semper frater nominetur, & alter ab altero semper iuuetur: Græcus autem Imperator Orientem: Carolus verò suiq; successores habeãt Romam cum toto Occidente. Quibus omnibus in pacem compositis, Carolus orationis causa, Hierosolymam per Cõstantinopolim transit. Factáque ibi oratione, per Siciliam (sicut dicitur) remeauit: atque inde per Calabriam & Apuliam Romam rediit: vbi recepta benedictione, in Gallias rediens, apud Aquisgranum ecclesiam beatæ Mariæ opere mirifico ædificauit.

Item Carolus per admonitionem angeli, in Hispanias parat exercitũ, vbi (vt aiunt) per annos quatuordecim laborauit, plurimas gentes conuertit, plurimos amisit. Inde Aquisgranum reuersus, post infinitas victorias, in palatio Aquisgrani, vbi ipse principalem sedem regni Francorum constituit, finem vitæ suscepit, anno quadragesimo sexto regni sui: subactæ verò Italiæ anno quadragesimotertio: Imperij autem sui, anno decimoquarto: ætatis suæ, anno septuagesimo secundo. Sepulturam honorabilem in eadem sanctæ Mariæ ecclesia, imperiali more sortitus est.

Erat autem Carolus (vt quidam scripserunt) corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculos habuit prægrandes & vegetes, nasum paululum excedẽtem mediocritatem, caniciem pulchram, faciem lætam, & hilarem. Eloquentia erat copiosus & exuberans: in cibo temperatus: in potu temperatior. Regni eius tunc erat terminus à Bulgaria siue ab Illyrico, vsque ad Hispanos: atque à Danis, vsque ad Pharum Siciliæ. Exceptis adiacentibus regionibus, vtpote Boëmia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia, aliisq; prouinciis. *Cætera versificè gestare ferre placet.*

Item de pactione facta inter Carolum & Græcorum Imperatorem, versibus explicamus.

Pacta parant reges, vt frater vterq; vocetur,
Diuidit Imperium, sed honor communis habetur,
Græca tenet Græcus, fit sibi Roma vetus.
Vnde duæ summæ gestantur in orbe coronæ,
Si fuit vna prius, binæ sunt ordine Romæ,
Vnus erat Cæsar, nunc duo iura colent.
Vnus erat dominus mundi, præcelsus honore,
Nunc duo sunt, fratrum dupla ratione decores,
Fratris adhuc nomen fingere sæpe solent.
Græcia transegit, placuit transactio regi,
Consensu Græci Carolus sibi culmen adegit,
Legibus obtinuit, quod quasi præda fuit.
More suo fratres tali sunt fœdere facti,
Vt simul Imperium teneant, ac pace coacti,
Roma vetus nostris, sed noua cessit eis.
Consilio, gladio, spondetur vtrunq; iuuari,
Nomine fraterno censetur vterq; vocari,
Vult sibi iure pari culmen vterq; dari.

De quatuor principalibus sedibus imperij Romani, in Occidente.

Scribere vera volens, quot sint loca prima coronæ,
Quattuor imperij sedes video ratione,
Nomina proponam, sicut & acta sonant.
Primus Aquisgrani locus est, post hæc Arelati,
Inde Modœtiæ regali sede locari,
Post solet Italiæ summa corona dari.
Cæsar Romano cum vult diademate fungi,
Debet Apostolicis manibus reuerenter inungi,
Percipietq; patrem cui loca sancta patent.
Absq; manu papæ quem protulit aurea Roma,
Non decet vt capiat monocrator in Vrbe coronam
Cœlica tunc dona gratia summa tonat.
Illud ab Imperio fieri de more fatemur,
Nam placare Deum sacra suscipiendo solemus,
Placat pontificem rex, & honore fouet.
Talia iure fori, nulli tribuuntur honori,
Iure poli soli Petri donantur amori,
Nam ratione poli, condecet illa coli.
Vngit eum præsul, sed Christus inunctor habetur,
De cœlis diuina manus quæ corde videtur,
Cui bene rex offert illud & omne decus.
Dum sacra pontificis manus hunc benedicere sistit,
Longa manus Christi sua munera dirigit isti,
Donaq; missa Dei porrigit vnctor ei.

Vngitur in Christum Domini, sed eum Deus vngit,
Vnctio pontificis dat ei diademate fungi,
Est vice papa Dei quæ benedicit ei.
Testis enim mihi Psalmus erit, qui cantica iunxit,
Inueni Dauid seruum mihi, quem Deus vnxi.
Vnxi, non vnxit, litera narrat tibi.
Ipse quidem Samuel tunc personaliter vnxit,
Nec legitur, Samuel vnxit: sed ego Deus vnxi,
Ex oleo sancto cœlitus ipse meo.
Sic oleo non corporeo diadema sacratur,
Materiale tamen oleum sacrare putatur,
Pontificisq; manus conficit alma sacrum.
Si quæris: quid papa gerit, quid honoris habebit?
Clauigerum loquor æthereum, cui mundus obedit,
Terrea cum superis cui Deus ipse dedit.

Carolus pergit peregrinus Hierosolymã, per Constantinopolim, sed reuertitur per Siciliam, Calabriam & Apuliam.

Carolus Ausoniæ tandem lucratus honores,
Inde Hierosolymam subiit cum pace labores,
Iam crucis almificæ soluere vota volens.
Visitat illorum vestigia sancta locorum,
Qua natus, qua passus erat, Deus ipse deorum,
Qua tulit æthereum virgo Maria thorum.
Rex vt adorauit, Iordane lauandus hiauit,
Rebus honorauit regalia mœnia Dauid,
Tunc regnum Siculi naue reuersus adit.

Carolus reuertitur à Hierosolymis.

Dum rate festina regem vehit vnda marina,
Vrbe Panormita portum capit absq; ruina,
Omne solum Siculi munera soluit ei.
Carolus hic Siculum recreat baptismate regem,
Quem iubet ecclesiæ Romanæ sumere legem,
Catholici populi dogma tulêre Dei.
Mons ibi stat magnus, qui dicitur esse Rolandus,
Alter Oluerius, simili ratione vocandus,
Hæc memoranda truces constituêre duces.
Mons ibi flammarũ quas euomit Ætna vocatur,
Quo lapis ignitus cum sulphure præcipitatur,
Hoc ibi tartareum dicitur esse caput.
Latrat ibi Scylla, dat plurima damna Charybdis,
Inde rates pereunt, homines merguntur in ipsis,
Gurgitis vnda Phari damna pericla parit.
Carolus videns loculis, quæ damna ferũtur ab illis,*
Miratur patrias, Ætnæ rutilare fauillis,
Vrbi Messanæ dixit, amica vale.

Item de eodem.

Trãsit ab inde Pharũ quem gurgite sensit amarum,
Rerum multarum cernens ibi damna suarum;
Vnde ferunt regem non doluisse parum.
Suscipit hunc Calaber, properant vexilla potentum,
Omne solum capiunt subita probitate retentum,
Vndiq; cum pace subdita terra iacet.
Inde per Apuliam miranda potentia Romam
Venit, & Imperij gestauit in vrbe coronam,
Organa cum cithara, fistula, trumba sonant.
Tunc Aaron, rex Persarum, Carolo remeante,
Muneribus placauit eum, mittens elephantem,
Vasaq; tunc auri plurima misit ei.

Angelus Domini præcepit Carolo pergere contra Hispanos.

Pace data Romæ papa residente Leone,
Carolus ex more diadematis auctus honore,
In patriam rediit regna paterna colens.
Carolus Imperij dum gaudia vult renouari,
Tempore paschali solio sedet Imperiali,
Regibus ac ducibus regia dona parit.
Nocte quiescenti loquitur vox cœlica regi,
Quem iubet Hispanos Christi supponere legi,
Audit & obstupuit qui diadema regit.
Mane reuelata sit regia visio grata,
Curia laudata, satis est ad iussa parata,
Cœlica mandata stant ratione rata.
Dum super Hispanos vult Carolus arma parari,
Gaino prior comitum dat consilium variari,
Et requiem petiit tunc super arma dari.
Hinc ait (ô Cæsar) nunc himber & algor abundant,
Flumina sunt valida, pluuiæ torrentis inundant,
Asperitas hyemis est metuenda nimis.
Parcite principibus, equites hyemando quiescant,
Flumina deficiant, glacies q; niues q; liquescant,
Solis in ardore tunc tua signa moue.
Si placet interea legatum mitte potentem,
Qui videat si forte queat conuertere gentem,
Ne pereat gladio maxima turba tuo.
Mittere magnificum poteris pro pace Rolandum,
Eius ego sermone reor populum reuocandum,
Si cum pace redit, laus tibi maior erit.
Cessat vt iste loqui, fauet inclyta curia votis,
Carolus tamen metuit ventura pericla nepotis,*
Ne sua mortiferis traderet arma locis.
Surgit, & infremuit plenus feritate Rolandus,
Dixit; ob inuidiam satagit me tradere Gainus,
Mens inimica latet, iam maledicta patent.
Ibo, nec horribiles spernit mea dextra labores,
Spero quòd imperio multos referemus honores,
Sit Deus in medio: dux sua signa mouet.
Rex timet euentum, sunt nanque pericula certum,
Turba ducum comitatur eum, cœtus q; potentum,
Millia ter dena tunc ducis agmen erat.
Dux vbi sumit iter, pergunt sine pace Quirites,
Vndiq; multiplices peperit via pessima lites,
Bella parant gentes in regione sita.
Nocte sub obscura venit Angelus, alma figura,
Bella ducis dura prædicit vbique futura,
Spondet & auxilium ne ducis arma ruant,
Coge tuas acies (ait Angelus) ecce potentes,
Sex video reges hostilia signa ferentes,
Quos vbi Marte feris, me duce victor eris.
Dixit, & auratis clypeis montana refulgent,
Agmina Francorum circunda Marte perurgent,*
Vulnera dant strepitum, corpora cæsa cadunt.
Agmina mirandi secuit manus apta Rolandi,
Ense ducis magni reges periêre tyranni,
Ense triumphali deperiêre mali.
Quinq; ferunt reges aciei fronte fuisse,
Quos aiunt quinq; ducis ictibus hic cecidisse,
Angelus hic lucis protegit arma ducis.
Clarior e cœlis ferit Angelus agmina telis,
Cuius in auxilijs stetit inclyta turma fidelis,
Cessit & hostis ei sorte ferente Dei.
Talia multorum sunt prælia facta locorum,
Hoc facit armorum victoria Teutonicorum,

Viribus

Viribus ipſorum vincitur omne ſolum.
In Pampilona fuerat tunc ſumma corona,
Cui Barſellona, regioq; ſubeſt Aragona,
Atque Taraſcona ſiue Girunda bona.
Sũmus ab hac vrbe rex Dauid ad arma recurrens,
Agmina Francorum belli ſtatione perurgens,
Prælia dira gerit, victus ab inde redit.
Pellitur interius rex Dauid in agmine victus,
Acriter afflictus, quia cum duce pertulit ictus,
Ante domum regis dux ſua ſigna regit.
Dux petit alloquium modica ſub pace teneri,
Rex fauet, & cauſas cur venerit, ordine quærit,
Seria res agitur, ſermo tenendus erit.
Romulei dux Imperij proponit honorem,
Et iubet vt tribuat fiſcalia iura coronæ,
Hæc vbi iuſſa mouet, rex tumet, atq; dolet.
Ira mouet regem, quia iuſſa recepit amara,
Iſta ſuis paribus fuerant fiſcalia rara,
Rurſus in arma ruens bella furore parat.
Soluitur armatis cenſura breuiſſima pacis,
Hoſtis vt antè ducis reiicit rex iuſſa minacis,
Vtitur inſidiis hoſtis vterq; ſatis.
Lis patet abſq; mora, redeunt ad bella priora,
Rex nequit ire foras, præcluſus ad interiora,
Cæſaris in patriam Francica ſigna volant.
Prælia mirandus tulit infinita Rolandus,
Militis officio præcelſus in orbe notandus,
Sydus honeſtatis, dignus honore ſatis.
**Carolus reuertentis recipit vexilla nepotis,*
Gens mala catholicis nimis eſt contraria votis,
Rex parat hæreticis bella referre locis.
Rex iubet Imperij victricia ſigna moueri,
Nec modò ſe poterint Hiſpanica regna tueri,
Iudicio cœli turba maligna perit.
Qualiter Hiſpanos ſuperauit Carolus olim,
Huius ego libri titulus ſubſcribere nolim,
Alterius moduli ſors dabit illa coli.
Prorſus ab hac cæde mecum mea Muſa recede,
Mecum læta ſede, prolem mihi Cæſaris ede,
Cæſaris adgenitos dactyle verte pedem,

Ludouicus filius Caroli exaltatur in Imperium, ſexageſimusnonus ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 815, Ludouicus, filius Caroli Magni (quẽ ipſe Carolus adhuc iuuenis ſucceſſorem ſibi & Imperatorem conſtituit) comperta morte patris, ad palatium Aquiſgrani redire feſtinat ab Aquitania; vbi, conſenſu omnium principum imperator creatur, ſexageſimusnonus ab Octauiano Auguſto. Qui primo regni eius anno per delationes quorundam comperit quoſdam regni primates aduerſus Leonem papam conſpirãtes interfectos fuiſſe. Ad quod perſcrutandum, vocat ad ſe nepotem Bernardum, regem Italiæ; qui Romam pergens, ibiq; ægritudine tactus, ſtatum rei per comitem Heroldum Auguſto mandauit. Leo quoque papa, miſſis ad Ludouicum nunciis de his quæ ſibi impoſita tunc fuerant, ſe purgauit. Pauco poſt tempore tranſacto, Leo moritur, & Stephanus ſubſtituitur. Qui ſtatim præmiſſis nunciis, qui eum ad Imperatorem dicerent eſſe venturum, ilicò itinere abrepto, ſubſequitur. Imperator eum Rhemis cum honore ſuſcepit, vbi papa celebratis miſſarũ ſolennibus, Ludouicum Romanorum Imperatorem laudibus imperialibus pronunciauit.

Imperator poſtea Aquiſgrani, Lotharium filium ſuum ſocium imperij legit. Alios filios duos, reges vocatos, vnum Aquitaniæ, alterum Bauariæ præfecit. Sed paulo pòſt Bernardum nepotem ſuum regem Italiæ, cum aliis Italiæ ciuitatibus, cõtra ſe reperit coniuraſſe: aduerſus quem dum Ludouicus parat exercitum, ille animo fractus occurrit, & tradit ſe Imperatori. Imperator tunc Aquiſgrani, data ſententia in Bernardum, & alios ſuæ factionis coniuratores, cùm eſſent capite puniendi, iuſſit eos omnes cæcari.

Deinde filium ſuum Lotharium in Italiam mittit, vbi Lotharius rebus ordinatis, in ſancto paſcha à Romano pontifice inuitatur, & ab eo in Imperium coronatur.

Poſtea Ludouicus, propter mala vxoris ſuæ opera (vt dicitur) à regno pellitur, & iterum reſtituitur. Deinde poſt pauca, anno imperij ſui ſexto, diem ſoluit extremum. Anno ab incarnatione Domini octingenteſimo quadrageſimoprimo, dum Lotharius, filius Ludouici, reuerſus ab Italia monarchiam habere proponit, fratres eius Carolus & iunior Ludouicus, Imperij dignitate & nomine carere nolentes, Lothario bellum indicunt. Cunctisq; viribus regni ſimul hinc inde contractis, mirabilem habent congreſſum apud Fontaniacum, vbi vires totius regni Francorum vſque adeò ſunt imminutæ, vt iam nõ regnum eorum dilatare, ſed ſua cogitet vix vnuſquiſq; contra gentes circumpoſitas poſſe tenere. Ibi Carolo & Ludouico vix victoria cruenta & miſeranda conceſſit. Deinde concordia inter ſe facta, his tribus fratribus ſic diuiditur imperium: Carolus à mari Britannico vſque ad fluuium Moſam, partem obtinuit: Lothario, à Moſa vſque ad Rhenum fluuium, Belgica Gallia ceſſit: quæ vſque hodie Lotharingia, ſuo nomine ſolita eſt appellari: Ludouicus autem à Rheno verſus

Orientem omnem Germaniam, Alemaniam, & Bauariam in sorte susceпit.

Item de eodem Ludouico Imperatore versificè narramus.

Carolus egregium genuit regem Ludouicum,
Quem Deus almificum sibi conformauit amicum,
Lege sua clerus iure vocatur herus.
Hic pater ecclesiam vario prauenit honore,
Veste domo Cerere, cuius fuit aucta fauore,
Iure suo legitur grandis vbiq; fore.
Hic proprias habitare domos, equitesq; tenere
Nos facit, & veste varia griseaq; nitere,
Nisus & accipiter, hac quoq; lege sedet.
Talis honor clero nisi Cæsare dante veniret,
Grande genus comitum cleri iuga nulla subiret,
Rustica ne fieret, nobilitate viget.
Rex homo catholicus, fouet, auget, amatq; beatos,
Suscipit & ternos diuino munere natos,
Quos facit & regno participare suo.
Diuidit hic proles, subdiuidit & regiones,
Attamen Imperij summos habet vnus honores,
Seq; duo reliqui sede carere dolent.
Climate seiuncti sunt, non diademate functi,
Sed neq; pontificis manibus scribuntur inuncti,
Ira grauis pueris, guerraq; magna fuit.
Vnus apud Francos Lotharius orbe resedit,
Carolus est alter, cui Sequana Gallia cedit,
Climata Bauariæ sic Ludouicus habet.

De Lothario Imperatore, filio Ludouici, septuagesimo ab Augusto.

DIuiso Francorum regno, Lotharius cui (vt dixi) cum Lotharingia Romanum imperium deuenerat, septuagesimus ab Augusto imperauit. Theophilo mortuo, filioq; eius Michaële apud Græcos in vrbe regia imperante, Normanni per Ligerim fluuium intrãtes, ciuitates quasdam irrumpunt, & in sabbatho sancto paschæ episcopum ex more generale baptismum celebrantem, cum clericis interficiunt; ac circunquaque diffusi, cunctam ferro flammaq; vastantes prouinciam, Andegauensem quoque ac Turonensem occupantes vrbes, beati Martini ecclesiam cremare non verentur.

Eo tempore Carolus, cui (vt suprà dixi) Occidentalia regna in diuisione cesserant, capit Carolum regem Aquitaniæ, ac episcoporum consilio, tonsum monachum Suessione in monasterio sancti Medardi fecit.

Porrò Lotharius Imperator tribus filiis suis regnum quod eum contigerat, partitur: Ludouico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Prouinciam tradens: ipse verò ordinatis omnibus in Promiãsi monasterio, decimosexto imperij sui, post mortem patris anno, monachus efficitur.

Vide ad quantum defectum Romanũ Imperium deuenerit, scilicet, vt in tres partes diuiso regno Francorum, tertiæ partis tertia pars esset eius Imperium.

Quum igitur Lotharius, deposito cingulo militiæ, monachus fieret, anno ab incarnatione Domini 855, Ludouicus filius ipsius Lotharij sereniſſimus sexagesimus tertius ab Augusto Octauiano, suscepit imperium, tunc in Constantinopoli regnante Basilio, qui occiderat Michaëlem.

Tunc Lotharius frater eius qui Lotharingiam pro parte regni susceperat, accepit vxorem Theobirgam, sororẽ abbatis Huguberti. Non multis post diebus, Carolus frater ipsius Lotharij, qui prouinciam pro parte regni susceperat, moritur. Vnde Lotharius frater eius, qui regnum tenebat Lotharingiæ, cõtra patruum suum Carolum qui tenebat Aquitaniam, cõtendit. Interea idem Lotharius abbati Huguberto, fratri scilicet reginæ vxoris suæ, ducatum inter montem Iurum & montem Iouis commisit.

Porrò rex Ludouicus, alter patruus ipsius Lotharij, qui Germaniam & Bauariam tenebat, multa prælia cõtra Slauos magnificè gessit; captumq; principem eorum, Rastil, luminibus priuauit. Deinde idem Ludouicus rex, scilicet Germanorum & Bauarorum, ad regnum Galliæ, quod Carolus frater eius in diuisione regni acceperat, à quibusdam principibus ipsius Galliæ vocatus, in partes illas cum exercitu trãsiit, & regnum Caroli fratris sui inuasit, & vsque Senonas processit. Quumque, relicto ibi exercitu, in Germaniam Bauariamque rediisset, principes qui eum illuc inuitauerant, in gratiam regis sui redierunt. Vnde exercitus Ludouici, qui ibi remanserat, à Gallia exire compellitur.

His diebus, Saraceni ex Aphrica progressi, Beneuentanorum regionem, quæ olim vocabatur Samnitum, deuastabant. Contra quos Imperator Ludouicus, viribus repentè vndecunque contractis, Lotharium fratrem suum in adiutorium inuitat. Qui cum exercitu ingressus Italiam, cùm iniquè & enormiter iret, tam ex calore quam morsibus aranearum, in pœnam culparum suarũ, de gẽte sua multos amisit.

Ipse

Ipſe quoque Lotharius in via morbo correptus, apud Placentiam obiit.

Carolus autem rex Galliæ, audita morte Lotharij, regnum eius, ſcilicet Lotharingiam, inuadit. Ad hæc Imperator Ludouicus, ipſum regnum Lotharingiæ, cum Carolo patruo ſuo, habita inter ſe pactione diuiſit. Ita tamē quòd Ludouicus Imperator, Aquiſgrani palatium cum ſua portione haberet. Non multo pòſt tempore tranſacto, Adalgiſius dux Beneuentanus, ſub fiducia Græcorum, adiunctis ſibi Campanis, Lucanis atque Samnitibus, Ludouico Imperatori rebellare proponit. Imperator itaq; collatis copiis Beneuentum bello inuadit. Cui Adalgiſius, in dolo datis muneribus, à finibus ſuis diſcedere perſuadet. Imperator rediēs, omnes ciuitates Campaniæ & Lucaniæ, prēter Capuam, ſine grauibus laboribus cepit. Capua etiam deinde capta, & epiſcopo cum clero portante reliquias ante pedes eius, cum lachrymis veniā poſtulante, in gratiam eos recepit, totamq; Campaniam & Apuliam à Græcis mundauit.

Paulo pòſt Imperator ex conſilio Adalgiſij ducis, dimiſſo exercitu, Beneuētū ingreditur; Dux & ciues circa meridiem in Imperatorem dormientem faciunt inſultum; ipſumq; cum palatio comburere minantur, niſi iureiurando promittat, ſe fines eorum amplius non ingreſſurum. Imperator poſt hanc ignominioſam pactionem Romam venit; ibiq; coram Ioanne pontifice, qui Adriano ſucceſſerat, præſente ſenatu, cauſam ſuam exponit: propter quod Adalgiſius dux à ſenatu hoſtis iudicatur. Imperator à iuramento, quod non ſponte, ſed pro vita ſeruāda fecerat, abſoluitur per Apoſtolicum. Quamuis tamen eſſet abſolutus, ad euitandum ſcandalum non iuit Beneuentum: veruntamen reginam illuc cū exercitu deſtinauit; Adalgiſius perterritus in Sardiniam fugit, & ab ira Cæſaris declinauit. His diebus Franci creant ſibi regem Othonem filium Roberti.

Item de eodem Lothario Imperatore, verſificè narramus.

Solus in Imperij Lotharius arce reſedit,
Iureq; Teutonicis Romana monarchia cedit,
Iuraq; Teutonicus Cæſar in Vrbe dedit.
Tunc rex Danorum baptiſma recepit Heroldus,
Filius ipſius cum matre puer Manigoldus,
Et reliqui populi chriſma tulère ſui.
Imperium cum patre ſuo Ludouicus adeptus,
Italiæ ſub patre tenet moderamina receptus,*
Vſque Pharum Siculi regia ſigna tulit.

De Carolo ſecundo, Imperatore Romanorum, ſeptuageſimoprimo ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini 874, Ludouicus, ſuauiſſimus Imperator, vltimum diem clauſit, anno imperij ſui decimonono. Eodem anno Carolus, patruus eius ſenior, Occidentalis Francię rex, cum ſuis Francigenis Romam veniens, Imperium à Romanis (vt dicitur) pecunia impetrauit. Regnauit itaque ab Auguſto ſeptuageſimusprimus.

Non multo pòſt frater eius Ludouicus rex Germanorum & Bauarorum in caſtro Francofurt diem obiit, qui tres filios reliquit, ſcilicet Carlomannum, Ludouicum, & Carolum.

Porrò Carolus Imperator, morte fratris ſui Ludouici audita, regnum Lotharingiæ molitur inuadere. Primo itaque loco Aquiſgrani palatium occupauit, & vſq; Coloniam progreditur. Interea Carlomannus primogenitus Ludouici, Bauarorum & Germanorū regis defuncti, Italiam ingreditur, & tentat tollere Imperium. Veruntamē frater eius Ludouicus apud Germanos & Bauaros cœperat iam regnare; qui quū audiſſet patruum ſuum Carolum in fines regni eius, ſcilicet Aquiſgrani & Coloniæ introiſſe, miſſa legatione, à regno eum cedere monet. Quo non ceſſante ad pugnam progreditur, & ambo iuxta Rhenum, apud Andernacum præliantur. Carolus in fugam conuertitur, multis ex vtraque parte proſtratis.

Poſt hoc, Ludouici filij tres, conuentione inter ſe facta, regnum Teutonicum à patre ſibi relictum, diuidunt hoc modo: Carlomānus accipit in portionem Bauariam, Pānoniam, Carinthiam, Bohemiā, & Morauiam: Ludouicus accipit Orientalem Franciam, ſcilicet circa Rhenum, & Thuringiam, Saxoniam & Phriſiam & Lotharingiam: Carolus accipit in portione Alemāniam, id eſt Sueuiam, & quaſdam ciuitates Lotharingiæ, propter vini copiam.

Carolus interea ſecundus, Imperator prædictus, à Gallis Romam petiit; indeq; rediens, contulit ſe Papiam. Ibi nunciatur ei, Carlomannus, filius fratris ſui Ludouici, qui tenebat Bauariam, cum magno exercitu Italiam intraſſe. Tunc Imperator in Franciam redire volens, veneno interijt.

Anno ſecundo, Ludouicus, filius Caroli iunioris, qui dicebatur Balbus, obiit; relictis duobus filiis, ſcilicet Ludouico, & Carlomanno: quoniam tertium eorum fratrẽ, qui poſtea dictus eſt Carolus, mater eius tunc in vtero geſtabat. Cuius regnum Prouinciam, quam pater eius Carolus, filius Imperatoris Lotharij, in diuiſione regni pro parte acceperat, Boſo, cui Carolus Imperator Gallis illam nuper tradiderat, inuadit, & primo loco Lugdunum venit: ibique à Lugdunenſi archiepiſcopo in Regẽ Burgundiæ & Prouinciæ vngitur: qui à dictis adoleſcentibus Ludouico & Carlomanno arcetur.

De natiuitate regis Francorum Arnulphi, ſeptuageſimi ſecundi ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini octingenteſimo octuageſimo, Carlomannus Ludouici filius, cui Bauaria in ſortem deuenerat, poſt multos triumphos quos peregerat, moritur, & in loco Odino in Bauaria ſepelitur, relinquẽs filium ex nobili fœmina, ſed nõ legitima: quem tanquam de origine Carolorum progreſſum, Arnulphum vocauerunt. Iſti Arnulpho poſtea monarchia ceſſit.

Sed Ludouicus Orientalis Francię rex, audita morte fratris, Bauariam adiit, eamq; ſibi ſubiecit; Arnulpho prædicto ducatum Carinthiæ cum caſtro quod dicitur Moſeburg, donauit.

De illo rege Carolo, qui à fratribus ſuis acceperat Alemaniam in portionem, ſeptuageſimus tertius ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini octingenteſimo octuageſimoprimo, Carolus qui Alemaniam pro portione acceperat, in Italiam mouet exercitum, totaq; Lombardia in deditionem accepta, Romam venit: vbi à Iohanne papa in Imperiũ conſecratur, ſeptuageſimustertius ab Auguſto Imperatore.

Ea tempeſtate Normanni regnum Ludouici per fluuium Guala nauigio ingreſſi, palatium Nouiomagi incendunt: deinde Coloniam & Aquiſgranum cum tota illa prouincia deuaſtant. Inter hæc Ludouicus ipſe obiit apud Francofurt, & in monaſterio Lauracenſi ſepultus eſt.

Normanni autem regis Ludouici morte comperta, ſecuriores effecti, vrbem nobiliſſimam Galliarum Treuerim inuadũt, & in ipſa cœna Domini cum adiacente prouincia, igne conſumunt, & epiſcopum ipſius vrbis occidunt. deinde præda Francorum onuſti ad naues reuertuntur.

Hæc dum in Galliis agerentur, Carolus tertius Imperator in Italia morabatur. Principes autem tam Galliæ quàm Germaniæ, omnes eum precibus pulſant, quatenus fratre ſuo Ludouico rege Germanorum iam mortuo, redeat accipere regnum paternũ, & patriam liberet à Normanorum incurſione; qui feſtinans reuertitur, aſſumptiſque Lombardis & Bauaris, Saxonibus & Phryſonibus, Alemanis atque Thuringis, aliiſque pluribus contra Normannos, qui adhuc in regno morabantur, mouet exercitum.

Itaque Gotfredus rex Nomannorum, Chriſtianus efficitur, & ab Imperatore de ſacro fonte, ſuſcipitur. Filiam quoque Lotharij vxorẽ accipit Giſlam, & totam terram Phryſonum in dotem; & ſic à finibus regni, cum ſuis diſceſſit.

Anno ſequenti, Ludouicus filius Caroli regis Francigenarum, obiit, & in monaſterio ſancti Dionyſij ſepultus eſt; & fratri ſuum Carlomannum hæredem regni reliquit. Non multò poſt Carlomannus in venatione ab apro percuſſus, diem obiit.

Occidentalis ergo Galliæ principibus iam amiſſis, Carolum Imperatorem, qui tunc ſolus de ſtirpe Carolorum ſupereſſe videbatur, vltrò inuitant, eiq́ue venienti omnes ſubiiciũtur. Paulò pòſt autem idem Carolus Imperator, corpore & animo in tantum ægrotat, vt ab hominibus inutilis habeatur. Propter quod Arnulphus ſupra memoratus, ad Imperium ab omnibus electus, año ab incarnatione Domini 888.

Infirmus autem Imperator Carolus ad tantam penuriam deuenit, vt etiam pane carens ab Arnulpho paucos reditus ad vitæ ſolatium gratanter accepiſſet. Ab hoc tempore vſque ad primum Othonem Imperatorem, inuenimus, in Imperio confuſè fuiſſe regnatum. Carolo enim iſto mortuo, qui ſeptem annis regnauit, & ſeptimo anno priuatam vitam, relicto Imperio, vixerat, Imperium diuerſis modis ſcindebatur: cùm ſingulæ prouinciæ, ſingulos reges nitebantur creare. Arnulpho tamen pars maxima ceſſit.

Tunc Italia & Lombardia ſibi regem Beren-

Berengarium Foroiulienſem conſtituit,& alium regem fecit, Guidonem Spoletanũ. Rex Berengarius tũc à rege Guidone pulſus, ad Arnulphum confugit.

His diebus gens Vngarorum ex Scythia egreſſa,& à Pincenatis propulſa,in Pannoniam primitus venit, & eiectis inde Auaribus, perpetualiter ibi permanſit. Iſta gens Vngarorum illo tempore tam beluina,tam inculta fuiſſe narratur, vt carnibus crudis ad cibum, humano verò ſanguine vterentur ad potum,quemadmodum & Phalagi. Pincenates vſq; hodie ſanguinem beſtiarum appetũt, & carnibus equorum & vulpium, luporum etiam & cattorum crudis vtuntur.

Porrò Arnulphus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum regnũ vocatur, id eſt Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Phryſiam & Lotharingiam rexit, & totum Rhenum. Occidentalem Franciam verò Odo tenuit, Arnulphi authoritate.

Poſt hæc Normanni Arnulphi regnum inuadunt, & duces ſibi occurrentes extinguunt. Arnulphus autem eos poſtea tanta virtute proſtrauit, vt viuentes pauci remãſiſſent. Deinde anno ab incarnatione Domini 894, compoſitis omnibus rebus in Germania, Arnulphus cum exercitu Lombardiam ingreditur; captaq; ciuitate Bergamo, comitem Ambroſium in furca ſuſpendit,vnde tota Italia perterrita,ſuæ ſe ditioni ſubiecit. Arnulphus, in Galliam per montem Iouis rediit.

Ea tempeſtate Guido, qui regnum Italiæ vſurpauerat,moritur. Cuius filius Lambertus, Romam veniens, fecit ſe Imperatorem vocari. Arnulphus filio ſuo,Cendebuldo ſpurio,tunc donauit Lotharingiam. Deinde Arnulphus à papa Formoſo vocatus, iterum Italiam ingreſſus,Romam venit, quam & armis tunc cepit, & ab ipſo Pontifice coronatus eſt, & Auguſti nomẽ ſortitus. Poſtea eos qui aduerſus pontificem ſeditionem mouerunt, decollari præcepit. Reuerſo ab Vrbe Arnulpho, Lambertus, filius Guidonis Spoletani, qui Imperium inuaſerat, moritur, & Ludouicus filius Boſonis, à Longobardis, ad Imperium inuitatur.

Reperi ego Gotfridus, in quibuſdam geſtis Romanorum; poſt Carolum tertiũ, tanquam Imperio à Francis ad Lombardos tranſlato, Arnulphum in catalogo Imperatorum non nominari;& Ludouicum, cæteroſq; poſt ipſum, in numero Auguſtorum poni. Alij autem Arnolphum in catalogo ponunt; eos autem qui poſt eum confuſè vſque ad Othonem regnauerunt, non Imperatores & Auguſtos, ſed inuaſores & Anguſtos appellare conſueuerunt. Non multo pòſt,mortuo Othone rege Frã corum Occidentalium, & in eccleſia ſancti Dionyſij ſepulto, Carolus ibi rex creatur. Arnulphus duodecimo regni ſui anno, Imperator (ſecundum quæ ſuprà taxatum eſt) diem ſuum obiit,& iuxta patrem ſuum Ludouicum, apud Odinum in Bauaria ſepelitur. Monſtratur tamen ſepulchrum eius in monaſterio ſancti Heimerani Ratisbonæ.

De rege Cendebuldo filio Arnulphi Imperatoris.

Cendebuldus erat rex, de non coniuge natus,
Filius Arnulphi regis, regni dominator,
Nec tamen Imperij tunc diadema tulit.
Vir fuit impatiens, ſuper omnia deditus iræ,
Fertur Agrippinum dominum ſic fuſte ferire,
Præſul vt exanimis nocte ſit atque die.
Cendebuldus obit, prauæ feritatis amicus,
Legitimus puer erigitur, dictus Ludouicus,
Eius erat frater, legitimusq; puer.

De Ludouico puero rege Francorum, filio Arnulphi regis, ſeptuageſimoquinto ab Auguſto.

ANno ab incarnatione Domini nongenteſimo primo, Ludouicus filius Arnulphi,in loco qui dicitur Phoreim,rex creatur: atque à principibus Lotharingiæ, qui offenſi erant, Cendebuldus inuitatur ad regnum totius Belgij. Regio enim illa, Belgica Gallia appellatur. Quo comperto, Cendebuldus, dum multa mala committeret, regnumq́ue multa præda & incendio & cæde cruentaret, tandem à Comitibus Stephano, Gerardo,&Mafrido,in bello occiditur. Itaque Ludouicus Arnulphi filius,regno liberè potitur.

His diebus Vngari Lombardiam peruagantes, incolas terræ ſibi occurrentes, ſagittis ſuis occidunt: atque prouincia crudeliter depopulata,in patriam ſuam reuertuntur. Anno ab incarnatione Domini noningenteſimo quinto, Ludouicus filius Boſonis,imperium adeptus, Berengarium expulit. Quumq́ue totius regni pro ſuo arbitrio potiretur, dimiſſo milite, Veronam cum paucis ſe contulit; vbi à ciuibus

captus per traditionem, reuocato Berengario, cæcatus est. Berengarius extunc regnum Italiæ cum imperio Romano obtinuit.

Circa idem tempus Albertus nobilissimus comes Francorum, nepos scilicet Othonis ducis Saxonum, ex filia, Conradum occidit, qui à quibusdam dicitur Ludouici regis fuisse filius; propter quod rex prædictum Albertum, in castro Babenberg, vbi nunc episcopatus nobilis est, bello inuadit. Ille vero impotens, quum regi resistere se non posse videret, consilium ab Othone Mogũtino Archiepiscopo postulauit. Archiepiscopus in castrum tunc munitissimũ Babenberg adiit Albertum ipsum, eumq; ad regis præsentiam venire persuadet, data ei dextra, quòd eum securũ & indemnem in ipsum castrum suum reduceret. Albertus comes, recepta fide & promissione Othonis archiepiscopi, cum eo pergens, à castro suo aliquantulum egressus, ait ad archiepiscopum: Domine, debuimus in castro prius prandium sumere, quàm pergeremus ad curiam regis. Oportebit enim nos tota die hac ieiunare. Cui archiepiscopus: Rectè, inquit, loquutus es; reuertamur in castrum, & modicum comedamus. Albertus comes verba sacerdotis quæ dicebantur in dolo, simplicibus auribus more antiquorum accepit, & in castrum cum episcopo velociter rediens, accepto datoq; prãdio, nulla alia securitate ab episcopo requisita, in cõductu eius ad regem perrexit: vbi positus in causa, capitali sententia condemnatur. Condemnatus autem, monet archiepiscopũ de facta securitatis suæ promissione. Archiepiscopus respondit; Se fidei promissionẽ seruasse, ipsumq; è castro egressum, sanum & indemnem in castrum suum reduxisse. Tali fraude circumuentus ipse Albertus, in eadem curia decollatur. De cuius bonis ecclesia Babenbergensis (vt dicitur) postea constructa, diuitiis ampliatur.

Si autem Otho Archiepiscopus, qui pro salute regni hoc fecisse asseritur, in hac causa peccauerit, non meo, sed auditorum iudicio reseruetur. Ego tamen si fecissem, æstimarem me, etiam Saracenum conducendo peccasse. Ex istius Alberti sanguine alius Albertus originem traxisse narratur, qui postea marchiam Orientalem, id est vulgariter dictam *Osterich*, quam alij dicunt Pannoniam superiorem, ab Vngaris ereptam, Romano imperio adiecit.

Ludouicus rex Franciæ Orientalis, anno regni sui 12 sine hærede decessit. Secundum scripta quorundam, in isto rege Ludouico, & in fratre suo Cendebuldo suprà memorato, Carolorum genealogia finem accepit, ad tempus. Vnde quidam sic scripsit: Vltimus Augustorum Romæ fuit Augustulus: vltimus verò Carolorum in Frãcia, fuit Cẽdebuldus. Igitur, Ludouico iam defuncto, Otho dux Saxonum, ab omnibus petitur. Princeps autem clarissimus Otho, tanquam senio grauatus, rex fieri recusabat.

Item de eodem rege Ludouico puero, versificè narratur.

Iste puer pietate valens, tribus imperat annis,
Vltimus est iste Carolorum germine sanguis,
Attamen à latere germina Carlus habet.

De primo Conrado rege post Ludouicum puerum, septuagesimo septimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini nongentesimo decimotertio, Conradus primus, filius Conradi illius quem occiderat prædictus comes Albertus, cõsilio prædicti Ducis Othonis, qui regnum accipere renuit, cõsensu omnium Francorum, Rex creatur, quem quidam asserũt fuisse filium fratris Regis Ludouici, tunc defuncti, & propterea, eum ponunt nouissimum omnium Carolorum. Anno regni sui primo, Vngari ad depopulandam terram rursus effusi, à Sueuis & Bauaris iuxta Henum fluuium sternũtur. Postea dux Bauarorum Arnolphus, Conrado regi rebellans, cum vxore & filiis ad Vngaros fuga lapsus est.

Conradus rex, anno regni sui septimo, diem obiit, eiusq; consilio Henricus, filius Ducis Othonis, in regnum subrogatur, anno ab incarnatione Domini noningentesimo & vigesimo. Ab illo tempore dicunt quidam, post Francorum Imperium fuisse Teutonicorum Imperium. Vnde etiam à Leone papa dicunt istum Othonem primum Teutonicorum regem dictum esse. Nam iste de quo agimus, Henricus Dux, oblatam sibi à summo pontifice Imperij dignitatem renuisse perhibetur; propter quod etiam non numeratur in Catalogo Imperatorum Teutonicorum. Mihi autem ex multis scripturarum authoritati-

ritatibus patuit, regnum Teutonicorum, quod Imperator Fridericus noſtro tẽpore poſſidet, partem eſſe regni Francorum. Ibi enim primi Franci fuerũt, cis citraq; Rhenum, quæ hodie Francia Orientalis, vſque ad terminos Bauariæ appellatur. Francia verò Occidentalis, eſt regnum illud quod eſt cis citraq; Sequanam & Ligerim fluuios: quæ prouincia, prius dicebatur Gaudina: ſed à Carolo Martello, auo Caroli Magni, primùm Francia, vel Frãcigena, id eſt à Francis genita, eſt appellata. In lingua verò Teutonica, vnde ipſe Carolus Martellus fuerat oriundus, vocauit eam nomine ſuo Carlingam, ſicut à Cæſare Cæſarea, & ab Alexandro Alexandria nũcupatur. Hoc autem ideo fecit, quia ipſe eos ſuo gladio ſubiugauit, & regno Francorum adiunxit. Alia quædam ratio ad hæc ſatis manifeſta monſtratur. Denique ſicut in ſuperioribus patet, tempore Caroli Magni, regis Francorum, tota Gallia, id eſt Celtica & Belgica Lugdunenſis, omnisq; Germania, quæ eſt à Rheno vſque ad Illyricum, vna Francia fuit. Poſtea verò, regno inter filios filiorum diuiſo, aliud Orientale, aliud Occidẽtale regnum Franciæ dicebatur. Vtrunque tamen vocabatur Regnum Francorum.

In Orientali ergo regno Francorum, quod vſualiter dicitur Teutonicum, deficiente ſtirpe Carolorum. Henricus primus de gente Saxonum, ſucceſſit in regnum, manente adhuc in Occidentali Francia, id eſt Pariſiis & Rhemis, rege Carolo quodã, de progenie ſimiliter Carolorum. Iſtius Henrici filius, Otho, poſtea Imperium Romanum reduxit ad Francos, quod iam à Longobardis fuerat vſurpatum. Et propterea idem Otho forſitan primus Rex vel Imperator Teutonicorum dictus eſt, quia ipſe primus, extra progeniem Carolorum, rex, de ſanguine Saxonum, factus, nõ quidem primus apud Teutonicos regnauit, ſed primus Imperium Romanum à Lombardis ad Teutonicos reuocauit, quod à Lombardis fuerat vſurpatum.

Notanda eſt autem hîc varietas in nominibus regum Frãcorum, quomodo primitùs à Merouęo rege, ſucceſſores eius dicti ſunt Merouæi: poſtea à Carolo Magno, ſucceſſores eius vocati ſunt Caroli vel Carlini; ab Othone verò Imperatore dicti ſunt Othones: deinde ab Henrico Henrici.

Item de eodem Conrado rege primo, vltimo autem Carolorum, verſificè.

Semine Carlorum iam deficiente virorum,
Surgit Conradus lateris cognatus eorum,
Obtinet imperium Teutonicum q; ſolum.
Conradus rex eximius ſedet ordine primus,
Hoſtibus ingeritur, contraria pellit ad imum,
Subiugat Vngaricos, Illyricosq; ſinus.
Conrado primo natus non extitit hæres,
Mirantur proceres, quis ſceptra meretur habere,
Vita datur fatis, plebs dolet inde ſatis.

De Henrico primo rege Francorum, qui cognominatur Auceps.

ANno ab incarnatione Domini 920 Hẽricus Othonis dictus filius, in Frãcia Orientali regnauit. Occidentalem Frãciam tũc Carolo quodam rege Pariſiis regente. Quidam Celtici ſcriptores aſſerunt, eum primò ducem Saxonum tantùm fuiſſe, & tunc Carolo ſubieciſſe. Et poſtea conſilio Giſeberti ducis generis ſui, qui Belgicam tenebat, à regno ipſius Caroli, cum omnibus Orientalibus diſceſſit, & regium nomen aſſumpſit. Alij dicunt, eũ poſt mortem Conradi primi, in regnum ab omnibus Orientalibus fuiſſe electum, nec vnquam aliquid eum de manu illius Caroli ſuſcepiſſe.

Poſt hæc ipſe Henricus rex Vngaros in Saxoniam violenter ingreſſos incredibili cæde proſtrauit. Iſte Henricus rex, ſacram lanceam Imperij, quæ coram Imperatoribus fertur, à Rodulpho, rege Burgundiæ, multis extorſit. Alij dicunt, à Boſone, rege Prouinciæ, fuiſſe eam ad Imperium tranſlatam. Ipſe autem Henricus rex, poſt multa virtutis ſuæ opera, dum ad obtinẽdum Imperium, Romam pergeret, antequàm Romam peruenisſet, diem vltimum clauſit, relicto filio Othone primo, qui factus eſt Imperator, año regni eius decimoſeptimo.

Item de eodem Henrico primo, verſificè ſubnotatur.

Henricus dux Saxonicus regnare vocatur,
Legati mittuntur ei, qui ſæpe rogatus
Noluit imperium ſumere, ritè datum.
Inuenêre Ducem veterano more ſedentem,
Aucupis officio ſua retia perficientem,
Vt modicas caperet inſidianter aues.
Et quia ſimpliciter fuit his præſentibus auceps,
Amodo perpetuo cognomine dicitur Auceps,
Cùm tamen egregium mundus haberet eum.
Dux igitur cum plus petitur ſibi ſumere Romam,
Iurat in æternum capiti non ferre coronam,
Cùm ſibi ſufficiant quæ tenet ampla bona.

Cogitur Henricus regnantis numine fungi,
Cogitur in regem tandem reuerenter inungi,
Nulla tamen capiti missa corona fuit.
Coram rege secus ferri diadema iubetur,
Vt bene seruetur quicquid iurasse videtur,
Signa tamen plenè regis vbiq; tenet.
Ex hoc Henrico rex primus nascitur Otho,
Cuius & egregia nunc gesta referre peropto,
Iam tres Othones promere Musa monet.

De primo Othone, Imperatore Romanorum, septuagesimooctauo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 936, Otho primus, nobilis hæres Henrici primi, in regnum succedens, in palatio Aquisgrani, à Moguntino Hildberto Archiepiscopo, coronatur. Iste Sclauos Boëmos sibi resistentes compescuit: Belgicos, dum ei transitum Rheni prohiberent, vertit in fugam, totaq; terra Belgica, igne, ferroque vastata, castrum situm in monte Capri, obsedit: vnde Ludouicus, filius Caroli regis Occidẽtalis Galliæ, terram Belgicam, quã pater suus perdiderat, sub hac occasione recuperare intendens, Alsatiam prouinciã ingreditur. Quo audito, Otho rex soluit Capri montis obsidionem, & expulso ab Alsatia rege Ludouico, Brescam obsedit.

Interea dux Gisibertus qui sororem Othonis regis habebat vxorẽ, aduersus Francos, tanquam hostis regis Othonis, vsque ad Andernacum procedit: vbi à Francis victus, fugiens in Rhenum submergitur, suis omnibus cæsis, aut fuga delapsis. Rex autem Otho iterum Belgicam ingressus, totam in deditionem redegit: & ex tunc omnes Teutonici Reges sine contradictione Belgicam semper tenuerunt.

Post hæc rex Ludouicus, vxorem ducis Gisiberti, quæ erat soror regis Othonis, & vidua, in matrimonium accepit. Ipse verò non pòst multò à suis à regno suo expulsus, ad Othonem veniens, petit auxilium. Quo habito, deuictis suis hostibus, in regnum per Othonem est restitutus.

Post hæc apud Ingelheim, in præsentia amborum regum, Marino sedis Apostolicæ legato adiuncto, synodus celebratur.

Eo tempore Berengarius Italiam nimia feritate premebat, & Adilinda vidua Lotharij Imperatoris defuncti, ab eo captiua tenebatur. Otho autem Italiam potenter ingressus, reginam liberat, eamq; sibi in vxorem consociat: atq; Berengario depulso, natale Domini Papiæ celebrauit; ibiq; Conradum ducem contra Berengarium relinquens, ipse in Galliam Teutonicam remeauit. Berengarius, consilio ducis Conradi, ad Othonẽ pergit; & per ipsum Conradum, & per filium regis Othonis Letulphum, veniam impetraturus. Vbi cùm per triduum ei rex audientiam denegasset, vix tandem per ducem & per regiam prolem obtinuit, quòd ei Otho apud Regium in Lombardia, diem illuc veniendi præfixit: vbi postea præsentatus, regnum Italiæ de manu Othonis suscepit; excepta marchia Veronensium & Aquileiensium. Reuersus in Italiam Berengarius, per suam tyrannidẽ totius in se odium Italiæ concitauit. Tunc Letulphus filius regis, aduersus patrẽ moliri tentauit; sed citò cõuersus, gratiam Regis recepit.

Eo tempore Vngarorum gens erupit, totamq; terram quasi locusta cooperuit: atque super fluuium Lichum, iuxta ciuitatẽ Sueuiæ Augustam, cõsedit. Quibus Otho precibus & hortatione Vldarici, sanctissimi illius vrbis Episcopi, in Domino confisus, occurrit; tantaque illos virtute prostrauit, vt non solùm ab infestatione aliorum quiescerent, sed pro se timentes terram suã vallo & palude munirent. Cecidit in eo prælio gener regis Conradus, & dux Vormatiensis. Barbari autem, exceptis sex viris residuis, omnes gladio narrantur extincti. Huius mali author dicitur quidam comes de Stira in Bauaria extitisse; quem Vngari tanquam eum qui eos in mortem eduxerat, occiderunt: terra autem eius redacta est in regium fiscum.

Eo tempore ab Apostolica sede veniunt legati, de tyrannide Berengarij conquerentes, & defensionem Othonis in Italia postulantes. Guabertus etiam episcopus Mediolanensis, Gualdo Cumanus episcopus, cũ aliis Italiæ principibus, pro eadem causa ad Regem venerunt.

Otho autẽ Aquisgrani in palatio filium suum Othonem tunc in regnum sublimauit: deinde collecto exercitu in Italiam, per vallem Tridentinam, intrauit, totaque sibi Italia subiugata, ad Vrbem progressus, à Iohanne papa, & toto populo, dignissimè receptus, & imperatoris nomen ac dignitatem sortitus. Iste Otho Imperator, secundum illos historiographos, qui Arnolphum in catalogo Imperatorum posuerũt, & alios qui interim in Italia imperium tene-

tenebant, à catalogo excluſerunt. 77 eſt ab Auguſto Octauiano; ſecundum Romanos verò hiſtoriographos, qui Arnolphum à catalogo imperatorum excludunt, & Ludouicum atque duos Berengarios, & Hugonem, & Berengariũ, Lotharium, itemq; Berengarium, & Albertum, in numero & catalogo priorum ponũt, iſte Otho eſt 84 ab Auguſto.

Ab eo tempore regnum Romanorum, poſt Francos & Longobardos Imperatores prędictos, ad Teutonicos reuerſum eſt, & ad Francos Orientales, vnde iam quodammodo videbatur elapſum. Ego autem tunc imperiũ à Francis non dico aliquando fuiſſe ſublatum, ſed eclipſim paſſum, quam diu tot & tam diuerſi inuaſores imperium confuſè tenuerunt.

Otho Imperator ab Vrbe rediens, Papię paſcha celebrauit: ſed Berengarius Imperatorem fugiens, latitauit. Anno ſequẽti Otho in monte ſancti Leonis obſidet Berengarium, cuius filius Albertus, in Corſicam inſulam fugit: qui poſtea ad Ioannem Pontificem Romanum accedens, in partem ſuam multis promiſſionib. inclinauit. Quo audito, Otho Imperator, dimiſſa obſidione, Romam ducit exercitum; vbi quidam Romani timẽtes, vnà cum Pontifice Ioanne fugiunt: alij datis obſidibus, Othoni ſubduntur. Imperator poſtea miſſa legatione ſcribit Ioanni Papę vt redeat; quo redire nolente, Otho cõgregata ſynodo ſubſtituit Leonem: quod vidẽs Albertus, filius Berengarij, iterum in Corſicam fugit. Hęc omnia vtrum licitè an illicitè facta tunc fuerint, ad hoc opus nõ pertinet explicare; propoſui enim res geſtas deſcribere, non rerum geſtarum reddere rationem. Imperator Berẽgarium in deditionem accepit, quem in Bauariam exilio relegauit.

Othone tunc Romæ manente, Romani communicato conſilio cum vicinis caſtellis ſtatuũt occidere eum. Sed dum proditio conſilia præueniſſet, Imperator inſidias ſatagit pręcauere, & de Romanis multos nece proſtrauit: deinde cẽtum obſides ab eis, interpoſitis ſacramẽtis, accepit. Poſtea tamen ad Spoletum Papa rogatus, obſides relaxauit, Othone recedente.

Romani papam Ioannem recipiunt in Vrbem, expulſo Leone. Leo apud Camerinum Imperatorem velociter adiit, ibiq; cum eo paſcha celebrauit. Interea Ioannes moritur, cui à Romanis Benedict⁹ eſt ſubrogatus. Otho, tam pro Leonis expulſione, quàm pro Stephani ſubſtitutione, iratus, ad vrbẽ feſtinat: quam obſidione conſtrictam, & fame incredibili fatigatam, ad deditionem coëgit; tali duntaxat cõditione inſerta, vt apertis portis, eum ſuſciperẽt, & Benedictũ ſuæ iuſſioni repræſentarent. Tunc Imperator Leonem in cathedram reſtituit, & inde Benedictum depoſitum, ſecum deducens, in ſuã Franciam remeauit. Non multò pòſt deficientibus à ſe Italicis, Imperator Alpes tranſcendit, & natale Domini Romæ celebrato, tredecim ex maiorib. præter præfectum, Romanis, qui erga papam Leonem mouerant factionẽ, patibulis vna die ſuſpendit. Deinde filium ſuum Othonem fecit à Leone pontifice coronari, & Auguſtum vocari, eiq; filiam Conſtantinopolitani Imperatoris, Theophaniam, in matrimonium iunxit. Deinde trigeſimo ſeptimo regni ſui anno, Imperij verò decimo tertio, diem vltimum clauſit. Iſte eſt ille Otho, qui Græcos in Apulia & Calabria ſuperauit, & Romanorum imperium ad Francos Orientales reduxit.

Ipſe primus in Goslaria Saxonica argenti fodinas inuenit. Metropolim etiam Magdeburg, vbi ſepultus eſt, ornamentis & theſauris plurimis decorauit. Berengarius exul, & vxor eius, apud Babẽberg mortui ſunt. Denarij qui vocati ſunt Otholini, ab hoc Othone ſunt in Italia conſtituti.

Item de eodem Othone primo verſibus ſubrogatur.

Otho coronatus Paſchalia feſta peregit,
Adfuit & celebris primatum curia regi,
Fercula quæ docuit, regia menſa vehit.
Menſa cibos coctos tenuit prius illa paratos,
Quàm veniant domini, vel more ducum ſedeatur,
Ille cibus miſeris pauperibuſq; datur.
Dux puer accedens, magni ducis vnicus hæres,
Cùm foret eſuriens, dum ferculapromptavideret,
Accipit vt comedat, cor puerile gerens.
More ſuo dapifer vitio variabilis iræ,
Non timuit puerum grauiori fuſte ferire,
Inde puer cecidit, vulnere ſtratus humi.
Miles adeſt, puero cuſtos datus, atque magiſter,
Vindicat egregiè dominum, quem percutit iſte,
Vulnere nam dapifer mortuus ipſe iacet.
Turba gemit, rex Otto venit, cauſamq; requirit,
Ille iacet, dum turba tacet, mandat aperiri,
Quæ fuerit pueri, quæ modò cauſa viri.
Quærit & authorem mortis, quiſnam foret ille,
Ille ſtetit medius, animo quaſi maior Achille,
Nec negat hunc ipſum fuſte necâſſe virum.
Rex ait; ergo mori dignus ratione videris,
Criminis actorem dum te ſatis ore fateris,
Digna tuis meritis hoſtia mortis eris.

Miles ait; Discerne magis quid iuris habetur,
Iudicio ne præcipiti res acta putetur,
Est quia pascha Dei, rex miserere mei.
Ira mouet regem, timet ille mori sine lege,
Cùm rex iusta neget, miles rapit illicò regem;
Rex prostratus humi, iusta negasse fuit.
Dum tenet Ottonem, barbã trahit, atq; granonem,
Guttur & ora premens, grauior feritate leone,
Ni foret auxilium mortuus Otto foret.
Sub loculo scamni regem crudeliter angit,
Vnguibus infixum guttur conamine frangit,
Nunc pede, nunc manibus, turba retraxit eum.
Otto sedet stupidus, turpi statione leuatus,
Barba pilis caruit, guttur dolet excoriatum,
Laude coronatum stat sine laude caput.
Turba dolens, stans ante fores cupit hunc cruciari,
Otto reum defendit eum, iussitq; vocari,
Vir stetit & siluit, incipit Otto loqui:
Iudicio sisti legum ratione petisti,
Dum tibi non licuit, tetigit me dextera Christi,
Non tua, sed Domini verbera digna lui.
Digna lui, quia pascha fuit, cùm parcere possem,
Me libuit, quod non licuit, dedit vltio nosse,
Porto furore mei digna flagella Dei.
Parcius ista tamen punire tibi potuisses,
Quàm sine rasore barbam manibus rapuisses,
Amodo quæ cupias ordine dicta feras.
Miles vt exponit quæ sit modò causa furoris,
Mittigat Ottonis symptomata vi rationis,
Sic datur incolumis miles abire foris.
Nec datur hinc ire quod debeat ipse redire,
Læsor enim si quando redit, reminiscimur iræ,
Si mala deliteant liuor & ira silent,
Post rediit tempus, quo rex foret ipse peremptus,
Aut male detentus, sed militis ense redemptus,
Corpore stat sano, cuius & acta cano.
Quando sub arce poli, canis est adiuncta leoni,
Vt placet Ottoni castrum datur obsidioni,
Clausos lege fori iudicat Otto mori.
Dum media dormire die rex ipse soleret,
Et proceres somni requies hinc inde teneret,
Vir sedet in lauacro balnea rite gerens.
Rege soporato, citò prosilit hostis ab vrbe,
Vt perimant regem, cursum latitando perurgent,
Solus eos miles qui lauat, ille videt.
Ex lauacro saliens, clypeum rapit atq; mucronem,
Prævenit hostiles Ottone iacente furores,
Clamat, & ex more prælia dira mouet.
Regia pars crescit, timet hostis, & inde recessit,
Miles vt insequitur nudus, fera pugna calescit,
Aspicitur latè nudus, & acta patent.
Miratur Cæsar, nudum præcedere fortes,
Nam solum nudum cernit superare cohortes,
Laus equitis nudi grandis vbique fuit.
Mane sequente iubet equitem rex Otto venire,
Miles adire timet, ne si reminiscitur iræ,
Pristina culpa viri sit memoranda sibi.
Dumq; venit compulsus eques, rex hæc ait illi;
Nónne tuis manibus nostri periêre capilli?
Nónne furore tui barba pilata fuit?
Miles ait; Fateor, sederat mihi culpa remissa;
Non decet vt culpas iterum rex suscitet ipsas;
Securus venio rege vocatus ego.
Surgit in amplexus equitis mirabilis Otto,
Dicit ei; Gaudere meis te rebus adopto;
Regia facta geris, semper amicus eris.

De secundo Othone, Imperatore Romanorum, septuagesimonono ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 973, Otho secundus, magni Othonis filius, qui à Leone Romano pontifice fuerat coronatus, patri in Imperium successit, octogesimus quintus ab Augusto imperauit. Iste dũ Græcos incautè per Calabriam persequitur, amisso milite, de naui exiliés, natando euasit. Qui postea nono Imperij sui anno Romæ obiit, & ante ecclesiam sancti Petri in concha marmorea honorificam habuit sepulturam.

Tradunt de eo Romani, quòd ipse Otho, capta Beneuento, ossa sancti Bartholomęi inde asportauerit, & ea Romæ in insula Tiberis, quæ dicitur Lycaonia, in ecclesia quæ nunc vocatur sancti Bartholomæi, in concha porphyretica collocauerit, & postmodum easdem reliquias cum eodem sarcophago, per Tiberim in mare, & per mare in suam Franciam deducere cogitasset: eo autem morte præuento, reliquiæ Romæ sic remanserunt.

Item de eodem Othone secundo, Imperatore, versificè subnotamus.

Otto secundus adest, Romæ diademate functus,
Lætus Apostolicis manibus discedit inunctus,
Ius dedit Italicis vndique pace frui.
Rex vbi discessit, gens Itala bella capessit,
Iussio vilescit, procerum discordia crescit,
Regia delituit, pax quia nulla fuit.
Terra perit, gens pressa gemit, belloq; grauatur,
Rex venit iratus, concurrit ab Vrbe senatus,
Suscipit Imperij regia Roma caput.
Imperij vocat Otto duces comitesq; potentes,
Pontifices simul ecclesiæ recipit venientes,
Et queritur populos pace carere suos.
Iudicis officio numerat, quos culpa notauit,
Pœnaq; præcipitur ducibus condigna parari,
Vltio terribilis dira flagella parit.
Ante gradus Romæ mensas iubet Otto parari,
Multaq; circuitu iubet ordine scamna locari,
Et loca principibus vndique more dari.
Dum cibus astruitur, dum potus & esca paratur,
Dum proceres comedunt, dum lætior hora putatur,
Otto per armatos cingit vtrunque latus.
Præco iubet taceant, & ne quis ab hinc moueatur,
Qui loquitur, qui se moueat, gladio feriatur;
Turba timet procerum, terror vbique datur.
Crimina scripta ducum, quæ iusserat antè notari,
Ante suas mensas iubet Otto sibi recitari
Damnat & obtentos crimine lege pari.

Qui

Qui meruit, damnatur ibi pœna capitali,
Sanguine nobilium iam mensa potest maculari,
Otto sibi capita vult quasi fercla dari.
Humani capitis dum mensa cruore madescit,
Non minus antè datis rex imperat vndique vesci,
Mittit & ingratis fercula cocta satis.
Taliter alludit sceleri, sic corpora fudit.
Sic scelus excludit, sic pacis commoda cudit,
Sic sua pax viguit, sic reus acta luit.

De Othone tertio, Imperatore octuagesimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 984, Otho tertius, admodum puer, patri in regnum succedens, octuagesimus sextus ab Augusto, suscepit Imperium. Huius diebus Albertus episcopus Boëmorũ prędicans Prussis, martyrio coronatur.

Otho Imperator tertius, anno imperij sui 17, diem vltimum clausit, & Aquisgrani in ecclesia sanctæ Mariæ sepultus est. Duo isti posteriores Othones, quamuis breuitatis causa, de eis pauca dixerimus, tam feroces, tã mirabiles fuerunt, vt vnus, pallida mors Saracenorum, vel sanguinarius; alter autem Otho, Mirabilia mundi, solitus sit nuncupari. De isto tamen tertio Othone, quædam alia versificè describimus, quę in prędenti capitulo subnotamus.

Item de tertio Othone Imperatore, versibus subrogatur.

Est iuxta Mutinam, comitis domus, Amula dicta,
Imperij tunc obsequiis iussisq; relicta,
Qua vacat hospitiis crebrius Otto suis.
Corpore glorificum comitem, vultuq; decorum,
Dum regina videt, stimulis vrgetur amorum,
Et cupit hunc regis clàm violare thorum.
In vitium regina virum dum flectere credit,
Veste trahit comitem, tractus sine veste recedit,
Spreta dolens mulier, vota nephanda dedit.
Protinus ascito queritur regina marito,
Suggerit vt comitis caput amputet ense petito;
Crimine mentito credidit Otto citò.
Dum comes in culpa domina testante putatur,
Iam dolus astruitur, citò mors indigna paratur,
Nec locus insonti pandere vera datur.
Indicat vxori propriæ comes acta pudoris,
Dicens; opto mori, quàm regis abesse decori,
Se mihi prostituit fœmina digna mori.
Et quia delitui, fugiens luxum mulieris,
Iudicor ad mortem, mihi non licet acta fateri,
Tu mihi post mortem conscia testis eris.
Si dubium videatur eis, quod teste probabis,
Iudicio candentis eos ferri superabis,
Sic mihi post mortem gaudia fama dabit.
Vxor ait; Fuge quum poteris, ne sic moriaris;
Ille refert; Magis opto necem, quàm sons reputaris:
Qui fugit, ille magis suspiciosa trahit.
Dixit, & in fatum præcone trahente vocatur,
Insequitur comitissa virum, quia fraude nẽcatur,
Morte data comitis detulit ipsa caput.
Iudicij causas dum præcipit Otto parari,
Imperat & viduas celebri præcone vocari,
Hisq; piis studiis iura cupita dari.
Astitit occisum plorans comitissa maritum,
Et queritur, quia iudicium dat Cæsar iniquum,
Cui pro more loci nititur arte loqui.
Dicit ei; Dic, pœna reis quo iure paratur,
Si rupta quandoque fide vir fraude necatur?
Rettulit Otto; Caput perdere iure datur.
Intulit hæc; Tua te Cæsar sententia damnat,
Fraude meum iugulasse virum te crimine pandam,
Si vis iura coli, te decet inde mori.
Hæc tacuit; rex obstupuit, dicens mulieri;
Nescio quid quæris, neque vera tulisse videris,
Huius enim sceleris quis tibi testis erit?
Ecce caput comitis (dixit comitissa) paratum,
Fraude tua periit, proprium cognosce reatum,
Suscipe iudicium, te perhibente datum.
Rex ait; Iste comes, meruit pro crimine mortem;
Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem;
Rex parat ignita, fœmina vincit ita.
Dum laqueo iuris se conspicit Otto ligari,
Mira viri bonitas ratione potest superari,
Fœmineis manibus se finit ipse dari.
Dum regem comitissa tenet, dat regis honestas
Vt capitis sit plena sibi collata potestas,
Sic, vt & arbitrio stet, cadat ipse suo.
Cogitat illa modum, quo regem perdere possit,
Inducias tunc rex modicas pro tempore poscit,
Addunt & proceres cum pietate preces.
Innumeris precibus procerum simul & mulierum,
Regia vita decem spatio datur esse dierum,
Sic ratione verum fœmina vicit herum.
Iam decima veniente die, casumq; minante,
Otto redit, comitissa venit, quæ venerat antè,
Rex vbi dixit, Aue: rettulit illa, Caue.
Tollit eum comitissa reum, miranda leæna;
Dum trahitur, dum præcipitur succumbere pœnæ,
Fœmina victa prece distulit ipsa necem,
Distulit, & dixit: Ita nunc tristissima parco,
Vt post octo dies gladio sit pœna monarcho,
Sic data tunc vita pendula pendet ita.
Pace dies octo rediens dum perficit Otto,
Tunc precibus cum Principibus rursus petit octo,
Septima dat requiem post numeranda dies.
Septima prateriit, rursus cupit octo mereri,
Vt sex ipse dies habeat cum pace tueri,
Consilio cleri fœmina dixit, Erit.
Nec tamen illa dedit, nisi rex promitteret illi,
Quòd prius ignitis pereat regina fauillis,
Hoc vbi conuenit vita redempta redit.
Pro tribus induciis tribuit tria castra monarchus,
Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus,
Nomina castrorum nouimus atque solum.
Si cupis illorum confinia nosse locorum,
Climate Tuscorum, populus monstratur eorum,
Me quoque non latuit sæpe videre solum.

De secundo Henrico, scilicet Claudo, Imperatore Romanorum octuagesimo septimo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini millesimo primo, Othone tertio, sine hærede defuncto, Henricus Claudus, filius Hezilonis, natione Noricus, & dux Noricorum, id est Bauarorum, ab omnibus regni principibus electus, octuagesimus septimus ab Augusto, rex creatur.

Iste multis bellis prosperè gestis, in Germania, Bohemia, Italia & Apulia: postremò à Domino data sibi requie, quum esset christianissimus, episcopatum nobilissimum Babenbergẽsem gloriosè fundauit, & locupletauit. Regi quoque Vngarorum Stephano sorore sua copulata, tam ipsum Regem, quàm totum ipsius regnum vocauit ad fidem. Hunc Stephanũ omnes Vngari, vt sanctum venerantur, pro eo quòd per eum, initium fidei acceperunt.

Henricus Imperator piissimus anno regni sui vigesimo quarto; Imperij autẽ anno vndecimo, diem functus, in ecclesia Babenbergensi humatur: vbi sepulchrum eius crebris miraculis sæpe & manifestè ornatum tota illa prouincia magnificè veneratur. Cætera de ipso Henrico Imperatore, & de ciuitate & ecclesia Babenbergensi, ego qui ibi prima documẽta Grammaticæ artis didici, tanquam eorum alumnus, versibus explicaui.

Item de eodem secundo Henrico Imperatore Romanorum, Claudo: & de ciuitate & gloriosa eius Ecclesia, quæ vocatur Babenberg, id est mons Pauonis, versificè dicamus.

Bauaricus fluuius vulgò Radiantia dictus,
Norica rura fouens, varieq; vagando relictus,
Montis Pauonis vrbis amœna colit.
Nomine vulgato mons Babenberga vocatur,
Flumine crassatur, vicinaq; terra rigatur,
Ponsq; superstratus, cingit vtrunque latus.
Vrbs laudanda nimis, montis succrescit ab imis,
Indeq; sublimis fit turribus insita primis,
Montis in vrbe tamen culmina clerus habet,
Agmine murorum series præcincta domorum,
Exclusis laicis munitio fit dominorum,
Clericus illorum spernit adire forum.
Dogmate grammatico clerus solet ille beari,
Nullaq; vulgaris vox audet in vrbe sonari,
Sola solet cunctis lingua Latina dari.

De ecclesia Babenbergensi.

Ecclesiæ forma montis caput auget & ornat,
Grandis ibi norma cleri recidiua reformat,
Diuitiæ latè rebus & arte patent.
Otto pater patrum tenet ordine pontificatum,
Nobilium fratrum dilatat honore theatrum,
Ipse sacer, sacrum præstat, adæquat vtrum.
Fulget in ecclesia mirandi ponderis aurum,
Quò minus est Danais solitus persoluere Maurus,
Pallia purpurea quis numerare queat?

De monte Pauonis, & eius forma situq;.

Mons Pauonis habet colles sibi collaterales,
Tres quasi consimiles, vrbis quoque participales,
Ipse nitens medius, præminet absque pare,
Pulchrior illorum loca maxima dat monachorum,
Templaq; multorum reliqui dant canonicorum.
Quartaq; pars fluuio præbet vtrinque forum.
In crucis ergo modum posuit sibi Pauo colonum,
Qui veneretur eum, foueat celebretq; patronum,
Ipse suis famulis præbet ab vrbe bonum.
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur,
Vertice stat Iacobus, læua Michaël retinetur,
Fertq; secus fluuium virgo Maria decus.

De sepultura Cæsaris Henrici.

Cæsaris Henrici sancti, cognomine Claudi,
Lector opes audi, quo possunt munere claudi?
Hæc & maiora sunt sua multa bona.
Cuius & ossa bona sunt ad miracula prona,
Hoc opus, hæc dona sua contulit alma corona,
Vnde per ecclesias cantica digna sonant.

Babenbergæ author prius studuit.

Laude vacans ista, recolo mihi tempora prisca,
Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra,
Mens mea quæ didicit, reddit amica sibi.
Reddere non potui quantum, sed reddere quale,
Ecce meæ volitant alias properantius alæ,
Me vocat historia, Pauo beate vale.

Item de eodem Henrico Claudo laudes scribuntur.

Henrici Claudi meritum solenniter audi,
Cui decet applaudi, cuius metra porrigo laudi,
Sumptus ab arce soli regnat in arce poli.
Coniuge virginea virgo permansit & ille,
Catholicas dedit ecclesias numero quasi mille,
Pauperibus, viduis, spes, via, vita fuit.
Nunc & in altari sua cernimus ossa sacrari,
More salutari solennia digna parari,
Corpora debilium plurima sana dari.

De secundo Conrado Imperatore Romanorum, octuagesimo secundo ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 1020, defuncto Henrico Imperatore Claudo sine filiis, Conradus dux, natione Francus, consilio ipsius Henrici Imperatoris (cuius tamen gratiam non habebat) ab omnibus electus est in Imperiũ, octuagesimus secundus ab Augusto Octauiano. Iste ex matre, de primis Francorum regibus qui à Troio venerant, & à sancto Remigio fuerant baptizati, originẽ traxerat: & prædecessoris sui Henrici Imperatoris Claudi neptem

neptem, quam nolente Imperatore acceperat, vxorem habebat, nomine Gisilam, de genere Carolorum. Sicut illo tempore quidam per istos versiculos insinuauit:

Quando post decimã numeratur in linea quarta
De Carolo Magno processit Gisila prudens. (ta,

Ista Gisila primùm Arnulpho duci Sueuorum nupta fuit, & ex eo geminos peperit, Hernestum scilicet, & Hermannum; quo mortuo, accepit istum Conradum, de quo in præsentiarum narramus.

Erat itaque Conradus iste, armis strenuus, consilio prouidus, sapientia florens, peritus & iure ciuili & in religione Christiana deuotus. In principio regni sui dux Polonorum Boleslaus, quem prædecessor suus Henricus nouiter regno subiecerat, per seipsum rex vocari intendit, & ab Imperio diuidi omnino proponit; qui cum morte propositum præueniisset, Misiconem filium suum, successorem relinquit. Ille dum patrem imitari cogitat, & insuper fratrem suum Othonem à patria expulisset: Rex tam expulsum eius fratrem in patriam reducturus, quàm de contumacia Misiconis se & regnum vindicaturus, in Poloniam transit.

Misico quum non posset resistere, ad Vlricum Boëmorum Ducem, qui etiam tunc hostis Imperij erat, confugit. Quem cùm Vlricus regi reddere, & per hoc in gratiam cogitasset redire, Rex eum sub perfidia illiusmodi recipere contempsit. Misico autem accepto à rege ducatu Poloniæ, coronam quam pater eius sibi imponere contra imperiũ cogitauerat, Conrado resignauit, seq; ditioni suæ suppositit. Ipse verò Misico post hæc à suo armigero occisus est.

Ab illo tempore prouincia Polonorum imperio nostro soluit tributum. Conradus filium suum post se ordinat regnaturum, nomine Henricum, adhuc puerum: quo facto, Italiam ingreditur, ad quem Ernestus priuignus eius, dux, consilio matris suæ Gisilæ reginæ venit, & gratiam regis obtinuit, promittens se cum eo in Italiam transiturum.

Conradus Romam venit, & in die Paschali procedens inter duos reges, Cutonem scilicet Anglorum, & Rodulphum regem Burgundionum, auunculum Gisilæ reginæ suæ, à Ioanne summo pontifice est coronatus, & Imperij dignitatem, toto populo plaudente sortitus. Eadem hebdomada bellum inter rixantes Romanos & Teutonicos oritur. fugatis autem cæsisque ibi multis Romanis, Imperator triumphauit.

Conradus Imperator per montem Pirenęum in Franciam suam rediit, vbi cùm Ernestum priuignum suum ducem prædictum, regno rebellare iam velle audisset, viribus Imperij terra mariq; propulsum, in syluis cõuersari coëgit, vbi postmodum à fidelibus Imperij occisus fuit: cuius Ducatum frater suus Hermannus suscepit.

Eo tempore Radulphus Burgundię rex moriens, Henrico, filio imperatoris Conradi, nepoti suo, regnũ cum corona, aliisque insignibus, sub testamento reliquit. Vnde comes Celticus Otho asserens ad se regnum Burgundiæ, seu Lugdunẽsis Galliæ, pertinere, inuadit illud. Imperator ad hæc indignatus, cum exercitu in regnum illud intrauit, & Othonem ad deditionem coëgit, & omnes principes illos in suam fidelitatem suscepit.

Deinde populo Italiæ contra Imperium machinante, venit Mediolanum, captumque ipsius ciuitatis episcopum, qui factionis illius reus dicebatur, apud Aquilegiam in exilium misit, qui tamen postea clàm aufugit. Imperator Cremonam pergens, Romanum ibi obuium habet pontificem. Quo cum multo honore dimisso, ipse propter calorem ad montana secedit. Interea Otho comes, ruptis iuramentis, in Burgundia iterum rebellat, vbi à fidelibus Imperij occiditur, & vexillum eius, Imperatori, in signum victoriæ transmittitur. Conradus causa orationis Romam vadit; & inde in Apulia, multis ciuitatibus visis, per mare Adriaticum redire disposuit: vbi à distemperantia aëris principes multos amisit. Deinde reuersus in Franciam, ad ciuitatem Traiectum inferiorem peruenit; ibique infirmatus obiit, anno regni sui decimoseptimo, Imperij verò decimoquarto. Cætera de Imperatore Conrado secundo versibus exponamus.

Item de eodem Conrado Imperatore versificè narratur.

Dux erat ex villa quam ritè vocant Guebelingam,
Inclyta nobilitas regum generatur ab illa.
Militis officio summus in orbe suo.
Hostibus infesta fuit eius vbique potestas,
Magna ducis gesta fuerant, sed maior honestas,
Clarus in eloquio, dignus honore suo.

Henrici cognata fuit, quem iam memoraui,
Ipsaq́, pulchra ducem clandestina tunc adamauit.
Cuius & à gremio germina clara trahit.
Hanc rapuit, sponsam tenuit dux, pluribus annis,
Cæsareis tunc subiacuit pro tempore bannis,
Proscriptus latuit, damnaq́, longa luit.
Cæsar vt agnoscit sua proxima tempora morti,
Edocuit proceres, regem præferre cohorti,
Et simul inducit tradere regna duci.
Sic licet in bannis, inquit, proscriptus ab annis,
Hic valet à validis defendere regna tyrannis,
Et bene Romuleum continuare solum.
Rex claudus moritur, dux à dominis reuocatur,
Conueniunt proceres, vt rex alius statuatur,
Cum quibus hic iuuenis plebe petente fuit.

De Cuano duce & Iusoria voce eius pro rata accepta.

CVano dux erat summus inter Principes, sperans sine dubio Imperium obtinere; qui à cæteris principibus interrogatus; Quisnam ad imperium aptior videretur? Respondit quasi deriſoriè dicens: Nepos meus dux Conradus, videtur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc esse impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, vniuersi laudant eundem Cõradum, & eligunt eum: dux verò Cuano contrà dixit: sed tamen prævaluit electio vniuersorum. Tali autem modò tunc Conradus imperauit.

Item de eodem Cuano duce, & nepote eius Conrado.

Dux erat in patria præcelsus, nomine Cuno,
Ille procul dubio confidit habere coronam,
Sed de Conrado spes modò nulla sonat.
Consedere duces, electio vult agitari,
Conrado dux ille petit diadema parari;
Fraude quidem petiit, nec cupit illud agi.
Dum petit, hi laudant; laudantibus ipse resistit,
Sed prohibente duce regnum contraditur isti,
Vox ita fraudata stat ratione rata.

De edicto Conradi Imperatoris, & Lupoldi casu.

COnradus secundus Imperator nulli violatori pacis parcebat. Vnde comes Lupoldus violator pacis, timens occidi ab Imperatore fugit in syluam remotissimam, ibiq́ue cum vxore sua solus in tugurio latitabat. Contigit Imperatori è venatione sua fortuito casu illuc diuertisse, & ea nocte ibi mansisse. Vxor comitis eâdem nocte peperit masculum, quo vagiente, vox de cœlo ait: O Imperator, infans istè erit tibi gener & hæres. Hac voce tertia vice audita, surgit Imperator diluculo, & inuentis duobus suis famulis, dixit: Ite & occidite illum infantem. Qui euntes, accipiunt infantem, sed miserti ipsius, non occidunt, sed super arborem ponunt, atque relinquunt. Regi autem repręsentant cor leporis, pro corde infantis. Rex autem eos remunerauit. Transiens postea inde dux quidam, inuenit & deportat infantem, & adoptat eum in filium. Imperator longè pòst in domo Ducis videt puerum, & habet suspectum, ne sit ille quem præcepit occidi; & assumit eum quasi pro cliente, & præcipit vt ad Reginam literas suas portet, in quibus præcipiebat Reginæ, vt vilis literis statim faciat eũ occidi. Puer autem rem ignorans, pergit, & in domo sacerdotis cuiusdam hospitatur, qui ei dormienti literas subripuit, & aperuit; & visa ibi morte pueri, alias literas scripsit in hunc modum: Quum videris hunc puerum, ô Regina, statim da ei filiam nostram in vxorem, sicut diligis vitam tuam. Et istas literas reposuit in marsupium pueri. Puer nescius abiit; & ita filia Regis statim tradita est ei.

Item de eodem Conrado Imperatore, & de pace sui temporis, versibus explicamus.

Conradus pro pace duces deponit honore,
Et pacis sancita facit constare fauore,
Quisque ducum metuit, ne sibi pœna foret.
Vnus erat Comitum pacem violasse notatus,
Cui domus in latebris nemorũ clàm parua parabat;
Nam Regem metuit, dum latitabat ibi.
Vxor & ipse Comes, dum sic latuêre dolentes,
Regem Conradum videt ipse Comes venientem
Dispersis sociis solus & ipse fuit.
Hospitium petiit, quia vespera tetra coëgit,
Quæ possunt miseri referunt solatia Regi,
Quicquid equus voluit hospita larga dedit.
Filius est Comiti sub eadem nocte creatus,
Suscipiunt puerum forma specieq́, beatum,
Insomno Regi visio magna fuit.
Vox ait: Ecce tuus puer hic erit vnicus hæres,
Omnia percipiet quæcunque videris habere,
Hunc tibi tu generum posteritate feres.
Mane sub aurora rex pergit ad vlteriora,
Et dolet & plorat generum sic tollere lora,
Vt puer hic pereat cogitat absque morà.
Protinus ex nemore vestigia nocte sequentes,
Ecce canes famuliq́, manent, regem repetentes,
Mirantes dominum nocte periisse suum.
Rex vocat inde duos iuuenes, aliisq́, relictis,
Vtitur astrictis sceleroso pectore dictis;
Ite simul, pueri cor citò ferte mihi.
Dum puerum quærunt, curat Deus ipse tueri,
Nam puero pueri pietate volunt misereri,
Iudicio cœli saluificandus erit.
In manibus dum plasma suum tenuêre parentes,
Armigeri venêre viri puerum rapientes,
Vt medio nemorum vita relinquat eum.

In puerum dum respiciunt animus variatur,
Nam ridet quocunq; videt, risuq; precatur,
Ne cadat in fatum tam puerile caput.
Armigeri cùm iam puero cupiunt misereri,
Incipiunt quæ concipiunt ex ore fateri,
Respice natus heri, quomodo pulcher erit?
Unus ait; Concedo magis te viuere vita,
Quàm gladio tua parua meo sint membra petita,
Morteq; mentita tu remanebis ita.
Alter ait; Totum cupio dissoluere votum,
Ponamus puerum nemorum statione remotum,
Ne lupus hunc comedat nidificabo locum.
Signa tamen mortis qua calliditate feremus?
Ille refert, Canibus leporem campo capiemus,
Cor quoq; tollemus quo simulabo scelus.
Dixit; & ecce lepus iuuenum per crura resurgens,
Armiger insequitur clamando, canesq; perurget,
Sic pietate Dei victima fertur ei.
Arboris in ramo puerum lachrymando relinquũt,
Cor leporis demonstrantes mendacia fingunt,
Iuxta mandatum iam scelus esse datum.
Cæsar habet grates, & gaudia magna duobus
Præstat & ambobus sceleris pro munere robur,
Nam bene complacuit perditionis opus.
Contigit hinc transire Ducẽ quà nunc iacet infans,
Audit & obstupuit, pueri vox altius instat,
Quumq; videt puerum Dux citò tollit eum.
Suscipit infantem nimium ganisa Ducissa,
Noctis in obscuro dum cum Duce luderet ipsa,
Se queritur sterilem magna Ducissa fore.
Dux ait; Hunc puerum poteris ibi fingere natum,
Finge precor partum, de te fateare creatum.
Quippe manu Domini suspicor esse datum.
Annuit audito mulier formosa marito,
Hinc, ait, Exito, thalamo properanter abito,
Omnibus insinua me peperisse citò.
Sic ego de more partus simulabo laborem,
Tu dictis moderare meis, præstaq; fauorem,
Vt reputent puerum me generante fore,
Fama volat genuisse Ducem, peperisse Ducissam,
Aspectu facieq; puer formaq; patrissat,
Crescit, & inducit gaudia magna Duci.
Cùm puer Henricus quindenum scanderet annum,
Militis officio censetur honore leuandus,
Prorsus enim species corpus & acta placent.
Interea Rex ipse venit, puer astitit illi,
Forma recens, facies q; nitet, flauiq; capilli,
Dum quasi flos lucet, Rex vocat ipse Ducem.
Dic mihi, quis puer est? Meus est, dux intulit illi;
Cæsar ait; Totus forma simulatur Achilli,
Hunc (ait) obsequiis continuabo meis.
Dux ait; Oro pater, tenero nunc parcite nato,
Cùm fortis, cùm miles erit, iuuenem reuocato,
Vt vacet obsequio tunc meliore dato.
Dum pater implorat, dum sic retinere laborat,
Rex ferus euacuat penitus quacunq; perorat,
Atq; sibi puerum detulit absque mora.
Anxia mens Regis iuuenem solerter adegit,
Quis pater aut mater sibi sit, narrare coëgit,
Sum Ducis, ille refert, me ducis aula regit.
Rex quia iam sterilem cognouerat esse Ducissam,
Æstimat enixa puerum quia non foret ipsa,
Et quia sic dubitat, noxia corde parat.
Nam putat hũc puerum quem iusserat antè necari,
Hunc & ad Imperij metuit diadema vocari,
Vnde citò puero morte pericla parit.
Ipse manu propria properat cùm scribere cartham,
Qua puerum portare necem sub fraude coarctat,
Fit puer Urias arripit ergo vias.
Fertur Aquisgrani septem properasse diebus,
Ipse caret sociis, nec abundat ad omnia rebus,
Presbyter hunc recipit vt iubet ipse Deus.
Fessus & esuriens scamno capit iste soporem,
Presbyter aspiciens iuuenem fulgere decore,
Prandia disposuit delicioſa fore.
Charta boni pueri bursa retinente pependit,
Presbyter hanc aperit, & eam cognoscere tendit,
Fortè necem pueri quàm citò cernit ibi.
Presbyter vt potuit pueri perpendere mortem,
Protinus in melius satagit conuertere sortem,
Noxia rasit abhinc, hæc bona scripsit ibi.
Hæc regis dum scripta legis Regina, videbis
Hunc puerum, facies generum, charumq; tenebis,
Si dare distuleris, hostia mortis eris.
Mane puer surgens ait; Hospes chare valeto,
Ille refert; Domine famulum me semper habeto,
Rex mihi cùm fueris tunc memorare peto.
Risit ad hæc iuuenis, risumq; fuisse putauit,
Versus Aquisgranum festinus iter peragrauit,
Nescius in scriptis quid sibi charta parit.
Aspiciens Regina, videt iuuenem venientem,
Miratur formam, faciem, vultumq; nitentem,
Mox puer vt venit, regia scripta dedit.
Ipsa legit, sed lecta tegit, secreta reponens,
Nata videns, vagabunda silet, perhibente rubore,
Mater eam citius cernere scripta monet.
Regia mandata nimio perplexa rigore
Lecta, docent dominam regis metuisse furorem,
Et species iuuenis hæc peragenda monet.
Non erat vt possent Regis præcepta negari,
Curia dat iuueni thalamum de more parari,
Filia præcipitur quàm citò sponsa dari,
Altera post pauca regis data littera, quærit,
Si iussis Regina suis reuerenter obedit:
Illa refert; Cuncta perficienda dedi.
Aspera scripta quidem, te præcipiente, relegi,
Sed quia pertimui citò contradicere Regi,
Omnia contribui quæ tua charta vehit.
Nata maritata, sponsalia sunt celebrata,
Curia lætata, solennia magna parata,
Filia nostra parem gaudet habere marem.
Legit & obstupuit reputans hæc omnia Cæsar,
Vrget equos, festinat iter, cursumq; coæquat,
Commotusq; satis sede resedit aquis.
Filia cum matre procerum turba comitante,
Astitit, & generum præfert, quem prætulit antè,
Sponsa manu sponsum ducit amanda suum.
Turgidus ille sedens, quid agat, quid dicat in illam,
Nescit, & intumuit, ardensq; furore fauillat,
Stant furor & ratio pectore tusa suo.
Ira, furor cordis, contraria stant rationi,
Obuiat & ratio socia pietate furori;
Stans gener in medio credit abinde mori.
Filia cum matre feruente patris feritate,
Plena timore tacet, vultu variante minacem,
Mors & vita simul Regis in ore latent.
Ira recens inferre necem pœnamq; laborat,
Parce pater, differre placet, natura perorat,

Natura precibus vincitur absque mora.
Dum grauis in Rege fieret luctatio mentis,
Obtinet in causa ratio, fugit ira potentis,
Respicit vxorem latus vt ante solet.
Dicit ei; sancita Dei nequeunt vacuari,
Quod volui, iam non potui, Deus ipse negauit,
Quæ Deus instituit, nos patiemur, ait.
Vxor ad hæc instat; Deus (inquit) contulit istâ,
Prorsus ab humana cœli sapientia distat,
Hæc sunt acta Dei, mens tua cedat ei.
Si generum tamen ingenuum natura notaret,
Nec fortuna mihi, neque filia damna pararet,
Si secus est genere, gaudia nulla daret.
Cogitur hinc Regi Dux insinuare quod egit,
Inde duos iuuenes verum recitare coëgit,
Compulit & Comitem quem Nigra sylua tegit.
Dum Comes adductus credit sibi crescere luctus,
Cognitus esse pater, recipit pro tempore fructus,
Nam gener Imperij filius eius erit.
Cæsar vbi potuit de nobilitate doceri,
Pace frui regis valet & gener ipse mereri,
Iste mihi socius & gener (inquit) erit.
Quumq; videt quòd & ipse fidem puero violauit,
Plaudit ei quem dextra Dei seruauit, amauit,
Tu gener imperij, tu mihi natus, ait.
Rex cadit in fatum, regis gener ille vocatur,
Ordine laudatur, socero gener associatur,
Sic rota fortunæ rem variasse datur.
Ille locus nemorum quo vir fuit ille creatus,
Nobilis ecclesia monachis Hirsaugia vocatur,
Magna Creatori nunc ibi pompa datur.

De tertio Henrico Imperatore, filio Conradi secundi Imperatoris, octuagesimo tertio ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo, Henricus tertius suprà memoratæ Imperatricis Gisilæ filius, qui cœperat patre viuente regnare, patre mortuo, ab Augusto octuagesimus tertius cœpit imperare. In ipso dignitas imperialis, quæ per longum tempus extra Carolorum genealogiam deducta iã exulauerat, ad nobilissimum germen Carolorum, per matrem eius Gisilam, est reuocata.

Iste Henricus, patri suo æqualis in virtutibus, & præcelsior fuisse perhibetur. Primò quidem Bohemorum Ducem, Imperio tunc offensum, in deditionem accepit. Petrum autem regem Vngarorum à regno expulsum & exulem suscepit; atque inserto prælio cum Vngaris, innumerabilem eorum multitudinem fudit: Pannoniamq; ingressus, Petrum ipsum regno suo restituit. Accepit postea nobilissimi principis Galliarum, Pictauiæ & Aquitaniæ ducis Wilhelmi, sororem, Agnetem, in vxorem. Cumque more regio apud Ingelheim nuptias celebraret, vniuersos iocu-
latores abire permisit inanes; atque ea
omnia quę eis fuerant largienda, paupe-
bus dedit.

Circa idem tempus in ecclesia Roma-
na est confusio grauis exorta, tribus inua-
soribus sedem illam occupantibus. Quo-
rum vnus, Benedictus vocabatur. Atque
ad maioris miseriæ cumulum, diuisis in-
ter se patriarchiis, earumque reditibus,
vnus apud sanctum Petrum; alter apud
sanctam Mariam Maiorem; tertius, id est
Benedictus, in palatio Lateranensi sede-
bat. Omnes vitam turpem (vt accepimus)
& flagitiosam habebant. Tunc quidam
presbyter, nomine Gratianus, Ecclesiæ
Dei in tanta confusione compassus, præ-
fatos viros adiit, eisque à sancta sede cede-
re, pecunia persuasit. Benedicto, qui inter
illos maioris videbatur authoritatis, re-
ditibus Angliæ, pro pacis compositione,
relictis. Propter quod, Romani eundem
Gratianum presbyterum, tanquam eccle-
siæ liberatorem, ad summum pontificium
communiter elegerunt, eumque Grego-
rium septimum vocauerunt.

Imperator his auditis, Romam perge-
re festinauit. Cui Gratianus apud Sutrium
occurrit, eique coronam preciosam, ad
captandam eius beneuolentiam, donauit.
Imperator eum tunc benignè suscepit, sed
postmodum collecta synodo, propter no-
tam simoniæ, cedere persuasit; eique Sui-
degerum Babenbergensem episcopum,
consensu ecclesiæ substituit; quem etiam
Benedictum placuit nominari.

Extunc canonica electio Romanorum
pontificum vsq; adeò suffocata fuisse nar-
ratur, vt iste Benedictus & Aldibrandus &
alij quatuor sequentes, ab Imperatore con-
stituti in catalogo Romanorum pontifi-
cum scripti reperiantur. Qualiter autem
Ecclesia Dei partim sub Leone iuniore,
ad plenum verò sub Alexandro, liberam
electionem rehabuerit, sicut probatorum
virorum assertione didicimus, postea au-
tore Domino referemus. Cætera de Hen-
rico tertio versibus explicamus.

De eodem Henrico tertio.

Henricum dixêre Nigrum, barba nigricante,
Romuleum tulit Imperium Papa mediante,
Prospexit populis cum probitate suis.
Teutonicus dictus tunc Papa fuit Benedictus,
Romanis qui principibus cum pace relictis,

Ad patriam rediit, nobilis vnde fuit.
Curia Romana pariter cum Cæsare pergit,
Copia Teutonica digno moderamine seruit,
Urbeq; Wormatiæ fit sibi prima quies.
Pluribus alloquiis cum Cæsare Papa vagatur,
Papa loco moritur qui Babenberga vocatur,
Tunc Leo Teutonicus Papa recepit onus.

De quarto Henrico Imperatore Romanorum, 84 ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 1047, Henricus quartus, rex victoriosus, Romæ in die natalis Domini, à Clemente Papa coronatus, 84 ab Augusto, Imperij nomen dignitatemq; susceptit. Inde per Apuliam ducto exercitu, ad patriam cũ honore reuertitur.

Eodem anno, mortuo Sguidegero, id est Clemente Papa, Popio Aquileiensis patriarcha, in locum eius Romæ subrogatur. Non multò pòst, rex Vngarorum Petrus, à quodam suo cliente, nomine Andrea, oculis regnoque priuatur. Tunc mortuus est Popio, id est Damasus Papa. Cui Bruno Tullensis episcopus, id est Leo Papa, Romæ succedit. Ille nobili Francorum prosapia oriundus, authoritate Imperiali ad sedem beati Petri fuerat destinatus: qui cùm assumpta purpura per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi Aldibrandus Papa suprà memoratus, Prioratus officium ministrabat. Ipse eum adiens, æmulatione Dei plenus, constanter de incepto redarguit: illicitum asserens, summum põtificem per manum laicam ad gubernationem vniuersalis ecclesiæ introire. Veruntamen (inquit) si meis consiliis te credere volueris, efficere poteris, quòd neque Regis animum exacerbabis, neque sanctæ ecclesiæ auferes in electione pontificis, libertatem. Inclinatur ille ad admonitionem Aldibrandi Prioris, & purpuram deponit, & habitum peregrini assumit, & iter arripiens, eundem Aldibrandum secum deducit. Igitur cùm ambo Romam simul venissent, consilio Aldibrandi Bruno in summum pontificem eligitur. Qua causa, Romana ecclesia qualitercunque tunc cœpit ad electionem sui pontificis nouiter informari.

Interea Imperator ingressus Belgicam, Gotfridum & Balduinum Duces ad deditionem coëgit. Post hæc, synodus Moguntiæ celebratur, in præsentia ipsius Papæ Leonis, & Henrici quarti, Imperatoris.

Ad hæc, Imperator aduersus Andream, qui (vt suprà narrauimus) dominum suum Petrum, Regem Vngarorum, oculis regnoque priuauerat, exercitum mouet, & Pannoniam ingreditur. Sed incolis terræ vndique latitantibus, cunctisque Vngariæ victualibus vel absconditis, vel contaminatis, aut veneno infectis, exercitum illic sustentare non valens, Pannonia deuastata, reuersus est. Item sequenti anno Pannoniam hostiliter aggrediens, Leonẽ Papam secum deducit, & Andream fugauit, atque omnia feliciter ordinauit.

Terra Roberti Guiscardi in Apulia.

EO tempore gens Normanniæ consurgens, sub Roberto Guiscardo, viro strenuissimo, & magnæ recordationis Duce, Apuliam ingreditur, vbi incolas terræ, variis modis, nunc potentia, nunc dolo & fraude afflixit. Quos dum Leo Papa, Romam cum militia à Gallia rediens, incipit coërcere, & ab Apulia intendit expellere; cõserto cum eis prælio, multisque prostratis, victus cogitur fugere Beneuentũ. Tanta autem ibi ex vtraque parte cecidit multitudo, vt aceruus ibi postea factus ex ossibus mortuorum, vsque hodie ab indigenis soleat viatoribus ostentari.

Anno extunc proximo Papa Leo moritur, & in ecclesia sancti Petri sepultus, miraculis coruscare monstratur. Cui succedit Gebehardus Æstetensis episcopus, qui Victor Papa est nominatus. Illi quoque successit Stephanus, Teutonicus natione.

Imperator rursus Italiã ingressus, comitissam Beatricem, matrem scilicet comitissæ Mathildæ, consanguineam suam, viduam Bonifacij marchionis, secum deduxit.

De recuperatione sancti sepulchri, anno Domini millesimo sexagesimoseptimo.

DEfuncto Gregorio 7, Papa apud Salernum, Gilberto autem Romæ per Imperatorem cathedram & Vrbem possidente, pauci Romani propter metum Imperatoris abbatem Desideriũ de monte Cassino, inuitum ad papatum traxerunt: qui etiam dato precio custodibus occultè, qui ciuitatem Leoninam custodiebant, sub silentio noctis eum apud sanctum Petrum in cathedram posuerunt, &

Victorem eum nominauerunt. Ipse verò fluxu ventris statim detẽtus, vitam finiuit. Cuius loco episcopum Hostiẽsem Othonem, id est Vrbanum Papã constituerunt.

Eodem tempore ciuitas Hierusalem à Paganis conculcata erat, atque detẽta. Sepulchrum autem Domini ab eis quæstus causa venerabiliter habebatur, viuẽte adhuc Imperatore Hẽrico quarto, & Alexio rege Græcorum. Tunc præfatus Vrbanus Papa, propter miseriam Hierosolymorum transiens in Galbas, ad defensionem sancti sepulchri Christianorum arma commouit, atq; ex diuersis nationibus centum millia hominum ad arma collegit: eisque Duces subscriptos præfecit, Ducem Lotharingiæ Gotfridum de Boillon, Comitem sancti Ægidij, Reinmundum comitem Flandriæ, Robertum & Hugonẽ fratrem Philippi Regis Francię. Curã autem omnium eorum in Christo episcopo Podiensi commisit. Rumores istos alij Christiani audientes, ex omnibus regionibus & linguis & insulis Christianorum homines cum inæstimabili multitudine affluxerunt. Asserentes se Apostolos, & prædicatores Christi esse, atq; aduersus inimicos crucis Christi pugnatores.

Gotfrido igitur duce, per Bulgariã cum magna difficultate Cõstantinopolim peruenerunt, vbi multum dolum & impedimentum à Rege Alexio perpessi, cõmissa cum Græcis pugna Pontẽ vrbis regiæ expugnant, & transeuntes suburbiũ succendunt. Ibi recensitis trecentis millibus bellatorum, in Nicenã turrim quondã Christianorum venientes, eam à paganis expugnauerunt, & Imperatori eam dederunt. Deinde per maritimam Rutenorum progressi, tantam rerũ abundantiam inuenerunt, vt bos pro siclo, & aries pro nummo, teste Roberto Comite, venderetur. Principes etiam Saracenorum sibi occurrẽtes bello presserunt. His elati successibus, obsidione Antiochiam cingunt, vbi per nouem menses morantes, deficientibus copiis, & exercitu debilitato, valde humiliati sunt. Deus autem eorum misertus, vrbem cum omni copia Turcorũ tradidit in manus eorum.

Cùm igitur rumor eorum vniuersũm Orientẽ terreret, rex Babyloniorum dirigit ad eos legatos, poscens confœderationem eorum in dolo: cum quibus legatis, pergunt in Babyloniã legati Francorum, & honorificè susceptis, dum proceritas & pulchritudo eorũ aspicitur, dum virtus & magnanimitas ipsorum cõsideratur, dum magis esse quàm homines ab illius terræ indigenis asseruntur. Rex Babyloniæ, acceptò à suis consilio, mouet illicò exercitũ, & Hierusalem cingit obsidione, dicẽs eis se cum Francis fœdus & amicitiam cõtraxisse; cum quibus etiã eos vellet destruere, nisi se & vrbẽ Regi Babylonię subditos exhiberent. Turci itaq; vrbẽ tenẽtes, propter metũ Christianorum, se & vrbẽ in manus Regis dederũt. Qui eiectis omnib. Turcis, vrbẽ cũ Saracenis muniuit. & sic Christianorum proposituũ suo ingenio præpedituit.

Inter hæc Christiani, capta (vt diximus) Antiochia, quia Deũ nõ dignè glorificare videntur, tanta cinguntur multitudine Saracenorum, vt priorem vbertatem fames tam intolerabilis sequeretur, vt etiam vix ab humanis carnibus abstinerent. Respiciens autem Dominus populi sui cõtritionem, lanceam qua Christi sanctissimum latus legitur perforatum, in locis illis per reuelationem eis monstrauit; cuius virtute Christiani confisi, quamuis debiles & famelici, cum Saracenis bellum cõmittunt, fusisq; viriliter omnibus non sua, sed Christi fortitudine, hostes vicerunt. Inde procedentes in Syriam, Barram & Martam vrbes ceperunt: vbi moram facientes, tanta iterum inopia narrantur attriti, vt etiam humana corpora fœtida, famelici aliqui deuorarent. Post hæc, ad ciuitatem sanctam iam à Saracenis inhabitatam atque munitam, acies direxerunt. Quam obtẽsam, cùm capere non possent, habito religioso consilio, Christum humilitatis magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur in die, quæ dicitur diuisio Apostolorum, ciuitas capitur; & hostes ibidem comprehensi, tanta sunt occisione prostrati, vt in porticu Salomonis sanguis occisorum vsque ad nostrorum equorum genua peruenirent. Ex tunc ciuitas Hierusalem vsque nunc, authore Deo, à nostris possidetur.

Porrò admiratus* Babyloniorum, qui & rex Mempheorum & Alexandrinorum vocatur, apud Ascalonam manens, innumerabilem collegit exercitum, tanquam Hierusalem & Antiochiam, per suam potentiam recepturus. Legatos autem Francorum adhuc in Ascalona apud se retinebat. Ad hæc Christiani, sarcinis suis & infir-

firmis in Vrbe relictis, exercitui Babyloniorum in campo occurrunt. Cumq; infinitam hostium multitudinem conspexissent, fusis ad Dominũ precibus, cum paucis contra hostes procedunt. Et mirum in modum per diuinũ auxilium, cum quinq; millibus equitum, & quindecim millibus peditum, Saracenorum centum millia equitum, & trecenta millia peditum, vertere terga compellunt, & spolia immẽsa diripiunt. Ceciderũt ex Saracenis in eo prælio plus quàm centum millia gladio extincti, sed circa portã Ascalonæ ducenta millia in introitu ciuitatis sunt suffocata. Innumeri quoque submersi & spinis irretiti, periisse referuntur.

Peracta victoria, principibus ad propria remeantibus, dux Gotfridus exercitum qui remansit, strenuè sapienterque conduxit. Ipse etiam Romanos & Teutonicos inuicem sæpe ob inuidiam rixantes, tanquam vtriusq; linguę peritus ad pacem & concordiam, vt simul cõmanerent, suis studiis salubriter informauit. Interea Vrbanus Papa, qui vltra mare exercitum direxerat, celebrato cõcilio apud Clarmontem, Romam reuertitur, & Gilbertum qui per Imperatorem cathedram Romę tenebat, ab Vrbe expellit: sola illi domo Crescentij, id est castello sancti Angeli remanente. Inde cathedra sua recepta, egressus ab Vrbe, Apuliam, Calabriã atq; Siciliam peragrauit: vnde quàmplurima collecta pecunia, Romam reuersus, custodes castri Crescentij pecunia corrupit: atq; in hunc modum expulso Gilberto, ad vltimũ tam Vrbe quàm cathedra liberè potitur. Ipse paulò pòst in fata concessit, & cathedram Paschali Papæ reliquit.

Interea Christianis ad sanctum Domini sepulchrum confluentibus, dux Gotfridus in Hierusalem moritur; eiq̃ Balduinus frater eius ibidem subrogatur, & autoritate summi Pontificis Rex appellatur. anno Domini 1100.

Eo tempore quo primus Balduinus factus est Rex Hierusalẽ, Gilbertus moriens, horribilissimo schismati, tãquam Ægypti densissimis tenebris, finem imponit.

Anno sequenti Conradus, filius quarti Henrici Imperatoris, cui pater Italiã commiserat, obiit, anno scilicet 9, ex quo à patre discesserat, & in ciuitate Florentia honorificè sepultus est. Post hæc Imperator, pater eius, apud Moguntiam natiuitate Domini celebrata, Henricum filium eius, qui fuit quintus Henricorum, regnaturum post se, principibus assignauit: seque Hierosolymam iturum deuouit, & publicè pronunciauit. Anno secundo iterum apud Moguntiam Imperatore existente, Henricus filius eius contra eum rebellionem molitur apud Ratisbonam, consilio Bauarorum, habens occasionem, quòd pater excommunicatus à Rom. pontifice haberetur. Assumptisque principibus, Saxoniam contra Imperium facilè commouendam intrauit, vbi apud Quintlineburg vniuersos Saxones suæ voluntati coniunxit.

Tunc Ruthardus, Moguntinus archiepiscopus, à sede sua diu per patrem Imperatorem expulsus, filio eius Henrico quinto adhæsit, & apud villam Northusen concilio celebrato, Imperatorem tanquam simoniacũ condemnauit. Item Henricum Magdeburgensem electum; sed ab Imperatore reprobatum, consecrauit. Inde in Moguntiam per auxilium filij redire proposuit. Sed pater in Moguntia cum militia manens propositum præpediuit. Post hęc filius castrum Noricum, id est Nurenberg, expugnauit.

Item de eodem Henrico quarto, Imperatore.

HEnricus quartus cùm esset puer, mortuo patre, sub custodia matris suæ Agnetis Imperatricis fuit; quę aliquãto tempore prudenter Imperium rexit. Postea filius consilio lasciuantium à matre alienatus, per se cœpit regnare. Hæc discessio maximæ discordiæ seminarium fuit. Imperatrix aspiciens iniquas rerum mutationes, cum fluctibus turbationis nollet inuolui, religiosam vitam elegit, & ad monasterium Fructuariense se transtulit. Inde postmodum Romam pergens, ibiq; aliquantam moram faciens, vita decessit, & in ecclesia beatę Petronillæ, in tumba marmorea honestè sepulta est.

His diebus Alexander, primò Lucensis episcopus, postea communi voto & electione promotus in summum Pontificem, ecclesiam Romanam, diu iam ancillatam, in pristinam libertatem reduxit. Nam Cadulum Parmensem episcopum, Romanam sedem armata manu occupare volentem, constanter repressit. De isto Cadulo & de isto Alexandro scriptus est

versus in camera Lateranensi:

Regnat Alexander, Cadolus cadit, & superatur.

Itaque Imperium Henrici in seipsum diuiditur, & conspirantibus Saxonibus rebelliones fiunt. Detractiones & inhonesta plurima de Imperatore ad aures summi pontificis referuntur. Hanno Coloniensis archiepiscopus, & Germanus Babenbergensis episcopus, Romam mittuntur. Qui peracta legatione reuertentes, literas apostolicas Regi assignant, per quas ad satisfactionem de simonia aliisq; enormitatibus commonetur. Eodem tempore Saxones manifestè rebellant, & vrbes & castella quæ Rex in Saxonia construxerat, auferunt, & omnino subuertunt.

Anno secundo Alexander Papa decedit, & Aldibrando archidiacono suo, qui Gregorius septimus fuit, apostolatum reliquit. Quod quia sine Imperatoris concessione actum est, schisma grauissimum narratur exortum. Ipse itaque Gregorius Papa ad simoniam extirpandam, & clericorum incontinentiam reprimendam intendens, Imperatorem ipsum ad synodalia pro huiusmodi frequenter vocauit. Connubia clericorum, à subdiaconatu, & suprà, per totum orbem Romanum, edicto decretali, in æternum prohibuit, ac seipsum athletam Dei pro domo Domini murum constituit.

Imperator Saxones bello petit, & iuxtà fluuium Hunstrot bello incerto, cęsis hinc inde quàm pluribus, cruentam victoriam vix obtinuit. Cecidit ibi Gebehardus pater Ducis Lotharij, qui postea imperauit, & Ernestus pater Alberti marchionis.

Eodem anno Wilhelmus comes Normanniæ, maiorem Britanniam, quæ nunc Anglia nuncupatur, expugnauit, regemq; ipsius Eraldum occidit. Deinde Normannis ibi positis, totaq; prouincia in seruitutem redacta, ipse ibi regnauit.

Anno sequenti, Imperator accepit vxorem, filiam Othonis marchionis Italici, nomine Bertam. Papa tantùm Imperatorem excommunicauit; eiusque consilio Saxones sibi Rodulphum regem creauerunt; quo postea in bello occiso, & Herimanno principe Lotharingiæ sibi substituto, ipse quoque citò interficitur. Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem à Romano pontifice excommunicatum, aut Imperio priuatum: nisi fortè illud pro excommunicatione reputetur, quòd Philippus primus Christianus Imperator, ad breue tempus à Romano pontifice inter pœnitentes legitur collocatus. Aut illud quod Theodosius, ob cruentam hominum cædem à liminibus ecclesiæ legitur sequestratus.

Interea Gregorius Papa septimus, potentia Imperiali ab Vrbe pellitur. Cuius loco Gilbertus Rauennas intruditur.

Item de eodem Henrico quarto, versibus subnotatur.

Henricus quartus Guebelingo semine surgens,
Regna per Italiam multa feritate perurget,
Vt tribuant Domino digna tributa suo.
Omnia dum recipit quæ rapta vel aucta putauit:
Romani bona pontificis plerunq; grauauit,
Papa dolens factis, non patiemur, ait.
Cur petat illicitum Cæsar, citò Papa requirit,
Ecclesiæq; bonis qua vult ratione potiri?
Pax mea iam periit pro feritate viri.
Despicit Henricus Papæ quamcunq; querelam,
Nec cupit ecclesiam aliqua placare medela:
Nanq; potens armis cordeq; magnus erat.
Inuidia fertur nimia potuisse notari,
Et nimia feritate sua nequam reputari,
De quibus exempla pagina pauca dabit.
Si probitate virum, vel equum pollere putaret,
Eius ad interitum quæ posset iniqua pararet,
Insidias mortis fraude doloq; daret.
Miles erat regi speciosus, & altus honore,
Ille datur nudo pugno mactasse leonem,
Militis officio summus in orbe suo.
Hunc videt inuitus rex, insidiator iniquus,
Inuidus Henricus probitatis atrox inimicus,
Cuius ab insidiis deperit ille citò.
Fertur eques regi talis quandoq; fuisse,
Cui virtute parem nullum natura dedisset,
Hic in aquis Rheni rege iubente perit.
Praua per Imperium dum regia fama notatur,
Ira mouet proceres, gens Teutona tota grauatur,
Et dolet Imperium turpe fouere caput.
Curia Francorum collecta simul dominorum,
Crimina gestorum regis condemnat eorum,
Expertumq; volunt iam reprobare dolum.
Nunc ab Apostolico procerum sententia quærit,
Si princeps scelerum rex iure potest remoueri,
Papa refert; meritò destituendus erit.
Gregorius Papa nunc septimus extat in Vrbe.
Post venit Vrbanus, qui regia facta perurget,
Fert quoq; Paschalis tempora plena malis.
Henricus male sortitus sit ab hinc anathema,
Rodulphus cum Saxonibus tulit hoc diadema,
Cum quibus ecclesia regia iura premat.
Iunctaq; Saxonibus consentit & inclyta Roma,
Aurea Rodulpho transmittitur inde corona,
Bella per Imperium multiplicata tonant.
Scriptus & insertus fuit in diademate versus,
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho;
Hæc ita Saxonibus missa corona datur.
Sede Moguntinus tunc præsul in ordine primus,
Extitit Albertus, sæuus, feritate ferinus,
Nec tamen ingenio vel probitate minor.

Hic

Hic super Henricum magis omnibus est inimicus,
Sic & Agrippinus præsul, celebris Fridericus,
*Alberto * de Treueri, sit grauis hostis ei.*
Vndiq; conspirant, veniunt certamina mira,
Signa, pares Aquilæ, veniunt ad prælia dira,
Saxo tribus vicibus Marte repressit eum.
Pugna redit quarta, regem male saxo coarctat,
Nam quasi iam parta fuerat victoria quarta,
Ast vbi bella gerit rex nouus ense perit.
Dum fugit Henricus, comitum fugiente caterua,
Miles ei signum media statione reseruat,
Dicens; Quò graderis, respice, victor eris.
Hoc ego Rodulphum gladio tibi dico peremptum,
Rex negat euentum, sed eum trahit ille retentum,
Rex vbi fata gemit, publica fama venit.
Miles ait: Surge, tua gloria magna resurget,
Saxo fugit, quia rex cecidit, tu curre, perurge,
Dum tractus rediit victor & ipse fuit.
Nec tamen vt viuit, victorem pœna reliquit,
Mortibus addici regem faciunt inimici,
Filius eius ei tollere regna sitit.

Henricus iunior tollit Imperium aduersus patrem suum.

Efficit ingratus præsul procerumq; senatus,
Patris ad interitum quod habet diademata natus,
Ex ope Pontificis omnia posse ratus.
Fit pater vt fuerat sub præsule rex anathema,
Filius erigitur Henricus habens diadema,
Et studet vt penitus iura paterna premat.
Pellitur ergo pater, nimia procerum feritate,
Nec penitus natus patris caruit pietate.
Leodij genitor pauper inopsq; latet.
Henricus Magnus, numero quartus reputandus,
Quinquagintaduos vitæ perfecerat annos,
Bella quibus nati fertur amara pati.
Tunc obiit, tunc Leodij voluit tumulari,
Canonici studuêre sui corpus venerari,
Moreq; regali condere membra lari.
At quia rex voluit viuens anathema mereri,
Papa caput cleri iubet hinc corpus remoueri,
Cunctaq; Leodij mox anathema ferit.
Pellit & à sacris corpus, rebus variatis,
Filius ossa patris doluit fore cum sceleratis,
His citò sublatis longius ire facit.
In patriam Spiram quæ Rhenica littora gyrat,
Ossa patris minat, nimium commotus in iram,
Aphra capella fuit quæ patris ossa tulit.
Rex ita translatus, feretroq; nouo reseratus,
Quinque reseruatus annis fuit intumulatus,
Omnibus ingratus, ludibrioq; datus.
Hoc genus horroris nato sit causa doloris,
Tempora mœroris renouat feretrum genitoris,
Pulsus ab ecclesiis dum iacet ipse foris.
Sacra sepultura Papa prohibente negatur,
Annulus & baculus nisi Papæ restituatur,
Cum quibus ecclesias vendidit ille suas.
Vendidit ille, quia raro caruit simonia,
Quæ nota ne fiat, vetuit diuina sophia,
Papaq; mente tali tollere prorsus hiat.
Henricus verè defuncti Cæsaris hæres,
Amodo Pontificum baculos prohibetur habere,
Hoc etenim fieri regula nulla feret.
Vendere Pontifices non possunt amodo reges,
Illud enim sacræ prohibent per secula leges,
Expedit vt Simonis crimina quisq; neget.
Henricus quintus tunc incidit in labyrinthum,
Hoc laqueo cinctus, foris est arctatus & intus,
Ecclesiæ cedit, dona coacta dedit.
Hæc duo duntaxat Cæsar repetita relaxat,
Ecclesias passas rabiem, non amodo quassat,
Guerra dedit requiem, pax rediuiua placet.
Annulus & baculus papalia iura sequuntur,
Sic & ab Imperio meritò mundana reguntur,
Iura coæquata stant ratione rata.
Sacra sepultura nunc Cæsaris est valitura,
Aurea structura patris est, dans gaudia plura,
Sanctaq; Spirea membra recondit ea.

Normanni inuadunt Apuliam tempore quarti Henrici Imperatoris.

Henrici quarti dum gloria vergit ad imum,
Sentit & Apulia Normannica prælia primum,
Vincitur & Calaber nunc, Siculusq; sinus.
Dux ibi Normannus Willelmus primò notandus,
*Postq; * Robertus magnus Viscardus adest memo-*
Cuius & in modico maxima gesta dabo. (rãdus,
Paganos Siculos hic in sua iura redegit,
Apulus & Calaber victus sibi colla subegit,
Quos modò Willelmus rex probitate regit.

Robertus Viscardus combussit Lateranum, dum Imperator Papam Paschalem captum Romæ teneret.

Non erat Henrico licitum defendere terram,
Nanq; per Imperium fuerat validissima guerra,
Papaq; Paschalis vincula captus adit.
Henricus quintus dum gestat in Vrbe coronam,
Audet Viscardus partim comburere Romam,
Hinc Lateranensis porta perusta sonat.
Transit vt ad Danaos, referunt sibi prælia Græci,
Regis ibi Danai pars extitit hostia lethi,
Copia fit spolij, miraq; massa necis.
Dux erat in rebus pauper, diues probitate,
Addidit ex corio nummos expendere latè,
Cum quibus & Danai copia victa iacet.
Deuictis Danais, post tempora fertilitatis,
Reddidit argentum pro denariis coriatis,
Militibus gratis dat sua dona satis.
Robertus Viscardus obit tandem sine prole,
Rogerius Germanus ei succedit honore,
Climata Siciliæ possidet atq; fouet.
Rogerius Paganus erat de more vocatus,
Rogerius de Rogerio comes est generatus,
Gemma sui generis, & probitate caput.
Gemma fuit, regnare sui meruit probitate,
Apulus & Calaber sit ei subiectus & Apher,
Quod loquor ecce patet, terra subacta iacet.
Rogerij regis hìc tempus & acta relinquam,
Cæsaris Henrici quintì rem primitùs inquam,
Pòst quoq; Rogerio tempus & acta dabo.

Item de quinto Henrico iuniore filio quarti Henrici, octuagesimo-quinto ab Augusto.

HEnricus iunior contra patrem mouet exercitum, & pater contra eum. Vtriusque autẽ exercitus, supra Rhenum fluuium castrametatur, Rheno in medio existente, & alterum ab altero separante. Erat autẽ patris maxima potentia in exercitu Bohemorum, & in marchione Austriæ Lupoldo. Quam rem, cùm filius consideraſſet tam Ducem Bohemorum nomine Boroez, quàm marchionem Lupoldum, largiſſimis promiſſionibus ab auxilio patris sui auertit: quibus abeuntibus, pater debilitatus, à campo cedere compulsus, confusus discessit. Ab illo itaque die pater minuitur, filius autem augetur. Postea filius & pater apud Pinguiam castellum colloquuntur: vbi filius monet, vt pater per Apostolicum exeat ab excommunicatione, qui petit principes apud Moguntiam congregari, ibiq́ue coram eis de eadem causa tractari. Itaque petente patre, generalis curia Moguntiæ indicitur: ibiq́ue pater & filius omnibus principibus præsentantur.

De Hieroſolymis.

CIrca idem tempus, Balduinus rex Hierosolymorum Ascalonam obsessam, sibi tributariam fecit. Commissoq́; prælio cum Saracenis (cùm ipse tantùm quatuor millia bellatorum haberet) hostium quinquaginta millia Dei magis, quàm hominum virtute prostrauit; vno Saracenorum principe capto, & altero occiso.

Tunc Alexius rex Constantinopolitanus, Christianæ prosperitatis aduersarius, Turcos in desperationem iam positos, in amicitiam suam confœderauit, eisq́; turrim Niceam, Christianorũ sanguine conquisitam, concessit.

Interea generali curia Moguntiæ congregata, præsentibus Apostolicæ sedis legatis; Imperator coram omnibus excommunicatus pronunciatur. Vnde etiam ipse in castro quodam custodiæ mancipatur: vbi dum audientiam petunt principes, eum dolo circunueniũt, & quodammodo cogunt, vt filio suo regalia insignia non differat resignare: anno scilicet regni sui quinquagesimo tertio, Imperij sui verò quadragesimo. Reuersi igitur principes à patre ad filium, Imperialia insignia detulerunt: eumq́ue tunc à patre electum denunciantes, per manus legatorum Romani pontificis creant Imperatorem, nonagesimum secundum ab Augusto Octauiano.

¶ *Author.*

HVcusque tam ex libris Orosij quàm Eusebij, & aliorum qui post eos scripserunt, authoritatibus fulti, scripta nostra posuimus. Cætera autem quæ sequuntur, quia recentis memoriæ, & quasi nostrorum temporum sunt, nos ea nobis à viris probabilibus tradita, & partim à nobis oculata fide conspecta, & auribus nostris audita, quantò veracius possumus (fauente Domino) lectoribus proponemus.

Nota; me Gotfridũ, huius libri authorem, capellanum & notarium fuisse regis Conradi tertij, & Friderici Imperatoris, & filij eius Henrici sexti: quorum temporibus hæc omnia cis citraq́ue mare per annos quadraginta sum perscrutatus, ex omnibus armariis & Latinis, & barbaris, & Græcis, & Iudaicis, & Chaldæis.

¶ *De Henrico quarto.*

IMperator Henricus quartus, omnibus regalibus filio resignatis, & omniũ Principum suffragio destitutus, & factus egenus; dum per Rhenũ fluuium Coloniam peruenisset, ibi non sicut exul, sed vt Imperator, à ciuibus suscipitur. Indeq́; procedés Leodium, insinuauit omnibus tam verbo quàm literis, à Principibus se fuisse deceptum, & ad resignanda regalia filio coactatum. Transacto pauco tempore, pater apud Leodium moritur, & more regio ibi sepelitur. Sed postea mandato Romani põtificis, à cœmeterio eiicitur, eiq́; omnis Christiana sepultura denegatur. Corpus autem eius à Leodio in vrbem Spiram scilicet supra Rhenum (vbi ipse in honorem sanctæ Mariæ mirabilis structuræ ecclesiam fundauerat, sed non perfecerat) est in feretro deportatum, & in capella sanctæ Aphræ, sine sepultura, per spatium quinq; annorum in feretro conseruatum. Quid autẽ de eo postea fuerit factum, in fine huius capituli inferiùs verificè referemus. Quid igitur filius faciat, videamus.

Henricus quintus Imperator capit Papam Paſchalem.

HEnricus quintus, mortuo patre, mirabili collecto exercitu, tertio anno post obitũ patris, per montem Iouis transit Pyrenęum, Romam proficiscens. Quumque supra Padum castrametatus, præcipe-

rer

ret exercitum recenseri, inuenti sunt triginta millia militū, exceptis omnibus qui ad eum de Italia confluxerunt. Inde per montem Apenninum transiens, Bargum Pontis Tremuli turribus & muris valde munitum, qui transitum exercitui prohibere tentauit, expugnauit atque destruxit. Deinde Perusiam procedēs vsq; Aretium, ciuitatem ipsam destruxit, pro eo quòd ciues illi Ecclesiam sancti Donati, id est Episcopium, quod est extra ciuitatem, destruxerant, sedem episcopalem infra mœnia ciuitatis ponere intendentes. His ita peractis, Romam peruenit, & in gradibus beati Petri à Papa Paschali, cunctisque cardinalibus, & à populo Romano, cum crucibus in processione, cum tripudio & gaudio magno susceptus est. Ipse autē Papam Paschalem, consilio quorundam sceleratorum, captum detinuit, & Vlrico patriarchæ Aquileiensi, cum reuerentia custodiendum commisit. Tunc orto ex improuiso tumultu, & ornatu Ecclesiæ cunctisque rebus clericorum inuasis atque distractis, qui expectabant gaudium, luctum incurrunt.

Occasio autem & causa illius captiuitatis, talis fuisse narratur: Quia Imperatore Romam tendente, Papa cum eo tali pactione conuenerat, vt Imperator Episcoporū inuestituras dimitteret; Papa autem ecōuerso Imperatori omnia episcoporum regalia relaxaret. hæc pactio sacramentis & obsidibus inter Papam & Imperatorem asseritur firmata fuisse. Quam dum renitentibus Episcopis Papa adimplere non posset, quū per omnia innocens esset, tanquam reus custodiæ est mancipatus. Huius factionis consiliator præcipuus dicitur fuisse Albertus, tunc Imperatoris cancellarius: qui postea fuit archiepiscopus Moguntinus. Quem tantùm Imperator postea per diuinū iudicium, fortissimum sensit inimicum.

Papa aliquandiu capto & detento, Imperator à ciuibus reuocatur, & Episcoporum inuestituras, id est annulum & baculum, à Papa recipiens, ipsum Papam & ciues Romanos muneribus reconciliare curauit: & à Papa coronatus, fauorem & nomen Imperiale sortitur, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vndecimo; anno verò regni eius, ex quo pater regalia sibi resignauerat, sexto.

His ita transactis, synodo Episcoporum postea celebrata, priuilegium ab Imperatore minis & terroribus exortum tāquam prauilegium reprobauit. Imperator ab Vrbe in Franciam reuersus, filiam Henrici regis Anglorum, Mathildam, in vxorem sibi coniunxit, nuptiasq; magnificas Moguntiæ celebrauit. In ipsa curia Lotharius Dux Saxoniæ, qui postea fuit Imperator, tunica lanea pro pœnitentia indutus, & pedibus discalceatus, procidit ante pedes Imperatoris. Tantus enim terror omnes inuaserat, vt aliquis voluntati suæ resistere non auderet. Cæterum in ipsa nuptiarum celebratione, vbi omnes conuenerant, factæ sunt contra terribilitatem eius multæ Principum conspirationes; & extunc tam manifestè, quàm occultè multi incipiunt rebellare. Ex consilio autem & suggestione Archiepiscoporum, Friderici scilicet Colonienſis, & Alberti Moguntinensis, & aliorum quorundam, Calliſtus Papa, qui post Paschalem & Gelasium, Romæ pontificatum acceperat, Imperatorem excommunicationis vinculo innodauit. Schismate itaq; renouato, Imperator Romam pergens, Burdinum, natione Hispanum, in cathedram, per suam violentiam collocauit: quem Romani apud Sutrium postea captum, & camelo (vt dicitur) superpositum, cum ignominia deportauerunt, & in cauea prope Salernum, perpetuæ custodiæ tradiderunt. Imperator videns à se regnum paulatim deficere, & exemplum patris sui mente reuoluens, atque metu anathematis quo vrgebatur; collecta generali curia apud Wormatiam, inuestituram Episcoporum, scilicet ānulum & baculum, in manus legati apostolici, nomine Lamberti, qui postea fuit Papa Honorius, publicè resignauit: per quem etiam ab anathemate est absolutus. Papa quoque Imperatori tale priuilegium scripsit, vt episcopi omnes tā Cisalpini quàm citra, non prius Episcopi ordinētur, quàm per manus Imperatoris de regalibus sint inuestiti.

Imperator de Romanis vlciſci desiderās, festinato cursu in Italiam, Vrbem obsedit: quibus contra eum incautè progressis, plurimos cepit; quos ferè omnes aut cæcauit, aut denasauit. Deinde reuersus in patriam, morboque correptus, obiit, & in ciuitate Spira, vbi ecclesiam suprà memoratam compleuit atque ditauit, sepultus est iuxta patrem & auum & atauum

ſuum, anno regni eius decimonono, Imperij verò decimoquarto. *Cætera verſificè geſta referre placet.*

Item de captiuitate Papæ Paſchalis, & de guerra inter Imperium & eccleſiam, verſibus ſubornatur.

Cùm foret Henrico ſubiecta per omnia Roma,
Vnctus Apoſtolicis manibus, ſumptaq́ corona,
Cepit Apoſtolicum, rumor in Vrbe ſonat.
Bella parat populus, ſuccurrit ab Vrbe ſenatus,
Prævalet Henricus, pars præſulis expoliatur,
Papa caret Manto, captus ab hoſte ſuo.
Quæſtio nunc oritur, cur carcere Papa tenetur?
Reſpondetur eis; Quia ſuſtulit omnia præſul,
Abſtulit Imperio pontificale decus.
Nam bona Pontificum quæ nititur ipſe tenere,
Contulit Imperium, quæ debeo Cæſar habere;
Amodo qui teneat, Cæſare dante feret.
Annulus & baculus de noſtro munere venit,
Vndiq́ Pontifices regum ſunt munere pleni,
Cæſaris officium quomodo Papa gerit?
Rettulit eccleſia, ſi quærimus æqua fateri,
Annulus & baculus nunquam de Cæſare venit,
Nam Deus eccleſiis cœlitus iſta dedit.
Omnia quæ Reges per tempora priſca dederunt,
Non modò ſunt regum, ſed cui data iure fuerunt,
Nec Deus hoc patitur, nec tua iura ferunt.
Cùm tua ſit regni, tua ſit cuſtodia iuris,
Carceribus noſtris mala das exempla futuris,
In ſanctum Domini dum feritate furis.
Conditor es iuris, qui ſpernere iura videris,
Iam neq́ iura Dei, neq́ regia iura vereris,
Eccleſiam crucias, qui cruciandus eris.
Dedecus eſt, fontem iuris, confundere legem,
Et magis eſt timidum, cœlorum ſpernere regem,
Cum ſacra iura neges, triſtia regna reges.
Cur laicus quærit tradi ſibi munera cœli?
Vt Deus inſtituit electio conſona cleri,
Iudicio cœli libera ſemper erit.
Tu tua ſi repetis, repetes quæ tu tribuiſti,
Hæc cùm non dederis, cur tollere propoſuiſti?
Tradere te decuit, tollere nulla mihi.
Si quodcunq́ datur, ratio monet vt repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoq́ noſtra feratur,
Hoc ita ſi cupias quærimus eſſe ratum.
Imperium dedimus, tu pauca dediſſe videris,
Ex ope pontificis Cæſar Romanus haberis,
Vincula pontifici qua ratione geris?
Quicquid agat præſul, quicquid ſacra turba fatetur,
Reddere cogetur quod Cæſaris eſſe videtur,
Illud & in ſcriptis firmat vterq́ ſecus.
Annulus & baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæſaris ad iuſſum penitus reddenda parantur,
Papaq́ Paſchalis ſic ſpoliatus abit.

De excommunicatione Imperatoris Henrici quinti, propter papæ Paſchalis captiuitatem.

Papa dolens lamenta mouet, totúmq́ per orbem
Eccleſiam ſua charta vocat properanter ad Vrbem,
Hæc vbi conſedit, Cæſaris acta dedit.
Tunc ait; O Patres, à Cæſare ſcripta notate,
Et quodcunq́ placet ſuper his decreta parate,
Me quoq́ Pontificem non fore, iuſſa date.
Peccatis mala veſtra meis veniſſe notaui,
Officiis me deſtitui dignum reputaui,
Me quoq́ depoſui, ne pereatis, ait.
Hæc ait, & mitram reiicit, Mantumq́ relinquit,
Ordinet eccleſia ſine me, quicquid placet, inquit,
Moreq́ Pontificis iudicet ipſa ſibi.
Scripta legunt cleri, rex pontificalia quærit,
Annulus & baculus ſub Cæſare fertur haberi,
Copia pontificum non ita (dixit) erit.
Extortum Papæ ſcriptum contra rationem
Vritur; & priſcum tibi conciliamus honorem,
Tolle pater Mantum, curia tota monet.
Rurſus in Henricum quintum noua bella gerentur,
Priſtina mota patri ſibi iam tormenta mouentur,
Vt pater antè fuit, ſic anathema luit.
Littera Papalis ſimul & papale ſigillum,
Miſſa per Imperium graue excommunicat illum,
Et cunctos proceres, qui ſua iuſſa tenent.
Nunc Paſchalis obit, ſuccedit honore Calixtus,
Sede Vienneníis Regumq́ propagine mixtus,
Germine Francigena Cæſaris hoſtis erat.

Diſputatio inter Imperialem curiam & Papalem; quis eorum eſſet maior in illo tempore.

Curia Papalis contendit & Imperialis,
An ſit inæqualis, vel debeat æquiparari,
Partibus oppoſitis curia Regis, ait;
Spiritus eſt Papa, carnis velamine clauſus,
Hunc quaſi terrenum deſcribere quis foret auſus?
Terrea cum ſuperis qua paritate gerit?
Eſt quoq́ par ſuperis, cœlum datur ore tenere,
Qua ligat & ſoluit, qua regna videtur habere,
Carnis in exilio ſpiritus aſtra tenet.

Allegatio in contrarium de Imperatore.

Cæſar lex viua ſtat regibus imperatiua,
Legeq́ ſub viua ſunt omnia iura datiua,
Lex ea caſtigat, ſoluit, & ipſa ligat.
Conditor eſt legis, neque debet lege teneri,
Sed ſibi complacuit ſub lege libenter haberi,
Quicquid ei placuit iuris ad inſtar erit.
Qui ligat ac ſoluit Deus, ipſum protulit orbi,
Diuiſit regnum diuina potentia ſecum,
Aſtra dedit ſuperis cætera cuncta ſibi.

Reſponſio curiæ Romanæ contra Imperatorem.

Pars quoq́ Papalis ſic obuiat Imperiali,
Sic regnare damus, quòd Petro ſubiiciaris,
Ius etiam nobis Chriſtus virunq́ parit.
Spiritus & corpus mihi ſunt ſubiecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœleſtia mente,
Vnde tenendo polum, ſoluo ligoq́ ſolum.
Æthera pandere, cœlica tangere Papa videtur,
Nam dare, tollere, nectere, ſoluere, cuncta meretur,
Cui dedit omne decus lex noua, lexq́ vetus.
Annulus & baculus quamuis terrena putentur,
Sunt de iure poli, qua ſignificare videntur,

Respice iura Dei, mens tua cedat ei.
Reddit apostolico Cæsar, quæcunq; rogauit,
Pax bona conficitur, sublata Deo reparauit,
Iura suæ partis lætus vterq; trahit.

De Lothario Imperatore, octuagesimo sexto ab Augusto, post Henricum quintum.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo quinto, defuncto absque hęrede Henrico quinto, principes Moguntiæ conueniunt; ibiq́ue habito de successore consilio, quatuor regni optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopoldus Marchio orientalis, Carolus Comes Flandriæ, ad regnum designantur.

Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens, valde acrè clamans, ad regnum tractus, præsente legato sedis apostolicæ, nonagesimo secundo ab Augusto regnauit.

Iste per omnia humiliauit progeniem Henrici Imperatoris: contra quem Dux Fridericus & frater eius Conradus, nepotes Henrici Imperatoris ex sorore, diu rebellauerunt. Propter quod Papa Honorius successor Calixti, eos excommunicauit.

Verumtamen prædictus Conradus, à fratre suo Friderico, & à quibusdam aliis, factus est rex contra Lotharium. Qui cum pauco exercitu intrauit Italiam, & Mediolani apud Modœtiam coronam portauit. Deinde ad partes Romanorum processit, & tandem rebus exhaustus in patriam remeauit, pacemq́ue cum Lothario componens, dimisso regno, quieuit.

Eodem tempore Romæ Honorio mortuo, oritur schismà inter Innocentium & Anacletum. Innocentius autem transiens in Galliam, venit Leodium: vbi Lotharius ei occurrit, auxiliumq́ue promittit. Vnde Innocentius Papa apud Clarum montem, concilio celebrato, Romam rediit, & Regem Lotharium, in Lateranensi palatio apud sanctum Saluatorem coronauit. Non enim poterat apud sanctum Petrum morari, propter potentiam Anacleti filij Petri Leonis.

Lotharius in patriam rediit; rursusq́ue renouato exercitu, Romã post biennium remeauit. Vbi assumpto secum Innocentio, in Apuliam transiit, & Rogerium Siculum, qui tunc dux Apuliæ vocabatur, inde fugauit, & Rainonem comitem ibi ducem constituit. Ciuitatem Barum cepit, & totam Apuliam occupauit. Inde reuersus, Veronę morbo correptus, vitam finiuit, anno regni sui duodecimo; cui Conradus suprà memoratus, per electionem Principum in regnum successit.

Item de Lothario versificè, & de Duce Conrado contra eum erecto, sed tandem pacificato.

Non erat Henrico quinto tunc masculus hæres,
Sed soror hunc genuit qui regna meretur habere,
Tertius Conradus rex diadema geret.
Conradus Dux imperium captare paratur,
Lotharius Dux Saxonicus contrà releuatur,
Sed magis inuidia quàm ratione datur.
Liuor & inuidia recolebant gesta priorum,
Quos Henricorum fortuna repressit auorum,
Sic modò Lotharius tollit habetq́; thronum.
Transit in Italiam Conradus, ibiq́; receptus,
Est Mediolani diadema potenter adeptus,
Bellaq́; rex regi fortis vtrinque vehit.
Schisma fuit regno, sunt & noua schismata Romæ,
Nam duo sunt Papæ, binaq́; fuêre coronæ,
Schismatis errores mundus adesse dolet.
Vnus Anacletus fuerat sub schismate præsul,
Innocentius est, qui contrà Papa tenetur,
Hæc duo fert secum schismata Roma vetus.
Cedit Anacletus, alterq́; sedere meretur,
Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,
Summus & Imperij signifer ipse fuit.
Lotharius senuit, Conradi longa iuuentus,
Obtulit obsequium, sed pòst, sene prorsus adempto,
Succedens iuuenis regia iura tulit.
Interea iuuenis regni vexilla tenebat,
Fit prior in Ducibus semper, primusq́; sedebat,
Hoc sibi nobilitas, dignaq́; forma dabat.
Imperat hinc annis sic Lotharius duodenis,
Bis videt Italiam, Romam quoq; denuò venit,
Et semel Apuliam cum feritate premit.
Rogerius nunc dux Siculus regnare putatur,
Pulsus ab Apulia, qui Cæsaris ense fugatur,
Cæsar habet Barum, vincit & vsq; Pharum.
Rainonem creat ipse ducem, cui cuncta relinquit,
Quem dux Rogerius post hoc certamine vincit,
Et facit Apuliæ, se sine fine ducem.
Indeq́; se regem iussit dominumq́; vocari,
Moreq́; regali regalia signa parari,
Atq; per Apuliam magna tributa dari.
Hostis ei Papa satis Innocentius extat,
Intrat in Apuliam, regi contraria præstat,
Captus ibi cedit, regia iura dedit.

De exaltatione Conradi tertij post Lotharium Imperatorem, octuagesimi septimi ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimonono, Conradus suprà memoratus, 93 ab Augusto, apud Cõfluentiam, inter Moguntiam & Coloniam, in regnum eligitur, præsen-

te Deodeuino Portuensi Episcopo, apostolicæ sedis legato. Statimq; Aquisgrani in sede Caroli à Principibus constitutus, ab eodem legato est coronatus.

Saxones tamen & Dux Bauariæ Henricus tunc in eum non consenserunt. Asserebant etiã eum, non regem legitimum, sed per subrectionem creatum. Rex præfigit eis omnibus curiam generalem apud Babenberg: ad quam veniẽtes, simul cum Imperatrice vidua Lotharij, in gratiam & pacem regis fuere omnes recepti, excepto solo Duce Bauarorum Henrico, qui cognominabatur Superbus, apud quem etiam insignia regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti Imperatoris Lotharij; & ex hoc tenens regalia, ad regnum quantum poterat, aspirabat. Coactus verò tandem regalia, id est crucem & lanceam & coronam reddidit: gratiam autem regis nõ impetrauit. Postea verò iudicio Principum à rege proscriptus, ab omnibus suis derelictus, vix quatuor militibus comitatus, in partes Saxoniæ miserabiliter cessit. Atque post pauca vitam finiuit.

His temporibus, Rogerius Siculus Apuliam rursus ingressus, cum duce Rainone, quem Lotharius ibi præfecerat, habet conflictum, victusq; fugatur. Interea Anacletus, filius Petri Leonis Romæ moritur; & eo mortuo, schisma terminatur. Post pauca, dux Apuliæ, Raino vel Rainaldus, moritur. Rogerius in Apuliam reuertitur, & terram duce orbatam, nec rebellãtem, occupat, principem Robertum Capuanum, cum omnibus nobilibus, eiicit & residuos, variisq; tormentis affligit. Ad vltimum se regem Siciliæ & Apuliæ, præcipit appellari. Princeps Robertus Capuanus cum omnibus comitibus expulsis, ad regem Conradum secessit. Rex benignè omnes recepit, & longo tempore in Alemania secum tenuit: sed in Apuliam transire non potuit, quia eum grauis imperij necessitas præpediuit.

Ad hæc Papa Innocentius, vir magnanimus, cum populo Romano contra Rogerium collecto exercitu Apuliam ingreditur: vbi incautè conductus, in loco qui vocatur Gallazu, à Rogerio capitur. Eoq; cum reuerentia coacto, Rogerius nomen & authoritatem regiam, cum benedictione apostolica, tam in Sicilia, quàm in Apulia, sicut voluit, plenariè impetrauit.

Rogerius extunc authoritate apostolica rex exaltatus, quum iam nullum præter Conradum Regem haberet obstaculum: Velfonem ducem, fratrem scilicet Henrici Superbi suprà memorati, pecunia sua conductum, contra Conradum in Alemania concitauit. Quem rex in vno prælio, iuxta castrum Winisberg eleganter vicit, suosq; grandi occisione prostrauit. Altera vice Henricus filius Conradi, qui si vixisset, post eum fuerat regnaturus, eundem Velfonem bello deuicit. Velfo tamẽ dum Conradus vixit, pro Rogerio stetit, & regnum pro viribus impediuit.

His temporibus Romani cœperunt innouare senatum, qui longis ante temporum curriculis ita cessauerat, vt nec mentio eius Romæ haberetur: quem Papa Innocentius ingenio, precio, & minis soluere conatus, non potuit; morboque præuentus sub ea discordia diem vltimũ clausit; cui sacerdos laudabilis Cælestinus successit; quo infra annum defuncto, in cathedra Lucius Papa consedit. Lucius secundus itaque intendens senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, vt sedentes ibi tunc senatores cum dedecore remoueret. Senatus autem populusque Romanus ad arma conuersus, Papam cum suis omnibus à Capitolio in momento repellunt. Vbi Papa (sicut tunc audiuimus) lapidibus magnis percussus, vsque ad obitus sui diem, qui proximè sequutus est, non sedit in sede. Cui tunc successit Engenius Abbas sancti Anastasij Romæ, de ordine Clareuallensium.

Cuius tempore obiit rex Conradus apud Babenbergam: cui successit Fridericus nepos eius, Dux Sueuorum. Tunc Constantinopoli Manuel imperabat, habens vxorem Teutonicam, sororem scilicet vxoris regis Conradi, natam de Sulzbach, filiam nobilissimi Comitis, in terra Bauarorum. Cætera de rege Conrado, qualiter iuit vltra mare, & de rege Rogerio, & de filio suo rege Wilhelmo, & item de Wilhelmo rege filio Wilhelmi, versibus adnotamus.

Item de Conrado tertio, qualiter Rex Rogerius contra eum tollit Apuliam, & per Velfonẽ ducem infestat regnum Teutonicum.

Lothario moriente, venit Conradus honestus, Ho-

Hostibus infestus, sapiens, ad cuncta modestus,
Quem satis imperium laudat, & omne solum.
Dum timet hunc Siculus, dũ perdere regna veretur
Uelfoni dat dona Duci, quo sæpe tuetur,
Hoc duce sustinuit bella ferente decus.
Undique Conradus Siculos arctare minatur,
Præmia Uelfoni magis ille referre paratur,
Diraq; cum rege prælia Uelfo mouet.
Contra Uelfonem mens regia plena furore,
Imperij virtute sui defendit honorem,
Vultibus oppositis insimul arma mouent.
Dextera Conradi gladio conformis Achilli,
Signifero veniente Ducis caput amputat illi,
Hic vbi Marte cadit, Uelfo repulsus abit.
Multimoda tunc cæde data sumptoq; trophæo,
Conradus virtute datur maior Machabæo,
Omne decus Uelfo tempore perdit eo.
Rogerij regis Siculi venit vltima vita,
Filius ipsius Wilhelmus regna cupita
Suscipit, & vitæ tempore regnat ita.
Tempus abit, Conradus obit miranda potestas,
Succedit Fridericus ei, releuatur honestas,
Interea Siculus rex sine clade fuit.
Nulla dedit Siculo Fridericus prælia Regi,
Nam Mediolani tunc prælia longa peregit.
Sic rex Wilhelmus regna quieta regit.

De duobus Wilhelmis.

Wilhelmus post Wilhelmum succedit honore,
Formosus, gladioq; probus, summusq; decore,
Qui magis Ausoniæ dignus honore foret.
Dum iam Wilhelmus ter denos perficit annos,
Cæsar apud Danaos Manuel moritur memorãdus,
Tunc quoque Francigenis rex Ludouicus obit.
Imperium nunc Græcorum rapit ille tyrannus,
Andronicus, princeps scelerũ, vir nec memorãdus,
Græcorum proceres eius ab ense cadunt.

De pace inter Imperatorem Fridericum & Lombardos.

Expedit hîc dici, quòd & Imperio Friderici,
Omnes Lombardi sic efficiuntur amici,
Sicut ei placuit, rex patet acta sibi.
Filius ipsius Henricus, ad alta leuatur,
Ritè coronatur, vxoris honore beatur,
Fit regis Siculi filia sponsa sibi.
Sponsa fuit speciosa nimis, Constantia dicta,
Post huma, post patrem materno ventre relicta,
Iamq; tricennalis tempore virgo fuit.

Item de Conrado tertio, qualiter vltra mare perrexit cum exercitu christianorum.

Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Regnum bis senis Conradus rexerat annis,
Cùm tulit in scapulis insita signa crucis.
Vnde Cisalpina gens omnis erat peregrina.
Quam neque per maria vexit ratis vlla marina,
Imò per Vngariam præripuêre viam.
Tunc rex Francigena Ludouicus mente serena,
Signa crucis tulerat, numerum si noscere quaras,
Millia millena militis agmen erant.
Reges & populos latuit fortuna futuri,
Nam fuerant nostri pro lege Dei morituri,
Constantinopolim miles vterque venit.
Inde per Iconium via regum recta paratur,
Fraudeq; Græcorum male per deserta vagatur,
Vnde fame pereunt spes bona nulla datur.
Millia Turcorum veniunt ad bella virorum,
Copia Maurorum ferit agmina Teutonicorum,
Perforat ipsorum pectora, castra thorum.
Nunc rex Francorum comes ast at Teutonicorum
Perditur armorum series, ornatus equorum,
Plena iacent feretris, prata, platea, forum.
Cùm labor infestet, calor irrogat vndique, pestes,
Qui fuerant equites, pergunt moriendo pedestres,
Æger vbique iacet, prælia nostra tacent.
Tunc rex Conradus multis tulit arma diebus,
Ense regens equites, cessantibus vndique rebus,
Sic loca pacifica Teutona signa petunt.
Adfuit egregius Fridericus dux Sueuorum,
Æqua suo patruo regit agmina Teutonicorum,
Hostibus ingeritur, protegit ipse forum.
Dummodo festinant nimiam vitare ruinam,
Inueniunt binas per littora fortè carinas,
Vnde Hierosolymam præripuêre viam.
Tunc magis irasci studuit super vrbe Damasci,
Prælia contraxit, cœpit victoria nasci,
Vrbs obsessa luit, nam quasi capta fuit.
Ni foret ob precium res vendita proditione,
Vrbs peritura foret, nostrisq; dedisset honorem,
Rex pro fraude dolens, signa reuersa mouet.
Ipse suis manibus rex tantus erat gladiator,
Vt gladio feriente suo nullus tueatur.
Indeq; per medium corpora cæsa cadunt.
Ad sua regna redit, modico pòst tempore viuit,
Palmigeriq; viri pauci redeunt reduiui,
Paceq; rex obiit, nam requieuit ibi.
Anno milleno, centeno, terq; deceno,
Atque quater deno, reddit sua tempora cœlo.
Cui famulabar ego qui mea metra lego.

De exaltatione Imperatoris Friderici primi, nepotis Conradi tertij, octuagesimioctaui ab Augusto.

ANno ab incarnatione Domini 1146, anno etiam ab Vrbe condita 1918, annis verò ab Adam, sex millibus trecentis triginta quinque transactis, Fridericus Primus, filius Friderici Ducis Sueuorum, fratris scilicet Conradi Regis, natus ex clarissima progenie Carolorum; post Conradum tertium apud Francofordiam communi voto, & consensu omnium Principum, electus est ad Imperium, nonagesimus quartus ab Octauiano Augusto. Cuius in hoc loco breuem tractatum ad obseruãdum catalogum Imperatorum facimus, ne ordo nominum ipsorũ interrumpatur, si fortè nomen eius in hoc catalogo nõ assignatur. Alibi autem de actibus eius, omnia ferè principalia quæ gessit in Italia, verificè dictata posuimus, vbi de Mediolani destructione, & de aliis satis compendiosè narramus.

Gratias igitur agimus creatori, à quo bona cuncta procedunt: quia, ſicut in exordio libri huius ſpopondimus, vniuerſum vetus & nouũ Teſtamentum in ſumma complectente verſificè aſſignauimus: & ab initio mundi vſque ad præſentem diem, ſub tempore Domini Imperatoris Friderici, & domini Papæ Vrbani tertij, omnia regna mundi, omnes reges, & acta regum, ſub compẽdio, & nomina & tempora & annos eorum, atque omnes Romanos Pontifices, & annos & menſes & dies eorum per ordinem deſcripſimus: qui etiam Imperatores cum quibus apoſtolicis vixerunt. Diſtinximus chronica omnia quæ catholicæ Eccleſiæ inſeruimus. In omnibus autem iſtis nihil fabuloſum ſcienter addidimus, ſed authores catholicos & authenticos ſecuti ſumus, vt Euſebium, Clementem papam, Dionyſium Areopagitam, Origenem, Hieronymum, Auguſtinum, Ioſephum, Oroſium, Egeſippum, Strabum, & Hionium, & Solinum de mirabilibus, & Suetonium de vita Imperatorum.

Item de eodem Friderico Imperatore, verſificè notamus.

Regibus antiquis deſcripſimus omnia latè,
Tu minor ætate Friderice, prior probitate,
Iam tua geſta patent, quæ recitare placet.
Nam Friderici tempora, prælia, geſtaq; noui,
Indeq; maxima, vel magis optima promere voui,
Qui tulit, aut mouit, quæve recepit ob id.
Dum canimus magni regis, mea Muſa cacumen,
Sub breuitate ſuum ſtudeamus tangere numen,
Altius incipias, organa noſtra tument.
Nunc tibi lingua mea panget Friderice trophæa,
Acta gigantæa canat omnis in orbe chorea,
Tu quoque Muſa mea, ſurge, canamus ea.
Flos fuit ex flore regum Fridericus honore,
Sumpſit eum regem Germania plena fauore,
Imperij dominum ſemper habere volens.
Rex vt Aquiſgrani Carolorum ſede reſedit,
Ordine legitimo Germania prorſus obedit,
Finibus Italiæ rex ſua ſigna dedit.

De ciuitate Mediolani & de guerra eius cum Friderico Imperatore.

Vrbs Melana potens, meritis dicenda leæna,
Viribus eximia, populis & milite plena,
Saua, ſuperba, fera, tota rebellis erat.
Vrbibus annexa fuit hæc, quibus omnia vexat,
Quæ fuerint vrbes, exponere nomina reſtat,
Brixia, Terdona, Crema, Placentia bona.
Rex vbi Teutonicam meruit captaſſe coronam,
Quærit & Italicam, quia ſic docet inclyta Roma,
Per medios Ligures regia ſigna volant.
Signa ſui regis ſpernit Melana vereri,
Sed propria virtute ſua vultrura tueri,
Neſcia quòd ſibi mors rex Fridericus erit.
Hanc vbi rex angit, regalibus vndique bannis,
Diſſipat & pangit, ſex Marte fluentibus annis,
Vrbs quæ ſumma fuit Marte repreſſa luit.
(Rex modò diſſimulat mala quæ Melana meretur,
Ad reliquas vrbes exercitus ire iubetur,
Et ſuper Aſtenſes arma tulêre duces.
Rex abiit, Melana ſibi non præbet honorem,
Tempus erit quo facta luet, contrita furore,
Roma vocat regem, rex ſua ſigna mouet.)

De Aſtenſi ciuitate.

Magna timens regem mox deſerit Aſta colonum,
Ad caſtrum nouum cuncti ſua cuncta reponunt,
Vnde ſuum vacuum deſerit Aſta ſolum.
Nec penitus vacua, deſerta relinquitur Aſta,
Turribus euerſis, inuenta cibaria vaſtant,
Alterius muri nulla ruina fuit.
Dum rex egreditur melior fortuna paratur,
Iurat ei populus, ſic Aſta reconciliatur,
Culpa fuit modica, gratia plena datur.

Item de eadem Aſta ciuitate.

In Ligurum patria manet vrbs, quæ dicitur Aſta,
Inclyta diuitiis, modico munimine vaſta,
Quæ citò ſuccubuit, nec tamen ipſa ruit.

De ciuitate Terdona per Fridericum ter deſolata.

A modo Terdonæ ſupereſt recitare dolorem,
Quæ Mediolani veteri ſubnixa furore,
Conſueto more vult inimica fore.
Rex vbi caſtra mouet, metuit fera turba leonem,
Cingitur horribili procerum Terdona labore,
Miles vt aggreditur plebs fugitiua dolet.
Vndique rex arcet, populus ſecedit ad arcem.
*Nec ſibi ſic patet * ſtringens eques vndique partes,*
Vrbs capitur planè, turba cacumen habet.
Hinc cibus arctatur, fons tollitur, inde paratur,
Talpa cauans, aries, mangonibus iniaculatur,
Perforat interius, rumpit vtrunque latus.
Proxima iam morti cedit gens ſubdita ſorti,
Introitum regi patulis dedit vndique portis,
Plebis membra tamen vitaq; ſalua manent.
Inſita telluri rex mœnia præcipit vri,
Inde cadunt muri populi digne perituri,
Sic Terdona ruit, quæ ſatis alta fuit.
Inclyta Terdona nimis iraſcente corona,
Victa ruit prona, capiens tria triſtia dona,
Quippe tribus vicibus diruta tota domat.

Qualiter à Terdona Romam confecrandus proceſſit.

Hæc vbi compleuit, celebris legatio venit,
Pergat vt hinc properè papalia iura tueri,
Ex ope pontificis iam monocrator erit.
Vtq; moras purget, vehementer Papa perurget,
Rex bonus exurgens aquilas direxit ad Vrbem,
Dantq; Placentina rura cremata viam.
Seruit ei Parma, Bononica tranſiit arua,
Alpe ſatis parua Florentia pertulit arma,
Nuncius Achaiæ Palæologus adeſt.
Arnaldus capitur, quem Brixia ſenſit alumnum,

Dogma-

Dogmata cuius erant quasi peruertentia mundum,
Strangulat hunc laqueus, ignis & vnda vehunt.
Tuscia deuota sese dedit vndique tota,
Nota vel ignota subduntur regna remota,
Ad Pendentis Aquæ prædia castra iacent.
Ad vitæ meritum veniunt vexilla Viterbum,
Vnde patens erebus fontem facit igne proteruum,
Fortis ibi populus, miles ad arma probus.
Optimus indigenis fons balnea multa parauit,
Fertilis est patria quam copia multa beauit.
Nam genus & species fertilitate trahit.
Illic Roma suos voluit requiescere fessos,
Emeritos equites, senio seu vulnere pressos,
Sic vitæ meritum, res facit ipsa locum.

Verba authoris.

Longa per obsequia cum vita labore grauetur,
Si senio premitur, si vulnere debilitetur,
Hic habeat requiem sæpe senile decus.
Si præclara velit Cæsar sua gesta foueri,
Hoc decus Imperij decet omni lege teneri,
Debeat vt senibus vita quieta geri.
Non hæc seruorum fit gloria, sed dominorum,
Si defectorum stet saluus honor seniorum,
Si nitet ipsorum veste platea, forum.
Si miserum præstat famulum, si diua potestas,
Dedecus infestat dominum, cui seruit egestas.
Non sibi, sed Domino stat miser ille suo.
Regia præueniunt tentoria plurima Romam,
Gestat vt Imperium Romana sede coronam.
Cui fauet ecclesia publica signa tonant.
Romanus populus antiquos expetit vsus,
Rex despexit eum primatum milite tutus,
Nil petit, imò iubet, Roma furore tumet.
Spe male frustratus discedit abinde senatus,
Acriter iratus Romanus, ad arma paratur,
Vincere primates regis & arma ratus.
Rex animo fortis, mouet agmina multa cohortis,
Papa dedit patulis aditum per deuia portis,
Tecta beata Petri nocte sub ense petit.
Mane sub aurora sedem tenet atque coronam,
Munere basilicam Petri reuerenter honorat,
Roma dolens plorat, rumor in vrbe sonat.

Qualiter Imperator ab apostolico Adriano coronatus est apud sanctum Petrum, sine Romanorum consensu; vnde pugnatum est cum Romanis, sed Imperator obtinuit.

Decipitur Roma dum sic capit ille coronam,
Regia persona recipit Papalia dona,
Vngitur, erigitur, rumor in Vrbe sonat.
Præsul Adrianus Romanaq; curia tota,
Tunc sine Romanis compleuit regia vota,
*

Acriter iratus consurgit ad arma senatus,
Prosilit armatus Cæsar, feritate citatus,
Marte secus Tiberim feruet vtrunq; latus.
Plebs abiit, rex obtinuit, multisq; necatis,
Vnda fuit Tiberis defensio sola fugatis,
Sanguine tincta satis turba natabat aquis.

De Spoleti destructione.

His ita completis Papali munere freti,
Dum remeant lati, residunt super arua Spoleti,
A quibus & Cæsar danda tributa petit.
Falsa moneta venit, falsum citò Cæsar ademit,
Prælia nanque gerit, multos de plebe peremit,
Intus & exterius plebs superata gemit.
Imperat Augustus pereat locus igne perustus,
Qui fuerat vacuus miles, remeauit onustus,
Debita qui spreuit reddere, cuncta dedit.

De Veronensium traditione inter Alpes, vbi Imperatorem & totum exercitum inter angusta montium concluſum, extinguere cogitauerunt.

Regales Aquilæ veniunt ad plana Veronæ,
Flumina dum transit rex, durius inuenit omen,
Monte coarctatis bella Verona mouet.
Montibus angustis, & fluminis ordine cincti,
Rex, proceresq; sui fuerant quasi carcere vincti,
Concluſiq; suas non habuere vias.
Arma ruunt, quia saxa pluunt de monte relaxa,
Interimunt, quassant proceres à vertice saxa,
Armaq; militibus nulla valere queunt.
Quattuor has pœnas spatio sensere dierum,
Quo sine spe vitæ tolerant discrimina rerum,
Vulnera suscipiunt nec tamen vlla gerunt.
Passibus occultis super alta cacumina tendunt,
Vnde Veronensi populo male facta rependunt,
Plebsq; supercilij montis ad ima redit.
Nunc pede truncari, nunc funditus exoculari
Rex iubet ingenuus, laqueo super alta leuari;
Talis honor reprobis debet obiecta dari.

De nuncio schismatis inter Alexandrum & Octauianum, tempore prædicti Imperatoris.

Præsul Romanus tunc mortuus est Adrianus,
Venit Alexander, cui restitit Octauianus,
Schisma fit ecclesiæ, pugnat vtrinque manus.
Schismate feruente Friderica potentia venit,
Quæ Mediolanum post multa potenter ademit,
Quo satis absorpto, lis recidiua redit.
Conspirant Ligures, profugus rex inde recessit,
Omneq; ius regis Lombarda superbia pressit,
Ipsa sibi dominans tunc quasi Cæsar erat.
Rex rediit, Morianna luit, Cilenia cluſa
Præbuit introitum regi, pereunte Seguſa,
Et reliqui Ligures regia signa timent.

De ciuitate Alexandria, quæ nunc dicitur Cæsarea, in Lombardia.

Burmia cum Tanaro palearum fecerat vrbem,
Quam subitò veniens rex obsidione perurget,
Succurrunt Ligures, bellica signa patent.
Cæsar ab oppoſito mox obsidione relicta,
Obuiat his, plebs obstupuit, quæ stans quasi victa,
Pacta petit pacis, plena timore satis.
Nudatos gladios nuda ceruice gerentes,
Cæsaris ante pedes veniunt, veniam repetentes;
Cæsar amore Dei parcere sanxit eis.
Regia mandata iurat gens pacificata;
Ante dies octo pax decidit euacuata,
Guerra velut fuerat stat recidiua, rata.

Vrbs Mediolanum melius reparata resurgit,
Fortior effecta Lombarda potentia turget,
Vtraque pars tumida fortis ad arma volat.
Rex prius obtinuit: sed post fugiendo recessit.
Nec tamen à patria cessit, sed verbere fessi
Tam rex quàm Ligures iam super arma silent.
Annis ter senis tribulatis schisma recedit,
Vincit Alexander tandem, cui Cæsar obedit,
Paceq́ consedit, consiliumq́ dedit.

De rege Henrico sexto, filio domini Friderici Imperatoris, octuagesimo nono ab Augusto.

DE domino rege Henrico, filio domini Friderici Augusti, adhuc adolescente, gesta non tenemus. Videmus autem eius elegantissimam formam, laudabilem militiam, audaciam & largitatem, beneuolentiam, pietatem, iustitiam, & veritatem; atque omnes regias virtutes, quas ex ætate adolescentum possemus optare. Qui licet natura & literatura super omnes coętaneos, sapientia & sensuum subtilitate videatur pollere; nos quidem si plura nescimus, plura tamen temporum ratione conspeximus, plura etiam experti sumus. salua eius maiestate, cogitauimus, vt ei aliquas admonitiones in medium proponamus; per quas admonitiones ad laudabiles mores, & ad iustitiam & iudicium informetur, & ad regias virtutes, quibus sibi concessum gloriosè & honestè regat imperiũ, versibus heroicis animetur.

Item de rege Henrico sexto, adhuc adolescente, proponitur quædam forma regnandi, qualiter Imperium debeat laudabiliter gubernare.

Henrico sexto sacra sunt diademata præsto,
Tu pater, hoc festo, Friderice, monarchus adesto,
O pater, ô nate, regia metra patent.
Regibus antiquis Henrice monarche cohæres,
Tu diadema feres, Romani culminis hæres,
Romula signa geres, secula nostra tenes.
Imperij sydus, plaudunt tibi mensis & idus,
Metra tibi fidus regalia dat Gotfridus,
Quæ tibi sæpe legas, vt bene regna regas.
O iuuenis iuuenum, flos mundi, gloria regum,
Vrbis & orbis honor, cui plaudunt tempora rerum,
Suscipe consilium quod mea metra ferunt.
Sordibus implicitos pranosq́ cauebis amicos.
Omnibus æquus eris: sed castigabis iniquos.
Prospice, quicquid agis, te tibi nosce magis.
Lautius est tibi te solùm constringere legem,
Quàm varios populos, aut magnos vincere reges.
Hæc si mente leges, rex, bene regna reges.
Si tua nolueris, neque publica vota vereri,
Qua fore te regem poteris ratione fateri?
Si tibi non fueris, nec mihi rector eris.
Doctor Alexandri Magni pranos sibi mores
Finxit, & incessus inhonestos absque decore;
Rex puer hæc didicit: sed didicisse dolet.
Vicit Alexander Darium, simul & Babylonem:
Sed nequit impressum sibimet deuincere morem,
Quo semel imbuitur testa, tenere solet.
Tu puer explora, si te nota praua colorat,
Prorsus & absque mora vitium remouere labora.
Nanque vetus vitium nescit abire foras.
Dum tibi cuncta licent, non quæras cuncta licere,
Nam quæ sæpe licent, poterunt tentata nocere,
Res etenim licitæ noxia sæpe ferent.
Legum frena tenens freno te fortiter arce,
Plus aliis, minus ipse tibi pro tempore parce,
Dum nullum metuis, sis metus ipse tibi.
Vita Pharaonis, scelerosaq́ gesta Neronis,
Et transgressoris monstrant culpæ Salomonis,
Quæ mala sint reprobis, quæ bona nata bonis.
Has tibi tam duras veterum propono figuras,
Vt sacra scriptura tibi sit doctrina futura,
Hac poteris patrias arte fouere tuas.
Iudicis officio loca sacra decenter honora,
Pace frui, punire malos, Henrice labora.
Si scelus exploras, pax erit absque mora.
Ecclesias iubeas multa pietate foueri,
Semper in aduersis te subueniente tueri,
Ecclesiæ precibus vult diadema geri.
Si cupias veri regis promissa mereri,
Auxilio cleri studeas Henrice doceri,
Vt placeas Domino cras quoque sicut heri.
Pauperis aut viduæ dum cernis adesse querelas,
Promptius exhibeas plena pietate medelas,
Iudicium miseri cum pietate geras.
Prima poli, postrema fori sic iura coæqua,
Vt ius prænaleat, quantum tua suppetit ætas,
Omne malum reseca, noxia cuncta veta.
Expedit interdum sancita remittere legum,
Ne pereat feritate mala clementia regum,
Nam puto sæpe Deum viuere velle reum.
Indulgere tuis tua sic dignetur honestas,
Vt magis absoluat quàm puniat alma potestas,
Si miserando feris, rector amandus eris.
Iudicio residens animum sic comprime iudex,
Ne scelerum vindex vultus sit pectoris index,
Et quæ sunt pœnæ proxima, clausa tene.
Et qua sorte bonus causæ sit vtrinque patronus,
Par quoque portet onus extraneus atque colonus,
Et nihil arcanum polluat arte manum.
Currant Marte suo parili discrimine lites,
Nec reprimant miseros sub maiestate Quirites,
Lite cadant lites Iudicis arte sita.
Si varios testes cupiant producere partes,
Ne dolus intersit, examine cuncta coarctes,
Atque memor pueri tunc Danielis eris.
Si supereſt charta, causam per scripta coarcta,
Nec sceleri parcas, si falsa prodiit arca,
Falso fraude, dolo, non tibi plaudat homo.
Si scelus vlcisci ratio certissima poscit,
Rex age quod subitò tua debeat vltio nosci,
Vltio tarda fouet crimina, damna mouet.
Si mea vincla prius subitò punita fuissent,
Nulla Moguntini tibi captio damna dedisset,
Crimina non fieri regia pœna facit.

Item ad regem Henricum admonitio.

Laudi-

Laudibus inspectis quas audis commemorari,
Nolo superborum cupias veritate leuari,
Tædia nam populis vita superba parit.
Proximus esse deis hac forsan laude putaris,
Rex moritura caro, caueas ne decipiaris,
Es quia mortalis, mors tibi fata parit.
Corpore mortalis, mortalia sic moderaris,
Vt rex iure pari cum pauperibus moriaris,
Diuitis & miseri vita coæua cadit.

De nuptiis Henrici Sexti.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto, indictione sexta, sexto calendas Februarij, rex Henricus sextus cum regina Constantia, filia Rogerij regis Siciliæ, nuptias glorioſas celebrauit Mediolani apud sanctum Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimo primo, anno autem regni sui decimo septimo.

PARTIS DECIMÆSEPTIMÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XVIII.

DE ANGLIS ET SAXONIBVS.

De nonnullis Ecclesiæ persequutoribus.

CHronica quæ perhibẽt regnasse Diocletianum,
Cum regnasse sibi referunt tunc Maximianũ,
Clmata Britanniæ quem tenuisse canunt.
Fecerat hunc apud hos regionis Roma patronum,
Quem perhibent sat pacificè tenuisse colonum,
Hunc patriæ dominum semper habere volunt.
Attamen in sanctos exarserat ille furore,
Vndique Christicolas deleuerat à regione,
Omnia catholica scripta cremare volens.

De Maximiani prole.

Maximianus obit, scelerum scelerosus amator,
Deserit & geminos propria de coniuge natos,
Vter & Aurelius nomen habere datos.
Mater habens pueros, procul à regione recedit,
Pars vbi Britanniæ sibi clam reuerenter obedit,
Conscia quòd pueris terra paterna redit.
Hostibus amotis tali moderamine totis,
Securi viuunt pueri, procul inde remoti,
Sed noua sors oritur pernicioſa locis.
Defuncti regis fratrem facit insula regem,
Nomine Constantem monachum qui canone degens
Tempore pòst modico Britona regna regit.

De Voltigerno Anglorum duce.

Voltigernus dux Anglorum summus habetur,
Carus apud proceres tota regione tenetur,
Cuius ob auxilium regna tenet monachus.
Ille docet quòd multa vocet rex arma virorum,
Vt valeat punire malos quoscunque suorum,
Et sibi subiiciens stringat vbique solum.
Charta vocat quos merce locat per regna Quirites
Vtq; solet commota mouet Britannia lites,
Bella fouent gentes in regione sita.

Quamobrem Saxones Oceanum transfretarunt.

Saxo vocatus ad hæc ad regia bella monetur,
Cuius & innumera populorum turba mouetur,
Arma per Oceanum militiamq; ferunt.
Miratur iam rex, cur copia tanta veniret,
Saxo refert; quia tota domi remanere nequiret,
Terra foret modica milite plena loca.
Plena viris terra, iam penè carebat & herba,
Hæc tua nos terra cùm sit ditissima seruat,
Tu tibi belligeros nos retineto viros.
Turba sumus quam pellit humus sortita parentum,
Sorte pari remanere lari vult turba potentum,
Nos quoque sors misit regna tenere tibi.

Saxones à Voltigerno duce humaniter recepti.

Voltigernus ait; noua sint tibi gaudia regi,
Cui Fortuna truces sortis bonitate subegit,
Sic modò tu tua rex regna quieta regis.
Da tua Saxonibus fortissima castra foueri,
Iura, potestates, sub Saxonis arce teneri,
Saxonis officio da tua bella geri.
Cordis amicitia quam Voltigernus habebat,
Insita Saxonibus sic Saxonis acta fouebat,
Sic quoque Saxo duci corde fidelis erat.
Saxo tenens patriam regis bonitate leuatus,
Occulta feritate ducis subitò variatur,
Rex ducis ingenio perdidit ense caput.
Cum duce tunc equites ficto gemuêre dolore,
Vlciscíq; necem falso statuêre colore,
Cordeq; lætifico tristia gesta mouent.
Arce truces statuêre ducem consistere regem,
Saxonica virtute sedens tenet omnia lege,
Enseq; Saxonico regnat in orbe suo.
Huius erat regis milcs de semine natus,
Dux Volgimerus, vulgi ratione vocatus.
Militiæ princeps clarus, ad arma potens.
Ille dolet quòd regna solet sua Saxo tenere,
Nam fieri, si Saxo perit, vult regius hæres,
His & ob inuidiam tunc grauis hostis erat.

De Orsone & Engisto.

Tunc erat Anglorum regalis copula fratrum,
Orsus & Engistus Angra ratione vocati,

Hi duo Saxonibus ritè fuere caput.
Dum mouet introrsus dux Volgimer arma seorsum
Restitit his prorsus saliens Engistus & Orsus,
Insula Britonum præstat vtrunque dolum.
Volgimer & Saxo, sua dum certamina taxant,
Vtraque pars passa, Britannica prædia quassat,
Vulneribusq; datis mors sit vtrinque satis.
Volgimer vt regnum satagit vexare paternum,
Saxonibusq; locum cupit annihilare modernum,
Saxo mouet pacis dicta, fauore patrum.
Rex vocat iratum patria dulcedine natum,
Et quasi pacatus sibi sponte reconciliatur,
Talibus alloquiis rem moderatur ei,

Saxonum commendatio.

Saxonicæ gentis cur opprimis agmina, fili?
Cùm regni sit amica mei custosq; cubili?
Sintq; bonæ fidei, belligeriq; viri?
Hæc regni diadema mei, me teste, parauit,
Hostiles probitate dies satis alleuiauit,
Quam malè persequeris rem bene gessit, ait.
Pacificos largire dies, depone furorem,
Saxonibus tu redde tuum constanter amorem,
Hæc tibi proficuo me moriente foret.
Cùm regni sis nate mei spectabilis hæres,
Saxonica probitate potes tua iura tenere,
Hi tua iura ferent, & tua bella gerent.
Volgimer acta patris non suscipit ordine pacis,
Saxo quasi gratis iuuenis fert bella minacis,
Attamen iratis restitit ense satis.
Orsus & Engistus Saxo non sustinet istud,
Undiq; per patriam contraria prælia sistunt,
Et ducis ardore bella mouente mouent.
Dum furit introrsus tellus Britannica prorsus,
Transit Oceanum mare dux Engistus & Orsus,
Et redit in patriam frater vterque suam.
Angria Saxonicos dominos rediisse reuelat,
More Macedonico proponitur alta querela,
Quam mala Volgimeri prælia Saxo ferat.
Undique per patriam sonitu feruente querelæ,
Fœmina cum maribus sua nititur arma mouere,
Insula Britonum iam noua bella feret.
Orsus & Engistus propriam duxêre sororem,
Quæ specie formaq; datur meruisse decorem,
Regis ad accubitum digna Corinna foret.

De Angria regina & regione, & cæteris actis.

Angria regina nomen tulit à regione.
Fœmina Teutonica roseo suffulta colore,
Cuius in obsequium signa Macedo mouet.
Plena per æquoreos fertur ratis inclyta fluctus,
Insula Britonica parcos videt vndique luctus,
Dum ratis arma gerit, subdita terra perit.
Saxonicæ gentis rex Voltigernus amator,
Pacis vtrinque dator, cupit esse reconciliator,
Et petit alloquio bella silere dato.
Bella silent, dum pacta vident, vexilla quiescunt,
Colloquiis hinc inde datis fera corda tepescunt,
Rex parat iratis fœdera stricta satis.
Pacis ab hac hora dum rex dare pacta laborat,
Rixa scelus renouat, rixantur in vlteriora,
Miles ad arma volat, pax perit absque mora.
Saxonici populi valido stant cuspide fulti,
Vnde suis cultris hostes perimuntur inulti,
Omne decus patriæ Saxonis ense iacet.
Viribus Anglorum vires superantur eorum,
Ense Macedo bonum superat perimitq; colonum,
Saxo tulit patriam, diripuitq; solum.
Volgimer elatus hostiliter inde fugatus,
Visa morte patrum timet hîc incurrere fatum,
Per medium nemoris labitur atque fugit.
Tempore pòst modico fertur periisse veneno,
Vndique per patriam Saxo viget ordine pleno,
Amodo Saxonibus plena trophæa fero.
Regis amicitia qua sæpe Macedo reuixit,
Regis in obsequium victorum pectora fixit,
Subditus vnde sibi Saxo remansit ibi.
Consona Saxonibus fit regis vbique voluntas,
Saxo patrem regem reputat quocunq; triumphat,
Quippe suo regi climata victa regit.
Orsus & Engistus quasi conregnare videntur,
Nam cum rege simul communia regna tenentur
Rex pater, hi nati, posteritate sui.
Victima principibus mandatur amœna parari:
Rege sedente lari datur Angria virgo vocari,
Sydere splendidior, gaudia forma parit.
Angria regina maris huc euecta carina,
Fratribus inclinat, regiq; decora propinat,
Et citò regale pectus amore ligat.
Virginis aspectus penetrat sine vulnere pectus,
Mox amor iniectus latuit sub pectore tectus,
Mentis in ardore tela puella mouet.
Vestibus auratis nituit coma flaua capillis,
Pocula dum recipit oculos rex intulit illi,
Dumq; videre libet, dicit; Amica bibe.
Gustat vt illa, refert; Mecum bibe diua potestas,
Rex ait; Ergo sede, tua me constringit honestas,
Sub lare regali te decet (inquit) ali.
Pocula præbentis dulcantur in ore potentis,
Inde calor mentis impellit ad acta volentis,
Plus vbi vina bibit plus adamare libet.
Mensa breuis, fortuna leuis, pro virgine veni,
Cor regis quod virgo vehit. sub pectore fauit;
Tracta manu leni, dicit; Amanda veni.
His ita præuisis, virgo celeberrima risit,
Fratribus ascitis, regi sua dicta remisit,
Si cupit Angrorum lege parare thorum:
Et mihi lege bona vult participare corona,
Regis ad obsequia sint agmina Saxona prona,
Verba placent fratri, sponsa fit absque mora.
Orsus & Engistus socia regnante sorore,
Amodo maiore funguntur vbique fauore,
Insula tota fauet, regna quieta manent.
Brito timet factum, quia Saxo tenet dominatum,
Ne sibi primatum reputet vincendo paratum,
Vendicat imperium Saxo labore datum.
Viribus Angrorum cœpit malè terra grauari,
Nomine vulgari datur Angriterra vocari,
Illud & Angrorum nomen ab vrbe trahit.
Moribus & linguis victoribus assimilatur,
Angria perpetuò victore vocante vocatur,
Angria dicta per R tunc ibi non erat L.
Gregorius Papa, cuius baptismate pollent,
Nomina dans, dedit L, prius R de nomine tollent,
Sic velut Angelicos Papa vocauit eos.
Tunc erat in patria mons, culmen habens speciosum,
Qua rex Angrorum castrum parat imperiosum,
Nis

Nec potuit lapidum pondera ferre locus.
Quotquot enim muri coalent hodie valituri,
Mane cadunt vacui, pòst cras iterum ruituri,
Quicquid ponit ibi, subdita terra bibit.
Mirantur populi, mirantur ab arte magistri,
Quicquid ibi lapidum poterint iactare magistri,
Deperit absque mora: nam lupa terra vorat.
Rex iubet ariolos longa statione vocari,
Et magica mox arte sibi iubet insinuari,
Mœnia cur recidant, quæ sibi terra trahit.
Cur cadat, ignorant; sed quomodo stare valerent,
Fingere consilium mendaciter illicò quærunt,
Quod simul inueniunt, rege iubente ferunt;
Hunc, aiunt, montem, superi sibi constituerunt,
Sæpe sibi reges libamina magna tulerunt,
Quæ nisi tu dederis mœnia nulla ferunt.
Munera sacra deis, quæ te modò ferre iubemus,
Nec tu ferre potes, neq; nos in rebus habemus.
Nec dabit hæc penitus, insula, terra, nemus.
Sanguinis humani petit hic torrente sacrari,
Corpore fundari, pòst desuper ædificari,
Murus ab hinc stabit, si memorata dabis.
Nec tamen humanum petit hæc tua victima corpus,
Cuius ab humano sit semine conditus ortus,
Natus erit matre filius absque patre.
Consilio vatum rex amodo certioratus,
Undique legatos direxit ad ista paratos,
Quæritur optatus, sorte ferente datur.
Inueniunt puerum fantasmatis arte creatum,
Nomine Merlinum, vatem sine dogmate vatum,
Partu fœmineo, sed sine patre datum.
Suscipit inuentum puerum pars magna potentum,
Eius in aduentu, castrum putat esse redemptum,
Corpus Merlini si tumuletur ibi.
Quæritur à matre, quo spermate, qua nouitate,
Filius à matre potuit nasci, sine patre.
Rettulit illa patet incubus esse pater.
Ad regem Merlinus ait; nihil hic operaris,
Vatibus ignaris, caueas ne decipiaris,
Nil tibi proficui turba maligna parit.
Ecce meum corpus si mittitur arte seorsum,
Mox erit absorptũ, cadet vrbs tua, rupta retrorsum,
Multiplicando dolum perdis vtrunque bonum.
Duc (ait) Ariolos, turbamq; iubeto magorum
Dicere, murorum quæ sit modò causa tuorum,
Quid sibi fata volunt, quis sit in arte dolus.
Dicere si norunt, tu dogma tenebis eorum,
Si male decipiunt, gladius sit pœna malorum,
Pòst, ego murorum consolidabo solum.
Verba placent pueri, rex illicò dicta requirit,
Nec valet arioli quod poscitur arte potiri,
Pœna datur sceleri, quam puer inquit, ibi.
Carcere multorum referat rex colla magorum.
Vt si forte dolum puer exsuperaret eorum,
Fiat in ariolos mortis vbique forum.
Amodo Merlini verbis datur insinuari,
Cur lapis inde cadit, quo rex iubet alta parari,
Cur opus artificis concaua terra trahit?
Si cupis inuisa (puer inquit) ænigmata dicam,
Montis in arce sita stat desuper vnda petita.
Terra superposita pendula pendet ita:
Portat onus terræ, crustaq; natante, superne,
Amplius inferre finis, nequit vndula ferre,
Pondera pressa bibit quæ superaddis ibi.
Vt pateat dubium, montis latus infodiatur,
Inde tibi fluuius quem nescis vt egrediatur,
Siccus abinde lacus siccaq; terra datur.
Nomine Merlini rex imperat hunc aperiri,
Magnus apertus ibi fluuius monstratur adiri,
Castra suis populis rex fabricabit ibi.
Restat vt illorum rex puniat acta magorum,
Quorum sæpe dolus fuerat sibi causa dolorum,
Concremet ipsorum corpora tectatorum.
Dum cadit ariolus, dum montis ad acta venimus,
Vndique Merlinus vates sit summus & imus,
Vt docet Oceanus, Iscotiaq; sinus.
Egrediente lacu terret grauis vnda colonum,
Gurgitis è medio surgit tetra forma draconum,
Undiq; dant strepitum, concutiuntq; solum.
Climata Cornubiæ bini petiêre dracones,
Rufus & albus erant, errore premunt regiones,
Territus hinc populus rura timendo colet.
Vter & Aurelius quos cartha suprà memorauit
Principis Italici de semine Maximiani.
Militis officio tunc valuêre magis.
Vter in arma furens inuadit & ipse draconem,
Cuius ad interitum datur ingessisse mucronem,
Indeq; plebs patriæ gaudia magna monet,
Qui prius Vter erat, iuuenis, milesq; decorus,
Vter Pendragon sub lege vocatur eorum,
Nomine serpentis nomen habere volunt.
Fama recens vagabunda necem gerit ipsa draconis,
Vter eum iugulasse reum datur ore mucronis,
Terror inest regi, famaq; lata bonis.
Ad regem Voltigernum dum fama veniret,
Dicit; Merline tu quæso futura require,
Nam regina timet, dum noua tanta videt.
Dic (precor) augurium nobis Merline draconum,
Quid rumor, quid fama sonat, partis regionum?
Vter & Aurelius, quæ sibi iura volunt.
Merlus ait: Ventura magis, si noscere gliscis,
Iam regni metuenda tui symptomata discis,
Fortuitosq; dies applicuisse scies.
Hos ego serpentes binos loquor esse potentes,
Vter & Aurelium, iam regna paterna petentes,
Iudicioq; Dei terra redibit eis.
Quæ bona Saxonibus sunt, aut tibi subdita tollent,
Militis officio, patriaq; inuamine pollent,
Cæsar enim Romæ posset vterque fore.
Sanguinis insani pueri sunt Maximiani,
Semine Romani, feruent feritate ferali,
Tu tibi (si poteris) prospice, Merlus ait.
Insula diuiditur, populi duo sceptra sequuntur,
Regibus ambiguis regalia iura reguntur,
Bellaq; Saxonicis sunt noua nata locis.
Obtinet Aurelius, regnum sibi conciliatur,
Voltigerna manus gladio cadit atque fugatur,
Perdit & archatum, perdit & ipse caput.
Angria regina regis viduata ruina,
Bella refert prima, neque viribus extitit ima,
Prælia fert varia, damna, pericla, minas.
Orsus & Engistus, seu cætera Saxona virtus,
Acriter obsistunt, regnum rapientibus istud,
Pro nece prostrati regis amara pati.
Vter & Aurelius dum regna paterna capessunt,
Viribus excrescunt, sed & Angrica bella tumescunt,
Regibus iratis arma tulêre satis.
Post varias cædes, hinc inde cremantur & ædes,

Conueniunt plebes, quas ferre pericula tædet,
Pacis apud proceres fœdus inire sedet.
Sic modus est pacis; quòd ritè reconciliatis
Saxonibus gratis tribuat rex fœdera pacis,
Vrbibus & feudis, rebus, honore datis.
Angria regina, pacis sumpta medicina,
Regibus inclinat, secedit ad arua marina,
Qua sibi pacifica castra tenere sinant,
Aurelius primogenitus, regniq; monarchus,
Sic pacis sancita facit, sic prospicit actus,
Vt reparet patriæ gaudia, lata quies.
Confouet optima, dissipat horrida, regia norma,
Prælia deprimit, abdita reiicit, apta reformat,
Rex erat, imò pater, gesta paterna patent.
Attamen admissa patris feritate patrizat,
Nam prius inflixa renouat tormenta, remissa,
Et tenet erroris dogmata plena dolis.
Æmulus ipse Dei, populi fit tutor Hebræi,
Atria scripta vehit, sectamq; fouet Manichæi,
Catholicique rei prorsus habentur ei.
Post annos paucos, post multa pericula rerum,
Suscipit Aurelius fatum finemq; dierum,
Justus apud proceres, sed reus ante Deum.

Defuncto Aurelio rege Anglorum erigitur Vter, qui & Pendragon dicitur.

Post regis fatum dominus terræ variatur,
Rex obit Aurelius, germanus ad alta vocatur,
Erigitur solium, versa corona datur.
Vter Pendragon rex est cognomine dictus,
Viribus inuictus, cuius draco decidit ictu,
Moribus & specie regia forma placet.
Vsus erat, regem proceres ad pascha vocare,
Nuncia lætitiæ conuiuia magna parare,
Regis & à solio regia dona dare.
Ferre nec est licitum sine coniuge dona maritum,
Imò simul veniunt, dominum laudare petitum,
Præbet eis solitum principis aula situm.
Diuidit alterutrum dominus conuiuia rerum,
Dextera sit procerum, sit & altera pars mulierum,
Rex sedet in medio, fercula digna ferunt.
Dux ibi Cornubiæ tunc primus in ordine sedit,
Vxor in opposito, cui nomen Hierna, comedit,
Cui citò rex oculos luxuriando dedit.
Dum sedet alta rosa, magis omnibus est speciosa,
Fercula multiplicat rex omnibus inuidiosa,
Per varios oculos cætera turba notat.
Hæc vbi subrisit, oculos compota remisit,
Nutibus inniti, nexi sunt pectore visi,
Fœmineas latebras tactus amore sitit.
Curia magnarum commota sedet dominarum,
Nam velut ignarus rex non videt agmen earum,
Respicit hanc nimium, cætera cuncta parum;
Hunc amor inuoluit; citò rex conuiuia soluit;
Dum cupit hanc tolli causam, rota versa reuoluit,
Territus exurgit dux, & Hierna fugit.
Mane sub aurora fugiunt stationis ab hora,
Laxa ducis lora, loca præripiunt potiora,
Ad loca Cornubiæ fertur Hierna volans.
Dum fuga facta sonat, rex vstus amore laborat,
Imperat vt redeant, dux pergit in vlteriora,
Dum fugit illa foras, rex furit absque mora,
Lex erat vt nunquam proceres à rege recedant,
Ni prius his reditum concessa licentia quærat,
Vtq; domum rediens regia scripta ferat.
Regula præfata quum iam foret euacuata,
Ad Ducis interitum sunt regia bella parata,
Terraq; damnata perditione rata.
Arte satis forti parat ille resistere forti,
Sæpe tulit patulis regalia prælia portis,
Sæpe dedit gratis prælia dira satis.
Rex tenet obsessum, procerum virtute repressum,
Abstulit ingressum, restrinxit ab vrbe regressum,
Jussit & induci prælia multa Duci.
Sic amor occultus regali pectore sultus,
Efficit insultus, equitum mouet ipse tumultus,
Dat quoque languere, regia membra terens.
Nunc amor iniectus penetrat sine vulnere pectus,
Visceribus tectus amor est pallore repertus,
Tela nec euadit, pressus amore cadit.
Dum sic est, Gothorum petit auxilium medicorum,
Nec valet antidotum causas remouere dolorum,
Nescit enim medicus quod sit amoris onus.
Quum timet ipse mori, datur optima cura labori,
Merlinus fert consilium studio meliori,
Mirus in auxiliis, miraq; facta colit.
Quærit & à medicis, quæ sit modò causa doloris,
Dicere dum nequeunt, grauis est sibi pœna pudoris,
Quæ latet interius, promitur ira foris.
Merlus ait regi; te causa perurget amoris,
Ite foras medici, labor est vbique labori,
Regia deserite, quærite iura fori.
Quæso torum regis nostræ imitate* legi,
Depulsis medicis solatia Merlus adegit,
Inde domus regis gaudia digna vehit.

De Merlino propheta Anglorum.

Rex modò Merlini quæ sit medicina requirit,
Ille refert; volo te nemorum statione potiri,
Tuq; meis studiis mira videbis ibi.
In Ducis ecce tuam faciam transire figuram,
Nunc ita mansuram, rursusq; tibi redituram,
Forma Ducis pura sit modo forma tua.
Hac ego sorte suos in nostros verto ministros,
Vt putat ecce Ducis seruos qui viderit istos,
Me quoque seruili pelle videbis ibi.
Vultibus arte datis, pro velle tuo variatis,
Nominibus variis forma variante vocatis,
Velle tuo poteris luxuriare satis.
Amodo Cornubiam curemus adire Ducissam,
Sanet vt infixa tibi vulnera pectoris ipsa,
Qua satis ascita, tunc remeabis ita.
Sis licet in guerra, castri conscende superna,
Quam cupis interea, te pulchra videbit Hierna,
Dum mentita viri forma sedebit ibi.

De eodem.

Vatis ad indicium gaudet rex, illicò surgens,
Edita perficere socios mandata perurgens,
Pergit vt ista gerat, qui prius ager erat.
Non erat in castro tũc cum duce pulchra Corinna,
Altera pars montis ducis altera castra resignat,
Qua residens plenè semper Hierna manet.
Imperat armatos rex hic remanere ministros,
Ducere promittens equites plures super istos,
Hæc via mentita regis habetur ita.
Rex vbi carpit iter, paucis comitatus alumnis,

Monti-

Montibus ingeritur per summa cacumina summis,
Suscipit vt proprium magna Ducissa virum.
Regis in aduentu dat gaudia turba potentum,
Organa cùm centum reboant, sub laude retentum,
Laude canunt Dominum, villa, platea, forum.
Regis in amplexu dat pro duce fœmina nexum,
Artibus impressum vultum ducis, oscula, fletum,
Arte superducit oribus ora ducis.
Tunc noua de rege faciunt exponere regem,
Ille refert; regem prauam præcedere legem,
Dum qui regna regit destruit ipse gregem.
Rex, ait, armatis infert mihi prælia gratis,
Destruit atque capit bellis mea castra patratis,
Attamen arma sapit nostra nociua satis.
Me premit iniustus, locus est mihi circiter vstus,
Imminet incursus, bello sum totus onustus,
Hic mihi nunc requiem conferat vna dies.
Fortiter ingemuit cùm vidit Hierna maritum,
Hostibus attritum, nimioq; labore petitum,
Condolet ignitum Marte perire situm.
Nocte sedenti plena, regem vocat inclyta cœna,
Rex satis accelerat, consedit Hierna serena,
Sed magis in Venerem cor comedentis erat.
Fit modò mensa breuis, mens saucia, pauca comedit,
Clauditur interius, dominaq; fauente resedit,
Cætera quæ petiit larga Corinna dedit.
Nocte iacent tota, veniunt solatia mane,
Illa refert germen vtero consistere planè,
Qui pater efficitur, lætior inde manet.
Noxq; dieq; simul subitò signatur & hora,
Lætitia plenus pater est, & abire laborat,
Mox quæ signa gerit rex memoranda dedit.
Quæ fert signa pater, retinet sibi conscia mater,
Et quæ mater habet, secum rex deferet acer,
Nec patuit matri subdola forma patris.
Cedit ab vxore dux fictus, aditq; laborem,
Dum redit in nemore prisco renouatur honore.
Scribere nunc placuit quid sua turba facit.

Vter Pendragon rediens à collusione ducissę, inuenit ducem occisum, & castrum eius captum.

Rex vbi de castris Merlo comitante recessit,
Miles ab incepto modicum sua castra repressit,
Et datis insidiis sic latitabat ita.
Miles ab arce ducis dum castra relicta videret,
Irruit in paucos, spolium confisus habere,
Dux quoque cum reliquis prosilit arma ferens.
Regis ab insidiis exercitus obuiat illis,
Iura sui domini manibus defendit Achillis,
Dux miser hìc capitur, perdit & ense caput.
Altera pars equitum quæ cum duce venit ab arce,
Fusa iacet penitus, regis manus obtinet arcem,
Regia regale signa cacumen habent.
Dum redit ex nemore rex hostis adire laborem,
Signa videns castri, proprium cognoscit honorem,
Tunc iter accelerans, gaudia digna mouet.
Prælia victorum laudat sine fine suorum,
Quoslibet ad libitum socios ditauit eorum,
Inde cupit reliquum tollere Marte solum.

Item de Hierna ducissa, obsessa in arce sua.

Vter Pendragon iubet Anglica signa moueri,
Viribus armorum se quærit Hierna tueri,
Nescia quòd socia regis & vxor erit.
Sub specie pacis recipit mandata minacis,
Vt veniat mediis componere fœdera pratis,
Ne pereat gratis rebus & arce datis.
Illa refert; habeo fortem super arce maritum,
Hic tibi colloquium teneat pro pace petitum,
Non decet vt mulier quærat ad arua situm.
Rex ait; ingratum cognosce ducem iugulatum,
Defere mortè datum, melius iam percipe fatum,
Ne tibi sit dubium, respice, tolle caput.
Saucia mortiferis causis, infixaq; telis,
Concidit exanimis mulier turbata fidelis,
Verbaq; cùm rediit vix rediuiua dedit.
Mors iniusta ducis tibi rex non proficit, inquit,
Ipse mihi prolem quam gesto, ventre relinquit,
Si pater ense perit, filius hostis erit.
Vrbs mea tam fortis, tua non timet arma cohortis,
Nec patulis portis metuit discrimina sortis,
Dum puer hic viuit, ipse manebit ibi.
Rex ait; ô domina, secretius (oro) loquamur,
Gesta tibi referam, quæ chara ferenda putamus,
Ex quibus indicia digna fauore damus.
Pone supercilium, cœptumq; relinque furorem,
Si mihi credideris, summum retinebis honorem,
Gaudia percipies quæ lachrymata doles.
Vix deuicta prece mulier fortissima regi
Cessit, & alloquiis animum reuerenter adegit.
Amodo Merlini mira loquentur ibi.

Loquitur cum ducissa.

Rex placator ait; pro te mea bella paraui,
Te nimis optaui, nimiumq; coactus amaui,
Fune tuo potui vinctus amore trahi.
Sub ducis effigie tecum quandoque resedi,
Deditus ingenijs lecto rutilante quieui,
Basia cum reliquis actibus ore dedi.
Ore tuo didici, quia germina venter haberet,
Vnde tibi placuit propriè mea signa tenere,
En tua quæ teneo, respice, nosce, gere.
Hic quem ventre tenes meus est, hunc opto tenere.
Iste meæ patriæ rex est, regniq; cohæres,
Tu regina sedes, & diadema feres.

Hierna ducissa recognoscit dicta Regis, & tradit se illi.

Credidit absque mora, cognouit & acta priora,
Illicò maiora recipit, spernitq; minora,
Abstergit lachrymas, pellit amara foras.
Splendida fit facie, capit illicò lætà colorem,
Pallida quæ fuerat recipit regina ruborem,
Clarior est flore, cùm prius ægra foret.
Miles vt inquirit, quid nam sibi causa requirit,
Illa iubet regi castrum properans aperiri,
Vndique suscipiens iussa colenda viri.
Nuptia regalis datur illicò mira parari,
Illa subarrari, reginaq; summa vocari,
Pace vacant populi flumine, rure, mari.
Indice Merlino rex & regina requirit,
Plasma iacens vtero, quo debet honore potiri.
Fœmina si fuerit, dignáve forma viri?
Lætus ait vates; en gaudia magna parate,
Currite primates, cœloq; resoluite grates,

Nam quæ ventre latent mira futura patent.
Hic erit Arturus rex summus in orbe futurus,
Prælia gesturus, loca Gallica rex habiturus,
Nomine Magnus erit, vulneribusq́; perit.
Nec perit omnino, maris obseruabitur imo,
Viuere perpetuò poterit ex ordine primo,
Ista tibi refero, cætera claudo sinu.
Arturi qui tantus erat, si bella requiris,
Omne solum variis potuit deuincere miris,
Viribus & gladiis præfuit ipse viris.

PARTIS DECIMÆOCTAVÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM PARS XIX.

De regalib. insignibus, videlicet de sancta cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diademate: quid significent gemmæ in corona: quid significet aurum in corona: quid significet crista in corona:

CÆsar iussit heri quæ sint insignia quæri,
Quæ caput Imperij digne perhibentur haberi,
Et cur signa gerit, quid rationis erit?
Vt scriptura tonat, crux, ensis, sceptra, corona,
Lancea, palla, bona nobis insignia donant,
Restat vt exponam, quid sua signa sonent.

Quid significat illa crux.

Crux caput Imperij, datur hæc medicinaq́; morbis,
Climata quadrati per brachia continet orbis,
Crux est scala Dei, spes, via, vita reis.
Hac datur ascensus iustorum mercè repensus,
Hac latro suspensus, recipit pro crimine census,
Hanc solet Imperium ferre per omne solum.
Brachia distenta mundum complexa retentant,
Cunctaq́; portenta Christi virtute retenta,
Crux velut athleta noxia cuncta vetat.
Vnde per hoc signum, quo tollitur omne malignum,
Imperij dignum caput est venerabile signum,
Prælia virtutis dant sibi signa crucis.
Crux datur Imperio speciali iure ferenda,
Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda,
Et gerit in terris signa colenda crucis.

Quid significat gladius Regalis vel Imperialis.

Iudicij signum gladius monstrare videtur,
Quo malefactorum feritas cessare iubetur,
Vt latro frustretur, rex tenet arma secus.
Præcipitur gladius vibratus semper haberi.
Puniat vt subitò, potuit quod culpa mereri:
Nam si tardus erit, pax vacuata perit.
Iura sibi soli Deus edere, condere patrat,
Vt gladio laqueoq́; suo mala pressa quiescant,
Si mala non premeret principis vmbra foret.
Sic sibi regna Deus subiecit, sic iurgia legum,
Quod valet humano lucrari sanguine cœlum,
Munera grata Deo dat pereunte reo.
Ense quiescente compescere non valet orbem,
Sanguinis humani torrente potest moderari,
Qui regnare volet sanguine iura colet

Quid significat sceptrum regale.

In manibus regum dum regia sceptra tenentur,
Tunc quasi per virgam cõpescere cuncta videntur,
Pœnaq́; præstatur quæ ratione datur.
Vsibus innumeris & legibus vndique fultus,
Instruit hic homines dignos prætendere cultus,
Regia virga tamen, quo moderentur habet.
Plura solent homines per climata fingere iura,
Cæsar sceptra tenens, nouit distinguere plura,
Imperat & virga iura valere sua.
Vita, genus, linguæ variæ, variant regiones,
Vna nequit cunctos distinguere regula mores,
Vnde per Imperium plurima iura moueat.
Lex supereſt legi, rex regi pluribus vnus,
Par supereſt paribus, mos moribus, vsibus vsus,
Imperat his vnus, cuius in orbe sumus.
Lex Romana locum super omnia iura meretur,
Nec tamen euacuat quod in his rationis habetur,
Vult magis atque minus Cæsar habere simul.

Quid significat lancea Imperialis, & vnde venit.

Lancea Mauricij reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis,
Clauus nanque Dei iunctus habetur ei.
Subiicit Imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hæc vbi bella mouet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites,
Ex hac Cæsar habet quod sibi regna fauent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faueret,
Exitii indigetis terror amarus erat.
Nunc liber expone, quo casu, qua ratione,
Traditur Imperio post hæc sacra lancea Romæ,
Et cur Bosonem littera nostra sonet.
Boso formosus, rex magnus, rex animosus,
Insomnis totus quandoque fuit furiosus,
Inde soporatus alligat ense latus.
Hunc requiescentem somno quicunque vocaret,
Regia dextra virum mox plena furore necaret,
Solus & absque pare dormit ipse lare.
Tempore natalis Domini rex est Arelati,
Pontifices sacri surgunt ad festa parati,
Noctis ad officia laude canore dati.
Dumq́; gerit sacrum, præsul quo missa canuntur,

Rex

Rex venit iratus, quia non fuit ante vocatus,
Fusteq; mitratum percutit ipse caput.
Res plangenda satis, præsul cum sanctificatis,
Percutitur gratis, solennibus euacuatis,
Amodo noscatis quid Deus inde facit.
Tam male tractati tunc pontifices Arelati,
Milite collecto veniunt ad bella parati,
Cœlestis fati digna patrare pati.
Vnde coarctatus rex surgit ad arma vocatus,
Vincitur, eiicitur, stat præsul honorificatus,
Rex dolet iratus, ludibrioq; datus.
Mens deuicta dolet, nimio confusa pudore,
Nec regnare volet, quia bello perdit honorem,
Optat vt & monachi iam sibi vita foret.
Imperij solium cùm maximus Otto teneret,
Et valitura satis mundi fortuna faueret,
Huic rex Boso loquens verba gemendo refert;
Trado tibi regnum, cunctos depono decores,
Amodo nostra tibi sacra lancea præstet honores,
Sola mihi monachi vita colenda foret.
Do tibi Viuarium, Lugduni sede sedebis,
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, castra tenebis,
Rex ibi Francigenis prædia nulla petit,
Lancea Mauricij, mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum quæ nunc mea regna notaui,
Nunc caput Imperij lancea sancta dabit.
Qua dubius Sauna, Rhodanus fluit, estq; Vienna,
Cis mare Tyrrhenum fuerant Bosonica regna,
Huic simul Allobroges & Morienna fauent.

Quid significat globus aureus, qui Regum manibus gestatur.

Aureus ille globus, pomum vel palla vocatur,
Vnde figuratum mundum gestare putatur,
Quando coronatur, palla ferenda datur.
Significat mundum, forma perhibere rotundum,
Intus habet plenum, terrestri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Vt foret Imperij manibus gestanda supernis,
Hac tulit Imperium Iulius arte suum.
Taliter hunc mundum gestat manus vna rotundũ,
Regius includit sic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

Quid significat crux posita super aureum pomum.

Crux supereſt pomo cœli super insita dono,
Suscipe corde bono rex, quæ tibi mystica promo,
Teq; sedente throno prospice quid sit homo.
Crux & palla simul pariter connexa tenentur,
Hæc magis, illa minus, parte reuerenda videntur,
Hæc ferit, hæc sanat, hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis, pugno concludere regna,
Significata crucis tibi sint reuerenter habenda,
Seruulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Quid significat diadema Imperiale.

Hoc diadema sonat duplam conferre coronam,
Quod veterem Romam mundanaq; climata donat,
Hoc quicunque tenet summus in orbe sedet.
Dupla corona manet, quia dum cõplectitur vrbem
Continet & reliquum fastu diadematis orbem,
Sic facit esse suas vna corona duas.
Non loquor esse duas numeri ratione, sed actu,
Vrbis & orbis habet solium diadema subactum,
Hæc duo continuans omnia Cæsar erat.

Quid significant gemmæ preciosæ in corona, & quis eas instituit.

Iulius instituit gemmas supereſſe coronæ,
Vt preciosa foret lapidum grauidata decore,
Nunc liber exponet, quid sibi gemma volet.
Quattuor in cunctis sunt insita mystica gemmis,
Durities, virtus, splendorq; colorq; perennis,
Hæc, qui Cæsar erit, mystica nosse velit.
Duritie constans, virtute refertur honestus,
Est bona fama color, splendor sine crimine quæstus,
Quattuor ista geret qui diadema feret.

Quid significat aurum in coronis.

Aurea materies regalibus apta coronis,
Indicat imperium mundi supereſſe patronis,
Circulus est orbis forma rotunda soli.
Aurum cuncta suo superat fulgore metalla,
Imperium superat quos orbis continet aula,
Et bene Romuleo iure gubernat eos.
Suscipit innumeras aurum tractabile formas,
Suscipit & varias Romana monarchia normas,
Flexibilis, facilis, aurea forma suis.

Quid significat crista in coronã Imperiali.

Dicitur augusta circlo super addita crista,
Publica res aucta planè monstratur in ista,
Qui diadema gerit, victor & author erit.

PARTIS DECIMÆNONÆ FINIS.

GOTFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORVM

PARS XX.

Catalogus omnium Pontificum Romanorum, & omnium Imperatorum Romanorum; & etiam omnium Regum qui fuerunt ab initio mundi vsque ad Papam Vrbanum tertium, & vsque ad Imperatorem Fridericum primum, & ad filium eius regem Henricum sextum.

PAPAE.

Saluator noster

DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS sedit in hoc mundo annis triginta duobus, mensibus tribus.

Pontifices Romani.

Petrus apostolus, sedit annis viginti quinque, mensibus quinque, diebus quatuor.

Linus Papa, sedit annis vndecim, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus Papa, sedit annis duodecim, mense vno, diebus decem.

Clemẽs Papa, sedit annis nouem, mense vno, diebus decem.

Anacletus Papa, sedit annis nouem, mensibus quinque, diebus vndecim.

Euaristus Papa, sedit annis nouẽ, mensibus quinque, diebus decem.

Alexander Papa, sedit annis decem, mensibus septem, diebus quinque.

Xystus Papa, sedit annis decem, mensibus quinque.

Telesphorus Papa, sedit annis vndecim, mensibus quinque, diebus viginti & vno.

Higinus Papa, sedit annis quatuor, mẽsibus duobus, diebus tribus.

Anicetus Papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus tribus.

Pius Papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quatuor.

Soter Papa, sedit annis nouem, mensibus septem.

Eleutherus Papa, sedit annis vndecim, mensibus nouem, diebus tribus.

Victor Papa, sedit annis vndecim, mensibus septem, diebus duodecim.

Seuerinus Papa, sedit annis nouem, mensibus nouem, diebus tribus.

IMPERATORES.

IVlius Cæsar, regnauit annis quatuor, mensibus sex.

Octauianus Imperator, regnauit annis quinquaginta sex.

Tiberius Imperator, regnauit annis tredecim.

Gaius Caligula Imperator, regnauit annis tribus, mensibus decem.

Claudius Imperator, regnauit annis quatuordecim, mensibus quinque.

Nero Imperator, regnauit annis tredecim, mensibus nouem.

Hîc fuit prima persequutio.

Galba, Vitellius & Otho Imperatores, regnauerunt anno vno.

Vespasianus Imperator, regnauit annis nouem, mensibus vndecim.

Titus Imperator, regnauit annis duobus, mensibus duobus.

Domicianus Imperator, regnauit annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus.

Hîc fuit secunda persequutio.

Nerua Imperator, regnauit anno vno, mensibus quatuor.

Traianus Imperator, regnauit annis nouemdecim, mensibus quinque, diebus quindecim.

Hîc fuit tertia persequutio.

Adrianus Imperator, regnauit annis viginti, mensibus vndecim.

Hîc fuit quarta persequutio.

Antoninus Pius Imperator cum filiis suis, regnauit annis viginti duobus, mensibus tribus.

Marcus Verus Antoninus Imperator, cum fratre suo Aurelio Cõmodo, regnauit annis viginti nouem, mensibus quatuor.

Hîc fuit quinta persequutio.

Commodus Imperator, regnauit annis tredecim.

Ælius Pertinax Imperator, regnauit mensibus sex.

Seue-

PAPÆ.

menſibus nouem, diebus decem.

Calliſtus Papa, ſedit annis quinq;, menſibus duobus, diebus decem.

Vrbanus Papa, ſedit annis nouem, mẽſibus decem, diebus duodecim.

Pontianus Papa, ſedit annis quinque, menſibus ſex, diebus duobus.

Anteros Papa, ſedit annis ttibus, menſe vno, diebus nouemdecim.

Fabianus Papa, ſedit annis duodecim, menſibus duobus, diebus vndecim.

Cornelius Papa, ſedit annis tribus, menſibus duobus, diebus quatuor.

Lucius Papa, ſedit annis tribus, menſibus quatuor, diebus quinque.

Stephanus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus ſex, diebus duobus.

Xyſtus Papa, ſedit annis duobus, menſibus ſex, diebus octo.

Dionyſius Papa, ſedit annis quinque, menſe vno, diebus quatuor.

Felix Papa, ſedit annis quatuor, menſibus quatuor, diebus quinque.

Eutychianus Papa, ſedit menſibus decem, die vno.

Gaius Papa, ſedit annis vndecim, menſibus quatuor, diebus duodecim.

Marcellinus Papa, ſedit annis nouem, menſibus quinque, diebus ſex.

Marcellus Papa, ſedit annis quinque, menſibus octo, diebus viginti & vno.

Euſebius Papa, ſedit annis duobus, menſibus duobus. Iſti omnes martyres fuerunt.

Miltiades Papa, ſedit annis tribus, menſibus ſeptem.

Syluester Papa, ſedit annis vigintitribus, menſibus decem.

Marcus Papa, ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti.

Iulius Papa, ſedit annis vndecim, menſibus duobus, diebus ſex.

Liberius Papa, ſedit annis ſex, menſibus tribus, diebus quatuor.

Felix Papa, ſedit anno vno, menſibus quatuor, dieb. duobus. Liberius ab exilio

IMPERATORES.

Seuerus Imperator, regnauit annis nouemdecim.

Antoninus Caracalla Imperator, regnauit annis ſeptem.

Alexander Imperator, regnauit annis duodecim.

Macrinus Imperator, regnauit anno vno.

Marcus Aurelius Imperator, regnauit annis quatuor.

Hic fuit ſexta perſequutio.

Maximinus Imperator, regnauit annis tribus.

Gordianus Imperator, regnauit annis ſeptem.

Philippus cum filio ſuo Philippo, primus Chriſtianus Imperator, regnauit annis ſeptem.

Decius Imperator, regnauit anno vno.

Hic fuit ſeptima perſequutio.

Gallus Imperator, cum filio ſuo Voluſiano, regnauit annis duobus.

Valerianus Imperator, cum filio ſuo, regnauit annis quindecim.

Hic fuit octaua perſequutio.

Claudius Imperator, regnauit anno vno.

Aurelianus Imperator, regnauit annis quinque, menſibus ſex.

Hic fuit nona perſequutio.

Tacitus Imperator, regnauit menſibus ſex.

Probus Imperator, regnauit annis ſex, menſibus quatuor.

Carus Imperator, cum Carino & Numeriano filiis, regnauerunt annis tribus.

Diocletianus & Maximianus Imperatores, regnauerunt annis viginti.

Hic fuit perſequutio Chriſtianorum decima.

Conſtantius, & Galerius, & Licinius Imperatores, regnauerunt annis duobus, menſibus ſex.

Conſtantinus Imperator, regnauit annis triginta, menſibus decem.

Conſtantinus cum Cõſtantino & Conſtante fratribus, Imperatores, regnauerũt annis trigintaquatuor, mẽſibus quinque, diebus vigintitribus.

Iulianus Imperator, regnauit ãnis duobus, menſibus ſex.

PAPÆ.

reuersus. Nota, Felicem, qui in catalogo Pontificum positus est, ab hæreticis fuisse Liberio subrogatum, viuente Liberio: sed quare in catalogo stet, interroga Romanos.

Damasus Papa, sedit annis quindecim, mensibus quatuor, diebus duobus.

Syricius Papa, sedit annis vndecim, mensibus vndecim.

Anastasius Papa, sedit annis tribus, mẽsibus decem, diebus duodecim.

Innocentius Papa, sedit annis vndecim, mensibus duobus, diebus viginti & vno.

Sosimus Papa, sedit anno vno, diebus vndecim.

Bonifacius Papa, sedit annis tribus, mẽsibus octo, diebus septem.

Cælestinus Papa, sedit annis septem, mensibus decem, diebus septemdecim.

Xystus Papa, sedit annis octo, mense vno.

Leo Papa, sedit annis vigintiuno, mense vno, diebus tredecim.

Hilarius Papa, sedit annis septem, mensibus tribus, diebus decem.

Simplicius Papa, sedit annis sex, mense vno, diebus septem.

Felix Papa, sedit annis octo, mensibus sex, diebus septem.

Gelasius Papa, sedit annis quatuor, mẽsibus octo, diebus octodecim.

Symmachus Papa, sedit annis nouem, diebus septemdecim.

Hormisda Papa, sedit annis duobus, mensibus nouem, diebus septemdecim.

Ioannes Papa, sedit annis duobus, mensibus nouem, diebus sedecim.

Felix Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tredecim.

Bonifacius Papa, sedit annis duobus, diebus vigintisex.

Ioannes Papa, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex.

Agapetus Papa, sedit annis vndecim, mensibus decem, diebus vndecim.

Siluerius Papa, sedit anno vno, mensibus quinque, diebus vndecim.

Vigilius Papa, sedit annis tredecim, mẽsibus sex, diebus viginti & vno.

Fabianus Papa, sedit anno vno, mensibus quinque, diebus tredecim.

Pelagius Papa, sedit annis vndecim, mensibus decem, diebus vigintiseptem.

Ioan-

IMPERATORES.

Iouinianus Imperator, regnauit annis octo.

Valentinianus Imperator, regnauit annis vndecim.

Valens Imperator, regnauit annis quatuor.

Gratianus cum fratre suo Imperatores regnauerunt annis sex.

Valentinianus Imperator, regnauit annis duodecim.

Theodosius Imperator, regnauit annis vigintiseptem: cum vtrisque, & post vtrosque filios.

Arcadius, & Honorius, Theodosius cum Valentiniano, Imperatores, regnauerunt annis trigintaduobus.

Honorius & Arcadius Imperatores, regnauerunt annis vigintiquinque.

Valentinianus cum Martiano Imperatores, regnauerunt annis nouem.

Martianus Imperator, regnauit annis sex, post Valentinianum.

Leo Imperator, regnauit annis septem.

Zeno Imperator, regnauit annis septemdecim.

Anastasius Imperator, regnauit annis septemdecim.

Iustinus senior, Imperator, regnauit annis septem.

Iustinianus Imperator regnauit annis trigintaquatuor.

Iustinus minor, Imperator, regnauit annis septem.

Tibe-

PAPÆ.

Ioannes Papa, ſedit annis duodecim, menſibus vndecim, diebus vigintiſex.

Benedictus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus duobus.

Pelagius Papa, ſedit annis decem, menſibus duobus, diebus decem.

Gregorius Papa, ſedit annis tredecim, menſibus ſex, diebus decem.

Sabinianus Papa, ſedit anno vno, menſibus quinque, diebus vigintiocto.

Bonifacius Papa, ſedit annis nouem, diebus vigintiduobus.

Deuſdedit Papa, ſedit annis tribus, mẽſe vno.

Bonifacius Papa, ſedit annis quinque, menſibus decem.

Honorius Papa, ſedit annis quinque, menſibus decem.

Seuerinus Papa, ſedit annis duobus, diebus quatuor.

Iohannes Papa, ſedit anno vno, menſibus octo, diebus nouemdecim.

Theodorus Papa, ſedit annis ſex, menſibus quinque, diebus quatuordecim.

Martinus Papa, ſedit annis ſex, menſibus duobus, diebus vigintiſeptem.

Eugenius Papa, ſedit annis duobus, mẽſibus nouem, diebus vigintiquatuor.

Vitalianus Papa, ſedit annis quatuordecim, menſibus ſex.

Adeodatus Papa, ſedit annis tribus, mẽſibus duobus, diebus quinque.

Donnus Papa, ſedit anno vno, menſibus quinque, diebus decem.

Agatho Papa, ſedit annis duobus, diebus quatuor.

Leo ſecundus Papa, ſedit annis decem, diebus tredecim.

Benedictus Papa, ſedit mẽſibus decem, diebus duodecim.

Iohannes Papa, ſedit anno vno, diebus nouem.

Conon Papa, ſedit menſibus vndecim, diebus vigintiduobus.

Sergius Papa, ſedit annis tredecim, mẽſibus nouem.

Ioannes Papa ſextus, ſedit annis tribus, menſibus duobus, diebus ſexdecim.

Ioannes ſeptimus Papa, ſedit annis duobus, menſibus ſeptem.

Siſinnius Papa, ſedit diebus triginta.

Conſtantinus Papa, ſedit annis ſeptem, diebus viginti.

Gregorius Papa, ſedit annis quinde-

IMPERATORES.

Tiberius Imperator, regnauit annis ſex.

Mauricius Imperator, regnauit annis triginta & vno.

Phocas Imperator, regnauit annis octo.

Heraclius Imperator, regnauit annis triginta ſex, cum Conſtantino filio ſuo.

Conſtantinus filius Heraclij.

Conſtantinus iunior.

Iuſtinianus iunior.
Leo.
Tiberius.

Iuſtinianus Imperator.
Philippus Imperator.

PAPÆ.

cim, menſibus vigintiduobus.

Gregorius Papa, ſedit ānis decem, menſibus nouem, diebus vigintiquatuor.

Zacharias Papa, ſedit annis decem, menſibus octo.

Stephanus Papa, ſedit annis quinque, menſibus tribus.

Paulus Papa, ſedit annis decem, menſe vno.

Conſtantinus Papa, ſedit anno vno, & diebus tribus.

Stephanus Papa, ſedit annis tribus, & menſibus ſex.

Adrianus Papa, ſedit annis vigintiquatuor, menſibus decem, diebus tredecim.

Leo tertius Papa, ſedit annis viginti, menſibus ſex.

Stephanus Papa, ſedit menſib. ſeptem.

Paſchalis Papa, ſedit annis octo.

Eugenius Papa, ſedit annis ſex.

Valentinus Papa, ſedit menſe vno, & diebus vndecim.

Gregorius quartus Papa, ſedit annis tredecim.

Sergius ſecundus Papa, ſedit annis tribus. Iſte Papa fuit primus qui nomen ſuum mutauit; & ſequentes omnes idem fecerunt.

Leo quartus Papa, ſedit annis octo, mēſibus quinque.

Papiſſa Iohanna non numeratur.

Benedictus Papa, ſedit annis duobus.

Paulus Papa, ſedit annis decem.

Nicolaus Papa, ſedit annis decem, menſe vno.

Adrianus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus vndecim.

Iohannes Papa, ſedit annis decem, mēſe vno.

Martinus Papa, ſedit anno vno.

Adrianus Papa, ſedit anno vno, menſibus tribus.

Stephanus Papa, ſedit annis ſex.

Formoſus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus ſeptem.

Bonifacius Papa, ſedit annis duodecim.

Stephanus Papa, ſedit anno vno, menſe vno, diebus quindecim.

Romanus Papa, ſedit annis quatuor.

Theodorus Papa, ſedit anno vno.

Iohannes Papa, ſedit anno vno.

Benedictus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus ſex.

IMPERATORES.

Anaſtaſius Imperator.

Theodoſius Imperator.

Leo, Conſtantini filius.

Conſtantinus, cum filio Leone.

Pipinus iam Francorum rex, & patricius Romanorum.

Leo poſt mortem patris ſui, Imperator.

Carolus Magnus iam rex Francorum, & patricius Romanorum.

Conſtantinus cum matre Irene, Imperatrice poſt filium ſuum.

Nunc Imperium transfertur ad Francos.

Carolus ille Imperator Francorum.

Ludouicus, cum Lothario filio.

Lotharius Imperator, poſt patrē ſuum.

Item Lotharius Imperator, cum filio ſuo Ludouico.

Ludouicus ſecundus Imperator, poſt patrem ſuum.

Carolus ſecundus, Imperator.

Carolus tertius, Imperator.

Arnolphus, ſecundum quoſdam.

Secundum Romanos, iſti in Italia Imperatores ſunt.

Leo Ludo-

PAPÆ.

Leo quintus Papa, ſedit menſibus duobus.

Chriſtophorus Papa, ſedit menſibus ſex.

Sergius Papa, ſedit annis ſex, menſibus quatuor.

Anaſtaſius Papa, ſedit annis duobus, menſe vno.

Lando Papa, ſedit menſibus quinque.

Ioannes Papa, ſedit annis quatuor, mẽſibus duobus.

Leo ſextus, Papa, ſedit annis ſeptem, diebus quindecim.

Stephanus Papa, ſedit annis duobus, menſe vno.

Iohannes Papa, ſedit annis tribus, menſibus decem.

Leo ſeptimus, Papa, ſedit annis tribus, menſibus ſex.

Stephanus Papa, ſedit annis tribus, mẽſibus quatuor.

Marinus Papa, ſedit annis tribus, menſibus ſex.

Agapetus Papa, ſedit annis nouem & menſibus octo.

Iohannes Papa, ſedit annis quatuor, & menſibus tribus.

Benedictus Papa, ſedit anno vno, menſibus quinque.

Leo octauus Papa, ſedit annis duobus, menſibus tribus.

Iohannes Papa, ſedit annis quinque, menſibus vndecim.

Benedictus Papa, ſedit anno vno, menſibus quinque.

Donnus Papa, ſedit anno vno, menſibus ſex.

Bonifacius Papa, ſedit menſe vno.

Benedictus Papa, ſedit annis nouem.

Iohannes Papa, ſedit menſibus octo.

Iohannes Papa, ſedit menſibus quatuor.

Iohannes Papa, ſedit annis decem, mẽſibus ſex.

Gregorius Papa, ſedit anno vno, menſibus ſex.

Iohannes Papa, ſedit menſibus decem.

Silueſter Papa, ſedit annis quatuor & menſibus quinque.

Iohannes Papa, ſedit menſibus quinq;.

Iohannes Papa, ſedit annis tribus.

Sergius Papa, ſedit annis tribus.

Benedictus Papa, ſedit annis vndecim, menſibus vndecim.

IMPERATORES.

Ludouicus Imperator in Italia.

Berengarius in Italia Imperator.

Hugo Imperator in Italia.

Guido Imperator in Italia, & filius eius Lambertus.

Berengarius in Italia imperat.

Lotharius in Italia.

Berengarius in Italia cum filio ſuo Alberto.

Nunc imperant Teutonici.

Otho primus, Imperator Teutonicus.

Otho ſecũdus, Imperator Teutonicus.

Otho tertius, Imperator Teutonicus.

Henricus primus, Imperator.

PAPÆ.

Iohannes Papa, sedit annis nouem, mẽsibus sex.

Benedictus Papa, sedit annis quatuordecim.

Syluester Papa, sedit mensibus duobus.

Gregorius Papa, sedit annis duobus, mensibus duobus.

Clemens Papa, sedit mensibus nouem.

Damasus Papa Teutonicus, sedit mense vno.

Leo Papa Teutonicus, sedit annis quinque, mensibus quinque.

Victor Papa Teutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.

Stephanus Papa Teutonicus, sedit mensibus octo.

Benedictus Papa, sedit annis decem.

Nicolaus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus vigintiquinque.

Alexander Papa, sedit annis nouem, mensibus sex.

Gregorius Papa septimus, sedit annis quindecim, mense vno, & diebus octo.

Victor Papa, sedit mensibus quatuor, diebus septem.

Vrbanus Papa, sedit annis vndecim, mensibus sex, diebus octodecim.

Paschalis Papa, sedit annis nouemdecim.

Gelasius Papa, sedit anno vno, diebus sex.

Callistus Papa, sedit annis quinq;, mensibus decem, diebus tredecim.

Honorius Papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus vigintinouem.

Innocẽtius Papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus quatuordecim.

Cælestinus Papa, sedit mensibus quinque, diebus vndecim.

Lucius Papa, sedit mensibus vndecim.

Eugenius Papa, sedit annis octo, mensibus quinque, diebus decem.

Anastasius Papa, sedit anno vno, diebus quinque.

Adrianus Papa, sedit annis quatuor, mensibus nouem.

Alexander Papa, sedit annis vigintiduobus.

Lucius Papa tertius, sedit annis tribus.

Vrbanus Papa tertius, sedit nunc.

IMPERATORES.

Conradus primus, Imperator.

Nota, quòd ante istum Henricus Imperatorem fuit alter Henricus Rex Saxo; qui dicitur primus Henricus rex, sed non Imperator.

Similiter fuit alter Rex Conradus primus; sed non Imperator.

Isti verò sunt, primus Henricus, primus Conradus Imperator Teutonicus. Henricus tertius in regno; sed in Imperio est Henricus secundus, ratione Henricorum.

Henricus Imperator tertius: sed in regno quartus Henricus est, ratione Henricorum.

Henricus Imperator quartus: sed ratione Henricorum est quintus. Iste Henricus cepit Papam Paschalem: & iste refutauit Ecclesiæ annulum, & baculum episcoporum.

Lotharius secundus.

Conradus tertius.

Fridericus primus.

Henricus sextus, cum patre suo Friderico, regnat.

FINIS CATALOGI PONTIFICVM ET IMPERATORVM ROMANORVM.

CATALOGVS REGVM Italicorum.

ITalus, primus rex Italiæ, regnauit annis quadraginta & vno.

Ianus rex Italiæ regnauit annis viginti septem.

Saturnus rex Italiæ regnauit annis triginta quatuor.

Picus rex Italiæ regnauit annis triginta & vno.

Faunus rex in Laurento, id est in Sabinia prouincia, regnauit annis vigintinouem.

Latinus rex in Latio, regnauit annis trigintaduobus.

Æneas rex Italiæ regnauit annis trigintasex.

Ascanius rex Italiæ regnauit annis trigintasex.

Posthumus Siluius, filius Lauiniæ, regnauit annis trigintanouem.

Æneas Siluius regnauit annis vigintiduobus.

Latinus Siluius regnauit annis quinquaginta.

Alba Siluius regnauit annis trigintaquatuor.

Capetus Siluius regnauit annis trigintaquatuor.

Capys Siluius regnauit annis vigintiseptem.

Calpetus Siluius regnauit annis tredecim.

Tiberinus Siluius regnauit annis octo.

Agrippa Siluius regnauit annis quadraginta & vno.

Alladius Siluius regnauit annis vigintiquatuor.

Auentinus Siluius regnauit annis trigintasex.

Procas Siluius regnauit annis vigintitribus.

Amulius Siluius rex in Latio vltimus, expulso fratre suo Numitore in Alba regnauit annis quatuor & quadraginta.

Deinde vrbe Roma tempore Numitoris condita, Remus & Romulus Romæ regnauerunt: quorum mater fuit Rhea Siluia, virgo Vestalis, quam alij dicunt Æliam.

ROMANORVM tempora.

ROma condita est anno ab Adam ter millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto: anno autem ab Imperio Nini millesimo trecentesimo: anno verò post euersionem Troiæ quadringētesimo decimoquarto; olympiade tertia; regnante etiam tunc Osee in Israël.

Post Romulum autem regnauit Romæ Numa Pompilius, annis quadraginta.

Tullus Hostilius regnauit annis triginta duobus.

Ancus Martius regnauit annis vigintiquatuor.

Tarquinius Priscus regnauit annis trigintaseptem.

Seruius Tullius regnauit annis quadragintaquatuor.

Tarquinius Superbus regnauit annis vigintiquinque.

Electo Tarquinio Superbo regnauerunt:

Consules,
Senatores,
Dictatores,
Tribuni,
Magistri militum,

Per annos quadringentos sexagintaquatuor.

Postea à Iulio Cæsare, qui his successit, fuerunt Imperatores, & Romani pontifices: quemadmodum antea descripsimus.

¶ *Iam de regno Assyriorum dicturi sumus, quod cœpit anno decimoquinto Saruch, proaui Abrahæ. Durauit autem vsq; ad annum quintum Oziæ regis Iudæorum. Illud regnum habuit triginta & octo Reges, quorum nomina ordine sequuntur. Durauit autem illorum regnum in suo statu, annis mille trecentis & duobus.*

CATALOGVS REGVM Assyriorum.

HI sunt reges Assyriorum:

Rex Babyloniæ Nembrot, gigas decem cubitorum.

Rex Belus Assyriorum.

Rex Ninus Assyriorum.

Regina Assyriorum Semiramis, vxor Nini, post eum.

Rex Assyriorum Zameis, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis.

Rex Arius Assyriorum.

Rex Aralius Assyriorum.

Rex Baleus Xerxes Assyriorum.

Rex Armamitres Assyriorum.
Rex Belochus Assyriorum.
Rex Baleus iunior Assyriorum.
Rex Altadas Assyriorum.
Rex Mamitus Assyriorum.
Rex Mancaleus Assyriorum.
Rex Spherus Assyriorum.
Rex Mancaleus alter, Assyriorum.
Rex Sparetus Assyriorum.
Rex Ascatades Assyriorum.
Rex Amyntas Assyriorum.
Rex Belochus iunior, Assyriorum.
Rex Belopares Assyriorum.
Rex Lamprides Assyriorum.
Rex Sosares Assyriorum.
Rex Lampares Assyriorum.
Rex Pannias Assyriorum.
Rex Sosarmus Assyriorum.
Rex Mitreus Assyriorum.
Rex Tautanius Assyriorum.
Rex Teuteus Assyriorum.
Rex Tyneus Assyriorum.
Rex Dercillus Assyriorum.
Rex Eupales Assyriorum.
Rex Laosthenes Assyriorum.
Rex Pyriciades Assyriorum.
Rex Ophrateus Assyriorum.
Rex Ophraganeus Assyriorum.
Rex Astrasapes Assyriorum.
Rex Tonos Concoleros, qui & Sardanapalus vulgariter nuncupatur.

Sub isto Sardanapalo periit regnum Assyriorum: & Medi subiugauerunt illud; anno ab Imperio Nini millesimo ducentesimo vigesimosexto: à regno verò patris sui Beli, millesimo trecentesimo quinto: ab initio autem Babyloniæ, vel instauratione sub regina Semiramide, millesimo centesimo sexagesimoquarto. Tunc prædictus Sardanapalus nouissimus & viliſſimus rex Assyriorum, primam culcitram seu prima puluinaria adinuenit, & suis manibus fecit. ob quam causam principes eius verecundia moti, voluerunt interficere eum; ille autem dixit eis: Non habebitis de me triumphum: & hoc dicto, proiecit in ignem semetipsum, in quo extinctus est.

CATALOGVS REGVM Medorum.

ISta sunt nomina regũ Medorum, postquàm subiugauerunt sibi regnum Assyriorum.

Primus rex Medorum Arsaces, regnauit annis vigintiocto. Cui postea successit

Rex Medorum Sosarmus: cuius regni anno decimoquinto, Olympias primum apud Ælidem vrbem Græciæ cœpit nominari. Sosarmo regi successit

Rex Medidus. Post quem fuit

Rex Medorum Cardiceas. cui deinde successit

Rex Medorum Deioces. Et post eum regnauit

Rex Medorum Phraortes, qui regnauit annis duobus & viginti. Cui successit

Rex Medorum Cyaxares. Et post eum venit

Rex Astyages.

Istius Astyagis nepos ex filia, Cyrus, rex Persarum, bello eundem auum suum Astyagem deuicit, & regnum Medorum subiugauit; auum suum regem Astyagem Hyrcanis præfecit: & ipse regnum Medorum sub regno Persarum constituit. Durauerat autem Imperium Medorum ducentis quinquagintaseptem annis.

CATALOGVS REGVM Persarum.

ISti sunt reges Persarum:

Rex Persarum Cyrus. Cui successit

Rex Persarum Cambyses, quadrinominis; qui & Xerxes secundum Esdram; qui & Nabuchodonosor secundum historiam Iudith; qui & Assuerus secundum historiam libri Hester. Post istum Cambysem successit

Rex Persarum Darius, filius Hystaspis, qui templum Domini restaurauit. Dario successit filius eius

Rex Persarum Xerxes. Cui successit alius

Rex Persarum Artaxerxes; post quem venit

Rex Persarum Darius nothus. Deinde.

Rex Persarũ Magnus Artaxerxes. Cui successit

Rex Persarum Darius Ochus. Dario isti successit

Rex Persarum Arsames, qui & Arses. Cui successit

Rex vltimus Persarum Darius Codomanus.

Hunc Darium, deuicit Alexander Macedo: & subiugauit Persas & totum Orientem.

Mortuo Alexandro Magno, principes eius sic inter se diuiserunt Imperium: Pto-

Ptolemæus accepit Ægyptum: Antipater Græciam: Seleucus, à quo dicitur Seleucia, accepit Syriam & Babyloniam: Cassander accepit Lyciam & Pamphiliam: Antigonus maiorem Phrygiam: quorum vnusquisque diadema sibi imposuit.

CATALOGVS REGVM Hebræorum.

SAul.
Dauid.
Salomon rex totius Israël.
Roboam in Iuda.
Hieroboam in Israël.
Baasa in Israël.
Abiam in Hierusalem.
Rex Asa in Hierusalem.
Rex Iosaphat in Hierusalem.
Rex Samariæ, Hela.
Rex Zambri in Samaria.
Rex Amri etiam in Samaria.
Rex Achab in Samaria.
Rex Ochozias in Samaria.
Rex Iosaphat in Iuda.
Rex Ioram in Iuda.
Rex Azachias in Iuda.
Rex Ioachim in Iuda.
Rex Achas in Iuda.
Rex Ezechias in Iuda.
Iehu rex Samariæ.
Rex Ioas in Samaria.
Rex Hieroboam in Samaria.
Rex Zacharias in Samaria.
Rex Sellum in Samaria.
Rex Manacho in Samaria.
Rex Phaceia in Samaria.
Rex Osee in Samaria.

Regnante eodem Osee, Salmanassar rex Assyriorum cepit eundem Oseam, & captiuum deduxit cum omni populo Samariæ, & posuit eos super fluuium suum Mosim, in terra Medorum.

Rex Ezechias tunc erat in Hierusalem.
Rex Manasses in Hierusalem.
Rex Amon in Hierusalem.
Rex Iosias in Hierusalem.
Rex Ioas in Hierusalem.
Rex Ioachim in Hierusalem.

Istum captiuum duxit Nabuchodonosor, cum omni populo Iudęorum in transmigratione Babylonis.

Ab hoc loco in antea deficiunt omnes reges Hebræorum, tam in Hierusalem quàm in Samaria: quia in captiuitate sunt.

Post quadringentos autem annos iterum reges habuerunt in Hierusalem, post tempora Machabæorum.

Regem scilicet Ioannem Hyrcanum.
Regem Aristobulum.
Regem Alexandrum.
Regem iterum Aristobulum.
Regem Hyrcanum iterum.
Regem Herodem alienigenam, filium Antipatris viri pagani, & matre Iudæa. Cuius tempore natus est Christus Rex regum.

CATALOGVS REGVM Troianorum.

IVpiter rex, & filij eius.
Dardanus rex primus in Troia.
Troius, rex secundus in Troia.
Laomedon rex Troiæ.
Priamus rex Troiæ.
Anchises rex Troiæ.
Hector rex Troiæ.
Paris rex Troiæ.
Priamus iunior rex Troiæ.
Antenor rex Troiæ.
Æneas rex, è Troia.

CATALOGVS REGVM Græcorum.

REx Iupiter Athenis.
Rex Danaus filius eius.
Rex Pelops in Græcia.
Rex Atreus in Græcia.
Rex Menelaus in Græcia.
Rex Agamemnon in Græcia.
Rex Philippus, pater Alexandri Magni.
Rex Alexander Magnus.

Tunc subdiuisum est ipsum regnum inter duodecim principes Alexandri, vsque ad tempora Romanorum, qui omnia regna obtinuerunt.

CATALOGVS REGVM Sicyoniorum.

SIcyonia, est regio, quæ prius vocata est Api: postea verò mutato nomine, vocata est Peloponnesa.

Regnum Sicyoniorum cœpit annō vigesimoquarto Nachor aui Abraham, perdurauit vsque ad annum Heli sacerdotis Domini in Silo. Durauit autem hoc regnum per annos noningentos sexagintaduos. Et habuit hos Reges vigintisex.

1 Ægialeus, regnauit annis 52
2 Europs. 45

3	Selchin,	regnauit annis 20
4	Apis.	25
5	Thelasion.	52
6	Ægidius.	34
7	Thurimachus.	45
8	Leucippus.	53
9	Messapius.	47
10	Heratus.	46
11	Plemnæus.	48
12	Orthopolis.	63
13	Marathius.	30
14	Marathus.	20
15	Erichthreus.	55
16	Choar.	30
17	Epopeus.	35
18	Laomedon.	40
19	Sicyon.	45
20	Polybus.	40
21	Inachus.	42
22	Phæstus.	8
23	Adrastus.	4
24	Polyphides.	31
25	Pelasgus.	20
26	Zeusippus.	32

CATALOGVS REGVM AEgyptiorum.

REgnum Ægyptiorum, sub Belopatre Nini cœptum, sub Nino etiam fuit, & sub vxore sua Semiramide: quibus mortuis, remansit inter principes Ægypti: qui per electionem statuére sibi regem, sub nomine isto dynastiæ. Cuius etiam successores, singuli vocati sunt similiter, dynastiones. Regnum Ægypti ante tempora Abrahæ habuit quindecim dynastiones, id est reges Ægyptiorum.

In natiuitate autem Abrahæ, iam erant dynastiæ septemdecim. Ex tunc reges Ægypti cœperunt vocari Thebæi. Rursus postea mutato nomine, reges illi vocabantur Pastores.

In vigesima autem dynastia, cœperunt vocari Pharaones. Alio quoque nomine vocati sunt Diapolitæ.

Pharaones autem per diuersa tempora eorum, fuerunt septemdecim vsque ad Cambysem filium Cyri, regis Persarum, qui primus subiugauit Ægyptum. Notandum autem, quòd ab illo tempore, quo Ioseph descendit in Ægyptum, vsque ad natiuitatem Mosis, reges (id est Pharaones) quinque in Ægypto fuerunt, quorum nomina sunt hæc,

Rex Amois, regnauit annis quindecim.

Rex Nembrot, qui regnauit annis tredecim.

Rex Amenophis, regnauit annis viginti & vno.

Rex Memphres, regnauit annis viginti duobus.

Rex Mesphat, regnauit annis viginti sex.

Sub quo rege, Aram filius Leui, anno ætatis suæ sexagesimoquinto, genuit Mosen. Quem filia Pharaonis nomine Termut, collectum de flumine educauit. Qui etiam Israël de Ægypto eduxit.

CATALOGVS REGVM AEgypti & Antiochiæ post mortem Alexandri Magni.

POst mortem igitur Alexandri, successit in Ægypto primus Ptolemæus, cognominatus Soter. Qui regnauit in Ægypto annis nouemdecim. Secundus rex Ptolemæus Ægypti, vocatus est Philadelphus. Tertius Ptolemæus, vocatus est Euergetes. Quartus Ptolemæus, vocatus est Philopator. Aduersus istũ Philopatorem surrexit Antiochus Magnus, qui & occidit eum, subiugauitque Ægyptum & Iudæam & Persidem: & regnauit annis triginta sex. Iste habuit duos filios, Seleucum & Soter. Seleuco illo qui erat maior natu, Romæ existente in obsidatu, frater eius Seleucus minor natu, successit patri in Imperio Antiochię, & est cognominatus Epiphanes. Iste Epiphanes filiũ fratris sui Demetrium eiecit è regno. Iste Epiphanes vsque adeò oppressit Iudæos, vt in templo Domini idola ponerent, & ea adorarent. Tũc surrexit Matathias pater Machabæorum cõtra Antiochum, & post eum Iudas Machabęus. Antiochus Epiphanes regnauit annis duodecim: cui successit filius eius Eupator, & regnauit ãnis duodecim. Huic succeſſit in Antiochia Demetrius rex, filius Soter. Sub istius Demetrij Imperio occisus est Iudas Machabæus. Hunc Demetrium occidit Alexãder. Cuius patrem præfatum Eupatorem ipse occiderat, & ipse regnat pro eo. Istum Alexandrum postea occidit Demetrius Creticus, filius prædicti Demetrij, & regnat pro eo. Postea filius istius Alexãdri vocatus Antiochus Magnus, receptus est in regnum Antiochiæ, & fugauit inde Demetrium. Tryphon autem princeps Antiochi pueri, occidit ipsum puerũ dominũ suum, vnde & ipse

ipſe regnauit pro eo, quum adhuc Demetrius quem ille puer eiecerat, captus apud Artaxem regem Arabum teneretur. Tryphone autem in prælio armis attrito, ſurgit Demetrius, filius Demetrij captiui, & receptus in regnum Antiochiæ, imperat. Tryphon verò *iſto Demetrio, Iohannes Hyrcanus de progenie Machabæorum, erat ſummus ſacerdos. Cuius filius Ariſtobulus, primus rex Iudæorum poſt captiuitatem Babyloniæ eſt conſtitutus. Cui ſucceſſit Alexander filius eius rex Iudæorum. Alexandro autem ſucceſſit filius Ariſtobulus.

*

Et ipſe regnauit pro eo, quum adhuc rex Demetrius expulſus, apud Arabes captus detineretur. Tryphone autem à Machabæis in prælio nimis confecto, Demetrius filius Demetrij captiui recipitur in regnum. Tryphon verò fuga lapſus, abiit in Perſidem.

Eo tempore Ariſtobulus ex genere Machabæorum, factus eſt rex Iudæorum primus, ſcilicet poſt tranſmigrationem Babyloniæ quadringẽtis quadragintaſeptem annis.

Ariſtobulo ſuccedit alter Ariſtobulus, quem occidit conſul Pompeius, & fecit Antipatrem procuratorem Iudęæ.

Cui ſuccedit Herodes filius eius, in regnum.

Eo tempore natus eſt Chriſtus Dominus: & ſubactum eſt regnum Iudæorum, Antiochia iamdudum à Romanis ſubiugata.

CATALOGVS REGVM *Argiuorum.*

REgnum Argiuorum inceptum eſt eo anno, quo natus eſt Iacob & Eſau filij Iſaac, ſub primo rege eorum Inacho. Duravit autem vſque ad annum decimumquintum illius mulieris prophetæ, quę vocabatur Debora, in Iſraël. Permanſit etiam regnum Argiuorum in ſuo ſtatu, per annos ducentos ſexagintaquatuor. Diſſipatum verò eſt atq; deſtructum ſub Græcorum rege Danao, à quo omnes Græci, vſque hodie, Danai ſunt vocati.

Eodem tempore rex Phoronæus, filius Inachi, primi regis Athenienſium & vxor eius Niobe, primas leges Græcis dederunt apud Athenas, & primi ſtatuerunt cauſas ſub iudice agitari; & locum iudicij appellauerunt forum.

CATALOGVS REGVM *Babyloniorum.*

REgnum Babyloniæ computatum eſt ſub regno Ægyptiorum, vel Aſſyriorum. Veruntamen ſub temporibus Nabuchodonoſor, qui nõ fuit de genere regum Babyloniorũ vel Aſſyriorum, ſed fuit quaſi extraordinarius, vtputa ſpurius, ex incerto coitu procreatus; cœpit Babyloniæ Imperium præminere vſque ad tempora Cyri regis Perſarum & Medorum; qui Babyloniam ſubiugauit, & imperio Perſarum adiunxit. Ponemus ergo catalogũ regum Babyloniorum ab ipſo Nabuchodonoſor, vſque ad Cyrum.

Rex Nabuchodonoſor, qui Hieruſalem deſtruxit, & Iudæos omnes captiuauit.

Rex Nabuchodonoſor filius primi.

Rex Euilmerodach etiam filius illius.

Rex Reguſar, filius Euilmerodach.

Rex Laboſar, etiam filius Euilmerodach.

Rex Baltaſar, etiam filius Euilmerodach.

Iſte Baltaſar vidit manum ſcribentem in pariete. Quam viſionem Daniel interpretatus eſt, dicens, quia diuideretur regnum eius, & ipſe rex gladio periret. Quo dicto, ſequenti nocte venit Darius Rex Medorum, & Cyrus nepos eius ex filia, rex ſcilicet Perſarum, & occiderunt regem Baltaſar, & totum regnum Babyloniæ obtinuerunt.

CATALOGVS REGVM *Francorum.*

REgum Francorum genealogiam nobiliſſimam, multis tamen authoribus ignotam, per catalogum diſponemus, incipientes ab Adam vſq; ad Noë; & à Noë vſq; ad primum regem Babyloniæ Nembrot; & ab illo de rege ad regem, vſque ad reges Troianos; & inde vſque ad Carolum Magnum: & ab illo vſque ad Fridericum Imperatorem, & filium eius regem Henricum. Igitur ab Adam ordiamur.

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Iareth, Enoch, Matuſalem, Lamech, Noë, Sem filius Noë, Arphaxad filius Sem. Arphaxad genuit Salem, Salem genuit Heber, Heber genuit Phalec, & Irari patrem primi regis Nembrot, in diuiſione linguarum. Nembrot, primus rex huius mundi in Babylonia, genuit octo filios; quorum

primus fuit Cres, à quo Creta insula nomen accepit. Cres primus rex Cretẽsium, genuit Cælium.

Cęlius genuit Saturnum.

Rex Saturnus genuit Iouem.

Rex Iupiter genuit Dardanum & Troium.

Rex Troius ædificauit Troiam nomine suo, & genuit Laomedonta.

Rex Laomedon genuit Priamum & Anchisen.

Rex Anchises genuit Æneam, à quo omnis nobilitas regum Albanorum & Romanorum descendit.

Rex Priamus maior, habuit ex sorore sua nepotem Priamũ iuniorem; qui Priamus, & Antenor cum eo, post Troiæ destructionem, transierunt nauigio per mare Illyricum, cum trędecim millibus armatorum per Venetias, ibiqúe ciuitatem Paduam ædificauerunt: in qua etiam Antenor habet honorabilem sepulturam. Inde transierunt in Mæotidas paludes: ibi ædificauerunt vrbem Sicambriam, à qua ipsi vocati sunt Sicambri. Deinde processu temporum, obtinuerunt Germaniam, à qua vocati sunt Germani. Postmodũ quoque ab Imperatore Valentiniano vocati sunt Franci, id est feroces. In Germania igitur regnantes, primum regem suum habuerunt filiũ Priami suprà memorati, nomine Priamum, quem Imperio Romano rebellem, Romani in prælio occiderunt. Tunc remansit filius Priami, quem vocabant Marcomirum, cuius filium Pharamundum Germani sibi regem creauerũt. Leges etiam tunc, per suos authores Guisogastaldum, & Salagastum compositas, habere cœperũt. Ab illo autem Salagasto, lex Salica nomen accepit. Qua lege Salica vsque hodie vsi sunt Franci. Vnde & ipsi Franci Salici nuncupantur.

Mortuo autem rege Pharamundo, succedit rex Crinitus filius eius: à quo reliqui Francorum reges omnes, Criniti sunt appellati.

His temporibus Franci accrescere; Romani verò minui cœperunt. Gentes enim quæ fuerant Romanis subiectę, per seipsas regnare cœperunt. Romani econtra, gentibus seruire cogebantur.

Gothi enim, cùm ipsam Vrbem iam essent depopulati, vltra Ligerim fluuium in Gallia confederunt. Burgundiones tunc regem habere cœperunt. Franci etiam, Romanos, qui tunc circa fluuium Rhenum habitabant, fugauerunt. Defuncto rege Crinito, successit rex Gildibertus, qui ex regina nomine Bissina genuit Clodouæum.

Rex autem Clodouæus genuit Mirouæum.

Rex Mirouæus genuit aliũ Mirouęum, à quo reges reliqui omnes, Mirouæi sunt appellati in Francia.

Rex Ildricus filius Mirouæi, genuit aliũ Clodouæum.

Rex iste Clodouæus, fuit primus Christianus rex Francorum; quem sanctus Remigius baptisauit.

Iste Clodouæus, Alemãnos subiugauit. Gothos, id est Vascones, deuicit.

Anno ab incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimo primo, reges Francorum solo nomine regnabant. Erat autem apud eos Princeps de cognatione eorũ, qui vocabatur ex officio suo Maior domus: totum enim illud regnũ regebat. Quorum primus dicitur fuisse Arnulduus, qui postea fuit episcopus Metensis.

Cuius filius Ansgisus, post eum fuit Maior domus. Post quem fuit filius eius Pipinus, Maior domus, qui cognominabatur Grossus, cuius filius fuit auus Caroli Magni, Carolus Martellus. De quo natus est Pipinus Nanus, dux etiam Francorum & rex, & Maior domus. De quo natus est Carolus Magnus, primus Francorum Imperator.

Ex tunc fuerunt in Francia Imperatores, vsque hodie. Quorum

Carolus Magnus, primus Imperator fuit.

Ludouicus secundus, Francorum Imperator.

Lotharius primus.

Lotharius secundus.

Carolus secundus.

Carolus tertius.

Arnulphus.

Cendebuldus.

Ludouicus puer.

Conradus primus.

Henricus primus.

Otho primus.

Otho secundus.

Otho tertius.

Henricus secundus.

Conradus secundus.

Henricus tertius.

Hen-

Henricus quartus.
Henricus quintus.
Lotharius Saxo.
Conradus tertius.
Fridericus primus.
Henricus sextus, filius Friderici.

Ecce habes Lector, ab Adam vsq; ad Fridericum & filium eius Henricum, plenam genealogiam & plenum catalogum Regum, siue Imperatorum Francorum.

Deo gratias.

CATALOGVS REGVM Gothorum.

GOthorũ gens est diuersa. Sunt enim Wisogothi, quos nos vocamus Wascones, circa prouinciam Cataluniam & Aragonam. Sunt etiam Austrogothi, in plaga Australi. Quorum omnium vna est origo: sed propter diuersa climata, eorum nomina seu cognomina sunt diuersa. Quorum reges fuerunt isti:

Rex Theodericus primus.
Rex Theodericus secundus.
Rex Theobaldus.
Rex Alaricus.
Rex Dalaricus.
Rex Witigous.
Rex Vigiuus.
Rex Sigismundus.
Et alij quidam.

CATALOGVS REGVM Lombardorum.

LOmbardi olim in patria sua, à qua priùs venerunt, vocati sunt Vinuli, in plaga Australi in prouincia Scatinauia. Vnde venientes, in principio duos duces habuerunt, Iuor, & Agion, & matrem eorum Gamaram. Quibus mortuis, creant sibi Lombardi regem Agilmundum, filium Agionis, qui regnat annis triginta tribus. Quo defuncto, creant sibi regem Lamisonem. Quo defuncto, Lecha rex regnat pro eo. Qui cùm quadraginta annorum regnasset, successit ei filius Gildeoc. Quo defuncto succedit rex Classo, filius eius. Quo defuncto, succedit filius eius Guado. Quo defuncto, succedit filius eius Gualtaris, octauus in regno Lombardorum.

Rex Gualtaris cùm septem annis regnasset, obiit. Cui successit Aldoinus, nonus rex Lombardorum. Iste Aldoinus, primus perduxit Lombardos in Pannoniam. Eo tempore Iustinianus Imperator, legum multiplicitatem abbreuiauit. His diebus sanctus Benedictus abbas erat in Sublacu. Mortuo igitur rege Alduino, filius eius Alboinus succedit, decimus regum Lombardorum. Iste interfecit Cunimundum regem Gepidorum, & filiam eius Rosimundam accepit vxorem: & de capite ipsius regis Cunimundi, fecit sibi scyphum ad bibendum parari. In quo etiam fecit vt filia propinaret, dicens ei: Bibe cum patre tuo. Illa autem vlta iniuriam suam & patris, fecit eum occidi: sicut in libri huius corpore continetur.

Igitur cùm vbique Lombardorum victoriæ personarent, rege Alboino adhuc in Pannonia manente, Narsis præfectus Italiæ, & carthularius imperialis, vocat ipsum Alboinum cum omnibus Lombardis in Italiam. Vbi mortuo Alboino, succedit Luprandus. Quo mortuo succedit Agistulphus. Quo mortuo succedit Desiderius.

Desiderium illum cepit, & in exilium deportauit Carolus Magnus Imperator. Extunc Imperatores & reges Francorum tenuerunt Lombardiam sibi subiugatam, vsque ad tempora Friderici Imperatoris, & filij eius regis Henrici sexti.

Quorum temporibus, ego Gotfridus, istiusmodi librum composui & conscripsi, ad honorem Dei, & Ecclesiæ atque Imperij & ad omnium lectorum perpetuam vtilitatem. Precor igitur omnes huius libri lectores, vt amore Dei & summæ charitatis intuitu, benedicant animæ meæ & parentum meorum;

Amen.

FINIS CATALOGORVM OMNIVM REGVM.

CATALOGVS PAPARVM ET IMPERATORVM SYNCHRONVS.

DOminus Iesus Christus, primus & summus Pontifex, sedit in hoc mundo, annis trigintaduobus, & mensibus tribus, ante ascensionem suam.

Petrus apostolus in partibus Orientis prædicando, sedit annis quatuor. In episcopatu verò Antiochiæ, sedit annis octo. Romæ autem in papatu, sedit annis viginti quinque, mensibus duobus, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Octauianus Imperator Augustus fuit tempore Petri apostoli, & imperat annis quinquaginta sex.

Tiberius priuignus Octauiani fuit tempore Petri, & imperat annis tredecim.

Gaius Caligula fuit tempore Petri, & imperat annis tribus, mensibus decem, diebus octo.

Claudius imperat tempore Petri, annis quatuordecim, mensibus octo. Tempore Claudij venit Petrus apostolus Romam, vbi sedit annis viginti quinque. Et cum eo Linus fuit coadiutor Petri in papatu, annis nouem, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus cum Lino coadiutor Petri, sedit annis duodecim, mense vno, diebus decem. Isti duo, Linus scilicet & Cletus, fuerunt eò episcopi, & coadiutores Petri. Vnde Ioannes apostolus tertio scribit omnibus episcopis Galliæ & Germaniæ, sic: Petrus princeps apostolorum, adiutores sibi asciuit Linum & Cletum, non tamen pontificium aut potestatem ligandi atque soluendi tradidit eis, sed in exterioribus eum iuuabant.

Nero Imperator, tempore Petri fuit, & imperauit annis tredecim, mensibus nouem.

Galba & Vitellius, & Otho, post Neronem inuadunt Imperium, & se inuicem bellis & contentionibus citò extinguunt. Quibus succedit Vespasianus.

Distinctio temporum.

Clemens primus Papa, post Petrum, sedit annis nouem, mense vno. Tunc cessauit papatus diebus viginti vno, post obitum suum.

Vespasianus tempore Clementis, imperat annis nouem, mensibus vndecim, diebus vigintiduobus. Cuius tempore colossus erectus est, qui fuit altus centum & octo pedum. Tunc vrbs Aduentia condita est apud Allobrogos, super Ararim fluuiū. Vespasianus obiit fluxu ventris.

Titus tempore Clementis, imperat annis duobus, mensibus duobus. & facundissimus fuit.

Domicianus frater Titi, tempore Clementis imperat annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus. Iste superbus præcepit, Deum & dominum se vocari. Christianos persecutus est, & Iohannem Euangelistam in Patmum insulam relegauit. Omne genus Dauid regis interfecit. Eo tempore Capitolium Romæ, & forū & porticus, & stadium, & thermæ Trojanæ, & Pantheon, ædificata sunt. Domicianus à suis in palatio occiditur. Cadauer eius in plateas turpiter tractum est à populo Romano.

Nerua tempore Clementis, imperat anno vno, mensibus quatuor. Iste omnia quæ Domicianus fecerat, dānauit: & quæ ille damnauerat, absoluit. Vnde Iohannes tunc ab exilio rediit, vbi scripserat Apocalypsim.

Distinctio temporum.

Anacletus Papa, sedit annis nouem, mensibus duobus, diebus vndecim. Cessat diebus tredecim.

Traianus tempore Anacleti, imperat annis nouemdecim, mensibus sex, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Euaristus Papa, sedit annis nouem, mēsibus decem, diebus duobus. Cessat diebus nouemdecim.

Adrianus Imperator tempore Euaristi, regnat annis viginti, mensibus vndecim. Tunc tertia persequutio fuit Christianorum, satis grauis.

Distinctio temporum.

Alexander Papa, sedit annis decē, mensibus septem. Cessat diebus vigintiquinq; papatus Romæ post eum.

Ælius Imperator tēpore Alexandri Papę, regnat annis viginti, mensib. vndecim. Iste Hierosolymā à se reparatam, vocauit nomine suo Æliam: & Iudæos omnes, in remotissimis partibus, exilio relegauit, ne in ea amplius habitarent, & ne ciuitas Hierusalem vocaretur in æternum, sed Ælia.

Distinc-

Distinctio temporum.

Xystus Papa, sub Decio Imperatore, sedit annis decem, mensibus quinque. Cessat diebus duobus.

Decius Imperator, tempore Xysti, regnauit anno vno. Orosius dicit, annis tribus.

Distinctio temporum.

Telesphorus Papa, sedit annis vndecim, mensibus qninque, diebus viginti & vno, sub Antonino. Cessat diebus septem.

Antoninus Pius Imperator, sub Telesphoro Papa, imperat annis viginti duobus, mensibus tribus. Eo tempore Galenus medicus claruit, Pergami natus.

Hyginus Papa, sub Antonino Imperatore, sedit annis quatuor, mense vno, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Marcus Antoninus tempore Aniceti, annis nouemdecim, mensibus quatuor, die vno, cum fratre suo Lucio Aurelio. Lucius iste apoplexia moritur. Antoninus verò filium suum Commodum vocat ad Imperium. Isti leges asperas temperauerunt, & scripta fiscalia omnia in foro publico incenderunt.

Anicetus Papa, sub Marco Imperatore, sedit annis vndecim, mensibus sex, diebus tribus. Cessat Papatus diebus decem.

Item sub Marco Pius Papa, sedit annis decem, mẽsibus quatuor, diebus quatuor. Cessat cathedra post obitum eius, diebus tredecim.

Item sub eodem Marco Imperatore, Soter Papa, sedit annis nouem, & mensibus septem. Cessat diebus viginti & vno.

Eleutherus Papa, sedit annis quindecim, mensibus nouem, diebus tribus. Cessat diebus decem post eum cathedra Papalis, sub Commodo.

Commodus Imperator, tempore Eleutheri regnat annis tredecim.

Ælius Imperator Pertinax, sub Eleuthero, infra sex menses occiditur. Post hunc, Iulianus mensibus septem imperat: eumq; Seuerus occidit, & ipse fit Imperator.

Distinctio temporum.

Victor Papa, sedit annis vndecim. Cessat diebus duodecim sub Seuero, cathedra Petri.

Seuerus Imperator, sub Papa Victore, regnat annis nouemdecim. Iste in Britannia partem insulæ, à mari vsque ad mare, vallo muniuit, quod erat in longitudine centum triginta milliarium, & multis turribus communitum. Seuerus ille Imperator, apud Eboracum sepultus est.

Distinctio temporum.

Seuerinus Papa, sedit annis octo, mensibus septem, diebus decem, sub Aurelio. Cessat diebus sex.

Antoninus Aurelius Caracalla, tempore Seuerini, imperat annis septem. Iste asperior Seuero patre suo fuit, & à Persis occisus est.

Distinctio temporum.

Callistus primus, Papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus decem. Cessat diebus sex.

Alexander Imperator, tempore Papæ Calliisti primi, regnat annis duodecim. Iste vicit Xerxem, magnum regem Persarum, in prælio.

Distinctio temporum.

Vrbanus Papa, primus, sedit annis quatuor, mensibus decem, diebus duodecim. Cessat cathedra, diebus triginta post obitum eius.

Macrinus tempore Vrbani, imperat anno vno. Cuius historia non habetur.

Distinctio temporum.

Pontianus Papa, sedit annis nouem, mensibus sex, diebus duobus. Cessat diebus decem.

Marcus Aurelius Antoninus tempore Pontiani, imperat annis tribus. Iste in stupro & in omni turpitudine mortuus est, & turpem famam reliquit.

Anteros Papa, sedit annis duodecim, mense vno, diebus duodecim. Cessat diebus octo.

Maximus Imperator, tempore Anteri regnat annis tribus, & persequitur Christianos.

Distinctio temporum.

Fabianus Papa, sedit annis quatuordecim, mensibus vndecim, diebus vndecim.

Gordianus tempore Fabiani imperat annis septem. Iste puer à suis deceptus, in Parthico bello occisus est. Eo tempore claruit Origenes.

Distinctio temporum.

Cornelius Papa, sedit annis duobus, mẽsibus duobus, diebus tribus. Cessat post illum cathedra, diebus triginta & vno.

Philippus Imperator cum filio suo Philippo, est primus Christianus Imperator, tempore Cornelij Papæ, imperat annis

ſeptem. Anno autem eius quarto completus eſt annus milleſimus ab Vrbe condita, propter quod facti ſunt Romæ ludi theatrales in campo Martio tribus diebus & tribus noctibus. Iſtum Philippum, & filium eius Philippum occidit Decius in dolo, & ipſe factus eſt Imperator, & perſequutor Chriſtianorũ, in odium eius Philippi.

Diſtinctio temporum.

Lucius Papa, primus, ſedit annis tribus, menſibus quatuor, diebus tribus. Ceſſat diebus triginta & vno.

Decius Imperator, tempore Lucij regnat annis tribus, & perſequitur Chriſtianos. Fuit autem ſeptima perſequutio.

Diſtinctio temporum.

Stephanus Papa, ſedit annis octo, menſibus ſex, diebus duobus. Ceſſat diebus duodecim.

Gallus cum Voluſiano, tempore Stephani primi, Papæ, imperat annis duobus, menſibus quatuor. Iſti duo Imperatores, in dolo ſunt occiſi ab Æmiliano. Ipſe quoque Æmilianus poſtea occiſus eſt, quarto menſe. Eo tempore Cornelius Papa corpora Sanctorum de Catatumba leuauit & dedicauit.

Diſtinctio temporum.

Xyſtus Papa, ſecundus, ſedit annis duobus, mẽſibus ſex, diebus quindecim. Ceſſat diebus trigintaquinque.

Valerius cum filio ſuo Galieno, nunc regnat annis quindecim. Et eſt perſequutio octaua in Chriſtianos facta per illos. Eo tempore Germani, id eſt Teutonici, Galliam peruagati Italiam deuaſtant. Nunc etiam gens Gothorum Macedoniã, Græciam, Pontum & Aſiam depopulantur. Imperator Valerius, à Sapore Perſarum rege capitur & cæcatur. Qui dum vixit, talem pœnam portauit, vt regem Perſarum equum aſcenſurum ipſe proprio ſuo dorſo ſemper leuaret ſuper equum.

Dionyſius Papa ſub eodem Valerio ſedit annis quinque, & menſibus duobus. Ceſſat poſt eum pontificatus, diebus quinque.

Felix Papa, ſub eodem Valerio Imperatore, ſedit annis quatuor, menſibus quatuor, diebus quinque. Ceſſat poſt eum cathedra Papalis, diebus quinque.

Diſtinctio temporum.

Eutychianus Papa, ſedit menſibus decem, & die vno, tempore Imperatoris Claudij.

Claudius tempore Eutychiani imperat anno vno, menſibus nouem. Iſte Gothos, Macedoniam & Illyricum vaſtantes, incredibili ſtrage deleuit. Et propter hoc, et clypeum aureum, & haſtam auream Senatus in Capitolio dare decreuit.

Diſtinctio temporum.

Gaius Papa, ſedit annis vndecim, menſibus quatuor, diebus duodecim. Ceſſat Papalis cathedra poſt eum, diebus ſex.

Aurelianus, tempore Gaij Papa, imperat annis quinque, & menſibus ſex. Iſte Gothos ſumma virtute depreſſit, & Romam muris firmioribus cinxit, & Solis templum conſtruxit. In Chriſtianos iſte nonam perſequutionem cõcitauit. Ecipſe tandem occiſus eſt.

Tacitus Imperator, ſimiliter Gaij Papæ tempore, regnat menſibus ſex.

Item Florianus, ſub eodẽ Gaio, regnat menſibus tribus.

Probus ſub eodem Gaio Papa, imperat annis ſex, & menſibus quatuor.

Diſtinctio temporum.

Marcellinus Papa, ſedit annis nouem, mẽſibus quinque, diebus duodecim. Ceſſat diebus ſex.

Carus Imperator, cum filiis ſuis Carino & Numeriano, tempore Marcellini Papæ, imperat annis tribus. Iſte deuictis Perſis quum eſſet ſupra fluuiũ Tigridem, cum duobus filiis ſuis, ictu fulminis occiſus eſt.

Marcellus Papa, ſedit annis nouem, menſibus quinque, & diebus viginti vno. Ceſſat ſedes Papalis, diebus viginti.

Diocletianus & Maximianus tempore Marcelli, imperat annis viginti. Diocletianus ſocium ſuum Maximianum ſuſcepit in imperium, eumque in Aphricam direxit, vt eam defenderet à Quingentianis. Præterea plures Cæſares ſibi elegit, videlicet Conſtantium, Licinium, & Galerium. Ipſe etiam Diocletianus tanquam Deum ſe adorari præcepit. & ipſe primus gemmas in veſtibus & in calceamentis portauit. Prius enim reges alij, ſola purpura vtebantur. Diocletianus iſte in Oriente, & Maximianus in Occidente, omnes eccleſias Chriſtianorum præcipiunt deuaſtari, & libros comburi, & Chriſtianos omnes occidi. Iſta perſequutio decima, omnibus aliis immanior & diuturnior fuit.

fuit. Diocletianus ille apud Nicomediam, & Maximianus Mediolani, purpuram deposuerunt.

Distinctio temporum.

Eusebius Papa, sedit annis duobus, mẽsibus duobus. Ipse autem & suprà scripti Papæ, omnes martyres fuerunt.

Constantius, & Galerius, & Licinius Cęsares, Diocletiani, tempore Eusebij Papæ fuerunt, & imperium Romanum rexerunt.

Distinctio temporum.

Miltiades Papa, sedit annis septẽ, mensibus septem, in Papatu.

Valerius, & Constantius, & Licinius Cæsares suprà memorati, regnant tempore Miltiadis Papæ, annis duobus: quorum Constantius Hispaniam subegit, & de Alemannis triumphauit, & filiam regis Britanniæ, nomine Helenam (defuncto prius patre eius, nomine Iohel) accepit vxorem, de qua genuit Cõstantinum. Quamuis alij afferant, ipsum Constantinum fuisse spurium filium Helenæ, puellæ tabernariæ, in finibus Persarum genitum; dum pater eius Constantius, pro colligendis tributis publicis, legatione in Perside fungeretur. Ipse Constantius pater, in Anglia apud Eboracum dicitur esse sepultus.

Eodem tempore Maxentius, filius Maximiani, Romæ creatus est Imperator: quem Constantius postea à Romanis vocatus, iuxta pontem Miluij interfecit: & ipse regnauit annis triginta, mensibus decem. Regnum verò Britanniæ Tacherio auunculo suo reliquit. Et priùs quidem Christianos persequutus est, postea verò per Syluestrum Papam accepit sacrum baptismum.

Syluester Papa, sedit annis viginti tribus, mensibus decem. Cessat diebus quindecim.

Iste Syluester, anno quarto Imperij Constantini, factus est Papa, & eum baptizauit. Sed sicut Tripartita narrat historia, & Eusebius Cæsarienſis in Chronicis testatur, ipse postea rebaptizatus est à quodam Eusebio Ariano, episcopo Nicomediæ, in villa quæ vocatur Aquilona.

Cõstantinus tempore Syluestri & Martini Papæ, imperat annis triginta, mensibus decem. De quo satis diffusè in corpore huius libri, sub tractatu Imperatorum loquuti sumus.

Marcus Papa, sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti. Cessat diebus quindecim. Iste Marcus Papa, fuit temporibus Constantini Imperatoris.

Distinctio temporum.

Iulius Papa, sedit annis vndecim, mensibus duobus, diebus sex. Cessat diebus quindecim.

Constantius cum Constantino & Constante, imperant tempore Iulij Papæ, annis vigintiquatuor, mẽsibus quinque, diebus viginti tribus: quorum Constans edomitis Gallis, & in pace receptis, in Hispania occisus est. Constantinus autem, dum fratri suo Constantio bellum inferre pararet, iuxta Aquileiã est occisus. Sic ad Constantium monarchia peruenit: qui in hæresim Arianorum lapsus, & ab eis rebaptizatus, grauissimam catholicis intulit persequutionẽ. Cuius auxiliis, Ariani omnes catholicos episcopos, carceribus, & aliis variis tormentis sunt demoliti. In qua persequutione, Athanasius Alexandrinus episcopus, Hilarius Pictauiensis, & Eusebius Versellensis, constantissimi & inuincibiles apparuerunt. Eo tempore claruit Basilius Cæsariensis, Victorinus rhetor; & Priscianus & Donatus grammatici.

Distinctio temporum.

Felix Papa, viuente Liberio Papa, & in exilio posito, ab hæreticis constitutus, sedit anno vno, mensibus quatuor, diebus duobus. Cessat cathedra diebus triginta octo.

Liberio autem ab exilio Constantij Imperatoris, post biennium reuerso, & in Papatum restituto, Felix qui ei viuenti fuerat subrogatus, aliæ ciuitati prælatus est. Quare autem idem Felix in Catalogo catholicorum apostolicorum scriptus sit, ego ignoro. Vos autem, Romanos interrogate, si placet.

Distinctio temporum.

Iulianus apostata, temporibus Liberij & Felicis Pap. imperauit annis duobus, mensibus sex. Iste à puero fuit Christianus, & ecclesiæ Romanæ subdiaconus. Sed postmodũ ad idolorum cultum conuersus, & apostata paganismus factus, persequutus est Christianos, & in odium Christi templum Hierosolymis reparari præcepit. De Iuliani autem vita & morte, in corpore huius libri largiùs continetur.

Tempore Iuliani claruit Didymus,& Basilius Cæsarienſis epiſcopus.

Diſtinctio temporum.

Damaſus Papa, ſedit annis octodecim, menſibus quatuor, die vno. Ceſſauit ſedes Papalis poſt eum, diebus viginti.

Iouianus tempore Damaſi Papæ, imperat annis octo. Iſte omnem exercitum Conſtantij ad fidem catholicam reuocauit.

Diſtinctio temporum.

Syricius Papa, ſedit annis quindecim, menſibus vndecim. Cathedra non ceſſat.

Valentinianus tempore Syricij, imperat annis vndecim.

Valens filius Valentiniani, ſub eodem Papa Syricio, imperat annis quatuor.

Gratianus Imperator cum fratre ſuo Valente, imperat ſub eodem Papa, annis ſex.

Diſtinctio temporum.

Anaſtaſius Papa, ſedit annis tribus, mẽſibus decem, diebus duodecim. Ceſſauit poſt eum pontificatus, diebus viginti & vno

Valentinianus ſecundus, imperat tempore Anaſtaſij Papæ, annis duodecim.

Diſtinctio temporum.

Innocentius Papa, ſedit annis vndecim, menſibus duobus, diebus viginti vno. Tunc Roma ab Alarico rege Gothorum capta eſt, ipſo Papa tunc Rauennæ commorante.

Theodoſius imperauit annis viginti ſeptem, tempore Innocentij Papæ primi.

Diſtinctio temporum.

Soſimus Papa, ſedit anno vno, diebus vndecim. Ceſſat diebus vndecim.

Arcadius cum Honorio & Theodoſio & Valẽtiniano imperat annis triginta duobus ſub eodem Papa.

Diſtinctio temporum.

Bonifacius Papa, ſedit annis tribus, menſibus octo, diebus ſeptem. Ceſſat diebus nouem.

Honorius & Arcadius tempore Bonifacij Papæ, imperat annis viginti vno.

Cæleſtinus Papa, ſedit annis ſeptem, menſibus decem, diebus ſeptemdecim, Ceſſat diebus viginti. Iſte verò Scotis in Chriſto credentibus primum mittit epiſcopum, nomine Palladium.

Diſtinctio temporum.

Valentinianus cum Martiano imperat annis nouem.

Xyſtus Papa, ſub eodem Valentiniano ſedit annis octo, menſe vno. Ceſſat diebus viginti duobus.

Diſtinctio temporum.

Leo Papa, ſedit annis vndecim, menſ vno, diebus tredecim. Ceſſat diebus ſept Tunc facta eſt quarta ſynodus ſexcento rum triginta Patrũ ſub Martiano Impera tore contra Eutychen: vbi conceſſum eſt Theotocon, id eſt Dei matrem eſſe Mari am: & prohibitum eſt dicere, duas in Chri ſto eſſe perſonas. Eo tempore Atila inua Italiam: ad quem egreſſus Leo Papa, vt Vr bem non ingrederetur, obtinuit: vnde A tila frænum retrò conuertit.

Diſtinctio temporum.

Martianus poſt Valentinianũ ſub Leone Papa imperat annis ſex.

Diſtinctio temporum.

Hilarius Papa, ſedit annis ſeptem, menſibus tribus, diebus decem. Ceſſat diebus decem.

Leo Imperator, regnat annis ſeptemin Conſtantinopoli.

Diſtinctio temporum.

Simplicius Papa, ſedit annis quindecim, menſe vno, diebus ſeptem.

Zeno Imperator tempore Simplicij Papæ, regnat annis ſeptemdecim.

Felix Papa, ſedit annis octo, menſibus ſex, diebus ſeptem. Ceſſat diebus quinque. Iſte fuit ſub Zenone.

Diſtinctio temporum.

Gelaſius Papa, ſedit annis quatuor, menſibus octo, diebus octodecim. Ceſſat diebus ſeptem. Hoc tempore Genſericus rex Gothorum capit vrbem Romam; & per dies quatuordecim omnibus bonis expoliat; ſed hominibus ad eccleſias cõfugientibus parcit; & ita locupletatus recedit.

Anaſtaſius Imperator tempore Gelaſij regnat annis ſeptemdecim.

Symmachus Papa ſub Anaſtaſio ſedit annis nouem, diebus ſeptemdecim.

Diſtinctio temporum.

Hormiſda Papa, ſedit annis nouem, diebus ſeptemdecim. Ceſſat diebus ſex.

Iuſtinus ſenior ſub Hormiſda regnat annis ſeptem.

Ioannes Papa ſub Iuſtino, ſedit annis duobus, menſibus nouem, diebus ſedecim. Ceſſat diebus quinquaginta octo. Iſte à Theoderico Gothorum rege carcerali ine-

inedia maceratus, post diuturnam pœnam peremptus est.

Mercurius Papa, sedit sub Iustiniano.

Bonifacius Papa, sedit annis duob. diebus vigintisex. Cessat diebus septuaginta sex.

Distinctio temporum.

Ioannes Papa secundus, sub Iustiniano, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex. Cessat diebus sex.

Agapetus Papa, sub illo sedit annis vndecim, mensibus decem, diebus vndecim. Cessat diebus viginti septem.

Siluerius Papa, sedit anno vno, mensibus quinque, diebus vndecim. Cessat diebus sex.

Vigilius Papa, sedit annis septemdecim, mensibus sex, diebus viginti & vno. Cessat diebus viginti quinque. Nunc fit quinta synodus sub Iustiniano, contra Theodorum.

Fabianus Papa, sedit anno vno, mensibus quinq;, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Pelagius Papa, sub Iustino Imperatore, sedit annis vndecim, mẽsibus decem, diebus vigintiseptem.

Benedictus Papa, sub eodem Iustino, sedit annis quatuor, mensibus duobus. Cessat mensibus tribus.

Iustinus imperat annis septem.

Ioannes Papa, sub Iustino, sedit annis duodecim, mensibus vndecim, & diebus vigintisex.

Distinctio temporum.

Tiberius imperat annis sex.

Benedictus Papa, sub Tiberio, sedit annis quatuor, mensibus duobus.

Distinctio temporum.

Mauricius imper. annis vigintivno.

Pelagius Papa, secundus, sub Mauricio, sedit annis decem, mensib. duobus, diebus decem. Cessat mensibus septem.

Gregorius Papa, sub Mauricio, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem. Cessat mensibus quinq;. Iste conuertit Anglos.

Distinctio temporum.

Phocas Imper. regnat annis octo.

Bonifacius P. tertius, sedit annis nouem, dieb. vigintiduob. Cessat diebus triginta sex. Tunc consecratum est Pantheon.

Distinctio temporum.

Heraclius Imperator, cum filio suo Constantino, imperat annis trigintasex. Per eundem Heraclium facta est exaltatio sanctæ crucis.

Bonifacius quartus, Papa, sub Heraclio, sedit annis quinq;, mensibus decem. Cessat diebus quatuordecim.

Deusdedit Papa, sub Heraclio, sedit annis tribus, mense vno. Cessat diebus sexagintaseptem.

Honorius Papa, sedit annis duodecim, mensibus vndecim, diebus sedecim. Cessat anno vno, mensibus septem, diebus octodecim.

Seuerinus Papa, sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat mensibus quatuor, diebus vigintisex.

Ioannes Papa, sedit anno vno, mensibus octo, diebus nouemdecim. Cessat diebus quadragintatribus.

Distinctio temporum.

Constantinus Imper. filius Heraclij.

Theodorus Papa, sedit annis sex, mensibus quinq;, diebus octodecim. Cessat anno vno, diebus duobus.

Martinus Papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus vigintiseptem. Cessat anno vno, diebus viginti.

Eugenius Papa, sedit annis duobus, mensibus nouem, diebus vigintiquatuor. Cessat mensibus duob. die vno.

Vitallianus Papa, sedit annis quatuordecim, mẽsibus sex. Cessat anno vno, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Constantinus iunior, Imperator.

Deodatus, sedit annis tribus, mẽs. duob. dieb. quinq;. Cessat dieb. octo.

Donnus Papa, sedit anno vno, mensibus quinq;, diebus decẽ. Cessat dieb. duobus. Iste construxit locum qui dicitur Paradisus, ante ecclesiam S. Petri.

Agatho, sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat anno vno, mens. quinque, & diebus quinque. Nunc sexta synodus celebratur Constantinopoli centum quinquaginta episcoporum, sub Constantino pronepote Imperatoris, contra Georgium patriarcham.

Leo Papa, sedit mensibus decem, dieb. sedecim. Cessat diebus duodecim.

Benedictus Papa, sedit mensibus duobus, diebus viginti.

Ioannes Papa, sedit anno vno, diebus nouem. Cessat mensibus duobus, diebus octodecim.

Conon

Conon Papa, ſedit menſibus vndecim. Ceſſat menſibus quatuor, diebus viginti duobus.

Diſtinctio temporum.

Iuſtinianus iunior, Imperator.

Sergius Papa, ſedit annis tredecim, mẽſibus nouem.

Leo Papa, ſedit ſub Iuſtiniano iuniore annis duobus, menſibus nouem.

Diſtinctio temporum.

Ioannes Papa, ſedit annis tribus, menſibus duobus, diebus ſedecim. Ceſſat menſe vno, diebus tredecim.

Ioannes alius, Papa, ſedit annis duobus, menſibus ſeptem. Ceſſat menſibus octo.

Siſinnius Papa, ſedit diebus viginti. Ceſſat menſe vno, & diebus nouemdecim.

Diſtinctio temporum.

Iuſtinianus Imperator.

Conſtantinus Papa, ſedit annis ſeptem, diebus viginti. Ceſſat anno vno & diebus quadraginta.

Philippus Imperator, regnat tempore ipſius Conſtantini Papæ.

Diſtinctio temporum.

Anaſtaſius Imperator, regnat tempore Gregorij Papæ.

Gregorius Papa, ſub ipſo Anaſtaſio ſedit annis quindecim, diebus viginti duobus. Ceſſat diebus triginta quinque.

Diſtinctio temporum.

Theodoſius Imperator. Sub eo ſedit Gregorius Papa tertius, annis decem, menſibus nouem, diebus vigintiquatuor. Ceſſat diebus octo.

Leo Imperator, cum Conſtantino filio ſuo, regnat tempore ipſius Gregorij Papæ.

Diſtinctio temporum.

Conſtantino cum filio ſuo Leone imperante.

Zacharias Papa, ſedit annis decẽ, menſibus octo.

Diſtinctio temporum.

Stephanus Papa, ſedit annis quinque, menſib. tribus. Ceſſat diebus triginta quinque. Tempore ipſius Stephani Papæ, Pipinus dux Francorum factus eſt rex Galliarum & patricius Romanorum. Hildericus verò qui prius fuerat rex Francorũ, ignauus & inutilis, tonſus & monachatus eſt.

Paulus Papa, tempore Pipini regis & patricij, ſedit annis quinque, menſe vno. Ceſſat anno vno. Tempore ipſius Pauli & Pipini, Leo imperat.

Diſtinctio temporum.

Stephanus Papa, tempore Caroli regis Francorum & patricij Romanorum, ſedit annis tribus, menſibus ſex.

Adrianus Papa, tempore Caroli regis & patricij, ſedit annis quatuordecim, menſibus decem, diebus viginti ſeptem.

Leo Papa, tertius, imperante Conſtantino in Græcia, cum matre ſua Irene, & regnante Carolo Magno in Francia, ſedit annis viginti, menſibus ſex. Iſte primus Carolum Magnum pro Imperatore ſuſcepit, & laudes Imperiales ſolenniter ei Romæ cantauit. Nunc ſeptima ſynodus Nicena ſub Conſtantino, & Irene Imperatrice, matre eius, celebrata eſt de imaginibus ſanctorum. Carolus Magnus Imperator, tempore Papæ Leonis, & deinceps tertio imperat annis quadraginta ſex.

Diſtinctio temporum.

Ludouicus Imperator, filius Caroli Magni, imperat poſt patrem cum filio ſuo Lothario.

Stephanus Papa, tertius, ſub Ludouico & Lothario, ſedit annis ſeptem.

Paſchalis Papa, ſedit annis ſex.

Eugenius Papa, ſedit annis ſex.

Valentinus Papa, ſedit annis vndecim, ſub eodem Imperatore.

Diſtinctio temporum.

Lothario imperante, poſt patrem ſuum Ludouicum.

Gregorius quartus, Papa, ſedit annis quatuordecim.

Sergius Papa, ſedit annis tribus.

Leo Papa, ſedit annis octo, menſibus quinque, ſub eodem Lothario & filio eius Ludouico.

Benedictus Papa, ſub eodem, ſedit annis duobus.

Diſtinctio temporum.

Ludouicus Imperator, regnat poſt patrem ſuum.

Paulus Papa, ſub eodem Ludouico, ſedit annis decem, menſibus duobus. Ceſſat anno vno.

Stephanus Papa, ſedit annis quatuor.

Nicolaus Papa, ſedit annis decem, menſe vno.

Adrianus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus vndecim.

Diſtinctio temporum.

Carolus ſecundus, Imperator, poſt Ludouicum ſecundum, regnat.

Ioan-

Ioannes Papa, sedit annis decem, mense vno, sub Carolo secundo.

Distinctio temporum.

Carlomannus imperat post Carolum secundum.

Marinus Papa, sub Carlomanno, sedit anno vno, mensibus tribus.

Adrianus tertius, Papa, sedit anno vno, mensibus tribus.

Stephanus Papa, sedit annis quatuor.

Distinctio temporum.

Arnulpho Imperatore, secūdum quosdam,

Formosus Papa, sedit annis quatuor, mensibus septem.

Bonifacius Papa, sedit annis duodecim.

Stephanus Papa, sedit anno vno, mense vno, diebus octodecim.

Romanus Papa, sedit annis quatuor.

Theodorus Papa, sedit anno vno.

Ioannes Papa, sedit annis duobus.

Distinctio temporum.

Ab hoc loco inantea ponimus, secundum sententiam Romanorum, illos Imperatores, qui in sola Italia legūtur regnasse. Ludouicus imperat in Italia.

Christophorus Papa, sub Ludouico, sedit mensibus sex.

Sergius Papa, sub eodem Ludouico, sedit annis sex, mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Berengario imperante in Italia, Anastasius Papa, sedit anno vno, mense vno.

Lando Papa, sedit mensibus quinque, sub isto Berengario.

Ioānes Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, sub Berengario primo.

Distinctio temporum.

Hugone imperante in Italia,

Leo Papa, sedit annis septem, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Guidone imperante in Italia, & filio eius Lamberto,

Stephanus Papa, sedit annis duobus, mense vno.

Ioannes Papa, sub eisdem, sedit annis quatuor, mensibus decem.

Distinctio temporum.

Berengario secundo, imperante in Italia, Leo Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Lothario imperante in Italia,

Stephanus Papa, sedit annis tribus & mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Berengario tertio, imperante in Italia, cum filio suo Alberto,

Marinus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Ab hoc tempore inantea incipiunt soli Teutonici imperare.

Othone primo Teutonico Imperatore,

Benedictus sedit anno vno, mensibus quinque.

Leo Papa, sub eodem Othone primo, sedit anno vno, mensibus tribus.

Ioannes Papa, sub eodem Othone, sedit annis quinque, mensibus vndecim.

Distinctio temporum.

Othone secundo Imperatore, Benedictus Papa, sedit anno vno, mensibus quinque,

Donnus Papa, sedit anno vno, mensibus sex.

Bonifacius Papa, sedit mense vno.

Benedictus Papa, sedit annis nouem.

Ioannes Papa, sedit mensibus octo.

Ioannes Papa, sedit mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Othone tertio, Teutonico Imperatore,

Ioannes Papa, sedit annis decem, mensibus sex.

Gregorius Papa, sedit anno vno, mensibus sex.

Ioannes Papa, sedit mensibus decem.

Siluester Papa, sedit annis quatuor, mēsibus quinque. Iste vocabatur Gilbertus.

Ioannes Papa, sedit mensibus decem.

Ioannes Papa, sedit annis tribus.

Sergius Papa, sedit annis tribus.

Distinctio temporum.

Nota, quia plures sunt Henrici reges, quàm Henrici Imperatores. Vnde cùm legitur Henricus Imperator primus, ratione imperij, primus quidem est; sed ratione Henricorum, secundus est: fuit enim vnus rex Henricus ante istum. Idem intellige de Conradis.

Henricus, primus Imperator, cognomine Claudus, qui inter Henricos notatur secundus. Cuius tempore

Benedictus Papa, sedit annis vndecim, mensibus vndecim.

Ioannes Papa, sedit annis nouem, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Conrado primo imperante, qui inter Conrados notatur secundus, Benedictus Papa sedit annis quatuordecim.

Siluester Papa, sub eodem Conrado, sedit mensibus duobus.

Gregorius Papa, sub eodem, sedit anno vno, mensibus sex.

Clemens Papa, sub eodem Conrado, sedit mensibus nouem.

Damasus Papa, Teutonicus, sedit mense vno.

Leo Papa, Teutonicus, sedit annis quinque, mensibus quinque.

Victor Papa, Teutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.

Stephanus Papa, Teutonicus, sedit mẽsibus octo. Omnes sub eodem Conrado secundo.

Distinctio temporum.

Henricus, secundus Imperator: sed ratione Henricorum regum, tertius numerandus est. Fuerat enim ante omnes Henricos & ante omnes Othones, quidam Henricus rex, vt diximus: sed non Imperator, de gente Saxonica, cognominatus Auceps. Similiter fuit ante omnes Conrados primus Conradus, rex Teutonicorũ: sed non erat Imperator. Tempore autem istius Henrici secundi Imperatoris, Benedictus Papa, sedit annis decem.

Nicolaus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus vigintiquinque.

Distinctio temporum.

Henricus Imperator tertius: sed ratione Henricorum, quartus est numerandus. Tempore istius Henrici, Alexander Papa, sedit annis nouem, mensibus sex.

Gregorius septimus, Papa, sedit annis quindecim, mense vno, diebus octo.

Victor Papa, sedit mensibus quatuor, diebus septem.

Vrbanus Papa, sedit annis vndecim, mensibus sex, diebus octodecim.

Distinctio temporum.

Henricus Imperator quartus, qui ratione Henricorum numeratus est quint... Iste est Henricus qui cepit Papam P... schalem Romæ. & iste refutauit eccle... Romanæ annulum & baculum episcop... rum.

Paschalis Papa, sub eo, sedit annis ... uemdecim.

Gelasius Papa, sedit anno vno, dieb... sex.

Calliſtus Papa, sedit annis quinq... mensibus sex, diebus tredecim.

Honorius Papa, sedit annis quinqu... mensibus sex, diebus vigintiocto.

Distinctio temporum.

Lotharius secundus, Imperator, regn... uit annis duodecim. fuit Saxo.

Innocẽtius Papa, sedit annis tredeci... mensibus sex, diebus quatuordecim.

Cælestinus Papa, sedit mensibus qui... que, diebus vndecim.

Lucius Papa, sedit mensibus vndecim...

Distinctio temporum.

Conradus rex Teutonicorum & Ro... manorum, regnat annis quatuordecim.

Eugenius Papa, tempore Conradi ... tij, sedit annis octo, mensibus quinq... diebus decem.

Distinctio temporum.

Fridericus primus, Imperator, impera... nunc annis triginta septem.

Anastasius Papa, tempore Friderici, ... dit anno vno, diebus quinque: viuente ... am Eugenio suprà dicto.

Fridericus secundus, regnat.

Adrianus Papa, sedit annis quatuo... mensibus nouem. Iste vnxit Friderici... in Imperatorem.

Alexander Papa, sedit annis viginti do... bus, imperante Friderico, & regnãte ... patre filio eius Henrico sexto.

Lucius Papa, imperante Friderico, ... filio eius Henrico regnante, sedit annis ... bus.

Vrbanus tertius, Papa, sedit simili... imperante Friderico, & regnante filio eius Henrico: sedet nunc feliciter, Amen.

FINIS CHRONICORVM GOTFRIDI VITERBIENSIS.

FASCICVLVS TEMPORVM
OMNES ANTIQVORVM
CHRONICAS COMPLECTENS,

Auctore Wernero Rolewink, Westphalo.

PROLOGVS.

GENERATIO & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt, *scribitur Psalmo cxliiij. Cum nõ sine multa diligentia, sanctorum patrum studia temporum decursus supputarunt, non dubium, quin magna vtilitas ecclesiasticis viris, & præcipue illis qui ecclesiasticam politiam gubernare habent, inde proueniat: nec vlli statui hominum hoc parum prodesse credendum est, si temporata mente ad rerum gestarum historias, quas ob diurnam memoriam studiosi viri conscripserunt, oculos leuent: quamuis plerique id minus perspectent. Decet namque viros virtuosos præcedentium facta sæpe ad memoriam reuocare, vt bonis exemplis discant dignis operibus insistere; vt in malis valeãt perditionis scopulum declinare. Verum nisi precio sum a vili separetur, stulta concupiscentia se temperare non valens, in tenebrarum voraginem præcipiti cursu mergeretur. Ob hoc sancti doctores videntes quod ad intellectum sacrarum scripturarum, & ecclesiæ regimen, historiarum decursus ex parte necessarius esset, simulque omnium gestorum congeries inutilis, tum pro sui magnitudine, tum pro superfluorum & vilium factorum repetitione superuacua, quasdam nobis historias canonisarunt, amputatis fabulis superstitiosis, ac genealogijs interminatis, quæ ad rem non pertinent. Sicque factum est per maximos eorum labores, vt pene simul tota temporũ historia breuissimo studio a quolibet intelligente iam nedum sine labore, imo cum cordis oblectatione possit incorporari. Decuit quoque ad ornatum scripturæ, vt hac pulcritudine non careat, quæ omnibus gentibus tanquam lucerna præfulgida in obscuro loco proponenda fuit. Ingenium insuper humanum, quod magnifice plura comprehendere faciliter potest, hoc delicioso prato diuersorum florum priuari non debuit: in quo varia virtutum exempla reperiens, facta que reproba æque considerans, illa carpere, hæc præterire moneretur. Videre enim supra modum est delectabile, qualiter primi nostri parentes, ex quibus originem duximus, instituti fuerunt a summo omnium gubernatore Deo: deinde quis decursus eorum, quomodo defecit & profecit rationabilis creatura in sapientia, virtute, potentia, sanctitate, longæuitate: & sic de alijs: & in omnibus his diuinum regimen admirari, quam sit Deus mirabilis in creaturis suis, qui nunquam administrare cessauit illis quos condidit: quanta creatoris longanimitas & misericordia, & quã inscrutabilis diuinorũ iudiciorum abyssus. Hæc & infinita alia peruolans humana industria pennis quibusdam internæ contemplationis, non solum præterita & præsentia, sed etiam futura metitur, dum ex similibus ad similia progreditur: cui si bona voluntas adiuncta fuerit, tædio quodam incolatus huius in Deum surgit ad laudandum & regratiandum, & contemplandum; cupiens dissolui, & esse cum Christo in æternum. Incipit ergo hæc contemplatio in iocunda contemplatione creaturarum, & finit in feliciori tædio earundem, & appetitu creatoris, iuxta illud Psal.* Quid enim mihi est in cœlo? & a te quid volui super terram? Mihi autem adhęrere Deo bonum est. *Hoc forte in præassumpto verbo idem Psalmista nobis persuadere nititur: dicens,* Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. *quasi dicat, Per omnia quæ in mundo casura cernimus, ad te qui nunquã deficis, tendere debemus. Quæ vtique sententia valde accommoda est ad propositum nostrum. Cum enim, teste Augustino, plura in sacra scriptura commemorantur quæ nihil significant, & tamen necessaria sunt, propter ea quæ aliquid significant, necesse est talibus ita vti, quamuis sterilia sunt, sicut illa quæ fœcunda deuotione immediate in Deum mentem nostram subtollunt: alioquin non recte scripturam legimus, in qua semper Spiritus sanctus loqui credendus est. Sunt ergo arida, quo ad superficiem litteræ; sed grauida, quo ad spiritualem intelligentiam. Quæ autem ita aliena sunt, vt nequaquam spiritualiter intelligi possunt, aut non expedit: omnia tamen veneratione digna sunt propter finem in quem ordinantur, qui est scire & diligere Deum. Et de hoc genere videtur esse supputatio annorum, quæ in sacra historia diligentissime annotata continetur. De qua, vt idem Augustinus testatur, hoc certissime*

tenendum est, quod tanta est diuina auctoritate roborata, vt omnino falsissimum sit quicquid abeo ita discrepat, vt cum ea omnino concordari non possit. Quæ cum ita sint, mirũ valde videtur, cur sanctæ scripturæ tractatores de hac materia in tantum sunt diuersi in pluribus locis vsque hodie, vt aut omnino aut vix nequeant concordari. Et redit illa antiqua & famosa quæstio de translatione lxx interpretum, an potius ei standum sit in supputatione annorum, an textui Hebræorum, quem Moyses ille maximus & primus legis promulgator edidit. Hic contriuerunt sancti doctores ingenia sua, & quilibet pro captu suo dixit quod sensit. Et quia periculosum est de magistrorum ecclesiæ iudicare sententijs, (vt dicit Hieronymus super Danielẽ,) & nimis laboriosum est omnia retexere: ideo Beda post alios qui studiosius in hac materia sudarunt, elegit modum Orosij, qui satis concorditer cum Hieronymo & Eusebio & alijs magis authenticis de his loquitur, & dicit ecclesiam hunc modum tenere, licet alios non reprehendat. Quare actum videtur, vt hæc supputatio magis vulgata sit in libris plurimorum postea scribentium. Augustinus etiam in xv libro de ciuit. Dei multa de his tractat: sed satis dissentit a positione Bedæ, quia sequebatur exemplaria quæ tunc magis vulgata fuerunt, vt etiã patet in homilijs suis, & maxime super psalmos. Positio autem Orosij & Bedæ habet, quod a creatione mundi vsque ad natiuitatem Abrahæ fluxerunt anni iij^{m} clxxxiij, secundum septuaginta. Hebraei minus habent, mccxxxvi, quia secundum Biblia correcta iuxta Hebraicam veritatem, ab Adam vsque ad natiuitatem Abrahæ sunt anni tantum mdccccxlviij. Deinde satis concordant cum Hebræis septuaginta interpretes vsque ad destructionem templi, quæ vocatur communiter transmigratio Babylonis. Sequentia tempora non habentur ex canonica scriptura, sed ex alijs historijs tam Iudæorum, quam gentilium. Et iterũ ibi est diuersitas, sed non nimis magna. Simul igitur colligendo, secundum Bedam, a mundi creatione vsque ad Christi natiuitatem, veniunt anni v^{m} cxcix. & hic est modus ecclesiæ. Vnde versus, Vnum tolle datum ad milia quinque ducentis, Nascenti Domino Beda dat a protoplasto. De vlteriori discussione huius quæstionis vide, si placet, Augustinum vbi supra, & Hieronymũ, & alios locis suis. Hic autem, quia breuitati studemus, prolixitas ipsa nobis vitanda est. Colligere namque disposuimus, iuuante Domino, ex pluribus libris fasciculum quendam temporum a mundi creatione vsque ad præsens; in quo tam sacrarum scripturarum, quam diuersarum aliarum historiarum facta, tanquam in memoriali quodam compendiose religabimus. Faciam proinde, iuxta sententiam Flori, quod solent qui terrarum situs in breui quasi tabella depingunt; ita totã humani generis imaginem, temporumq; decursus in pauculis foliis complectar. Nec mihi conscius sum aliquid me posuisse quod non in fide dignis historijs habeatur, aut alijs libris ecclesiasticorum doctorum, siue quod nunc ex eorum dictis aperte sequatur. Vbi autem dubium fuerit, an sic vel aliter, hoc ipsum etiam ita vt reperi, pari modo annotaui. Et ne ipsa superficies historiæ deuotis tædiosa esset, persæpe sententias quasdam floridissimas applicaui ex sanctorum dictis, quæ deuotionem redolent pariter ac doctrinam. Autoritatem ergo dantes his qui ante nos laborauerunt, nos pro modulo nostro in labores eorũ intrauimus, sparsim hinc inde carpentes quod potuimus. Et vt sciatur quo ordine eos secuti simus, primo totum tempus veteris Testamenti v^{m} clxix annorum in quinque ætates distinctum reperimus in quodam libello, qui Isidoro ascriptus videbatur, vbi multum artificialiter procedit, decurrendo annos mundi vsq; ad tẽpora sua, scilicet Heraclij, qui cœpit regnare circa annos Domini dcxij. sed supputationem suam non ordinauit secundum AEram Christi, sicut nec Orosius. Et hunc sequimur in duabus primis ætatibus, similiter & in duabus sequentibus, exceptis paucis. quia textus, secundum Hebraicam veritatem, a natiuitate Abrahæ vsque ad captiuitatem Babylonicam apud nos magis est correctus, & diligentius explanatus. & ideo sequimur eum: parum tamẽ refert. In quinta ætate maiorem laborem habuimus, propter nimiam diuersitatem historiarum. & veniam precor, quia iam vnum, iam alium, prout melius putaui, secutus sum. An autem debite singulos annos supputaui, lectori iudicium committo. Lineam autem Assyriorum & Romanorum & aliorum ex diuersis historijs laborioſe satis coaptaui: rogans, vt si cui transcribere placuerit, diligenter obseruet spacia & numerum correspondentem, ne longius aut strictius ponat, quam exemplar habet. alioquin & labor peribit, & fructum non reportabit. eritque opus eo mendosius, quo compendiosius, nisi hoc studeat diligenter obseruare. Si autem debite, quod facile arbitramur, hæc incorporauerit, non modicam ei præbebit illuminationem ad intelligendam sacram scripturam & libros Augustini & Hieronymi, & Orosij, & aliorum, &c. si vera sunt quæ in pluribus libellis scripta reperimus. Porro in sexta ætate sequimur Chronicam Martini, & Vincentij, qui compendiose procedunt vsque ad tempora sua. Post eos per annos fere cc, sequor notabilem librum quendam, cuius auctorem nescio, qui pene vsq; ad tem-

pora sua extenditur. Quæ autem depost acta sunt memoriæ digna, sicut audiuimus & vidimus, fideliter prioribus supposuimus. Quæ omnia in sequentibus summa breuitate patebunt. Modus autē procedendi planissimus est, & grossitudini rusticanæ adeo amicus, vt in pariete quidem depingi possit, eo quod illico sine omni difficultate intuentibus se offerat. Depinxi igitur in medio folij circulos cum nominibus personarum debitis pro quolibet tempore, & infra & supra lineas duas: quarū superior cum numero suo descendit ab Adam vsque ad Christum, iuxta seriem prædictorum, significans, vt quicquid ex aduerso illius numeri scriptum siue superius siue inferius, etiam circa illa tempora factum verisimiliter credatur. Secunda linea, id est inferior, retrorsum ascendit a Christi natiuitate vsque ad mundi creationem; vt eadem facilitate vnico numero inspecto, sciatur quot annis hoc aut illud factum sit ante Christi natiuitatem. Quod ideo sic ordinauimus, quia hæc AEra magis solennis est apud nos, & citius solet requiri. Post Christū simul ambæ descendunt ad tempora nostra paulatim crescendo: ita vt superior semper ostendat ætatem mundi, & inferior ætatem Christi. quod planissime patebit locis suis. Et quia ex multis libris mendose scriptis modum hunc non leui labore ad lineam veritatis correximus, obsecramus pro Christo lectorem ne inciuiliter manum ad corrigendum hanc annorum supputationem apponat, nisi prius toto opere perspecto. Quod non ideo dicimus, quasi nullibi errauerimus, sed ad auisandum de nimia diuersitate doctorum in hac materia. & frequenter positio vnius est inuolutio alterius. Vbi autem errorem inuenit, clementer ignoscat, & corrigat ex prædictis quos sequimur. Facile enim in numeris erratur, & sæpe negligenter describuntur, & negligentius emendantur, vt dicit Augustinus xv libro de ciuitate Dei.

FINIT PROLOGVS.

De numero qui in sequentibus per litteras exprimitur, hæc considera:	i.	x.	c.	m.
	ij.	xx.	cc.	ij^{m}
	iij.	xxx.	ccc.	iij^{m}
I monos; v quinque; x denos; duo xx vigenos.	iiij.	xl.	cccc.	$iiij^{m}$
XL duplat idem; triplicat lx; l quoque sola	v.	l.	d.	v^{m}
Quinquaginta facit: sed nonaginta dat xc.	vi.	lx.	dc.	vi^{m}
C dat centenos: sed quingentos tibi dat d.	vij.	lxx.	dcc.	vij^{m}
DC sexcentos; M mille; C si præit, aufert	viij.	lxxx.	dccc.	$viij^{m}$
Centum. sic numerum debes conscribere totum.	ix.	xc.	dcccc.	ix^{m}
	&c.		vel, cm.	&c.

FASCICVLVS TEMPORVM
OMNES ANTIQVORVM
CHRONICAS COMPLECTENS,

INCIPIT FELICITER.

Dies prim⁹ In quo Deus fecit lucem,& diuisit lucem a tenebris.

Dies secūd. In quo fecit Deus firmamentum, & diuisit aquas ab aquis.

Dies terti⁹ In quo cōgregauit Deus aquas in vnū locum, & apparuit arida.

Dies quart. In quo fecit De⁹ solē & lunā & stellas,& posuit eas in firmamento,&c.

Dies quint. In quo fecit Deus pisces & volucres, & cete grādia ex aqua.

Dies sextus In quo fecit Deus bestias & hominem.

Dies sept. In quo requieuit De⁹ ab vniuerso opere q̄ patrarat.

IN principio creauit Deus cœlū & terrā. Dicit beatus Augustinus super Gen. quod maior est huius scripturæ auctoritas, quā omnis humani ingenij perspicacitas. Et quia de tēpore hic principaliter intendimus, principiū tēporis breuiter tangere placuit. Vnde est aduertendū secūdū doctores, q̄ quatuor coæquæua in principio creata sunt a Deo ex nihilo, in quo relucet creatoris summa potentia. Hęc autē sunt, cœlū empyreū, angelica natura, materia quatuor elementorū, & tēpus. Et hoc vocant opus creationis, quod factū fuit ante omnē diem. Post sequitur opus distinctionis, in quo relucet summa creatoris sapientia: quod factū fuit in trib. dieb. primis. Deinde sequitur opus ornatus, in quo relucet summa creatoris bonitas: quod factū fuit in tribus dieb. sequentibus, vt patet clare Gen. i. Septima autē die requieuit ab omni opere quod patrarat, nō qua-



Anno mundi I.

ANNO primo mundi, die sexta formauit Deus Adam in agro Damasceno, & Euam de costa eius; collocans eos in paradiso, vt operarentur, & custodirent illum: præcepitq; eis ne de fructu ligni gustarent, sub pœna mortis. Eodem die cū peccassent, statim eiecit eos de paradiso in terrā maledictionis, vt in sudore & ærumna viuerent, donec morerentur, &c. vt patet Gen. i.

Humanū genus ideo Deus ex vno homine instituit, vt commendaret quam ei grata sit in plurib. vnitas. quæ consideratio multū electis prodest, sanctis angelis in æterna pace sociandis. Verū tanta immanitate peccandi defecerunt homines, vt tutius atq; pacatius inter se bestiæ viuerent. Neque enim vnquam inter se leones, aut inter se dracones, qualia homines bella gesserunt. Vinculum concordiæ diligit Deus. Hæc August. lib. xij de ciuitate Dei.

Ciuitas terrena ab homicida Cain incepit vsque ad homicidam Lamech.

vixit an. dcccc xxx & genuit xxxij filios, & totidē filias.

Vm cxcix.

Adam vir sanctus cunctis diebus vitę suæ, prophetię spiritu claruit: pœnitentiā magnā ac diuturnā fecit: filijs suis præcepta iustitiæ dedit, præcipiens vt a consortio Cain ac filiorū eius omnino abstinerent, nec cum eis matrimonia iungerent. Hic primus noster parens vno peccato a paradiso nos expulit: sed sancta conuersatione sua ac pœnitentia exemplum nobis dedit ad regni cœlestis gaudia remeandi. qui autem hoc non sequitur, de primo iuste conqueri non poterit.



*si operando lassus; sed nouam creaturam facere cessauit, cuius materia vel similitudo non præcesserit. Quod autem dicitur Ioan. v, *Pater meus vsq; modo operatur; & ego operor*, intelligitur de continua vniuersæ creaturæ administratione: quia quod condidit, continere & gubernare non cessat. & in hoc relucet creatoris summa perfectio, quia sibi soli sufficit, nec eget creaturis: sed potius econtra, quia virtus creatoris est causa subsistendi omni creaturæ. & hoc est quod septima dies vesperam non habet. De his plenius vide Magistrum secundo sententiarum, & doctores desuper copiose scribentes. Porro sequens tempus licet Deum nobis ostendat, quo ad hæc quatuor prædicta, scilicet summam potentiam, sapientiam, bonitatem, & per consequens summam perfectionē: tamen specialius ostendunt diuinam misericordiam & iustitiam, iuxta illud Psalmi, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*. Et iterum, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*. Misericordia tamen sceptrum tenet quandiu viatores sumus: quæ nulli petenti veniam negat.

Æras plurimas diuersorum regum, gentium, aut operum magnificorum, aut personarum sublimium, hinc inde annotaui. quibus vtuntur astronomi in suis calculationibus ab Adam vsq; Alphontium. Et nota, quod *Æra* est tempus famosum alicuius gentis vel sectæ, incipiens ab aliquo effectu qui est nobilis bonitatis vel malitiæ. & vulgariter potest dici *Datum*, iuxta quod publicæ conscriptiones fiunt. Vnde & sanctus Leo huius nominis primus, frequenter hoc termino, *Æra*, vtitur in epistolis suis.

Historia (vt Cicero dicit) est testis temporum, lux veritatis, magistra vitæ, nuntia vetustatis. Vtilissimum ergo est, historias plures nosse, atque in his versari, vt aliorum exemplo vtilia sequi, noxiaque vitare possimus.

CXXX. CCCCXXXV. DCXXV.

Anno ante Christi natiuitatē IIIIm DLXXIIII. IIIm DCLXXIIII. Vm LXIX.

Iste Seth natus est cxxx anno Adę: quorum Moyses prætermisit c, quib. luxit Abel in valle plorationis prope Ebrō. Ipse etiā p oleo misericordiæ impetrādo paradisum adijt.

*Iste Abel primus martyr ecclesiam inchoauit, quia in gratia mortuꝰ fuit. Si enim ab Adā inchoata fuisset, nō foret cōtinuata. Hic (secundum Augustin.) ciuitatem Dei condidit, cuius primus ciuis fuit. Et quia iustus fuerat, Deus eius oblationē acceptauit.

Iste Enos cœpit inuocare nomen Domini. forte aliqua verba deprecatoria inuenit, aut imagines fecit pro colendo Deo, sicut modo fit in ecclesia.

Augustinꝰ xiiij lib. de ciuitate Dei, Fecerūt itaq; ciuitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui, vsq; ad contemptum Dei: cœlestē vero, amor Dei vsque ad con-



In hoc Enoch Cain suā dedicauit ciuitatē; licet vix iiij viros scriptura dicat tunc fuisse: quia non omnes numerauit qui tunc esse poterant, sed illos tantum nominare necesse putauit, quos suscepti operis ratio postulauit.

†Iste Cain sceleratus primo ciuitatē condidit terrenā, in qua suos posuit propter timorem, eo q; rapinas & violentiā exercebat. vnde suspicabatur sibi talia reddenda qualia faciebat. ideo in tuto se recepit. Hic fratrē suum Abel propter inuidiā occidit: & punitus a Domino vagus, &c. a Lamech occiditur.

temptū sui. Deniq; illa in seipsa; hæc in Domino gloriatur. Illa quærit ab hominib. gloriā: huic autē Deus cōscientiæ testis maxima est gloria. Ad illā pertinet Cain, qui primo natus est, & ciuitatē condidit: ad istam pertinet Abel, qui secundo natus est, & tanquam peregrinus hic conuersatus: quia gratia prædestinatus, ciuis sursum erat.

Prima ætas:

Mundi ætates ſimilitudinarie accipiuntur ſecundū ætates hominis, & a diuerſis diuerſimode aſſignantur: rationib. multis aſtruuntur, quare ſic vel ſic conuenientius inchoent vel terminent: de quib. nihil ad prę ſens. ſed quantū nunc ſufficit, eſt aduertendū, quod ſex ſunt ætates mūdi. quarū prima incipit a mundi creatione, & durat vſq; ad diluuiū: & habet, ſecūdum Hebraicā veritatē, annos mdclvi. Secundū lxx interpretes (ſicut Iſidorus ponit, & alij quāplures, quos hic ſequimur) habet annos ij^{m} ccxlij. & ſic differunt in annis dlxxxvi: quos Hebræi minus habent in hac ætate. & iuxta hunc computū Matuſalē mortuus eſt ante diluuiū: eodē tamen anno quo diluuiū fuit. Secunda ætas incipit a diluuio, & durat vſq; ad natiuitatē Abrahæ, & habuit ſecundū Hebræos annos ccxcij: ſecundū lxx, dccccxlij. & ſic differunt in annis dcl: quos iterū Hebræi minus habēt. Quæ autē ſit ratio tantæ diuerſitatis, inuenire nō potui. Tertia ætas incipit a natiuitate Abrahæ, & durat vſq; ad initium regni Dauid, habens ſecundū Hebræos annos dccccxli: ſecundū lxx, dccccxl. Quarta ætas incipit a principio regni Dauid, & durat vſq; ad tranſmigrationem Babylonis: & habet annos ccccclxxxiiij, ſecundū Hebræos: ſed ſecundū lxx, cccclxxxv. Quinta ætas incipit a tranſmigratione Babylonis, ſcilicet quādo Hieruſalē deſtructa fuit, & templū in ea incenſum: & durauit vſq; ad benedictā natiuitatē Chriſti, habens annos ſecundū hunc modū prętactum quē hic ſequimur, dxc. & ſicut prędictū eſt, grandis eſt altercatio de ſupputatione annorum huius ætatis. diuerſi diuerſimode computant: ſed nō minus multū differunt inter ſe. Eligat quiuis quod ſibi placuerit: quod nobis viſum fuit, poſuimus. Sexta ætas incipit a Chriſti natiuitate, & durat vſq; ad finem mundi, cuius terminum ſolus Deus nouit. & hæc dicitur ſenectus ſiue hora vltima. Adam moritur, ſepeliturque in Ebron.

Anno mundi DCCXCV. DCCCCLXX. MCXXII.

Malaleel vixit an. dcccxcv.

Iareth vixit annis dcccclxij.

Enoch annis ccclxv.

IIII^{w} LXXVII. IIII^{w} CCXXIX. IIII^{w} CCCCIII.

Curioſitas.

Nota, q, omnes artes vel ſcientię ſeculares, liberales ſiue mechanicæ, vel phyſicæ, humanæ curioſitati deſeruientes, a filijs Lamech leguntur inuētæ. & ſic filij adulterini primū ſubtiliores alijs fuerunt. Et quia timebant futurū periculū diluuij & ignis, ideo Tubal eaſdem artes in duabus columnis ſculpſit, vna, lateria; & alia, marmorea.

Ada

Iahel

Tubal

Bigamia.

Lamech

Satis Lamech ab iſtis vxoribus afflictus fuit: quia per quæ quis peccat, per hæc & punitur.

Tubal cain

Iſte Lamech primus contra naturam & mores bigamiam inſtituit, adulterium committendo. Ipſe etiam Cain occidit, non tamen voluntarie.

Sella

Noema.

Iſte Enoch iuſtus placuit Deo, & propter nimiā ſanctitatē ſuā trāſtulit eū Dominus in paradiſum, vbi cum Helia viuit in magna corporis & ſpiritus trāquillitate, vſq; ad Antichriſti aduētū. Tunc enim exibū. ppter cōfortationē electorū, & martyrio coronabuntur. Enoch ſcripta reliquit.

Iſte Iahel portatoria paſtorū primus inſtituit, & tentoria fecit.

Concupiſcentia aurium.

Iſte Tubal pater canentium in citharis & organis, & muſicæ artis inuentor. proportiones quoq; ſonorū ex malleorū ſonitu perpendit. *Concupiſcentia oculorū.*

Iſte Tubalcain fuit primus malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, & inuentor artis ſculpturæ.

Concupiſcentia carnis.

Iſta Noema inuenit artem variæ diuerſæque texturæ: lanam & linum in fila traxit, & pannum texuit, propter leuitatem. nam antea pellibus beſtiarum pro veſtibus vtebantur.

Nota(ſecundum doctores) debitã pœnã hoc tempore mũdo inflictã. Quia enim luxuria abũdauit, quæ corpora polluit, ideo per aquã terra lota & mũdata fuit: in fine autem mundi, quia cupiditas abundabit, per ignẽ exuretur. Aurum enim & argentum igne purgari ſolent.

Arca Noe habuit in longitudine CCC cubitos: in latitudine, L cubitos: & in altitudine, XXX: & in ſummitate, I cubitum. Geneſis VI.

Hoc ſignũ fœderis quod do inter me & vos, & ad omnẽ animã. Geneſ. ix.



Aqueus diluuium pręteritum figurat, ne amplius timeatur. Igneꝰ, futurum iudiciũ ſignificat per ignem, vt certitudinaliter expectetur.

MCCLXXXVII. MCCCCLIIII. IIᴹ CCXLII.



Tempus diluuij.

IIᴹ DCCCCLVII. IIIᴹ DCXLV. IIIᴹ DCCCXII.

Hic Matuſalem ſeniſſimus (quo ad multitudinẽ annorum) omniũ quos ſcriptura cõmemorat. Cũ enim D annos haberet, dixit ei Dominus, *Ædifica domũ ſi vis: quoniã adhuc* D *annis viues.* Reſpõdit, *Propter tantillũ tẽporis non ædificabo domum:* & ſub arboribus & circa vepres dormiuit, vt prius cõſueuerat.

Iſte Lamech cũ iam ſenuiſſet, & caligaſſent oculi eius, a puero ducebatur: qui putans quod ferã vidiſſet, indicauit ei vt ſagittaret: & ſic ipſum Cain trãsfixit. Vnde ob hoc puerũ verberibus adeo afflixit, vt etiam moreretur.

Noe vir iuſtus gratiam inuenit corã Domino. Cum enim iam eſſet annorum D, genuit Sem, Cham & Iapheth. Arcã de mandato Domini ædificare cœpit, eamq; in C annis perfecit. Centeſimo ergo anno iam arca completa, iterũ Dominus apparuit ei, mandans vt cũ vxore ſua & filijs, eorumq; vxorib. arcam intraret, & cũ animalibus: & ſtatim diluuium inundauit, ſteritq; aqua

uper altiſſimos montes cubitis XV. Gen. VIJ. Et nota, quod eodem die dominico in Maio, in quo ingreſſus fuit, anno reuoluto, cum vniuerſis quę ibi erant egreſſus eſt. Poſt diluuiũ accidit ipſi Noę illa famoſa ebrietas: cuius occaſione ipſe filijs, ſcilicet Sem & Iapheth, pro honore paterno & honeſta verecundia benedixit: filio vero ſuo Cham pro irriſione & irreuerentia maledixit. Et hic (ſecundũ Auguſt.) fit prima mentio de ſeruitute, & per oppoſitũ de nobilitate. Nec putandum eſt, quod omnes de Cham deſcendentes fuerint ignobiles & impotentes, cum ipſi cœperunt primo eſſe potentes ſuper terrã, vt patet de Nemroth, & regibus Chanaan, & Afrorum, &c. Nec omnes de Sem & Iapheth fuerũt virtuoſi ſiue nobiles aut potentes, cũ pene omnes in idololatrię crimen ceciderunt, & ab alijs oppreſſi ſæpe fue-*

Secunda ætas:

Ab iſto Chus Æthiopes perhibẽtur progeniti.

Chus

Saba

ab hoc Sabæi, id eſt Arabes.

Ab iſto Meſraim Ægyptij ſunt exorti.

Meſraim

Eiula

ab hoc Getuli in remotioribus Africę partib. eremo cohærentes.

Sabathaca

Nemroth

Iſte Nemroth gigas x cubitorum, cœpit eſſe potens in terra. & erat robuſtus venator corã Dño. Hic miſerabile vitiũ libidinis dominãdi per tyrannidem inchoauit: quo deinceps vſq; hodie mũdus adeo eſt contritus, vt dici nõ poſſit. Fuit autẽ principiũ regni eius Babylon & Arath, & Archat, & Calãne in terra Sennaar.

Regma

Iſti nomina perdiderunt.

Saba

Dadan

Ab hoc Sabæi.

Sabatha

i. Æthiopes occidẽtal. i. Sabatheni.

Cham Africã obtinet

xxx generões.

Chanaam

Ab iſto progeniti ſunt Afri, & Phœnices, & Chananæorũ gentes.

Sidon Hetæus Amorrę Gergeſæ Iebuſæus Heuæus: oẽs populi noti.

Arathæus Cinæus Samarites Amathæ Aradius

Iſte Cham videns verenda patris, nũciauit fratrib. deridens eũ: ob quod maledictus fuit ab ipſo, horrendum exemplum præbens omnibus deriſoribus.

Futh

ab iſto Libyes dicũtur exorti. vnde & Mauritanus fluuius vſq; in præſens Futh dicitur, omneſque circa eum regiones Futhenſes.

Anno mundi

Sem vixit annis dc.

Iſte Sem biennio poſt diluuium genuit Arphaxat, & fertur fuiſſe Melchiſedech, qui primus poſt diluuium condidit vrbem Salem; ipſa eſt Hieruſalem. & ab eo deſcenderunt generationes xxvij.

Aſcham poſſidet.

Pro intellectu horum eſt aduertendũ, quod veriſſime de iſtis tribus filijs Noe lxxij gentes procreatæ ſunt, vt patet Gen. x. Vnde ad deſignandũ myſteriũ hoc, Dominus Ieſus lxxij diſcipulos miſit ante faciẽ ſuã, vt dicitur Lucę x. De hac materia diligenter tractat Auguſt. xvi de ciuit. Dei, & inter cætera dicit, quod plures alij nati ſunt, qui propterea non ſunt commemorati, quia gentib. alijs naſcendo anteceſſerunt: ipſi autẽ gentes facere nequiuerunt. Harũ autẽ gentiũ vocabula partim manſerũt, ita, vt hodie quoq; appareat vnde fuerint deriuata: ſicut ex Aſſur Aſſyrij, & ex Heber Hebræi: partim temporis vetuſtate mutata ſunt, ita, vt vix homines doctiſſimi antiquas perſcrutantes hiſtorias, nec omniũ, ſed aliquarũ ex iſtis origines gentiũ reperire potuerunt: & ſi omnia cõſiderentur, plura mutata, quam manentia nomina apparent.

Iſte Iaphet a patre benedictus eſt, propter ingenuam nobilitatem, dilatationemq; ei imprecabatur. & ab eo deſcenderunt generationes xv.

Iapher Europã habet.

Hos vij filios habuit Iaphet; & vij generationes fecerunt.

Gomar

Magog

Ab iſto deſcenderunt Galatæ, & poſt Gallici. ediditque generationes iij.

Ab iſto Sarmatę venerũt, quos Græci Regios vocant.

Aſſenes

Ab hoc Peſtagones.

Riphat

Ab iſto Phryges.

Togornia.

Ab iſto Scythæ & Gothi traxerunt originẽ, ſecundũ Hieronymum.

*runt: ſed hæc maledictio & benedictio vitia & virtutes reſpicit, propter quæ vel quas homo veraciter dicitur nobilis vel ignobilis. Habuerunt tamen quædam ſpecialia priuilegia a Deo, propter merita patris ac benedictionem.

Ex istis tribus filijs Noe, scilicet Sem, Cham, Iaphet, ipso adhuc viuente, iuxta Philonis historiam, xxiiij^{m} & c virorum nati sunt, extra mulieres & paruulos, habentes super se tres principes, videlicet Nemroth, Iectan, & Suphene.

Ab hoc Aram progeniti sunt Syri, quorum metropolis Damascus. Vnde & in Hebræo Syria dicitur Aram.

Hus — Iste Trachonitidis & Damasci principatum tenuit. Vnde & Iob fuit de terra Hus.

Ludim — Anamin — Laabim — De his egressi sũt Philistijm, & Capturim. alij ignoti sunt nobis.

Aram — hos iiij genuit

Hul — Mes

genuit hos sex filios

Neptuim — Phetrusim — Celluim

Lud — Abhoc sunt Lydi.

Gether

Isti iiij fuerunt filij Sem, fratres Arphaxat.

Assur — Iste Assur quia nolebat rebellare cõtra Deũ in ædificatione turris Babel cũ Nẽroth, ideo fugit de terra Sennaar ad aliã regionẽ lõginquam prius non habitatã, quę ex eius nomine vocatur Assyria: & ædificauit ciuitatem, quæ postea vocata est Niniue; quæ fuit metropolis totius regni. Iste populus semper crudelitatis infamiam habuit.

Ab hoc Elamitæ principes Persidis.

Elam

II^{M} CCXLIIII. — II^{M} CCCLXXIX.

Arphaxat vixit an. cccxxxviij

Sale vixit annis cccxxxiij

Anno ante Christi natiuitatem II^{M} DCCCXX. — II^{M} DCCCLV.

Ionich^{9} obtinuit terrã Etham.

Iste Ionichus fuit filius Noe, de quo Moyses tacet: sapiens. primo post diluuium Astronomiam inuenit, & quædam futura præuidit, & maxime de ortu quatuor regnorum, & eorum occasu. Cumque pater dedisset ei munera, iuit in terram Etham, & habitauit ibi gentem constituens. Hic fertur consilium dedisse Nemroth, quomodo regnare posset.

Augustin. lib. xvi de ciuit. Dei dicit, Post benedictionẽ filiorũ Noe vsq; ad Abrahã nulla fit mentio aliquorũ iustorũ. nec eos tamẽ defuisse crediderim: sed si omnes commemorarentur, nimis longũ fieret, & esset hæc magis historica diligentia, quã prophetica prouidentia.

Madai — Ab isto Medi venisse putãtur, sem per potentissimi.

Iauan — Ab hoc Iones (qui & Græci) pgeniti sunt. vnde & mare Ionium dictum est.

Thubal — ex eo & Italos suspicãtur.

Mosoch — Ab hoc Cappadoces. vnde & vrbs apud eos Mazecab dicitur.

Thiras — Ab illo Thraces vel Thiraces.

filij generationes fac.

Elisa — Ab hoc Elysij, & post Æoles.

Tarsis — Ab hoc Cilices, vbi est ciuitas Tarsus.

Cethim — Ab hoc Cethæi, id est Cyprij.

Dodanim — Ab hoc Rhodij.

De malitia huius Nemroth pleni sunt libri. Forte diuino iudicio actum est, vt Nero in eius vocabulo plane se offerat, qui similem infamiã habuit. Nam post confusionem linguarũ ad Persas abijt, & eos ignem docuit colere, Babylone relicta filio suo Belo qui ei successit. & sic deinceps posteritas eius, regnũ illud obtinuit vsq; ad quartam chiliadẽ, secundũ Methodiũ. Sed Augustinus dicit eũ fugatũ inde: & quod filij Assur illud regnũ obtinuerunt, & tenuerunt vsq; ad annos mcccv.

Nemroth princeps de Cham.

Iectan frater Phaleg de Sem.

Suphene princeps de Iapheth.



Turris Babel.

Isti tres principes cum populis suis conuenerunt in campum Sennaar, formidantes diluuium iterum posse inundare; dixeruntque, Ædificemus turrim, cuius altitudo pertingat vsque ad cœlum. Gen. xi. Videns autem Deus stultitiam illorum, miraculose in pœnam peccati confudit linguas eorum: & sic dispersi sunt per totum mundum.

Ab isto Heber Hebræi nominati sunt. Nam in domo illius in diuisione linguarum sola Hebræa lingua remansisse describitur, quæ ante humana dicebatur: qua omnes communiter vtebantur.

Anno mundi | IIM DIX. | IIM DCXLIII.

Linea Christi

Heber vixit an. ccccxliiij

Hic (secundum Hebræos) dicitur spiritum prophetiæ habuisse. Et habuit duos filios, scilicet Iectan, & Phaleg.

Phaleg vixit an. ccxxxix.

IIM DCXC. | IIM DLVI.

Iste Iectan exemplo Nemroth accepit principatum super filios Sẽ. Et habuit filios xiij, qui omnes fecerũt generationes principales. Sed populi isti (secũdũ Hieronymũ) non sunt nobis noti, vel propter terrarum longinquitatem, vel propter mutationes populorum & nominũ, vel contriti guerris & subuersionib. vel alijs de causis.

Iectã.

Elmodad	Deda
Saleph	Hebal
Asarmoth	Abimael
Iare	Saba
Adhuram	Iophir
Iazal	Eiula
Iohab populi ignoti.	

Iste Phaleg filius Heber, sic dictus est, quia in diebus eius facta fuit confusio linguarũ, quasi ipse diuisus sit ab alijs: quia in domo sua permãsit lingua pristina. Vnde (secundum Augustinũ) in hoc non paruum iustitiæ vestigiũ apparuit, quod ista domus libera fuit ab hac pœna: quasi non fuerit particeps in culpa. Et nota (secundum eundem) quod numerus linguarum fuit secundum numerum generationum lxx. Auctus autem est numerus gentium multo amplius quam linguarum. Nam in vna lingua plurimas gentes nouimus. Nobilitas circa hæc tempora fertur introducta. Et nota, quod plurimus de causis instituta fuit. Prima fuit necessitatis. Crescente enim humano genere, cum homines ad malum proni essent, oportuit prohibere insultus prauorum aduersus bonos: & ideo eligebatur aliquis vir bonus, iustior cæteris atque prudentior, qui communitati præsideret, virtuosos promoueret, mediocres defenderet, & malos coerceret. Hinc dictus est nobilis, quasi virtute præ alijs notabilis. Vnde Hieronymus, Nil aliud video in nobilitate appetendum; nisi quod nobiles quadam necessitate constringantur, ne ab anti-

Hoc regnum Scytharũ licet sit vetustissimum: tamen quia barbarorũ est, inter principalia regna minime computatur. Vnde propter illius populi ineptitudinẽ siue grossitiẽ, regio illa semper dicta est barbarica. & est magna valde: qa a Mæotidis paludib. incipiens inter Danubiũ & Oceanũ septentrionalẽ, vsq; ad Germaniã porrigitur. Et est prima pars Europæ; in qua primum regnauit Tanaus de stirpe Iaphet. Gothi (i. Vngari) sunt de his, & Dani, &c.

Scytharũ

regnum oritur prope Danubiũ.

Amazonũ

siue Massagetarũ regnum oritur, i. fœminarũ inter Scythas & Albanos versus septentrionẽ. De Scythis trahũt originẽ.

Hic oritur Ægyptiorũ regnũ, quod diuersis altercationibus crebro mutatũ fertur. & sæpe fit mentio de his in sacra scriptura. Et durauit vsq; ad Augustum.

Sores

Hic oritur regnũ Assyriorum.

Belus I rex Assyriorũ annis lxv.

Æra principalis Eusebij & gentilium. qui antiquiora tẽpora cõmemorant, hic inchoant communiter. Hoc regnũ pene nunquam pacatum fuit.

Iste Belus fuit primus rex Assyriorũ: & dicitur a quibusdã Saturnus, qui in obscuro regnasse perhibetur: quia paruum habuit dominium. Et iste fuit primus quem error populi deum fuisse putauit. Vnde diuersæ gentes diuersimode eum nominant, scilicet Bel, Baal, Baalim, Beelphegor, Beelzebub, &c. Et stetit hic enormis error in genere humano vltra ij^{m} annorum.

II^{M} DCCLXXIII. II^{M} DCCCCV.

Reu vel Ragau an nis cccij.

Saruch vixit an. ccxxx.

Anno ante Christi natiuitatem II^{M} CCXCIIII. II^{M} CCCXXVI.

* quorum probitate degenerent. Secunda causa fuit dyscolia plebium, quæ rectum iudicium ignorabãt: licet tamen inter se pacate viuerent. Nam adeo hebetes fuerunt, quod nihil magis impendere potuerunt, nisi quod vulgari opinione celebrabant. Vnde expediebat pro earum pace conseruanda, vt ex natalibus nobilium principes haberent. Tertia causa processit ex aliqua fortitudine singulari. Nonnunquam enim cõmunitates grauatæ ob incursus hostiles tale edictũ sanciuerũt, vt quicunq; patriã a talib. liberaret, ius nobilitatis pro se & hæredibus suis perpetuo obtineret. Hoc modo quam plures nobilitati leguntur. Quarta causa ex abundantia diuitiarum sumitur. Aliquando enim populares nimia penuria victualiũ attenuati, tradiderunt se & sua alicui diuiti, vt hoc pacto malum inopiæ tempe-rarent, & eum deinceps velut nobilem & dominũ recognoscerent. Inueniuntur etiã quædam nobilitates per diuinũ oraculum institutæ, licet paucæ: quarũ aliquę permanserunt, vt in Dauid: aliquæ cito defecerunt, vt in Saul & Ieroboã, & quibusdam alijs. Plurimæ quoq; leguntur nobilitates per violentiam & tyrannidem introductæ: quarũ similiter aliquæ cito destructæ & penitus deletæ fuerunt; aliquę stabiles permanserũt. Et nota, quod secundum veteres historias raro aut nunquam in paganismo nobilium stirpes perpetuatę fuerũt, propter tyrannidem & superbiam. Multæ etiam apud Christianos propter eandem causam deletæ sunt, secundum illud Eccles. x, *Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis.* Item nota, quod nemo vnquam nobilitatem odio habuit: quia est bonũ per se appetibile, sicut virtus aut religio. Sed multi sancti eam fugerũt ob grande periculũ quod in ea latet, propter difficultatem maximam ipsi annexã. Hoc satis in sancto propheta Dauid apparuit, quem ipsemet Deus tam peculialiter elegit. Relinquitur ergo, quod vix pauciſſimi ad tantam sublimitatem idonei fuerunt.

Sicyoniorum regnũ hic oritur.

Ægialeus.

Iſte Ægialeus fuit primus rex Sicyoniorum. Nota, ſicut dicit Auguſt. xviij de ciuit. Dei: Regnum Sicyoniorum admodum paruum erat, de quo doctiſſimus Varro velut antiquo tẽpore exorſus eſt. peruenit tandem ad Athenienſes; deinde ad Latinos; deinde ad Romanos.

Huic ſucceſſit Europs ſecundus rex Sicyoniorum, & durauit vſq; ad tempora Heli ſacerdotis & iudicis Iſrael.

Bactrianorũ regnũ hic oritur.

Zoroaſtes.

Iſte Zoroaſtes dicitur fuiſſe Cham filius Noæ. Hic (ſecundũ Auguſt.) dicitur riſiſſe quando natus eſt. nec aliquid boni mõſtruoſus ille riſus portendebat, cum omnibus commune ſit flendo hunc mundum intrare. Artem namque magicam inuenit. & a Nino in bello ſuperatus eſt, qui eius libros combuſſit.

Ninus 11 rex, monarcha primus, regnauit annis liiij.

Reges Aſſyriorum.

Auguſtinus, Inter plurima regna terrarum, in quibus terrenæ vtilitatis vel cupiditatis eſt diuiſa ſocietas, quam huius mundi ciuitatem vniuerſali vocabulo nuncupamus, duo regna cernimus longe proueniſſe clariora: Aſſyriorum primum: deinde Romanorum; vt temporibus, ita & locis inter ſe ordinata atque diſtincta. Illud prius in Oriente; hoc poſtea in Occidente ſurrexit. In fine illius, initium fuit huius. Regna cætera cæteroſque reges velut appendices dixerim.

Anno mundi | III^{M} XXXV. | III^{M} CXIIII.

Nachor vixit an. cxlviij.

Linea Chriſti.

Thare vixit annis ccv.

II^{M} LXXXV. | II^{M} CLXIIII.

Iſte Thare poſt mortem filij ſui Aram exiuit de Vr Chaldæorum, & peregrinatus eſt in Charram cum filijs & nepotibus ſuis. Fertur, quod propter iniurias illatas ſibi a contribulibus ſuis, eo quod nollet adorare ignem, receſſerit. Et dicitur ab Hebræis communiter, quod Nemroth ibi regnauit, qui dictus eſt alio nomine Amraphel, rex Sennaar: quem diu poſt hæc Abraham ſuperauit & percuſſit, vt dicitur Gen. xiiij.

Idololatria oritur. Nota, ſi bene reuoluas hiſtorias, reperies, quod tria principaliter homines ad idololatriã induxerunt: ſcilicet, affectio circa moriẽtes, timor & adulatio apud reges, & diligentia artificum circa ſculpturam. Dæmones autem in idolis latentes, & reſponſa dantes, hunc errorem confirmauerunt nimis; ita, vt capitali pœna plecteretur abſque dilatione, qui ei ſe obfirmaret. Acceſſit inſuper fraudulenta poetarum laudatio, qui miſeros damnatoſque homines in cœlum compoſitis carminibus extulerunt. Et pulchre eodem tempore, cum dæmones loqui hominibus cœpiſſent, miſit clemens Dominus angelos ſuos, vt quibuſdam electis ſuis etiam viſibiliter loquerentur, ne ſimul tota humanitatis maſſa errore peſſimo deperiret.

Tempora groſſa & rudia, in quibus humanum genus nimis defecit a perſpicuitate naturalis luminis. Et ideo neceſſe fuit inſtitui leges poſitiuas, vt earum adminiculo homo rediret ad priſtinam & naturalem intelligentiam. Vide ſuper hoc doctorem ſanctum in prima ſecundæ. Nota, quod multæ iniquæ leges ab hominibus inſtitutæ fuerunt contra dictamen rectæ rationis: & multi homines, qui cæteris ſiue in potentia, ſiue prudentia, &c. præſtantiores erant, dij putabantur. Omne enim quod erat inſolitum, reputabatur quaſi diuinum.

Hanc ciuitatem magnã Ninus ampliauit, & ex ſuo nomine Niniuen appellauit: quæ eſt metropolis Aſſyriorum.

Melchiſedech rex Salem.

Iſte Melchiſedech vulgariter dicebatur rex iuſtus, ꝓpter eximiam ſanctitatẽ. panem & vinum obtulit Abrahæ in magnum myſterium. fuit enim ſacerdos Dei altiſſimi. Gen. xiiij.

Iſte Ninus libidine dominandi permotus, vt latius regnare poſſet, finitimis, id eſt vicinis ſuis, bella intulit. Et quia populus adhuc rudis fuit, nec bellandi, nec armorum peritiam habuit, cito pene totã Aſiam ſibi ſubiugauit, factuſq; eſt primus monarcha Orientaliũ. Cumq; nimis doleret de morte patris ſui Beli, fecit ſibi in ſolatiũ ſuũ imaginem eius: cui tantã reuerentiam exhibebat, vt quibuſcumq; reis ad ipſam confugientib. parceret & pœnã indulgeret. Huius exemplo plures ſuis caris mortuis imagines dedicare cœperunt. Videntes autẽ maligni ſpiritus curioſitatẽ populi, intus latuerunt, & reſponſa dederunt, deos eſſe dixerunt, ac diuinos honores ſibi fieri decreuerũt. Sicq; hoc infeliciſſimũ idololatriæ crimẽ introductum eſt, diuinæ maieſtati permaxime offenſiuum. & in tantum hæc veſania creuit, vt capitali ſententia plecteretur, qui eos homines fuiſſe affirmaret.

III^M CLXXXIIII.

Magnus iſte amicus Dei Abraham naſcitur anno xliij Nini regis.

XX II

Iſte Aram mortuus eſt ante Thare patrẽ ſuũ in Vr Chaldæorũ, id eſt in loco qui Vr dicebatur. Quod autẽ dicitur, quod in ignẽ ꝓiectus fuerit cũ Abrahã, &c. fabulæ ſunt Iudeorũ, ſecundũ Magiſtrũ in hiſtorijs, & alios.

Moab ꝑr Moabitarũ.

Aram filius Thare frater Abraham — genuit — Loth

Iſte Loth cũ exiſſet de Sodomis, genuit hos duos filios de duabus filiabus ſuis ebrius fuit factus. Hic vir ſanctus fuit, qui etiam angelicam meruit viſitationem, ſicut & Abraham.

Iſta Melcha fuit filia Aram, vxor vero Nachor; & genuit Hus, Bus, Batuel, cum alijs v, vt patet Geneſ. xxij. Sed de vno ſcilicet Batuel fit perſecutio ꝓpter Rebeccã, vxorem Iſaac.

Mel-cha

Amõ — Iſte eſt pater Ammonitarum.

Hus — de hoc deſcendit Iob, ſecundum quoſdam.

Nachor filius Thare, frater Abraham — genuit

Batuel — Iſte Batuel fuit filius Nachor, quem peperit ei Melcha. Hic manſit poſt mortem patris in Charram, & poſteritas eius.

Iſte Nachor exiuit cum patre ſuo Thare de Chaldæa, & venit in Charram Meſopotamiæ, & permanſit ibi.

Bus — de hoc deſcendit Balam & Heliu.

Laban — Lea — Rachel — genuit — vxores Iacob.

Rebecca

Treueris extruitur in Almania ſuper Moſellam fluuium, ciuitas antiqua, &c.

Reges Aſſyriorũ.

Abrahã iiij reges pcuſſit p pter Loth, quia ceperãt eũ vt patet Gen. xiiij. Quorũ vnus dicitur fuiſſe Nĕrotis & dicitur hic Amraphel.

Hoc tẽpore primũ ſancti angeli in forma humana apparuerũt hominib.

Semiramis, III.

Ninus, quartus.

Iſta Semiramis relicta vxor Nini fuit: quæ prima poſt mortẽ regis aggreſſa eſt Indos, & obtinuit eos. & ſic per totam Aſiam regnum Aſſyriorũ dilatatum eſt. Ciuitatem maximam Babylonię inſtaurauit & muris circumdedit. Hęc a filio ſuo Nino dicitur interfecta, eo quod ipſum ad illicitum concubitũ auſa fuerit prouocare, ſicut recitat Auguſtinus xviij de ciuitate Dei. Magiſter in hiſtoria dicit, quod proprio filio nupſit, & ex eo filium genuit, qui Babyloniam caput regni inſtaurauit.

Ante Romã Treueris fuit annis mille trecẽtis.

Iſte Ninus, filius Magni Nini & Semiramidis, fertur matrẽ ꝓpriã occidiſſe.

Thelxion.

Iſte Thelxion Sicyoniorum quintus rex fuit: quo regnante adeo ibi mitia & læta tempora fuerunt, vt eum defunctum velut Deum primitus colerent, ſacrificando & ludos celebrãdo. Huic ſucceſſit Thauricus, cui idem fecerunt.

Anno mundi IIIM CCXXXIIII. IIIM CCLXXXIIII.

Hic incipit illa dulcis & deuota hiſtoria patriarcharum noſtrorũ, qui verum Deum coluerunt, & colendo prædicauerunt. Vide Gen. xij vſque ad finem.

Iſaac vixit annis clxxx.

MDCCCCXCI. MDCCCCLXVI.

Nota diligenter, q; anno Abrahæ lxxv, de magnifica gloria ſummi Dei elapſum eſt vethã miſericordiæ ſuper humanũ genus: quia tunc cœperunt oracula promiſſionũ Dei apparere. O quam ſuaue verbũ! Vide Auguſtinum xvi de ciuit. Dei. Item Gen. xv.

Madian

Hanc Abraham poſt mortẽ Saræ duxit in vxorẽ: de qua orti ſunt plures filij, & gentes, vt patet Gen. xxv.

Cetura cõcubina Abrahæ.

Madan

Sodoma & Gomorra propter peccata horribiliter ſubuertuntur hoc tempore.

Sarai vxor Abrahã.

Iſta Sarai diu ſterilis, tãdẽ gratia diuina fœcũdata parit Iſaac nonagenaria, mulier ſancta. Alio nomine dicitur Ieſcha.

De hac Agareni. Et fuit concubina Abrahæ.

Cedar

Agar Ægyptiaca fam. Sarę

Iſmahel homo fer⁹

Iſte Ismahel fuit filiꝰ Abrahæ, & gen. hos ij cũ x alijs.

Nabaioth

Vxor Loth retroſpiciens in ſtatuam ſalis repente conuerſa, magno commonuit ſacramento neminem in via liberationis præterita deſiderare debere.

Hic oritur regnum Argiuorum, siue Græcorum, vbi primo Inachus regnauit: & durauit vsque ad tempora Delboræ.

Inachus.

Ista primo dicta fuit Io, filia Inachi. Sed in Ægyptum nauigans, ibi literas docuit: & Isis vocata est. & pro magna dea colitur a stultis plebibus.

Isis.

Iupiter fabulatur cum Iside concubuisse: ex qua diuina quædam proles orta putatur a grossissimis plebibus. Hoc studium fuit quorundam maleficorum taliter sua aut potentum stupra excusare.

Arius quintus. = Xerxes septim°.

Iste est quintus rex Assyriorũ, sub quo natus est Isaac, secundum Augustũ.

Hic dicitur Xerxes antiquus, qui Baleus vocatur, sub quo natus est Iacob, regnãte tunc apud Sicyonios Thuriaco, quem quidam Thurimachum scribunt.

Armamitres octau°.

Hic est, secundũ Augustũ. viij rex Assyriorũ, sub quo Deus apparuit Isaac, promittens ei quæ promiserat patri eius, regnante apud Sicyonios Leucippo etiam viij rege.

Abraham moritur, & sepelitur in Ebron.

Istis temporibus Prometheus, frater Atlantis, primo dictus est feciſſe homines, tum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur feciſſe hominũ imagines, quas arte quadam deambulare fecit. Etiam primus annulum inuenit, in quo gemmam inclusit, & quarto digito portari iussit, propter venam cordis, quæ illuc tendit.

III^M CCCXLIIII. III^M CCCCXXXIIII.

Iacob vixit annis cxlvij.

Iudas filius Iacob, quartus ab hoc tribus regia descendit, & tandem Christus Dominus.

Anno ante Christi natiuitatem MDCCLXVI. MDCCLVI.

Iste Esau vendidit primogenita fratri suo Iacob. Ipse est pater Idumæorũ: & montẽ Seir possedit. & primo equas asinis iunxit: vnde orti sunt muli.

Esau

Ruben tribum facit. & pdidit primogenita.

Simeõ tribum facit.

Bala fam. Rachelis, conj. Iacob gen. hos:

Dan' tribum facit, de qua Samson natus est.

Nephtalim tribũ facit.

Rebecca vxor Isaac gen. E. & I.

Lea vxor Iacob, filia Laban.

Leui Sacerdotalẽ tribum legimus ab hoc descendisse.

Zelfa famula Leæ, conj. Iacob gen. hos:

Gad tribũ facit.

Aser tribũ facit.

Ista Lea, lippa oculis, genuit sex filios, & vnam filiam:

Isachar tribum facit.

Nota quod a natiuitate Isaac vsque ad exitum de Ægypto, fluxerunt anni cccc. Vide Liram Geneſis xv.

Zabulõ tribum facit.

Rachel vxor Iac. gen. hos:

Ioseph duplicem tribũ facit. primogenita sunt eius.

Manasses.

Dina filia non facit tribũ in Israel.

Bẽiamin tribũ facit. dequa Paulus natus est.

Ephraim.

Hæc cum exiret videre mulieres regionis, corrupta est a Sichem.

Tertia ætas:

Iſte primus in Græcia inſtituit iudicia, legeſque conſcripſit. Hic habuit fratrẽ, qui menſes & annos docebat obſeruare; & ſacella cõſtituit ad colẽdos Deos: propter q̃ a rudi populo inter Deos cõnumeratus eſt, & ei boues immolabãt. Di-

Phoroneus.

Reges Aſſyriorum.

ctus eſt Phegeus.

Diluuiũ in Achaia tẽpore Ogygi, regis Eleuſinæ.

Iſte Serapis tertius rex Argiuorum fuit, dictus Apis cum in Ægyptũ nauigio veniſſet, & ibi mortuus fuiſſet, factus eſt a cæca gente omniũ maximus Ægyptiorum Deus. Tunc etiam mirabilis ſuperſtitio incepit de boue diſcolore, quẽ Apim vocabant, eo q̃ viuus co-

Serapis.

leretur: & illo mortuo, dæmones vitulũ ſimilẽ ibidẽ procurabãt ad decipiendũ rudẽ populũ. Inde venit, q̃ filij Iſrael ſimiliter delirabant. Quid

Beloch⁹ nonus.

Telchines Rhodũ cõdiderunt.

Sub iſto Belocho locutus eſt Dominus ad Iacob, repromittens ei quæ promiſerat patrib. ſuis: quæ ſunt hæc duo, ſcilicet poſſeſſio terrę promiſſionis, id eſt Chanaan, & benedictio omniũ gentiũ in ſemine ipſius, quod eſt Chriſtus Dominus.

Baleus decim⁹

hac ſtultitia miſerabilius in homine rationali?

Sub iſto mortuus eſt Iſaac, regnante tunc apud Sicyonios Meſſapo ix rege.

Hæc apud lacũ Tritonidem poſt iſtud diluuium primo apparuit, & plures artes inuenit ibi, & præcipue lanificiũ. & dea facta eſt, ſecundum errorem gentilium.

Minerua.

Iſte Pharao rex Ægypti (alias Nephres) ſuſcepit Ioſeph, & exaltauit eũ propter ſomniorum interpretationem.

Pharao.

Anno mundi IIII[M] CCCCXLV.

Linea Chriſti.

Phares.

MDCCLV.

Filius Iudę, nequam, percuſſus eſt a Domino.

Her.

Hæc ab Her & Onan, filijs Iudæ viduata, genuit ab ipſo Iuda geminos filios, ſcilicet Pharez & Zara.

Thamar.

Iſaac moritur.

Sua vxor Iudæ, hos iij genuit:

Onan.

Linea pontificum.

Leui filius Iacob, pater omniũ Leuitarũ vixit a. cxxxvij.

Zara.

Merari.

Iſte Sela filius Iudæ cũ adhuc paruus eſſet, non dedit eum Iudas Thamar, ſed eã viduã remiſit in domũ patris ſui. Cũ autẽ creuiſſet, timuit dare, ne occideretur ſicut fratres eius. Vnde & Thamar ſimulãs ſe meretricẽ, cõcepit in biuio de Iuda, & genuit Pharez & Zara, vt patet Gen. xxxviij.

Sela.

Leuitæ ab hoc Leui grandem honorẽ ſacerdotalis dignitatis adepti ſunt, propter Moyſen & Aaron. ex his etiam Chriſtus deſcendit, propter affinitatem tribuũ, huius & Iudæ, & propter myſterium, quia Chriſtus ſummus ſacerdos, & rex æternus ſic debuit naſci, & nobis innoteſci.

Caath aupis cxxxiij.

Geſrom.

Iſte Ioſeph vir ſanctus, & gloria domus Iſrael, filius Iacob, natus eſt anno eius cx. Et cum eſſet annorum xvi, venditus eſt. Anno autem xxx, ſtetit corã Pharaone, interpretans ſomnia eius: qui ſublimauit eum. Et quia caſtus fuit, & timoratus, ideo a Domino vbique dirigebatur.

Ioſeph.

Atlas magnus astrologus hoc tempore fuit: qui & cœlum humeris portasse dicitur, propter peritiam astrorum. Mercurius multarum artium peritus, claruit: quas hominib. tradens, deus putabatur.

Omogerus primus ad aratrum boues iunxit.

Corinthus conditur.

Argus. Iste Argus quartus rex Argiuorum fuit: ex cuius nomine illud regnum nomen accepit. Hic post obitum Deus haberi cœpit, templis & sacrificijs honoratus.

Amithus. Hoc tẽpore Græcia segetes habere cœpit, delatis aliunde seminibus.

Iste fuit duodecimus rex Assyriorũ, sub quo mortuus est Ioseph, regnante Sicyoniorum Plemnæo rege XI.

Apollo Delphicus clarus habetur: & post mortẽ Deus habitus est. Hic etiã dicitur Python: & artem illam magicã inuenit, quæ dicitur Pythonica: de qua fit mentio in sacra scriptura.

Iacob patriarcha sanctus, videns diẽ mortis suæ imminere, vocauit omnes filios suos, annuncians eis quæ futura erant: aperteq; de Christo prophetat, dicens, *Non auferetur sceptrum*, &c. mortuusq; sepelitur in Hebron glorioſe a Ioseph. Genes. xlix.

Pharao. Amenophis ignorabat Ioseph, & iussit pueros submergi, vt habetur Exod. i.

Memphis conditur, ciuitas Ægypti.

IIIM DXLIIII. IIIM DXCIIII.

Esrom.

Anno ante Christi natiuitatem MDCV. MDCLV.

Athenas Cecrops condidit: & ex Minerua nomen accepit. ibique Cecrops primo regnauit. Hæc ciuitas nutrix liberalium artiũ & multorum philosophorum fuit: tamen ludificantibus dæmonibus superstitiosa est effecta. Vide August. xviij de ciuit. Dei mirabilẽ historiam.

Athenæ.

Ioseph moritur annorum cxx, & cõditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

Isuar. Circa ista tempora incipit historia libri Exodi.

Amram. vixit annis cxxxvij.

Hebron. Iste Amram fuit filius Caath filij Leui. Hic accipiens vxorẽ stirpis suæ, genuit ex ea in Ægypto Aaron, Moysen, & Mariam.

Oziel. Seruitus Israelitici populi incipit, durãs annis cxliiij.

Tertia ætas:

Hic oritur regnum Athenienſiũ.

Iſte Cecrops fuit primus rex Athenienſium. Hic multãs ſuperſtitiones ibidem inſtituit nunquã antea in Græcia viſas. Ab hoc primum Iupiter deus prædicatur: eique bouem offert.

Bos in Ægypto exit de flumine in feſto Serapis, & eleuatur in aere, & rurſum intrat, & nõ comparet. & pro deo colitur a ſtulta plebe.

Reges Aſſyriorum.



Iſte Saphrus fuit xiiij rex Aſſyriorum, ſub quo natus eſt Moyſes in Ægypto, regnante Sicyoniorum xij Orthopoli, & Argiuorum quinto Criaſo.

Diluuium Deucalionis factum in Theſſalia: & Phaethontis fabularum incendium. Et vocatur ideo Deucalionis, quia in eius regno maxime fuit.

Iſte Pharao nonus a Nephre, non audiuit vocem Domini, nolens dimittere filios Iſrael. Quare decem plagis attritus, poſtea cum ſuis in rubro mari ſubmerſus fuit.

Anno mundi IIIM DCXLIIII.

Linea Chriſti.



MDLV.

Filij Iſrael ſunt in magna ſeruitute & tribulatione.

primus iudex an. xl, naſcitur, & ponitur in aqua. Vixit autem an. cxx.

naſcitur ante Moyſen annis iij.

Iſta Maria prophetis fuit, & carmen cecinit: leproſa fuit ſeptem diebus propter murmur. moritur in Cades deſerti Sin: & ibidem ſepelitur.

Iſte Iob patientiæ ſpeculũ, circa hæc tempora naſcitur, de linea Nachor filij Thare fratris Abrahæ. Vixit annis multis: quia poſt flagella vixit annis cxl. Et eſt poſitio Auguſtini, Gregorij, Lyræ, &c. ſcilicet iij generatione poſt Iacob. Et ſic fuit contemporaneus Moyſi, licet diu poſt eum vixerit. Vide Auguſt. lib. xviij de ciuit. Dei. Rabbi Salomon expoſitor in libro qui dicitur Canchedrin, in capitulo Helech dicit, quod de dcm qui egreſſi ſunt de Ægypto cum Moyſe per mare rubrum, non intrauerunt terram promiſſionis, niſi duo tantum, ſcilicet Caleph & Ioſue: cæteri omnes mortui ſunt in deſerto, propter peccatum murmurationis. filij vero eorum obtinuerunt eam. Sed & ipſe Moyſes ipſam quidem vidit, ſed intrare non meruit.

Lacedæmon cõditur. Nota, quod (ſecundum Auguſtinum) circa hæc tempora multa mendacia & fabuloſa annotantur a Græcis hiſtoriographis, quæ cõmuniter multo minora ſunt, quã fama iactantur. De modico negotio magna prædicant. Liber Pater vinum inuenit primo in Græcia: & Argos condidit. Ipſe eſt Dionyſus Bacchus, filius Semeles, nepos Cadmi regis Thebæorum. & pro deo cultus eſt.

Aſcatades. Hercules Antæum vicit. Nam (ſecundum Auguſtinum) plures fuerunt Hercules, & Liberi Patres: quos indoctũ vulgus aut putauit aut voluit deos fuiſſe.

Sub iſto Moyſes eduxit populum de Ægypto. Rexit autem tunc apud Sicyonios Marathus; apud Argiuos Triopas, nouiſſimo tempore Cecropis Athenienſium regis primi.

Apteras rex Cretæ primo mellis colligendi vſum inuenit. Huius filia ex inceſtu concepit: de quo mirabilia narrantur. Et poſt ibi idem filius regnauit: & dictus fuit Auidis. Leges fecit: & boues aratro primus iunxit.

Iſte Aminadab primus poſt Moyſen fide plena ingreſſus eſt mare rubrum, alijs trepidantibus. propter quod regalem ſtirpem meruit procreare.

IIIm DCLXXXVIII.

Aminadab. Nahaſſon. Princeps tribus Iudæ in deſerto.

Anno ante Chriſti natiuitatem MCXI

Iſte Aaron a Deo vocatus, digne ſummum ſacerdotium ſibi aſſumpſit. Et Teſtamentum æternum ſibi & filijs ſuis ſtatuitur. Moritur annorũ cxxiij: & ſepelitur in monte Hor. filiuſque eius Eleazarus in pontificatu ſuccedit.

Aaron 1 pontifex vixit annis cxxiij. Ithamar. Eleazar. Balaam prophetat, & occiditur.

Nadab Abiu. Iſti duo offerentes ignẽ alienũ percuſſi ſunt a Domino.

Moyſes 1 iudex in Iſrael. Iſte Moyſes, de cuius laude reſonant cœlum & terra, omniũ prophetarũ & hiſtoriographorum excellentiſſimus fuit: Deum vidit facie ad faciem clare. quod de nullo alio prẽterquã de Paulo Apoſtolo ſcriptura teſtatur, in hac fragili carne. Ratio eſt vtrobiq; eadẽ: quia ſunt duo patresfamilias: ille circumciſionis, iſte in prẽputio, dantes teſtimoniũ de diuina eſſentia, & docentes vnũ Deum verũ colendum eſſe. Ergo iſti duo tanquam primicerij debebant prius videre, vt poſtea legitime teſtificari poſſent: alij autem in figuris. Iudicauit Iſrael xl annis.

Lex datur in monte Sina.
Liber Leuiticus ſcribitur.
Liber Numerorum promulgatur.
Tabernaculũ prẽparatur.
Core cum ccc viris perit.
Datã & Abirõ viui abſorbentur.
Multa milia proſternuntur propter murmur.
Deuteronomium ſcribitur.

Tertia ætas:

Circa iſtud tempus inceperunt reges in Italia regnare, & multotiens nomina variarunt. Ex quibus Romanorum propago clarius deducitur.

Ianus primus rex in Italia.

Iſte Ianus primus omnium regum Italiæ dicitur fuiſſe filius Noe: qui palatiũ extruxit, quod dicitur Ianiculũ: & poſt pro magno deo habitus fuit. duas facies ei figurantes, & in principio anni eius feſtum celebrantes, quaſi eſſet finis præteriti, & principium futuri anni. Inde Ianuarius menſis dictus.

Reges Italiæ.

Reges Aſſyriorum.

Amictus.

Iſte Amictus fuit octauus rex Aſſyriorum: ſub quo mortuus eſt Ioſue, regnante apud Sicyonios Corace rege xvi, apud Argiuos decimo Danao, apud Athenienſes quarto Erichthonio.

Erichthonius quartus Athenienſium princeps primus in Græcia quadrigam iunxit.

Anno mundi IIIM DCCXXV.

Linea Chriſti.

Salmon. Rahab eius vxor.

MCCCCLXXIIII

Hiſtoria libri Ioſuæ hic incipit: in quo mirabilia bella Iſraelitici populi deſcribuntur, & diſtributio terræ promiſſionis.

Hîc (ſecundum quoſdam) texitur hiſtoria deſtructionis Beniamin, & ciuitatis Gabaon, propter ſtupri crimen, &c.

Pontifices.

Eleazarus.

Iſte Eleazarus ſecundus pontifex, cum Ioſue diuiſit Iſraeli terram promiſſionis: & ab eo deſcendunt pontifices vſq; ad Chriſtum paucis exceptis.

Iudices.

Ioſue ſecũd⁹.

A Ioſue vſque ad Aioth anni xl.

Iſte Ioſue vir bellicoſus fuit: primo in deſerto Amalech vicit, poſt mortem Moyſi ipſe a Deo iudex cõſtitutus fuit ſuper Iſrael, vt terram populo diuideret. Cuius bella, & opera, & religioſa mens, in libro ſuo deſcripta ſunt.

Moyſes moritur.

Iordanis ſiccatur.

Iericho capitur.

Sol in cœlo immobilis ſtat, vt filij Iſrael hoſtes perſequerentur.

Italus rex iuxta Albulam fluuiũ, id est Tiberim, ciuitatẽ cõdidit, vbi post Roma condita fuit: a quo tota Italia nuncupata fuit. Tros in Dardania regnat, & Troiam condidit. Fabulæ multæ a Græcis annotantur. Sibylla Erythræa in Babylone orta, multa prophetat de regno Iudæorum, & Troia subuertenda, & de Christi incarnatione, & beata virgine Maria.

Saturnus.

Picus.

Iste Saturnus de Creta insula dicitur venisse in Italiam, & ibi regnasse: quẽ deliri idololatræ mira cæcitate, hominem fuisse negant: cũ tamẽ eum regnasse dicant. Et primus stercus super agros proijcere docuit. quare etiã Stercutius dicitur: & Romani Stercoriani post dicti sunt, & etiã Saturniani. Affirmant ipsum fuisse patrem Iouis.

Iste Picus, Saturni filius, primus rex Laurentũ fuit, bellator egregius, & augur: & inter Deos numeratus est.

Lamparès.

Iste est xxiij rex Assyriorũ, sub quo historia Delboræ annotatur (secundum Augustũ.) & regnũ Argiuorum defecit.

Cadmus condit Thebas, regnãs ibi. & Græcas literas inuenit.

Phœnix venit in Tyrum & Sidonem, & regnauit ibi, & vsum literarum tradidit eis & coloris Phœnicei, quo capitalia facerent.

Sibylla Samia Phemonoe dicta, aperte prophetat de Christo & de paupercula eius matre.

Rechab, de quo descendit stirps valde religiosa, hoc tempore fuisse creditur. Ipse autem de Iethro socero Moysis descendit: & conuersus fuit ad Iudaismum.

III^{M} DCCLXXV. III^{M} DCCCXXV.

Booz filius Gaal de Rahab.

Booz.

Anno ante Christi natiuitatem MCCCLXXIIII. MCCCCXXIIII.

Rahab

Ista Rahab cũ esset meretrix, recepit nuncios filiorũ Israel, qui ad explorandũ Iericho missi fuerunt: & abscondit. Quapropter ipsa cum domo sua saluata, & vxor Salmon effecta, genuit ex eo Booz.

Hic fit saltus per euãgelistas vsque ad Booz & Obed: quia ad minus inter eos fluxerunt anni cclxxij. quod tempus ad vnum hominem referri non potest. Et ideo hic ponũtur v, magis ad denotandũ tempus quam rem gestam. Dicit tamen Nicolaus de Lyra, quod iuxta historiæ veri-*

Phinees.

Historia libri Iudicum hic incipit.

Iste Phinees cũ adhuc iunior esset, zelauit pro Domino, transfigens luxuriantes. & ita placatus est Dominus.

De Beniamin.

iiij.

De Iuda.

Othoniel iij.

Aod a.lxxx.

Sangar.

Iste Othoniel, frater Caleb iunioris, liberauit Israel de oppressione regis Mesopotamiæ, quem percussit. Ipse accepit Axam in coniugem: quę petiuit irriguum superius & inferius, a patre suo Caleb. Iudicum i.

Iste Aod percussit Eglon regẽ Moab, & liberauit Israel. Fuit enim vir fortissimus, & vtraq; manu pro dextera vtebatur. Post hunc fuit Sangar, qui percussit de Philistijm dc viros vomere. Iud. iij.

Iste Sangar fuit quintus iudex: & non interponitur, quia annos non habet.

Historia de idolo Michæ secundũ expositores communiter dicitur accidisse post Iosue in illis vij annis: sed Hebræi dicunt, quod tempore Othoniel.

Occasio Troianorum bellorum oritur: quę tanquam scintilla minima fuit: eo quod Laomedon non recepit Herculem & Iasonem cum honore debito: & ex tantillo tot creuerunt mala. *Caueat sibi quisq;*, ait comicus. Sibylla Delphica ante Troiana bella vaticinata est de Verbi incarnatione absq; maris coitu. Et si hæc vera sunt, tunc gentib. apertius, quam Iudæis reuelatum est mysteriū incarnationis. quod valde mirum videtur. Similiter dicendum videtur de Iob.

Faunus.

Iste 11 rex Laurentum fuit, qui etiā deus fuit illorum qui sic voluerunt vel putauerunt.

Laomedon rex Troię occiditur, & filia eius Hesione capitur, & in Greciam ducitur: propter quæ secuta sunt bella grauissima, & mala horrendissima. Vide historiam Troianam.

Reges Assyriorum.

Tauranus.

Iste Tauranus dicitur fuisse xxiiij rex Assyriorum. excidiumque Troiæ sub ipso factū fuisse, aliqui affirmant: sed forte primæ & non secundæ. Hoc etiam tempore Thola iudicauit Israel.

Hercules Ilium vastat, id est Troiam, cum Iasone: quæ statim a Priamo reædificata fuit. Idem Hercules xij facta peregit: agonem Olympiacum constituit, multa bella confecit, & plurima mendacia enormia de ipso conficta sunt. tandem postquam multos superauit, ipse morbum ferre non valens, quo laborabat: sed ab eo superatus, flammis se iniecit. & mortuus, inter deos translatus est.

Anno mundi IIIM DCCCLXXV.

Linea Christi.

Booz.

MCCCXXIIII.

*tatem fuerunt ibi tres viri, Booz appellati, sibi vicissim succedētes. quod quia ex canonica scriptura non patet, pro solido astruere non audemus. Hoc tamen certissimum est, quod inter principium iudicatus Iosue, quando Salmon accepit Rahab, quæ genuit Booz, vsque ad natiuitatem Dauid, fluxerunt anni circiter ccclxvij: vbi tamen nisi tres ab euangelistis generationes ponuntur.

Pontifices. Abisue

De Ephraim. *De tribu Manasse.* *De Manasse.*

Iudices.

Debora an.xl. vi.

Gedeō an.xl. vij.

Abimelech an.xxxiij. viij.

Ista Debora fuit mulier: & propter gratiā prophetiæ delatus est ei honor vt iudicaret Israel. Vnde de mandato Dei vocauit Barac, vt percuteret hostes Israel. & inualuerunt filij Israel contra Iabin regem Chanaan & Sisaram principē militiæ eius: & deleuerunt eos.

Iste percussit iiij reges, scilicet Oreb, Zebee, Zeb & Salmana. & humiliatus est Madian coram Israel. Iudicum vi. &c.

Iste Abimelech filius naturalis Gedeon, nō vocatus a Domino, sed malitiose ingessit se ad principatum, occisis lxx fratribus suis. quare etiam mala morte vitam finiuit. Iudicum xi. Nomen enim regium sibi inique imponi iussit.

Sibylla Phrygia fertur vaticinata fuisse Anchisæ,& de flagellatione potentum tērrę,& de descensu Dei de Olympo. Anchises ex dea Venere generat Æneã,qui regnauit in Italia. Hæc fictitia deceptores rudiũ populorũ confinxerũt: quib. sua stupra & adulteria palliarũt.

Latinus. Carmentis,filia Euandri, literas Latinas inuenit.

Ex hoc Latinorum regnum dici cœpit: & Laurentum defecit.

Helena rapitur a Paride filio Priami. ipsa autem regina fuit,vxor Menelai regis.

Priamus rex Troiæ,filius Laomedontis:postquam ciuitatem mirabiliter exstruxerat, bellum inchoauit contra Græcos in malum suum.

Anthanis.

Hector primogenitus Priami, totus legalis,prudens,fidelis,& incomparabilis fortitudinis & strenuitatis.

Troianum bellum decennale famosissimum.

Sub isto bella Troiana facta describuntur,regnante apud Athenienses Mnestheo,apud Sicyonios Polypede.

Amazones sunt mulieres ferociſſimæ, quæ arma sumpserunt,& horrendissima mala per cannos perpetrarunt tam in Asia, quam in Europa,vrbes delendo.

Agamemnon rex,frater Menelai regis, totius exercitus Græcorum dux, bellat contra Troiam: & tandem cepit traditorie & scandalosissime.

Carthago primo conditur a Carchedone Tyrio. Ipsam sæpe destructam ferunt, & iterum reædificatam.

III^M DCCCCXXV.

Booz.

Anno ante Christi natiuitatem MCCLXXIIII.

Troia destruitur.

Bocci.

De Issachar ix

Thola a.xxxiij

De Galaad. x

Iair an. xxij.

fine iudicean. xviij.

De Galaad. xi

Iephte an.vi.

Iste Thola redijt ad pristinũ modũ, scilicet quo iudices præerãt per modum directionis consilij magis quam dominij.

Iste Iair habuit xxx filios, quos principes xxx ciuitatũ constituit. quia ipsa bona in silentio & pace transeunt. patet quod in dieb. istorũ duorũ Israel Domino adhæsit:&ideo cũcta ꝓspere aduenerũt.

Post mortem Iair filij Israel peccatis veteribus addiderunt noua : & traditi sunt in manus Philistijm,& filiorum Ammon xviij annis:& oppressi valde,proiecerũt idola,& clamauerunt ad Dominum . tunc Iephte, facto super se spiritu Domini, percussit regem Ammõ, & seditiosos de monte Ephraim. filiamque vnicam stulte immolauit. Iudic. xi.

Tertia ætas:

Græci pereũt miſerabiliter poſt captã Troiã, tã in mari quã in terra, repatriando: & ꝑditores affligũt. infeliciſſimũ porro fuit hoc bellũ, vbi nemo laudẽ, omnes damnũ reportarunt.

Vlyſſes vir facundiſſimus poſt multa maris pericula ad vxorẽ ſuam Penelopen caſtiſſimam peruenit.

Reges Italiæ. Æneas an. iij. — Aſcanius xxviij.

Iſte Æneas poſt deletam Troiam a Græcis relegatus, venit ad Italiam cum xx nauibus, & plurima bella conſtituit. Hic fertur in coniugem habuiſſe filiã Priami Creuſam. & deus factus errore vulgi. De hoc etiã Ænea dicũtur deſcendiſſe Iulius Cæſar, & Octauianus Auguſtus.

Iſte Aſcanius, filiꝰ Æneę de Creuſa, Albam ciuitatem condidit: & regnauit illic. Vnde ipſe dictus eſt rex Albanorum: & conſequenter poſteri ſui dicti ſunt Albani. Hic Albanorum primus, & Latinorum tertius rex fuit.

Reges Aſſyriorum.

Fabulæ ſtultiſſimæ de Vlyſſe & Circe. Vide Auguſt. xviij de ciuitate Dei. O qualiter deceptus fuit homo!

Troia vaſtatur atrociter, tradita per Antenorem & Æneam, vitioſiſſime fracta fide.

Æra Græcorũ principalis. Propter hanc victoriã Græci hiſtorias & alia facta cõſcripſerunt, anno primo vel ſecundo poſt captam Troiam. Ipſe eſt tertius annus Abdon iudicis Iſrael.

Lacedæmoniorũ regnum primum oritur: vbi primum Euryſtheus regnauit.

Corinthiorum regnum oritur: vbi primum Aletes regnauit.

Anno mundi IIII^m XXV.

Linea Chriſti. Booz. Obed.

MCLXXIII.

Hiſtoria libri Ruth. Ruth. Iſta Ruth Moabitis, vxor Booz, genuit Obed patrem Ieſſe.

Pontifices. Ozi. Iſte Ozi de ſemine Aaron per lineam Eleazari, pontifex fuit: quo mortuo, nutu Dei tranſijt põtificatus ad lineam de Ithamar, annis cxx: in qua Heli primus ſummus ſacerdos fuit, ab Ithamar vltimus.

Iudices. xij. Abeſan an. vij. — xiij. Ahialõ annis x. — xiiij. Abdon an. viij. — xv. Samſon an. xx.

Iſte dicitur fuiſſe Booz qui Ruth in coniugem duxit.

Sub iſtis tribus tempora quieta fuerũt: & ideo nihil notabile actum eſt tunc in Iſrael. Et nota, quod iſtum Ahialon lxx interpretes nõ habent, nec etiã tempus ſine iudice ſupra poſitum: ſed iſta tempora aſſignat Ioſue, qui non habet tempus ſpecialiter diſtinctũ, ſecundum Hebraicam veritatem. Et ita concorda ſupputationem annorum ſecundum quemlibet, alioquin errabis.

Iſte Samſon fortiſſimus fuit, & liberauit Iſrael de manibus Philiſtijm. & propter mirabilem eius fortitudinẽ putabatur fuiſſe Hercules. Eius mirabilia opera vide Iudicum xiij.

Anglia, quæ olim Albion, nunc circa istud tempus Britannia nuncupari cœpit, a Bruto Romano, vel potius Italico, obtinetur. Ipse enim fugatus a suis ad Troiã iuit, collecto exercitu de reliquijs Troianorum. Post grandia bella filiam regis Græcorũ accepit vxorem. Deinde per maria vagando, locum aptũ quęrentes, casu venerũt in Angliam insulam optimam, vbi deletis paucis gigantib. tempore Heli sacerdotis, deinceps tenuerunt vsq; ad tempora Sergij papæ circa annos Domini dcxc. Ab hoc Siluio Æneę de Lauina filia Latini, Reges sequẽtes dicti sunt Siluij. Fuit enim silua nutritus & vernatione. Hic natus est post mortẽ patris sui. Vnde posthumus Æneæ dicitur, quia post humationẽ ipsius natus est, iuxta illud Virgil. *Tu posthuma proles*, &c.

Siluius a. xxix.

Oneus.

Iste Oneus est xx rex Assyriorũ, sub quo cessauit regnum Sicyoniorum, quod stetit annis dcccclviij, regnante Athenis Melantho xvi, tempore Heli.

Codrus rex Athenien siũ seipsum voluntarie morti tradens, liberauit populum suum. Dignum exemplũ paucis aut nullis imitandũ principibus reliquit. Vnde ob hanc mirã fidelitatem a sanctis doctoribus allegari solet, quasi quædam figura Christi in eo præcessisset.

Hectoris filij tanquã veri hæredes Iliũ receperunt, id est Troiã, expulsis posteris Nestoris.

Francio & Turcus Troiani fugientes duo regna constituerũt. Longe tamen post Amalech deletur per Saul, & desinit esse populus, sicut prædixit Moyses, Exodi xvij.

Iulius filius Ascanij, a quo Iuliorum familia originem & nomen traxit.

Liber Regum primus hic incipit.

IIIIᴹ LXXV.

Iesse vel Isai, pater Dauid.

Anno ante Christi natiuitatem MCXXIIII.

Saul primus rex Israel.

Iste Saul primus rex Israel, regnauit an. i vel xl cũ Samuele, & fuit de tribu Bẽiamin: qui ante susceptum regnum electus & bonus erat: sed post miserabiliter defecit. Eius opera vide i Regum ix.

Iste Iesse fuit binominis: quia etiã dictus fuit Isai, pater Dauid: de quo multotiens fit mentio in sacra scriptura. quia Christus ab eo descendit.

Zaraia

Iste & etiã iij sequentes nõ fuerunt summi sacerdotes, ppter causam dictã: sed Sadoch de eis descẽdit, quẽ Salomon cõstituit summũ pontificẽ, secundum verbũ Domini in manu Samuelis, reiecto prius Abiathar de sacerdotio; qui fuit vltimus de linea Ithamar, vt patet iij Reg. ij: xvij, cum Saul annis xl.

Meraioth.

Ophni.

Heli xvi, an. xl.

Samuel.

Iste Heli fuit iudex & põtifex, & habuit hos ij filios. Et quia nõ sufficiẽter eos corripuit, pariter cũ illis punitus est a Dño.

Phinees.

Iste sanctissimus vir Samuel, de sterili matre natus, ministrauit coram Domino a pueritia vsq; ad seniũ optime conuersatus. Non tamẽ fuit pontifex: quia non erat de semine Aaron, sed Chorę: vel (secundum Augustin. in libro Retractationum) fuit de Aaron: sed nõ filius sacerdotis. Iudicauit Israel cunctis diebus vitæ suæ: quia vere fidelis propheta Domini fuit, omnibus amabilis. Reges vnxit duos, scilicet Saul primo: deinde Dauid: non tamen vt statim regnaret, sed quando Dominus disponeret. Hic solus & Moyses leguntur orasse pro inimicis in toto vę-*

Quarta ætas:

Athenienſes poſt mortẽ Codri magiſtratus habere cœperunt adminiſtrandæ reipublicæ. Carthago iterum condita dicitur a Didone regina: quia iam forte deſtructa fuerat.

Reges Italiæ. — Æneas Siluius an.xxi. — Latin⁹ Siluius an. l. — Alba Siluius an.xl. —

Iſte Æneas filius prædicti Siluij Poſthumi, regnauit an.xxxi, tempore Saul.

Iſte Latinus Siluius regnauit an.l, tẽpore Dauid.

Iſte Alba filius fuit Æneę Siluij. Hic ædificatã Albam ciuitatẽ (a qua Albani dicti ſunt) forte inſtaurauit.

Venetiæ & Padua extruuntur a relictis Troianorum.

Homerus hoc tẽpore fuiſſe putatur: qui multa mendacia conſcripſit, ſicut Sibylla Erythræa prophetauit. Alij dicunt, q; tẽpore Achas.

Regina Saba, audita fama Salomonis, venit videre eũ. Et, quia fuit prophetiſſa, Sibylla dicebatur: quia prophetauit de ligno ſanctæ crucis, & de excidio Iudæorum. Fuit enim cultrix vnius veri Dei.

Iſte Dauid rex ij Iſrael, vir ſecundũ cor Dei electus, in regẽ vnctus eſt in adoleſcentia per Samuelem: poſt mortem Saul regnauit an.xl: cuius opera plurima in primo & ij lib. Regum ſcripta ſunt. Ipſe deniq; quaſi quidam ſtupor in humano relucet genere. In quo vnquã hæc conuenerunt? Tanta humilitas, & ſublimitas tanta? tanta ſtrenuitas, tanta mititas? tam grandis ſecularium cura, tam pura & deuota ſpiritualium contemplatio? tot homines perimere, tot lacrymas fundere?



Anno mundi IIII^M CLXV.

Gad. Iſti iij prophetabant tẽpore Dauid

Nathan filius fratris Dauid, & adoptiuus Iſai.

Aſaph.

Salomõ regnauit annis xl.

IIIIXXXIV

Salomon iſte rex pacis, ex dono Dei ſingularem habuit excellentiã vltra omnes homines qui vnquã in mũdo fuerũt: in ſapientia, diuitijs, delicijs, & gloria, ac familiaritate cum Deo. Nam etſi Moyſes & Dauid, Petrus, Paulus, Hieronymus & Auguſt. & cæteri cõſimiles eum in ſapientia & ſanctitate exceſſerunt: nõ tamen in gloria & diuitijs. Item, Quamuis Auguſt. & cæteri quidã anteibant illũ in gloria, poteſtate, & diui-

Pontifices. — Amarias. — Achitob — Sadoc.

tijs: non tamẽ in ſapientia, &c. Et ſic omnia iſta coniunctim taliter nemo, ſicut ipſe, habuit. Et hic tantus miſerabiliter defecit.

Iſte Sadoc quia nõ declinauit ad partẽ Adonię, ſed fuit cum Nathã

Iudices. — Achitob. — Achimelech — Abiathar.

Iſte Achitob fili⁹ Phinees filij Heli, fuit pater Achimelech, quẽ percuſſit Saul cũ omni domo ſua, propter Dauid, vt patet 1 Reg. ix.

Iſte Abiathar fugit ad Dauid: & fuit glorioſus cunctis dieb. Dauid, & põtifex, &c. Secũdus liber Regũ incipit a tẽpore Dauid quãdo cœpit regnare. pro Salomone: ideo in pontificatum ſublimatus fuit, reiecto Abiathar de ſacerdotio. & ſic pontificatus rediit ad filios Eleazari.

*teri Teſtamento. Vnde euangelicã perfectionẽ probãtur impleuiſſe, etiã ante tempus promulgationis eiuſdem. Vitam ipſius vide in principio & conſequenter primi lib. Reg.

Æra principalis huius historiæ sacræ est hæc, scilicet fundationis templi. Ipse est annus quartus regni Salomonis, post egressionem de Ægypto cccclxxx, vt patet iij Reg. vi.

Templum Salomonis.

Atys Siluius annis xxiiij.

Iste alio nomine dictus fuit Ægyptus: & regnauit tempore Roboam.

De templi dedicatione ac cæteris festis Iudæorũ est notandum, quod primo habuerunt septem festa, scilicet Sabbathũ, in qualibet septimana: Neomeniam, in principio cuiuslibet mensis: Pascha, xiiij Luna Aprilis: Pentecosten, quinquagesima die post Pascha, in memoriam datæ legis: festum tubarum, prima die Septembris, in memoriam liberationis Israel: festum propitiationis vel afflictionis, decima die Septembris: festum Scenopegiæ, quod fixionem tabernaculorum sonat, xv die Septembris. postea circa hæc tempora superuenit festum Encæniorum, hoc est dedicationis templi: deinde tempore Hester, festum Furim, id est sortium. Et hæc notula valet ad intelligentiam scripturarum diuersarum.

Reges Iuda incipiunt.

IIII^M DCCV.

Israel in flore: & nec ante nec post fuerunt huiusce modi dies in Israel.

Roboam regnauit an. xvij.

Anno ante Christi nativitatem DCCCCXCIIII.

Historia tertij libri Regũ incipit a tempore, quando Dauid mortuus fuit, & Salomon regnare cœpit. Vide ibi opera magna & multa ipsius, vsq; ad cap. xij, & a principio secundi libri Paralip. vsq; ad capitulum x. Ahias Silonites prædicit Ieroboam, quod sit regnaturus super Israel.

Reges Israel incipiunt.

Semeias clarus habetur: qui postea compescuit Roboam, ne pugnaret cõtra Ieroboã, & scripsit gesta eorum. Abdo propheta, clarus habetur: qui post contra vitulos prophetauit. Nota, quod (sicut dicit August. xvij de ciuit. Dei) Salomon bonis initijs malos exitus habuit. Quippe secundę res, quę plerunq; sapientum animos fatigant, magis huic obfuerũt, quã profuit ipsa sapientia, etiã nunc & deinceps memorabilis, & tunc longe lateque laudata. Et in reuelationibus beatæ Brigittæ legitur, quod Salomon & Aristoteles non sibi, sed alijs didicerunt.

Ieroboã Ephrataeus regnauit super Israel annis xxij.

Iste Roboã successit Salomoni patri suo in regno: sed in sapientia nõ ita. deceptus namq; consilio iuuenum amisit x tribus: eo quod imprudenter respõdit populo, vt patet iij Reg. xij, & ij Paralip. x.

Achimaas.

Iste fuit filius Sadoch, vt patet i Paralip. v i.

Iste Ieroboam fuit primo de familia Salomonis, & bonus: sed factus rex pessimus idololatra, & peccare fecit Israel, in ducendo populum ad idololatriam. & multa mala secuta sunt, imo totius populi destructio. ipse fuit figura Machometi, vt patebit loco suo, sicut Antiochus Antichristi. Opera etiam Ieroboam & duritia mentis eius patent iij Reg. xij, & sequentib. capit. Et nota, quod istud exemplum pernicios issimũ fuit posteris, & vsque hodie est, & in futurum erit. Quia plu-*

Quarta ætas:

De ſanctorum exemplis, qui iuxta decurſum temporis fuerunt viciſſim, & nõ ſimul, dicit Greg. in Moralibus, quod mira diſpenſatione diuinitus actum ſit: & quandoque ad illuminandũ noctẽ præſentis vitæ velut aſtra in hoc mundo radiarunt, donec verus lucifer, id eſt redemptor humani generis ſurgeret. Nam ad oſtẽdendam innocentiam actionis venit Abel, ad docendam munditiam venit Enoch, ad inſinuandam longanimitatis, ſpei, & operis remunerationem venit Noe, ad manifeſtandum obedientiam venit Abraham, ad demonſtrandum coniugalis vitæ caſtimoniam venit Iſaac, ad inſinuandum laboris tolerantiam venit Iacob, ad reddendum pro malo bonã retributionis gratiam venit Ioſeph, ad oſtendendum manſuetudinem venit Moyſes, ad informandum contra aduerſã fiduciam venit Ioſue, ad oſtendendam inter flagella patientiam venit Iob. Et ſic patet, quo modo in temporibus priſtinis ad modum paruus fuit numerus perfectorum. Sed circa hæc tempora prophetarum, valde creuerunt ſanctitatis exempla: quando etiam plures martyri ſati ſunt pro fide vnius veri Dei. Ecce quam fulgentes ſtellas in cœlo cernimus, vt in offenſiõ operis pede, iter noſtræ noctis ambulemus. Seſac rex Ægypti proſperatur in multis, & gentes bello ſuperat, & contra Roboam aſcendit, & poſt in Ieruſalem.

Reges Albani in Italia.

Capys Siluius a.xxviij.

Iſte fecit Capuam in Campania: regnauit ibi.

Azarias filius Obed, propheta, clarus habetur: & de captiuitate prædixit, ij Paralip. xv.

Anani propheta hic increpauit Aſa: & ideo incarceratur.

Anno mundi	IIII^{M} CCXXII.	IIII^{M} CCXXV.
Linea Chriſti.	Abia regnauit annis iij.	Aſa regnauit annis xli.

DCCCCLXXVII. DCCCCLXXIIII.

Iſte Abia mixtus erat: quia aliquãdo bene ſe habuit, vt patet in bello & ſermone longo contra exercitũ Iſrael, in victoria diuinitus data: aliquando peſſime: quia idololatrauit. & ob tam magnam ingratitudinẽ percuſſus a Domino, parum regnauit, vt patet iij Regum ix. & ij Paralipom. xiij.

Iſte Aſa in principio regni, & deinceps pene vſq; ad xxxvi annũ valde bene ambulauit, ſicut Dauid: & percuſſit Æthiopes cõtra ſe venientes: & abſtulit idola. Sed poſt hæc inijt fœdus cum rege Syriæ Benadab, propter Baaſa regẽ Iſrael, qui incepit aſcendere contra ſe: quod diſplicuit Domino. vnde miſit ad eũ prophetã Anani, quẽ ſtatim incarcerauit. & ideo doluit pedes, quia podagricus factus eſt: & plagatus eadem pœna qua prophetam vexauit, obijt, vt patet Regũ xv. & ij Paralip. iiij & xv & xvi capitulo.

Pontifices.

Reges Iſrael.

*res quærẽtes occaſionẽ dominãdi, retrahunt ſubditos a iugo fidei, diuerſum & alienũ cultum inſtituendo, vt patet per prædictũ Machometũ, & ſequẽtes ſuos. Similiter Græci volẽtes recedere ab obedientia eccleſiæ, ſcienter prolapſi ſunt in varios errores, nouum modum in diuino aſſumentes officio: & ob hoc miſerabiliter ſæpius exterminati ſunt.

Iſte Nadab filius Ieroboam incepit regnare anno ſecundo Aſa regis Iudæ: & fecit malum ſicut pater eius: & percuſſit eum Baaſa, & regnauit pro eo, vt patet iij Regum xv.

Nadab an. ij.

Baaſa a.xxiiij

Iſte Baaſa incepit regnare anno iij Aſa, & ambulauit in peccatis Ieroboã, cui' oĩm domũ percuſſerat de mãdato Domini: nec audiuit Iehu prophetam, vt rediret. iij Reg. xv.

Circa hæc tempora ſanctorum doctorum ſcripta quæ vidi, gentilium hiſtorias non commemorant. & puto illam forte cauſam, quod ad intellectum ſacræ ſcripturæ nihil conferant. Vnde vſque ad Sardanapalum vltimum monarcham Aſſyriorũ nullam mentionẽ faciunt de alijs intermedijs. Et nota, quod qui-

Carpẽt⁹ Siluius a. xxxiij.

Iſte regnauit in Italia tempore Ioſaphat. buſdã imperitis mirũ valde videtur, quare ſancti viri ſic diligenter ſcrutati ſunt hiſtorias gentiũ: cũ tamen in ſcriptis ſuis moneant nos ſurſum cor habere, & terrena faſtidire, iuxta illud, *Non loquitur os meum opera hominum.* Et illud, *Laudem Domini loquitur os meum.* Pro quo eſt aduertendum, quod multiplex neceſſitas eos ad hoc cogebat. Fuerunt enim quidam hæretici & gentiles, qui ſacram ſcripturam calumniabantur, quaſi falſa eſſet: eo, quod indebite aſſignarent decurſum temporum: & multa dixerunt facta eſſe alijs temporib. quam ipſa narraret. Sed poſtquã Hieronymus & alij intelligentes applicaſſent ſimul hiſtorias, patuit ignauia eorũ: eo, quod optima concordia fuit. ſicq; factũ eſt, vt ſacræ ſcripturæ nouũ teſtimonium accederet de inimicis, quod firmiſſimum eſt: quo tamen non indiguit: quamuis vtile fuerit propter imperfectos. Alia neceſſitas idem expetijt pro-*

Tiberius Siluius annis ix.

Iſte Tiberius ſubmerſus fuit in Tiberi: quę antea dicta fuit Albula. ideo ab eo nomen accepit.

Iehu filius Anani, propheta, mittitur cõtra Baaſa regẽ Iſrael: & martyrio coronatur ab eo, ꝓpter verbum Domini, vt patet iij Reg. xvi capitulo.

Numerus bellatorũ in Ieruſalem cclx^{m}, exceptis illis quos poſuit Rex in vrbibus Iuda. Omnes hi ad manum Regis.

IIII^{M} CCXL. IIII^{M} CCLXVI.

Ioſaphat regnauit an. xxv.

Anno ante Chriſti natiuitatem DCCCCXXXIII. DCCCCLX.

Iſte Ioſaphat ſatis bonus fuit & glorioſus, diues & deuotus in via Domini. nec aliquid mali de ipſo legitur, niſi quod impijs regibus Iſrael quandoque præbuit auxilium, & quædam parua alia. & ideo Dominus fuit cum illo, & pacẽ dedit, & pugnauit pro eo, vt patet ij Paralip. xvij cum tribus alijs capit. ſequentibus.

Azarias.

Iſte fuit filius Achimaas. Porro primo Paralip. vi, vbi ponitur catalogus pontificũ, iſte Azarias genuit Ioanan. & Reg. iiij dicitur, ꝙ Ioiada iſti ſucceſſit. Forte binominis fuit, vel eſt vitium ſcriptoris. Samaria conditur. Iericho extruitur.

Ela anno xvi Aſa regis Iudæ cœpit regnare. percuſſit eum Zamri cum omni domo patris ſui. iij Reg. xvi.

Ela annis ij.

filius Baaſa.

Zamri die. vij.

Iſte deleuit domũ Baaſa. & ſtatim percuſſit eum Amri, & regnauit pro eo.

Amri an. xij.

Iſte cœpit regnare anno xxxi regis Aſa: & fecit malũ ſicut anteceſſores ſui.

Achab an. xxij.

Iſte Achab fuit filius Amri, paup homo, & totus deuius, valde inſtabilis, pueriliter mitis, & furioſe ſtrenuus. incepit regnare xxxviij anno Aſa: & ſuper omnes qui ante eũ fuerant, inique egit. Si habuiſſet ſemper bonam directionẽ, multa mala non feciſſet: ſed impia Ieſabel plus regnabat quam ipſe: & impulit ipſum vt ſequeretur ſe, &c. Ieſa-*

Benadab.

Iſte Benadab filius Tabremon filij Ahezion regis Syriæ, inijt fœdus cum Baaſa, & rupto fœdere illo, percuſſit fœdus cum Aſa rege Iuda: & ex tũc turbauerunt reges Syriæ regnum Iſrael. iij Reg. xv.

*pter idololatriam destruendam: quia enim tota simul gentilitas falsos deos coluit, necesse fuit indagare originẽ illius erroris, vt manifeste possit improbari cultus ille vanissimus impiorum dæmonũ, sicut late patet per August. in libris de ciuit. Dei: vbi lucide probat, quod doctores gentilium in proprijs libris suis sibijpsis contradicunt, & pueriliter nimis & grosse procedunt: ita, vt etiam philosophi ac cæteri virtuosiores vtriusque sexus homines eos verbis & scriptis redarguerent.

Reges Italiæ. Agrippa Siluius an. xl.

Tertia causa æque necessaria, fuit vacillorũ adhuc in fide, tempore primitiuæ ecclesiæ: qui seducti sæpius fuerũt a paganis, dicentibus, quod melius esset colere idola, quam Christum, quia tempore christianitatis semper fuerũt diffortunia, & tempore cultus deorum magna prosperitas. quod omnino falsum fuit, vt patet ex proprijs eorum historijs, sicut Orosius luculenter probat, & etiam August. similiter & Ambrosius: qui omnes clare ostendunt, quod tempora christianitatis fuerunt multo gratiosiora, quam idolorum siue crudelium dæmonũ, vt infra patebit in locis suis. Similiter & aliæ plures causæ, quæ ex parte supra tactæ sunt, & quædã infra dicentur. Verum in omnibus est bonam reperire contemplationem: & pia mens vbique proficit: eo, quod diligentibus Deum omnia in bonum cooperentur. De hac materia vide plenius in libris præallegatis.

Elias Thesbites, propheta magnus, claret sanctitate vitę & miraculorum gloria. Hic regum malleus fuit. qui etiam in paradisum curru igneo subuectus est, vt patet iij Reg. xvij. Ipse dicitur duplicem spiritum habuisse, scilicet prophetiæ, & miraculorum: qui etiam requieuit super Elisæum.

Anno mundi	IIII^M CCXCI.	IIII^M CCXCIX.
Linea Christi.	Micheas propheta prædicit moriturum Achab. iij Regum xxij.	Ioram regnauit an. viij. / Ochozias vel Aazias anno i.
	DCCCC.	DCCCCVIII.
Pontifices.	Iste Ioram pessimus filius de bono patre, occidit fratres suos, & ambulauit in vijs regum Israel. & ideo miserabiliter plagatus in omnibus, infeliciter obijt. ij Paralip. xxi. Athalia vxor eius fuit filia Achab naturalis &	Iste Ochozias fecit malum corã Domino, sicut pater eius: & statim occisus est a Iehu cum omni domo Achab. Athalia vero mater eius audiẽs mortuũ suũ filiũ,
	Ioiada vixit an. cxxx.	Amri, modo loquẽdi communi: quia auus eius fuit.
	Iste Ioiada inclytus fuit, & amouit Athaliã, ne regnaret super Iudam; constituitq; Ioas filium Ioram	surripuit regnũ, & occidit omnẽ semẽ regiũ, & regnauit vi annis: & septimo anno, Ioiada põtif. fecit eam interfici. iiij Reg. xi, & ij Paralip. xxij & xxiij.
Reges Israel.	Ochozias an. ij. / Ioram an. xij.	ꝓ ea. iiij Reg. xi, & ij Paralip. xxij. Hic solus post Moysen legitur vixisse cxxx annis. Iosabeth soror Ioram vxor eius fuit.
	Fames magna in Israel, iuxta verbum Eliæ.	Iste fuit filius Achab: qui misit ad Beelzebub deũ Accaron consulendum, si posset sanari. propter quod obijt, iuxta verbum Eliæ. iiij Reg. i.	Iste incepit regnare xviij anno regis Iosaphat, loco fratris sui Ochozię. Hunc obsidebat Benadab in Samaria: & diuinitus meritis Elisæi fuit liberatus. iiij Reg. vi, vij, &c. Quia secutus fuit peccatum Ieroboã, interfectus est a Iehu cum omni domo patris sui. ix & x capit. vbi supra.

Reges Syriæ.

*bel filia regis Sidoniorum, vxor Achab, quoddam totius malitiæ prodigiũ, prophetas Domini occidit, & sanctum Naboth: & alia multa fecit mala, &c.

*Lycurgus philosophus his temporib. floruit: qui licet gentilis fuerit, tamen leges iustissimas naturali iuri & diuino cõsonas Lacedæmonijs dedit: nec quicquam censuit, cuius non ipse exemplũ prius daret. Auri argentiq; vsum, & omniũ scelerum materiã nõ sustulit. Fundos omniũ æqualiter inter omnes diuisit, vt æquata patrimonia neminẽ potentiorẽ altero redderent. Conuiuari oẽs publice iussit, ne cuius diuitię in occulto essent. Iuuenibus non amplius, quã vna veste vti toto anno permisit: nec aliquẽ cultius quam aliũ progredi voluit, nec opulentius epulari. Emi singula nõ pecunia, sed cõparatione merciũ iussit. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos nõ in luxuria, sed in omni opere ac labore agerent. nihil eos somni causa substernere, & vitam sine pulmento degere: nec prius in vrbem redire, quam viri facti essent. Constituit virgines sine dote nubere, vt vxores nõ pecuniæ causa eligerentur, seueriusq; matrimonia sua coercerent, cum nullis dotis frænis tenerentur. Maximum honorẽ nõ diuitum & potentũ, sed senum esse constituit. Et, quia hæ leges duræ videbantur, iureiurando eos astrinxit, ne quid de tã diuinis legibus mutarẽt donec rediret. & sic extra patriã profectus, voluntariũ perpetuo duxit exiliũ, vt suis legibus æternitatẽ daret. Moriens etiã præcepit ossa sua in mare proijci, ne si ad patriam deferri contingeret, Lacedæmones se a iuramento solutos esse putarent. O hominem gentilem, qui pene solus amputas ab omnibus christianis etiam sanctis omnem superbiendi materiam! nõ glorientur martyres nostri, quasi aliquid magni pro vita æterna fecerint, quando talia videmus paganos fecisse. Vide Augustin. ij, iij & v. de ciuit. Dei.

Aremu 1° Silui° an. xix.

Hic præsidiũ Albanorũ inter montes vbi Roma nũc est posuit. Regnauit autem tempore Ioas regis Iudæ.

IIII^M CCC. IIII^M CCCVI.

Athalia regnauit annis vi.

Ioas regnauit an. xl.

Anno ante Christi natiuitatem DCCCXCIII. DCCCXCIX.

Ista per tyrannidem inuasit regnum: & occisa est.

Iste Ioas dum adhuc infans esset, subtractus fuit ab interfectione, quæ exercebatur ab Athalia. cũ autẽ esset annorũ vij, cõstituit eũ Ioiada regẽ. & optime se habuit cunctis diebus, quib. rexit eũ idẽ venerandus sacerdos Domini: sed post mortẽ eius delinitus blanditijs magnatorũ, qui odio habebant sacras ceremonias humilis obedientiæ Mosaicæ legis, deprauatũ est cor Regis in interitũ suũ & illorũ, cunctis retro nationib. horrendum relinquens exemplũ, quã sit graue piaculũ hũmilib. nolle cõsentire. ij Paralip. xxiij & xxiiii.

Ionadab filius Rechab, clarus habetur. De his stirps valde religiosa descẽdit: qui tanquã peregrini conuersati sunt sine agris, &c. & descenderunt de Iethro sacerdote, socero Moysi.

Eliæus propheta surrexit loco Elię, duplici spiritu vtriusq; testamenti, timoris scilicet & amoris præditus. qui tam reprobis quã electis per omnia gratus extitit, clarus virtutibus, & miraculis gloriosus. iiij Reg. ij, &c.

Iehu an. xxviij.

Iste Iehu rex vnctus a puero Eliæi, percussit Ioram cũ omni domo Achab, & etiam Ochoziã regẽ Iuda: & destruxit domũ Baal, & pphetas eius occidit. vnde meruit posteris suis regni sedẽ vsq; ad quartam generationem. iiij Reg. ix & x.

Moritur autẽ anno mcliij post natiuitatẽ Abrahæ.

Iste Azahel exigentibus demeritis suis, occulta Dei iustitia promotus fuit in regem Syriæ, vt affligeret filios Israel, & suam prolongaret iniquitatem. Afflixit autem Israel vltra modum, vt patet iiij Regum x.

Azahel

Quarta ætas:

Iſte Auentinus Siluius xxxiij annis regnauit. Ab hoc mons Auentinus nomen accepit in quo ſepultus fuit. Hunc dicit Auguſt. lib. xviij de ciuit. Dei, etiam inter falſos deos annumeratum a ſtultis gentibus.

Reges Italiæ. Auentinus Siluius annis xxxiij.

Notabile quoddam factum ac relatu dignum hoc tempore in Britannia fertur accidiſſe. Fuit ibi rex quidam, Leir nomine, filijs carens: ſed tres pulcras filias habens, quibus regnum diuidere cogitabat. Vt tamen ſciret cui potiorem partē daret, a ſingulis interrogauit, quantum ipſum diligerent. Prima & ſecunda reſponderunt ſub iuramento, quod plus quā proprias animas. tertia autem videns ſenem blanditijs credere, ferioſius reſpondit, quod ipſum vt patrem diligeret: neque vt amplius interrogaret, protinus ſubiunxit, *Quantum habes, tantum vales, tantum te diligo.* Iratus pater duabus regnum diuiſit: tertiam autem exheredauit, quam tamen rex Franciæ propter nimiam pulchritudinem ſine omni dote in coniugem accepit. Seneſcente autem Leir, a duabus filiabus ac earū maritis regno priuatur, & in tantum deſpicitur, quod vix cum vno famulo ab ipſis teneretur. Recordatus igitur priſtinę gloriæ & iniuriæ quam iuniori filiæ fecit, quæ ſibi veritatem dixit: cum fletu in hanc vocē erupit, O filia quam vera ſunt dicta quæ mihi reſpondiſti, *Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo.* Dum igitur habui quod dare potui, viſus ſum eis valere, quæ non mihi, ſed donis meis amicæ fuerunt. interim dilexerunt me: ſed magis munera mea. Nam abeunti-

Anno mundi IIII^M CCCXLVI.

Linea Chriſti. Amazias regnauit an. xxix.

DCCCXXIIII.

Iſte Amazias bonis initijs malum habuit finem. quod communeſtis vſq; hodie in poteſtatibus apparet. Multos namq; officium deſtruxit etiā notabiliter probos. cuius exempla hīc ſunt plurima. Hic etiam deos Seir adorauit, &c. Paralip. xxv.

Pontifices. Azarias. Zacharias filius Ioiadæ lapidatur, & glorioſo martyrio coronatur. ij Paralip. xxiiij. Increpauit enim Ioas, quod dereliquiſſet Dominum.

Eliſæus moritur, & oſſa eius prophetant: quia mortuus ſuſcitatur eorū contactu. Et tres victorias habuit Iſrael contra Syrios meritis eius.

Iſte Azarias boni patris bonus filius, titulū laude dignum promeruit: quia pro zelo legis cōſtanter reſtitit Oziæ regi Iudæ volenti ſacrificare. ij Paralip. xxvi.

Reges Iſrael. Iohaas an. xvij. Iſte Iohaas valde attritus eſt cum tota gente ſua ab Aſahele rege Syriæ: & ideo deprecabatur Dominum. & pauxillum releuatus eſt. iiij Reg. xiij. & cœpit regnare xxiij anno Ioas regis Iudæ.

Ioas an. xvi. Iſte Ioas percuſſit Syros trībus vicibus, iuxta verbum Eliſæi: & tulit vrbes de manu Benadab, filij Azahelis, & reſtituit regno ſuo. Ipſe etiā afflixit Amaziam non volens, ſed compulſus ſuperbiam eius humiliauit. iiij Reg. xiij. Et cœpit regnare xxxvij anno Ioas regis Iudæ.

Reges Syriæ. Benadab. Iſte Benadab fuit filius Aſahelis. Et debet ſcribi per D, ſecundum Hieronymum.

Proca illo regnãte, Phidon Argiuus & mensuras & pondera reperit, cum apud Hebręos Amasias in Iudæa, & Ieroboam in Israel regnarent.

Procas Siluius a. xxxiij.

Hic Procas, filius Auentini, regnauit annis xxxiij, tẽpore Oziæ regis Iudæ. Vnde Virgilius laudes eius extollit in hoc versu, *Proximus ille Procas Romanæ gloria gentis.*

Monarchia Assyriorum illa magna cessat, quæ stetit vltra mccxl annos. & surgunt tempora horrenda pene vsq; ad Christi natiuitatẽ: in quib. humanus sanguis vltra quã credi potest, in omnibus mũdi partibus tanquam aqua effusus est. Vide Chronica Orosij libro secundo, & aliorum.

Iste Sardanapalus totus vitiosus fuit, puluinariaque primus reperit. habitu muliebri indutus, inter mulieres delicijs vacauit. Ob hoc indignati vasalli eius, noluerũt amplius ipsi obedientiã seruare: aggressi etiam ipsum debellarunt. Quod cernens, seipsum concremauit. Fuerunt tamẽ reges Assyriorum potentes sine monarchia, vsque ad destructionem Niniuæ.

Sardanapalus.

Reges Assyriorum.

*bus muneribus, & ipsi abierunt. Tandem cum non haberet quod comederet aut indueret, ab ipsa iuniore filia clementer suscipitur, regnoque gloriose restituitur. Similia plura reperies. Nota, plerunque dulciloquos fidelitate, fideles dulciloquio carere.

IIII^M CCCLXXV.

Sine rege annis xiij.

Anno ante Christi natiuitatem DCCCXXIIII.

Nota, quod regnum Iudæ post mortem Amasiæ fuit xiij annis sine rege. quod subtiliter oportet accipere, ex collatione annorum regum Israel & Iuda: quia Amasias cœpit anno secundo Ioas, regis Israel; & Ozias, filius Amasiæ, cœpit anno xxvij Ieroboam, regis Israel. Quod tempus extendit se ad xli annos, a quo subtrahe annos Amasiæ: & sic manent xiij, quibus Ozias paruulus erat, nec adhuc ad regnũ aptus. Hoc autem lxx, & multæ aliæ historiæ non habent, sed alibi hoc supplent. Et secundum hoc oportet concordare eas: alioquin errabis quoad supputationem annorum.

Ionas propheta, filius Amathi, clarus habetur: & multa prædixit quæ nõ sunt scripta. Hic post hæc mittitur ad Niniuen, vt patet in eius libro. Dicitur autem quod ipsum Elias suscitauerit a morte adhuc puerum.

Ieroboã an. xli.

Iste Ieroboam cœpit regnare anno xv Amasiæ regis Iudæ. Hic satis bellicosus & victoriosus fuit, & contriuit regem Syriæ, & restituit regnum Israel, sicut prius: insuper & Damascum, iuxta verbũ Ionæ prophetæ. Attende, quam sit instabilis status regnorum. Israel contritus vsq; ad nouissimum, humiliatus est valde. Syri eleuati iam ab infimis, miserabiliter deprimuntur. Sic qui fuit supra, fit infra; & ecõtra, qui fuit infra, ascendit supra, vt post descendat infra. Hæc est rota volubilis huius temporis. & ideo non est mirum, quod pauci electi ad hoc assumuntur a Domino: & quod viri censati huiusmodi instabilitatis negotium totis viribus fugere contendũt. Vide Augustin. de ciuit. Dei in pluribus locis. Si boni regnant, multis prosunt; si mali, econtra.

Quarta ætas:

Reges Italiæ. Arbacus 1 rex Medorum.

Iste Arbacus vicit Sardanapalum dominum suum; & monarchiam eius primus destruxit, & ad Medos transtulit, spe magis quam re. quia Darius hoc fecit.

Reges Assyriorum. Phul.

Iste Phul & sequentes recuperare volentes monarchiam, non modice turbarunt terram: & ascendit etiam ad Israel, & cepit Thersan. & factus est Manahen rex Israel ei tributarius. iiij Regum xv.

Ozias, qui & Azarias, duplici nomine. & vno quidem atque eodem tempore Esaiam, Osee, Ioel, & Amos prophetasse, ex rebus quæ ponuntur in titulo cognoscimus, quod principium verbi Domini fuit in Osee filio Beri. Amos autem, pater Esaiæ, non (vt plerique autumant) tertius xij prophetarum est: sed alijs diuersisque apud Hebræos scribunt literis. Iste quidem primam & extremam literam habet, Aleph & Sade; ille vero Hain & Samech. Tradunt etiam Hebræi, Osee, & Amos, & Esaiam, & Ioel, ac Ionam ijsdem prophetasse temporibus, videlicet in diebus Ozię, Ioachan, Achaz & Ezechię Regum Iuda; & in diebus Ieroboam, filij Ioas, regis Israel.

Anno mundi IIII^M CCCLXXXVIII.

Linea Christi. Ozias vel Azarias annis lij.

DCCCXI

Iste Ozias fecit quod bonum erat coram Domino. nec aliquid mali de eo scriptum est, nisi quod adolere voluit incensum super altare thymiamatis, prohibente eum sacerdote Azaria. propter quam inobedientiam percussit eum Dominus lepra, vt patet ij Paralip. xxvi cap. Etiam tunc terræmotus factus fuit, & cineres altaris effusi sunt.

Pontifices.

Osee propheta primus de xij, mittitur contra decem tribus.
Ioel secundus de xij, prophetat de Iuda, & futura eius tribulatione.
Amos tertius, contra gentes multa prophetat, & specialiter contra x tribus.
Abdias quartus de duodecim, prophetat contra Edom.

Reges Israel.

Hic regnum Israel fuit sine rege annis xxxiij. quod patet ex collatione Regum Iuda, &c. Sine rege an. xxxiij.

Zacharias mēſ. vi. Iste Zacharias fuit filius Ieroboam. & cœpit regnare an-

Reges Syriæ. no xxxviij Oziæ regis Iudæ: & fecit malum sicut prædecessores eius. Et hic est quartus post Iehu. & percussit eum Sellum, & regnauit pro eo: qui statim percussus a Manahen, regno & vita caruit, vt patet iiij Regum xv.

Macedonum regnum hic oritur.

Caranus 1 Macedonũ rex

Iſte Caranus primus rex Macedonum, fuit filius Arbati, regnauit annis xxviij. De hoc regno deſcendit Alexander Magnus. Deſtruitur autem tempore Oniæ pontificis pij.

Lacedæmoniorum reges deficiunt.

Amuli⁹ Siluius an. xliij.

Lydorum incipiunt.

Iſte Amulius Siluius regnauit an. xliij, & fratrem ſuũ Numitorẽ de regno eiecit: & poſt ipſe a Romulo & Remo fratrib. geminis occiſus eſt, & Numitor reſtitutus fuit in regnum ſuum: quia fuit auus eorum.

Teglatphalaſar.

Spartani (ipſi ſunt Lacedæmones) per annos l cum Atheniẽſibus cruentiſſima bella cõmittunt: vbi ſemper incerta victoria fuit. terra mariq; pugnatũ eſt.

Iſte Teglatphalaſar cepit terram Nephthalim, & Galilææ: & eos qui trans Iordanem erant, tranſtulit in Aſſyrios. Poſt etiam ob rogatum Achaz, obſedit Damaſcum, & Raſim interfecit; & Syros tranſtulit in Cyrenen, vt patet iiij Reg. xv, & xvi cap. Thonos Concoleros, qui vocatur Græce Sardanapalus, xxxvi Aſſyriorum rex, Tarſum atque Anchialon cõdidit. & in prælio victus ab Arbaco Medo, ſemet incendio concremauit. Vſque ad id tempus fuiſſe reges Aſſyriorum hiſtoria refert. & fiunt anni ſimul mcxcvij. Omnes autem anni regni Aſſyriorum a primo anno Nini ſupputantur mccxl.

IIII^M CCCCXIIII.

Anno ante Chriſti natiuitatem DCCLXXXV.

Eſaias nobilis propheta primus de quatuor principalibus, claret. qui euangeliſta magis, quam propheta dicitur a ſancto Hieronymo, propter euidentiã prophetiæ ſuæ. Hic miſſus eſt a Domino cum Iaſub filio ſuo in occurſum Achaz, vt diceret ei, ne timeret a duabus iſtis caudis titionum fumigantium, quos vocat Raſim & Phacee: eo, quod in ipſis eſſet finiendum regnum Syriæ, id eſt Damaſci; & regnum Samariæ, id eſt decem tribuum; quæ alio nomine dicebatur Ephraim.

Amarias.

Ionas mittitur ad Niniuitas, qui audierunt eum. ſed Iſrael nec multis credidit.

Sellum menſ. i.

Manahẽ annis x.

Phacéia an. ij.

Iſte Manahen cœpit regnare anno xxxix Oziæ regis Iudæ, fecitq; malum coram Domino, & tradidit eũ Dominus in manus regis Aſſyriorum, qui indixit ei talenta argenti mille. iiij Reg. xv.

Iſte Phaceia fuit filius Manahen. fecit etiã malũ. & percuſſit eum Phacee, regnauitq; pro eo. Cœpit autem regnare li anno Oziæ regis Iudæ.

Raſin.

Iſte Raſin, rex Syriæ, vaſtauit Iudam, tempore Achaz. propter quod obſedit eum Teglatphalaſar in Damaſco, & cepit ciuitatem, & ipſum interfecit, & tranſtulit populum.

Quarta ætas:

Rhea filia Numitoris in templo deæ Vestæ seruiuit: quæ post admisit amasium, & concepit, peperitq; gemellos, Romulum & Remum. Ob hoc ipia viua sepulta fuit propter incestū: infantes proiecti sunt foras, & mirabiliter a lupa nutriti referuntur. Porro ob reuerentiam Romanorum dixerunt poetæ, quod Mars deus belli concubuerit cum ea: stuprum totaliter aut palliantes, aut excusantes, vel honorantes.

Reges Italiæ. Numitor. Iste Numitor restitutus in regnum, statim post a Romulo occisus fuit, vt Orosius testatur.

Reges Assyriorum.

Sibylla Erythræa omnium aliarum Sibyllarum clarior, hoc tempore quidam dicunt quod vixerit. alij, quod eius carmina circa hæc tempora sunt inuenta: ipsa autem ante bella Troiana vaticinata sit apertissime de Christo, & pulcre. Vide August. xvij de ciuit. Dei.

Olympias prima a Græcis instituitur. Et hæc est Æra famosissima tam Latinorum, quam Græcorum. Et (secundum Hieronymum) Olympias vna quatuor annos completos continet. Et secundum istum computum, anno xl Oziæ vel circa ista Æra incipit, scilicet anno mundi iiij^{m} ccccxxviij; secundū septuaginta interpretes, circa l annum Oziæ. Et nota, quod Christus nascitur Olympiade cxciij, quæ faciunt annos dcclxxij.

Anno mundi	IIII^{m} CCCCXL.	IIII^{m} CCCCLVI.
Linea Christi.	Ioatham regnauit annis xvi.	Achaz regnauit an. xvi.
	DCLIX.	DCCXLIII.

De hoc Ioatham nihil mali scribitur, nisi quod excelsa (more aliorum) non abstulit, vt patet ij Paralip. xxvij.

De hoc Achaz nihil boni habetur. dereliquit Dominum, & derelictus est etiā ipse ab eo. & percussus cum populo suo valde est a regibus Israel & Syriæ. ij Paralip. xxviij.

Pontifices. Achitob.

Micheas propheta vi de xij, prophetat contra Hierusalem & Samariam.

Reges Israel. Phacee an. xx.

Naum propheta vij, prophetare cœpit contra Niniuen.

Iste Phacee cœpit regnare anno lij Oziæ. sicut fecit, sic factum est ei: quia Osee coniurauit contra eū, & interfecit ipsum, regnauitq; pro eo. Fecit etiā pactum cum Rasin: & vastarunt Iudam. & ideo Teglatphalasar oppressit eum, & trāstulit quasi tres tribus in Assyrios. iiij Reg. xv.

sine rege

an. viij, vt supra.

Osee an. ix.

Iste Osee vltimus rex Israel, cœpit anno xij Achaz, regis Iudæ; & fecit malum, &c. Anno ix regni eius captus est a Salmanassar, & Israel translatus est in Assyrios, vt habetur iiij Reg. xvij.

Nota, quod Oros. de hoc Romulo multa mala scribit, scilicet fratris sui & aui & aliorum probatissimorum virorũ iniquam mortẽ, & violentias, tyrannidesq; plures. Congregauit enim pastores & latrones, &c. cum quib. ciuitatulam extruxit, & per illã vi alios oppressit circumcirca potentes. Postquam creuit, elegit c senes pro consilio, quos appellauit senatores; & mille pugnatores, quos milites vocauit: profecitq; in sublime. tandem ob demerita sua inter deos cõnumeratus est, eo quod percussus a tonitruo nusquã comparuisset. Hoc enim ad cumulũ suæ damnationis accessit, vt eo magis tormentaretur apud inferos, quo in terris eius memoria celebrior haberetur; quã virtutibus non meruit, sed falsa vulgi adulatione, aut vera deceptione adeptus est. Prædicti senes post mortẽ Romuli regnauerũt, anno cũ dimidio expectantes, si forte redisset.

Romulus primus rex Romanorũ a. xxxvij

Salmanassar.

Istę Salmanassar obsedit Samariam, anno ix Oseæ regis Israel, cepit eã, & regẽ misit in carcerem, & Israel trãstulit in Assyrios. Et cessauit regnũ Israel, quod stetit annis cclxxxij.

Sennacherib.

Istę Sennacherib ascendit in Iudæam contra Ezechiã virũ sanctũ: & percussit Dominus exercitũ eius, scilicet clxxxv^{m} viros bellatores. Ipse autẽ turpiter fugiẽs, peruenit in Niniuen, & afflixit Iudæos & Tobiam. tandem a suis filijs occisus est. iiij Reg. xix, & ij Paralip. xxxiij.

Assaradõ filius Sennacherib.

IIII^{M} CCCCLXXII.

Ezechias regnauit an. xxix.

Sol x lineis reuertitur. & sic illa dies erat longior alijs, x horis. O magnũ portentũ, strages hostium, additio annorum!

Anno ante Christi natiuitatem DCCXXVII.

Istę Ezechias optimus filius de pessimo patre Achaz, ambulat coram Domino corde perfecto, excelsa abstulit, & domum Dei instaurauit. Nec similis eius fuit ante eum in regibus Iuda. & ergo Dominus glorificauit eum. iiij Reg. xviij, xix, xx, & ij Paralip. xxix, xxx, xxxi.

Anno ante Christi natiuitatẽ dccxv, Roma in monte Palantino a gemellis condita est, velut secunda Babylonia. Verũ tempore paupertatis nusquã alter locus ea sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. & quãto rerum minus habuit, tanto minus cupiditatis habebat. Post diuitiæ auaritiã & luxuriam induxerunt.

Conditionem Vrbis Titus Liuius per xiiij Decades, id est cxl libros prosequitur: sed hodie non omnes reperiuntur. De ipso facit beatus Hieronymus mentionem in epistola ad Paulinum: & Seneca in vltimi Declamationum libri prologo.

Æra principalis Romanorũ Orosij, Martini, & aliorũ. Ipse est annus xij Ezechiæ, secundũ Hebræos; secundũ lxx, vltimus Achaz.

Vrbs ROMANA conditur anno mundi iiij^{m} ccccl xxxiiij.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi sint artes, pacisq; imponere mores,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quarta ætas:

Nota (ſecundū Auguſtin. xviij de ciuit. Dei) quod Cicero magnis laudib. Romuli aſcribit, quod non rudib. & indoctis temporibus, quando facile homines fallebantur, meruerit honores diuinos, ſed iam eruditis & expolitis. Vnde patet vanus idololatrarū error, quia etſi his temporib. doctis illuminati ſunt, quam ſit ineptum, quod antiqui leuibus motiuis decepti, homines mortuos, deos factos putent, & ob hoc ipſi amplius neminem inter Deos aſcribendum decreuerunt: non tamen ceſſarunt a cultura talium falſorum deorum, ſed morem antiquum ſeruantes, & augentes, quod dictis vetāt fieri, factis approbant. Vnde conſtat eos nō eſſe excuſatos, imo, Apoſtolo teſte, plus illis peccare.

Reges Romani.

Remus a fratre occiditur, anno iij. ff. de heredi. l. vlt.

Merodach primus rex Babylonię.

Reges Babyloniæ incipiunt.

Iſte Merodach primus rex Babylonis famoſus, receſſit a monarchia: nec obediuit Aſſarādo regi Aſſyriorum. & reges Babyloniæ cœperunt eſſe potentes vſque ad Baltaſar. vide Magiſtrum in hiſtoria.

vij ſapientes

Thales Mileſius clarus habetur. qui poſt theologos, id eſt poetas, σοφοὶ dicti ſūt, id eſt ſapiētes. Iſte etiam Thales primus potuit prædicere defectum Solis & Lunæ, vt dicit Auguſtin. viij de ciuit. Dei.

Solon
Chilon
Periander
Cleobulus
Bias
Pittacus

Tobiæ hiſtoria deuotiſſima, & tota exemplaris, hic texitur.

Anno mundi IIII^M DI.

Linea Chriſti.

Manaſſes regnauit an. lv.

DCXCVIII.

Iſte Manaſſes peſſimus filius optimi patris, fecit malum ſuper omnes qui ante ipſum fuerunt: & ſanguinem innocentem fudit plurimum. propter quod rex Aſſyriorum vaſtauit Iudam, & ipſum Manaſſem cepit, & in carcerē miſit. Poſtea ad cor rediens, & Dominū deprecans, & exauditus fuit, & in regnū ſuum reſtituitur. omnia quæ ante fecerat, deſtruxit, & in via Domini recte ambulās, nō ſine grandi admiratione omnium qui eum ante nouerant, vitam beatam duxit, vt patet iiij Reg. xij, & ij Paralip. xxxiij capitulo.

Pontifices.

Sadoch.

Catana.

Iſte Numa maximus idololatra fuit,& vrbem adeo ſimulacris repleuit, vt ipſe ſibi locũ reperire non poſſet. Hoc modo Auguſtinus ſtultitiã eius deridet, quaſi magna iniuria ſibi facta ſit,quod ipſe nõ ſit inter deos aſcriptus, qui deorum cultum ſic promouit. Hic Ianuarium & Februariũ anno addidit. Mirum ſupra modum eſt, quod hi viri præcellentiſſimi ingenij in cunctis pene quæ ſub ſole geruntur, tam acute diſſerebant, & in agnitione veri Dei ſic delirabant. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Numa Pompilius an. xlij.

Nota (ſecundum Auguſt. lib. iij de ciuit. Dei) quod ab vrbe condita vſq; ad Auguſtũ, tã continuæ pugnæ extiterũt, vt pro miraculo habitũ ſit, vt vnus annus poſt bellũ Punicũ ſine bello trãſierit, exceptis xlij annis Numę, quibus pax continuata fuit.

Romani populi ſtatum & decurſum luculenter & breuiſſime deſcribit Florus Lucius per annos ſeptingentos, quatuor ei dans ętates. vnde ait, Si quis magnitudinẽ imperij cum annis conferat, ætatem vltra putet. Ita enim late vbiq; in orbe terrarũ arma circumtulit, vt qui res eius legunt, nõ vnius populi, ſed totius generis humani facta diſcant. nam tot laborib. periculiſq; iactatus eſt, vt ad conſtituendũ eius imperiũ cõtendiſſe virtus & fortuna viderẽtur. Itẽ ait, Tanta in virtute fiducia eſt, vt ille rudis, ille paſtorius populus, vereq; terreſter, oſtenderit, nihil intereſſe virtutis, equis, an nauibus; terra, an mari dimicaretur. Item, O populũ dignũ orbis imperio, dignum omni fauore & admiratione hominũ ac deorum! compulſus ad vltimos metus, ab incepto non deſtitit, ſed abſens ſimul præſenſque pugnabat.

IIII^M DXXVIII.

Anno ante Christi natiuitatem DCLII.

Eſaias martyrio coronatur cum multis alijs: eo, quod Regis opera peſſima reprehendit.

Sibylla Samia (ſecundũ quoſdam) his dicitur fuiſſe temporibus. Et nota, quod ſancti doctores non vtuntur dictis Sibyllarũ ac aliorum gentilium ad confirmationem fidei ſanctæ chriſtianæ: ſed & eas nec prophetico ſpiritu claruiſſe, ſed arreptitias fuiſſe dicunt. Vnde Auguſt. contra Manichæum diſputans, dicit, Si quid veri de Deo Sibylla vel Orpheus alijue gentium vates aut philoſophi dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam: non tamen ad iſtorum auctoritatem complectendam. Quantũ enim diſtat de Chriſti aduentu inter prædicationem angelorum, & confeſſionem dæmonum, tantum diſtat inter auctoritatẽ prophetarum, & curioſitatem ſacrilegorum.

Sellum.

Elchias.

Zaleucus vir iuſtiſſimus leges condidit: & inter cætera decreuit, vt qui adulterij crimen committeret, vtroq; oculo priuaretur. Quod cum filius eius commiſiſſet, iuſſit ipſum exoculari. verum tota ciuitas aliquandiu ei reluctabatur. tandem victus inſtantia populi, ne lex a ſe condita violaretur, ſuo prius, deinde filij oculo eruto, vtriſque vſum videndi reliquit. ſicque mirabilis æquitatis temperamento ſe inter miſericordem patrem, & iuſtum legiſlatorem partitus eſt. Diſce o chriſtiane, quanta diligentia debeas ſancta Dei tui præcepta cuſtodire, ſi ſic maluit paganus puniri pro iuſta lege ſua, quam eam inultam relinquere. Hæc & multa ſimilia oportuit in populo carnali obſeruarę cũ ſumma ſeueritate, quatenus timore pœnæ a prauis cohiberentur.

Byzantium conditur: quæ postea Constantinopolis dicta est.

Iste Tullus, alio nomine Hostilius, bonorum ferens tempus pacifice tranſiit.

Tullus tertius a. xxxiij

ob turbatam nem quam ſuſcitauit vicinis ſuis, poſt longa quietis tempora merito hoſtilis

Reges Romani.

Reges Babyloniæ.

tis nomen ſibi acquiſiuit. Et quia diſſipat Deus gentes, quæ bella volunt, ipſe cum omni domo ſua a fulmine percuſſus, interijt. De iſto etiam Tullo ſic dicit Valerius libro iij cap. iij. Hunc in cunabulis primo accepit agreſte tugurium, eiuſque adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata, validior ætas imperium rexit: ſed ſenectus eius in altiſſimo maieſtatis faſtigio fulſit.

Niniue deſtruitur per regem Medorum. Et regnum Aſſyriorum penitus ceſſauit, ſicut prædixerant Naum propheta, & Tobias.

Anno mundi	IIII^M DLVI.	IIII^M DLVIII.
Linea Chriſti.	Amon regnauit annis ij.	Ioſias regnauit annis xxxi.
	DCXLI.	DCXLIII.

Iſte Amon, ſecundum textum Hebræorũ, duobus tantũ annis regnaſſe perhibetur: ſed (ſecundum lxx) annis xij. & ita ſupplentur hic x anni a lxx de illis xiij ſupra ſine rege. Et ſecundũ hoc aptandæ ſunt hiſtoriæ aliæ, quę communiter ſequũtur lxx. Hic idẽ rex fecit malum corã Domino, & percuſſus a ſeruis ſuis, ſine pœnitentia obijt.

Pontifices.

Iſte Ioſias optimus filius de peruerſo patre, gratia ſingulari pręuẽtus, adhuc in puericia requiſiuit Dominum, & vſque in finem perſeuerauit laudabiliter. In quibuſdã excellit Ezechiam, proauũ ſuum. & ideo dicitur non habuiſſe ſimilẽ in regionibus Iuda. Eius religioſam vitã, & opera ſancta plurima vide iiij Reg. xxij, xxiij, & ij Paralip. xxxiiij.

Azarias filius Ezechiæ hic

Tobias moritur annorum cxx, vir ſanctus, plenus operibus bonis, & prophetiæ ſpiritu clarus: prophetauit namque de deſtructione Ieruſalem & templi, quaſi iam factum eſſet: cum tamen adhuc futurum eſſet, propter certitudinem prophetię. ſtatim poſt eius mortem vxor eius mortua eſt. & egreſſo Tobia iuniore cum filijs ſuis, Niniue deſtructa fuit.

Sophonias prophetauit deſtructionem Ieruſalem & reædificationem.

Olda prophetiſſa, vxor Sellum, prophetat Ioſiæ regi.

Ieremias ſecundus de maioribus, prophetare incepit adhuc puer, xiij anno Ioſiæ regis, contra Hieruſalem & templũ: & prophetauit annis xlij, præter illud quod prophetauit in Ægypto. Grandis duritia populi, & grandis plaga, quæ punit eum.

Iſte Ancus fuit quartus Romanorum rex. Hic primum pontem trans Tiberim inter montem Auentinum & Ianiculum fecit, & Oſtiam ciuitatem condidit ſupra mare, decimoſexto miliario ab vrbe Roma.

Ancus quartus a. xxiij.

Oſtienſis ciuitas conditur ; cuius epiſcopus benedicit papam.

Nabuchodonoſor monarcha Babyloniorum.

Iſte Nabuchodonoſor bellicoſiſſimus fuit, & victorioſiſſimus per omnia, eo quod eſſet virga furoris Domini, vt puniret peccata populorũ multorũ. Hic primo erat rex Babyloniæ: & poſtea obtinuit regnũ Aſſyriorum, quod deſtructum eſt a Medis: & factus eſt monarcha. Et ſecundum hoc, diuerſimode computantur anni eius: quia diu regnauit. Multipliciter de ipſo ſcriptura loquitur, iam bona, iam mala: quæ diligenter ſancti expoſuerũt. Placet tamen quibuſdam, quod propter pœnitentiam illam magnã, quæ ſcribitur in Daniele, ſit ſaluatus, & quia ſcriptura vitam eius concludit in laude & confeſſione vnius veri Dei. Idem ſentit Nicolaus de Lyra Daniel. iiij. Dicũt doctores quidam, quod Deus inſpirauit ſibi, vt vindicaret ſe de inimicis ſuis : ſed ipſe inſtinctu iſto abuſus fuit per ſuperbiam & inuidiam : & ſic non meruit per hoc quod inſtrumentum fuit diuinæ iuſtitiæ. Forte de omnibus poſt pœnituit meritis Danielis.

Vrias propheta occiditur a Iechonia rege Iuda. & Ieremias incarceratur.

Abacuc ꝓphetat cõtrą Nabuchodonoſor, & Babylonẽ. Sunt tamẽ opiniones quo tẽpore fuerit, &c.

IIII^{M} DLXXXIX.

IIII^{M} DC.

Ioachas regnauit menſ. iij.

Iechonias vel Eliachim vel Ioachim an. xi.

Ioachim vel Iechonias mẽſ. iij.

Sedechias regnauit annis xi.

Anno ante Chriſti natiuitatem DC. DCXL

Hic Ioachas ſtatim poſt mortẽ patris cõſtitutus fuit rex in Ieruſalẽ: ſed quia non fuit ſecutus exemplũ pij patris ſui Ioſiæ, ideo Pharao Nechao cepit eũ, & duxit eũ in Ægyptum. iiij Regum xxiij.

Hic etiã fuit filius Ioſiæ, frater Ioachas: & cõſtitutus a Pharaone rex in Ieruſalẽ: & vt daret mulctã, &c. & quia fecit malũ, nec audiuit ꝓphetas, aſcendit cõtra eum Nabuchodonoſor & factus eſt ei ſeruus trib. annis. Cumq; rebellaret, venit iterũ rex Babylonis cõtra eũ, & vinctũ duxit in Babylonẽ. nõ quod illuc ductus ſit, ſed immutatũ fuit conſiliũ Nabuchodonoſor, & interfecit eũ in Ieruſalem, & proiecit corpus eius extra murũ, iuxta prophetiã Ieremiæ xxij. & tulit ſecum vaſa Domini, & poſuit ea in templo ſuo. Paralip. vltimo.

Saraias

Iſte Ioachim fuit filius Iechonię, & fecit malũ: & ideo ſtatim amotus eſt, ne regnaret, & vinctus tranſlatus eſt in Babylonem, & multi cũ eo tranſlati ſunt. iiij Regum xxiiij.

Iſtum Saraiã interfecit Nabuchodonoſor rex in Rabata, cũ alijs cõſiliatoribus Sedechiæ. Regũ vltimo. Hic fuit filius Azariæ.

Daniel adhuc iuuenis Suſannã liberat, & in conſpectu regis cũ ſocijs ſtat, &c. & poſtea interpretatur ſomniũ regis, & in ſublime tollitur. Daniel. i.

Ananias. Azarias. Miſael.

Ezechiel prophetat in Chaldæa trãſmigratis deſtructionẽ Ieruſalẽ. & tandem martyriſatur.

Mardochæus.

Omnes hi cũ Ioachim ducti ſunt in Babylonem adhuc pueri.

Baruch propheta.

Iſte Sedechias tertius Ioſię filius, & malus, non audiuit Ieremiã prophetã: & ideo per ijt miſerabiliter, & omnis Iuda cũ eo. & eruti ſunt oculi eius. Regũ vltimo, & Ieremiæ Iij.

Quinta ætas:

Iſte Priſcus ludos inſtituit,& circum Romæ ædificauit: Capitòlium fabricare cœpit: & dictum eſt Capitolium, quaſi caput ſolum : quia in fundamento inuentum fuit caput ſine corpore,quaſi prophetia futuri:quia ibi poſtea ſenatus reſedit quaſi vnum caput totius orbis.

Reges Romani. Priſcus Tarquinius annis xxxviij.

Iſte Nabuchodonoſor filius Nabuchodonoſor magni fuit. Hic horũ qui ſuſpenſilis dicitur, maximis expenſis vxori ſuæ fabricauit. multa magnalia peregit, ita vt Herculem tranſcendiſſe actuũ magnitudine memoretur. & de manubijs hoſtium templum Belis magnifice decorauit.

Reges Babyloniæ. Nabuchodonoſor.

Aſtyages rex Medorum vnicam habuit filiam, quã cuidã militi plebeio tradidit, ne ex ea nobilis filius naſceretur, ꝓpter cauſam quã Magiſter recitat, ne ſcilicet repelleretur a regno a nepote ſuo,ſicut prædixerãt ſibi coniectores. Et quod verebatur, ei accidit. Nam ex ea natus eſt Cyrus,qui ipſum ſuperauit. Templum Salomonis incenditur a Chaldæis, & Ieruſalẽ deſtruitur. Et hæc eſt vna de principalibus Æris huius ſacræ hiſtoriæ. Stetit namq; hoc templum ccccxlij annis, ſcilicet a fundatione ipſius inchoando, quæ fuit facta quarto anno Salomonis. Et ab hac deſtructione vſq; ad deſtructionẽ quæ facta fuit per Titũ, ſ. xlij anno poſt Chriſti paſſionem, fluxerunt anni dclxij.

Tres pueri proijciũtur in fornacẽ ſuccenſam, & miraculoſe liberantur a Deo. vide Dan.iij.

Ieremias in Ægypto prophetauit, & regibus Ægypti prædixit quod eorũ idola ſubuerterentur cum virgo pareret:& ex hoc ſacerdotes in ſecreto templi loco imaginẽ virginis cum puero adorauerunt. Oratione ſerpẽtes de terra fugauit,&c. Tandem zelans pro populo,increpauit idololatriã populi ſui, & lapidatus eſt ab eis. Sed Ægyptij glorioſe ſepelierunt martyrem ſanctum in ſepulchris regum,propter beneficia ſua.

Pontifices. Ioſedec.

Iſte Ioſedec filius Saraiæ, egreſſus eſt quando tranſtulit Dominus Iudam & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſor regis,vt patet 1 Paralip.vi. & eſt ductus cum alijs captiuis in Babylonem.Dicunt aliqui iſtum fuiſſe Eſdram ſcribam & ſacerdotem: aut forte frater ipſius fuit.

Ezechiel poſt multa quæ glorioſe geſſit, etiam precibus ſuis aquas Chobar condenſauit, vt filij Iſrael ambularent ſuper eas: Chaldæi autem ſubmerſi ſunt. Tandem percuſſis impijs quibuſdam a ſerpentibus,quos redarguit,cæteri exacerbati ipſum equis diſtraxerunt,& per crepidines ſaxorum excerebrauerunt eum,martyrem Domini glorioſum facientes.

Abacuc propheta Danieli prandium attulit, dum in lacu leonum eſſet apud Babylonem, ſecundum Hieronymum. Vide in libro ipſius.

Ludus Scacorum reperitur a Xerxe philosopho, pro correctione Euilmerodach tyranni, qui suos magistros & sapientes occidere consueuit. & hoc solatio indirecte attractus fuit ad emendationem.

Iste Seruius Tullius seruilis conditionis fuit ex parte matris, quæ ancilla captiua fuit, sed nobilis. Hic laudes habet ab historiographis magnas, quod in omni statu fuit, & vbique notabiliter se gerebat. tres montes vrbi addidit, & fossas iuxta muros duxit.

Seruius a. xliij.

Euilmerodach

Iste Euilmerodach fuit frater Nabuchodonosor iam immediate præcedentis. Hic Ioachim leuauit de carcere, & magnificauit eum, & corpus patris effossum iuxta consilium eius diuisit ccc vulturibus, ne resurgeret a mortuis, qui de bestia redierat in hominem.

Regusar

Sabusar

Baltasar

Isti tres fuerunt fratres, & filij Euilmerodach, qui successiue regnauerũt, & Baltasar fuit vltimus rex Babyloniæ, qui interfectus fuit a Dario & Cyro. non enim habebat filium: & soror Darij fuit mater eius. Ideo præoccupauit regnum Darius cum adiutorio Cyri. nec adiuuit Dominus ipsum: quia vasa sancta indigne tractauit. Danielis v.

IIII^M DCXXXIIII. IIII^M DCLIX.

Salathiel

Zorobabel

Anno ante Christi natiuitatem DXL. DLXV.

Iste Salathiel fuit filius Iechoniæ regis Iudæ, quem genuit post transmigrationem Babylonis, vt euangelista Matthæus dicit.

Daniel vir desideriorum sanctus & electus, clarus habetur: cuius etiam opera Deus miraculis glorioſis approbauit.

Iste Zorobabel secundũ imperiũ Domini fundauit templũ, & manus eius perfecerunt: sed longe post, vt patet Esdræ vi.

Esdras sacerdos de stirpe Aaron claret sanctitate vitæ & sapientia: cuius grandi industria & labore totus Iudaicus status in melius reformatus fuit.

Babylon destruitur.

Babylon illa magna capitur, & aufertur potestas eius, sicut prædixerunt prophetæ sancti. Hęc fuit prima & maxima ciuitas totius orbis, de qua incredibilia scripta sunt. & hæc tanta vna nocte defecit, vt ostendatur, quod ad iram Dei omnis potentia puluis sit & fauilla. dicitur verissime, quod eam humano opere extrui, vel humanis viribus destrui potuisse pene incredibile videbatur. vnde grande spectaculum euidensque exemplum mundus haberet, si informari posset, seu etiam vellet.

Quinta ætas:

Sibylla Cumana de Christo prophetauit: & Tarquinio rx codices attulit, in quib. erãt scripta decreta Romanorũ. Sibylla Hellespontia de agro Troiano nata, his dicitur fuisse temporibus: & prophetauit sic de Christo, *Iesus Christus nascetur de casta*, &c.

Iste Tarquinius Superbus Seruio interfecto meliore se, arripuit regnũ. Hic primus omniũ tormentorum genera excogitauit: & post de regno expulsus est propter stuprum Lucretiæ a filio suo commissum. Et noluerũt amodo Romani habere reges, propter tyrannidem eorum.

Reges Romani. Tarquinius vij. Superb.

Darius primus monarcha Persarũ.

Cyrus regnauit annis xxx.

Iste Cyrus rex Persarũ fuit primo, & de post transtulit monarchiam ad Persas. Hic ex parte patris plebeius fuit: sed mater eius erat filia regis Astyagis. De isto prophetauit Esaias. & Babylonem vicit: Baltasar interfecit: Danielem magnificauit, & Israel remisit in Iudæam, vt templum reædificarent, vt patet Esdræ primo.

Iste Darius fuit consobrinus Astyagis, quem in filiũ adoptauit, quia non habuit nisi vnicam filiam: & dedit ei regnum, quia Cyrus contra eum pugnauit: & tamen ambo victi sunt a Cyro: sed tanquam nepos eos tractauit benigne, quia auo scilicet Astyagi regnum Hyrcanorum concessit, & Dario Medorum. *Historia libri Esdræ incipit.*

Anno mundi IIII^m DCLXXXIIII.

Linea Christi.

DXV.

Templum fundatur.

Aggæus & Zacharias prophetant, confortantes populum, & prouocantes ad ædificandum templum.

Iste Iesus filius Iosedech sacerdos magnus tanquam regẽs: & Zorobabel tanquam dux, post reditum populi Israel de Babylone præfuerunt.

Pontifices. Iesus.

Et iste modus vsq; ad Herodem seruatus est, vt sacerdotes summi essent principales & duces substituti. semper tamen duces erant de tribu Iuda iuxta prophetiam Iacob. Et sub hoc regimine sacerdotali optimo non legitur populus declinasse a veritate fidei, sicut ante: quia tempore Iudicum & Regum sępius ad idololatriã corruit. Et nota, quod Iudæi isti, qui hic redierunt, & postea dispersi sunt in omnem terram, iuxta prophetiam Dauid, *Disperge illos*, psalmo lviij: fuerunt omnes de tribu Iuda, Beniamin & Leui: & pauci de decẽ tribubus, qui aufugientes iunxerunt se istis. Illi autem qui in montibus Caspijs relegati sunt, nunquam redierunt, secundum Hebræos.

Cyrus post multa bella tandem cum ad Scythas declinasset, a regina Tomyri capitur, & cum toto exercitu suo ad cc^m occiditur. caput eius præcisum in vtrem humano sanguine plenum proiecit, dicens; *Satia te sanguine, quem sitisti.*

Arphaxad post mortem Cyri per vim obtinuit regnum Medorum, & ædificauit ciuitatem grandem Ecbatanis: & disposuit rebellare contra Nabuchodonosor, id est Cambysem: & tamen ab eo victus fuit, vt patet Iudith primo.

Phalaris Siculus tyrannus multos innocentes depopulatur. Hic quondam illũ artificem, qui taurum æreũ fecit ad puniendum homines, in eundem ipsum proiecit primũ, vt experiretur quod fecerat: & clamor eius per os tauri sonuit terribiliter, quasi boatus bestiæ. & sic tyrannus iniustus inuenit aliquando quem iuste puniret. Istud factum dicit Orosius anno ante Vrbem conditam lxiij vel circa, &c. Et, vt dicitur, Sicilia semper nutrix tyrannorũ fuit.

Lucretia fœmina nobilis & honesta a filio regis violenter oppressa, seipsam stulte gladio interemit. Hæc in exemplum castitatis allegari solet: sed non excusatur ab homicidio, vt dicit August. 1. de ciuitat. Dei.

Cãbyses ii. filiꝰ Cyrian. vij.

Babylonia noua in Ægypto conditur a Cambyse, qui totum illud obtinuit regnum.

Ereneides iii. an. medio.

Iste Cambyses filius Cyri, & secundus magus, varie nominatur a diuersis. apud Esdram Artaxerxes dicitur, vel Assuerus. in historia Iudith, quæ sub eo facta fuit, vocatur Nabuchodonosor. Hic potenter interdixit, ne Hierusalem aut templũ reædificarentur: & pater eius tantũmodo præcepit, ne ciuitas extrueretur. & etiã tunc principes Cyro ignorante impediuerunt opus domus Domini. Hic quendam iniquum iudicem viuum excoriari fecit, & filium super paternam cutem sedere iussit, vt hoc modo scelus vitaret, & recte iudicaret.

Iste Ereneides tertius magus, duxit filiam regis in vxorem: & non diu post moritur. Pantaptes filia Cambysis fuit his duob. successiue in coniugem sociata, secundũ Hieronymum super Danielem libro iij.

IIIIm DCCIX.

Anno ante Christi natiuitatem. CCCCLX.

Historia Iudith hic texitur. Ipsa autem exemplar totius pudicitiæ ponitur.

Holofernes princeps militiæ Nabuchodonosor Cambysis, multas terras domino suo subiugauit: & tandẽ venit ad Bethuliã, & ibi a Iudith muliere interficitur, vt patet Iudith ij & xiij.

Pythagoras primus Philosophus.

Nota, quod gentilium sapientia, quæ totaliter de creaturis fuit, primo incepit a dijs, quando adhuc tempora grossa fuerunt. quia tunc qui paulo plus alijs sciebant, a populo rudi dij putabãtur. Post hæc creuit prudentia: & tunc theologi venerunt. ipsi sunt poetæ antiquiores, qui de falsis dijs multa mendacia finxerunt vrbano sermone. Si isti ante venissent, profecto dij putarẽtur: sed tempus obfuit eis. Post hos venerunt sapientes, id est σοφοί, qui mira iactantia gloriam suam celebrauerunt: nec tamen diuinum aut theologicum honorem meruerunt, propter tempus: quia iam melius sciebant. malam tamen consuetudinem cum cæteris continuauere: licet nouos deos fieri prohiberent. Demum philosophi claruerunt, quorum iste primus fuit: eo quod humiliter responderet, se non sapientem fore, sed amatorem sapientiæ. Hi communiter cõtradixerunt idololatris: & plures trucidati sunt, pluresque timore fecerunt sicut alij. peiores fuerunt qui muneribus acceptis, etiam contra propriam conscientiam cultum sacrilegum extulerunt. Vide Augustinum de ciuitate Dei.

Damo, & Lysis discipuli Pythagorę hanc sectam continuauere. vbi per quinquennium silentium seruabatur: & post eruditi, loquebantur.

Quinta ætas:

Anno ccxliiij ab Vrbe condita, Romani loco regum ordinauerunt duos consules, qui per vnum annum regerent, ne ex mora temporis in superbiam erigerentur: & vt vnus alterũ corrigeret, si erraret aut excederet. Leonida rex Spartanorum cum iiij^{m} hominum lxx^{m} Persarũ pene trucidauit. mirabile dictu. ait suis, *Prandete hic tanquam apud inferos cænaturi.* & ita factum est, quia ex fatigatione ceciderunt super mortuos, & mortui sunt cum illis pariter.

Consules incipiunt.

Brutus — primus consul.

Lucius — Mutauit Roma principatũ: sed nõ euasit tyrannidẽ.

Reges Persarum.

Darius Hystaspis quartus magus.

Iste Darius fuit vnus de vij magis: & subtiliter regnum acquisiuit. Hic recuperauit regno Persarum Assyrios, & Babyloniam, Asiam, Macedoniam perdomuit. Cumq; regis Scytharum filiam in vxorem desideraret, & ei dare nollet, ob hoc cum dcc^{m} contra Scythas venit, non veritus pro vnius hominis libidine tot milia virorum mortis periculo exponere. quod vtiq; incautum & crudele & iniustissimum fuit. vnde turpiter fugatus, lxxx^{m} amisit. tandem cum residuis a paucis Atheniensibus, puta xi^{m} superatus, cc^{m} Persarum amisit. volens autem se post fugam vindicare, in ipso apparatu concidit. Et (secundum quosdam) bona spes est de ipso, quia habuit fidem vnius veri Dei, cui templum & sacrificia fieri præcepit, &c. Vide Lyram super vi c. Esdræ.

Democritus philosophus seipsum excæcauit, & de diuite se pauperem fecit ob amorem sapientiæ.

Anno mundi — IIII^{M} DCCXXXIIII.

Linea Christi.

Abiud.

Iste fuit filius Zorobabel: sed de ipso & alijs persequentib. vsq; ad Ioseph nihil habetur in scripturis, nisi quod a Matthæo numerantur: & ideo nec tempus eorum debite sciri potest.

ƆCCCXCV.

Nota, quod (secundum Magistrum) Darius, instinctu Zorobabel, iussit resumi opus domus Dei, præcipiens principibus suis, ne aliquo modo impedirent, sed iuuarent. Vide etiam Esdræ v & vi cap. De hac Æra ambiguum est propter diuersitatem doctorum.

Aggæus & Zacharias anno secundo Darij increpauerunt populũ propter negligentiam eorũ ad ędificandũ domũ Domini: & solicitabãt Zorobabel, vt loqueretur sup hoc Regi: & annuit Rex: & accensum est cor populi, vt ædificarent templũ, vt patet Esdræ vi.

Pontifices.

Ioachim.

Templum perficitur anno vij Darij. Aggæus de hoc templo prophetauit, quod gloria eius maior erit quam primi. Quod est intelligendum spiritualiter, quia Christus Dominus desideratus cunctis gentib. hoc corporali præsentia sæpius ingrediendo, magnifice glorificauit, & oblatus fuit in eo, in die purificationis Mariæ.

Iste (secundum Iosephum) cognominatus est Iosedech, sub quo ciuitas Hierusalẽ extructa est, vt dicit etiam Eusebius, sicut etiam patet Neemiæ xij.

alioquin non potest stare veritas prophetiæ, quia istud secundum quasi nihil fuit respectu primi. Augustinus hic fortissimum sumit argumentum contra Iudæos, quia hæc autoritas necessarijssime intelligatur de ecclesia, quę est domus Dei ex viuis lapidibus: quia hoc templum nec vnquam habuit parem gloriam, taceo maiorem. Vide Augustin. xix de ciuit. Dei.

His quoque temporibus Pythagoras philosophus claruit: qui Samo oriundus Crotone degit. nouissime Metapontum adijt: ibique sepultus est.

Iste dictator creatus fuit, vt consules præiret potentia contra inimicos.

Dictator — nomen est officij dignioris.

Titus — Quintius repertus in rure, ab aratro sumptus est, & in dictatorem creatus Hic Romam iam pene desperatam propter aduersos casus, magnifice consolatus est triumphis suis.

Hoc tempore facta est Romæ dissensio plebis a senatu.

Publius — Tempore horum consulum fames & pestilẽtia grauis Romam corripuere: & bellum Veientanum atrocissimum fuit.

Xerxes filius Darij quintus magus. — Iste Xerxes multitudine populorũ quos collegerat, terras mouit & vndas: & tamen pene nihil ei prospere successit. amisit quippe in breui tẽpore decies nouies centena milia virorũ. item tandẽ post modicum per Artabanũ præfectum suũ occiditur. Græcorum autẽ numerus, qui victores extiterunt, longe maior erat occisorum. O tempora dolenda, &c. Vide Orosium. Narrat enim beatus Hieronymus in epistolis suis, quod Xerxes cum de sublimi loco innumerabilem exercitum vidisset, fleuisse dicitur: eo quod post c annos nullus eorum superfuturus esset.

Artabanus vij mensib. — Iste Artabanus nõ ponitur in catalogo regũ Persarũ, quia parũ profecit. tamen Hieronymus videtur eũ numerare super Danielem lib. iij.

Fabiorum glorioſiſſima familia Vrbis, bello Veientano proſternitur.

IIII^M DCCLIX.

Eliachim. — De hoc nihil habetur in scripturis, nisi Matthæi primo.

Anno ante Christi natiuitatem CCCCXL.

Esdras vir sanctus atq; doctissimus velut alter Moyses, in populo venerandus habitus est. Hic primum de Babylone cum cæteris venit: sed iterum paterna solicitudine motus, redijt, vt plures lucrifaceret, & secum adduceret. Tempore autem isto legem cæterosque libros sanctos reparauit, quos combusserant Chaldæi: felix testimonium orbi relinquens, nouos & faciliores apices inuenit. quo feliciter in Spiritu sancto peracto, venit iterum Hierusalem cum multitudine magna, regalibusque priuilegijs, vt doceret populum. Esdræ vij. Obijt in senectute veneranda. sepultus ibidem.

Malachias propheta claret: sic dictus, id est angelus, propter optimã vitã & Deorũ aspectum. Aiunt, quod ore eodẽ quo prophetauerat, angelus Domini apparens, eadẽ iterabat.

Anaxagoras philosoph^9 claruit. Hic habuit successorẽ, qui dicebatur Archelaus, magister Socratis.

Heraclitus tenebrosus.

Æschylus tragœdiarum scriptor.

Sentẽtias horũ floridas vide in speculo Vincẽtij.

Pindarus poeta. Sophocles.

Euripides. Socrates nascitur.

Herodotus historiarum scriptor.

Empedocles, & plures alij claruerunt tempore Xerxis.

Parmenides & alij philosophi notabiles maxime in moralibus claruerunt.

Socrates philosophus. Hic habet magnas laudis prerogatiuas: quẽ etiam beatus Hieron. sibi in exemplũ proponit & alijs. Fuit enim mirę patientię, & semper equanimis: & subtilius de primo ente, id est Deo fertur sensisse. pro quo tandem venenũ in carcere bibit. Plato discipulus eius. Hippocrates & plures alij fuerunt tunc nominati viri, quorum labores permanserunt.

Verginius filiã propriã gladio trãsfigit, ne ſeruituti traderetur. & ob hoc tribuni inſignia deponere cogitur. Vide Titum Liuium de conditione Vrbis lib. iij.

Marcus

Lex xij tabularũ Romæ inſtituta eſt. Decẽ enim tabulæ a Græcis delatę ſunt, quib. duę additę ſunt

Tribuni.

Decemviri inſtituti fuerunt loco conſulum, quia nimis conquerebatur de peruerſo regimine cõſulum, &c.

Romani.

Gneus

a Romanis, an ccc ab Vrbe condita. Ipſe eſt annus mundi iiij^{m} dcclxxxiiij.

Reges Perſarum.

Artaxerxes Longimanus annis xxi.

Iſte Artaxerxes eſt ſub quo Eſdras venit Hieruſalem: & Neemias fuit pincerna eius: quem poſt miſit ad ædificandum muros ciuitatis.

Xerxes menſ. ij.

Sogdianus menſibus vij.

Iſti duo parum profuerunt nec profecerunt.

Roma in conculcatione incenſa, & muri eius deſtructi. Nã Senones Galli cum Romanis pugnant, & capta eſt vrbs præter Capitoliũ: quod etiam perdidiſſent, ſi vigil anſer ex laſſitudine pugnæ dormientes Romanos non excitaſſet. Quapropter Ambroſius exprobrando eis ingratitudinem chriſtianæ proſperitatis, dicit, eos magis debere ſacrificare anſeribus, quam dijs Idem Auguſtinus. Os inferni in medio Vrbis horribiliter apparuit. de cuius exhalatione plures interfecti fuerunt. vbi, cum ſe Marcus Curtius armatus proieciſſet, ceſſauit plaga impiorum dæmonum.

Anno mundi IIII^{m} DCCLXXXIIII.

Linea Chriſti.

ΛXCCCC

Hebdomadę Danielis hic incipiunt. De his eſt grandis altercatio inter doctores, & labyrinthus maximus. Vide Hieronymum ſuper Danielem, & Lyram, & Vlricum lib. v. cap. iiij.

Porro Beda computat per annos lunares, & incipit a vigeſimo anno Artaxerxis.

Neemias vir benigniſſimus ac deuotione præcipuus, fuit pincerna Artaxerxis, regis Perſarum. Hic vigeſimo anno eius iuxta Dei voluntatem miſſus eſt ab eo, vt inſtauraret murum Hieruſalem, & ædificauit eam in anguſtia temporum. Expleto autem opere miraculoſe ignem ſanctum repererunt: & murum dedicauerunt. Deinde redijt ad Regem, & iterum reuerſus eſt Hieruſalem, & mortuus eſt, ibique ſepultus iuxta murum quem ædificauit. Vide in libro eius. Et hic finitur hiſtoria librorum qui ſunt de Canone.

Hieruſalem reædificatur a Neemia & alijs filijs Iſrael. & habet tres habitationes. Prima habitatio eſt communis populi, ſcilicet artificum laborantium in mechanicis. Secunda habitatio eſt nobilium & prophetarum. Tertia habitatio eſt regis & ſacerdotum. Item habet vi portas: quarum prima dicitur vallis Ioſaphat. ſecunda ſterquilinij. tertia vetus vel iudiciaria. quarta piſcium, vel Dauid. quinta fontis Siloe, vel aquarum. ſexta gregis, vel probaticæ piſcinæ.

Cratinus primus comicus, qui ſub ſpecie iocalitatis aperte vitia redarguit.

Archyta Tarẽtinus magiſter Platonis.

Alcibiades Socraticus.

Eudoxus aſtrologus.

Epicurus vorax.

Diogenes Alexandro potentior & ditior fuit: eo, quod quicquid dare potuit, contempſit: quicquid auferre vel inferre, non expauit.

Ludi scenici instituuntur, vt pestilentia cessaret Romæ. De his Augustinus multa tractat diligenter, improbando Deorum falsitatem, qui talibus ludis placari poscebant. Ita turpiter isti exercebantur, vt nedum honesti viri & fœminæ his interesse non vellent, sed nec vel de longe intueri. O sacrilegia Deorum, quibus nouella Romanorum indoles ad tanta crimina prauo trahebatur exemplo! ita pro depellenda temporali peste corporum, accersitus est perpetuus morbus animarum.

Tribuni loco consulum instituuntur. Verum hæc mutatio magnam perniciem reipublicæ inuexit: eo quod singuli cum imperatorijs insignibus processerunt, donec per vim coacti, huiusmodi fastum deponerent & tyrannidem. Nulla autem restat iam spes tranquillitatis adipiscendæ Romanis, nisi per solam patientiam, quam vera Dei sapientia Christus edocuit.

Darius nothus annis xix.

Iste Darius grauem manum misit contra Athenienses. vnde tandem contriti sunt qui supremi fuerunt, iuxta morem mutabilitatis humanæ. Sub eo Ægyptus recessit a Persis. Hic habuit fratrem nomine Cyrum bellicosissimum. Vide Orosium libro ij.

Mediolana ciuitas conditur, sic dicta, quia ibi tunc apparuit sus, quæ pro media parte portabat lanam pro pilis. Hoc modo omnia glorioſa mundi a paruis & pene vilibus ortum habent, & in idipsum tandem reuertuntur.

His temporib. Athenienses xxiiij literis vti cœperunt, cũ antea xvi tantũ literas haberent.

IIII^m DCCCIX.

Anno ante Christi natiuitatem CCCXC.

Bella Athenienſium famoſiſſima quaſi ſecunda Troiana, circa hæc tempora fuerunt: & conſumpti ſunt miſerabiliter, & in ſeruitutẽ redacti. quo modo perierũt qui dominabantur populis. Plato philoſophus diuinus nominatiſſimus claret: quem Auguſtinus extollit, quaſi vltra de diuina ſcriptura aliquid ſenſerit. Ariſtoteles diſcipulus eius fuit.

Eliasib

Iſte Eliaſib vel Eliſaphat ſucceſſit Ioachim in pontificatu, vt dicit Euſebius. Et vlterius communiter doctores ſequuntur Ioſephum, vt Magiſter dicit: quem ſe etiam Euſebius ſequi teſtatur.

Dionyſius Siculus tyrannus peſſimus de Sicilia expellitur. Hic erat diſcipulus Platonis: ſed nõ imitator. Quodam tempore vidua quædã paupercula pro ipſo dijs immolabat, obſecrans, quatenus diutius viueret: ipſo retro ſtante ſecretius, & admirante. Completo autẽ ſacrificio, accerſitam interrogans, ait, Cur ſic pro me oras, qui ſemper tibi moleſtus fui? Illa reſpondit, Domine, auus veſter tyrannus fuit, & vaccam vnam mihi abſtulit: & non retinui niſi tres: rogauiq; deos vt moreretur, ſi forte ipſo defuncto, filius eius, pater veſter, mihi eam reſtitueret: ſed ille peior, ne dum illam retinuit, imo vnam ſimiliter abſtulit: & remanſerunt mihi niſi duæ. iterum imprecata ſum contra eum vt moreretur, ſperans a vobis mihi reſtitui vaccas meas. vos autem peſſimus omniũ nihil mihi reddidiſtis: inſuper etiam afflictam afflixiſtis, vnam auferẽdo. Timui ergo ne poſt mortẽ veſtram adhuc crudelior veniret, qui hanc ſimiliter auferat: & fame moriar. Ideo deos exoraui pro vita veſtra: infeliciter experta, quod pene continue res in deterius dilabuntur. Hęc ſunt verba vetera, & noua practica, cuius experientiam non omnes æqualiter aduertunt. qui autem hæc patiuntur, a riſu ſe continere nouerunt.

Quinta ætas:

Iſte Camillus Furius dictus, extitit, qui afflictæ reipublicę magnifice ſubuenit, expugnando ſcilicet Veientes, qui per x continuos annos valde Romanos attriuerant. Hunc tantum virum poſtea ingrata ciuitas damnauit. Oroſius dicit hãc victoriam magis vtilem quam nobilem fuiſſe, quia ſine vllo digno Romanę virtutis teſtimonio, clandeſtina obreptione facta fuit. Nec ob hanc iniuriã deſtitit, quin rediret iterum de exilio, denuo patriam defendẽs. Et hoc magnum eſt exemplum patientiæ chriſtianis, ſecundum Auguſtinum.

dictator — Camillus — *Romani.*

Reges Perſarum. — Aſſuerus vel Artaxerxes annis xl.

Iſte Aſſuerus cognominatus eſt Mnemon, Darij & Paryſatidis filius a lxx: ab Hebręis autem Aſſuerus dictus: & habuit fratrem nomine Cyrum, quẽ poſt mortem patris in bello ſuperatũ occidit: quia niſi per lethale bellum libido dominandi nequibat mitigari: cum tamen tot terras poſſideret, quod merito plus quam c regib. ſuffeciſſent dominia earum. Hic primo Vaſti reginam pulcerrimã duxit in vxorẽ: quam tamen poſt abiecit, & Heſter virginem de ſtirpe Beniamin loco Vaſti ſumpſit, & Mardochæũ patruũ eius ſublimauit, Aman prius ſuſpenſo. Hic videtur homo pacificus fuiſſe, ſed nimis luxurioſus, vt patet in libro Heſter i & ij. Fertur etiã filios ccc habuiſſe, e quibus Darius, quem in regem ſublimauit, & xl alij nobiliores coniurarunt, vt eum interficerent iam ſenem, vt ſic licentius regnarent. quo comperto omnes fecit occidi. quia *per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Anno mundi

Linea Chriſti. — Azor

CCCLXVI.

Heſter hiſtoria hic texitur, ſecundũ doctores Latinos. Vide Lyrã hic, & etiã Daniel. cap. ix.

Mardochæus Iudæus vir ſanctus, clarus habetur: & primus poſt Aſſuerum in toto regno Perſarum: ſemper tamen humilis, & deuotus cultor Dei, & fratrum amator. Et, ſecundum hanc computationem Latinorũ, tempore exaltationis ſuæ fuit annorũ cclix. Vide Lyram.

Samnites medij ſunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam.

Pontifices.

Ariſtoteles audiuit Platonẽ xviij annum gerens. Hic poſt fuit magiſter Alexandri.

Demoſthenes orator fuit.

Speuſippus poſt Platonem Academiam tenuit.

Xenocrates ſucceſſit mortuo Speuſippo.

Hermes Triſmegiſtus, qui & Mercurius dictus eſt, fuit circa hæc tempora.

Lacedæmones (ipſi ſunt Spartani) expugnantur, & in ſeruitutem rediguntur: quorum improba dominandi cupido infinita mala ſuſcitauit.

Apuleius & Hermes diſcipuli Platonis, in templorum locis & porticib. verſantes, nihil aliud quam de virtutibus cogitabant: qui oculos effodiſſe leguntur, ne per eorum viſum a contemplatione ſapientiæ auocarentur.

Cobares philoſophus, qui ait, *In ſuo negotio quiſq; hebetior eſt, quam in alieno.*

Xenocrates grauiſſimus philoſophorum, & caſtiſſimus fuit.

Manlius Torquatus pugnam inchoauit atrociſſimam cum Gallis, percuſſoq; Gallo qui eum ad ſingulare certamẽ prouocauit, torquẽ auream de collo eius tulit, & ſuo impoſuit. Vnde ipſe & poſteri eius dicti ſunt Torquati.

Titus Quintꝰ

Gaius

Sub hoc Gaio facta eſt pugna Tuſcorũ, quorũ octo milia capti fuerũt.

Iſte Quintius dictator cruentiſſima cõgreſſione bellũ a Manlio inchoatum perfecit: & victor fidelis factus, in eadẽ paupertate permãſit, ſicut ante, iiij iugera ſuis manib. colẽs. Hunc in exemplum adducit Auguſtinus de ciuitate Dei, contra auaros & ſuperbos chriſtianos quoſdam.

Marcius.

Ochus an. xxiiij.

Arſamus anno i.

Iſte Ochus (qui & Artaxerxes) Ægyptũ reuocauit ad Imperiũ Perſarum, Nectanabo rege in Æthiopiã pulſo. & plurimos Iudæorũ in tranſmigrationem egit, & iuxta mare Caſpiũ collocauit: qui nimis creuerunt ibi. Hic etiã miſit Vagoſum principẽ trans flumẽ, qui tributa per Eſdrã dimiſſa repetijt, ſcilicet ſeptimi anni, ꝓpter ſabbatha terrę. Mirũ eſt, quomodo hic (vt putatur) filius Heſter, ita fuit Iudæis infeſtus. Marco Valerio (teſte Eutropio) euenit victoria contra Gallũ ſiue Gallos, propter coruũ qui inſidens eius brachio, eruit oculos Galli cum roſtro: ex quo poſtea cognomen ſumpſit, Marcus Valerius Coruinus. Ariſtoteles famoſiſſimus, & omniũ philoſophorũ ſubtiliſſimus claret, ſectamq; peripateticorum conſtituit.

Iste Arſamus (qui & Argus) ſucceſſit Ocho, & parum regnauit.

IIIIm DCCCXXXIIII.

Anno ante Chriſti natiuitatem CCCLXV.

Vagoſus præfectus Ochi templũ ſuperbe intrat, & ſpoliat, & tributa miniſtris Dei imponit, propter diſſenſionẽ pontificis cũ fratre ſuo Ieſu quem occidit. Sidon deletur ab Ocho, rege Perſarum. Erubeſce Sidon, ait mare.

Philippus rex Macedonũ, pater Alexandri putatiuus, per xxv annos tyrannidẽ exercet fractis ſacramentis, ita elatus, vt licere ſibi oĩa quæ cogitauiſſet, putaret. tandem doloſe occiditur.

Iudas.

Ioannes.

Iſte Iudas vel Ioiada filius Eliſaphat, fuit ſummꝰ ſacerdos tempore Mardochæi: cui ibidẽ epiſtolas miſit de obſeruatione dierum Furim, vt patet Heſter ix.

Iſte Iohannes filius Iudæ habuit fratrẽ qui dicebatur Ieſus, & aſpirabat ad pontificatũ. Quapropter familiaritatem Vagoſi præfecti trans flumẽ ſibi comparauit. Confiſus autẽ ſup hoc, altercari cũ Iohanne cœpit in templo: & adeo incitauit fratrẽ, vt eũ occideret.

Fabricius vir dignæ memorię, nulla potuit induſtria Pyrrhi regis a Romana ciuitate diuelli, promiſſa etiam quarta parte regni. tandem Pyrrhus ait, Hic ille Fabricius, qui difficilius a virtute, quam ſol a curſu ſuo auerti poteſt.

Quintus Curtius philoſophus. Hic contra Alexandrũ multis rationibus ſerioſe diſſeruit, eum increpando, *Si Deus es*, inquit, *beneficia largire, non auferas: Si homo, ſemper id cogita, alijs poſtpoſitis.* Calliſthenes philoſophus condiſcipulus Alexandri ſub Ariſtotele, ab eo occiditur: quia eum pro Deo non adorauit. & multas tyrãnides ſimiles idem Alexander perfecit, magis ductu propriæ complacentiæ, quam rectæ rationis: quod valde commune eſt apud potentes: indignanter accipiunt, ſi quis proferat vel faciat quæ eis non placent. quod periculoſiſſimum eſt & ſibi & alijs.

Quinta ætas:

Minucia virgo veſtalis, propter inceſtum viua ſepulta eſt. Hæc & ſimilia allegari ſolentia exemplum chriſtianis, quã legaliter & diſtricte vitia etiam apud gentiles puniebantur.

Marcus

Iſte Marcus cum v^m Romanis pugnauit cõtra Gallos, quos in fugam vertit, & grauiter trucidauit.

Manlius.

Iſti duo conſules contra Latinos pugnantes, Decius occiſus fuit, & Manlius triũphauit. Sed quia proprium filium occidit, ſolitas laudes nõ habuit. Ille namq; filius cõtra imperiũ conſulũ pugnauit cõtra hoſtes, & quãuis victor extitit, tamẽ propter inobedientiã virgis cæſus, & capite punitus fuit. Hoc in laudem patris Auguſtinus allegat.

Romani.

Valerius.

Decius.

Reges Perſarum.

Darius an. xxiiij.

Iſte Darius potẽtiſſimus auſus eſt a Græcis tributa expetere. Quę fuit occaſio deſtructionis totius monarchiæ Perſarũ, quæ hîc tranſlata fuit ad Græcos, iuxta prophetiã Daniel. Fertur q; amiſerit quinquies decies cẽtena milia bellatorũ, quos oẽs Alexander de Perſis occidit. Circa hæc tẽpora dicit Oroſius q; nox vſq; ad plurimam diei partẽ tendi viſa eſt: & ſaxea grãdo, i. veri lapides de nubib. deſcendentes, terrã feriunt.

Dedicatio prima apud Romanos. Nota quod Romani vſq; ad iſta tẽpora nunquam ſe capi permittebant, vel in ſeruitutẽ redigi ſed aut vinci aut occidi maluerunt. Sed circa hæc tẽpora, hæc eorũ animoſitas ſedata fuit a Samnitis. Verũ Papirius hoc ſcandalũ amouit quando poſt vicit Samnitas, licet maius dedecus, ſcilicet periurij, tũc Roma cõtraxit.

Anno mundi IIII^M DXXXLIX.

Linea Chriſti.

CCCXL.

Alexander naſcitur ex Olympiade, vxore Philippi regis Macedonum, adultera per Nectanabum necromanticum, regem Ægypti; qui per incantationes illudebat ei, quaſi Deus Amon concubuiſſet cum ea. Hoc colludio potentum adulteria & ſtupra ſolebant excuſari, aut etiam honorari: ſed pauperum capitali pœna feriebantur.

Exercitus Darij primus dc^m: ſecundus xxx^m peditum, & centum milia equitum: tertius ccc^m peditũ, & centũ milia equitum. Et in hoc tertio congreſſu Darius lethaliter vulneratus cũ fugeret, miſerabiliter ſolus in via derelictus obijt, Alexandro prę-ſente. quẽ licet inani miſericordia, tamen regali cum honore ſepeliri iuſſit.

Pontifices.

Iadus.

Iſte Iadus irato Alexandro occurrit pontificalibus indutus: & placatus ſubito rex de equo deſcẽdit, venerabatur antiſtitem, & cũ pace & gaudio intrauit ciuitatẽ, fecitq; ſibi afferri codicem Danielis, & exponi prophetiam quæ de ipſo loquitur. Quibus peractis, gauiſus eſt valde: quia omnia quæ per ſomniũ anteviderat, debito ordine complebantur. Et viſum eſt ſibi, quod ipſe eſſet ille de quo hæc prophetata fuerunt. & maiorem ex hoc ſumpſit audaciã pugnandi contra Dariũ: oblatoq; ſacrificio iuſſit petere Iudæos quæ vellent, & conceſſit vt ſuis legibus vterentur, & quod ſeptimus annus eſſet abſque tributo, propter ſabbatha terrę. Vide Auguſtinum.

Menander comicus.
Speuſippus philoſophus.
Antiochia, Edeſſa,
Seleucia, ciuitates condũtur.

Philemon philoſophus.
Menedemus philoſophus.

Iste Papirius, cum adhuc puer esset, prudentissimus fuit, & pulchrũ mendacium finxit, vt matri celaret secretum consulatus. Cum autem vir factus esset, adeo bellicosus fuit, vt Alexandro, cuius aduentum Romani formidabãt, merito obijceretur, nec quicquam de dijs curabat, sed augures infaustam prædicentes deridebat: & hoc in magnam eius laudem referunt doctores sancti: quia in hoc se virum prudentem & magnanimum ostendit.

Papirius

Alexãder Magnus monarcha Græcorum an. xij.

Ptolomęus rex Ægypti

Philippus

Iste Philippus fuit rex Macedonum, frater Alexandri, secundum Hieronymum.

Reges AEgyptiorum.

Iste Alexander Magnus dictus propter mirabilem victoriam, quam habuit de toto mundo, quasi in breui tempore: quod euidens fuit iudiciũ iræ dei contra peccatores illius temporis. Nam aliqua miracula ostendit sibi deus adiuuando manus eius: quia mare Pamphylicũ sibi diuisum fuit, sicut olim mare rubrum Iudęis, quando persequebantur Darium. Etiam oratione fusa montes Caspij clausi sunt, & Iudæi quidam peruersi inclusi. Tandem in Babylone hausto veneno moritur, anno ætatis suæ xxx, anno monarchiæ v, Macedonum xij. Hoc modo multæ historiæ concordant.

annis xl.

Antigonus

Non fit hic prosecutio de hoc in prophetia Daniel. Ergo nec sancti doctores intromittunt se de vlteriori annotatione.

IIIIm. DCCCLXXXIIII.

Sadoch.

De hoc nihil habetur, nisi quod cum aliis numeratur. Matth. i.

Anno ante Christi natiuitatem CCCV.

Nota, quod defuncto Alexandro cum xij illi quibus regnum diuisit inter se non possent concordare, infinita bella surgunt, & multiplicata sunt mala super terram vltra modum. Tandem contritis aliis, isti iiij, scilicet Antigonus rex Assyriorum, Ptolomęus Lagi filius rex Ægypti, Philippus rex Macedonum, & Seleucus rex Syriæ, obtinuerunt potestatem, iuxta prophetiam Danielis. Vide Orosium. De regno vero Ægypti principaliter hic fit prosecutio: quia Iudæis quandoq; infesti, quandoq; fauorabiles fuerũt reges ipsius. Quod ideo euenit, quia reges Syriæ pene semper cum Ægyptijs pugnabant: Israel autẽ in medio eorũ iugiter affligebatur quocunq; se verteret, iam ab hoc iam ab illo. Et primo iste Ptolomæus eos grauiter afflixit, eosq; capiens dolose vendidit. Et hac occasione dispersi sunt in nationibus, vt patet Actuum ij: ipse autem impunitus non euasit. Vide Orosium.

Reges Syriæ.

Iste Seleucus vel Nicanor,

Tempora horrendissima. Vndiq; vox sanguinis, & clamor pugnæ. Mira dei patientia.

Seleucus

filius Antiochi, post multa bella cum Babyloniam deuicisset, totius Asiæ diadema sibi imposuit anno xij post mortem Alexandri. Et ab hac æta-

te scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat, vt dicit Eusebius.

Exercitus Alexandri (vt dicit Orosius) fuit peditũ xxxijm, & equitum iiijm. Naues clxxx. Ac tam parua manu vniuersum terrarũ orbem, vtrum admirabilius sit, quia vicerit, an quia aggredi ausus fuerit, incertum est. Summa occisorum de Persis, ab exercitu Alexandri admodum paruo, fuere quinquies decies centena milia. Hæc idem. Alexandriæ xij, ab Alexandro conditæ sunt, scilicet, quolibet anno regni eius vna.

Quinta ætas:

Horum Cõſulum tempore territi ſunt Romani, quia iiij populi Italiæ contra eos in vñum fœdus coierunt, quos tamen ſubtiliter paulatimq; vicerunt. Vide Oroſium.

Romani.

Fabius — Dolabella. — Æmilius. — Curius — Decius — Domitius.

Horum tẽpore cviij^{m} Romanorum a Gallis occiſa ſunt: nec apparet, quando Romani iuſtum bellum habuerunt.

Iſte cum Romanis cõtra Tarẽtinos iuſtiſſimũ bellũ egit, auxiliũ ferente Tarentinis Pyrrho rege Græcorũ. Bellatum eſt vltra iiij an. tandem victo Pyrrho & in patriam redeunte, miſerabiliterq; moriente, Tarentini cum Carthaginenſib. fœdus inierunt. Ex hoc Punica bella inchoata fuerunt. Peſtilentia grauis Romæ fuit: quæ ſemper breues inducias ibi habere conſueuit. Verum hæc nimis magna fuit, præſertim in mulieribus & pecoribus, ita vt etiã in vtero cõmuniter necarentur, animaliumq; genus defecturũ putaretur.

Iſte tertiũ bellũ cõtra Epirotas geſſit, & ceſis xxiij^{m} Pyrrhum fugauit.

Marcus

Reges Ægypti.

Ptolomæus Philadelphus an. xxxviij.

Iſte Philadelphus rex deuotus, & vnius veri Dei cultor, valde gratioſus erat Iudęis. quorum clxxx^{m} ſoluit a captiuitate, & libertate præſtita plures exaltauit. Hoc autem totum fecit, vt placaret ſibi deum Iſrael, cuius mirabilia audiuit, & legem habere deſiderauit. nec potuit transferri in aliam linguã niſi a deuotis & dignis cum debita reuerentia & ſolennitate. Quidam namque attentauerunt eam inferre in hiſtorias ſuas, quos diuina plaga tetigit donec pœniterent. Hic vero miſit ad Eleazarum, vt doctos & idoneos viros ſibi deſtinaret: quod libenter fecit.

Anno mundi IIII^{M}. DCCCCIX.

Linea Chriſti. Achim.

CCX

Hoc tempore Romani Samnitas poſt multa damna oppreſſerunt. Proprium enim eis fuit nihil proſpere ſecũ agi, niſi poſt longiturnos labores & pericula. vnde dicit Auguſt. quod multo vixiſſent felicius Romani, ſi depoſito faſtu dominandi morẽ ſimpliciũ ſectati eſſent.

Iſte Onias fuit filius Iadi.

Pontifices. Onias — Simon

Hic propter ſanctitatẽ vitæ ſingularem, fuit Iuſtus populo cognominatus. quod frequenter contigit plurib. aliis. Hic Oniam adhuc puerum reliquit.

Olympias mater Alexandri Magni, mulier tyrannide plena, occiditur, & mortẽ imperterrita ſuſcepit ſine omni ſigno muliebris pauoris, ſicut filius eius fortiſſime mortuus fuit. Mira conſtantia in fœmineo ſexu propter humanæ laudis extollentiam.

Reges Syriæ. Antiochus

Ab hoc Antiocho, qui erat ſecundus rex Syriæ poſt Alexandrũ Magnũ, omnes ſequentes reges Syriæ dicti ſunt Antiochi.

Soſtratus Pharum in Alexãdria conſtruxit in mari. Eſt autem Pharus turris maxima paſſus xx habens, fundata in mari ſuper vij cancros vitreos. vnum de ſeptem mirabilibus mundi. Fulgor rationalis circa hæc tempora ceſſauit, ſecundum Ioſephum: quia appropinquante ſole defecit aurora, id eſt, Chriſto, qui infallibilem veritatẽ docturus proxime venturo figuralis conſultio terminata eſt. Vide magiſtrum ſuper eo.

Chryſippus Philoſophus. Hic dixit, quod ſtultus nulla re ſcit vti, vt contra ei nulla re opus eſt.

Iste Rheginorū vrbem cepit, & legionē militum Romanorū Romæ misit, qui omnes virgis cæsi & securi percussi sunt a ciuibus in medio fori. quia nō legitime se habuerunt. Ita stricte tunc Romæ iudicabatur, vt nec victoribus parceretur, si in modico excederent.

Genutius.

Iste aduersum Picentes bellauit, & terra tremuit, quasi sanguinem fundendum horreret accipere: & pene omnes ab vtraque parte corruerunt, & paucis Romanis quasi victoribus exceptis.

Sempronius

Iste Appij Syracusanos & Pœnos superauit, & multam imposuit. Viam Appiā strauit, aquas Claudias induxit.

Appius

Claudius.

Iste fraude circumuētus Hānibalis interfectus est ab eo.

Gneus.

Hic totum exercitum Hānibalis conterens eum in fugam conuertit.

Gaius.

Prodigia magna Romæ fuerunt. Fulgura ædes, muros, mœnia &c. combusserunt. Flamma scissa hiatu terrę eructata v iugera exussit. Item nō longe post, fontes versi sunt in sanguinem, & lac de cœlo visum est manare.

Ptolomęus Euergetes an. xxvij.

Iste Euergetes fuit filius Philadelphi, & totus victoriosus. Hic post vastatam Syriam & Siciliam, & partem Asiæ, inter innumera spolia quæ cepit, etiam deos eorum quos Cambyses in Persas transuexerat reuexit: ideo Euergetes dicitur, quod reuectionem sonat.

Hannibal senior primum bellum Punicum inchoauit, qui semel & iterum superatus a Romanis, tandem ab exercitu suo lapidibus obrutus moritur. Infortunatus fuit.

IIII^{M}. DCCCCXXXXIIII. IIII^{M}. DCCCCLIX.

Anno ante Christi natiuitatem CCXL. CCXCV.

Septuaginta interpretes legem transferunt de Hebræo in Græcum, cum grandi miraculo. tot viri in lxxij diebus totam sacram scripturam interpretati sunt, cum summa concordia, spiritu sancto omnia præsidēte &c. Vide Augustinum xviij de ciuitate Dei pulchre. Verum Hieronymus non per omnia concordat, vt patet in eius prologo super Biblia.

Eleazarus.

Iste fuit frater Simonis, & misit Ptolomæo lxxij viros prudentes ad interpretandum legem, de qualibet tribu vj. Quod autem dicuntur lxx tantum, vsus sacræ scripturæ obtinuit, quæ quandoq; subticet paruū numerum excrescentem super aliquam summam.

Onias.

Iste Onias filius Simonis Iusti, zelo legis, vel potius ex auaritia tributa negauit Euergeti, propter quod tota Iudęa pene fuisset periclitata, vt dicit Iosephus, qui eum inhonorū fuisse testatur, &c.

Antiochus.

Iste Antiochus pugnam grauissimam habuit contra Philadelphum regem Ægypti. Et quia non potuerunt in concordiā bellando peruenire, per alium modum pacificati sunt. Accepit enim Beronicen filiam regis Ægypti in vxorem, iuxta prophetiam Danielis. Vide Hieronymum ibidem.

Crates Thebanus auri pondus proiecit in mare, malens submergere diuitias, quam ipse submergi ab eis.

Erasistratus medicus, & consul clarus habetur.

Iſte Regulus primum totus victorioſus iij reges vicit,& lxxiij ciuitates ſubegit:ſerpentem maximum cxv pedum extinxit. tandē cum nimis rigidus eſſet contra hoſtes,nolens pacem dare, niſi ſub magno tributo, ipſi deſperati cōgreſſi ſunt cum eo,& contrito exercitu ceperunt eum,& adhuc libenter pacem habuiſſent: ſed vir fideliſſimus maluit mori in magnis pœnis,quam pernicioſam pacē dare.eius laudes Auguſtinus valde extollit. Narrat Valerius libro iiij,quod ab aratro accerſebantur,vt conſules fierent. vnde refert Attilium, quem ſemen aſpergentem viderant qui miſſi erant a ſenatu ad eum accerſendum, & ad imperium populi ſuſcipiendum: ſed illo ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicam ſtabilierunt,& ingentes hoſtium copias poſſederunt. quiq; more arantiū boum iugum rexerunt,triumphalis currus habenas retinuerunt.Nec defuit his robur, eburneo ſceptro depoſito,agrum ferre,ſtipem ab aratro repetere. Patriæ enim bona, nō ſua,vnuſquiſq; agere properabat,pauperq; in diuite,quam diues in paupere verſari malebat. Et his virtutibus olim Romana indoles pollebat. Quare non immerito totius mundi monarchiam meruerunt.

Regulus

Attilius

Romani.

Ptolomæus Philopatoran.xvij.

Reges Ægypti.

Ælius

Isti duo dolentes de Reguli captione, eū liberare venerunt,ſed nihil profecere.

Fabius

Iſte fuit filius Euergetis, & pugnauit cōtra duos fratres, ſcilicet Seleucū & Antiochū Magnū, & ſuperauit, deijciēs multa milia,& tamen non prævaluit. Vide Hieronymum ſuper Danielem.

Anno mundi

Linea Chriſti.

Eliud

Ioſephus legatus populi Iudaici,etiam inuito Onia iram regis mitigauit,& ab eo conſtitutus eſt dux Iudææ & finitimarum nationum.Hic habuit filium paruulum Hyrcanum nomine, cuius ſtupendū ingenium pater pulchre explorauit,dando ipſi ccc iuga boum ſine loris,vt araret & ſeminaret in deſerto. At puer non puerile conſilium excogitauit.nam x iuga occidit,carnes operariis dedit,& de pellibus retinacula fecit.

Pontifices.

Nemo glorietur, etiamſi a Deo aperte ad officia promoueatur:cum neſciat quid in occulto Dei tremendo iudicio de ſe diffinitum ſit.

Simon

Iſte Simon Oniæ filius magnas laudis prærogatiuas habet.EccleſiaſticiL. qui templū in melius reformauit, & ciuitatē prævaluit amplificare, & religioſus totaliter fuit.

Reges Syriæ.

Antiochus

Iſte Antiochus dictus Callinicus erat filius Antiochi Θεὸς de prima vxore Laodice,quæ virum ſuum veneno extinxit,& Beronicen cum filiis ſuis occidit, iſtumq; Callinicum filiū ſuū pro patre regnare fecit,& propter hoc Euergetes horribiliter vaſtauit Syriam.

Porro iſte Callinicus duos filios reliquit,ſcilicet Seleucum & Antiochum Magnum,qui ambo regnauerunt.

Ptolomæus Philopator Iudæos vicit,occiſis lx milibus armatorum. Et nota, quod Iudæi diuina permiſſione quaſi ſine intermiſſione affligebātur,ne in idololatriam caderent, ſicut olim ſolebant.

Iste per multa bella & crebras victorias adeo contriuit Carthaginẽses, vt pacem peterent: quã etiã magnis pactis cõsecuti, non diu seruauerunt.

Lucta-tius

Sẽpronius

Valerius

Annus pacis hoc tempore fuit post primũ bellum Punicum, & quasi pro miraculo reputatũ est, quia in ccccxl annis nunquam pacem habuere Romani.

Horũ tempore contra Faliscos & Gallos varia sorte bellatum est: post quæ per vnum tantum annum viscera Romana sanguinem non fuderunt.

Fuluius

Iste Fuluius Illyricos vicit, cuius tẽpore Amilcar dux Carthaginensium, pater Hannibalis, ab Hispanis occisus est.

Epiphanes

Portenta quædã Romanos terruerunt, quasi prophetando eis mala proxime vẽtura ab Hannibale.

Cleopatra filia Antiochi Magni erat vxor eius, quam accepit dum esset annorum xiij.

Iste Epiphanes fuit filius Philopatoris, & mortuo patre suo, fuit iiij annorũ. quare Antiochus pugnauit contra duces eius, & tulit omnia de manu eius præter Ægyptũ. Cum autem esset annorum viij, despondit ei filiam in dolo, consentiente Epiphane filio suo. i. Antiocho nobili. Mortuo autem Antiocho Magno, filius eius antiquum dolum persequitur, & istum Ptolomæum Epiphanem occidit dolose in conuiuio: sed non obtinuit Ægyptum, quia Ægyptij fortiter resistentes turpiter fugarunt eum.

Plaga grandis ex aqua & igne vrbem consumpsit quasi.

Colossus corruit propter terræmotum. fuit enim imago ærea fusilis cxxvi pedum.

IIIIM. DCCCCLXXXIIII.

Anno ante Christi nativitatem CCXV.

Iesus Sirach librum Ecclesiasticum edidit, quem Panareton vocant: a Pan, quod totum, & arete, quod est virtus, quasi totus virtuosus.

Iste Onias propter tyrannidem Antiochi aufugit cum multis Iudæis in Ægyptum, simulans se velle implere prophetiam Esaiæ xix. videlicet ædificando templum: sed in hoc peccauit superstitiose agendo. Rex autem Epiphanes gratiose susceptit eum, tradens ei terram Heliopoleos, & templum extruxit.

Onias

Reges Syriæ.

Seleucus

Iste Seleucus Ceraunus dictus, filius Callinici, occiditur anno tertio.

Antiochus

Nota quod isti duo fratres, scilicet Seleucus & Antiochus volentes vindicare sanguinem patris sui & auiæ quos interfecit Euergetes rex Ægypti, exercitum magnum ducunt contra Philopatorem filium Euergetis: sed ante congressum Seleucus moritur, & tunc Antiochus prosequitur bellum, & totum exercitum perdidit, vix aufugiens ne caperetur. rursumq; congregans populum, venit contra Epiphanem filium Philopatoris adhuc puerum iiij annorum, & habuit secum Philippum regem Macedonum & multos alios, & obtinuit contra duces Ptolomæi, id est pueri prædicti, fugauitque Scopam ducem eius, & Iudæam cum multis aliis acquisiuit ciuitatibus, & Oniam grauauit adeo, vt fugeret. & quia armis Ægyptum capere non poterat, dolose despondit Epiphani filiam suam Cleopatram, cogitans vt sic quasi amicus regnum intr. *.

Quinta ætas:

Hi cõsules robur totius Italiæ congregãtes habuere in exercitib. suis dccc milia armatorum, propter timorem Gallorũ, quos valde timebãt: tandem Galli contriti sunt.

Lucius

Gaius

Romani.

Bellum Punicũ quod durauit an. xvij. Scipio prius occurrit, & cæsus est pene ibi Romanꝰ exercitꝰ, post Sempronius similiter superatur: deinde Flaminius occiditur cum exercitu xxvᵐ.

Scipio

Flaminiꝰ. an. xvij.

Roma in mærore. Tot enim fuerũt occisi, quod vrbem pene reliquissent.

Paulus

Isti cõgressi sunt contra Hannibalẽ, & ibi tota spes Romanorũ periit occisis xliijᵐ, & post continue superatur vsq; ad desperationẽ.

Terentius

Reges Ægypti.

Philometor annis xxxvij.

Iste Philometor filius Epiphanis ex Cleopatra fuit. Hunc dũ adhuc puer esset valde oppressit Antiochus Nobilis multis dolis & insidiis: sed Romani miserũt legatos, qui mandantes Antiocho, ne vltra infestus esset amicis eorum, causam belli terminarunt. Marcus namq; Popilius circulum fecit in circuitu Antiochi, dicens: Senatus populusque Romanus præcipiunt tibi, ne egrediaris de hoc circulo, donec respondeas. Videns ergo impius, quod tyrannidem continuare non posset, ait: Si sic visum est Senatui & populo Romano, recedendum est. Dimissa ergo obsidione Alexandriæ furibundus ad pauperculas Iudæorum reliquias diuertit, vindicans in eos quod non potuit in potentiores se, vt patet in libro Machabæorum primo.

Anno mundi — Vᴹ. XXXIIII.

Linea Christi.

Eleazar

CXCV.

Templũ Domini in Ægypto extruitur ad instar Hierosolymorũ, quod permansit vsq; ad Vespasianum, & tunc funditus dirutũ fuit.

Plautus eloquens fuit.

Titus Liuius tragœdiarũ scriptor floridissimus: forte plures fuerunt sic vocati.

Pontifices.

Simon

Iste Simon filius Oniæ pontificatum tenuit post fugam patris sui.

Iason

Menelaus

Alcimus

Isti iij quamuis de genere sacerdorali fuerint, non sunt ponendi in linea pontificũ propter idololatriã & opera pessima nec debite intrarunt, vt patet in multis locis libri Machab.

Onias

Iste Onias dictus pius, vir sanctus, fuit gratus Deo & hominibus: nedum bonis sed etiam dyscolis. tan-

Reges Syriæ.

dem iniuste occiditur ab Andronico, ij Machabæorum iiij.

*intraret ad spoliandum. sed non prævaluit, quia res innotuit eis. Tandem cum præsidium Hannibali ferret contra Romanos, superatus est, & tributarius factus Romanis. nihil post infortunij visus est habuisse. Nam cũ superiores prouincias peruagaretur, & in Persidẽ veniisset, deceptus a sacerdotibus templum Naneæ intrauit cum paucis, & ibidem miserabiliter occisus est, & membratim diuisus, vt patet ij Machabæorum i. Et reliquit duos filios, scilicet Seleucum, qui primo regnauit, & Epiphanem. Hi ambo sic pessimi fuerunt, quod in eorum comparatione aliquid honestatis ipse putabatur habuisse.

Prouerbiũ notabile Scipionis Africani fuit, Romanos non extolli in prosperis, nec deijci in aduersis. Item, nunquã minus solus sum, quã cum solus sum: nec minus ocioſus sum, quam cum ocioſus sum.

Scipio

Iſte glorioſiſſimus adoleſcens, annos natus xxiiij, quaſi ſecundus Machabæus miſerante Deo, ſtatum Romanæ reipublicæ iam prolapſum, contra ſpem in ſpem erexit, Hannibalem fugauit, ſuperauit Hiſpaniã, Africam deuicit, Antiochum Magnum in ſeruum redegit, Aſiam tributariam conſtituit. hic tantus ab ingrata patria exul moritur.

Quintus

Hic bellũ Macedonicũ confecit, ſuperatoq; Philippo rege,

Flaminius

pacem dedit. Et hic ceſſat regnũ Macedonum: vicit etiam Lacedæmones, & venditos Romanos collegit.

Terentius comicus clarus habetur.

Hannibal atrociſſimus Pœnorum, (id eſt, Africorum) rex, cum eſſet annorum ix, iurauit patri ſuo ad aras, quod in odium Romanorum ſibi ſuccederet: quod fideliſſime impleuit infideliſſimus ipſe. Nam Romanos pene in exterminium deleuit, vrbem etiam vſque ad ſolitudinẽ deduxiſſet, ſi nõ diuinitus impeditus fuiſſet. nobilium Romanorũ tot vna vice peremit, vt tres modios annulorum e digitis eorum extraheret. Item, in flumine quodam de corporibus Romanorum quaſi pontem fecit, vt exercitum ſuum tranſduceret. Tandem a Scipione victus, ſæpeque fugatus, miſerabiliter ſe veneno peremit.

Acies igneæ videbantur in aere ſuper Hieruſalem diebus xl, & ſequitur plaga: ij Machabæorum v.

Heliodorus intrauit templum ad ſpoliandum ærarium, ſed diuinitus percuſſus, vix ad vitam rediit, orante pro eo Onia, vt patet ij Machab. iij.

Anno ante Chriſti natiuitatem.

Triumphi Romæ tres celeberrimi circa hæc tempora fuere ſimul, ſcilicet, Africani ex Africa: Aſdrubal ante currum. Metelli ex Macedonia: Andriſcus, qui & Pſeudophilippus, ante currum. Mummij ex Corintho: ante currum ſigna ænea & tabulæ pictæ, & alia vrbis inſignia ſunt prælata.

Iſte Seleucus iners filius Antiochi Magni, fuit paup homo, groſſus & deſpectus, indignº honore regio. Peſſimus fuit ſicut pater eius, & parũ regnauit: quia frater eius regnum fraudulenter arripuit. Hic etiam Heliodorũ miſit ad ſpoliandum templũ. qui bene correptus vacuus rediit, vt patet ij Machab. iij. Nota quod occaſione huiº ſchiſmatis multa mala oriuntur, quouſq; regnum Græcorum. i. Syriæ per Romanos in prouinciam redactum fuit.

Seleucus

Mathathias

Antiochus

Iſte vir ſanctus, & omni laude digniſſimus, percuſſit zelo ſuo peccatores, cõfiſus in domino Deo Iſrael, vt patet 1 Machab. ij. & habuit filios quinq; eiuſdem zeli. Verum ipſe non erat pontifex, ſed tres filij eius.

Iſte Antiochus dictus Epiphanes. i. nobilis, filius Antiochi Magni, a capite vſque ad pedes, intus, foris, totus nequàm fuit, & ob hoc figura antechriſti dicitur. Hic martyres plures fecit crudeliſſime. doloſe Ægyptum intrare diſpoſuit, ſicut pater eius: ſed non perfecit. quia Romani poſuerunt frænum in naribus ſuis. tandem ſine manibus cum inutili pœnitentia cõtritus eſt. Eius opera peſſima, & quomodo obſes fuerit Romæ, & qualiter prophetia Daniel. completa ſit in eo, vide in libris Machab. & doctoribus ſuper Danielem.

Quinta ætas:

Hierusalem destruitur & penitus desolatur ab Antiocho Epiphane, templũ incenditur, sed paulatim per Iudam & fratres eius reformatur.

Marcus

Horum tempore lex illa quæ sub Appio Tribuno lata fuerat, ne qua mulier aliam quam semiuntiam auri

Tiberius

Isti Hispaniã expugnauerũt

Romani.

Cato

haberet, & ne diuersi coloris vestimento, nec vehiculo per vrbem veteretur, abolita est.

Statius Cęcilius comœdiarum scriptor.

Gracchus

bellis horridis.

Reges Ægypti.

Euergetes an. xxviij.

Hic fuit filius Philometoris, & frater Cleopatræ vxoris Alexandri regis Syriæ, de quo habetur 1 Machab. x.

Aristobulus Iudæus peripateticus philosophus, qui ad Philometorem explanationum in Moysem scripsit commentarios.

Bella continua & plurima fuerunt adeo, quod tædet doctores tam gentiliũ quam Christianorum ea ad memoriam reuocare. In quibus miranda est cõstantia Romanorum vel duritia, quod nulla tribulatio, nullus metus eos terrere potuit, quod aliquando se subdidissent quantumlibet potentissimo regi: sed omnibus se sine intermissione opponentes, varias fortunæ mutationes experti sunt. Amor namq; libertatis, & appetitus laudis cum obseruatione nihilominus honestatis secularis districtissima, ita medullitus transfixit eos, vt pro his res & substantiam, & tandem ipsam vitam dare paratissimi fuerint. & ob hoc Machabæi desiderabant eorum societatem.

Anno mundi

Linea Christi.

Templum purgatur a Iuda & fratribus eius, postquam tribus annis prophanatum erat, vt patet 1 Machab. iiij. & ij Machab. x.

Septem Machabæi cum matre fidelissima martyrizantur, ij Machab. vij.

Eleazarus cum multis aliis glorioso martyrio coronatur, ij Machab. vi.

Pontifices.

Iudas an. iij.

Hic est ille nominatissimus triumphator in Israel, qui nec similem habuit ante se nec post. eius opera glorioſa & magnifica vide in libris Machabæorum. Postea in bello strenue stans, cecidit

Ionathas an. xix.

Reges Syriæ.

Antiochus

pro legibus sanctis, martyrem se Domino offerens. & successit ei frater ipsius Ionathas, qui creuit in gloria, & fideliter stetit in testamento, tandem dolose occiditur a Tryphone cum duobus filiis suis.

Iste Antiochus Eupator, filius Epiphanis adhuc adolescens, habuit tutorem Lysiam, & cum glorioſum exercitum contra eos duxisset, non longe post ambo a suis occisi sunt, propter timorem Demetrij filij Seleuci, vt patet 1 Machabæorum vij.

Deme trius

Iste Demetrius filius Seleuci tanquam verus hæres intrauit regnum Syriæ, & occiso Eupatore semper Iudæis infestus fuit. tandem pugna inita contra Alexandrum filium Eupatoris, occubuit.

Tempore horum Consulum magnũ bellum Macedonicum fuit, in quo primo Romani succubuerunt, deinde iterum conflictũ est, & pari clade vtriusq; partis in hyberno, id est hyeme, discessum est. tertio Lucius regem vicit, qui postea apud Albam in custodia defecit, & filius eius iunior didicit opus manuale Romæ ad tolerandam inopiam.

P. Licinius

Lucius Æmil.

Longinus

Paulus

Scipio Nasica prudentissimus Romanorum inter cætera duo valde notabilia dedit consilia, memoriæ digna: primo, ne Carthago deleretur, quatenus occasione extrinseci belli interna concordia & fortitudo pertua propter continuũ exercitiũ apud Romanos perseuerarent. secundo, ne in vrbe aliquo modo theatrũ constituerent, quia inimicissimum hoc esse dixit bellatori populo ad nutriendam desidiam, lasciuiæq; commentũ. Quam sapienter hæc cõsuluerit sequẽtia tempora declararunt. Vide Augustẽ de ciu. dei, & Orosium lib. ij. mirabile remediũ vitiorum. Nota quod nulla alia causa fuit, quod sic creuit potestas Romanorũ sup alios, nisi quod virtutes quæ exuberabãt, in eis micabant, & præcipue iustitia, quam summe colebant. & quandiu seruauerunt modestiã, & dilexerunt iustitiam, inuicti semper vbiq; manserunt: corrupti vero, vbiq; faciliter deuicti leguntur. In quadã etiam reuelatione diuinitus facta beatę Brigittę habetur, quod Dominus testimoniũ perhibet ipsis antiquiorib. Romanis, quod nusquã homines in mundo ex puris naturalib. iustius vixerũt. qualia autem luminaria ex eis tẽpore christianitatis resplenduerunt, in sequentibus patebit.

Reges Ægypti qui per hanc lineã cõtinuãtur, semp habuerũt sõcietatẽ cũ Romanis, & tãdiu regnabãt, quandiu ipsis fidelitatem seruabãt.

VM. LIX.

Nathan

Anno ante Christi natiuitatem CXL.

Cicero Arpinas nascitur, matre Helena, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere.

Iste Simon vir prudentissimus, ab adolescentia sua vsq; in seniũ optime cõuersatus, semper victoriosus, tandẽ nequiter occiditur a genero suo, vt patet 1 Machabæorum vltimo. Fuit autem filius Mathathiæ, & rexit annis viij.

Simon an. viij.

Iste Alexãder filius Epiphanis semp gratiosus fuit Iudęis, & apparet eum meliorem fuisse inter omnes reges Syriæ, de quib. pauca virtuosa, aut nulla referuntur. Hic Cleopatram filiam regis Ægypti accepit in vxorem: verũ rex Ægypti inique egit contra eum, propter quod rex Arabum timẽs ipsum Alexandrum decollauit, vt patet 1 Machabæorum x & xi.

Alexãder

Iste Antiochus filius Alexandri adhuc puer, suadente Tryphone, aliquid molitus est pro recuperatione regni, sed parum profecit, iuxta illud: *Semen impiorum peribit*. quia statim ab eo occiditur. Tryphon autem cum pessime se in omnibus gereret, omnis exercitus eũ dereliquit: factusque profugus, nullibi tutum reperit locum.

Antiochus

Tryphon

Demetrius

Iste Demetrius satis creuit in breui tempore propter regem Ægypti, qui alienauit se ab Alexandro & refauebat ipsi. & quia ambo sunt statim mortui post dissensionem, ideo quieuit terra paulisper in conspectu Demetrij. tandem capitur a rege perfide, & incarceratur.

Quinta ætas:

Anno ab vrbe condita dcij, inchoatum est tertium bellum Punicum tempore horum Consulum, & finitum anno iiij.

Lucius Licinius — Lucius Cẽsorin⁹

Seruius Fuluius

Horum tempore puer ex ancilla nascitur quadrupes, quadrimanus, oculis iiij.

Romani.

Aulus. — Marcus. — Flaccus.

Ætna mõs igneus flammas euomit horribiliter, & loca vicina vastauit. quinta. Scipio Numantiã deleuit.

Reges Ægypti.

Ptolomę us Soter an. xvij.

Horum tempore Celtiberi Romanos triuerunt, & Scipio Publius in Africã iuit, ibiq; multas gentiũ strages dedit. Sergius autem Galba a Lusitanis victus, amisso exercitu vix aufugit.

Huius tempore Cicero Varroq; nascuntur.

Carthago illa nobilissima metropolis Africæ deletur a Scipione & consulib. arsit per xvij dies continuos. Miserum spectaculum. Multi venditi sunt, multi se flammis tradiderunt. Corinthus similiter vastatur eodem anno a Romanis, quæ opulentissima fuit, toti orbi nota.

Seruile bellum in Sicilia, vbi conspirarunt lxx^m seruorum. Huiusmodi bella periculosiora sunt cæteris. quia crudeliora, nec curant de patriæ salute.

Anno mundi V^M. CIX.

Linea Christi.

XC

Nota signum infallibile, quando videlicet militaris celsitudo bellum delectabiliter appetit, & occasionem quærit, tunc sequitur finis communiter miserabilis, iuxta illud Prophetæ: *Dissipa gentes quæ bella volunt.* Nam dum plerumq; fortes fortiter contra fortes agere voluerunt, pariter cum fortibus in quos impegerunt, ceciderunt. Est siquidem miserabilis victoria, quando victor paucos, aut nullos milites retinet. Vnde audacia plurimũ nocet, quando prouidentia non gubernatur.

Pontifices.

Iste Antiochus Emisenus cum exercitũ cc^m haberet, & histriones cum scortis plures se immiscerent, facile a rege Spartanorum oppressus interiit.

Ioãnes a. xxvi.

Hic præfuit annis xxvi, vel xxxiij, propheta religiosus, & strenuus dux. Ptolomæum socerũ suum fugauit, Samariã captam solo æquauit. Tandem rebus optime administratis mortem vicinam sentiens, cum quinque filios haberet, quorũ nullus ad regimen pòpuli valeret, vxorem suã disertissimam Iudęis pręfecit, & filijs. verum nihil pietatis in filijs fuit.

Reges Syriæ.

Antiochus.

Antiochus.

Iste fuit filius Demetrij, qui cõfortatus Tryphonem persecutus est, & fugauit eum, & primo Iudæis benignus fuit: sed postquam prævaluit, fecit sicut patres sui, sed non impune. 1 Machabæorum.

Pestilentia maxima fuit in Africa, & perierunt vltra mille milia.

Bella socialia oriuntur, quorum hæc prima caussa siue origo fuit. Gracchus nominatus a nobilibus cepit caussam quærere contra eos: communem populum nitebatur ad se trahere, dicens quod agri deberent diuidi æqualiter, & etiam pecuniæ, &c. & ab hoc tumultus susscitatur in quo ipse occisus est, & multa secuta sunt. Vide Orosium.

L. Cæcil. Metell⁹

Titus Quinti⁹

Quint. Fabius

Iste Fabius cũ paruo populo regem Armeniæ superauit, & mersi sunt clxxx^m armatorum in Rhodano.

Maximus

Quintius deleuit Gallos qui sub radice Alpium siti fuerunt, qui nũc Sabaudi dicuntur.

Ptolomæus Alexandri.

His præsidentibus iussa est Carthago restitui, & Romanorum famulis repleta est, & in vrbe intestinum bellũ vertitur atrocissime.

Iste regnauit annis x.

Eius tempore Poeta Lucretius nascitur, qui postea sese amatorio furore interfecit.

Mithridates rex Ponti & Armeniæ per annos xl gessit atrocissima bella contra Romanos, nõ modico sanguine fuso. Sepe victor, sepe victus, tandem proprios filios peremit: Haustoque veneno vxores pellices ac filias secum extinxit, sicque miserabiliter perijt qui infinitos peremit. Hic (vt Orosius testatur) maximum nobis argumentum suæ sententiæ reliquit. Cum enim omnium superstitiossissimus fuerit, in fine expertus est, quod falsos deos coluerit. Sic nõ agit nobiscum Deus noster, cui si fideliter seruimus, nequaquam mala morte perire nos sinit. Vide pulcre libro vi.

Anno ante Christi natiuitatem

Regnum Iudææ restituitur, quod interruptum fuit annis ccccl xxv a tempore Ezechiæ vsque ad Aristobulum. Iste Aristobulus primus rex & sacerdos vno tantum anno præfuit, & diadema sibi imposuit, nec fuit contentus de testamento patris: ideo matrem cum filiis incarcerauit, propter quod miserabiliter perijt cũ fratre suo Antigono, qui eũ iuuit, &c. Vide magistrum in historijs.

Aristobulus.

Alexãder.

Iste Alexander vel Iannæus præfuit annis xxvij, vel xxxviij, & totus tyrannus fuit: quamuis primum modestus appareret. Officium enim fecit notum qualis intus fuerat. Fratrem occidit, & in xij annis circiter quinquaginta milia interfecit, qui facinora eius detestabantur. Tandem moriturus duos filios reliquit, scilicet Hircanum & Aristobulum. Verum vxorem regnare con-

Philippus.

Iste Philippus vltimus rex Syriæ a Romanis superatus est, & cessauit regnum Græcorum, id est Syriæ, quod stetit annis clxxxiij. stituit, quia gratiam populi habuit.

Antigonus frater regis inuidia reginæ occiditur. vbi dicit Iosephus, quod certum documentum præbuit, omnem beneuolentiam, iusque naturæ criminationibus cedere, nullamq; optimarum rerum affluxionem tantum valere, vt inuidię perpetuo possit obsistere.

Quinta ætas:

Horum tempore rex Numidarũ valde Romanos attriuit: ſed ipſe tandem ſuperatus eſt. Ita tunc Romana ingenuitas defecit, vt diceretur: O vrbem venalem, & mature perituram ſi emptorẽ inuenerit. quaſi dicat, fides in te periit.

Scipio Naſica (Publius)

Calfurnius (Lucius)

Romani.

Temporum horũ Teutonici & Germani & Cimbri adunati ſunt, contra quos Romani præliarunt, ſępeq; victi tandem eos ſuperauere ſubtiliter, & deleti fuerunt clx^m. & innumerabiles ſeipſos occiderũt: & ſtatim poſt iterum inteſtinum bellũ Romæ fuit, quod Manlius cõſul ſedauit.

(Gaius)

(Manlius)

Reges AEgypti.

Ptolomę⁹ Cleopatræ filius.

Iſte regnauit annis viij: ſub quo Saluſtius hiſtoriographus naſcitur.

Ptolomæus Dionyſus.

Iſte regnauit annis xxx. Sub eodem tempore Virgilius & Horatius Poëtæ naſcuntur.

Bella inteſtina externaq; circa hæc tempora in tantum prævaluerunt, vt pro magno miro habitum ſit, quod ſtatus Romanæ reipublicæ penitus non perierit. Vnde patet, quod nihil potuerit bellicus labor ad pacem procreandam, niſi a ſummo deo illud donum largiatur: non a falſis dijs quibus tota Roma vltra mille annis ſeruiuit. Vide Oroſium ad longum de his bellis.

Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul a Mantua naſcitur. De hinc Cremonę ſtudiis eruditur.

Anno mundi. V^M. CXXXIIII.

Linea Chriſti.

Iacob.

XCV.

Iſte Iacob fuit pater Ioſeph naturalis, ſed Heli pater eius legalis fuit. Hũc Matthæus, illũ Lucas cõmemorat.

Hoc tempore multa prodigia inſolita terruerunt Romanos, & ſtatim poſt in diuerſis prouinciis deletus eſt Romanorum exercitus.

Pontifices.

Alexãdra.

Varro Marcus doctiſſimus claret: qui tam multa legit, vt aliquid ei ſcribere vacauiſſe miremur. Tam multa ſcripſit quanta vix aliquis legere poſſit, vt dicit Terentius.

Hæc Alexandra fuit vxor Alexandri prædicti, & præfuit annis ix, & fecit tyrãnides plures, licet prius ſimulata ſanctitate religioſa famaretur, & Hircanum in ſacerdotem promouit, & vt poſt ſe regnaret, inſtituit. Hæc in linea pontificum ponitur propter ſupputationem annorum, non quod officium pontificale exerceret, quod non licuit.

Hæreſis Phariſæorũ circa hæc tempora oritur. Et nota quod tres erant ſectæ in Iudæa, ſcilicet Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſæorum. Hi omnes a communi vita reliquorum Iudæorum diſtincti, multis erroribus implicati, propter aſperitatem vitæ ſanctiores ſe aliis dixerunt. Vide magiſtrum in hiſtoriis circa baptiſmum Iohannis. Item adhuc duæ ſectæ a quibuſdam aſſeruntur, ſcilicet, Arbonæi & Genuſtæ.

Fimbria Ilium vaſtat. i. Troaim antiquam Romanorũ, ſed illa ſtatim eam reſtaurauit.

Cicero Marcus Iulius maximus Rhetor claret.

Isti duo consules còntra se inuicem bellantes, primum ciuile bellũ inchoarunt: cuius occasionẽ & progressum miserabilẽ Orosius ꝓsequitur: totque occisi sunt, vt Syllæ diceretur, Cum quibus tandem victuri sumus? In bello armatos, in pace inermes occidimus. & ex tunc proscriptio instituta est.

Iulius Cæsar — L. Sylla — post sanctã — Gaius Marius

Isti duo consentientes, similiter restiterunt Iulio: & ob hoc II bellũ ciuile oritur, annis quatuor durãs: in quo totum mundum concurrisse contra se breuiter dixerunt. tandem Pompeius superatur, capiteq; plexus paulatim mitescit.

Pompeius — Marcus

Huic Iulius Ægypti regnum dedit, monens vt magis amicitiam Romanam quam arma experiri studeret. tertio autem anno huius Cleopatræ Iulius sumpsit imperium. & sic finitur hic calculus Latinorum, per hanc lineam descendentium ad Christum, & sequitur supputatio annorum per lineam Romanorum.

Cleopatra annis xx.

Bella ciuilia incipiunt, quæ continuata fuerunt per annos xl, & adeo attrita fuit vrbs, vt necessario regimen ipsius mutaretur, licet ad multos annos optime rexissent consules: Infelix prorsus conditio mundani status, qui nunquam in deliciis durare potuit & gloria: quamuis hæc summo studio quærat. Quantæ dementię est hoc semper sudore & sanguine quærere, quod cum adeptum fuerit, nullo pacto retineri potest? Prudentissima illa Roma hoc non potuit, & tu valebis? Christum sequere ne pereat labor tuus.

Pompeius semper victoriosus, xxij reges subegit: tandem postquã templum prophanasset, nunquam postea dicitur pugnasse, quin vinceretur. Similiter non longe post, Crassus præses Syriæ, templum etiam ausus est spoliare, quod Pompeius non fecit: & ob hoc, auro in os eius fuso, interiit. *Sic pereant inimici tui domine.* Multa exempla de his inueniuntur, qui non timent diuina & clerum dehonestare, quod (iuxta vulgare dictum) mala morte perire solent. hoc aperte etiam prophetauit Moyses Deuteron. xxxiij, *Percute dorsa inimicorum eius*, id est, Leui: *& qui oderunt eum, nõ consurgant.*

Hyrcanus

Iste Hyrcanus fuit filius Alexandri, qui mortua matre in regno successit, in quo modicum prosperitatis habuit propter partialitates populi. nam statim a matre superatus est, & post iterum restitutus auxilio Arabum. tandem factus tributarius Romanis, in pace aliquo tempore regnauit, sed non nomine regis. nouissime miserabiliter obiit, deceptus fraude Parthorum, quos Antigonus contra eum duxit. Vide plene magistrum de his.

Catilina famosus tyrannus, coniurat contra patriam in vrbe: in Etruria vero extinguitur, occiso ibi Catilina. Romę cõscij coniurationis occisi sunt.

Virgilius excellentissimus poetarum clarus habetur, & mira fecit.

Romæ numerati sunt cccc^{m} & lxiiij^{m} hominum, omnes incolæ ciuitatis.

Libraria cccc^{m} librorum comburitur in Ægypto. vnde patet quanta fuerit antiquitus diligentia in libris colligendis. Erubescãt qui nunc librorum copiam non comparant, cum quasi exiguo pretio colligi possit.

Quinta ætas:

Tres soles apparuerunt in cœlo versus Orientem, qui paulatim in vnum corpus solare redacti sunt. grande spectaculum grandia prefigurauit, quasi Asia, Africa & Europa sub vna monarchia statim coniungi deberent. item quod dominium L. Antonij & M. Antonij in vnum redirent. sed potius notitia vnius & trini Dei toti orbi futura imminebat.

Horatius Flaccus Satyricus claret hoc tempore.
Salluſtius Criſpus hiſtoricus.
Poſidonius Stoicus.

Scipio ſeipſum iugulauit.
Iuba rex iugulari ſe fecit.

Cæſares.

G. Iulius Cæſar annis v.

Ab hoc cæteri vocantur Cæſares.

Iſte Iulius tantæ fuit acuitatis, vt mens illius & manus ad impoſſibilia ferme ſuffecerint. lij vicibus pugnauit ſolus, Marcum Marcellum ſupergreſſus, qui tercenties nouies fertur pugnaſſe. hic Pompeio ac cęteris nobiliſſimis Romanis occiſis, imperium arripuit. tandem anno v imperij ſui conſpiratione Bruti ac Caſſij dolo occiditur, ipſe dominator orbis.

Petreius gladio ſe perfodit, & multi alij de nobiliſſimis Romanorū: quia noluerunt Iulio ſubdi, aut timuerunt ab eo occidi, ſicut plures iam occiderat.

Plotius primus Romæ Latinam Rhetoricam docuit.
Hecaton Stoicus, qui dixit, *Omne honeſtum in arduo eſt. Si vis amari, ama. Quæris quid perfecerim? amicus mihi eſſe cœpi.*
Titus Liuius hiſtoricus.
Marcus Callidius orator.

Anno mundi

Linea Chriſti.

Iudæa tributaria fit Romanis propter partialitatem duorum fratrum, ſcilicet Ariſtobuli & Hyrcani. Vterque enim inuidentiæ cauſſa ſubiecit ſe Romanis vt regnare poſſet &c.

Cato nominatiſſimus, videns Cæſarem triumphare, cui ipſe non fauebat, apud Vticam ſeipſum occidit, iuxta illud, *Maluit Cato mori, quam deroget vrbis honori.* ſed propter hoc (ſecundum Auguſtinum) non excuſatur a peccato.

Pontifices.

Antigonus

Diodorus ſcriptor hiſtoriæ Græcæ.
Ouidius Naſo.
Gaius Falcidius.
Cornelius hiſtoricus.
Marcus Varus. hic ait, *Nihil magnificum docebit, qui a ſe nihil didicit.*
Cornelius Gallus.
Meſſala Poeta, & multi alij his fuere temporibus.

Iſte Antigonus filius Ariſtobuli, vbiq; infideliter egit, nec Romanis obediuit, magnam plagam terris intulit, vt Hyrcano expulſo, regnare poſſet. regi enim Parthorū p̄milit talenta mille, & virgines quingentas, vt ſe iuuaret, Lyſania nepote ſuo id procurante, & ſic Hyrcanus eiectus eſt, Phaſelus occiſus eſt, & Herodes fugatus. ſed cum Herodes Romam veniſſet, & ſenatui cuncta narraſſet, Auguſtus eum regem Iudææ creauit, mittens cum eo exercitum, qui Hieruſalem ceperunt, & Antigonum captum duxerunt ad Antonium: qui eum ſecuri percuſſit, & Herodes confirmatus eſt in regno, ceſſauitque ſceptrum de Iuda, ſicut prædixit Iacob.

Iste Octauianus nepos Iulij, cum esset adhuc adolescens, imperium sumpsit, iuuentutem suam viribus actibusq; decorauit, v^m bella gessit. & breuiter, totũ mundum post multa bella in vnam tandem monarchiam redegit. Hic est ille vnicus, qui secundum non habuit; sub quo conticuit orbis terrarũ, ac prompte obediuit, agente hoc diuina prouidentia, vt Christi natiuitatem temporalis pax illustraret. Hic gloriabatur se Vrbem marmoream reliquisse, quam lateritiam ipse inuenit. Fuit pulcerrimus corpore, ingenio subtilissimus, fortunatissimus in omnibus: sed vitio carnis non caruit. Ipse est qui fecit describi totum mundum, vt dicitur Lucæ xx: cuius lij anno natus est Christus Dominus, saluator mundi, qui pacem æternam suis largitur.

Octauian⁹ Augustus monarcha Romanorum annis lvij, mens. vi. dieb. x.

Imperatores Romani per hanc lineam cõtinuantur, qui omnes Augusti dicuntur, propter singularem huius Augusti excellentiam. Iustum equidem est, vt ille omnibus nomen tribuat, qui cunctis viuendi normam, & regendi modum constituit. Tanta siquidẽ in eo probitas ac strenuitas emicuit, vt vix credibile sit, quod vnquam destituta natura humani discursus talem edere potuerit. Quid vltra? Christũ cum benedicta matre sua videre meruit, quasi ipse primicerius extiterit vocationis gentium; nec vnquam post hæc Dominus vocari voluit. Aram ei primus extruxit: Humilitatis, clemẽtiæ, ciuilitatis, patientiæ, disciplinæ, quæ rarissime in tanta sublimitate cõueniunt, exemplar ipse fuit. Bellum non nisi coactus accepit. ait enim, *Magnum est dispendiũ aureo hamo pisces capere: quia hami deperditi damnum nulla potest captura piscium comparari.* Detrahentib. sibi ait, *In libera ciuitate liberas decet esse linguas.* Milites ociari nequaquã aut deliciari permittebat, quo-*

V^M CLIX.

Ioseph circa hæc tempora nascitur; post spõsus Mariæ.

IX

Bos loquitur aranti, *In breui desinent magis homines quã iumenta:* vel, vt quidã libri habent, *frumenta.*

Sceptrum de Iudã aufertur, & dux de femore eius: quia in proximo sanctus sanctorum venturus est, iuxta prophetiam Iacob Genes. xlix.

Lugdunum in Gallia conditur a Munatio Planco oratore, qui fuit discipulus Ciceronis.

Herodes a. xxxvij

Reges Iudææ.

Iste Herodes dictus Ascalonitã, Idumæus, primus rex alienigena apud Iudæos fuit. Eius historiã Magister diligenter prosequitur. Et refert eum fuisse virum strenuum, & fide dignum, & in omnib. notabiliter se habuit. Gratus valde Romanis & populis qui pacem amabant. Multa etiam opera memorabilia fecit. Verũ in senectute sua cum nimis vellet placere Romanis, & audisset de ortu Christi, timẽs pelli e regno, tanquam alienigena, miserabiliter defecit sensu; & antiqua probitate amissa, innocentes occidit, & plures de filijs suis. Tandem omnibus odiosus, morbo inualescente, flebili morte destituitur.

Quinta ætas:

Monarchia Romanorum omnium maxima circa hæc tempora incepit. Cum enim (vt teſtatur Hieronymus,& alij ſancti doctores)per totum orbē in diuerſis prouincijs bella pullularent,ſubito cunctis mirantibus, pacata ſunt, & Romano principi colla ſubmiſerunt, vt aperte Dominus Deus hominibus oſtenderet,quia illam vniuerſalem pacem non bellicus labor, ſed ipſe donaſſet.Semper vno finito bello, aliud ſequebatur, aut plura, peiorque ſciſſura ſequebatur: ſed Chriſti natiuitate propinquante, vrbs quieuit, & orbis.

Sibylla Tiburtina clara habetur: quæ de Chriſto prophetauit, & Auguſto reſpondit, ne ſe Deum,iuxta ſtultitiam paganorum,putaret.& oſtendit illi virginem pulcerrimam in cœlo tenentem puerum in brachijs, & ait, *Hic puer maior te eſt: ipſum adora.*

Imperatores.

*rum profeſſio inſtituta eſt ad laborem.Filias ſuas in lanificio fecit inſtrui, propter mutabilitatem temporalium. Nendi texendique non ſolum artem, ſed vſum habebant. nec ad ſe, niſi vultu maturo ſine omni veſtium curioſitate accedere permittebat.Regna,quę iure belli quæſierat, præter pauca, reddidit, aut alienis benigne tribuit. Teſtem ſe in iudicijs interrogari,& repelli æquaniſſimo animo patiebatur. Plures habuit ſibi maxime familiares; qui cum melius poterant eum extinguere etiam publicis bellis nitebantur. Alij ter quaterque periuri,cum gratiam poſcerent,vitam & bona ab ipſo impetrarunt.O quam multi fuerunt, qui ſe de tam nobili ſanguine progenitos gloriabantur,ſed mores non imitabantur!

Maria naſcitur anno ante Chriſti natiuitatem xvi,vel circa.

Anno mundi	V^M CLXXIX.		V^m CXCIX.
Linea Chriſti	Ioachim & Anna clarent ſanctitate vitæ: qui poſt ſingulari gratia meruerunt procreare florem totius felicitatis Mariam, omnium creaturarū excellentiſſimam, quæ Deum nobis genuit.	Ioſeph. Maria.	Antequā conuenirēt, inuenta eſt Maria habens in vtero de Spiritu ſancto, vt dicit Matthæus.
	XX		Anno primo ante Chriſti natiuitatem

Burgundiones orti ſunt, gens ſemper valida; ſic dicti, quia ſuper Rhenum fluuium burgos plures habent.

Marcus Agrippa,gener Octauiani,ſupra Rhenum ciuitatem Agrippinā condidit,quæ poſt dicta eſt Colonia.

Hiſtoria euangelica omnium ſcripturarum ſanctiſſima hic texitur.

Anno mundi v^m cxcix (ipſe eſt primus ante natiuitatem Chriſti) cum iam eſſet deſponſata Maria Ioſeph, miſſus eſt angelus Gabriel a Patre luminū,Deo totius conſolationis,ad ipſam, vt annuntiaret ei,quod venerit plenitudo temporis pro reconciliatione humani generis: & quod per ipſam Dei filius hūc mundum intrare vellet. Hoc igitur omnium ſecretorum ſecretiſſimum, mirabilium mirabiliſſimum, ſalubrium ſaluberrimum, deſiderabilium deſiderabiliſſimū, myſteriorum profundiſſimum, circa hæc tempora diu expectata adimpletum eſt, vt Deus homo fieret.Quis audiuit vnquā ſimile?O ſi ſapiat iſtud in palato mentis noſtræ! Vide deuotiſſimam hiſtor.Lucæ 1.

Zacharias & Elizabeth fuerunt ambo ſanctæ vitæ: & parentes ſancti Iohannis Baptiſtæ, Iohannes Baptiſta naſcitur, quo nemo maior inter natos mulierum ſurrexit.

Roma in flore. Et numerati sunt ciues eius, & descripti nonagesies trecenta milia & octuaginta milia.

Valerius Maximus fuit hoc tempore, vir maximæ famæ.

Nonnulli reges in honorem huius Cæsaris Augusti ciuitates condebant, quas Cæsareas appellarunt, sicut Mauritana & Palæstina, & Augusta in Almania: quæ vsque nunc vrbes clarissimæ sunt. Et multi reges ex regnis suis venerunt vt ei obsequerentur.

Æra christianorum principalissima, omnium Ærarum notissima celeberrimaque. Ipse est annus Octauiani Iij, Olympiadis centesimæ nonagesimætertiæ. Et (secundum Bedam) annus mundi v^m excix completus. versus, *Vnum tolle datum ad milia quinq; ducentis, Nascenti Domino Beda dat protoplasto. Item, ante Christum ducentum minus vno milia quinque.* Et hic tanquam probabilior modus ab ecclesia seruatur, & est magis vulgatus. Sunt & alij diuersi modi supputationum, quidam breuiores, vt Hebræorum; quidam longiores, vt Methodij, & aliorum: de quibus immensus est labor de singulis tractare, vtilitas vero modica. Vide singula in locis suis.



Natus est circa hæc tempora Dominus noster de virgine pura, nouo ordine, secundum prophetica promissa. Et hæc est plenitudo temporis, de quo Apostolus dicit, *Quando misit Deus filium suum in mundum.* Ob hoc incipit hic sexta ætas mundi, cuius finem solus Deus nouit. Et dicit Augustinus, quod hæc ætas dicitur senectus, quæ sæpe extẽditur vltra omnes præcedentes ætates. Quia plerique hominum viuunt vsque ad centesimumuigesimum annum, aut vltra. Et notum est, quod sexagenarios senes vocamus. Vnde fatuum est velle determinare quotiditatem eius. Plures enim hoc attentarunt, qui omnes fuere decepti, sicut probat doctor sanctus.

Procuratores Iudææ.

Archelaus an. ix.

Iste Archelaus fuit filius Herodis: & procurauit annis nouem; sub quo Dominus redijt ex Ægypto. Hic propter eius ferocitatem a Iudæis accusatus, relegatus est in Viennam, Galliæ vrbem.

Coponius.

Hic loco Archelai substitutus est.

Marcus.

Sub isto moritur Salome, soror Herodis.

Sexta ætas:

De principatu Romano sic dicit Cicero in libro de Officijs, Certũ est fuisse aliquod tempus quo sine regibus viuebatur. At postquam iure gentium possessiones cœperunt diuidi, non alia de causa reges sunt instituti, nisi iustitiæ fruendę. Nam cum initio premeretur multitudo ab his qui maiores opes habebant, ad vnum aliquẽ virum confugiebant virtute præstantem, qui prohiberet iniuriari tenuiores, æquitatem constituendo, summos cum infimis pari iure pertingeret. Cumq; adhuc regnantibus regibus debiliores nonnunquã opprimerentur, leges constitui placuit, quæ ad iudicandũ nõ odio aut gratia ducerẽtur, sed tales inopi quales potenti præstarent aures. Quo fit, vt leges nõ solũ populũ, sed regem quoq; obligare sciamus. At si regem contemnere leges, capere bona subditorum, violare virgines, stuprare matronas, & cætera illicita facere videamus, nonne illo submisso, alius sublimatur, qui & bene gubernare, & legibus nouit obtemperare?

Tiberius priuignus an. xxiij.

Imperatores.

Hic fuit Octauiani adoptione filius, vir magnarum virtutum, & pius pater in subiectos sibi. Aiebat namq; quibusdam principibus qui cupiebant grauare plebem, *Boni pastoris est tondere pecus, non decoriare.* Item cum suaderent sibi, vt baliuos mutaret, dixit, *Vidi quendam muscas ægri vulneribus insidentes fugare; quem æger increpauit, dicens, Quoniam venturæ sunt sitibundæ, vt fugant. Istæ tantum, quia plenæ sunt, lecum occupant.* Quasi diceret, Consultius est, vt locupletes teneamus, quam illis amotis, de-*

Anno mundi V^M CCXI.

IESVS CHRISTVS annorum xij in templo doctores audit.

Anno Christi XII.

Anni Christi per hanc lineam continuantur.

Nota, quod nihil reperitur de infantia Saluatoris, & operibus eius vsq; ad baptismum Iohannis, apud euangelistas, nisi quod duodennis remansit in Hierusalem audiens doctores, &c. Hoc autem quod dicitur, *Et erat subditus eis:* tanquam granum salutare multipliciter teritur a doctoribus & deuotis personis vsq; hodie conantibus persuadere quæ fuerit cõuersatio Christi in illis xviij annis. Ille autem liber qui de infantia Saluatoris intitulatur, quia iam diu inter apocrypha deputatus est, nil autoritatis affert. nec verisimile est, quod talia diuina opera, & glorioſa miracula pueriliter inter pueros fecerit, qui vix tempore debito ad huiusmodi facienda potuit etiam a matre sua benedicta inclinari, & similiter apostolis, &c. Dixit enim, *Nondum venit hora mea*, &c. &, *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierant, domus Israel.* Igitur omnibus credere, & nulli credere, æque vitiosum est.

Procuratores Iudææ. Annius Rufus primus. Valerius Gracchus annis xi.

Iste palam vendidit sacerdotium. Qui plus dedit, ille obtinuit. Et sic plures in breui fuerunt.

Sub hoc moritur Augustus.

*nuo tenues ditare cogamur. O magnũ prudentissimi viri cõsilium! Taliter enim quidam fraudulenti solent insidiari principibus, vt scilicet communem populum cõtra eos prouocent. Quo facto, sciunt quoniam necessarij sunt eis, cogentes deinceps eosdem, scilicet tam principes quam populum, sicut volunt, ac suis astutijs magis magisq; inuoluentes. Maxima prudentia principum est, vt se taliter agant, ne plebibus exosi fiant; omnesque contrarium suadentes abijcere statim debent, vt famam suam dilatent, quod communitatem diligant. Hoc tam paganorum quam sanctissimorum virorum consilium semper fuit. Exempla sunt quotidiana, &c. Hic etiam Tiberius bene de Christo sentire cœpit, & eũ pro Deo coluit, &c. Dicunt quidam, quod tandem crudelis factus sit contra potentes. Si hoc verum est, quis scit quo iudicio actum fuerit? Magnum vtique pietatis argumentũ fuit, quod subiectis & pauperibus semper gratiosus extitit; pacem etiam habuit cunctis diebus suis. Omnes Christi ac Christianorum contradictores sine omni miseratione deleuit, & Pilatum exilio damnauit. Moritur tandem cum ingenti gaudio multorum: sed peior eo successit. Vixit annis lxxviij, & imperauit annis xxiij.

Iohannes Baptista, sanctissimus, ab Herode decollatur: qui arguit eum de adulterio. Ille fuit Herodes Antipas, tetrarcha Galilææ, qui propter hoc crimen & temporaliter & æternaliter est punitus cum Herodiade, &c.

Super omnia bone Iesu amabilem te mihi reddit calix quem bibisti, ait Bernardus.

V^M CCXXIX. V^M CCXXXII.

IESVS CHRISTVS

Dominus noster in Iordane baptisatus est.

IESVS CHRISTVS

Dominus omniũ pro seruis moritur, annorum xxxiij & iij mensium.

XXX. XXXIII.

Circa hæc tempora grande spectaculũ mundo innotuit a seculis non auditum. Reuelatio aperta beatissimæ trinitatis: Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ. Et hic vngitur nobis Christus, verus saluator in lege promissus, qui est via, veritas & vita; & præter quem non est salus. Iam hic texitur historia trium annorum doctrinæ ipsius fructiferæ cum miraculis plurimis & glorioſis, qualia nunquam visa sunt.

In anno xxxiiij Christi multa mirabilia facta fuerunt. Nam ipso die passionis eius, terra tremuit; petræ sciſſæ sunt, sol obscuratus est; monumenta aperta sunt, &c. Die paschæ Dominus resurrexit cũ multis. Deinde post dies quadraginta glorioſe in cœlum ascẽdit cum præda magna, &c. In die Pentecostes venit Spiritus sanctus super apostolos, &c. Et hęc omnia nostræ salutis æternæ sunt sacramenta, in quibus deuotæ mentes quotidianam inueniunt refectionem. Beatus qui versatur in his, quoniam fructum percipiet sempiternum.

Pontius Pilatus.

Sub hoc Iohannes Baptista cœpit prædicare: & Dominus passus est, quem ipse ob timorem Cæsaris injuste damnauit ad mortem crucis: & ideo post miserabiliter perijt, seipsum occidendo. De funere autem huius mirabilia narrantur.

Sexta ætas:

Sancta mater Ecclesia comparatur ciuitati: de qua glorioſa dicta ſunt, vt dicitur in Pſal. lxxxvi. Quid glorioſius ea eſſe poterit, quam glorificauit tota ſimul beata trinitas, quam defendit diuina maieſtas, quam illuſtrat diuina claritas, quam regit diuina bonitas, cuius caput Chriſtus Ieſus, verus Deus & homo: cuius ciues omnes electi ſunt, cuius miniſtri angeli illi beatiſſimi ſpiritus, excubantes ſuper muros eius die ac nocte? Hæc eſt quam ædificauit vnigenitus Dei ſupra firmã petram: nec portæ inferni præualebũt aduerſus eam. Hęc eſt Sion illa dilecta, cuius portas diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob. Hæc eſt ſponſa illa immaculata non habens maculam neq; rugam, quam non vili clinodio, ſed precioſo ſanguine ſubarrauit Dominus. Hæc eſt mater pulcræ dilectionis & agnitionis, & ſanctæ ſpei; quę filios generat in æternum regnaturos. Hanc prænunciauerunt patriarchæ, hanc prædixerunt prophetæ, hanc ſimul omnis illa veteris Teſtamenti laborioſa ſeruiliſq; obſeruantia dominam recognoſcit. Et quid vltra? Cœlum, terra, mareq; cum omnibus quæ in eis ſunt, nonne huic famulantur myſterio? Igitur glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei: *Beata tu Hieruſalem, quis ſimilis tui, quæ ſaluaris in Domino? Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. Pro patribus tuis naſcentur tibi filij: nec deficies in ſempiterna ſecula. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum eius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius; & qui oderint eam, non conſurgant. Audi Domine vocem eius, & ad populum ſuum introduc eam. Deus virtutum converte, reſpice de cœlo; vide & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quã plantauit dextera tua. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ eius, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi Ieſum Chriſtũ, Dominum noſtrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, Deus in omnia ſecula ſeculorum benedictus.* Amen.

Ieſus Chriſtus, verus Deus & vĕrus homo; vnica proles intemeratæ ac perpetuæ virginis Mariæ ſecundum humanitatem, deſcendens de ſemine Abrahæ per lineam regalem & ſacerdotalem; ſponſus vnicus, & caput immediatum ſanctæ vniuerſalis eccleſiæ, Rex regum, & Dominus dominantium, æternus pontifex, & iudex viuorum & mortuorũ, xxxiij annis & menſibus tribus peregrinari dignatus eſt in hac lacrymarum valle, docens primum operaviam vitæ, poſt etiam verbo, vt Euangeliſta teſtatur. Cum autem eſſet annorum xxx, a ſummo patre omniũ, Deo, baptiſatus iam in Iordanis fluuio, vnctus fuit nobis in primum ac ſummum pontificem, ac epiſcopũ animarum noſtrarum per Spiritum ſanctum, qui corporali ſpecie tanquam columba in ſpiritum deſcendens, teſtimonium ſibi perhibuit, quoniam ipſe eſt vere Saluator mundi, iuxta vaticinium Iſaiæ prophetæ ſancti. Hic elegit diſcipulos lxxij, quos miſit ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipſe venturus, dans eis poteſtatem ſanandi infirmos, & omnes languores, &c. & xij apoſtolos, quos miſit in orbem vniuerſum ad prædicandum euangelium. Nec amplius quam hos duos ordines inter diſcipulos Domini eſſe cognouimus, quorum formam nunc in eccleſia tenent presbyteri & epiſcopi. Nam apoſtolis ſuccedunt epiſcopi, & lxxij diſcipulis presbyteri. quibus duobus ordinib. tota eccleſia eſt commiſſa tanquam hierarchis, vt patet in decreto Damaſi papæ, & habetur lxviij diſt. c. Cor epiſc. Tandem pius Dominus pro grege ſuo moritur, acerbiſſima paſſione conſummatus, omnium martyrum caput, & ipſe martyr. Poſtquam autem a mortuis reſurrexit, in cœlum aſcendit, & Spiritum ſanctum miſit. Et tunc primum cultus chriſtiani nominis incepit, qui ad finem vſque durabit.

Chriſtus Ieſus promiſſus in prophetis, ſecundum veritatem fidei noſtræ, eſt verus Deus & verus homo. Quam veritatem ex teſtimonijs ſacræ ſcripturæ cogimur concedere. Similiter, ſecundum eandem veritatem conceditur, quod Chriſtus fuit natus de muliere, paſſus, mortuus & ſepultus. Quæ quidem omnia de Deo concedimus fuiſſe vera: non tamen in quantum Deus, ſeu ſecundum naturam diuinã, ſed ſecundum naturam aſſumptam, ſcilicet humanam. Sic tamen prædicta de Deo dicuntur ſecundum veram fidem, vt in nullo derogetur diuinæ perfectioni apud eum qui ſacra teſtimonia recte ſcrutatur, & ſanam habet rationem.

Iohannes scripsit in Asia Græco sermone: *In principio erat verbum, & verbum erat apud, &c.*

Lucas scripsit in Græcia sermone Græco: *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, &c.*

Iohannes.

Ego sum lux mundi. qui sequitur me: nõ ambulat in tenebris, &c. Ego sum qui testimoniũ perhibeo de meipso; & testimonium perhibet de me Pater. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas: & cognoscunt me meæ. Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum vitis vera, &c.

Lucas.

Amen, amen dico vobis, Cælũ & terra transibunt; verba autẽ mea non transibunt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur. Quod vobis dico, omnib. dico. Vigilate. nescitis enim quando Dominus veniet, &c. Sol contenebrabitur, & luna nõ dabit splendorẽ suũ. Et tũc videbunt filiũ hominis venientẽ in nubib. cæli, &c.

I
E
S
V
S

CHRISTVS SALVATOR

M
V
N
D
I

Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum. Nolite ergo ire post illos. In patientia vestra possidebitis animas vestras, &c.

Marcus.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Omnis qui confitetur me coram hominibus, confiteb. &c.

Matthæus.

Marcus scripsit in Italia, sermone tamen Græco: *Initium Euangelij Iesu Christi.*

Matthæus scripsit in Iudæa Hebraice: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.*

Sexta ætas:

ARTICVLI DVODECIM FIDEI CATHOLICAE.



Credo in Deũ, Patrẽ omnipotentẽ, creatorem cœli & terræ.

Et in Iesum Christũ filium eius vnicum, Dominũ nostrum.



Qui cõceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.



Passus sub Põtio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.



Descendit ad inferna; tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos; sedet ad dexterã Dei Patris omnipotẽtis.



Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum;



Sanctam ecclesiam catholicam;



Sanctorum communionẽ; Remissionẽ peccatorum;



Carnis resurrectionem;



Et vitam æternam. Amen.

Ieremias ij, *Patrẽ vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Exodi xx, *Non habebis Deos alienos coram me.* Isa. xlv, *Ego Dominus, & non est alter, creans tenebras, & formans lucem.* Psal. cxiij, *Deus autem noster in cælo omnia*, &c.

Abacuc vlt. *Ego autem in Domino gaudebo, & exult. in Deo Iesu meo.* Psal. ij, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie gen.te.* Iohan. iiij, *Ego & pater vnum sumus.* Coloss. i, *Qui est imago inuisib. Dei.* Psalm. vij, *Verbo Domini cœli firm.*

Isaias vij, *Ecce virgo concipiet, & pariet fil. & vocab. nomen eius Emanuel.* Iere. xiij, *Mulier circumdabit virũ.* Galat. iiij, *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Ezech. xliiij. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur; & vir*, &c.

Zach. ij, *Aspicient ad me quẽ crucifixerunt, & plangent*, &c. Isa. liij, *Tanquam ouis ad occisionem ductus. Vere languores nostros ipse portauit*, &c. Et 1 Pet. iij. *Christus semel passus est pro nobis, iustus pro iniustis.*

Oseæ xiij, *Ero mors tua, o mors*, &c. *In die tertia suscit.* &c. Psalm. xv, *Nec dabis sanctum tuum videre corrupt.* Ephes. iiij, *Descendit primo in inferiores partes terræ.* Rom. vi, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.*

Amos xi, *AEdificat in cælo ascensionẽ suam; Dominus nomen illi.* Psalm. lxvij, *Iter facite ei qui ascendit super occasum.* Et ibid. *Ascendit in altum, cap. duxit captiuitatem.* Michææ ij, *Ascendit iter pandens ante eos.*

Malach. iij, *Ascendam ad vos in iudicio, & ero testis veloc.* Psal. xcv, *Iudicabit orbem terræ in æquitate; & populos in veritate sua.* Iob xix, *Fugite a facie gladij: quoniam vltor iniquitatis est gladius; & scitote esse iudicium.*

Ioel. ij, *Effundam de spiritu meo super omnẽ carnẽ.* Iob. xxvi, *Spiritus eius ornauit cælos.* Sapient. i, *Spiritus Domini replenit orbem terrarum*, &c. Psalm. cxl, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Dauid Psal. xxxv, *Cõfitebor tibi in ecclesia magna.* Sophon. iii, *Inuocabunt nomẽ Domini, & seruient ei humero vno.* Matt. xviij, *Si peccauerit in te frater tuus, dic ecclesiæ: Quod si ecclesiam non audierit*, &c.

Michæas vij, *Deponet omnes iniquitates nostras, & proiciet in profundum maris omnia.* Psal. cxviij, *Particeps ego sum omnium timentiũ te, & custod.* &c. Ezech. xviij, *Viuo ego (dicit Dominus) nolo mortem peccatoris*, &c.

Ezech. xxxvij, *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Iob xix, *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluat.* Philipp. iij, *Reformabit corpus humilitatis nostræ, confor.* &c.

Daniel. xij, *Multi de his qui dormiunt in pulu. ter. euigil. alij in vitam*, &c. Psalmo lxi, *Tu reddes vnicuique iux.* Matth. vij, *Ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem*, &c. 11 Cor. v, *Domum habemus non manufactam*, &c.

Historia Actuum Apostolorum hic texitur.
Spiritus sanctus venit super Apostolos in linguis igneis. Et hic oritur cultus Christiani nominis, scilicet in die Pentecostes, secundum sanctum Augustinum.
Stephanus lapidatur, & protomartyr inclytus Domino consecratur.
Saulus pternitur, & Paulus egregius prædicator erigitur: qui abundãtius omnib. laborauit.
Philo disertissimus, cuius libri inter Ecclesiast. cõputantur, clarus habetur, natione Iudęus.

Imperatores. Gaius Caligula an. iij. mẽs. x.

Iste Gaius nepos Tiberij erat secundum carnem, sed non moribus, quia totus peruersus fuit, & tyrannus: qui ait, Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Cõqueltus est sępe quod sua tempora pacifica fuerunt, & bella libenter habuisset, occasiones etiam quæsiuit. tandem a suis occiditur consilio senatorũ cum magno gaudio vniuersorum: & senatus restituere nitebatur regimen sicut antea fuit, sed non prævaluit.

Beatissimus Petrus, gloriosus Apostolus Christi Iesu præfuit Ecclesiæ catholicæ, secundum Hieronymum, annis xxxvij: secundum Bedam, xxxix. tenuit namq; pontificatum in partib. Orientis annis v, secundũ Hieron. secundum Bedã vij. deinde Antiochiã veniens, sedit ibi annis vij, docens populum viam veritatis, & Simonẽ Magum fugauit. Insuper prædicauit dispersis ex circũcisione fidelibus, qui erant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia: quibus postea de Roma tanquam per eum conuersis, direxit epist. primã. Audiens autem Simonem magum Romanos deludere, zelo fidei Romam adiit, anno quarto Claudij. cumq; ibidem verbum Dei prædicaret, & Simonis maleficia detegit, & multos ad fi-*

V^M. CCXXXIII.

Petrus primus papa Iudæus.

Hæc est series Romanorum pontificum, per quam fit supputatio annorum subsequentium: cuius principalis Æra & ipsa Christi benedicta natiuitas, concurrentibus nihilominus annis mundi, vt patet apertissime in his duabus lineis, cum figuris numerorum annotatis.

XXXIII.

*dem conuertit: discipulos etiã per diuersas prouincias misit, per quos Christiana fides gloriose dilatata est. Euangelium Marci tanquam ex ore suo scriptum approbans, fidelibus tradidit. Ieiunium quadragesimale instituit ante pascha, & ante natalẽ Domini tres hebdomadas, & quartam imperfectam venerari ab omni populo christiano in memoriã primi & secundi aduentus. tandẽ post plurima sanctitatis insignia, cũ iam in Romana sede annis xxv, mensibus vij, dieb. viij sedisset, martyrio coronatur a Nerone. Alia eius opera plurima, ac miracula stupenda vide in Actibus Apostolorum, & in libro Clementis, & in historiis tã scholastica quam ecclesiastica Bedæ, quam aliis. Paulus Apostolus egregius prædicator, raptu sublimis: qui euangelium non ab homine, neq; per hominem didicit, sed per reuelationem Iesu Christi. cum esset fere annorũ xxvij, vel circa, atrociter cepit ecclesiã assequi zelo Iudaico: sed mox a Domino correptus immutatur, & factus est de lupo agnus, de persecutore fidelissimus prædicator. anno autẽ xiiij conuersionis suæ apostolatum cũ Barnaba suscepit a spiritu sancto in gentibus, vt dicitur Act. xiij. anno xxvij venit Ierusalem, vbi capitur, Act. xxi. anno xxx Romam venit, Act. vlt. anno xxxviij, vel circa, cũ beato Petro a Nerone martyriũ passus est. Hic inter sanctos tam in altitudine contemplationis, quã in feruore actionis prærogatiuam obtinuit: quia vltra omnes viatores clarius Deum vidit, & arcana verba audiuit, quæ non licet homini loqui: & tanquam totum mundum genuisset, sollicitabatur omnem hominem introducere in regnũ cœlorum. Quis sic cucurrit? quis sic laborauit Græcis euangelium exponẽs? quis sic afflictus, percussus, infinitis periculis excoctus? quis sic gloriari poterit, vt dicat, *Plus omnibus laborauí*, & in sapientia mundana, & consiliis huius sæculi, salua omni iustitia & fide: quia sic emicuit, vt etiam amplissimo senatui miranda contulerit. eius laudes Iohannes Chrysostomus describit.

Sexta ætas:

Iacobus maior Apoſtolus, martyrio coronatur ab Herode Agrippa, & Petrus incarceratur, vt patet Actuum xij. corpus autem beati Iacobi miraculoſe transfertur in Galliciam Hiſpaniæ: & ibi eſt ſedes patriarchalis poſt facta quaſi a ſiniſtris reſpectu Romæ.

Helena regina Adiabenorum conuerſa ad fidem, ſuſtentauit pauperes Chriſti fideles in Hieruſalem tempore famis ſub Claudio.

Imperatores. Claudius an. xiiij. mēſ. vij.

Petronella filia ſancti Petri virgo ſacra fuit.

Prudentiana virgo, & Praxedis virgo, ſorores Titi & Nouati.

Seneca ſtoicus clarus habetur, magiſter Neronis: a quo poſt coactus eſt ſeipſum occidere.

Iſte Claudius inconſtans animo fuit, & totus obliuioſus & guloſus: bellandi occaſionem libenter habuiſſet, ſed parum pugnauit, & facile quoſdam paucos hoſtes ſuperauit. tandem cum xxxv ſenatores occidiſſet cum ccc equitibus pro minimis cauſſis, veneno mortuus eſt.

Aſſumptio Mariæ virginis glorioſæ matris Dei, facta eſt xij annis poſt aſcenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum Hieronymum doctorem.

Perſius Satyricus.

Iuuenalis Satyricus.

Lucanus Poeta, patruus Senecæ.

Ouidius Poeta.

Anno mundi V^M. CCXLIII.

Papæ.

Anno Chriſti XLIIII.

De perſecutionibus eccleſię eſt diligenter aduertendum, quod ſicut in antiquo Teſtamēto inimicus humani generis ſemper electos multiplicibus machinationibus perſecutus eſt: ita, imo multo amplius in nouo, hoc eſt, tempore gratiæ, quādo iam cognitio & cultus veri Dei in toto orbe radiare cœperat: & primo per gladium, ſicut patet in perſecutione Stephani & Iacobi, ac aliorū innumerabiliū: in quo exercebatur eccleſiæ patientia. ſecundo per falſam doctrinā, & hoc multipliciter. primo per falſos Iudæos qui ſunt in ſynagoga ſathanæ, vt patet in diſputatione Petri, Stephani & Pauli: qui omnes clare informauerunt ſimplices, quod Ieſus eſt Chriſtus in lege promiſſus, contra friuolas aſſertiones peruerſorū Iudæorū: & hæc vſq; in finē durabit, & tēpore Antichriſti grauiſſima erit. tertio per magos & incantatores. Videns namq; antiquus hoſtis, quod per Chriſti nominis diuulgationē cultus ſuus abolendus eſſet, impleuit vaſa iniquitatis ſuę: qui per magicam artem rudes deciperent, ne in Chriſtum crederent, cum & ipſi ſe pro aliquibus magnis iactarent, quaſi filij Dei eſſent, in ſignis & prodigiis mendacibus, vt patet in Simone Mago, Menandro, Aroes & Arphaxat. quarto per falſos chriſtianos ſuperbię ſpiritu tumentes: qui, inſtigante inimico, plures hęreſes ſeminarūt, vt patet in Hebione Cerintho. Et quid plura? dicit beatus Bernardus, quod totus iſte mundus coniurauit contra Chriſtum. & Auguſt. *Qui non habuit perſecutionē, non eſt Chriſtianus.* Omnia ergo fidem impugnant, ſed firmum fundamentū eius ſtabile perſeuerat, habēs ſignaculum hoc, *Nouit Dominus qui ſunt eius.* nec eſſet aliquo modo poſſibile, quod fidei ſacramentum inter tot inſidiatores ſic floruiſſet, niſi cultores eius diuina maieſtas protexiſſet, diuina ſapientia illuminaſſet, diuina bonitas fouiſſet, iuxta Chriſti promiſſionem firmiſſimam, qui cum eiſdem ſemper fuit, & in finem perſeuerat. hinc Hilarius ait, Proprium eſſe ſolet eccleſiæ, vt tunc vincat, cum lædit̄r: tunc intelligat, cum arguit̄r: tunc ſecura ſit, cum deſeritur: tunc obtineat, cum ſuperata videtur.

Prima persecutio ecclesiæ fit Romæ iussu Neronis, in qua beatissimi principes christiani populi, scilicet Petrus & Paulus, martyrio coronati sunt cum alijs plurimis.

Refert Seneca de Nerone quod erat naturaliter ab infantia semper clemẽtissimus, & ita gratiosus, vt nemo vnquam populo Romano gratior esset, ita vt in obliuionem venirent cæteri principes propter fauoris magnitudinem. Verum potestas multos probissimos fecit atrocissimos.

Prodigia plura terruerunt Iudæos ante excidium Hierusalem. vide mirabilia in ecclesiastica historia.

Nero annis xiij. mens. vij.

Beatissimus Christi euangelista Marcus martyrio coronatur, anno Neronis primo, vt dicit Philo contemporaneus eius, apud Alexandriam Ægypti, vbi episcopus erat constitutus a beato Petro: sepultus ibidem miraculis claruit, & successit ei Anianus vir sanctus.

Iste Nero omnium hominum sceleratissimus fuit, adeo vt nomen eius vsq; hodie pro aliquo pessimo poni soleat: & quia contra optimam Christi legem primam susciauit persecutionem, merito Antichristi figuram tenuisse describitur. tandem a senatu hostis pronunciatus, cum turpissime fugeret, seipsum occidit, & lætata est Roma quasi victoriã obtinuisset contra aliquem pessimum inimicum, cultioribusq; vestibus se induentes, epulati sunt.

Simon magus multas superstitiones Romæ exercuit, & quia simile applaudit suo simili, ideo pessimus Nero, spreto consilio Senecę viri doctissimi, hunc pestiferũ sibi sociauit. tandẽ vterq; post infinita scelera in barathrũ damnationis æternæ turpissima morte descendit.

V^M. CCLIII. V^M. CCLXIII.

Petrus, superato Simone mago, & infeliciter mortuo, iussu Neronis crucifixus est, & in Vaticano sepultus, vltimo Neronis anno.

LIIII. LXIIII.

Pax illa vniuersalis totius orbis quam Romani habuerunt per annos ferme lxx, perpaucis bellis exceptis ac paruis, circa hęc tempora propter sæuitiam Neronis turbata est, & prouinciæ quædam recesserunt ab obedientia Romanorum, quia fidem Christi persequi ceperant. Iudæa & Hierusalem grauissimis persecutionibus & intestinis bellis attrita est propter peccatum illud maximum quod in filium Dei commiserunt: & circa hęc tẽpora etiam in foribus templi ipso festo paschali xxx^m necati sunt, & continue durauit dissensio, donec penitus deleti sunt. Barrabam enim petierunt, & non Iesum mitem & humilem.

Hi omnes discipuli sancti Petri martyrisati sub Nerone tyranno & multi alij, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Martialis episc. Lemoniacens. Sauinianus episc. Senonens. Potentianus. Altinus.
Flauius consul, qui & Clemens. Serotinus. Eobaldus. Mennius epis. Catalanens.
Eps Metẽsis, patruus Clemẽtis. Eucharius episc. Treuirẽsis. Simisi° ep. Suessens. Titus ep.
Thecla discipula Pauli. Trophimus episc. Arelaten. Onesim° ep. Ephes. (Creten.
Domitianus subdiaconus a beato Mennio a morte suscitatus. Crescens episc. Galatensis. Vitalis martyr. Felix martyr.
Nazarius. Processus. Protasius.
Celsus. Martinianus. Geruasius.
Epaphras episc. Colossensis. Torpes martyr. Felix martyr. Cõstantia mart.

Iacobus minor, apostolus, ac Hierosolymorũ episc. a Iudæis occiditur, anno vi Neronis.

Paulus glorioſus apostolus cum beato Petro eodem tempore, sed non eodem loco, capite plexus est ad aquas Salinas, in via Hostiensi.

Sexta ætas:

Iſte Veſpaſianus mediocris parentelæ, obſcureq; natus, ſemper glorioſe triumphauit. nam ſub Claudio & Nerone, quocunq; mittebatur, laude digna patrabat. triceſies & bis cum hoſtibus conflixit. Periclitante autem republica propter diſcordiam præcedentium, imperator, licet inuitus, eſt creatus, & rediit tranquillitas priſtina. pax inſuper in toto orbe pronũciata, iuxta tempora Octauiani, propter quod immenſum reſpublica creuit. moritur tandem profluuio ventris ſtando. aiebat enim, *Stantem decet imperatorem a terris recedere*. Eius virtutes multæ diligenter ſunt conſcriptæ.

Imperatores. Galba. Otho. Vitellius — Iſti iij diuerſis prouinciis imperare cupientes, in vno anno ſeſe interfecerunt. — Veſpaſianus. an. ix m̃. x. d xij

Hieruſalem deſtruitur anno ſecundo Veſpaſiani a Tito filio eius, interfectis xi centum milibus, venditiſq; lxxx^{m} Iudæorum. & extunc defecit regnum Iudæorũ, nec conſurget ante tempus Antichriſti. de hac horrenda ſtrage mira leguntur. vide Ioſephum. Nota, quod propter hanc vltionẽ legitime factam dicunt doctores quod in toto mundo Chriſtus pacem tribuit, ſicut in natiuitate fecit.

Ioſephus hiſtoriographorum nominatiſſimus, clarus habetur, natione Iudæus. Verum libri eius in multis locis vitio ſcriptorum ac longitudine temporum corrupti ſunt.

Apollinaris ſanctus martyr occiſus eſt Rauennæ, vbi epiſcopus a beato Petro miſſus fuit. & nota, quod nec Veſpaſianus nec Titus quicquã contra eccleſiam fieri iuſſerunt, ſed aliqui iudices inferiores perſequebantur fideles prætextu priorum mandatorum.

Anno mundi — V^{m}. CCLXXIII.

Papæ. *Italicus.* Linus mart. an. x mẽſ. iij. — dieb. xiij.

Anno Chriſti — LXXIIII.

Sanctiſſimus papa Linus tantæ perfectionis fuit, vt eccleſiaſticarum rerum diſpenſatione, etiam adhuc beato Petro viuente, meruerit diſpenſator ab eodem conſtitui. Hic ſtatuit, vt mulier velato capite eccleſiam intraret. tandem martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano iuxta magiſtrum ſuum ac patrem beatũ Petrum.

Thomas qui Parthos in ſortem accepit, martyriſatur in India, omnium Orientalium apoſtolus.

Andreas qui & Scythiam accepit in ſortem, in Achaia martyriſatur.

Matthæus qui Æthiopes ſortitus fuerat, in Æthiopia.

Simon & Iudas martyriſati ſunt in regionibus Perſidis.

Bartholomæus qui Indiam accipit in ſortem, poſtquam prædicauit Lycaoniæ antiquioribus, in Albano vrbe maioris Armeniæ martyriſatus eſt.

Titus diaconus, Pauli diſcipulus, apud Paphum quieuit.

Euodius epiſcopus Antiochiæ, ibidem eſt martyriſatus.

Sileas apud Macedoniam martyriſatus eſt.

Scotica gens oritur ex Pictis & Iberis in Albione, quæ eſt pars Angliæ.

Lucas diſcipulus Pauli, in Bithynia migrauit ad Dominum.

Philippus per Phrygiã xx an. prędicãs, Hierapoli quieuit in Domino. ſed in paſſionali dicitur quod fuerit crucifixus. Solus ipſe & Ioannes euangeliſta nõ ſunt martyri- ſati: cæteri vero omnes occiſi fuerunt.

Matthias in Iudæa, vel Ægypto coronatur. De tempore, & loco, & modo martyrij eius diuerſæ ſunt ſententiæ.

Barnabas coapoſtolus Pauli, Cypris occiſus eſt.

Persecutio secũda ecclesiæ fit Romæ iussu Domitiani,& pax vniuersalis totius orbis iterum per ipsius sæuitiam turbata est,& multę nationes se Romanis opposuerunt,innumerabilesque fideles martyrio coronati sunt. Vide historiam Cornelij Taciti.

Iste Domitianus filius Vespasiani,& frater Titi,primo quidē clemens fuit, & multa Romæ construxit, scilicet Pantheon: sed mox defecit,& crudelissimus factus est ac superbissimus,ita vt tanquam Deus coli vellet.senatores quosdam interfecit, in christianos secũdam persecutionem suscitauit. tandem omnibus odiosus,in Palatio a suis occisus est, & cum decore sepultus.

Titus filiꝰ Vespasiani an.iij.

Domitianus annis xiiij.

Nerua anno.i mēſ.iiij.

Iste Titus fuit miræ benignitatis, & triumphator maximus,supra modũ largus: toto corde suis se inimicis crebro reconciliauit,patrem suum virtutibus superans, Deliciæ humani generis dici meruit.Mira dispensatio superni rectoris, nunc optimus, nunc pessimus, nunc parcus, nũc prodigus:nunc sic, nũc aliter institutus ad regni gubernacula prouehitur. Quis abyssum tantorum iudiciorum scrutari prævalet? Moritur Titus anno iij,& tantus luctus in vrbe fuit, vt morituros eos pariter putares. Menãder Samarites superbissimus necromanticus, Simonis magi discipulus,Christum negauit,& seipsum saluatorem mundo destinatum asseruit: incredibilia figmenta composuit,& multos non prædestinatos decepit, cum quibus & ipse periit. vide histor. ecclesiast.iij.

Vᴹ. CCLXXXIII.

Romanus.

Cletus martyr an. xi.

mensi.dieb.xi.ex patre Æmiliano.

LXXXIIII.

Iste Cletus primus inuenitur scripsisse in suis literis, *Salutem & apostolicam benedictionem*. Ordinauit presbyteros xxi in Romana vrbe mense Decembri:peregrinationes ad sanctos approbauit, dicens, *quod validior est ad salutem sancti Petri visitatio, quam duorum annorum ieiunium.* Excommunicauit insuper qui huiusmodi visitationes impediunt aut dissuadent. tandē martyrio coronatur sub Domitiano vi Kalendas Maij, sepultus in Vaticano.

Hæresis Nicolaitarum,qui indifferenter vxoribus vtuntur,dicentes *omnia debere esse communia inter christianos.*

Cerinthus hæresiarcha surrexit turpulosus ac libidinosus totus:a quo dicta est hæresis Cerinthiana. Hic dixit, legalia esse seruanda.

Hebion hæresiarcha,a quo Hebiones hæretici dicti sunt, qui dicunt Christum purum hominem fuisse,& Paulum apostatam legis,&c.

Maria Magdalena,& soror eius Martha.

Marcella eius pedissequa.

Lazarus earum frater episcopus Marsilienſis.

Maximus episc. Aquensis. Hic viaticũ dedit Magdalenæ.

Hi migrauerunt ad Dominum in partibus Marsiliæ.

Iulianus qui & Simon leprosus, episc. Cenomanensis.

Iulianus alius, qui vtrumque parentem nescius occidit.

Aristarchus & Priscus mart.

Paulus episc. Narbonensis.

Saturninus episc. Tolosañ.

Martialis episc. Santoñ.

Georgius episc. Belliacen̄.

Austregisilus epis. Luturien̄.

Cantianus episc. Turon.

Irenæus episc. Lugduneñ.

Ferruntius episcopus Besuntionensis.

Eutropiꝰ episc. Aurisitanen̄.

Fronto episc. Petragonicen̄.

Dionysius episc. Parisiensis.

Eutopius episc. Aquitanensis. Hi venerandissimi patres sortiti sunt regiones Franciæ a Domino, omnes sancti.

Marcus Agrippa præfectus vrbis Persas deuicit: & ob hoc Pantheon extructũ est, id est tẽplum omniũ Deorũ, iussu Sibyllæ: ipse etiã Agrippinã supra Rhenum cõpleuit, quæ antea fuit ab Agrippa cõdita. Hęc est Colonia secũdum quosdam.

Traian⁹ an. xix. dieb. xv.

Imperatores.

Iste Nerua senex adoptauit Traianum in filium, primoq; edicto omnia fore facta Domitiani retractauit.

Iste Traianus optimus dicitur fuisse inter omnes Augustos. Hoc solum in eo culpatur, quod zelo falsorũ deorum Christi fidem extinguere nisus est, arbitrans, se in hoc obsequium præstare Deo. Dicitur quidem, quod non per se, sed per suos fideles persequebatur. forte hoc ad tempus verum fuit: quia constat, quod aliquando ipsemet iussit quosdam tormentari, & occidi. In fine mitigauit edictũ, vt non occiderentur, nisi casu inuenirentur, aut se offerrent: sed parum hoc profuit, quia inuida plebs per huiusmodi nihil artata fuit. eius laudes pro nihilo ducerẽ, nisi beatus Greg. eius pietate commotus, lacrymas fudisset, & eum ab inferno liberasset. An autem saluatus sit, vsque hodie dubiũ est, & grandis altercatio doctorum. De hoc etiã diuersæ reuelationes deuotarum personarum reperiuntur, quæ omnes quas ego vidi, hoc intendunt, quod non velit Dominus aliud, nisi vt cum timore salutem nostram operemur, & de huiusmodi curiosis quęstionib. quieti simus, eo quod non sine causa hæc & similia ecclesiam suam vult latere.

Iste idem Traianus apud Agrippinam Galliæ insignia imperij inuitus sumpsit, Germaniam restituit, Orientales prouincias, Babyloniam, Seleuciã, extremaq; Indiæ secũdus post Alexandrum perdomuit &c. In omnibus his adeo pius permansit, vt omnibus gratus, nulli existeret grauis: quod de paucis legitur &c. Hæc insignia sunt verę & nõ fictæ nobilitatis. ita semp vixit, vt imperio digniss im⁹ haberetur: ita principatũ fugit, quasi nullus foret ineptior.

Anno mundi V^M CCXCIII.

Papæ, Clemens primus, martyr. *Romanus,*

De regione Cælio monte, ex patre Faustino.
annis ix. mens. ij. dieb. x.

Anno Christi XCIIII.

Sanctus Clemens primum a beato Petro, vt dicitur, ordinatus fuit sibi successor: sed propter periculum voluit ante se beatum Linum & Cletum pontificari, ne videlicet hoc exemplo prælati substituerent sibi quos vellent. Hic fecit gesta martyrum per regiones conscribi. Similiter & ipse multos libros edidit. Statuit etiam, vt cathedra episcopalis in eminentiori loco poneretur, & quod baptizatus, prout citius poterit, cõfirmetur. tandem martyrisatur sub Traiano submersus in mari: & de eius funere mira scripta sunt. Corpus eius tempore Nicolai primi repertum fuit, & Romæ translatum. Taurinus episcopus Eboracensis, & Gangericus eius frater episcopus Cameracensis, discipulus beati Dionysij. Ioannes euangelista adductus iussu Domitiani ab Epheso Romã, cum sacrificare nollet idolis, ponitur in dolium feruentis olei: sed cum nil læsionis sensisset, relegatus est in Patmon insulam, ibiq; Apocalypsim scripsit. rediens autẽ Ephesum tempore Traiani, in pace quieuit. Dionysius annorum xc, Ariopagita venerabilis pater, lumen orbis, martyrio coronatur in Gallia cũ Eleutherio & Rustico, vbi missi fuerunt a beato Clemente.

Eutropius episc. Sanctensis, martyr.

Sanctinus episc. Meldens. cũ Antonio a morte suscitato, discip. Dionysij.

Iouius Athenien. presbyter & martyr, discipulus Dionysij.

Carannus martyr Carnutensium prędicator discipulus Petri.

Simon Cleophæ filius, frater Iudæ, episcop. Hierosolymorum cxx annorum crucifixus est, martyr Domini gloriosus.

Regulus episc. Arelat.

Eugenius Toletan.

Eutyches martyr.

Persecutio tertia ecclesiæ a Traiano exercetur, in qua perempti fuerunt infiniti. tandem cohibita fuit interuentu Plinij secundi, sed non totaliter.

Iudæi deuastant prouincias multas, & quasi amentes incredibili motu sub vno tempore per diuersas mundi partes exarserunt, nulli parcētes, ciuitates plures desolauere: nec tamen prævaluerunt vt regnum adipiscerentur: quia primo per Traianum, secundo per Adrianum deleti sunt. sic Christus vtrobique vindicatur. nunquam enim Romani impune persecuti sunt ecclesiam: sed nec vnquam honore aut emolumento caruerunt quotiescunque fideles honorauere. de hoc plenius vide Orosium. Timotheus episcopus Ephesiorum, discipulus Pauli, martyrisatur. Plutarchus nobilissimus philosophorum claret, magister Traiani, cui epistolam optimam scripsit.

Ignatius doctor glorioſus, episcopus Antiochiæ, discipulus Iohannis, martyrio coronatur nobilissimo. Huius cor scissum in se aureis literis hoc dulce nomen *Iesus* inuentum est habuisse descriptum. ait enim in epistolis suis, *Amor meus crucifixus.* Beatam virginem in carne vidit, eique epistolas scripsit, in quibus sic habetur, *Christiferæ Mariæ*, &c. & illa dulciter respondit, scribens, *Ignatio dilecto condiscipulo humilis ancilla Christi: veniam ad te*, &c.

Phocas martyr passus est vltimo tempore Traiani, cui spiritu prophetico dixit, Traiane, perge ad vlterioris abyssi loca, & ad præparata tibi tormenta festina: vbi nocte perpetua, & sæuo exurendus es incendio: triduo hac in luce versaberis, quo emerso, caligo te mortis excipiet. nec enim inultus innocentium sanguis diutius esse potest. & Traianus die tertia expirauit ventris profluuio.

V^M CCCIII.

Anacletus mart. an. ix. — Græcus. De regione Athenien. ex patre Antiocho. mens. ij. dieb. x.

Euaristus martyr, an. x. — Græcus. mens. vij. dieb. ij.

CIIII.

Iste Anacletus beatissimus fideles monuit per epistolam, vt presbyteri præ omnibus honorarentur, dicens, quod Deo sacrificantes nō debeant vexari, sed supportari, atque ab omnibus venerari: & presbyteri quando sacrificant, testes secū habeant, & maxime episcopi, vt Domino perfecte sacrificare probentur. Item statuit, vt clericus nec barbam nec comam nutriat. Ipse memoriam beati Petri construxit. Ordinauit etiā vij diaconos cardinales in vrbe. Item, quod episcopus a tribus debeat episcopis consecrari. Item, quod ordinatio clericorum palam celebretur. tandem xij anno Traiani martyrio coronatur, sepultus in Vaticano apud corpus beati Petri.

Plinius secundus, orator & philosophus multa scripsit. mitigauit etiam Traianum, vt retractaret sententiam latam contra christianos, scribens ei, quod nihil mali facerent, sed virtutib. insistentes, Christum tanquam Deum ante lucem surgentes laudarent.

Iste Euaristus sanctus martyr statuit, vt episcopus a plebeiis nō accusetur, & septem diaconos ordinauit, vt assisterent episcopo prædicanti propter honorē verbi Dei, ne ab æmulis detraheretur episcopo, quod falsa prędicauerit. Item, quod coniuges publice sponsentur a parentibus, & a sacerdote solemniter benedicantur. tandem martyrisatur anno iij Adriani, sepultus apud corpus sancti Petri.

Domicilla martyr.
Eufrosyna martyr.
Theodora martyr.
Sulpicius martyr.
Seruilianus martyr.

Iſte Adrianus in multis commendatur. chriſtianis ſatis gratioſus extitit: quoſdam tamen nolentes ſacrificare puniri iuſſit, & occidi. vniuerſalis quaſi fuit in omni ſcientia: pacem omni tempore habuit: Pater patriæ dictus eſt: leges multas condidit: prohibuit etiam ne chriſtiani ſine proceſſu iudiciali damnarẽtur: Hieruſalem funditus deſtruxit, & poſt reinſtaurauit, omnino prohibens, ne Iudęi intromitterentur, ſed chriſtiani. inuitus ad imperiũ venit, ſed optime rexit. cumque ſenatus obſecraret, vt filium Cæſarem appellaret, Sufficere, inquit, debet, vt ego inuitus regnauerim, cum non merear. principatus enim non debetur ſanguini, ſed meritis: & inutiliter regnat qui rex naſcitur, & non meretur. exercendi prius ſunt virtutibus, qui regnare debent: & cum in eis profecerint, adeo vt probentur illos virtutibus antecedere quos debent honoribus anteire, inuitati aſcendant, & ſe ciuium ſuorum votis non ſubtrahant.

Imperatores. Adrianus Ælius, an. xxi.

Hieruſalẽ reſtauratur per Adrianum & nomine eius Ælia vocata fuit. Et amplificata fuit, ita vt locus paſſionis eſſet intra muros qui prius extra fuit. Et hæc eſt tertia reſtauratio. quia ter deſtructa fuit ſcilicet a Chaldęis tempore Sedeciæ ab Antiocho tempore Machabæorum: & a Tito tempore Veſpaſiani.

Secundus philoſophus in ſilentio deget, & ad interrogata Adriani ſcripto reſpondit.

Euſtachius alio nomine Placidus, & Theoſpita eius vxor, & duo filij eius Agapetus, & Thesbites, quorum miri actus leguntur, circa hæc tempora fuerũt: qui omnes iuſſu Adriani glorioſo martyrio coronati ſunt.

Ariſtides philoſophus apologeticum pro chriſtianis fecit: quem videns Traianus, placatus eſt.

Anno mundi	V^M CCCXIII.	V^M CCCXXIII.
Papæ.	Alexãder primus, martyr. Romanus. Ex patre Alexandro, de regione Capritauri. an. viij. menſ. v. dieb. ij.	Xyſtus i. martyr an. x. Romanus. De regione Violata, ex Paſtore patre. menſ. iij. dieb. xxi.
Anno Chriſti	CXIIII.	CXXIIII.

Iſte Alexander maiorem partẽ ſenatorum Vrbis conuertit ad Dominum. Hic ſtatuit aquam benedictã cum ſale aſpergi in domibus fidelium, vt de conſe. di. iij. aquam. In canone addidit memoriam paſſionis, ſcilicet, *Qui pridie quam pateretur* &c. Item, vt vinũ ſit mixtum cum aqua in calice propter repręſentandam vnionem Chriſti & eccleſiæ, de conſe. di. ij. c. i. & vt oblatio fieret ex azymo modica quantitate. tandẽ martyriſatur ſub Adriano cum multis quos ad fidem conuerterat. ſepultus in via Numentana. poſtea tranſlatus fuit ad eccleſiam ſanctæ Sabinæ.

Quirinus martyr tribunus.
Theodotus martyr diaconus.
Euentius martyr, & presbyter.
Quadratus epiſcopus Athenienſ. diſcipulus apoſt.
Hermes præfectus vrbis, martyr.

Aquila genere Ponticus, orator, floret, qui ſecundus interpres Moſaicæ legis fuit. primo enim fuerũt lxx de Hebraico in Græcũ transferentes: ſecundo iſte de Græco in Latinũ primus interpres fuit.

Iſte Xyſtus ſtatuit, vt diceretur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* & quod myſteria ſacrata non tangerentur niſi a miniſtris, de con. di. i. in ſancta. Itẽ, vt corporale nõ fiat ex ſerico, ſed ex puriſſimo lino contexto, & non tincto. &, vt mulier ſacra vaſa altaris & pallas nõ tangeret. Item, vt quicunq; epiſc. vocatus ad ſedẽ apoſtolicã, rediens ad eccleſiã ſuã, non ſuſciperetur niſi cum literis apoſtolicis. Itẽ, vt miſſa nõ niſi ſuper altare celebretur. Itẽ etiã miſit Peregrinũ epiſc. genere Romanũ cum aliis fidelibus in Galliam. tandẽ martyrio coronatus extra portã *Domine quo vadis?* ſepultus in Vaticano.

Galen⁹ medic⁹, Pergamiorius, interpres Hippocratis Romæ claret.

Ibita martyr.

Callocerus martyr.

Maria martyr, & virgo.

Ptolomęus rex mirabilis in mathematicis, omniũ astronomorum præcipuus, plus addidit, quam ante se inuentũ reperit, & plura scripsit. Cerdo hæreticus. hic fuit magister Mardonis.

Iste Antoninus gener fuit Adriani, & filius adoptiuus, vir vtique peritissimus, & natura benignus: quod non facile in vno homine reperitur. prudentia præcellentes cõmuniter nõ sunt excellenter benigni & tranquilli, ex natura prȩcipue: & ecõtra excellenter benigni sunt communiter minus industrij: vir autẽ iste in vtrisq; excellenter dotatus fuit. ob hoc multæ prouinciæ, quæ ab aliis imperatorib. recesserunt, sub isto voluntarie redibãt: quia vere pater patriæ fuit: omnib. carus, nullis acerbus, fidelib. clementissimus erat. vnde & Pius dictus est, & ab eo sequentes imperatores appellati sunt Pij. ait enim, Malo Scipionis exemplo vnum ciuẽ seruare, quã mille hostes occidere. Quod autem aliqui martyres sub eo coronati sunt, non ex suo, sed priorum mandato processit. tanta siquidem crudelitate aereæ potestates inuidam plebem commouerunt, vt nec summi imperatores possent eam sedare ad plenum. ita exosum fuit christianum nomen apud idololatras, & maxime apud pontifices & sacerdotes templorũ, qui principes & populum prouocabant aduersus Christi fideles: quia viderunt, quod status & quæstus diminuebatur, & ad contemptum esset venturus tantus fastus eorum: quia christiani dicebãt, quod indifferenter omnes dij dęmones essent, a quib. tota simul cõmunitas sperabat temporalem simul & æternam felicitatem. ideo non mirum, quod etiam pacato principe adhuc inferiores persequerentur christianos tanquam blasphemos.

Antoninus Pius an. xxij.

V^M CCCXXXIII. V^M CCCXLIII.

Telesphorus martyr,

Romanus ex Anachorita. an. ix. mens. iij. dieb. xxij.

Hyginus martyr, an. iiij.

Græcus de Athenis, ex patre philosopho. mens. iij. dieb. viij.

CXXXIIII. CXLIIII.

Iste Telesphorus statuit cantari hymnum angelicum, scilicet *Gloria in excelsis*. & euangeliũ ante sactificiũ, & in natali Domini cantari tres missas propter multas causas &c. Itẽ, ꝙ clerici ieiunare debeant per vij hebdomadas plenas: quia sicut debet esse discreta vita clericorũ, sic & ieiuniũ. etiam statuit vt nullus missam ante tertiã præsumat canere. tandẽ martyrio coronatur. sepultus apud sanctũ Petrũ in Vaticano.

Decẽ milia mart. crucifixi sunt in Armenia in monte maximo Arath. Quorũ festũ celebre colitur x Kal. Iulij cum magna deuotione, quia multa obtinuerunt cultoribus suis a Domino.

Peregrinus episcopus Antisfodornens. mart.

Serapia martyr, & virgo.

Sabina martyr, & nobilis vidua.

Fides, Spes, & Caritas cum Sophia nobili matrona matre earum martyrisatæ.

Iustinus philosoph. discipulus Pompeij libros eius abbreuiauit. Hic etiam librum de christiana religione edidit, quem Antonino tradidit, & benignum christianis fecit.

Iste Hyginus clerũ cõposuit, graduq; distinxit: & vt patrinus & patrina infantẽ susciperẽt in baptismo, confirmatione, & catechismo. Scripsit etiam vnã epistolam generalẽ omnib. fidelibus de vno & trino Deo. Item, quod nullus episc. Metropolitanus, excepto Romano põtifice, audeat suffraganeum suũ condemnare, nisi causa in concilio prouinciali suorũ episcoporum fuerit ventilata. tandẽ martyrio coronatur, sepultus in ecclesia sancti Petri.

Marcion hæreticus, quem Polycarpus dixit esse primogenitum diaboli.

Valentinianus hæreticus dixit Christũ cœleste corpus attulisse. Pompeius Trogus natione Hispanus, historias totius orbis a Nino vsq; ad Octauianum deduxit.

Taurus nobilissimus Philos. Athenis claruit. Hic ait, *In publico mos populi, in priuato natura eius gentium q; seruetur.*

Sexta ætas:

Perſecutio quarta fit iuſſu Antonini Veri, in qua innumerabiles vtriuſque ſexus coronati ſunt, ſed non impune. lues enim magna, id eſt peſtilentia, ſecuta eſt per totam Italiam & reliquas prouincias, bella, terræmotus, inundationes fluminum, agmen locuſtarum &c. Item, exercitus Romanus vbique conſumptus eſt.

Bellum Marcomanicum (vt dicit Oroſius) grauiſſimum fuit: quia barbaræ nationes exercitum rudem Romanorum in gyro circumdederunt: ſed militib. quibuſdam chriſtianis clamantibus, *Chriſte adiuua nos*, ilico fulgura terruerunt barbaros, ita vt fugerent. ob hoc Chriſti nomen celebre factum fuit: & Imperator non ſibi, ſed ipſi victoriam tribuit, & ſententiam mitigauit.

Imperatores. Marcus Lucius an. xix. — Antoninus Verus. Aurelius Commodus.

Iſti duo imperiũ ſumpſerunt poſt Antoninũ Pium, & extunc bini imperare ceperunt: ſed Lucio mortuo, Antoninus ſolus imperium tenuit, qui bonus & victorioſus fuiſſe deſcribitur, niſi hoc, quod chriſtianis quartam perſecutionem iuſſit inferri. Dicitur, quod tantæ ſeueritatis & conſtantiæ fuit, quod ad nullum euentum vnquam vultum mutauerit, ſiue ex lætitia, ſiue ex mœrore, etiam dum adhuc puer eſſet. tantæ fuit humanitatis, vt quadam vice cum iam exhauſto ærario nil haberet quod militibus daret, nulli volens eſſe moleſtus, magis elegit vaſa aurea & ornamenta vxoris, & aliam ſupellectilem vendere, quam ſenatum vel prouincias prægrauare. ſed victoria habita, & illa recuperauit, & prouinciis tributa relaxauit. Papias Iohannis auditor, Hieropolitanus epiſc. claruit, fecit librũ explanationum ſermonum Domini.

Anno mundi V^M CCCLIII.

Papæ. Pius primus, martyr. — Italicus de ciuitate Aquileia, ex patre Rufino. an. ix. menſ. iiij. dieb. xxi.

Anno Chriſti CLIIII.

Hic ſtatuit pœnam contra negligentias, quę accidere poſſunt circa ſanguinem Chriſti, vt patet de con. di. ij. ſi per neg. Item, quod feſtum Paſchæ ſemper in dominico die celebretur. Item, quod hæreticus veniens de Iudæorũ hæreſi recipi debeat, & baptizari. Hic fecit ordinationes quinq;, & tandem martyrio coronatur, ſepultus apud ſanctum Petrum in Vaticano.

Polycarpus epiſcopus Epheſinus, Iohannis apoſtoli diſcipulus Romam venit, & plures ab hęretica labe reuocauit. Magnus labor ſanctorum, & ingens triſtitia tunc erat: quãdo foris materialis gladius, intus ſerpentinum virus erroris eccleſiam corrupit. Et hæc duplex perſecutio diu durauit. Si quandoq; ceſſauit gladius, hæreticorum tamẽ perfidia magis ac magis inualeſcebat, & multiplicabatur. tandem idem vir ſanctus martyrio coronatus fuit ſub Antonino Vero cum aliis xij ex Philadelphia.

Hermes doctor fidei plura ſcripſit: cui angelus Domini apparuit, dicens, quod Paſcha dominica die celebretur. poſtea martyriſatur.

Iuſtinus philoſophus ad fidem conuerſus, multa ſcripſit cõtra hęreticos, & martyrio coronatur.

Iuſtus epiſc. Viennenſis martyriſatus eſt.

Photinus epiſ. Lugdunẽſis cum multis aliis coronatur.

Alexander medicus, & Ponticus puer, martyres.

Felicitas cum ſeptem filiis paſſa eſt. mirabile ſpectaculũ. ſic olim vij Machabæi cum matre.

Pontianus glorioſus martyr.

Flocellius puer martyr.

Siminicus puer martyr.

Nouatus cũ aliis viginti duobus.

Praxedis oratione fuſa quieuit in Dño poſt longiſſimos labores.

Victor miles, & Serena vxor eius, martyres.
Cõcordius subdiaconus mart.
Marcellus martyr.
Valerianus martyr.
Hegesippus & libros fecit de historiis apostolorũ & martyrũ, vsq; ad tempus suum.
Attalus de Pergamo fundamẽtum ecclesiæ, martyr.
Cataphrygę hæretici exorti sunt de Phrygia, qui dicunt se solummodo habere spiritum sanctum, nec apostolis, nec alijs datum. Mõtanus, Prisca & Maximilla autores eorum fuerunt.
Theophilus episcopus Antiochiæ.
Apollinaris Hieropolitanus episc.
Narcissus patriarcha Hierosol.
Dionysius episc. Corinthiorum.
Gaius martyr.
Philippus episc. Cretẽs.
Prothus & Hyacinthus, de quibus mirabilis habetur historia.

Cõmodus Aurelius cum Lucio Antonino. annis xiij.

Blandina sanctissima mulier passa est.
Tertullianus Africanus in ecclesia insignis habetur.

Iste Commodus filius Antonini Veri, totus infamis & lubricus fuit: & adeo incõmodus, vt inimicus humani generis diceretur. Interfecit quãplurimos senatores, & maxime quos animaduertit nobilitate industriaque excellere. Tantę fuit superbiæ atque iactãtiæ, vt sæpe leonis pellem induens, ostenderet se esse regem hominũ, sicut leo bestiarum. Verum vbi splendet constantia martyrum, tædet amplius de carnalitate hominum mundanorum sermonem texere.

Prima pax ecclesiæ data est, sed non diu stetit.

V^M CCCLXIII.

Anicetus martyr an. ix.

Syrus, ex patre Iohanne de vico Mirea.
mens. iij. dieb. iiij.

V^M CCCLXXIII.

Soter 1. martyr an. ix.

Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundana.
mens. iij. dieb. xxi.

CLXIIII.

Iste Anicetus plures canones edidit, qui in decretis in diuersis locis habentur, sicut & aliorum sanctorum primũ sanguinem suũ pro testamẽto dederũt. nã ob hoc sancti canones dicti sunt, quia primum ab apostolis, deinde a martyrib. & doctoribus sanctis, quales pene omnes prælati in primitiua ecclesia fuerunt, & a sacris cõciliis cõstituti sunt: nec humana adinuentione, sed sancti spiritus vnctione ac iussu dictati sunt. Et qui temerarie eos reprehendit, in spiritum sanctum blasphemare perhibetur, vt in ca. violatores xxv. q. i. Multa statuit iste Anicetus de statu episcoporum, ac consecratione. tandem martyrio coronatus sub Antonino, sepultus in via Appia in cœmeterio sancti Callisti.

Nota hic diligenter, quod (secundum sacros doctores) imperium sępius contra ecclesiam fortiter egit, sed nunquam prudenter. Vnde cum simul tota cohors sapientium dicat, nobile vincendi genus esse patientiam, patet quod ecclesia per patientiam nobiliter sibi imperium subegit. hoc siquidem tempore imperatores dixerunt, Nolumus vt præcipiatur nobis, cũ nos vniuersis prędipere habeamus, doctiores omnib. hominib. soli Romani prædi-*

CLXXIIII.

Iste statuit, vt monacha velum portaret, sed pallas sacras non tangeret, nec incensum poneret in ecclesia. Et quia multa pericula solebant circa matrimoniũ contingere, ideo cõstituit, quod legitima non habeatur vxor, nisi per sacerdotem fuerit benedicta, & a parentibus solemniter tradita, & a paranymphis custodita. tandem post sanctam vitam sanctiore morte migrauit ad Dominũ, coronatus martyrio, & sepelierunt eum fideles in Vaticano in ecclesia sancti Petri, & cessauit episcopatus diebus xxij.

Theodotion tertius diuinæ legis interpres.

Sexta ætas:

Quinta perſecutio eccleſiæ fit iuſſu Seueri: quam ilico diuina vltio ſubſecuta eſt, propter ciuilia bella, in quibus Romani nimis attriti fuerunt.

*camur. Poſtea ſine gladio aut fuſte cũ longanimiter ſuſtineret eccleſia, ad hoc deuentum eſt, vt maieſtas Romani imperij ſolemniter ac humiliter profiteretur, quod imperiales leges non dedignarentur ſacris canonibus obedire. Hæc eſt mutatio dextræ excelſi. Igitur *vincere ſi vis, diſcepati.* Signum perfectæ prudentiæ eſt, imprudentem ac inſufficientem ſe æſtimare. Ipſa enim temporalium rerum continua mutabilitas omnem humanam prouidentiam deridere ſolet.

Clemens Alexandrinus philoſophus.

Imperatores.

Pantænus ſtoicus Africanus hiſtoricus.

Ælius Pertinax. Seuerus

Alexãder Narciſſi ſucceſſor magiſtri Origenis.

annis xviij. menſ. vi.

Iſte Ælius vir grandæuus inuitus accepit principatum: nunquam accepit munera, nunquam ad vlciſcendum ſeductus eſt. Sexto menſe interemptus eſt a Iuliano ambiente imperiũ. ſed non profecit: & ſicut fecit, ſic factum eſt ei a Seuero. Iſte Seuerus genere Afer, deſtitutum imperium adeptus tria ciuilia bella confecit. Primum namque Iulianum inuaſorem imperij expugnando occidit Romæ, ſecundo contra Peſcennium, tertio in Gallia contra Albinum ſocium Iuliani cum multo vtriuſque partis ſanguine bellauit & vicit. Hic natura ſæuus, multis ſemper bellis laceſſitus, fortiſſime quidem rempublicam, ſed laborioſe rexit. Parthos, & Arabes, Adiabe-

Symmachus quartus diuinæ legis interpres.

Anno mundi — V^M. CCCLXXXIII. — V^M. CCCXCIII.

Papæ.

Eleutherius mar. an. xv.

De oppido Nicopoli, Græcus ex patre Habundo. menſ. vi. dieb. vi.

Victor martyr annis x.

Afer ex patre Felice. menſ. ij. dieb. xij.

Anno Chriſti — CLXXXIIII. — CXCIIII.

Iſte Eleutherius iuxta ordinationem apoſtolorum conſtituit, vt nulla eſca vſualis repudiaretur a chriſtianis, quę rationabilis eſſet & humana. Item quod nullus a ſuo gradu deijceretur niſi prius accuſatus conuinceretur, exemplo Domini, qui Iudam accuſatum non ſuſtinuit, & quicquid interim inter apoſtolos egit, pro dignitate miniſterij ratũ permanſit. Itẽ, vt abſente eo cuius cauſa ventilatur, ſententia nullatenus proferatur. Miſit etiam legatos Lucio regi Britonũ, qui eum cum populo ſuo baptizauerũt. tandem martyrio coronatus ſepelitur in Vaticano apud ſanctum Petrum.

Leonides pater Origenis pro Chriſto decollatur, & martyr efficitur. Et Origenes tũc xvij annorum ſe cum patre martyrio obtulit: ſed pia matris fraude impeditus totum patrimonium perdidit, eo q, chriſtianus eſſet, &c. Ipſe autẽ docendo ſcholares grãmaticã, matrem & vij fratres ſecum de precio paſcebat.

Iſte Victor propter diſſenſionem de termino paſchali celebrauit conciliũ in Alexandria Palæſtinæ, cui ipſe interfuit, & Narciſſus, & Theophilus, & Irenæus &c. viri ſancti. vbi ſtatutũ eſt, quod ſemper dominico die paſcha celebrari debet, obſeruata luna xiiij Aprilis vſque ad xxi. quia tantus vel circa eſt ſaltus Lunæ & poſtea reditus. Hoc autem factum eſt, ne iudaizare videatur eccleſia. Plures tunc epiſcopi Aſiæ & Orientis cum Iudæis paſcha celebrabãt. Item ſtatuit, quod exigente neceſſitate vbiq; & in omni aqua naturali poſſit conferri baptiſma. tandem martyrio coronatur, ſepultus apud ſanctum Petrum in Vaticano.

Anglia, quæ quondã Britannia dicta eſt, ad fidem conuertitur ſolenniter, rege Lucio primũ baptizato: deinde ſubiectus populus eius exẽplo fidei colla ſubmiſit pacifice. Fuganus & Damianus, quos Eleutherius papa miſit, primo illic prædicauerunt.

Heu,heu,vbi manſit antiquorum Romanorum tanta probitas,ſtrenuitas, legalitas, ac incomparabilis prudẽtia & honeſtas. Siquidẽ hoc tempore imperium ad manus ſtultorum deuenit.

Nota, quod ſtultus,ſi ſe ſtultũ putat,adhuc aliquid de lumine naturalis intelligentiæ habet: ſed ſi ſe ſapientẽ æſtimat,tũc cõpleta eſt ſtultitia eius,nec eru diri poteſt, ſed ſapiẽtes perſequitur,ſimileſq; ſibi ſociat.

Antoninꝰ Caracalla an. vij.

Iſte Antoninus patre aſperior vixit:libidinis impatientiſſimus fuit, ita vt nouercam ſuam duceret in vxorem. Papinianum iuriſconſultum, & doctrinæ legalis theſaurum occidit:& ſicut fecit factum eſt ei,quia ab hoſtibus circumuentus, occiſus eſt peſſimus ipſe cum gaudio multorum. Nota,quod hic mos ſtultorum ſemper fuit, ſi potentes ſunt, ſapientes perſequuntur: quibus ſublatis neceſſe eſt, vt ipſi quoq; pereant. ſolus enim intelligens gubernacula poſſidebit,vt dicitur Prouerbiorum i.

Baſſianus filius Seueri.

*nos, Iudæos, & Samaritas ſuperauit, & multa toto orbe Romano imperio recuperauit. In ſtudijs ciuilibus & philoſophia clarus fuit. Quintam perſecutionem in chriſtianos ſuſcitans,multa infortunia paſſus eſt. In Britannia poſt grauia prælia firmiſſimam vallem muniuit cxxxij paſſuum cum turribus crebris, & a mari vſque ad mare perduxit: ibique apud Eboracum oppidum morbo obiit.

Irenæus Lugdunenſis epiſcopus, cum magna multitudine cleri & populi martyrio coronatur.

Audetius ſubdiaconus,diſcipulus ſancti Polycarpi, martyriſatur.

V^M. CCCCIII.

Romanus. Seuerinꝰ martyr annis ix. ex patre Habundo. menſ.vi.dieb.x.

CCIIII.

Iſte Seuerinus ſtatuit vt omnes chriſtiani xij annorum in die paſchæ ſacramentum cucchariſtiæ accipere debeant in publico, & omnia vaſa altaris vel vitrea vel ſtannea eſſent, non lignea,ſicut antiquitus fiebat conſecratio pretioſi ſanguinis in ligneis vaſis. vnde creſcente tempore ſubcreuit & decus eccleſię: quia vitrea poſt prohibita ſunt,vt patet de conſe. diſt.i.ca. Vaſa. & multa alia ſtatuit ſalubria. tandem martyrio coronatur, ſepultus in pace Chriſti.

Artemonis hæreticus, dicit Chriſtum eſſe purũ hominem, & abſque Deo, plures habuit qui hanc hæreſim tenuerunt.

V^M. CCCCXIII.

Romanus. Calliſtus i. martyr annis v. ex patre Demetrio. menſ.ij.dieb.x.

CCXIIII.

Iſte Calliſtus inter cætera quæ fecit bona,cœmeterium in via Appia extruxit,vbi martyrum milia ſepulta ſunt. hoc iã dicitur cœmeteriũ beati Calliſti. Iſte ſtatuit ieiunia quatuor temporũ obſeruari. ipſe fecit eccleſiam beatæ Mariæ trans Tiberim. ipſe cœlibatum vniuerſis ſacerdotibus induxit. tandem martyrio coronatur, ſepultus in cœmeterio ſuo.

VIpianus iuriſlegalis conſultus maximus, vt patet in corpore iuris ciuilis per totum.

Origenes, doctor egregius, ac ſanctitate vitæ incomparabilis,clariſſimus habetur in eccleſia Dei. De hoc tẽpore ſemper extrema reperimus ſcripta. quidam dicũt eum optimum,quidam peſſimũ fuiſſe. Supra modum mirum eſt,quod viri grauiſſimę autoritatis ac ſanctiſſimæ vitæ, ita contradictorie de ipſo ſcripſerunt. vide in hiſtoria eccleſiaſtica lib. vi,& alibi &c. Concordiam ſuper his reperire non potui.an autem ſit ſaluatus,an non, Domino cognitum relinquimus &c. Grandis labyrinthus a diuerſis texitur de Samſone,Salomone,Traiano, &iſto Origene,an videlicet ſaluati ſint,an non:quę quia ſine periculo neſciuntur,nec etiam eccleſia certificata eſt de his,Domino totaliter committenda ſunt.

Sexta ætas:

Iſte Alexander habuit matrem chriſtianam nomine Mammæam, cũ qua Origenẽ presbyterũ audire curauit. Hic fuit virtuoſiſſimus,& rempublicã ſalubriter gubernauit,conſilio Vlpiani vſus, qui fuit legalis ſcientiæ princeps. Xerxẽ regẽ Perſarũ maximo bello oppreſſit, & corpus ſancti Thomæ apoſtoli iuſſit transferri de India ad Syriam:& ſic venit ad Ediſſam ciuitatem Abagari, in qua litera ſcripta habebatur de manu Saluatoris. tandem etiã iſte Alexãder tumultu militari occiditur apud Moguntiam. Sexta perſecutio eccleſię facta eſt iuſſu Maximini, ſed non euaſit impunitus: quia ſtatim interfectus fuit,poſtquã pſequi chriſtianos ceperat.hic pręcipue cõtra prelatos & clerum fuit.

Imperatores. Macrinus Antonin⁹ Aurelius an.i. an.iij. Alexãder Mámææ an.xiij. Maximinus an. iij.

Iſte Macrinus cum filio ſuo Diadumeno inuaſit imperiũ,& militari tumultu occiditur.
Iſte Antoninus obſcœniſſime vixit, & ideo cum matre occiſus fuit tumultu militum, ſicut & Macrinus.
Quinta editio reperta eſt hoc tempore in Iericho, cuius autor ignoratur, & ideo dicitur communiter vulgata.
Barbara. Cæcilia mr. Tiburti⁹ mr. Valerian⁹ mr. Felix martyr.
Palmatius cũ vxore & omni familia. Lucian⁹ mr. Cyriac⁹ mr. Iulita mart. Mertina mr. Priuat⁹ mr.
Iſte Maximin⁹ nulla ſenatus volũtate imperator factus, tandẽ deuictis Parthis & Germanis, ab exercitu tertio anno occiditur.

Anno mundi V^M. CCCCXXIII. V^M. CCCCXXXIII.

Romanus. Papæ. Vrban⁹ i. martyr an. viij. *Romanus.* mẽ xi. dieb. xxi. Põtianus martyr an. v. *Græcus.* mẽ ij. diei. Anteros martyr an. iij. menſ. i. dieb. xi.

Anno Chriſti CCXXIIII. CCXXXIIII.

Iſte Vrbanus genere nobilis, ab infantia chriſtianus, multos ad fidem cõuertit. omnia ſacrata myſteria fecit argentea vel aurea vel ſtannea. Tandem martyrio coronatur,ſepultus cum ſancta Cæcilia &c. Prædia cepit eccleſia poſſidere tempore huius, de quibus clericis & notariis ſumptus deputabat,qui geſta martyrũ conſcripſerunt. antea viuebant more apoſtolico, qui in Actibus Apoſtolorum ſcribitur.

Iſte Pontianus (vt dicitur)ſtatuit, vt Pſalmi die noctuque per omnes eccleſias cantarentur, & vt ante celebrationem miſſæ ſacerdos *Confiteor*, &c. præmitteret. Hic in exiliũ miſſus in inſulam Sardiniæ, ibidem martyrio coronatur. Sanctus Fabianus corpus eius reduxit Romam, & ſepeliuit in cœmeterio ſancti Calliſti.

Iſte Anteros conſtituit, ꝙ epiſcopi de ſede in ſedem poſſent transferri, & vt geſta martyrũ conſcriberentur. tandem martyrio coronatur,& ſepelitur in cœmeterio ſancti Calliſti.

Anelinus martyr. Maximus martyr.
Aſtorius martyr. Calopedius martyr.

Nota, quod in quibuſdam hiſtoriis habetur quod Cyriacus ſucceſſit Pontiano immediate, & papatum dimiſit vt cum virginibus martyrio coronaretur: ſed ratio temporis hoc non permittit, vt patet in legenda vndecim milium virginum.

Iſte Gordianus adhuc puer, deuictis Parthis, a ſuis fraude occiſus eſt.

Iſte Philippus xxxiiij ab Auguſto imperator creatus eſt, & filiũ ſuum Philippum conſortẽ regni fecit: ambo chriſtiani fuerunt, & primus omnium imperatorũ chriſtianorum hic caput eſt: & poſt tertium annum imperij ſui ad gloriam Chriſti celebrauit cum ingentibus ludis milleſimum annum vrbis conditæ. tandem fraude Decij occiditur.

Septima ꝓſecutio eccleſiæ facta iuſſu Decijacerba nimis, ſed non diuturna: quia ſicut contigit priorib. ſic illi: quia ſtatim occiſus fuit.



Mirum ſpectaculum circa hæc tempora fuit videre de duplici genere martyrũ, ſcilicet Chriſti, & dæmonum. martyres Chriſti fuerunt ſancti papæ, & alij prælati cum fidelibus ſuis ſubditis: qui pro chriſtiana republica in fide ſancta trucidabantur: martyres diaboli, fuerunt imperatores, & cæteri principes cum militib. ſuis, qui pro republica, & dæmonum cultura ſe & ſuos interficiebant, vt regnare poſſent. Par pœna, ſed diſpar cauſa. Non mirum eſſe debet, quod Chriſtus habet martyres: ſed valde mirum eſt, quod diabolus habet martyres. verũ martyres diaboli & mundi quotidie inueniuntur, & in ma-*

Iſte Decius totus tyrãnus inuaſit imperiũ, interfectis duob. Philippis dominis ſuis: & ſicut fecit, factum eſt ei, quia cũ filio ſuo occiſus eſt.

V^m CCCCXLIII.

Romanus. 

ex patre Fabiano. menſ. xi. dieb. xi.

Schiſma primum in eccleſia Dei fuit circa hæc tempora: quia Nouatus contra Cornelium tenuit ſe pro papa, licet non eſſet.

CCXLIIII.

Hic ſanctiſſimus Fabianus cum, defuncto papa, cũ cæteris fidelib. expectaret futuri papæ electionẽ, ſubito columba candida ſuper caput eius deſcendit, dicens, *Romæ epiſc. ordinaberis.* ob hoc ſtatim electꝰ fuit. Hic ſtatuit, vt chriſma ſingulis annis in cœna Domini conſecretur, vt patet de cõ. di. iij c. literis. ipſe etiã diuiſit regiones diaconis, qui geſta martyrum integre colligerẽt. tandẽ poſt multa quæ ſanctiſſime geſſit, martyrio coronatur ſub Decio, ſepultus in cœmeterio Calliſti: cuius feſtum agitur xx Febr.

Agatha virgo, & mart.
Septem dormientes.
Abdõ & Sene martyres.
Antolia virgo, & mart.
Victoria virgo, & mart.
Moyſes presb. & mart.
Maximus presbyt. mart.
Nicoſtratus diac. mart.
Serapion martyr.
Apollonia virgo, & mr.

Alexãder epiſ. Hieroſolymorũ mart.
Africanus Iuliꝰ floruit in ſcripturis eccleſiaſt. nominatiſſimus.
Dionyſius Alexandrinorum epiſc. diſcip. Origenis multa ſcripſit.

Tryphon puer qui dæmones expellebat, in Nicæa paſſus eſt. Porphyrius philoſophus qui ſcripſit prædicabilia maximus hoſtis fidei, ſtolide contra veritatem catholicam latrauit: cuius veſaniam ſancti doctores compeſcuerunt, nec vltra profecit, nec intellexit de quibus affirmauit.

Cyprianus glorioſus doctor, epiſcopus Carthaginenſis, clarus habetur, & poſt martyrio coronatur.

Nouatus presbyter eccleſiæ Romanæ, ambiens epiſcopatum, factus eſt hæreticus, lapſis ſpem veniæ denegando. Concilium autem ſexaginta epiſcoporum contra eum tempore Decij fuit congregatum, in quo damnatus eſt.

Sexta ætas:

Iſte Gallus cum Voluſiano ciuile bellum molientes contra Æmilianum, interfecti ſunt. & Æmilianus tertio menſe occiditur.

Iſte Valerianus primum ſatis bellicoſus fuit, & victorioſus: ſed poſtquam chriſtianos perſequi ceperat, ſtatim fuit captus a rege Perſarum, & in viliſſima ſeruitute apud eum conſenuit. ob hoc territus Gallienus pacem eccleſiis reſtituit. Sed quia non plene vindicauit chriſtianorum ſanguinem, pluribus bellis attritus fuit Romanorum exercitus. tandem pius Dominus nõ dimiſit rempublicam omnino periclitari, quia multi tyranni illico fuerunt interfecti, & proſperitas rediit inſperata. Vide Oroſium.

Imperatores. Gallus cũ Voluſiano an. ij. = Valerian⁹ Gallienus an. xv.

*gno numero: Chriſti autem non ſic. Quot hodie pro mundi pompa, carnis deliciis, terrenis diuitiis libenter agonizant, & tandẽ, nemine cogente, voluntarie ſuccumbunt? ſed Chriſtus nemini præcepit, vt fideles occideret, licet ad breue tempus hoc fieri permiſerit. Vide quomodo non eſt gloriandum martyribus noſtris, quaſi aliquid dignum geſſerint pro æterna gloria: quando ſic omni tempore videmus decertaſſe vanos pro infamia falſa, vt patet per Auguſtinum de ciuitate Dei lib. v. Vide pulcra ibi, &c.

Priſcus mart. Malchus mart. Marinus mart. Fructuoſus martyr.
Patricius mart. Protus mart. Hyacinthus mart. Eugenia mart. Claudia mart.

Anno mundi V^M CCCCLIII.

Papæ, Cornelius martyr an. iij. menſ. ij. dieb. x. Roman. — Lucius martyr an. iij. menſ. iij. dieb. iij. Roman. — Stephan⁹ I. martyr an. iij. mẽſ. iij. dieb. xv. Roman. — Xyſtus II. martyr an. ij. menſ. xi. dieb. vi. Romanus.

Anno Chriſti CCLIIII.

Iſte Cornelius celebre nomẽ ſanctitatis habet, & ſuper morbũ caducũ ſingulariter accepit poteſtatẽ a Domino. Hic corpora ſanctorum Petri & Pauli leuauit, & honorificentius repoſuit in locis decentibus, cũ beata Lucina. tandẽ cũ multis aliis martyrio coronatur. Ipſe ſanciuit, vt ſacerdotes pro certa cauſſa iurare poſſent, ſi vellent.

xl martyres Romæ. ccc in Africa. & alij infiniti paſſi ſunt.

Euſebius martyr.
Habundus martyr.

Iſte Lucius ſtatuit, vt duo presbyt. & iij diaconi ſemper cũ epiſc. ſint, & ſequantur eum in omni loco propter teſtimoniũ probitatis: licet conſcientię ſecuritas ſufficeret ſibi pro ſua ſalute: tamen propter maleuolos omnẽ epiſcop. habere bonũ nomen apud eos qui foris ſunt, vt patet de conſe. diſt. i. iubemus. tandẽ martyrio coronatur ſub Valeriano.

Cæſarius diac. martyr.
Iulianus martyr.
Concordia martyr.
Cyrilla filia Decij.

Iſte Stephanus ſtatuit, ne aliquis veſtibus ſacris præterquam ad cultũ Dei vtatur, vt patet de cõſe. di. i. veſtimenta &c. tandẽ martyrio coronatur in celebratione miſſæ: quia templũ Martis oratione ſubuertit.

Quirinus martyr.
cclxij martyres Romæ.
Abacuc martyr.
Leontius cõſularis.
Felix martyr.
Irenæus martyr.
Trophia vxor Decij.

Iſte Xyſtus fuit pater ſpiritualis ſancti Laurẽtij: & ſtatuit, quod miſſa ſup altare fieret, q̃ antea nõ fiebat. tandem mart. coronatur cũ aliis plurib. ſub Gallieno, q̃ alieno nomine dicitur Deci⁹ ſecundũ Vincentiũ & alios. & hæc verior poſitio eſt, vt patet in legẽda ſancti Laurentij.

Laurentius mart.
Feliciſſimus mart.
Agapetus martyr.
Romanus martyr.
Hippolytus mart.

Octaua persecutio facta est iussu Valeriani, propter quã grauissime plagati sunt Romani. Iam enim sub Decio communis pestilentia fuit in omnibus mundi partibus quocumq; edicta nepharia dispersa fuerunt: sed hæc vltio grauior totum humanum imperium corrupit, quousq; ne dum factores, sed etiã cõsentientes tanto facinori delerentur. nam vndiq; bella surrexerũt, &c. & Dacia trans Danubiũ in perpetuũ aufertur. & videtur esse prima diminutio Romani imperij, quæ non fuit recuperata. Nona persecutio ecclesiæ fit iussu Aureliani, in qua multi passi fuerunt. Fulmen quoq; de cœlo cadens iræ diuinæ signũ, principem terruit, & ad reuocandam sententiam monuit: sed quia noluit, ideo statim perijt.

Claudius. Quintilius annis ij. dieb. xvij.

Aurelianus an. v. mens. vi.

Tacitus mens. vi. Florianus mens. iij.

Iste Claudius Gothis nobilissime triumphauit, qui iam per xv annos Illyricum Macedoniamq; vastarunt: & ideo statuam auream meruit, & morbo interijt.

Sabellius hæreticus, negat Christum filium Dei esse.

Iste Aurelianus primo christianis benignus fuit: quare vbiq; gloriose triumphauit præcipue contra Gothos: sed prauorum cõsilio deceptus cum christianos sæuissime persequeretur, nunquam post bonum diem habuit, & statim occisus est.

Iste Tacitus bonus fuit: sed parũ regnauit, occisus in Ponto.

Iste Florianus non fuit imperator, sed forte Cæsar, etiã occisus in Tarso.

V^M CCCCLXIII. V^M CCCCLXXIII.

Dionysius i. martyr annis ij. mens. xij.

Græcus.

Felix primus, mart. annis ij. mens. x.

Romanus.

Eutychianus mart. annis viij. mens. x.

Tuscus. dieb. iiij.

CCLXIIII. CCLXXIIII.

Iste Dionysius distinxit parochias, mãdãs quod pastores cõtenti esse debent terminis suis. Cœmeteria construxit in vrbe ꝓpter pœnitentias, & baptismata, vt patet xiij q. i. ecclesias. tandẽ martyrio coronatur, sepultus in pace Christi.

Iste Felix statuit supra memorias martyrũ missas celebrari. item, festũ dedicationis ecclesiæ singulis annis statuit agi. tandem martyr. coronatur, sepultus in ecclesia sua, &c.

Iste Eutychianus sanctissimus, ac deuotissimus per diuersa loca cccxliiij martyres sepeliuit manu sua. Hic statuit, vt fruges super altare & fabæ benedicerẽtur. tandẽ martyrio coronatur sepultus in cœmeterio Callisti. Marcus confessor (secundum quasdã historias) ponitur in linea papatũ, & quod post Felicem tenuit sedẽ annis viij. Hic solus euasit martyriũ inter tot continuas persecutiones, sepultus in ecclesia sua in media Roma: sed Damasus, & Vincentius, & Martinus non faciunt mentionem eius.

Manichæorũ hæresis impiissima & grossissima exoritur a quodam Mane Parsa, barbaro moribus, &c. Hic posuit duo principia.

Victor. Victorinus.

Columba virgo, & mart. Theodora. Leonilla. Cornelius. Cyprianus.

Quirinus mart. Patroclus. Symphorianus. xlviij mart. Agapetus. cccxlij mart. Priscus. Maurus.

Paulus i eremita claret virtutibus.

Maria Ægyptiaca, quæ peccatrix fuit, mirabilem pœnitentiam egit in deserto per annos xlvij. hoc tempore fuit, vel (secundum alios) anno Domini cccLxxx. Vitam eius scripsit abbas Zosimas. & hoc magis videtur.

Sexta ætas:

Decima persecutio ecclesiæ fit iussu Diocletiani & Maximiani, quæ omnibus præcedentibus grauior fuit,& x annos durauit.in tantum feruebat, vt in xxx dieb.xx^m coronarentur, ecclesiis & sacris libris combustis.

Iste Probus victoriosus fuit,multa bella confecit, Bonosum & Proculum apud Agrippinam interfecit: ipse autem a militibus apud Firmum occisus est.

Iste Diocletianus obscure natus, superbissimus fuit, plurima bella confecit, Maximianum primo Cæsarem, deinde Augustũ fecit propter necessitatem bellorum : & Galerium, & Constantium Cæsares. tandem per multam sanguinis effusionẽ, restituto regno,iuxta terminos priores ambo purpuram deposuerunt, vt iuniores substituerent, & ipsi in priuato otio consenescerent. tandem Diocletianus veneno obijt.

Imperatores. Probus annis v. mens. iiij. — Carus cũ fil. Carino & Numeriano. ã.ij. — Diocletianus.Maximianus.

Iste Carus bellũ cũ Parthis gessit:& post fulmine percussus obijt.

Concilium Antiochenum contra Paulũ Samosatenũ hęreticum,in quo damnatus idem fuit,& episcopatu priuatus.

Claudianus. Papias. Alexander. Felicianus, iiij coronati.

Dioscorus. Babilus. Longinus. Sempronianus. Marcellianus.

Serapion. Carpophor⁹. Gereon. Victor. Vrsus.

Mauricius dux exercitus Thebeię legionis, cũ eadẽ legione coronatus apud Sedunum.

Anno mundi V^M CCCCLXXXIII.

Papæ, Gaius mar. annis xi. mens.iiij. dieb.ix. — Marcellin⁹ mart.a.viij. mens. ij. dieb. xxij.

Romanus. ex patre Proiecto.

Anno Christi CCLXXXIIII.

Iste Gaius constituit, vt nemo episcopos, vel alios clericos apud iudicẽ secularẽ audeat accusare: & quod paganus vel hæreticus christianũ accusare nõ possit, vel notã infamationis ei inferre. itẽ q; gradatim qui dignus est, ad ordines ascẽdat, vt scilicet primo sit ostiarius:deinde lector:exorcista:acolytus: subdiacon⁹:diaconus: demũ presb. Hic fugiẽs persecutionem, in cryptis habitãdo, tandẽ martyrio coronatur sub Diocletiano.eius festum agitur x Kalendas Maij.

Iste Marcellinus ob sæuitiã persecutionis cõprehẽsus,tria grana thuris in sacrificium idolis imposuit: sed postea publice pœnituit, & capitalem sententiam pro fide suscepit.corpus autem eius insepultũ xxx diebus iacuit, propter timorem anathematis: sed postea iussu sancti Petri a Marcello humatum est iuxta pedes eius. eius festum agitur xvi Ianuar.

Sebastianus. Cyriacus. Euphemia. Chrysanthus. Nicostratus. Claudius. Maurus. Orontius. Marcus. Tranquillinus. Tiburtius. Victorianus. Castulus. Menas. Dorotheus. Bonifacius. Iustina. Dorothea.

Chrysogonus. Felix. Hilaria. Daria. Zoe vxor Nicostrati. Iason. Diodorus. Martianus. Polycarpus. Chromatius. Vincentius. Symphorianus. Cæsarius. Nobilis. Gorgonius. Pelagia meretrix conuertitur per abbatẽ Veronem.

Castorius cum vxore.
xxx^m martyrum.
Basilius cum septem.

Petrus. Erasmus.
Iuliana. Christina.
Leontius. Theophilus.

Georgius.
Pancratius.
Blasius.
Primus.
Felicianus.
Albanus.
Vitus.
Modestus.
Crescentia.
Anastasia.

Pax ecclesiæ reddita est per Constantinũ, & in tantum firmata, vt, quicunq; læderet christianum, puniretur. hæc reuera est mirabilis mutatio dextræ excelsi, iuxta illud Psalmi, *Filia Babylonis misera: Beatus qui retrib. tib. retrib.* &c. tẽpla etiam idolorũ ipso iubente clausa sunt, & prohibita sacrificia, iuxta illud Isaiæ Prophetæ, *Dy, qui non fecerunt cælum & terram, pereant de terra.* Incredibile enim fuit hoc suspicari, quod vnquã humanũ genus ab hoc errore posset absolui: in quo a dieb. Nini regis Assyriorum vsq; ad hæc tẽpora, per annos ij^{m} ccc, erat miserabiliter implicatum. verum digitus Dei est hoc, & magna misericordia eius, non hominis meritum.

Galerius. Constantius an. ij.

Cõstãtinus Magn^{9} a. xiij

Donatianus.
Rogatianus.
Cosmas.
Damianus.
Quintinus.
Vitalis.
Agricola.

Isti duo pacifice diuiserunt sibi imperiũ: sed nõ diu vixerunt. & grãdis altercatio, & ciuilia bella postea oriũtur: quæ omnia sub Constantino quieuerunt. aliqui etiã Cæsares tunc creati fuerunt, qui christianos maxime persequebantur: quorum Maxentius vnus fuit.

Iste Constantinus imperator glorioſissimus celebre nomen reliquit, in bellis victoriosus, in gubernanda republica prudens, in negotijs fidei incomparabiliter deuotus. eius pietas & sanctitas ex multis sanctorũ libris adeo emicat, quod indubie inter sanctos annumerandus est. Græci dicunt, eũ in fine vitæ suæ monachum effectũ. & Eusebius & Orosius & alij diligenter eius facta descripserunt.

Pantaleon.
Katharina.
Margarita.
Lucia virgo.
Agnes. (rus.
Christopho-
Simplicius.

V^{M} CCCCXCIII. V^{M} DIII.

Romanus. Marcellus i. martyr, annis v. dieb. xxij. Græcus. Eusebius mart. a. ij. mens. vi. dieb. xxv. Afer. Miltiades mart. a. iij. mens. vi. dieb. viij. Romanus. Sylvester annis xxiij. mens. x. dieb. xxi.

CCXCIIII. CCCIIII.

Iste Marcellus magnã habuit cũ Maxentio altercationẽ, dicẽs, *Boni principis est ecclesias cõtritas reparare, & Dei sacerdotes honorare*, vt patet xcvi di. item statuit, quod conciliũ generale nõ possit celebrari sine auctoritate papæ, vt patet xvij di. c. synodũ. Itẽ elegit xv cardinales in vrbe propter sepulturas, & baptismũ, &c. tandẽ post longam custodiam iumentorũ, in custodiã publicã recluſus, moritur tyrannide Maximiani, sepultus in cœmeterio Priscillæ, via salaria. In Anglia pene tota fides extincta est hoc tempore a Maximiano. Similiter & Treueris a Rictionaro.

Iste Eusebius ex laico in papã assumptus est: fuit enim medicus. q; sẽpe factum cõstat temporib. anteriorib. Hic statuit, vt laicus suũ episc. accusare non possit, nisi a fide exorbitaret, vt ij q. vij c. laicus, &c. tandem martyrio coronatur sub Maxẽtio, &c.

Iste Miltiades statuit, q; die dominico, & feria quinta nullo modo deberet ieiuniũ obseruari propter reuerẽtiã Dñi, vel qa illos dies pagani quasi sacrũ ieiuniũ celebrabãt, de cõ. d. iij. c. ieiuniũ. tandẽ mart. coronatur, sicut oẽs prædecessores sui. Et nota, q; hic est vltimus martyrũ a sancto Petro xxxiij in ordine pontificum Romanorum: qui oẽs sanguinẽ fuderũt pro testamento sancto. & tunc laudabile fuit ij Greg. episcopatum appetere: ita sancto fine cõsummauit.

Iste Sylvester glorioſus cõfess. Christi, multipliciter ecclesiã decorauit: tã in scripturis, quã in miraculis admirabil. fuit: decreta multa cõstituit: hęreses dãnauit: patrimoniũ beati Petri, s. regnũ Italię cũ tota vrbe a Cõstãt. susscepit, & ad cultũ eccles. cõuertit: Helenã cum Iudæis baptisauit, & alia infinita sancto fine cõsummauit.

Antonius abbas ſanctiſſimus, potens in opere & ſermone, clariſſimus vniuerſo orbi habetur. Pafnutius diſcipulus eiuſdem Antonij, & alij ſancti eremitæ & monachi, in deſertis locis hoc tempore claruerunt. Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ epiſc. diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus fuit. Zoſimus abbas, qui Mariam Ægyptiacam reperit: tamen quidam libri dicunt, quod fuerunt ambo tempore Valentiniani.

Helena regina mater Conſtantini, mulier ſancta, & admirandæ deuotionis & actiuitatis, crucem Chriſti reperit, lxxij collegia fundauit, totumque ſtatum eccleſiæ incomparabili feruore glorificauit. Conſtantia filia Conſtantini Magni, virgo ſancta, cum multis aliis in ſancto propoſito Domino ſeruiuit. Hæc leproſa fuit, ſicut pater eius: ſed meritis beatæ Agnetis mundata fuit. Nicolaus epiſc. Mireæ ciuitatis, ſanctus per omnia & venerabilis habetur. Athanaſius epiſc. Alexandrinus, doctor glorioſus, & conſtantiſſimus confeſſor edidit ſymbolum, *Quicunq; vult*. Patricius epiſc. Ægyptiorum, qui oculum in perſecutione amiſit: Arius hæreticus peſſimus totus hypocrita, aſſerit trinitatē perſonarum: ſed vnitatem eſſentiæ negat. ſupra modū iſta hæreſis afflixit eccleſiam. Syluester papa antequam alia cōcilia celebrarentur, cōuocauit cclxxij epiſcopos, & Caſtim, & alios hęreticos damnauit, & plura conſtituit decreta. De poſſeſſionibus eccleſiæ, quas prælati circa hæc tempora habere inceperunt, grandis altercatio ſæpe inter doctores fuit: quibuſdā dicentibus, q; iu-

Cometa apparuit ante mortem Conſtantini. vnde dicit Macrobius, q; mors Conſtantini denunciata eſt per ſtellā crinitā inuſitatæ magnitudinis, quā Greci vocāt cometā. Sequūtur mala infinita, quæ diu durabant.

Imperatores.

Anno mundi	V^M DXIII.	V^M DXXIII.

ſtum & vtile eſſet, vt eccleſia in temporalibus abundaret, & honorem terrenum haberet: alij econtra, quod nō. nec mirum. quicquid enim eccleſia facit, vel dicit aut habet, ſignum eſt, cui contradicitur. Elegit diu in paupertate & penuria viuere, ſignū eſt cui contradicitur. Suſcepit demum gratis oblata temporalia, ſignum eſt cui cōtradicitur. Sed ſi diligenter aduertimus, tunc aperte inuenimus, quod Dominus hoc prædixit & promiſit electis ſuis, ſcili-

Anno Chriſti	CCCXIIII.	CCCXXIIII.

cet quod eſſent recepturi agros cum perſecutionib. vt patet Matth. x. & dicente beato Petro, *Ecce duo gladij*. huic Dominus reſpondit, *Sufficit*. Vbi beatus Bernard. ſcribēs ad Eugeniū papā dicit, q; vtrumq; gladiū Chriſti ordinatione papa ſuſcepit, alioquin nō dixiſſet, *Sufficit*, ſed, *Nimis eſt*. Gladium ſpirituale per ſeipſum, ſeculare ſiue materiale per alios regit ſiue perſonas laicas. Sanctus autem Thom. talē format rationem ex dictamine iuris naturalis & diuini: ex quo tota chriſtiana vita ordinatur principaliter ad finē ſpirituale, & nō tēporale. Ideo ſummus pōtifex, qui eſt vicarius Chriſti in terris, cui cōmiſſa eſt huiuſmodi ordinatio, debet habere plenā poteſtatē præcipiēdi Chriſti fidelib. pro inconſecutione huius finis tanquam architector: quia ei, ad quē pertinet vltimi cura finis, ſubdi debēt illi ad quos pertinet cura antecedentiū finiū, & eius imperio dirigi. qui debet enim vti armis, imperat fabro qualia debeat facere arma. & quia finis iſte eſt digniſſimus, ſcilicet conſecutio cœleſtis gloriæ, ideo ſacerdotiū eccleſię eſt ſublimius cuicunq; poteſtati terrenę. quare eccleſia dicitur ſanctum regale ſacerdotium: cui oēs reges chriſtiani populi oportet eſſe ſubiectos, ſicut ipſi Dominoleſu Chriſto, a quo hoc regale ſacerdotiū deriuatur. tanto ſiquidē eſt regimen ſublimius, quanto ad finē altiorē ordinatur. vnde patet, quod in lege Chriſti reges debent ſacerdotib. eſſe ſubiecti. Quare mirabiliter diuina prouidentia factū eſt, vt in Romana vrbe, quā Deus prouiderat chriſtiani ſacerdotij principalē ſedē futurā, hic mos paulatim inoleſceret, vt ciuitatis rectores ſacerdotib. ſubderentur. Sed ſi chriſtiana religio principaliter eſſet inſtituta propter temporalia conquirenda, tunc reges eſſent præponendi ſacerdotib. ſicut olim fiebat in veteri lege, & in paganiſmo: vbi totus cultus diuinorū tendebat ad illū finē, vt temporalibus bonis ditarentur. hæc Thomas. Sancta Brigitta lib. iiij c. lxxvi ſcribit quod beata virgo Maria hæc verba ſibi dixerit in quadā reuelatione, Eccleſia Dei primis tēporib. pau-*

Persecutio xi ecclesiæ fit iussu Cõstantij Ariani, in qua grãdi turbine fides subuersa fuit, multi martyrio coronati, multi exilio damnati,& christiani super altaria mactabantur, sicut prædixit sanctus Antonius. Isti tres fuerunt filij Constantini Magni: sed nihil paternæ virtutis in eis fuit. qua propter tam status reipublicæ, quam ecclesiæ valde turbatus fuit. regnum enim diuiserunt,& ciuilia bella gesserunt, in quib. Constantinus & Constans perierunt,& sic totum regnum Constantio peruenit: qui Ariana hæresi deprauatus, catholicos persequitur,& multa bella surgunt,ita vt nullam deinceps quietem haberet. tandem inopinata morte præuentus, infeliciter obijt.

Cõstãtin⁹ Cõstãtius Constans an. xxiiij.

Hibernia conuertitur ad fidẽ per quandã ancillã captiuã.

Simon archiepisc. Seleucię martyrisatur in Persida. xvi[m] martyrum, & alij infiniti passi sunt.

Synodus i. Nicena vniuersalis ccc xviij episcoporum.

Ista sacrosancta synodus prima de quatuor, quarum autoritas est sicut iii ieuangeliorũ, iussu Syluestri & Constantini congregata fuit in Nicæa ciuitate Bithyniæ: in qua fuerunt cccxviij episc. catholici viri sanctissimi, miraculis glorioſi: qui omnes vnanimi consensu Arianum etiã ibidem potentem & contumacem damnauerunt: symbolum ediderunt,& fidem exponentes, plurima statuerunt, vt patet xvi dist. c. Sexta synodus. Donatistæ hæretici oriuntur in Africa: sic dicti a quodam Donato. dicunt, ecclesiam tantummodo in Africa mansisse apud se: & rebaptizabant catholicos: diu durauit.

V[m] DXXXIII. V[m] DXLIII.

Romanus. Marcus annis ij. mens. viij. dieb. xx.

Romanus. Iulius annis xi. mens. ij. dieb. viij.

CCCXXXIIII. CCCXLIIII.

Iste Marcus constituit, vt symbolũ publice in ecclesia cãtaretur &c. Item, quod episc. Hostiẽs. papã cõsecraret,& pallio vteretur. Alexander episc. Alexãdrinus notabilissimus in concilio Niceno.

Iste Iulius multas persecutiones sustinuit a Cõstantio Ariano,& per x annos sustinuit exiliũ. tandem mortuo Constantio ad sedẽ suã redijt,& duas basilicas extruxit. tandẽ beata morte potitus sepelitur in cœmeterio Calopodij. Amos pater iiij[m] monachorũ. Item alius Amon. ecl clerici cũ alijs monachis, & sacratis virginib. ab Arianis interfecti sunt. Pachonius vir clarissimus pater innumerabilium monachorũ & monialium: qui indifferenter omnes recepit iuxta regulam ab angelo sibi datam: in Ægypto fuit. Maximus episc. Treuerensis magnus confessor.

per erat in temporalib. voluntarie. processu vero temporis, vt amici Dei feruentiores & expeditiores essent ad prædicandũ verbũ Dei:& vt sciretur, quod non diuitię malæ sunt, sed abusus earum: ideo sub Syluestro & alijs bona temporalia ecclesiæ data sunt, quæ viri sancti longo tẽpore ad necessitatẽ suã solã,& amicorũ Dei,& pauperũ sustentationẽ dispensabant. ergo tales scito amicos Dei, qui contentantur de dispositione Dei,& ipse videt eos. Hæc illa. Dicunt quidam, quod nedum temporalem sustentationẽ necessariũ fuit ecclesiasticos habere, sed etiã temporalẽ iurisdictionẽ ad compescendã iniquã audaciã volentium bona ecclesiastica suis vsib. appropriare. nec decuit vt prælatus potestate spirituali præditus, potestatem, cui imperet, ab alio mendicet, sed propriam eam possideat. Hęc omnia firmissime probantur ex legendis & dictis sanctorũ patrum, qui temporalia dominia & possessiones terrenas latissimas iuste habuerunt. Quis enim audeat dicere, quod tot sancti pontifices viri vtique summæ perfectionis & literaturæ, miraculis glorioſi, qui omnia temporalia arbitrabantur vt stercora: quorum doctrina fulget ecclesia sicut sol & luna: quorum scripta suos lectores sancti spiritus igne accendunt: quorum plures propriam vitam pro defen-

Sexta ætas:

Perſecutio xij eccleſiæ fit iuſſu Iuliani peſſimi apoſtatæ, qui ſanguinẽ chriſtianorũ idolis vouit: ſed nõ impune: quia diuinitus occiſus fuit per Mercuriũ ſanctũ martyrẽ, iubente beata virgine. Eunomius hæreticus corpore & anima leproſus: a quo Eunomiana hæreſis, dicit, Chriſtũ non natura, ſed gratia ſimilẽ Patri. Macedonius hæreticus negauit, ſpiritũ ſanctum æqualẽ patri & filio. hęreſis magna. Flauianus & Deodatus. Hi choros pſallentiũ in duas partes diuiſerunt, & vigilias ad ſepulchra martyrum inſtituerunt.

Lana de cœlo pluit. Grando maxima interfecit homines & iumẽta apud Cõſtantinopolim.

Paulinus epiſc. Treuerenſ.
Hilarion & Donatus mart.

Imperatores.

Iulianus anno i. mẽſ. viij.

Iouinianus mẽſ. viij.

Valentinianus annis xi.

Iſte Valẽtinianus deuotus totaliter fuit, & in fide ſtabilis, diuina ordinatione ad imperiũ peruenit. quia enim ſub Iuliano maluit tribulari amittere, & exilium perpeti, quã fidem abnegare: ideo, retribuente Chriſto, meruit ad imperium ſublimari: ſemper victorioſus fuit: Saxones & Burgundiones vicit.

Paulus Simplex diſcip. Antonii, qui merito obedientię cito ad perfectionem venit. Iſte Iulianus primo chriſtianus, demũ monachus, tunc magus: deinde apoſtata: tandem Cæſar, & dolo Auguſtus fuit: totaliter fidem nitebatur deſtruere.

Iſte Iouinianus catholicus & bonus fuit: ſed parum regnauit.

Victorinus. Macarij duo. Donatus grammaticus magiſter Hieronymi. Iuliana martyr. Iohannes & Paulus martyres.

Anno mundi V^M DLIII.

Papæ.

Liberius annis xvi. menſ. vij. dieb. iij.

Romanus.

Schiſma ſecundũ eccleſiæ inter Liberium & Felicem, euenit propter Arianos, quibus fauebat Liberius: & ideo tanquam hæreticus a catholicis deiectus fuit, & Felix in papam aſſumptus.

Anno Chriſti CCCLIIII.

Iſte Liberius primo catholicus, feruide contra Arianos proceſſit. ob hoc Conſtantius Arianus eũ in exiliũ miſit, & clerus de conſenſu eiuſdem Liberij Felicem presbyterũ in papã ordinauit: qui amplius Arianos expugnauit in tantum, vt Ariani ipſi Conſtantium rogarent, vt Liberius reſtitueretur tanquã eis magis fauorabilis: & ſic Liberius reuocatus fuit, & Felix deiectus. ſed quia Liberius Arianis fauebat, idem Felix cum catholicis eum admonitum, & contumacem tanquam hæreticum de eccleſia eiecerunt. & tunc ſchiſma factũ fuit & perſecutio magna fidelium. Et nota, quod primum Romana eccleſia circa hæc tempora infamẽ papã habuit: quia oẽs anteceſſores Liberij fuerunt ſancti & exemplares, vt ſupra patet, per an. cccl. &c.

Iuſtina imperatrix Ariana ſecrete, tẽpore viri ſui: ſed impia vxor pijſſimi Valentiniani impatoris, multum poſt perſequitur catholicos, & præcipue Ambroſium.

Didymus cæcus ab infantia, diuinitus factus eſt doctor magnus, & epiſcopus Alexandrinus.

Greg. Nazanzenus doctor egregius in oppido Nazanzeno epiſc. vel Cõſtãtinop. Rufinus presb. multa ſcripſit, & hiſt. eccleſ. trãſtulit. Baſilius Magnus cõfeſ. & epiſc. Cæſariẽſ. claruit. Quiriacus epiſc. & mart. Gallican⁹ mart. Gordianus, & Epimachus, & alij multi mart.

ſione libertatis eccleſiaſticæ tradiderunt, martyrio coronati? quis, inquam, audeat dicere, tales ac tantos tam multos, ſic deliraſſe, vt huiuſmodi temporalia cõtra iuſtitiam ac Dei voluntatem detinuiſſent. an non potius vſque hodie contradictores eorum formidabili vidimus morte conſumptos? iuxta quod imprecatus fuit eis Conſtantius, quando paginam imperialis teſtamenti proprijs manibus ſuper venerandum corpus beati Petri poſuit, diſt. xcvi. Conſtantius. Quis vnquam temerator, niſi pœnituiſſet, hanc maledictionem eua-

Hieronymus presb. & cardinalis incepit clarescere in ecclesia Dei, de Dalmatia oriundus, semper sanctissimæ vitæ fuit: hæreticorũ malleus, ac totius christianæ veritatis solidissimum fundamentum: doctor principalis non solum Latinis atq; Græcis, verum etiam Hebraicis literis eruditus fuit. Priamus quidam nobilis de semine Troianorum, qui in Lombardiæ partibus venerat, rebellauit contra imperium: sed mox interfectus ab exercitu Romanorum fuit. sed filij eius fugientes, regnum Francię inchoarũt, inuitis Romanis: & Coloniam extruxerunt, & ibidẽ vt coloni habitare ceperunt. Marcomirus filius prædicti Priami fuit dux eorum: sed Pharamundus filius eius fuit primus rex Franciæ. Colonia autẽ ante hæc tempora dicebatur Agrippina.

Valẽs cum Gratiano & Valẽtiniano an. iiii.

Burgundi fiunt christiani.

Gratianus cum Valentiniano annis vi.

Iste Valens frater fuit Valentiniani, & cum eo diu regnauit: sed timore eius cõceptam trufam exercere nequaquã ausus fuit. sed eo mortuo cum solus regnaret, catholicos persequitur, & monachos ad militandum reuocauit. tandem post multa infortunia impia morte perijt, tamen cum aliqua pœnitentia.

Synodus iij Constantinopolitana vniuersalis c l episcop. cõtra Macedoniũ hæreticum.

Iste Gratianus vidẽs rempublicam pene iam desolatã, Theodosiũ Cæsarem fecit, qui vbique victor existens multa restituit. tandẽ per Maximũ tyrannũ dolo occiditur: & ille nõ longe post iuste a Theodosio morte punitus.

V^M DLXIII. V^M DLXXIII.

Felix secũdus, mart. an. i. mẽsi. dieb. ij.

Romanus.

Damasus annis xviij. mens. ij. dieb. x.

Hispanus.

CCCLXIIII. CCCLXXIIII.

Iste Felix vir sanctus Constantiũ Augustũ hęreticũ declarans, de papatu deijcitur: & tãdem capitis abscissione martyr Christi consecratur.

Iste Damasus glorioſus cõfessor, multa laude digna patrauit, adiutus floridissimorũ studiis, quorum grandis numerus tẽpore suo claruit: choros cantantiũ ordinauit in ecclesia: *Gloria patri* &c. post singulos psalmos dicere iussit, rogatu beati Hieronymi. In versibus dictandis excellentissimus fuit, plurimaque scripta reliquit, & pręcipue historiam paparũ & martyrum. Concilium etiam ij vniuersale. i. Constantinopolitanũ contra Macedonium celebrare fecit. eius festum agitur xi Decemb.

Tempore istius Damasi papę vastas illas Ægyptias solitudines, hactenusque diffusas, quas ꝓpter sitim & sterilitatẽ, periculosissimamq; serpentum abundantiã cõuersatio humana non nouerat, habitatio monachorũ cõpleuit, scilicet Arsisius, Perichi⁹, Pemenes, Pastor, Zosimas, Marina, Euphrosyna, Ioseph, Syrus, Agathon, Achilis, Gelasius, Arsenius, Lucius, & alij innumerabiles, quorum est digna memoria. Ambrosius Romanus doctor principalis mittitur a Valentiniano ad Mediolanum, & statim in episcopũ diuinitus eligitur, vt ipse testatur in libro de officiis, Rapimur de tribunalibus ad infulas, cogimur simul discere & docere.

Galerius vir sanctus & miræ patientiæ Romæ claruit. Martinus episc. Turonens. claruit in Gallia, vir admirandæ sanctitatis, de Pannonia oriundus, extitit.

Iohannes eremita sanctissimus, qui Theodosio triumphum prædixit.

*sit. reuera possumus adducere illud Gamalielis Actuum v, *Si a Deo est, non poteritis dissoluere*, &c. Tanta siquidẽ per huius mundi potentes pariter & sapientes facta legimus con-*

Augustinus Carthaginens. de Africa rhetor maximus,& in omni philosophia ac poetria incomparabilis. insuper omne scibile, quod vnquam philosophi reperire potuerunt, in iuuentute sine magna difficultate adeptus. circa hæc tempora ad Mediolanum mittitur, vbi statim a beato Ambrosio conuertitur, & in Christi nomine, postposita Manichæorum hæresi, baptisatur. Hic creuit in doctorem ecclesiæ præcipuum,& hæreticorum malleũ valentissimum: non longe post in episcopum Hipponensem sublimatus totam ecclesiam suarum fontes doctrinarum per annos liij abundantissime irrigauit.

Imperatores. Cathol. Theodosius a. xi.

Iste Theodosius immensæ religiositatis extitit: episc. & ecclesiæ fidelissimus. ideo in omnibus adiutus est a Domino miraculis etiam apertis: hostes superans, sibi & omnib. principib. ostendit, quantum valeat ad victoriam obtinẽdam oratio deuota cum lacrymis: ab innumeris barbaris circumdatus Christum suppliciter inuocans, glorioſus victor non suis manib. sed diuinis triumphauit auxiliis. nam tela, quæ hostes contra eũ mittebant, retrorsum acta, in ipsos atrociter reuertebantur. quod videntes barbari pauore nimio prostrati, continuo sese christianissimo principi subdidere. vnde & poeta Claudianus, licet paganus hoc idem testatur, dicẽs: *O nimium dilecte Deo tibi militat æther: & coniurati veniunt ad classica venti.* Quã humiliter se habuit in correctione Ambrosij, patet in legenda eiusdem. Vide August. lib. vlt. de ci. Dei. & quomodo idola subuerti cum templis iussit, & quomodo Iohannem eremitam consuluit &c. & quomodo flagrabat magis benefaciendi caritate, quam dominãdi cupiditate. Moritur tandem bene disposita republica, quam desolatam inuenit. primo stabularius fuit: sed propter virtutes promotus est.

Anno mundi V^M DLXXXIII.

Papæ, Sericius annis xv. mens. xi. dieb. xv. Romanus.

Anno Christi CCCLXXXIIII.

Iste Sericius statuit, vt de ipsa secta Manichæorum nullus reciperetur, nisi cum tali pacto, quod in monasteriũ retruderetur, ibiq; pœnitentiã ageret cunctis diebus, & in fine vitæ tantummodo viaticũ sumeret. omnes etiam illius sectæ quos reperit, exilio damnauit.

Priscillianus episc. Hispaniæ cadit in hęresim pessimã. inde hæresis Priscilliana.

Haitanarius rex Gothorum pśequitur christianos in terra sua, vbi multi mart. coronati. Firminius episc. Ambianens. Honoratus & Sabinus ibidem, omnes sancti confessores. Placilla vxor Theodosij de pauperib. maximam curam habuit, quib. suis manibus officiosissime seruiuit.

Marcellus episcopus Appaniæ, martyr.

Paula vidua sanctissima, & filia eius Eustochiũ virgo claruerunt: quarum beatus Hieronymus sepius meminit: vitamq; Paulæ dignis laudibus conscripsit.

Theophilus episc. Alexãdriæ.

Seruatius Tungrorum episcopus, qui dicitur fuisse cognatus Christi, floret.

Seuerinus episc. Colonien. magnæ auctoritatis, & sanctitatis fuit.

* tra patrimonium ecclesiæ pene in omnib. finib. totius christianitatis, vt nequaquam credibile sit, q; humano modo potuisset insultus huiusmodi tolerasse: siue aliquid recuperasse post tam crebras desperatasq; spoliationes. sed quia de cœlo dimicatũ est contra eos, ideo vt fumus perierunt vniuersi hostes ecclesiæ vsq; in præsens. vbi Constantię Arrianus, Iulianus apostata, Valẽs, Haitanarius, Alaricus, Genserícus, Honoricus, Attila, Seuo, Totila, Theodericus, Constantius iij & v, Leo iij & iiij, Henricus iij & iiij, Fredericus primus & secundus, Ottho iiij, & Lodouicus iij, & cæteri præsumptores cum suis complicibus, qui quasi ho-*

Roma capitur a Gothis,& incenditur, & fit illa famosa altercatio inter paganos & fideles: quia pagani cum magna blasphemia nitebantur fidē extinguere, & culturam Deorum reassumere, sed non pręualuerunt: quia Alaricus rex Gothorum met Christianus fuit, & pepercit omnibus confugientibus ad sacra: & sic confusa fuit impietas paganorum, eoq; non potuerunt probare diffortuniū euenisse,ex eo quod Roma abiecisset idololatriā, & fidē recepisset. De hoc Augustinus in libro de ciuitate Dei, & Orosius abundanter tractant.

Claudius poeta Romæ. Patricius magnus pater Hybernorū apostolus, circa hæc tempora in Hybernia veneratur: cum suis sororibus angeli sæpe colloquio fruitur.

Arcadius cū Honorio an. xiij

Iste Arcadius puer adhuc, quādo pater eius defunctus fuerat: & quidem satis bonus: sed plures aduersitates cum fratre suo Honorio perpessus est,quia multa pericula & tyranni de gentib. barbaricis,Scythis,Gothis,Wandalis & Hunnis surrexerunt, qui multas prouincias depopulati sunt. & nisi Christi gratia singulariter Christi fidelibus principibus succurrisset, totaliter perijssent.

Macezel comes Arcadij meritis sanctorū,quos secū duxit, exemplo Theodosij cum v^{m} perterruit hostium lxx milia, sancto etiam Ambrosio sibi in visione apparente &c. sed post elatus,sanctos viros cepit persequi,& ecclesiam temerare ausus est: & statim occiditur,prohauitque in se vno,ad vtrumq; semper diuinum vigilare iudiciū, quando & cum superauit, adiutus:& cum contempsit,occisus est. De hoc sunt infinita exempla etiam hodię.

Sanctus Heraclides, qui scripsit vitas patrum ad Lausum episcopum.

Prudentius poeta christianus.

V^{M} DXCIII.

Romanus

Anastasi⁹ i. an. iij. dieb. xxvi.

CCCXCIIII.

Iste Anastasius statuit,quod cum sanctum euangelium legeretur,omnes stare deberent: & qui caret aliquo membro, non deberet fieri clericus. Hic fecit fieri vnā basilicam prope scholam Mamertini. Pelagius hæreticus,& Scelestinus,&Iulianus episcopus,a quib. pessima hæresis Pelagiana,dicit,hominem sine gratia posse mereri:& baptismum,& orationes ecclesiæ irritas esse &c. Augustinus multum contra eum laborauit.

* ra vna ecclesiam priuare nitebantur,aut suffocare,nunquid prævaluerunt?Ecce hodie floret cultus Dei cum gloria,& illi, si pœnitentiā nō egerunt,apud inferos contremiscunt.Sed nunquid humana virtute id actum credimus?Minime.Igitur *si Deus pro nobis, quis cōtra nos?* Ecce regnat fides sancta videntibus, & inuidentibus inimicis: dentib. suis frementibus, & tabescentibus, nil contra manū Omnipotentis valentibus, iuxta prophetiam Psalmistę,dicentis, *Dixit Dominus Domino meo,Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tu. scab. ped. tuorū.* & iterum, *Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea. etenim*,&c.Et quia grandia mala contigerunt aliquādo propter huiusmodi disputationes,suggerentib.quibusdā impiis in aures principum,quod Ecclesiastici terrena dominia licite non possiderēt: ideo apostolica sedes inhibuit, ne amodo fiant, neque vlli liceat deinceps in dubium reuocare, quod tantis sanctissimorum virorū doctrinis & exemplis constat roboratum. Aduertāt sensati principes, quod eis vtile sit & salubre,post tot annorū curricula,ac varios rerum euentus,vbi nullus vnquam prosperatus est: neq; sibi promittāt inconsulte posse immutare quod spiritu sancto durante statutum est, ac tot patronos & cœlorum inspectores præsidentes iam habet.

Chronica sancti Hieronymi finit hic circa annos Domini cccIxxx.

Sexta ætas:

Constantinus comes Honorij, mirabili felicitate in breui multos tyrannos,& barbaros prostrauit,Christi adiutorio suffultus. Et nota,quod sicut(dicit beatus Hieronymus)Romani in principio erant fortissimi, sic in fine debilissimi. nam ad propulsandum hostes necesse est quotidie barbaros conuocare.

Iste Honorius clementissimus fuit. cumq; dicerent ei, cur rebelles non occideret,ait, *Vtinam esset mihi possibile ad vitam mortuos reuocare.* & ob piam fidem, quam in Christo habuit,multos tyrannos obtinuit sine sanguinis effusione,& periculosa illa tempora paulatim sub eo quieuerunt. Et hic finitur historia Pauli Orosij presbyteri, qui hoc tempore claruit.

Reliquiæ sancti Stephani protomartyris hoc tempore inueniuntur in Hierusalem.

Imperatores. Honorius filius Theodosij cum Theodosio minore annis xv.

Maximus episcopus Nolanus, prophetiæ spiritu claruit.

Ossa Samuelis prophetæ translata sunt Constantinop. ab Arcadio.

Donatus episcopus.			Epiphanius episc.	Ticonius Afer multa scripta reliquit.
Tholomacius mar.	Martyrius.	Sisinius.	Orosius.	Sulpicius Seuerus.
Alexander.	Ancilla.	Diocles.	Melania.	Dorotheus.
Nathanael.	Pachonius.	Ammon.	Sulta.	Isidorus primus.
Alexandria.				

Iohannes Chrysostomus exilio damnatus, ab Eudocia regina vxore Arcadij, ibiq; moritur ardore solis. & Arcadius excommunicatur ab Innocentio,eo quod consensit.

Anno mundi	V^M DCIII.	V^M DCXIII.

Papæ, Innocentius primus Albanensis. an.xv.mens.ij.dieb.xx.

Sosimus annis iij. mens.viij. Græcus. dieb.ix.

Anno Christi	CCCCIIII.	CCCCXIIII.

Iste Innocentius statuit,quod non solum presbyteri,sed omnes christiani deberent vngi oleo infirmorũ, & sabbatho ieiunium celebrari,& ad missam osculũ pacis dari,pluresq; regulas Dei ecclesiæ & monasteriis & Iudæis & paganis tradidit,vt patet xxviij q. i. nunquid &c. Hic damnauit ad instantiam concilij Africani hæresim Pelagianam cum suis hæresiarchis. vide xxiiij q.i. de hac materia. In quanta reuerẽtia olim sancti doctores,patres, & principes, & concilia habuerunt apostolicam sedem, vt nihil auderent sine consensu domini papæ diffinire, de hac materia sunt plures epistolæ sancti Augustini,& aliorum scripta.

Iste Sosimus statuit,ne clerici tabernas teneant, aut vinum vendãt: & vt cereus benedicatur in sabbatho sancto: & quod seruus non fiat clericus, nisi prius liberatus sit a domino suo. Ipse misit legatos ad concilium Carthaginense pro roboratione eiusdem.

Talmud Iudæorum quod sonat apud eos doctrina, cõponitur circa hæc tempora, anno Domini cccc a duob.summis Rabbi,scilicet Rabbina & Rabbasse: liber vtiq; grãdis,& maior x Bibliis.in eo sunt inexecrabilia mendacia,turpia,fatua,abominabilia cõtra legem Dei, legem naturæ,& legem scriptam. videntes namq; Iudęi legem suã quotidie deficere, fidem christianam proficere in toto orbe,etiã cum gloria temporaliũ, hos duos deceptores instigarunt,quatenus hunc librum componerent, & tanquam Moisis scriptis firmã adhiberent fidem,prohiberentq; sub pœna mortis,ne quis aliquid negaret de his quę in eo cõtinentur. factum est ita ad suam infelicem excæcationem, & suorum perpetuam damnationem. ne autem simplices haberent occasionẽ recedendi a tanta falsitate,iniunxerunt eis, vt interrogati de difficilibus, respondeãt, Nos hæc nõ intelligimus,sed Rabbi nostri poterũt respon-

Genſericus rex Wandalorum infinita mala fecit per longum tempus in diuerſis mundi partibus, tyrannus peſſimus, & Arrianus: præcipue religioni chriſtianæ, & nobilitati infeſtus fuit. Romam cepit, Africam deſtruxit: ſub quo Auguſtinus moritur, anno Domini ccccxl.

Attila rex Hunnorum Flagellum Dei, tyrannus atrociſſimus, longo tempore perſequitur humanum genus: tandem cõfoſſus moritur peſſime more tyrannorum. alibi dicitur, quod proprio ſanguine ſuffocatus fuit. Iohannes Caſſianus eremita, eiectus a Chryſoſtomo de Conſtantinopoli venit Marſiliam, collationes patrum ſcripſit & alia. & fuerunt infiniti ſancti eremitæ & monachi. Amanus epiſc. Aureliacenſ. ciuitatem ſuam liberauit ſuis meritis ab Hunnis.

Timotheus hæreticus, dicit, Chriſtum verum Deum & hominem quidem eſſe: ſed addit falſum dicendo, diuinam naturam conuerſam eſſe in humanam.

Theodoſiꝰ ſecũdus fil. Arcadij, an. xxvij. cũ Valentiniano.

Palladius epiſcopus mittitur ad Scotos.

Hic Theodoſius totus catholicus fuit, & deuotus princeps: nec tamen valuit prohibere barbaros, quin multas prouincias vaſtarent, permittente Deo. grandis namq; exercitus Gothorũ totum Romanum imperium in partibus Occidentis vaſtauit: ſed in Oriente tranquilla pax fuit & ſanctitas.

Concilium Carthaginenſ. fuit ccxviij patrum contra Pelagium hæreticũ: in quo ſanctus Auguſtinus ſolennis triumphator cõtra hæreticos apparuit, cunctos vincendo.

Saxones hoc tempore Angliam intrare ceperunt, & paulatim creſcentes, tandẽ totum regnum, & diadema obtinuerunt.

Vᴹ DCXXIII.

Bonifacius primus an. viij. dieb. viij. Romanus.

Cęleſtinus primus annis viij. dieb. ix. Romanus.

CCCCXXIIII.

Iſte Bonifacius ſtatuit, ne mulier tãgeret pallam altaris, aut lauaret. ipſe habuit ſchiſma cum Eulalio presbytero, qui ſecũ electus fuit: & prævaluit: quia maior & ſanior pars ſecũ erat, & imperator etiã cũ vxore ſua ei magis fauebat.

Iſte Cęleſtinus inſtituit dici pſalmos ante miſſam. & ex hoc exordium ſumpſit vſus, quem poſt & eccleſia ſeruauit de introitu, & graduali, & tractu. tempore eius celebrata eſt ſancta ſynodus Epheſina contra hæreſim Neſtorij epiſcopi Conſtantinopolitani, qui negabat beatam Mariam veram eſſe matrem filij Dei.

Schiſma quartum, quod fuit inter Bonifacium & Eulalium. cauſa fuit diſcordia eligentium. & obtinuit Bonifacius, quia maior & ſanior pars erat ſecum.

Prædeſtinatorũ ſerpit hæreſis, quæ dicit, nil prodeſſe ad vitã, quod ſancti virtuoſe agunt.

Hieronymus obijt, miraculis inauditis clarus. Euſebius diſcipulus Hieronymi claret poſt eum. Neſtorius epiſcopus Conſtantinopolitanus dicit, Chriſtum purum hominem, non Deum. hæreſis magna.

Lupus Trecaſſinus epiſcopus floruit, qui Attilam mirabiliter a præda compeſcuit.

Cyrillus Alexandrinus epiſcopus fuit in concilio Epheſino.

* dere vobis. ſic traditi ſunt in reprobum ſenſum, vt plus his nugis credant, quam Moyſi aut Chriſto. verumtamen plures in diuerſis mundi partibus cõuerſi crebro, leguntur: aliqui pro fide magna fecerunt, & vtiliſſima ſcripta reliquerunt.

Sexta ætas:

Tota Gallia, etiam Africa, Hiſpania &c. interijt permiſſione diuina ab incurſu barbarorum quingentorum milium: & omnes pene ciuitates in terram proſtratæ fuerunt, excepris paucis, quæ ſanctos epiſcopos habuerunt: ob quod diuinitus protectæ ſunt. & fuerunt tempora horrenda. Ciuitas Metenſis muros habuit inſuperabiles: ſed corruerũt propter peccata ciuium: & ſic exuſta fuit. Eccleſia Dei iſto tempore valde tribulatur, & præcipue in Africa. nam Auguſtino mortuo totus clerus aut martyriſatur, aut expellitur a ſedibus ſuis in exilium: nec fuit ſimilis perſecutio ibi vſque tunc propter Genſericum regem Wandalorum, & Honoricum filium eius, qui fuerunt Arriani, & eccleſias clauſerunt. tandem etiam ipſi male perierunt more ſolito. Hilarius epiſcopus Arelatenſ. claret in Gallia.

Merlinus de Incubo genitus claret in Britannia ſpiritu prophetiæ: cuius inſtinctu Vortigonus rex Britonum valde dilatauit fidem Chriſti. huic ſucceſſit Vter Pandagorum frater eius, qui fuit pater Arcturi, de quo prophetauit idem Vter. 1. caput Draconis. quia per draconem in ſtella prænunciatus eſt.

Imperatores.

Synodus III. Epheſina vniuerſalis CC Patrum contra Neſtoriũ hæreticum.

Patricius filius ſororis ſancti Martini mittitur in Hiberniam a Cęleſtino papa vir mirabilium operum. vixit annis CXX.

Iudæi plures ſubmerguntur in mari, decepti per diabolum, qui eis apparuit in ſpecie Moyſis, quaſi vellet eos introducere in terrã promiſſionis: quidam vero euadentes fidem Chriſti receperunt.

Paulinus epiſc. Nolanus vir ſanctus, de quo Gregorius loquitur in Dialogo ſuo.

Anno mundi V^M DCXXXIII.

Papæ. Xyſt^9 III. an. viij. dieb. ix. Romanus.

Anno Chriſti CCCCXXXIIII.

Iſte Xyſtus vir ſanctus erat, totus humilis & miſericors, eccleſiam ſanctæ Mariæ maiorẽ ædificauit. habuit quendam æmulum nomine Baſſum, qui eum diffamauit: de quo cum ſe concilio purgaſſet, ſtatim poſt Baſſus moritur: quem tamen propriis manibus ſepeliuit.

Germanus epiſcopus Antiſiodorenſis tres mortuos ſuſcitauit, & etiam aſinum ſuum defunctum. omniũ pedes lauit ſine exceptione.

Eucherius Lugdunenſ. epiſcopus & doctor.

Seuerus Treuerenſ. epiſcop. ſanctus.

Mamertinus abbas in monaſterio ſancti Germani, & Allodius fuit ante eum.

Septem dormientes euigilãt, quos Decius ante cc annos in ſpelunca recluſit.

Petronius epiſcopus Bononienſ. fecit vitas Patrum, vir ſanctæ vitæ ab infantia.

Marianus monachus, & plures alij ſancti & docti viri floruerunt.

Eutropius presbyter ſcripſit plura.

Victorinus Maſſilienſ.

Maruchas epiſc. filium regis Perſarũ a dæmone liberauit, & multum ibi fides creuit.

Terræmotus maximus apud Conſtantinopolim per quatuor mẽſes. & infans dixit vt cãtarent *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis miſerere nobis:* & ſic ceſſauit. hoc poſtea in Chalcedonenſi ſynodo confirmatum eſt.

Feſtum ſancti Petri ad vincula inſtituitur, & ſtupenda miracula per eius catenam fiunt.

Cœlum ab Aquilone efficitur quasi igneum: & fulgurantes hastæ apparent.

Terræmotus continui, & signa plura fuerunt.

Codex editur, qui & liber Theodosian⁹ appellatur: qui omnium principum legitimorum habet fines.

Luna obfuscatur.

Cometa apparet.

& post pauca, apud Tolosam Galliæ riuus sanguinis longissimus fluxit tota die.

Beatissimus Iohannes Baptista caput suum reuelat duobus monachis, qui Hierusalem venerant. Gothi autem, quia eundem patronum sibi elegerant, inuicti permanserunt diu. Vndecim milium virginum cohors apud Coloniam Agrippinam martyrisatur ab Hunnis: & Colonia statim post etiam destruitur.

Martianus cũ Valentiniano, annis vij.

Iste Martianus catholicus fuit, & cum Valentiniano imperauit: sed post apud Constantinopolim interemptus fuit conspiratione suorum. Hic in somnis vidit arcum Attilæ confractum, ex hoc ipsum intelligens mortuum: & sic factum est.

Ælius patricius contra Attilam pugnat, fugans eum: & cæsa sunt ibi, scilicet in territorio Aurelianẽs. clxxx^m pugnatorum.

Synodus IIII Chalcedonens. vniuersalis dcxxx patrum cõtra Eutychem hæreticum, qui fuit abbas Constantinopolitanus. Hic dixit, vnam naturã esse verbi Dei, & carnis. & Dioscorus olim episcopus Alexandrinus defensor illius fuit.

V^M DCXLIII. V^M DCLIII.

Leo primus annis xxi. mensi. dieb. xxviij

Tuscus.

CCCCXLIIII. CCCCLIIII.

Iste Leo sanctissimus longo tempore cum multiplici fructu præfuit ecclesiæ tunc infinitis periculis laboranti propter tyrãnides principum, & hæreses varias falsorũ doctorũ. Plures sermones & epistolas scripsit ita egregie, vt inter omnes doctores florẽ dictaminis reportasse dicatur: & quæcunq; dixerit, sic sunt approbata, vt nulli fas sit in minimo ab illis dissentire. ipse suis meritis Attilã a Roma & Italia auertit. manũ sibi amputauit propter quandam tentationem: sed beata virgo ipsam restituit. In canone addidit, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Synodum Chalcedonens. iussit celebrari, mediante Martiano imperatore. tandẽ plures agones beata morte patitur, sepultus apud sanctum Petrum. Festum eius agitur in vigilia apostolorum Petri & Pauli: quidam dicunt xi Aprilis.

Genoueua virgo claret Parisijs: quę fuit velata a sancto Germano.

Walleranus episc. sanctus.

Marinus episcopus Ephesiorum.

Iuuenalis episc. Hierosolymitanus.

Anatolius Constãtinopolitanus episcopus.

Hi duo fuerunt in concilio Chalcedonensi principales.

Tempore huius pontificis mysterium beatissimæ trinitatis euidenti miraculo in partib. Galliæ declaratur. cũ enim quidã episc. celebraret, vidit super altare tres guttas clarissimas æqualis magnitudinis cadere: quæ simul defluentes, & in vnum cõiunctę, gemmã pulcherrimam effecerunt: quam cum episc. in medio crucis aureæ posuisset, omnes aliæ ceciderũt.

Nicasius Remens. episc. martyrio coronatur cum Eutropia sorore sua: ab Hunnis truncatus ait, *Domine viuifica me secundum verbum tuum.*

Arcturus rex Britanniæ nominatissimus in victorijs, cccclx virōs gladio suo interfecit. ecclesiæ Dei subuenit, & fidē valde ampliauit, omnesq; terras Franciæ, Daciæ, Norwegiæ, &c. sibi seruire coegit. perditur tandem, nec vsq; hodie scitur vbi manserit. Ethicius senator in Burgundia tempore famis iiij^{m} pauperum sustentauit, & cœlestis promissionis vocem audire promeruit. Anglia in flore tēpore Arcturi: cui terdena regna seruierunt, sed tempore paruo. Meretrix quædam peperit infantes vij vno partu, & in piscinam proiecit: & vnus factus est rex Longobardorum. Elisæi prophetæ ossa transferuntur de Samaria in Alexandriam.

Perpetuus episc. Turonum.

Imperatores. Leo primus, annis xvij.

Iste Leo (secūdū quosdā) fuit verus catholicus: secundū alios autem, dicitur, quod nimis imprudenter imagines sanctorū iussit comburi: propter quod a papa excōmunicatus fuit. videtur tamē, quod hoc nō Leo primus, sed Leo iij fecerit, tēpore Gregorij iij, quia tunc fuerūt tempora turbulenta & inquieta.

Zeno annis xij.

Iste Zeno fuit Arianus, & totaliter crudelis cōtra catholicos: fœdus inijt cū Gothis: & filiū Leonis interficere volens, alter similis ei offertur. Ipse Theodericū puerū, postea regē Gothorum a patre suo in obsidē accepit. Venetiarū ciuitas inclyta cōditur, aut potius ampliatur circa hęc tēpora, anno Domini cccclː nō a pastorib. sicut Roma, sed a potentiorib. & ditiorib. prouinciarū aduenis illic propter persecutionem Attilæ confugientibus. mirum est, & summo laudis extollendū præconio, potuisse a tot tamque diuersis vrbium & oppidorum populis conditam ciuitatem per annos mille cum tali incremento ac gloriæ splendore, vnanimique sagacitate conseruari.

Anno mundi V^{M} DCLXIII.

Papæ. Hilarius i. annis vi. mens. iij. dieb. vi. Sardus.

Simplicius annis xv. mens. ij. dieb. vij. Tiburtinus.

Anno Christi CCCCLXIIII.

Iste Hilarius dedicauit ecclesiam beati Stephani iuxta basilicam beati Laurentij. Hic cōstituit, vt nullus pontifex sibi successorē constituat, vt habetur viij q. i. plerique. Sepelitur in monasterio sancti Laurentij, quod ipse construxit. sub ipso Dionysius abbas Romanus cyclum paschalem perpetuū adinuenit: qui vocatur tabula Dionysij, continens annos dxxxij.

Marci euangelistæ corpus transfertur ad Venetias de Alexandria.

Litanię maiores instituuntur a Mamerto episc. Viennensi.

Remigius Remensis episcopus, qui post Clodouæum regem Franciæ conuertit.

Prosper episc. vir clarus scientia & sanctitate vitę, de Aquitaniæ terra.

Theodorus episc. Syriæ scripsit Chronica, & plura alia.

Cyprianus Amsilienſis episcopus, vir supra modū misericors, totum, quod habuit, fratribus in necessitate dedit.

Hæresis Acephalorum fuit, quæ impugnauit concilium Chalcedonense.

Iste Simplicius diuisit vrbem in quinq; regiones, & plures ecclesias dedicauit. Hic cōstituit, vt clericus inuestituram nō recipiat a laico: quod fuit post per alios magis roboratum, vt patet xvi q. vi. per totum. Sepelitur in Vaticano.

Fulgentius episc. Ruspensis claret, luculētissimus doctor, scientia & fide plenus, natione Afer.

Achatius episc. Constantinopolitanus in hæresim cecidit, & damnatus, & famosus hæreticus fuit.

Bonifacius martyr, & alij multi martyres.

Disputatio illa famosa facta est apud Carthaginem cõtra Arrianos iussu Honorici regis: cuius scripta habentur: sed prævalentib. catholicis rex impius Arriana hæresi plenus, eos vsquequaque persequitur: sed non impune. nam octauo anno regni sui percussus a Domino, scatens vermibus, miserabiliter expirauit. Eugenius episc. Carthaginens. & Felix episcop. Abritanens. cũ aliis episc. & clericis, & ecclesiæ membris numero iiij^{m}, dccccl xxvi, miserabiliter tractantur, & in exiliũ mittuntur ab Honorico rege Wandalorũ: & totus clerus Africanus fortiter pro Christo agonizat vsque huc.

Multi martyres, manibus & linguis abscissis, recte loquebantur.

Guntaramundus rex Wandalorum, qui post Honoricum rexit, Eugeniũ ab exilio reuocauit: sed Castrimundus, qui post ix annos ei successit, iterũ ecclesias claudit, ccxv episc. exiliando: erga quos Symmachus papa clementissimus fuit.

Theodericus, qui Arrianus fuit, rex Gothorum, totã Italiam possedit longo tempore, & quasdam tyrannides cõtra fideles fecit: ob quod fuit proiectus post mortẽ in os Vulcani per Iohannem papam, & Symmachũ patricium, quos iniuste necauit, secundum Gregorium in Dialogo suo.

Inuentio sancti Michaelis in monte Gargano facta fuit hic.

Dionysia cum filio suo Maiorico, & Germana Datiua Leontia, filia sancti Germani episcopi.

Æmilianus medicus.

Fames incredibilis facta est, quæ totam Africam vastauit & alias regiones, occasione cuius plures sancti & sanctæ facti creduntur propter eleemosynas suas.

Victorianus proconsul martyr mirabiliter cruciatus est, & Victoriana honorabilis matrona, & alij plures.

V^{M} DCLXXIII.

V^{M} DCLXXXIII.

Romanus. Felix III. annis ix. mens. xi. dieb. xix. ex patre Felice, ex regione Fasciole.

Gelasius annis ix. mens. viij. dieb. xix. Afer.

Anastasius II. an. iij. mens. xi. dieb. xxiij. Romanus.

CCCCLXXIIII.

CCCCLXXXIIII.

Iste Felix sanctus est, vt patet ex sermone beati Greg. vbi narrat de trib. sororibus matris suę. fuit enim atauus eius. Hic cõstituit ecclesias ab episcopis dedicari. hic damnauit Achatiũ, eo quod ad communionem receperat Petrũ Alexãdrinũ episc. hic statuit, quod accusato dãdæ sunt inducię, vt ad respõdendũ se parare possit: & quod accusatores & iudices tales esse debeant, quod omni careãt suspicione & macula. de ipso fit mentio lvi distinct. Orosius.

Iste Gelasius canonẽ missæ ordinauit, præfationem, hymnos, tractus, orationes, sicut Ambros. fecit: & inter libros authenticos & apocryphos distinxit xv dist. sacrosancta. Hic tẽpora ordinãdi & examinandi presbyt. ordinauit. ipse etiã imperatorem excõmunicauit, & excõmunicari posse ostendit. xcvi dis. duo. sub eo Deus corpus Barnabæ & euang. Matthæi reuelauit.

Iste Anastasius primo bonus fuit: sed postea seductus ab Achatio, & cõmunicauit ei. & ob hoc clerus separauit se ab eo. & quia voluit restituere Achatiũ occulte, licet non potuit, diuino iudicio percussus est, intestina eijciẽdo, xix dis. Anastasius &c. & hic videtur II infamis papa, de toto catalogo pontificum vsq; huc: quia primus scilicet Liberi^{9} fauebat Arrianis: iste Nestorianis, vtrobiq; cõcurrente vesania imperatorum.

Iohannes Damascenus, secundũ quosdam, fertur his temporib. fuisse. Alij dicunt, quod post Gregorium, manum iniuste sibi amputatam beata virgo ei restituit. multa scripta subtilia reliquit. Solennis episcopus Carnutens. vir sanctus, insignis habetur.

Paschasius vir sanctus, de quo facit mẽtionem Gregorius in Dialogo, quod graue sustinuit purgatorium: quia in schismate pertinaciter adhæsit Laurentio vsque ad finem vitæ: sed ante mortem pœnituit. Sancta Brigida in Scotia claret.

Clodouæus primus christianus rex Frãciæ circa hæc tẽpora baptisatus est a sancto Remigio. habuit enim vxorẽ christianissimã nomine Clotildis: quę fuit filia regis Burgundiæ, quę sæpius monuit eũ, vt relicta idololatria, in verũ filiũ Dei crederet: sed nõ acquieuit. postea cũ bellaret aduersus regẽ Almaniæ, corruere cœpit exercitus eius, & infusis lacrymis ait, Iesu Christe, quẽ regina mea prædicat esse filiũ Dei, qui subuenis in tribulatione, & das auxiliũ in te sperantib. tuũ deuotus postulo auxiliũ &c. & sic habita victoria, venit cum iiij^{m} ad baptismũ: & columba cœlitus ampullã cũ chrismate attulit: vnde reges Franciæ vsq; hodie inungi solẽt: exemploq; eius totũ regnũ fidẽ suscepit, & deinceps semp victoriosus fuit, & Gothos superauit &c. cœpitq; extunc deuotus esse erga Deũ, & sanctos eius, & præcipue erga sanctum Martinum, cui precioſum e-

Imperatores. Anastasius, annis xxvi.

Iste Anastasius malũ habet testimoniũ: quia factus fuit hæreticus per Achatiũ Constantinopolitanũ episc. & cũ a papa moneretur per solennes legatos, vt ab Arriana perfidia discederet, respõdit, Nos cum simus imperator, iubere volumus: nõ autẽ nobis iuberi. quod arrogantiæ verbũ æternæ humiliationis, licet inutilis, subsecuta est vltio, quia parum post iusto Dei iudicio fulmine pcussus interijt, sensatis principib. suæ vesaniæ horridũ relinquẽs exẽplũ. ipse etiã miserabilis fuit, nec vnquã meruit victoriã, Deo pariter odibilis & hominib. quũ cũ alijs munerib. obtulit. cumq; vellet eũ redimere, iussit dari c. solidos argẽti: sed nequaquã equus se mouit. at rex, Date (inquit) adhuc c. & tũc equus solutus abijt ad nutum regis. tunc cum lætitia rex dicit, Vere beatus Martinus bonus est in auxilio: sed carus in negotio. & hic videtur quasi secundus Constantinus, & secunda Helena rememorari.

Anno mundi V^{m} DCXCIII.

Papæ, Symmachus an. xv. mens. vij. dieb. xxviij. Sardus.

Anno Christi CCCCXCIIII.

Iste Symmachus vir bonus, cleri & pauperum amator, fuit electus cum Laurentio, & bis habuit cõtentiosum schisma cum eodem: sed prævaluit iudicio ecclesiæ, & Theoderici regis, xvij dis. concilia. Hic compleuit hymnũ angelicum, *Gloria in excelsis Deo*, &c. et cantari instituit, & multa vtilia statuit. Verum cum Laurentium ex misericordia fecisset episcopum Micerinum, non reddidit sibi vicem iuxta beneficia præstita, sed iterato erexit se contra eum: nec sic profecit, quia cum Symmachus se plene purgasset coram synodo de obiectis criminibus, cum gloria restituitur, & Laurentius cum suis damnatus fuit.

Schisma quintum, quod fuit inter Symmachum & Laurentium. causa fuit discordia eligentium: sed Symmachus obtinuit iudicio concilij, in quo Theodericus rex personaliter fuit, quia maior pars erat secũ. sed post annos quatuor surgit iterum altercatio in clero propter crimina obiecta Symmacho: & factum est schisma sextũ ecclesię. sed cum Symmachus se purgasset coram concilio & rege, restituitur cum gloria, & Laurentius damnatus fuit.

Symmachus patricius martyr clarus habetur, vir sanctus & strenuus: qui rege Theoderico iniusto sæpe obstitit, ob quod tandem ab eo martyrisatus est cum Iohanne papa.

Boetius vir consularis incomparabilis scientiæ, & in omni virtute perspicuus, fuit gener prædicti Symmachi, & post multa, quæ gloriose gessit, tandem exul iugulatur pro iustitia a Theoderico. sepultus Papiæ. Dicunt quidam eum canonisatum sub nomine Seueri. quanta autem scripsit, tota christianitas testis est. habuit vxorem prudentissimã nomine Elphe, quæ fecit hymnum, *Oliuæ binæ*, &c. & *Felix per omnes*, &c. de Petro & Paulo.

Gerhardus primus episcopus Laudunens. vir sanctus, habuit primo vxorẽ, quam dimittens, & iterato admittens, genuit ex ea virum sanctum Latronem, qui ei in episcopatu successit. mirabilem egit pœnitentiam. Arnulphus episc. Turonens.

Siberanus Scotus cũ suis fratrib. & sororib. claret sanctitate. Vedastus Atrebatens.

Leonardus Louiocen. & Liphardus discipuli Remigij. Euodius Titubens. episc.

Seuerinus abbas Agaunens. qui Clodouæum regem Franciæ sanauit.

Dignissimus, & Gordianus, & alij multi martyrisati sunt a Laurentio schismatico.

Cantianus Rothonensis.

Maxentius abbas Pictauiensis.

Iustinus primus, annis ix.

Conciliũ Aurelianense celebratur iussũ Clodouæi, quod sanctus Melanius congregasse dicitur. & nota, quod multa fuerunt concilia Aurelianens.

Iste Iustinus totus catholicus fuit, & omnia quæ Anastasius contra ecclesiam fecit, retractauit, summum pontificem deuote requisiuit, scilicet venerabilem papã Hormisdam: & se libenter obedire velle intimauit. quod factum est: quia cum sanctus Germanus episcopus Capuanus ad eum venisset ex parte papę, vt episcopos de exilio reuocaret, statim fecit, cum magna lætitia eum suscipiendo. ipse magis etiam fecisset pro fide, nisi eum tyrannis Theoderici regis impediuisset. Carilephus vir valde sanctus, qui nunquam voluit videri a mulieribus, nec a regina deuota Franciæ.

V^M DCCIII.

Campanus. Hormisda, an. ix. dieb. xvij.

Iohannes i. annis iij. mens. ix. dieb. xviij. Tuscus.

DIIII.

Iste Hormisda vir misericordiarum fuit: ecclesijs multa ornamenta contulit: pauperũ eleemosynis intentus. ipse clerũ composuit, & Græcos reconciliauit, qui fuerũt excommunicati propter hæresim Nestorianam. sepultus est apud sanctum Petrum: vbi dedit trabem argenteam pensantem libras mill. xl. Hic cõstituit, si quis missam se simulauerit celebrasse, perpetuo sit irregularis.

Auitus abbas Aurelianens. qui orauit pro filijs Clodouæi.

Elphes vxor Boetij, mulier deuota moritur, quæ epitaphium suum met composuit, dicens,

Elphes dicta fui Siculæ regionis alumna,
Quam procul a patria coniugis egit amor.
Porticibus sacris iam nunc peregrina quiesco,
Iudicis æterni testificata thronum.

Solinus Sidonius doctor.

Melanius consularis regis floret.

Albinus vir sanctus cum alijs.

Victor, Marsus Lantonus cum alijs pluribus illustribus viris, qui tunc floruerunt in Gallia.

Iste Iohannes sanctus est, & martyrisatus a Theoderico rege Gothorum, Arriano, qui tunc iussũ imperatoris in Italia regnauit. nã in custodia afflictus moritur cũ Symmacho & alijs æque catholicis viris, cui⁹ festũ agitur xxvij mensis Maij. Hic cæcum illuminauit Constantinopoli.

Theodericus Gothorum rex subito defunctus, a quodã sancto eremita visus a Iohanne papa & Symmacho, quos ipse occiderat, nudus & discalceatus in ollã Vulcani demergi. vide in lib. Dialogorũ sancti Gregorij. videãt igitur & intelligãt hoc principes.

Germanus Capuanus epis. claret.

Vigor Boiacens. episc. qui mortuũ suscitauit. Cassiodorus gloriosus vir, & doctor luculẽtus fuit, primo senator, cancellarius regis Theoderici: deinde monachus, plura scripsit.

Sexta ætas:

Duo legislatores excellentissimi hoc tempore claruerũt, Benedictus videlicet pater maximus, & Iustinianus imperator. horum primus totius ecclesiæ fulcimentum, & norma religionis inclytissimos habuit discipulos, & plures numero: & obtinuit orbem terrarum &c. ad cuius honorificentiam hoc etiam accrescit, quod non alius quilibet ex magistris ecclesię vitam illius digessit, quam insignis ille disertissimus papa Gregorius: quia totũ, quod fecit, quasi aurum fulget. diuinitus enim dispositum est, vt cum idem legislator excellentissimus in cæteris modis sit a Deo decoratus, etiam hinc maiori autoritate tam ipse, quam legislator eius roboretur: quod eandem vitam summus apostolicæ sedis pontifex ordinauit.

Claudius episcopus Viẽnens. nobilissimus inter doctores claret.

Imperatores. Iustinianus I. an. xxxviij.

Iste Iustinianus excellentissimus fuit per omnia. nam in ipso concurrerunt tria, quæ principem glorioſum faciunt, scilicet potentia, sapientia, & religiosa mens ad diuinum cultum. per primum hostes superauit: per secundum iustis legibus mundum ordinauit: per tertium Deum glorificauit, eiusq; ministris ecclesias ædificando opes plures donauit. Nota, quod leges ciuiles, quæ Romanæ dicuntur, ante istũ insignem virũ prolixæ fuerunt, quas ipse admirabili breuitate correxit, & ad xij libros coarctauit, & omnib. vnũ codicẽ ordinauit, quẽ codicem Iustinianum appellari voluit. fecit etiam librum Institutionũ, quẽ in iiij distinxit libros. nouas quoq; leges, quas ipse fecerat, in vnũ volumẽ redactas, Nouellas vocari statuit, quę communiter Authenticæ appellãtur: & sunt per collationes distinctæ. omniũ etiã magistratuũ, & iudicũ seu iurisconsultorũ leges, quarum ij^m librorũ esse dicebantur, grãdi labore abbre-

Anno mundi V^M DCCXIII.

Papæ, Felix IIII. annis iiij. mens. ij. dieb. xiij. Samius.

Anno Christi DXIIII.

Iste Felix iussit infirmos inungi ante obitũ. vnde patet, q; vnũ sępe instituitur, cuius nõ semper fit executio. aut ergo necesse est sæpius replicari: aut forte aboleuit, quod prius statutũ fuit. verum principaliter per Christũ institutũ est, quia omnia sacramenta per Christũ tradita sunt ecclesiæ. Hic instituit etiam, vt anniuersarius dies dedicationis ecclesiarum & altarium celebretur.

Ordo sancti Benedicti.

Vt prior ordinib. cunctis præstantior iste:
Sic erit in fine cunctis constantior ipse.

Sacer ordo Benedicti vtitur amictu
miti pro suo velamine
Albo, nigro, camelino, lana texta sine lino, prout est religio.
Hic monarcha monachorum, patriarcha est cunctorum, qui ad se confugiunt.
Cœnobitis præbet normam, & anachoritis formam vias rectas ingredi.
Cuius regularis vsus nunc vbique est diffusus inter orbis climata.
Nam specus cultus diuini, locusque montis Cassini redolent virtutibus.
Hinc Fuldenses cum feruore, claustra multa cum decore regunt in Almania.
Assunt & Cluniacenses, simulque Camedulenses cum Cistercienſibus,
Valumberni, Sylueſtrini, supersunt & Cælestini sub diuerso habitu.
Montis Oliueti patres, humiliatique fratres sub eadem regula.
Vigent quoque Iustinenses, cum candore Bursfeldenses his diebus vltimis.

Persecutio iterum in Africa fit catholicis a Wandalis Arrianis. episcopis quibusdam linguæ abscindebantur: & tamen recte loquebantur.

Antonij abbatis corpus inuenitur, & in Alexandriam transfertur.

Totila rex Gothorum multas exercet tyrannides: & pene tota Italia destruitur.

Belisarius patricius comes Iustiniani, mirabiliter de Persis triumphauit. deinde missus ad Africam Wandalorum gentem deleuit. dehinc Romam liberauit a Gothis, quę per totum annum fuit obsessa: regem etiam Gothorum cepit, & ad imperatorem duxit. & Roma sæpius capitur a Gothis, & quasi in nihilum redigitur.

Arator poeta floret.
Priscianus grammaticus.
Nicetius Treueren. episc.
Cassius Marnienſ. episcopus.
Maurus discipulus sanctissimi patris Benedicti claret.
Romanus monach⁹, qui sanctū Benedictū pauit in spelūca.

*uiari fecit, & ad numerum librorum l redegit, & ipsum librum Digestorum seu Pandectarum appellari mandauit: & debet scribi per dg. sed hodie mirabili errore apud omnes per duplex ff scribitur, quasi per mysterium dicatur: quia communis error faciat legē. Causa autem est, quia dg antiquitus quandam similitudinem in scribendo habebant cum ff duplicato. his legib. totus mundus extunc & deinceps vsq; nunc ordinatur & regitur, paucis exceptis, quę per sacros canones sunt prohibitæ tanquam mortiferæ. quia cum lege diuina non poterant concordare: aut non conueniunt christianorum moribus. Et hoc idem imperator tanquam verus catholicus desiderauit ab ecclesia fieri, dicens, Non dedignantur leges humanæ sacris canonibus obedire. Plurimæ etiam leges sunt canonizatæ: per quod ecclesia summam ostendit exemplaritatem, humiliter se submittens legibus humanis, in quantum non impediunt consecutionē sui finis, qui est vita æterna: quam promisit Deus custodientibus legem siue mandata sua.

V^M DCCXXIII.

Bonifacius secūdus annis ij. dieb. xxvi.

Romanus.

DXXIIII.

Iste Bonifacius statuit, vt clerici sint diuisi a laicis in celebratione missæ. Hunc quidā libri dicunt electum in discordia cum Dioscoro: & fuit schisma xxxviij diebus: sed mortuo tunc Dioscoro idem Bonifacius obtinuit. Alij dicunt, quod hoc sit factū tempore Sisinnij, vt infra patet.

Victor Capuanus episc. qui cyclos paschales subtili modo descripsit. Gregorius epis. Lingonensis, de senatoribus, qui prius habuit vxorem.

Theophilus qui homagium diabolo fecit: sed per beatā virginem Mariam recōciliatus est.

Benedictus iunior, qui a Totila multa passus est.

V^M DCCXXXIII.

Ioānes II. annis ij. mens. iiij. dieb. vi.

Romanus.

DXXXIIII.

Iste Iohannes cum Iustiniano imperatore magnā habuit cōcertationē, an videlicet in Christo vna, vel duæ essent naturæ: probāte autē papa, quod duæ, imperator ait, Aut consenti nobis, aut in exilium ibis. Tunc papa gaudenter dixit, Ego ad Iustinianum imperatorē christianissimū venire desiderauī: sed, vt video, Diocletianū persecutorē inueni: tamen minas tuas in nullo timeo. tunc imperator humiliauit se, prostratus ante pedes papæ.

Domicianus Tungrenſ.

Medardus Nouionenſ. episcopus.

Agapetus I. annis ij. mens. xi. dieb. xviij.

Romanus.

Iste Agapetus plene reuocauit Iustinianū ab errore Eutychetis. Hic constituit processiones fieri dieb. dominicis. Hic patriarcham Constātinopolitanū deposuit, scilicet qui duas naturas in Christo negauit. Moritur Constātinopoli, & relatus est Romā, & sanctus est. cuius festum agitur xxij Aprilis.

Gildardus episc. Rothomagenſ. frater sancti Medardi.

Clodoaldus filius regis Franciæ presbyt. monasterium condidit.

Germanus Parisienſ. episc.

Eleutherius Tornacēſ. epiſ.

Signa horribilia apparuerunt. Quædam ſtella contra lunam veniens, intrauit.

Vuæ de ſambuco naſcuntur. Hyems grauis fuit, ita vt aues frigore labefactæ manu caperentur.

Fames tam validiſſima tũc fuit, vt in quibuſdã locis matres proprios pueros manducarẽt. Cœlum etiam ardere viſum eſt in Gallijs. Et ſanguis ſtillauit a nubibus.

Theodebertus rex Franciæ fuit: qui beato Mauro tunc abbati Andegauenſi plurima bona dedit pro ſuſtentatione monachorum ſub regula ſancti Benedicti Deo ſeruientium. ſimiliter & Clotharius eius filius. magnis enim miraculis idem beatus Maurus claruit per omnia, ſicut Benedictus magiſter eius venerabilis.

Imperatores.

Radegũdis Francorũ regina vxor Clotharij claret ſanctitate: quę poſt monaſteriũ intrauit.

Iſta Synodus damnauit hæreſim Theodori, qui dixit, alium eſſe Deum verum, & aliũ Chriſtum: & quod beata virgo non ſit Dei genitrix, ſed hominis tantum, &c. ſatis cum Neſtorio cõcordabat. Et nota, quod ſæpius hæreſes variant nomen iuxta hæreſiarchas ſuos: quia hæc dicta fuit in primitiua eccleſia Hebionitarum: & ſæpius fuit deſtructa, & iterum machinatione diaboli reſuſcitata. & ſic de alijs ſimiliter eſt intelligendum. ſæpe tamen aliquid variãt aut apponunt, vt non ſit omnino ſimile. de hac vide xxiiij q.iij c.quidam.

Synodus IIII Conſtãtinopolitana contra Theodorũ & coẽs hæreticos alios.

Hæc Synodus eſt ſimilis auctoritate, ſicut quatuor euangelia.

Anno mundi V^M DCCXLIII.

Papæ,

Syluerius mart. a.iij. menſ.v. dieb.xi. Campanus.

Vigilius annis xvij. menſ.vi. dieb. xxvi. Romanus.

Anno Chriſti DXLIIII.

Iſte Syluerius martyr eſt, quia pro fide in exilio interfectus fuiſſe dicitur, procuratione Theodorę imperatricis: quia Anthemium epiſc. deſtitutũ & condemnatum propter hæreſim reſtituere noluerit. Hic factus eſt papa per vim. Rex enim Gothorum Theodatus corruptus pecunia, minas clero & populo intulit, niſi in electionẽ conuenirent. Eius feſtum agitur xx Iunij.

Feſtum purificationis glorioſæ virginis Mariæ inſtituitur apud Conſtantinopolim ad ſedandã peſtẽ grauem. Et nota, quod ſæpius leguntur eadem feſta inſtituta a diuerſis nõ ſine cauſa. quia autem nõ ſunt recepta, vel in oleuerunt, aut aliquid ſuperadditur &c. dicitur, quod etiã Sergius prædictum feſtum inſtituit, vel forte ſuperaddidit luminaria ferenda.

Iſte Vigilius male intrauit papatum: ſed tamen bene ſe rexit, & perſecutionẽ ſuſtinuit, ſicut Syluerius. Gothos ſuperauit glorioſe. tandẽ in exilio moritur poſt graues perſecutiones in Conſtantinopoli perpeſſas a Theodora: & martyr creditur. Feſtum eius agitur xxvi Iunij. Ipſe iuſſit concilium Conſtantinopoli celebrari. & fuit primo archidiaconus Syluerij, & cupidus ad papatũ. Dedit modũ Imperatrici qualiter Syluerium amoueret: quæ eum poſtea peius tractauit: & funę in collo eius miſſo, per totam ciuitatẽ trahitur a mane vſq; ad veſperam &c. hoc prædixit Belliſarius patricius Romanus, qui Syluerium inuitus exiliauit, ſic inquiens, Huius machinator ſceleris non effugiet iram iudicis cuncta cernentis. Sed de omnibus poſtea pœnitens, & fortiter pro fide agoniſans, feliciter vitam finiuit. Herculianus epiſc. Peruſinus a Totila ſecto capite martyriſatur. Paſtores verba canonis ſuper pane proferentes interierunt. Hic conſtituit canonẽ ſubmiſſa voce, & nõ niſi ſup ſacrificia legi,

Templum sanctæ Sophiæ maximum in Constantinopoli constructum per Iustinianum. Putatur, quod a conditione mundi non sit tale opus ita complete factum: in quo idem Iustinianus glorioſus imperator honorifice sepultus est in pace Christi.

Tempora satis turbulenta, & mortalitas magna in Italia. quamdiu fuit imperiũ bipartitũ, fuerunt conturbationes continuæ. & beatus Gregorius sæpius facit mentionem de his.

Puer quidam Iudæus circa hæc tempora cum aliis pueris christianorũ communionem accepit: quapropter pater indignatus ipsum in fornacem proiecit: sed illæsus exiuit, dicens, Mulier illa, quæ in ecclesia est depicta, puerum in brachijs tenens, pallio suo ignem excussit.

Iustinus secundus, annis xi.

Iste Iustinus bonus fuit in principio, & bene catholicus: sed suasu vxoris degenerauit in crudelitatem & auaritiam: & factus omnibus odioſus, amens efficitur. & Narses quidam eunuchus vir strenuus, & totus deuotus, & misericors, erat patricius eius: qui merito sanctitatis suæ vbiq; triumphauit: Totilam interfecit, & omnes barbaros deuicit, totamque Italiam quietam reddidit: sed diabolus inuidens ei, quod cuncta bene disponeret, suscitauit cor imperatricis Sophiæ contra eum, ita, vt etiam Imperator inconsulte alienaret se ab eo: & ob illam ingratitudinem & iniuriam vltus se fuit, & introduxit Longobardos, & auertit Italiam, ne esset sub imperio vsque ad tempora Caroli. notabile exemplum est hoc, ne principes audiant inuidas mulieres, per quas diabolus sæpe solet facere, quod per se non potest.

V^xx DCCLIII.

Pelagius i. annis iiij. mens. x. dieb. xviij.

Romanus

DLIIII.

Iste Pelagius statuit, quod hæretici & schismatici debeant per secularem potestatem arceri, xxiiij q. v. relegentes: & plura alia. Hic diffamatus & culpatus fuit de morte Vigilij: sed coram omni populo tangendo crucem & euangelium, sacramento se purgauit. Hic constituit nouem præfationes in missa decantari, quas Gelasius compilauit.

Iudæus quidam isto tempore imaginem crucifixi telo transfixit occulte: & sanguis exiuit, Iudæum extinxit: sed christiani hoc comperto, ipsum lapidibus continue obruerunt.

Stephani sancti protomartyris ossa delata sunt Romam, & in vna tumba cũ sancto Laurentio locata.

Mons magnus in Gallijs mugitum dedit: discissus ab alio monte, & cum hominibus & ecclesijs in Rhodanum præcipitatur.

Gasimunda regina Franciæ, vxor Hilperici regis, qui eam iugulauit nocte, sancta mulier, miraculis claret.

Machutes discipulus sancti Brandani mirabilia fecit.

Fortunatus poeta Italicus, & episcopus Pictauiensis, multa scripsit.

Columbanus pater venerabilis clarus in Hibernia, & post venit in Burgundiam: deinde in Almaniam, constituens monasterium Luxonienſe, & factus est in gentem magnam.

Leonardus eremita sanctus Cenomanensis fuit.

Agericus Virdunensis episcopus hoc tempore clarus habetur

Sexta ætas:

Acies igneæ visæ sunt in cœlo: de quibus Greg. in Homil. & de vestibus quorundam verus sanguis effluxit. domus etiam cuiusdam aspersa sanguine apparuit, & signa in vasis, quæ non potuerunt ablui. Brandanus in Scotia claret, vir sanctus, pater iij^m monachorum: de quo mirabilia leguntur. Pugna sancta oritur inter Germanum episcop. Parisienſ. & Childebertum regem Franciæ: quorum quilibet certabat ad subueniendum debilibus & pauperibus. & quia vnus alium præuenit, non modica concertatio erat inter eos. O vbi manserunt hæc! Iohannes Eleemosynarius, episc. Alexandrinus, clarus habetur. sic dictus, propter eleemosynas quas faciebat: Quid vltra? quod habuit, hoc totum dedit.

Samson episc. Dolenſ.
Ethbinus Britannicus.

Imperatores.

Tiberius secundus annis vij.

Similianus abbas.
Sindulphus presbyter.

Iste Tiberius vir sanctus fuit misericordissimus, multas ecclesias restaurauit. eratque tam profusus in muneribus largiendis, vt vxor eius ipsi diceret, quod dilapidator esset bonorum imperij. Cui ille, Confido in Domino, quod fisco nostro non deerit pecunia, si de his quæ Dominus nobis contulerit eleemosynas faciendo, thesauros conquiramus in cœlo. & statim post cum vidisset crucem sculptam in pauimẽto, ait, Leuate tabulam, quia indignum est, vt crux pedibus conculcetur, quæ debet cum reuerentia in pectoribus & frontibus fidelium poni: ibique maximum reperit thesaurum. ipse Persas vicit.

Hospitius, & quidam Winnatus Brito clarent in Gallia sanctitate.

Leander Gothos conuertit, post episcopus Hispalenſ. cui Gregorius misit libros Iob.

Anno mundi	V^M DCCLXIII.	V^M DCCLXXIII.
Papæ,	Ioannes iij. annis xij. mensi. xi. dieb. xxvij. Romanus.	Benedict^s i. an. iiij. mensi. i. dieb. xviij. Romanus.
Anno Christi	DLXIIII.	DLXXIIII.

Iste Iohannes restaurauit cœmeteria martyrum, & ecclesiã beatorum apostolorum Philippi & Iacobi. In diebus suis multa signa & prodigia insolita, significantia cladem futurã, qualis nunquam fuisse putatur. tandem post multa bona opera moritur, sepultus apud sanctum Petrum.

Iste Benedictus multas sustinuit persecutiones: & vidit mala gentis suæ propter famem, pestilentiam, & hostes: quia Longobardi totã Italiam inuaserunt. In quibus laboribus moritur, sepultus apud sanctum Petrum.

Paulus Leonenſ. episcopus.
Amandus vir sanctus, post episc. Traiectenſ.
Vngalotus presbyt. & alij sancti floruerunt.

Italia tempore huius pontificis absoluitur a iugo Constantinopolitano, & ceperunt Romani dominari per patricios. & fit regnum Italiæ habitatio Longobardorum.

Retharedus rex Gothorum, quẽ historiæ tradunt virum fuisse virtuosum, cum esset Arrianus, in concilio Toletano anno Domini dlxxiiij primum cõuersus est ad verã fidem, & cum eo tota gens Gothorum, monitu & industria Leandri episc. Hispalenſ. Magna gratia in populo barbaro, qui hucusq; malam habuere famam, & nunc sanctos habere incipiunt.

Gregorius filius Gordiani senatoris Romæ clarus habetur: qui sex monasteria in Sicilia fundauit, & vnum in vrbe, in quo fit monachus ex prætore: & post diuinitus papa eligitur.

Gregorius Turonenſ. episc. expositiones sacræ scripturæ fecit.

Maglorius episcopus Dolenſ. sancti Samsonis successor.

Maurus discipulus sancti Benedicti eo tempore obijt, sepultus Parisiis.

Iste Mauricius habuit filiam Tiberij nomine Constantiam, quam ei pater eius tradidit cum imperio, dicens, Sit tibi imperium meum cum hac puella, vtere ea feliciter, & habe in mente, æquitatem & iustitiam præcipua esse insignia optimi imperatoris. quib. dictis, pijssimus Tiberius expirauit. Mauricius autẽ sumpto imperio multum vtilis fuit reipublicæ. tandem cum beato Gregorio nimis detraheret, & mortem comminaretur, contra se diuinam prouocauit iram. meritis tamen beati pontificis hîc punitus fuit, eo quod pro se quotidie oraſſet. fuit enim expulsus de regno, fugatus ad insulã quandam, & ibi cum vxore & duobus filijs per Phocam interemptus est. Si bene seruasset doctrinam soceri sui, illum ante pedes suos habuisset prostratum, quem nunc super se sensit leuatum. tamen de eius saluatione bona spes est, propter causam prædictam.

Mauricio Græcus an. xxij.

Antiochia subuertitur per angelum Dei, qui in veste alba apparuit: & tantum vnus vir eleemosynis vacans, liberatus fuit. Quidam dicunt, quod medietas ciuitatis subruta fuit, & aliam eius medietatem vir ille precibus suis saluauit.

Tunica Domini inconsutilis reperta est in Saphat, & in Hierusalem posita.

Inundatio pluuiarum maxima fuit, ita vt secundum diluuium crederetur iterum venturum. Et per Tiberim multitudo serpentum cum dracone magno in mare descendit: sed a fluctibus præfocati, & ad littus proiecti, totum aerem sua putredine corruperunt. & secuta est mortalitas maxima in Italia: quæ dicitur inguinaria, ita vt etiã corporali visu sagittæ cœlitus venire, & singulos quosque percutere viderentur.

V^M DCCLXXXIII.

Pelagius i. annis xij. mens. i. dieb. x.

Romanus. Hic constituit, vt memoria defunctorum fiat in omni missa, post eleuationem hostiæ salutaris.

DLXXXIIII.

Iste Pelagius ordinatus fuit absq; iussione Principis. & Longobardi obsederũt Romam. & vastatio magna fuit: & quod malè inchoatum fuit sub eo, in peius proficiebat propter tyrannidem barbarorum, & pestem. Ipse misit Gregorium sanctum virum ad diuersa loca in negotijs ecclesiæ expertissimum. tandem in peste inguinaria moritur. sepultus apud sanctum Petrum.

Mirabilia quædam circa hæc tempora contigisse narrantur. cometa apparuit. puer quadrupes, alter duos vertices habens, nati sunt Byzantij. sanguineæ hastæ, & lux clarissima per totam noctem videbantur. puer sine oculis & manibus: qui a lumbis infra erat sicut piscis. in Nilo etiam apud Ægyptum duo animalia apparuerunt humanæ formæ, vir & mulier, horribilia aspectu. quasi per vnum diem sol a mane vsque ad meridiem minoratus est de tertia parte. quæ omnia aliquid noui solẽt significare Quidam putant, quod præfigurauerunt bestialem & monstruosam sectam Saracenorum, quæ quasi tertiam partem christianitatis in breui corrupit: & non longe post hæc tempora surrexit.

Hermigildis filius regis Wisigothorum & Hispanorum conuertitur de infidelitate Ariana ad catholicam fidem: a patre suo martyrisatus est.

Litania maior instituitur a sancto Gregorio. & angelus Domini apparuit supra castrum Adriani. *Regina cœli* cantauerunt angeli primum &c. & grandis illa plaga cessauit.

Augustinus venerabilis monachus, vir sanctus, cum Iohanne & Mellito, & alijs mittitur ad Anglicos cõuertendos. Et nota, quod sæpe fit mentio de diuersis regnis & prouincijs, quod crebro conuersę sint ad fidem: quia non semper in eis permansit fides, propter diuersas causas. sic de Anglia, Francia, Persia, & Iudæa. In hoc singulariter Roma priuilegiata fuit, quia ibi nunquam defecit fides Petri.

Phara virgo sancta & nobilis, & frater eius.

Pharo comes, & post Meldens. episcopus, & frater eius.

Carnealdus episc. Lugdu. claruerat.

Desiderius episc. Viennens. mart.

Imperatores. Phocas annis viij.

Goar vir sanctus, super Rhenum claret: & multi alij vtriusq; sexus homines fuerunt dignæ memoriæ. Vide in registro Gregorij.

Iste Phocas tumultu militũ factus Imperator, dominũ suũ Mauriciũ occidit, & alios plures. & quia male incepit, in peius profecit, & pessime cõpleuit: quia Romani grauissime cõtra Persas prælijtes fugati sunt, & multas prouincias perdiderũt. & tandem ipse superatus ab Heraclio occisus fuit. Cosdras rex Persarũ Hierusalem cepit, & alias multas ciuitates: & valde attriuit christianos, occisis xc^{m}. & crux cũ Zacharia patriarcha capitur, &c. post cum se Deum putaret, interficitur ab Heraclio. Dicitur, quod tantæ fortitudinis Heraclius fuit, quod leones sępe prostrauerit in arena.

Furseus vir sanctus, filius regis Hiberniæ, claret.

Gangericus Cameracẽs. episc.

Marculpus abbas Horcasens. cõstituit, quod lumẽ semper ardeat in ecclesia, dum missa celebratur. item, quod papa sit indutus alba præcincta longa & ampla.

Marculpus abbas Horcasens. cõstituit, quod lumẽ semper ardeat in ecclesia, dum missa celebratur. item, quod papa sit indutus alba præcincta longa & ampla.

Anno mundi	V^{M} DCCXCIII.	V^{M} DCCCIII.

Papæ. Gregorius i. an. xiij. mens. vi. dieb. x. Romanus.

Anno Christi	DXCIIII.	DCIIII.

Iste Gregorius nobilis genere, sed nobilior virtute: sed & sanctitate nobilissimus, ordinis sanctissimi patris Benedicti monachus dignissimus: qui merito magnus dicitur, propter plura, quę excellenter habuit, scilicet potentiã, diuitias, virtutes, nobilitatẽ, sapientiã, sanctitatẽ, famã, experientiã. nihil eum in omni statu latebat, puta, qui pene in omni statu exercitatus fuit. Sub eo paulatim mala præteritorũ temporũ quieuerunt. De eius incomparabili vtilitate, qua ecclesiæ Dei vigilantissime pręfuit, plures cõscripti sunt libri. Sed & ipse doctor principalis vnus de quatuor quanta scripserit, tota simul testis est ecclesia. Ipse deniq; solus cum beato Fabiano post sanctũ Petrũ diuinitus in toto catalogo pontificũ Romanorũ ad pontificatũ est assumptus. ipse plura instituit, vt patet in eius registro. in canone addidit, *Dieśque nostros in tua pace disponas*, &c. *Deus in adiutorium*, ante initia horarũ iussit dici. totũ officium ecclesiasticum stylo pulcriori, & ordinatiori, & compendiosiori modo renouando composuit: quod permanet vsq; hodie. & dicitur Gregorianũ de omnib. officijs tã episcoporũ quã aliorũ inferiorũ, prælatorũ siue subditorũ. Quid vltra? Quanta gratia emicuerit, quanto scientiæ lumine præditus fuerit, quantũ præsentib. & futuris exemplo operis & scripturis prodesse studuerit, mortalis lingua aut vix aut omnino non posset explicare. Hic constituit, quod cõfessor nec nutu, nec verbo, nec signo confessionẽ prodat. *Seruus seruorum Dei*, titulus totius humilitatis summis põtificib. hic a beato Greg. instituitur, & permanet vsq; hodie.

Walbertus vir sanctus, frater Pharonis, discipulus sancti Columbani: & sancta Blidethildis, vxor Pharonis: & plures discipuli eiusdem sancti Columbani floruerunt: scilicet Gallus, Eustachius, Attila, Valaricus, &c. Andoenus, Hildemacus.

Isidorus Hispalens. episc. inter doctores notabilissimus, multa scripta reliquit grauida sententijs & auctoritate. Hic vir studiosissimus, vltra lxx sectas hæreticorũ enumerat: qui contra ecclesiam Dei successu temporis surrexerunt, & damnati sunt a sanctis patrib. vicissim vsque ad tempora hæc. vide xxiiij q. iij c. Quidam. Ipse etiam Mahometũ, qui in Hispaniam venit, capi iussit: sed admonitus a diabolo fugit. Adalaoth rex Longobardorum baptisatus est, & fidem Christi suscepit. Theudelina Lõgobardorum regina christianissima virum suum nomine Agisulphum ad fidem conuertit, & cum Romano imperio pacem habere fecit: ad quam Gregorius lib. dialog. transmisit.

Heraclij, an. xxxi.

Iste Heraclius ex parte bonam, & ex parte malam famam habuit in chronicis. quia in quibusdam valde sancte se habuit, vt patet in legẽda sanctæ crucis: quomodo miraculose vicit Persas, & Cosdram occidit: sed post victoriã conuersatus cum patriarcha Iacobitarum, cum ipso de fide disceptauit, volens eum ad rectam viam reuocare: sed, proh dolor, ab eo deceptus, incidit in hæresim Monethelitarum, in qua moritur. vnde patet, quam stultum sit cuilibet christiano excedere constitutam sibi a Deo regulam. Quando enim laici intromittere se volunt de illis & similib. periculosis quæstionibus fidei: & quando clerici bellis se vltro ingerunt, raro aut nunquam sortitur bonũ effectum. maneat quilibet in vocatione sua, & exerceat se in his quæ sunt sui officij. Alioquin si inordinate procedit, Spiritus sanctus aufert se: sine quo nemo quicquam boni potest perficere. Simile de Osia rege Iuda, vt ij Paralip. xxvi. & sunt exempla plurima quotidie. Verum ista maledictio venit super Heracliũ propter superbiã suam. quia post illam victoriã pau-*

Vm DCCCXIII.

Sabinianus an. i. mens. v. Tuscus.

Bonifacius tertius, mens. viij. die. xxviij. Romanus.

Bonifacius IIII. an. vi. mens. viij. dieb. xij. Marsus.

DCXIIII.

Iste Sabinianus statuit pulsum campanarũ ad horas dici. & quia tenax fuit, & sancto Greg. detrahere nõ timebat, ab eo ꝑcussus, interijt. & hic est tertius de toto catalogo pontificũ, qui formidabili morte & culpabili vita notatus est.

Iste Bonifacius statuit, vt nitidus pannus super altare poneretur.

Iste Bonifacius consecrauit Pantheõ, id est templum omnium Deorũ: vbi christiani periclitabantur a dæmonib. Et est pulcra similitudo, quomodo Spiritus sanctus ex malis institutis paganorũ scit eligere sanctum exercitiũ deuotionis, quasi medicina fiat ex veneno. vbi enim impij colebant dæmones, ibi christiani colunt omnes sanctos: *sic ars deluditur arte.* In hoc templo quidam scholaris cæcus coram Iudæis incepit responsoriũ, *Gaude Maria*: & continuo lumen oculorum accepit. Mahometus deceptor orbis, propheta falsus, nuncius sathanæ, præcursor Antichristi, complementum hæresis, ac totius falsitatis prodigium, circa hæc tempora vesaniam suam ostentare incepit. fuit enim magus, & mercator vilissimus: & factus princeps latronũ, subtiliter Arabes sibi attraxit: qui tũc valde ab Heraclio grauabãtur. Persas vicit & gentes alias multas, quibus dedit legem suam, dicens, se esse prophetam sanctum, & a Deo missum. hoc eum docuit quidam Sergius apostata tam a fide, quam a conuersatione monastica: qui ipsam legem composuit. Hic velut alter Ieroboam decem partes abstulit domui Dauid, id est ecclesiæ Christi: quia pene totum mundum decepit: & nisi Carolus & alij quidã principes, iuuante Deo, cultores eius coercuissent, totaliter fidem exterminasset. Sæpius creuit, & decreuit vsque hodie. finem nouit Deus.

Festum omnium sanctorum instituitur a Bonifacio quarto.

Æra Machometi ipsa est Alhigęra, qua vtũtur præcipue Arabes & alij Saraceni: est (secundum Campanum) anno Christi dcxxi cum xij dieb. post conceptionem eiusdem Christi Domini nostri: ita quod inter Christi conceptionẽ, & hanc Æram cucurrerũt dies ccxxvi. dccccxxxij incepit feria quinta: quia Christi cõceptio erat feria vi. & nota, quod Saraceni vtuntur annis lunaribus, quorum quilibet cõtinet xij lunationes æquales, hoc est cccliiij dies, saluo bisextili. nam in xxx annis habent xi bisextiles, quorũ quilibet habet cccly dies. & tunc redit, sicut a principio. Nota, lunatio pręcisa xxx annos habẽs lunares, reducit medias lunationes ad consimile temporis initium.

Cunibertus episc. Colonien. Austregisilus Biturien. Iohannes Tungren.
Sulpicius Biturien. Salaberga mulier sancta. Magnobodus Andegauen.

Imperatores.

Lupus episc. Senonen. Graulio episc. Cæsaraugustan. Oswaldus rex Normannorũ, Anglorum, Scotorũ, Britonũ, fuit vir valde sanctus, & operib. misericordiæ deditus, & vndiq; triumphauit glorioſe. eius brachiũ cum dextera manu, quib. eleemosynam fecit, integrum perseuerat apud vrbem Bembamburch. fuit enim interfectus a Penda Mertiorum rege: sed postmodum Osomi frater Oswaldi eundem Penda interemit, & gentem Mertiorum ad fidem Christi conuerti fecit, & Pictos regno suo, id est Angliæ, subdidit. * peres sibi subiectos nimis inhumaniter oppressit: quod Deo semper displicet. & fuit etiam post hęc nimis infelix, & plura perdidit. Moritur tandem infeliciter, hydropisi & hęresi maculose infectus. Dagobertus vir omnibus bonis moribus compositus, rex Franciæ fuit: cuius tempore ecclesia scilicet Dionysij Parisijs diuinitus dedicatur.

Anno mundi

Papæ. Deusdedit an. iij. dieb. xx. Romanus. Bonifaci⁹ v. annis v. dieb. xiij. Campanus.

Anno Christi

Iste Deusdedit fuit vir sanctissimus. dũ quendam leprosum oscularetur, statim mundatus est: multa bona statuit. item quod contra simoniacũ testes esse possint meretrices & criminosi.

Iste Bonifacius cõstituit, vt nullus de ecclesia extrahatur, & vt acolytus nõ audeat reliquias leuare. vnde patet, quãta fuit olim deuotio in christianitate. Hoc tunc clericis prohibebatur, q; nunc mulieres etiã indifferenter faciũt & cæteri quicunq;.

Sigibertus filius regis Dagoberti cum baptisaretur a sancto Amando Traiecten. epiſc. respondit, *Amen*, clara voce, infans adhuc xl dierum. Alcharanus liber componitur a Machometo, & trib. magistris suis, quib. diabolus & autoritatẽ, & industriã ministrabat. Primus magister erat quidam Iudæus astronomus maximus: secundus, Iohannes de Antiochia hæreticus: tertius, Sergius Arianus. Hi legẽ abominabilem confinxerant, resecantes quicquid arduũ erat in credendo, & difficile in operãdo: concedentesq; omnia, ad quæ mundani homines proni erant: scilicet gulam, luxuriã, rapinã &c. Vnde factũ est, vt per potentiã & dolum deciperent in breui maximã multitudinẽ hominũ bestialiũ. Et quia lex ista nimis inhonesta & confusa erat, quidam humana verecundia permoti, plura retractarunt, ac velut expositores rationabiliter interpretabantur aliqua nimis mendosa. vnde quidã christiani etiã literati hoc colludio decepti fuerunt: qui historias transmarinas non viderũt. Quare autem tam infamis homo legifer factus sit, & talem tradiderit legem, duplex ratio redditur. prima, quia Deus non permisit, vt aliquis bonæ famæ homo a diabolo assumeretur, & legẽ falsam humano modo rationabilẽ traderet, sicut nec olim nisi serpenti permissus fuit, quãdo Euam tentauit. secunda, quia Machometus summe arrogans fuit: ideo quicquid desiderabant carnales, concessit, iam sic, iam aliter dispensando. Et ex hac collisione doctrinarum varia-*

Imperium Romanorum circa hæc tempora vbiq; in orbe terrarũ cœpit deficere irrecuperabiliter. nam in Oriente Saraceni,& in Occidẽte Gothi dominia assumpserũt, & deinceps tenuerunt. Item Saraceni de exercitu imperatoris interfecerunt cl^{m} pugnatorum. Et hoc iterum maximũ habemus exemplum, quod nihil stabile est sub sole, quando etiã tanta defecit potestas & prudentia. causa huius diuersimode assignatur. Quidam dicunt, quod hoc fecit insatiabilis Romanorum auaritia: qui sibi subditas nationes iugo seruitutis intolerabili opprimebant. quod omnib. principibus & prælatis timendum est: quia, quandiu Romani oderunt auaritiam,& dilexerũt æquitatem, dominiũ orbis habuerũt. alij dicũt, quod hæresis Orientalium hoc fecit, vbi communiter imperatores habitabant: & sæpe cũ peruersis peruersi facti sunt. nec est quicquã, quod ita nequeãt Occasui subiacere, quam vera religio. Sed neq; in principe aliquid lucidius, quam recta fides. aliqui dicũt, quod causa huius defectus fuit superbia dominorũ, qui subiectos despiciebãt, canes aut asinos nuncupando, vel similiter. propter quod pudore & dolore incitati, erexerũt se, & fecerũt quod cernimus. Forte omnes hæ simul sunt vna causa. quia per quod aliquid nascitur, per eius oppositũ destruitur. Et sic iam omnes iiij monarchiæ defecerunt : & non restat alia nisi Antichristi, cuius aduentũ Deus nouit. Interim dominia hinc inde diuersimode variãtur in particulari.

Dagobertus rex Franciæ interfecit Anglicos, qui tunc Saxones vocabantur, omnes excedentes mensuram gladij sui. Putant quidam, quod hæc crudelitas Francorum fuit causa æternæ inuidentiæ & dissensionis Anglorum contra Francigenas, non sine damno vtriusque vsque hodie. Mittat pius Dominus spiritum pacis inter eos & alios.

Aidanus episcopus claret in Anglia sanctitate, discipulus sancti Columbani.

V^{m} DCCCXXIII. V^{m} DCCCXXXIII.

Honorius II. an. xij. mens. xi. dieb. xvij. Campanus. Seuerinus anno i. mens. viij. die. xxviij. Romanus. Iohannes IIII. an. i. mens. ix. dieb. xviij. De Dalmatia.

DCXXIIII. DCXXXIIII.

Iste Honorius fuit vir largissimus, pauperib. quotidianas eleemosynas dedit, multas ecclesias argento & auro dotauit. statuit apud sanctũ Petrũ fieri litanias, & clerũ erudiuit & honestissime ordinauit. fecit ecclesiam sancti Adriani: in qua xi^{m} sanctorũ quiescũt.

Iste Seuerinus fuit vir benignus & sanctus, amator cleri, erga pauperes largus, erga regimẽ ecclesiæ diligens, quã in prædijs & ornamentis mirabiliter ampliauit. Quo tẽpore quidam Mauricius cum suis satellitibus ecclesiæ thesauros diripuit, infelix sacrilega non veritus miraculum grande. nam cum totam vrbẽ incitasset, contra ærariũ Lateran. nullus potuit ipsum, nõ dico, infringere, sed ne intrare quidem. Quod videns, pace simulata tandem perfecit quod intendebat, accipiẽdo quod pro sustentatione pupillorũ ac viduarũ & pauperũ christianissimi imperatores illic posuerãt: sed oĩa infeliciter perierũt. Heraclius fuit particeps sacrilegij hui^{9} factus: cui misit partẽ de pecunijs elatis. sed o quã multipliciter pro huiusmodi dãnificati fuerũt! Eligius artifex, sanctus vir, pater fuit spiritualis istorũ, qui multa monasteria fundarunt in Francia. Tepuit fides in Oriẽte, & feruet hic in Occidẽte. Aurea sancta abbatissa Parisijs claret : præfuit iij^{or} puellis, iussu Eligij viri sancti. Erubertus rex Angliæ primus ibi idola destruxit.

Iste Iohannes multa milia hominũ de seruitute redemit ecclesiæ thesauris, pia motus intentione, per Histriam & Dalmatiam. Hic fecit adduci reliquias sanctorũ Vincentij & Anastasij, & aliorũ martyrũ, & Romæ reuerenter collocauit.

*rũ & cõtrariarũ tot^{9} lib. cõfusus est, nec aliquo modo cõcordabilis. demũ idẽ quasi coactus respõdit, q^{9} xij^{m} verba essẽt in Alchorano, quæ mẽdaciũ cõtinerẽt, cętera in veritate psisterẽt.

Iſte Conſtantinus fuit filius Conſtantini, filij Heraclij: qui quarto menſe imperij ſui a nouerca ſua veneno exſtinctus fuit. & ideo, quia breue tempus rexit, nō fit mentio de ipſo. Ipſe autem Conſtantinus ſucceſſit ei, & nouerca illa cū ſuis eſt exiliata, & fuit peſſimus tyrannus & hæreticus, doloſus, totus inuidus, & catholicis infeſtus: nec Martino papæ pepercit. cōtra Longobardos exercitum ducens, ſuperatus eſt. & Romam veniens, cum reuerenter eſſet a Vitaliano & ciuibus ſuſceptus, non retribuit iuxta beneficia ſibi impenſa debitam viciſſitudinem; ſicut decet principem. inſuper & tyrannidē magnā & ſacrilegia perpetrauit, omnia pulcriora deijciendo & tranſportando: quare tandē in balneo a ſuis militibus, qui eius malitiam noluerunt diutius tolerare, interfectus fuit: & ſic miſerabiliter viuens, infeliciſſime mortuus eſt, ſolito more ſacrilegorum &

Imperatores. Conſtantinus III. an. xxvij.

tyrannorum, Deo iuſte iudicante ſuos.

Londoalus epiſc. Treuerenſ. Hieruſalem capta fuit a Machometiſtis, quibus Hunarus prę fuit: qui in loco antiqui templi nouum erexit ſuperſtitioſum & prophanum, ablata prius cruce.

Nota diligenter, quod multa mala ſequuntur, quando dominiū perturbatur. Hoc ſuperius de Aſſyrijs & Medis & Parthis clare patuit, & Græcis & alijs ſimiliter, & crebro de Romanis: ſed hic præcipue. nam Saraceni Africam & Siciliam inuadentes, cum non eſſet qui tyrannidi eorum reſiſteret, etiam Hiſpaniam ſibi ſubiugarunt, vndiq; chriſtianum nomen delendo: in qua turbine multi martyres effecti ſunt qui conſtantes permanſerunt. & fuit tribulatio magna. Turbato enim dominio, mali homines aſſumunt audaciam malefacien-*

Anno mundi V^M DCCCXLIII.

Papæ. Theodor° II. annis vi. menſ. v. dieb. viij. Græcus. Martinus I. annis vi. menſ. i. dieb. xxvi. Tuſcus. Eugenius I. annis ij. menſ. viij. dieb. xxij. Romanus.

Anno Chriſti DCXLIIII.

Iſte Theodorus ſuper oēs miſericors fuit, & largiter benignus, pauperū amator. Iſte ſtatuit cereū benedici in ſabbatho ſancto: & Paulū Cōſtantino politanēſ. epiſc. qui aperte catholicos cruciauit, anathemate perculit.

Iſte Martinus ſanctus eſt, & fortiter p fide agoniſauit. dū quidā eū extracto gladio, interficere vellet adhuc ante altare conſtitutū, ſtatim cęcus efficitur. Ipſe cōuocata ſynodo in vrbe, dānauit Syrū, Alexādrū, Sergiū, Pyrrhū, & Paulū hęreticos. quare Cōſtātin° eūin exiliū miſit. ei° feſtū agitur x Nou.

Iſte Eugenius ſanctiſſimæ vitæ, omnib. amabilis & benignus, conſtituit, quod perpetuam caſtitatem omnes preſbyteri, diaconi, & ſubdiaconi ſeruarent. ſepultus apud ſanctum Petrum.

Londoalus vir ſanctus claret: qui beatū Lābertū docuit.

Arnolphus beatę vitę, pater Pipini, dux Lotharingię: demum eremita, poſt epiſc. Metenſ. eius vxor ſancta Doda Treueris incluſa, Chriſto vacabat. & ſanctus Clodulphus eius filius epiſc. Metenſis. Dicunt quidam, quod fuit auus Caroli Magni: ſed hoc mens non admittit, nec ratio temporis conſonat: ſed Carolus Martellus fuit pater Pipini illius, qui erat Caroli Magni pater.

Iodocus filius regis Britāniæ eremita ſanctus, claret.

Ragiulpha virgo ſancta claruit in Gallia.

Seuera abbatiſſa ibidē, ſoror eius.

Gertrudis cognata eorum.

Forſeus cū Foliano, & Vlcano fratribus ſuis, omnes filij regis Hiberniæ, venerūt in Gallijs: & ſunt omnes ſancti.

Sigibertus rex Francorū xij monaſteria fundauit. & fit magnus fructus in Francia & Anglia per viros ſanctos. Nauta quidam negando pauperi panem, hac pœna percutitur, vt omnes eius panes in lapides conuertantur, ſicut idem pauper ei imprecabatur.

Ignis cecidit de cœlo, & iris magna apparuit, vt putarent homines consummationem seculi aduenisse: & signa ingentia fuerunt, ita vt arescerẽt viuentes præ timore propter tonitrua & fulgura, & ictus eorũ maximos, & aquarũ inũdationes incõparabiliter excessiuas. & perijt innumera hominũ & animaliũ multitudo, & sequitur pestilentia grauissima cũ signo iræ Dei. Cunctis visibiliter apparuit, quod vnus angelus bonus & vnus malus Romã nocte circumierũt: & quot vicib. domus aliqua percutiebatur, tot ex ea sequenti die interibant. tot tunc moriebantur, vt etiã parentes cũ filijs, fratres cũ sororib. vnanimiter in feretro positi, ad tumulum portarentur. Sæpe huiusmodi signa ostendit Dominus pijssimus ad terrorem peccatorum. sed vtinam exemplis aliorũ terreremur, vt à peccatis desisteremus. dicunt tamen quidam, quod hæc pestilentia facta sit tempore Benedicti secundi.

---

*di, & se & alios deprauandi in vita & doctrina: & ad populos & ad principes corrumpendos. & est reuera horrendũ spectaculum, qualiter miserabilis iste mundus agitatur sine intermissione. an nõ satis durum esset post labores & ærumnas tandem mortis dominio subiacere, nisi etiam tot cladibus & terribilibus plagis cõtinue laniari? non sufficit humano generi semel a Deo damnationis diram accepisse sententiã, nisi & plurimas sibi peccando superaddat? solum igitur peccatum est causa miseriarum harum, diuina seueritate iuste se vindicante. Verũ nemo sic cogitet, quasi hęc digna sit retributio pro tantis piaculis, sed respectu futurorum, quæ peccatorib. debentur. ista sunt quasi quædam suauia præludia. O quis finis illorum, qui non credunt, si etiam tanta hic patiuntur electi! Sanctus Claudius archiepisc. Bisuntinens. & post abbas monasterij sancti Eugenij, claret in Burgundia.

V^M DCCCLIII. V^M DCCCLXIII.

Vitalianus annis xiiij. mens. vi. dieb. ij. Campanus. Adeodatus annis iiij. mens. ij. dieb. v. Romanus. Demus annis iij. mens. ij. dieb. v. Romanus. Bonifaci⁹ vi. an. iiij. mẽs. ij Romanus.

DCLIIII. DCLXIIII.

Iste Vitalianus cantum Romanorũ cõposuit, & in organis cõcordauit. ipse etiã habuit gratiã imperatoris, qui suis prędecessoribus offensuus fuit: tamen postea non sic permansit: nec vsq; huc non potui inuenire, quod vnquam ecclesia Romana habuit plene post mortem Constantini Magni dominium vrbis, & aliorum, quæ ipse contulerat: nisi forte temporibus quorundam pijssimorum principum paucorum. imo iste Vitalianus pro magna gratia accepit, quod imperator iste pessimus priuilegia ecclesiæ confirmaret: & tamen de post infregit. Hic prędecit ecclesiæ Cantuariensi Theodorum monachum valde literatum.

Forseus Latiniacum, & Folianus Fossensẽ cœnobium erexit, dono sanctæ Gertrudis: vbi ibidem martyrisatus quiescit.

Clodoueus rex Francorũ irreuerenter corpus sancti Dionysij disco operiens, & os brachij eius fregit, & furtiue deportauit: ob quod in amentiam versus fuit.

Iste Adeodatus fuit tantæ benignitatis, vt omnẽ hominẽ a magno vsq; ad minorem a se consolatũ dimitteret. sepultus apud sanctum Petrum.

Corpus sanctissimi patris Benedicti, & corpus sororis eius sanctæ Scholasticę transferuntur de monte Cassino ad monsteriũ Floriacense. Hoc Gallici dicunt: sed Italici omnino contradicunt, quod adhuc sit in Cassino monte. Maneat pietas, & reuelabitur veritas.

Iste Demus decorauit illũ locũ ante basilicã sancti Petri: qui dicitur paradisus. sepultus ibidem.

Iste Bonifacius non habetur in quibusdã libris. & sequẽs dicitur Bonifacius vi. Hic dicitur, secundũ quosdã perfecisse paradisum apud sanctum Petrum. Rationem huius diuersitatis non reperi.

Iſte Conſtantinus fuit catholicus, & bonus zeloſus per omnia contra hæreticos. eccleſias reparauit,& Græciam Romanæ eccleſiæ reconciliauit. ſynodum ſextam congregauit: in qua permiſſum eſt Græcis presbyteris vxoribus legitimis vti,ac cæteris Orientalibus: ſed Occidentalibus nequaquam,quia cœlibatum voluntarie tempore Gregorij, & ante ſuſceperunt. & eſt hic mature aduertendum, quantum bonitas principis valeat ad bonum & quietum eccleſiæ ſtatum & fidei promotionem: & econtra,quantum malitia principis noceat. Hęc iſti duo Conſtantini,ſcilicet pater & filius,clariſſime oſtendunt. Verum, permittente Deo,Saracenis & Bulgaris reſiſtere non valuit,ſed cum eis pacem fecit,annua tributa ſoluendo. ita inualuit illa maledicta ſecta. tandē bona potitus morte transiuit ad Chriſtum, ſepultus in Conſtantinopoli.

Cōſtantinus iiii. an. xvij,

Imperatores.

filius Conſtantini.

Nota, quod ſex ſunt ſynodi principales, quarum autoritas eſt par euangelijs: quia euangelica veritas per eas declarata eſt contra ſex principales hęreſes,quę nimis inualuerunt contra eccleſiam propter hęreticorum ſubtilitatem ad decipiendum ſimplices, & tyrānidem ad affligendum conſtantes,& terrendum puſillanimes. Iſta ſynodus v i damnauit hæreſim Monothelitarum, qui vnam voluntatē & operationem in Chriſto dixerunt.

Synodus vi. Conſtantinopolit. cclxxxix. patrum.

Iſta Synodus par in authoritatibus quatuor principalibus præhabitis, condemnauit hæreſim Monothelitarum.

Anno mundi V^{M} DCCCLXXIII. V^{M} DCCCLXXXIII.

Papæ, Agatho annis ij. menſ. vi. Siculus. Leo ii.an. iij. mēſ.x. dieb.xvij. Siculus. Benedict^{9} ii. a.ij. menſ.x. Romanus. Iohannes v. an. vi. die. xviij. Syrus.

Anno Chriſti DCLXXIIII. DCLXXXIIII.

Iſte Agatho vir ſanctus fuit: qui dū leproſum quendam oſculareturſtatim mundatus eſt. Ipſe recōciliauit eccleſiam Rauennatē, quæ diu fuit rebellis: & nūc ad obedientiā Romanæ eccleſię redijt, edocta,quod non eſt bonū cōtra ſtimulū calcitrare. Ipſe etiam de conſenſu principis iuſſit celebrari ſextam ſynodum, vbi Græci redierunt ad obedientiam apoſtolicæ ſedis poſt plagas varias. quia tale vnuſquiſq; reperit ſuum inferius,qualem ſe ſuo exhibet ſuperiori. Qui bene obedit Deo & prælatis ſuis, ille ſimiliter bonam in ſubiectis ſuis inuenit obedientiam,& econuerſo. Hæc eſt lex diuinæ iuſtitiæ.

Iſte Leo vir ſanct^{9} fuit, Græca & Latina lingua ſufficiēter eruditus, eloquētiæ quoq; ſingularis, erga pauperes nō ſolū mentis pietate, ſed etiā ſtudij labore ſollicitus. hic cōſtituit pacē dare poſt *agnus Dei*: & vt pro vſu pallii archiepiſc. nihil perſoluere teneatur. Eius feſtum agitur iij Iulij. ſepultus in eccleſia ſancti Petri.

Iſte Benedictus fuit p omnia virtuoſus, & vita eius cōcordabat cū nomine. eius tēpore fuit maxima peſtilentia. Hic ab imperatore pijſſimo factus eſt papa. Sæpe enim iſte honor factus eſt imperatoribus ab eccleſia propter cauſas varias pro tempore concurrentes.

Iſte Iohannes fuit vir ſtrenuus, moderatiſſim^{9} & ſciē tia redimitus, de Antiochia.

Cæſaria regina Perſarum clam ad Conſtantinopolim venit, & ſe baptiſari fecit. quod rex audiens mandauit vt rediret: ſed illa noluit, donec pacifice veniens cum xl milibus baptiſma ſuſciperet. Nouit Dominus qui ſunt eius. maluit mulier ſancta gloriam tantam abijcere,quam Chriſti paupertate non inſigniri. Quis eam hoc docuit in medio nationis?

Hispani circa hæc tempora magnifice contra Saracenos bellare incipiunt, diuinitus adiuti, terram paruam respectiue contra totam Africam defensarunt, glorioso apostolo Iacobo eos adiuuãte vsq; in præsens. Vide generalem historiam Hispaniæ, & reperies solennem catalogum militum christianorum. Stella magna apparuit in Oriẽte, & magna pestilentia sequitur. Et mons quidam in Campania eructauit ignem. Callinicus marinum ignem inuenit: & Romani Saracenorum naues combusserunt. Bulgarorum regnũ oritur, quod valde attriuit imperium: & a Scythia egredientes Thraciam inuaserunt.

Iustinianus secundus, an. x.

Iste Iustinianus fuit filius Constantini, vir bonus, prudens, & largũs, & Romanum imperium non modice ampliauit, ecclesiastica officia quamplurimum honorauit, multas leges condidit: sed postea deprauatus, cum sextã synodum infirmare voluisset, & ecclesiã turbare, x anno sui imperij a Leone patricio, & Tiberio & Callinico patriarcha captus fuit, priuatusq; naso & lingua, regno expelli tur, & apud Crisonã exilio religatur. & fit magna turbatio in ecclesia propter schismaticos & hæreticos. Nota, quod quando in summis dominijs fiunt violentię, tunc errores multiplicantur: quia non est, qui corrigat errantes, & a malo cohibeat. Hoc valde sępe experta est ecclesia. vnde facta est altercatio inter Leonẽ & Tiberiũ: & prævaluit Tiberius, & Leonem abscisso naso exiliauit, anno tertio imperij sui: & regnauit pro eo. Iustinianus fugit ad Saracenos & Bulgaros, qui eum restituerunt, occisis Leone & Tiberio, qui hæreticis fauebant, & tunc reconciliauit se gremio sanctæ matris ecclesiæ, & valde pœnituit. Sed, quia nimis crudeliter vindicauit se cõtra aduersarios, ita vt etiam innocentes pueros vellet occidere, ideo interfectus fuit cum filio a Philippo, quem exulauerat.

V^M DCCCXCIII.

Romanus. Zeno an. ij. mẽs. xi. dieb. ix.

Syrus. Sergius i. annis ix. mens. viij. dieb. xxiij.

DCXCIIII.

Kilianus vir sanctus natione Scotus, in Franconia fidẽ Christi prædicauit. Gosbertũ eiusdẽ regionis ducẽ cõuertẽs, vt Scellã fratris sui vxorẽ, quã illicite tenebat, dimitteret ꝑsuasit: qua ꝓpter ipsa iubẽte, secrete cũ sociis suis occisus fuit, &c. Pipinus i dux Francorũ multas victorias habuit, & Frisones superando, ad fidẽ ꝑduxit. fuit enim fide catholicus, & ecclesiæ Dei spiritualis defensor. verũ in vno excessit, q̃ adulteriũ cõmisit ad tẽpus, &c. Rex Adiulfridus fit monachus, post episc. Ludifrid. Leodegari⁹ August. epis. Ediltrudis regina Angliæ trib. viris nupta, virgo ꝑmãsit. & alij plures sancti. Vide in Speculo.

Iste Zeno fuit vir valde sanctus, qui nec vnquã se causis actibusq; secularib. immiscuerat. erat enim aspectu angelicus, canicie venerãdus, morib. quietus, religiosæ vitæ, sermone veridicus, animo simplex. Hic electus fuit cõcorditer etiã laicis cõsentientib. magna enim dissensio erat: quia clerus intendebat in Petrũ archipresbyt. & exercit⁹ in Theodorũ presb. sed Spirit⁹ sanctus oĩa tãdẽ vota cõcordauit in ĩstum digniſſimum.

Iste Sergius magnæ sanctitatis, & cõmendabilis vitæ fuit: & in electione eius magna dissensio fuit. nã vna pars cleri elegit Theodorũ archipresbyt. altera Paschalẽ: sed, volente Domino, tandẽ in hunc venerabilẽ virũ conuenerũt. Hic corpus sancti Leonis i transtulit Wirzeburg reuelãte sibi Deo. ipse etiã inuenit magnã partẽ sanctæ crucis in loco obscuro. Regẽ Angliæ, qui & Saxonũ, baptisans, statim ad cœlũ trãsmisit. *Agn⁹ Dei* ter cãtari iussit ad missam. & idẽ reduxit ad vnitatẽ synodũ Aquileiens. quæ noluit recipere sextã synodũ Cõstantin. & fuit grãde schisma in ecclesia Dei, q̃a duo vniuersalia cõcilia cõtra se diſsẽtiebãt. tãdẽ mortuus sepelitur apud sanctũ Petrũ.

Sexta ætas:

Westualia conuertitur ad fidem circa hæc tempora. vbi primũ duo Edualdi, scilicet Albus & Niger presbyteri sancti de Anglia venientes, prædicauerunt: qui ibidẽ in villa quadam Laer dicta, suis precib. fontem de rupe duxerunt, & Campum sanctũ sic dictum vsq; hodie consecrarunt in vsus pauperum: vbi sæpe mira contigerunt cõtra testamentũ sanctorũ volentib. facere: & horribiliter plagati sunt. tandẽ martyrisati sunt in comitatu de Hoia prope Bremens. ciuitatem: corpora autem eorũ translata fuerunt ad Coloniam. Beda venerabilis presbyter, & monachus ac pater grauissimę autoritatis, claret in Anglia: multa scripta & historiam valde famosam reliquit, fidelis laborator in ecclesia vsq; in senectam.

Sancta Oda ducissa Aquitaniæ claret.

Sanctus Lãbertus filius Apri comitis post multa opera sanctitatis martyrio consummatus est a Dodone duce Araniæ: quia dixit, quod soror eius Alpaida non esset legitima vxor Pipini: quia eam duxit contra fas, viuente adhuc Plectrude. Hic est zelus Heliæ & Iohannis.

Imperatores.

Leo tertius annis iij.

Tiberiũs tertius annis vij.

Iustinianus annis vi.

Isti duo inuaserunt imperiũ. Idẽ, qui supra iterato, videlicet filius Cõstantini. Romani multos Saracenos interfecerunt hoc tẽpore. Duo etiã reges Angliæ veniunt Romam, & fiunt monachi immortali Domino deinceps militantes. Frisia conuertitur ad fidem Christi: vbi primũ prædicauit sanctus Willibrodus episc. Traiectens. & postmodũ sanctus Bonifacius.

Sanctus Hubertus transtulit sedẽ episcopalem cum corpore sancti Lamberti ad Leodium.

Anno mundi V^M DCCCCIII.

Papæ, Leo tertius an. ij. mens. ix.

Romanus.

Iohãnes vr. annis iij. mens. ij. dieb. xxiij.

Græcus.

Ioãnes vii. annis iij. mens. vij. dieb. xviij.

Græcus.

Sisinni⁹, dieb. xx.

Syrus.

Cõstantinus primus annis vij. dieb. xv.

Anno Christi DCCIIII.

Iste Leo sanctus fuit papa per patrociniũ Romanorũ: & nõ ponitur in catalogo pontificum, forte ꝓpter malum introitũ. & sequens dicitur Leo iij. nihil tamẽ male egisse scribitur, nec papa fuit.

Iste Iohannes vir sanctus fuit, & martyrio coronatus est: sed a quo, aut propter quam causam, nõ inuenitur in historijs: putatur tamen a ducib. Lombardorum, scilicet Beneuẽtano aut Spoletano ꝓ defensione iuriũ ecclesiæ. Vterque enim istorũ vexabat ecclesiam & terras eius: quia vicini fuerunt, & multos ceperunt. tandem sepelitur apud sanctum Sebastianum ad Catacumbas.

Iste Iohãnes eloquentissimus fuit facũdia, & eruditus scientia: oratoriũ beatę Mariæ construxit, ĩ quo sepultus est.

Iste Sisinni⁹ parũ superuixit, & habuit schisma cõtra Discotium: & cõtinuatur nihilominus post inter Bonifaciũ & Discotiũ. tandẽ mortuo Discotio, qui per vim tenebat papatũ, Bonifacius restituitur. nec fit his memoria, quia forte ꝓpter schisma in dubiũ venit, an essent veri successores beati Petri. & fuit tribulatio in ecclesia vndique: intus pugnæ, foris timores, & econtra. & sic septimum schisma continuatur.

Iste Cõstantinus fuit vir mitissim⁹, & ita benignus, q; ab omnib. amabatur. Ipse iuit vltra mare Cõstantinop. ad Iustinianũ imperatorẽ, & cũ magnoho nore recept⁹ fuit, & Philippũ tanq; hæreticũ excõmunicauit: quia imagines sanctorũ deleuerat. sepultus apud sanctũ Petrũ.

Carolus Martellus, filius Pipini, immensas victorias habuit cõtra infideles, diuinitus adiutus, fuit victor glorioſus per omnia. Sed quia bona eccleſiaſtica ſibi vſurpauit propter neceſſitatem bellorum, ideo in pœnis infernalib. anima eius viſa eſt ab Eucherio viro ſancto, cruciari. O quæ pœna erit illis, qui his nouiſſimis dieb. tot auiſati exemplis, pertinaci animo, non pro fidei ſaltem defenſione, imo pomparum iactantia varia eccleſijs, eiuſque miniſtris, contra diuinarum humanarumq; comminationes legum, taxationes, exactioneſq; grauiſſimas imponere non formidant? Credant hi a Deo immutabilem ſententiã ſuam dicto Carolo oſtenſam, imperio ſimiliter experiendam.

Philippus anno i. menſ. vi.

Anaſtaſius annis iij.

Iſte Anaſtaſius fuit vir bene fidelis, & catholicus. & quia Philippũ excæcauit, ideo Theodoſius cõtra eum pugnans, deuicit, & ordinatus presbyter, quiete viuendo.

Theodoſius anno vno.

Iſte Philippus fuit hæreticus: & præfuit modicis diebus. & quia interfecit dominum ſuum, ipſe etiam male perijt: & ſicut fecit, factum eſt ei.

Iſte Theodoſius totus catholicus & humilis fuit. & præciſe, ſicut fecit, factum eſt ei: quia Leo eum depoſuit: & in presbyterum eſt ordinatus.

Hæreſis imaginũ ſerpit: quę ſic dicitur, quia imagines ſanctorum, quę ſunt libri laicorum, auferre voluerunt quaſi idololatriæ cultũ. videtur quod moti fuerunt ex inſtinctu Saracenorum. & ſic patet, quomodo eccleſia exercetur continue.

Magnus archiep. Maguntiæ. Wolframus epiſc. Senonẽſ. Ægidius abbas ſanctiſſimus
Eucherius epiſc. Aurelianẽſ. Agilopus epiſc. Colonienſ. clarus habetur: qui ex Græ-

V^M DCCCCXIII.

cia in Galliam venit.

Gregorius II. an. xvii. menſ. viij. dieb. xx.

Syrus.

Hic conſtituit Feriam quintam per Quadrageſimam ieiunare, quod Miltiades papa prohibuerat: & quia non habebant propria officia.

DCCXIIII.

Iſte Gregorius vir caſtus, diuinis ſcripturis eruditus, loquela facundus, cõſtans animo, rerum eccleſiaſticarũ defenſor ſolicitus, & hoſtiũ eccleſię impugnator fortiſſimus. Et nota, q̃ circa hæc tẽpora inceperunt ſe opponere imperatorib. domini papę plus ſolito etiã in temporalib. propter perfidiã eorũ: & etiã trãsferre imperiũ de gente in gentẽ, prout tẽpus poſtulat. Hic leonẽ anathematiſauit, eo q̃ imagines ſanctorũ exureret. idem namq; Leo iuſſit iſti Gregorio vt etiã cõbureret: ſed nõ curauit: imo contra eũ audacter iuſſit oppoſitũ. Et ſic patet, quod deſtructionis imperij principalis cauſa fuit hæreſis. nã ob hoc fideles populi vnanimiter cũ prælatis ſuis adhæſerũt domino papæ, & coegerunt imperatores ceſſare a tyrannide hæretica. In Orientalib. regionib. circa hæc tempora valde defecit vera fides, propter impiam perfidi Machometi legẽ: & per cõſequẽs omnis virtus, ſapientia, & honeſtas. de qua lege execrabili tot turpia & carnalia prodierũt ficticia, vt nulli vnquã ſapientes in rebus diuinis & humanis exercitati, a principio ei crederent, ſed homines beſtiales in deſertis morantes, omnis doctrinæ prorſus ignari: per quorũ multitudinẽ aliquos armorũ violentia in ſuã legẽ peſtifer ipſe coegit, vt dicit doctor ſanctus in ſumma cõtra gẽtiles lib. i. cap. vi. Nulla etiã diuina oracula præcedentiũ prophetarũ ei teſtimoniũ perhibẽt: neq; documenta veritatis attulit, niſi quæ de facili naturali ingenio cognoſci poſſunt: nec ſigna ſupernaturaliter facta adhibuit: quin potius vera quæ docuit, fabulis & falſiſſimis doctrinis immiſcuit, carnales voluptates permittendo, & eiſdẽ conformia præcepta tradẽdo. &, quia voluptati carnali habenas relaxauit, iccirco mobile ruſticale vulgus facile poſt ſe traxit ſummo Deo ipſis irato, qui talẽ legiſlatorẽ occulto ſuo, ſed ſemper iuſto iudicio ſuper eos cõſtituit. Verũ verſutus ille peſſimus aſtuto conſilio libros veteris & noui Teſtamẽti ſuis ſequacibus nõ reli-*

Sexta ætas:

Bonifacius archiepiſc. Maguntinenſ. Bochoniam, Franconiam, Bauariã, Thuringiam, Haſſiam, Sclauoniam, Friſiam cum reliquis Almaniæ prouincijs catholicę fidei ſubiugauit. vrbẽ etiam Herbipolenſem epiſcopatum de voluntate papæ fecit: cui ſanctũ Burchardum præfecit. anno vero xxxvi ſui epiſcop. cũ multis chriſtianis martyriſatus eſt in Friſia. Cumq; ad Fuldẽſ. monaſteriũ quod ipſe in Bochonia cõſtruxerat, corpus eius reduceretur ſepeliẽdũ, omnes cãpanæ vbiq; diuina virtute ſine motu alicuius hominis ſonuerũt. Theodulus epiſc. Sedunenſ. Conſtantinopolis a Saracenis obſeſſa fuit: ſed per beatã virginẽ liberatur. & cuidam eremitæ viſio mirabilis oſtenſa eſt de Ioſeph, qui Dominũ ſepeliuit. & poſt paucos annos xxx^{m} hominum in peſtilentia obierunt ibidem &c.

Egbrech ſanctus de Hibernia venit in Galliam.

Imperatores. Leo III. cũ Conſtantino filio ſuo annis xxv.

Iſte Leo cum eſſet potẽs, Theodoſiũ depoſuit, & pro ipſo regnauit. & fuit ſeductus per quendã apoſtatã, vt omnes imagines ſanctorũ auferret, & exureret: quare etiã tã bellis quã peſtilentijs, ac alijs diffortunijs punitus fuit. & quia correptus a Greg. tertio pertinax manſit, ideo totũ regnum Occidentis ab eo abſtulit, mãdans, ne ipſi obediret aliquis: vectigalia interdicẽdo. & quia hæretice vixit, ſancti viri ei cõtradixerũt: & martyriſati ſunt ab eo plures. Tandẽ in perfidia miſerabiliter defunctus eſt.

Pelagius rex Hiſpaniæ grãdi miraculo regnũ illud cœpit recuperare. Germanus exulatur. Hermus epiſc. Lobienſ. Petrus epiſcop. Damaſcenus.

Rachbodus dux Friſonum maluit eſſe cum plurib. in inferno, quam cum paucis in cœlo. nõ enim nouit preſſuras eius. Malus iocus. Sed filius eius morte ſubita territus, cõuerſus fuit.

Anno mundi	V^{M} DCCCCXXIII.	V^{M} DCCCCXXXIII.

Papæ, Gregorius III. an. x. menſ. viij. dieb. xxiij. Romanus.

Eo tempore in Wormatia fuit archiepiſcopatus, qui nũc in Maguntiam eſt tranſlatus.

Anno Chriſti	DCCXXIIII.	DCCXXXIIII.

Iſte Gregorius digne ſucceſſit prædicto & nomine & opere, eiuſdem zeli & conſtantiæ: & animoſe contra Imperatorẽ proceſſit, & obtinuit intentum. concilium generale celebrauit in vrbe, anno pontificatus ſui primo, cõtra hæreticos: in quo imaginũ ſanctarũ veneratio approbatur, & cõtradictores excõmunicantur. Carolũ etiã vocauit in ſubſidiũ eccleſię contra Longobardos. In canone addidit, *Quorum hodie ſolennitas*, &c. Viennę archiep. inſtituit.

Monaſteriũ ſancti Benedicti reformatur in mõte Caſſino a quodã ciue Brixiano. In Almania quędã monaſteria ditiſſima fundãtur, & magnifice dotãtur, ſ. Fuldẽſ. & Hirsfeldẽſe.

Saraceni proficiunt in peius, & totam Hiſpaniam ſibi ſubijciunt: & niſi Carolus Martellus occurriſſet, Galliam ſimiliter inuaſiſſent. Et nota, quod pluries eos defecit, & ſemel ccc^{ta} & vltra de ipſis occidit, de ſuis MD tantummodo proſtratis. Lebuinus presbyter ſanctus Anglicus, prædicat in Velua, & poſt in Saxonia antiqua, id eſt Weſtualia. Eius corpus in Dauentria colitur.

*quit legendos: nec etiam diſputationem permiſit iniquam faciendam, ne hac occaſione ſua falſitas detegeretur. quin potius ſe dixit in armorũ potentiã miſſum, nõ in ſignis aut miraculis, aut doctrina ſupernaturali. quod vtiq; leonũ, ferarũ, latronũ ac tyrannorũ rabiei magis eſt propriũ, quã ſpiritualis legiſlatoris. Sic (heu) terra olim fructifera atq; illuſtriũ virorũ fœcunda, nũc tribulos profert & ſpinas æternis incẽdijs exurendas. quãuis enim vſq; hodie Saraceni infinitis diuitijs abundẽt, & põpis ineſtimabilib. atq; delicijs vacẽt: tamẽ ita puerili-ter deſipiũt, & pertinaciter adhęrẽt his quæ ſunt cõtra rationẽ, vt ois vir doctus ac timoratus eorũ cõſortiũ fugiat, & eos velut caninos ac beſtiales cũ ſũmo tędio abominetur atq; deuitet.

Pipinus filius Caroli Martelli fit rex Franciæ per papam Zachariam. & fuit vir valde catholicus,& per omnia victoriosus,& ecclesiæ Romanæ specialis defensor: & in nullo degener a paterna strenuitate.

Carolomannus frater dicti Pipini,diuino tactus timore, dimisso regno, fit monachus.

Rachis rex Longobardorum per Zachariã admonitus, vt a persecutione Romanorum cessaret, acquieuit: insuper & monachus efficitur.

Iste Cõstantinus totus puersus,& hæreticus pessimus fuit,ita vt etiã dæmonijs immolaret.

Cõstantinus v. an. xxxv. Hæreticus. Ecclesiam persequebatur,& nihil dignũ memoria egit. & sic,permittente Deo,ecclesia longo tẽpore afflicta est more solito:quia in hoc mundo pressuram habebat,& agros cum persecutionib. colebat. Mirabilia contigerunt circa hæc tempora. nam terræmotus mirabilis:& ciuitates quædã montanæ,diuisis montibus,vna cum illis transmigrauerũt ad loca campestria,vltra sex miliaria: & non sunt fractæ. In Mesopotamia terra dirupta est ad duo miliaria. & animal mulinũ loquitur humana voce. Cinis de cœlo cecidit. In mari Pontico glacies fuit, in spissitudine xxx cubitos habens, per c miliaria: & nix xx cubitorum sicut mons. tam grande frigus erat. Stellæ ceciderunt de cœlo,id est a sub:& territi sunt homines,æstimantes finem mundi adesse. vide in Speculo. Quam mirabilem immutationẽ hæc signa præostentarunt,sequentia declarant. Sanctus Scurinus primus abbas Fuldens. monasterij,clarus habetur in Bochonia. Translatio Marię Magdalenæ de ciuitate Aquinensi. ad Versiliacum facta a Gerhardo duce Burgundiæ.

V^M DCCCCXLIII.

Zacharias annis x. mens. ij. dieb. xv. Romanus.

Stephanus secundus, annis v. die. xxviij. Romanus.

DCCXLIIII.

Iste Zacharias fuit benignus, & omni virtute ornatus, omnib. amabilis propter mititatem suam. ipse regem Franciæ, scilicet Hildericũ deposuit,& in locũ eius Pipinũ instituit, quia vtilior fuit. Et hic patet,potestas ecclesiæ quãta fuerit hoc tempore: quæ regnum illud famosissimum transtulit de veris hæredibus ad genus Pipini, propter legitimam causam, vt habetur xv q. v. Alius.

Hildericus rex monachus efficitur, forte motus propter illã horrendã damnationem Caroli Martelli. quia periculosum est esse in potestate:& pauci euadunt securi. Quanta fecit pro fide idẽ Carolus, & tamẽ propter vanã illam causam damnatus est? Remigius Rothomagens. archiepiscopus claret sanctitate.

Lullus vir sanctissimus, & successor beati Bonifacij in archiepiscop. Maguntinensi. miraculis claret. Corpus sancti Syluestri transfertur Monaculum,fundatum ab Ancelmo.

Iste Stephanus per omnia vtilis fuit ecclesiæ Dei tam in verbo,quã in doctrina, spiritualia & temporalia strenue gubernãdo: pauperũ amator & defensor erat. Hic Pipinum vnxit in regem Francorum,& contra Longobardos misit, vt eos compelleret ad restituendum ecclesijs quod multo tempore minus iuste detinuerãt. quod & factũ est. Ipse etiam transtulit imperiũ de Grẽcis ad Francos,vt patet extra de elect. Venerabilem : quam Leo tertius post executionem damnauit.

Cœnobium in Caturcensi territorio dedicatur a Domino,præsente Stephano papa & Pipino rege.

Caput sancti Iohannis Baptistæ in Aquitaniam venit. Et plures amici Pipini interfecti in bello,rediuiui subito resederunt.

Turci qui de montib. Caſpijs exijſſe dicuntur, Armeniam maiorem infeſtãt & vaſtant. & cum peſtilentia eos attereret, ſuaſi ſunt a chriſtianis, vt in modũ crucis ſe tonderent: & ſic ceſſauit. & extunc illum ritum ſeruauerunt. Tempora ſanguinolenta & multum turbulenta fuerunt vndique: quia Saraceni & pagani & etiã chriſtiani inter ſe plurima bella geſſerunt: quorũ Carolus Magnus, diuina virtute adiutus, principalis actor fuit, & triumphator glorioſus, licet non ſine magna ſtrage ſuorum per longa tempora. Vide in geſtis eius.

Horribile factum contigit Turonis, quia cum monachi eccleſiæ ſancti Martini delicijs & pompis vacarẽt, omnes, vno excepto, ab angelis ſuffocati ſunt. & Alcuinus illud reformauit plene. Imperium bipertitum circa tempora iſta: quia Stephanus papa tranſtulit Ita-

Imperatores.

liam, &c. in Carolum adhuc iuuenem: quę Leo tertius poſtea infeudauit. Conſtantinus autem Græciam cum alijs regionibus tranſmarinis laborioſe retinuit.

Carolus adhuc iuuenis, ſed egregię indolis, incipit regnare ſuper Francos: & fuit filius Pipini, mater eius Berta vocabatur.

Martyres infiniti facti ſunt a Conſtantino illo peſſimo hæretico. Putatur, quod vix fuerit aliquis Imperatorum & etiam paganorum, qui tot trucidauerit. & afflicta eſt eccleſia valde; & ſatis prẽcioſe emit venerationem imaginum ſanctorum, propter ſanguinem effuſum largiter. Verum Imperator impijſſimus non manſit impunitus: nam completo myſterio iniquitatis præfinitæ, horribiliter clamans, *Igni ſum inextinguibili traditus*, ſpiritum exhalauit.

Anno mundi V^M DCCCCLIII. V^M DCCCCLXIII. V^M DCCCCLXXIII.

Papæ. Paulus I. annis X. menſe. I. Romanus. Cõſtantin⁹ II. an. ij. mẽſe. I. Romanus. Stephanus III. an. iij. menſ. V. dieb. XXVIIJ Siculus.

Anno Chriſti DCCLIIII. DCCLXIIII. DCCLXXIIII.

Iſte Paulus vir ſanctus fuit & mitiſſimus. fecit conſtitutionẽ de diuino officio ſeruando in xl. Ipſe nulli malũ pro malo reddebat, ſed cũ paucis familiaribus de nocte per omnes cellas infirmorũ & pauperũ incarceratorũ circuiuit, eis neceſſaria miniſtrando. viduis & pupillis & alijs egenis papale debitum exhibuit, opem ferendo, tanquam verus imitator ſancti Pauli apoſtoli.

Iſte Conſtantinus fuit laicus, & ſubito factus presbyter, tyrannice papatũ inuaſit, & magno ſcandalo præfuit, quãuis parum: ſed zelo fideliũ eijcitur, & oculis priuatur. Et iſte videtur fuiſſe quintus infamis papa inter tot vſq; adhuc: ita Spiritus ſanctus illam ſedẽ ſanctam apoſtolicam in omni honore & ſanctitate cuſtodiuit.

Iſte Stephanus omnia errata Conſtantini emendauit, degradatis his quos ille ordinauit in ſynodo generali. ſepultus in Vaticano.

Gengulphus martyr claret miraculis: in Gallia fontem emit, quẽ in Burgundia oriri fecit, fuit itaq; ſeparatus ab vxore ſua adultera, cuius anus cantauit: eoq; derideret miracula eius.

Sanguis de imagine Chriſti emanauit, & omnes ſanauit: & Iudæi qui ipſam pupugerunt, conuerſi ſunt. Pulchre pius Dominus oſtendit miraculum grande tempore iſto, pro confutatione hæreſis, & confortatione fidei.

Ludgerus vir ſanctus velut alter Moyſes, ab vtero matris ſuæ Domino conſecratus, innumeras gentes ad fidem conuertit: Friſonum & Saxonum apoſtolus: primus epiſcopus Monaſterienſis fuit, pluribus miraculis claruit, & cœnobia fundauit. Obijt tandem in Belderbecke, & ſepultus in Werdena, anno Domini dcccix. Sergius epiſcopus a Deo plagatus eſt, eo quod indignum papatu conſecrauit: quia os & manus eius aruerunt.

Sol obscuratus non apparuit xvij diebus. Signum crucis apparuit in vestibus hominum. & sanguis de cœlo in terram profluxit.

Lamina aurea inuenta est in Constantinopoli super corpus cuiusdam defuncti in sepulcro: in qua sic erat scriptum, *Christus nascetur de virgine Maria. & ego credo in eum. O sol, iterum videbis me sub Constantino & Irene.*

Iste Leo etiam peruersus fuit: minus tamen quam pater eius. Hic cupiditate victus coronam quandam cuiusdam ecclesiæ abstulit, & capiti suo imposuit: statimque febre corripitur, & spiritū exhalauit. Habuit vxorem pijssimam, nomine Irenen, quæ regnauit statim post eum cum filio.

Leo IIII. annis v.

Constantinus VI. annis x. cum Irene.

Iste Constantinus bonus & pius fuit, & matrem suam amouit a regno, vt suis negotijs fœmineis intēderet: sed illa simulato rancore, postea ipsum exoculauit, & etiam filios ipsius: & iterum regnauit iij annis. Demum cum Græci perciperent, quod Carolo Magno nubere voluisset, ipsam ceperunt, & in quodam monasterio recluserunt, Nicephoro assentientes.

Synodus Constantinopolit. cōtra hæresin imaginum.

Ista synodus vij celebrata fuit contra hæresin imaginum, in qua iterum Græci reconciliati sunt post plagas solitas, confitentes, Spiritum sanctum ex patre procedere.

V^M DCCCCLXXXIII.

Adrian^s I. an. xxiiij. mens. x. dieb. xviij.

Romanus.

DCCLXXXIIII.

Iste Adrianus fuit vir præclarissimus, & nobilissimus genere & potentissimus, & multa magnifice patrauit. Et (vt videtur) ante eum non fuit similis sibi in gloria temporali & diuitijs. diruta reædificauit, turres & muros extruxit: regnum Longobardorum cessare fecit per Carolum Magnum: synodos duas solenniter celebrauit: ecclesias & monasteria multa instituit, & ius Carolo super ordinatione sedis apostolicæ & institutione episcoporum, abbatum, &c. in generali concilio dedit, propter violentias tyrannorum coercendas, vt patet lxiij dist. per totum. tandem hic beatus pontifex post laudabilem vitam sepelitur apud sanctum Petrum. Hic inhibuit officium Ambrosianum, præterquam in ecclesia Ambrosiana in Mediolano: & officium Gregorianum vbique obseruari instituit.

Saxones conuertuntur ad Christum, populus olim durissimus, & Gallorū perpetuus inimicus: sed a Carolo superati, colla submiserūt. & est mirabilis dispositio iudiciorum Dei, & inperscrutabilis, quomodo proficit fides, & deficit pro diuersitate locorum & temporum. iam Ægyptus & Africa a Saracenis vastatæ fuerunt. & ecce, quasi fides volasset, ad populum paganum peruenit: & huius simile sæpe reperitur.

Francia in flore, & tota Gallia simul vbique triumphatrix, etiam vltra montes & mare, sicut olim Roma.

Et Gothorum regnum & Longobardorum cessare facit: quod incepit anno Domini ccl: vel circa.

Studium vniuersale, quod olim fuit translatū de Athenis ad Romam, circa hæc tempora per Carolum transfertur Parisios.

Hæresis Feliciana a Felice autore, condemnatur. Hæc dicit, Christum esse filiū Dei adoptiuum.

Ogerus dux de Danamarchia, princeps christianissimus, floruit. Hic tẽpore Caroli Magni christianitati obtinuit fere omnes partes transmarinas ab Hierusalem vsque ad arbores solis, Deo sibi propitio, & apertis & magnis miraculis exercitum confortante. & in superiori India ordinauit imperium, cui prẽfecit Iohannem filium regis Frisonum, dictum *Priester Iohann*, propter deuotam & sanctam vitam quam duxit: & subiecit ei xiiij Barones cognationis suæ: qui alia dominia circumquaque tenebant, vt ibi christiana religio permaneret.

Hierusalem circa hæc tempora recuperatur per Carolum cum tota terra sancta. & Saracenorum secta vbique vastatur atrociter, quia tempus miserationum venit.

Imperatores. Nicephorus an. ix.

Iste Nicephorus auarus fuit, plureſq; læsit: fuitq; ad imperiũ per Græcos sublimatus: sed nõ profuit, quia eius tempore imperium Orientale quasi ad nihilum redactum: & Romani ad Carolum Magnũ se vnanimiter contulerunt. Aquisgrani instituitur peregrinatio septennalis solennissima, propter reliquias precioſas, quas Carolus ibi apportauit.

Spinea corona Domini floruit in manu Caroli, & transfertur de Constantinopoli Parisios. & in translatione reliquiarum mortuus est, resuscitatus Aquisgrani.

Michael annis ij.

Iste Michael vir catholicus amabilis omnibus, & vniuersos sanæ doctrinæ aduersantes nitebatur exstinguere: ac omnes, quos ſeſe stinguere: ac omnes, quos ſeſe-
rat auaritia Nicephori, conlatus est, ipsos ditando.

Anno mundi — V^M DCCCCXCIII. — VI^M III.

Papæ. Leo III. annis xx. mens. v. dieb. xv. Romanus.

Anno Christi — DCCXCIIII. — DCCCIIII.

Iste Leo fuit vir valde sanctus, totus mitis, & scientia plenus. Cuius sublimationi inuidentes amici prædicti Adriani, cum in die sancti Marci litanias cũ clero perageret, a quibusdam peruersis capitur, lingua priuatus, & oculis effossis, in carcerẽ mittitur. sed pius Dominus seruum suũ nõ dereliquit: quinimo eum per omnia sanauit, membra ipsa restituendo. Deinde ad Carolum perrexit in Franciam, singula narrans quę sibi illata essent: a quo etiam honorifice susceptus fuit, & statim rex cum eo Romã reuertitur, & vltionẽ de inimicis eius fecit, tanquã iustus iustitiarius trecentos viros in campo Lateranensi decollari fecit, & plures alios, qui papã non defenderunt, exilio perpetuo relegauit: diademaq; imperij a Leone susceptit, Romanis acclamantibus, *Carolo Augusto a Deo coronato vita & victoria a Deo subministretur*. tandem post laudabilem vitam idem pontifex sepelitur apud sanctum Petrum. Hic fuit genere & natione Alemannus, frater comitis de Calwe.

Tullin' rex Vngarorũ, alias princeps Auarorũ, se & patriã suã Carolo dedit, & baptis. est.

Aaron rex Persarum misit Carolo corpus sancti Cypriani & Sperati, & caput sancti Pantaleonis.

Amelius comes Aluernensis, gener Caroli, martyr.

Corpus sancti Bartholomæi transfertur Beneuentum de Lipertania.

Amicus & Bericanus martyres occisi sunt in Campania.

Isuardus monachus iussu Caroli collegit omnes legẽdas, & actus sanctorũ de toto orbe in vnũ volumen post Hieronymũ, Bedam & Florũ. Et omni die cõcurrebant vltra ccc festa. & ideo institutũ est, vt dicatur in martyrologio, & aliorũ plurimorũ martyrũ cõfessorum, &c.

Paulus diaconus iussu Caroli collegit lectiones cuiliber festiuitati conuenientes, ex optimis dictis sanctorum patrum.

Translatio imperij facta est per sanctum Leonem papam tertium de Græcis ad Francos, cum vnanimi cõsensu Romanorum, iustis & necessarijs causis, post longam patientiam ecclesiæ Dei, quæ diu Græcorum emendationem expectabat: sed quia nimis defecerunt a primorum pietate, dimissi sunt.

Signum rubeum dominicæ crucis, & multæ hastæ apparuerunt. & sequitur strages magna christianorũ. In Ronciuallo occisi sunt multi reges, duces & comites de exercitu christianorum vltra xv^{m} pugnatorum, Deo permittente.

Carolus 1. Magn⁹ an. xiiij.

Milo de Anglere dux exercitus Caroli, pater Rolandi, cum multis christianis occisus est in bello ab Argolando.

Sol stetit spatio trium dierum, vt Carolus vinceret.

Gerhardus dux Bauariæ in Pannoniam congressus martyrisatur.

Iste Carolus dictus Magnus cum iam regnasset in Francia xxxiiij annis, assumptus est in imperatorem Romanorum: & imperauit annis xiiij. Quantæ prærogatiuæ fuerit hic in omnibus, quæ principem laudabilem faciunt, quis digne laudare sufficiet? Hoc vnum pro nunc sufficiet, quod a principio vsq; ad finem, in tanta rerum tempestate, sic laudabiliter se habuit, vt non sit inuentus, qui eum in aliquo reprehẽdere potuisset. Reuera quid possit fragilis homo in illo causari, quem diuina virtus continue direxit & protexit? Sic ergo recte laudamus eum, si in Domino opera eius magnificemus. tandem morte sancta potitus, sepelitur Aquisgrani, anno vitæ suæ lxxij. eius legendam scripsit Emardus. Refert Turpinus ar-*

VI^{M} XIII.

Stephanus quartus, annis iij. mens. vij.

Romanus.

DCCCXIIII.

*chiepis. quod Carolus erat corpore decorus: sed visu ferus. statura eius pedum octo, & facies eius palmum & dimidium in longitudinẽ possidebat: barba vero eius palmum vnũ. frons erat vnius pedis. militem armatum super equũ sedentem a vertice simul cũ equo ictu cum spatha scindebat: quatuor ferraturas equorum simul facile manibus extendebat: militem armatũ recte stantem super manũ suam sola manu velociter eleuabat. leporem integrum, aut duas gallinas, vel anserem edebat, modicum vinum & lymphatum bibebat. tam parcus in bibendo erat, quod semper in cœna raro plus quam ter bibere solebat.

Iste Stephanus multos captiuos redemit, & Ludouicum filium Caroli imperatorem coronauit. moritur Romæ, sepultus in ecclesia sancti Petri.

Compostellę ecclesia & patriarchalis sedes ordinatur, & extruitur in honore sancti Iacobi. Et impletur petitio Mariæ Zebedæi: quia Iohannes a dextris apud Ephesum, & Iacobus a sinistris: Roma in medio. nota mysterium.

Episcopatus quinque dotantur per Carolum in Almania magnifice: scilicet Maguntinens. Colonienſ. Treuerens. Saltzburgens. & Sedunens.

Signa multa præcesserunt mortem glorioſi & sancti imperatoris Caroli. nam eclipsis solis & lunæ vltra solitum fuit. apparuit per vij dies macula nigri coloris in sole. porticus preciosus Aquisgrani cecidit funditus. pons maximus Maguntiæ tribus horis combustus est. Cernens autem pijssimus Imperator mortem sibi imminere, omnes thesauros suos prælatis commisit ecclesijs distribuendos: & Ludouicum primogenitum constituit imperatorem: alium Teutonicis siue Almanis: tertium vero Hispanis præfecit.

Cometa apparuit valde singularis & terribilis. vnde Imperator attonitus, cum Egmardo philosopho contulit, dicens, quod mutationẽ regni mortemq; principis portenderet. verũ philosophus nolebat eũ cõtristare, sed verbũ prophetiæ allegans, ait, *A signis cæli nolite timere.* at Imperator deuotus, Nõ aliud (inquit) timere debemus, nisi illũ, qui nostri & huius creator est sideris. sed eius clementiã laudare tenemur, qui nostrã inertiã (cũ peccatores simus) talibus admonere dignatur indicijs. quia ergo talia portenta, cũ apparent, omnes communiter tangũt, omnes pro posse ad meliora festinare debemus, vt misericordiam in illo dominante consequi valeamus. Et pie creditur, quod hac humilitate Dominũ placauit, quia non super eum plaga peruenit, sed super Italiam, incursu Saracenorum.

Imperatores. Ludouic⁹ primus an. xxv.

Iste Ludouicus fuit filius Caroli, & magnę clemẽtiæ: propter quod dictus est Pius. habuit duos fratres, quos superauit: & ambo habuere malũ finẽ. In aduersis patiens erat, & in fine semper vincebat, quia erga Deũ & ecclesiam deuotus permansit. etiã filij eius persequebãtur ipsum, quos benigne ad pœnitentiã reduxit. tandẽ bene singulis dispositis, bona morte diẽ clausit extremum. Et quia humana infirmitas delicias diu ferre nõ potest, filij eius ad miseriã declinarũt. Et est bene infelix cõditio, quam totiẽs sine cessatione experimur, & in his qui ante nos fuerũt id totiẽs factũ legimus, vt scilicet cõmuniter paucis exceptis, felicitas generationis vnius raro pariat felicitatẽ subsequẽtis. Idẽ magnũ cõciliũ Aquisgrani cõgregauit: in quo regula & honestus modus viuẽdi canonicorũ & canonicarũ cõpilat⁹ est. Hic balsamatus & incõsumptus in ecclesia Metẽsi ostẽditur.

Anno mundi	VI^M XXIII.						VI^M XXXIII.	
Papæ.	Paschalis i. an. vij. dieb. xvij.	Romanus.	Eugenius ii. an. iij. mens. ij.	Romanus.	Valentinus diebus xl.	Romanus.	Gregori⁹ quartus an. xvi.	Romanus.
Anno Christi	DCCCXXIIII.						DCCCXXXIIII.	

Iste Paschalis magnam adhibuit diligentiã reliquijs sanctorũ, & innumera corpora sacra leuauit, & honorifice recondidit, sicut in visione sanctę Cæciliæ mandatum sibi fuit.

Iste Eugenius vir præclarus, & magnæ sanctitatis & simplicitatis fuit, mũdi contemptor, & sola quę Christi sunt, sapuit. hic mart. coronatus est per laicos Romanos, sepultus ad sanctũ Petrum.

Iste Gregorius, mortuo Valentino, qui breuiter post electionem e medio sublatus fuit, eligitur, & multa bona fecit, viditq; tristia tempora propter varias plagas grassantes in populo. Hic multorũ sanctorũ corpora leuans de terra, honorifice reposuit in altaria. Eius petitione Ludouicus & Guigo marchio Lombardiæ Saracenos de Italia fugarũt. Moritur tandẽ post innumerabilia bona opera eodẽ tẽpore quo & Imperator. sepultus apud sanctũ Petrũ.

Rabanus poeta & monachus, post abbas Fuldens. deinde archiep. Maguntię doctor magnus, claruit, & plura scripsit. & Strabus discipulus eius etiam notabilis in scięntia & virtutib. eodem tempore fuit. Honoldus rex Danorum circa hæc tempora baptisatur Maguntiæ cum vxore & filijs: cui imperator Frisiã dedit. Translatio plurimorum facta est hoc tempore. Sebastianus, & Gregorius papa Suessionensis.

Sanctus Marcellinus & Petrus de Roma in Galliam translati sunt: & sanctus Vitus in Saxoniam, & sanctus Genesius in Angliam transfertur. Carolus monasteria solennia tot fundauit, quot in alphabeto literæ habentur: & cuilibet vna præponebatur.

Schisma octauum erat inter Eugenium & Sisinnium propter discordiam eligentium: sed Eugenius obtinuit, quia pars maior erat cum eo.

Tempora cruenta iterum surgunt. causa est debilitas imperij: quia mortuo Ludouico filij eius mutuo se contriuerunt. quod audientes Saraceni, & Saxones, & alij Occidentales, erexerunt se contra eos. & facta est plaga grauis. Annona de cœlo pluit in Vasconia frumento similis, habens tamen grana breuiora. Tempestas maxima oritur in Gallia, & terræmotus: & multę villæ & domus cœlesti igne cremantur: homines & iumenta ictu fulminum exanimantur: & cum grandine lapides immensi ponderis cadunt, & fragmen glaciei descendit: cuius latitudo vi pedum, longitudo xvi, altitudo duorum fuit. & pestilentia magna sequebatur.

Lotharius primus annis xv.

Puella quædam xij annorum post sacrã communionẽ v i mensibus in pane & aqua ieiunauit: deinde per triennium omnino abstinuit ab omni cibo & potu.

Iste Lotharius mortuo patre imperiũ sumpsit: habuitq; duos fratres, scilicet Ludouicũ & Carolũ, quos nitebatur excludere ab hæreditate paterna: sed illi contra eũ hoc bellũ mouerunt: in quo tot ab vtraq; parte ceciderunt, q, simile non est factũ in gente illa: & Lotharius fugit. Quidã autẽ magnates eos cõposuerũt, regna diuidendo. nec valuerunt resistere aduersarijs suis propter hanc ruinam militũ: & ideo vndiq; fines eorum inuaserunt hostes. Sicsic quando vult nimiũ, fit minimũ. Qui hucusq; alios defenderũt, iam seipsos defendere nequeunt. Quid faciet humilis herba deserti, si stare nõ valet alta cedrus Libani? Omnia fac cũ cõsilio: alioquin pœnitebis post, sed tarde. Nota exemplum. Tãdem Lotharius renuncians seculo, monachus effectus est: in cuius obitu fuit magna concertatio inter angelos & dæmones: sed orantibus monachis dæmones fugati sunt.

VI^M XLIII.

Sergi⁹ 11. annis iij. mens. ij.

Romanus.

DCCCXLIIII.

Iste Sergius vocabatur antea Os porci. & quia nomen erat inhonestum, & tantæ dignitati inconueniens, ideo mutato nomine Sergius vocari elegit. & ab isto in antea omnes proprium nomen mutauerunt. sed hoc quibusdam non placet, sed dicunt, quod hoc faciunt exemplo Christi, qui apostolis nomina imposuit, &c. similiter & de patriarchis. & hæc videtur melior ratio huius variationis.

Dionysij sancti doctoris libri sunt translati de Græco in Latinum: quos Michael imperator misit Ludouico. & xix ægroti sanati sunt.

Festiuitas omnium sanctorum est translata ad Kal. Nouemb. per Gregorium quartum: & Galli & Germani inceperunt & ipsum celebrare hoc tempore. & habetur sermo Rabani de eodem satis pulcer. Plaga horribilis super Romam & totam Italiam facta est. nam quidam perfidi christiani miserunt clam ad Soldanum Saracenorum, vt cito veniret: & Roma capitur, & ecclesia apostolorum stabulum equorum efficitur. sed Ludouicus cum Gallis & Lombardis totam illam infinitam multitudinem fugauit, non sine multa sanguinis effusione christianorum. Et Siciliam & Apuliam etiam hoc tempore Saraceni vastarũt: & Tuscia in solitudinem redacta est.

Gallia pene tota vastatur a Normannis & Frisonibus & alijs, circumquaque concrematis ciuitatibus, &c. Hic iterum nota mutabilitatem temporum: quia per longa tempora Galli triumphatores in orbe fuerunt, hic prosternuntur: nec vnquam postea ad pristinam redeunt potestatem & gloriam. Dominabantur enim quondam in Italia, Hispania, Germania, in Saxonia: imo vltra mare.

Sexta ætas:

Saraceni de Africa venientes, iterum Romam inuadunt, & ecclesias apostolorum dehonestant, spoliantes vndiq; &c. redeuntes autem cum spolijs, submersi sunt in mari.

Duodecim duces Bohemorum sunt baptisati, procuratione Ludouici fratris Lotharij.

Fames magna in Germania fuit, ita vt pater filium deuorare vellet.

Maguntia circa hæc tẽpora in magna afflictione fuit per triennium. Dæmon publice apparuit, & domos incendebat, & sacerdotes lapidauit, qui aquam benedictam aspergebant, & dæmones fugabant.

Imperatores. Ludouic⁹ secundus annis xxi.

Octauæ assumptionis beatæ Mariæ instituuntur a Leone papa.

Aimũdus rex Angliæ, vir sanctus, mart. est: & Angliã deuastauit.

Magniradus eremita martyrisatur.

Iste Ludouicus filius Lotharij, fuit a Sergio papa in regem coronatus: & ad tempus cum patre regnauit, & post solus annis xxi. Hic habuit filium nomine Carolum, quem diabolus inuasit, & vexauit coram patre: quia contra eum conspirationem tractauerat. eius tempore multa mirabilia contigerunt.

Sancta Helena imperatrix transfertur a Roma in Franciam.

Gloria, laus & honor tibi sit rex, &c. componitur a quodam episcopo captiuo, in festo palmarum: propter quod ab Imperatore dimissus fuit, & restitutus.

Coloniæ horribilis tempestas oritur: & fulmen ecclesiam sancti Petri scidit, & iij interfecit homines, & sex semiuiuos reliquit: habuit formam draconis.

Radulphus episcopus Biturienſis claret sanctitate.

Anno mundi	VI^M LIII.	VI^M LXIII.
Papæ,	Leo IIII. annis viij. mens. iij. dieb. vi. Romanus.	Benedictus tertius annis ij. mens. vi. Romanus.
	Nicolaus I. annis ix. mens. ij. dieb. xx. Romanus.	
Anno Christi	DCCCLIIII.	DCCCLXIIII.

Iste Leo sanctus fuit, in quo & serpẽtina prudẽtia, & colũbina simplicitas habitauerũt. in monasterio educatus, primo in scientia & sancta cõuersatione tanquã verus monachus ꝓfecit. Hic factus papa, statim reparare studuit ecclesias, quas Saraceni pauloante destruxerãt. Collectã, *Deus qui beatũ Petrũ*, &c. *Deus cuius dextera beatũ Petrũ am.* &c. fecit contra Saracenos. fuit scripturarũ feruentissimus prædicator & persecutator, orationib. & vigilijs iugiter intentus. sepelitur tandẽ post sanctam mortẽ in ecclesia sancti Petri: cuius festũ xvij Kal. August. agitur.

Leonina ciuitas iussu Leonis ædificatur ad defensionem sancti Petri prope Romam.

Iste Benedictus nomine & re ab omnib. est beatissimus dictus. hic statuit vt clerici ordinate incederẽt, & honeste.

Germanus. Iohannes

Iste Iohãnes Anglicus cognomine, sed natione Maguntinus, circa hæc tempora dicitur fuisse. & erat fœmina habitu vestita virili. sic in diuina scriptura profecerat, vt par ei non inueniretur: & in papam eligitur. sed post imprægnata cum publice in processione pergeret, peperit: & moritur. Et hic sextus videtur fuisse papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit vsque huc: & similiter, sicut alij, a Deo plagatus fuit. nec ponitur in catalogo põtificum. Nugantur aliqui hac de causa nullum Almanum in papam eligi. quod falsum esse constat.

Iste Nicolaus tantæ sanctitatis extitit, vt post magnũ Gregoriũ papã vix vllus in sede Romana apparuerit illi cõparandus. in eius ordinatione Ludouicus præsens fuit. tandem post multa bona, morte sanctissima potitus, sepelitur in ecclesia sancti Petri apostoli.

Sanguis pluit de cœlo in Italia trib. diebus. & locustæ innumerabiles Galliam deuastant, senas habentes alas, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores, vt castrorũ acies turmatim volantes, spacium diurni itineris quatuor aut v miliaribus extendentes. tandem vsque ad mare Britannicum peruenientes, ventorum flatu submersæ sunt: sed æstu Oceani ad littus reiectę, ex putredine sua aerem corruperũt. vnde mortalitas magna & fames prędualida subsecuta est, ita vt pene tertia pars hominum ibi consumpta sit. & sic additur dolor super dolorem Gallicis: quia bellis lacessiti, iam fame etiam perierunt.

In Saxonia villa quædã cũ omnib. penitus absorbetur in momento.

Caput sancti Greg. & brachiũ sancti Leonis ad Senon. ecclesiã sunt trãslata p Ioan. papã.

Carolus II. an. iij. mens. ix.

Bulgarorum rex cum gẽte sua ad Christi fidem conuertitur, qui etiam in tantũ profecit, vt dimisso regno, monachus efficeretur. filius autẽ eius apostatãuit, quare resumpto regno ipsum cepit, & oculis effossis, ipsum incarcerauit, & aliũ substituit, ac sacrum habitum reassumpsit.

Mimenus rex Britonum a sancto Maurilone interficitur dum Franciam vastaret.

Iste Carolus dictus est Caluus: & habuit fratrẽ, qui dicebatur Ludouicus, & erat rex Germaniæ: qui bellum instituit cõtra ipsum. sed Carolus intoxicatus, obijt ante congressum. Hic multa monasteria fundauit.

Synodus Constant. celebratur, quæ viij est in ordine Græcorũ a quinta Constantinop.

Iohannes diaconus scripsit vitã beati Gregorij in iiij libris, & misit Iohanni papæ opus laudabile.

VI^M LXXIII.

Adrianus secundus, annis v. Romanus.

Iohannes VIII. an. x. dieb. ij.

DCCCLXXIIII.

Iste Adrianus excõmunicauit Lotharĩũ fratrem imperatoris, regem Lotharingiæ, propter adulterium: sed cum ille Romã veniens, vt excusaret se, & communicasset indigne cum optimatibus suis, omnes infra annum' mortui sunt: & rex in via mortuus est cum venisset Placentiam.

Iste Iohannes vnxit Carolum imperatorem, & iniuriam passus fuit a Romanis, quia dicto imperatori nõ fauebat: & in custodia positus fuit. Ipse Formosum Portuensem episcopum eiecit, & degradauit: quod fuit occasio mali.

Cyrillus vir sanctus, pene omnium Sclauorum doctor & apostolus, corpus sancti Clementis papæ reperit in Crisona, mari exsiccato, & Romam transtulit. & in sua ecclesia reconditur.

Iohannes Scotus doctissimus in scripturis, in Franciam venit, & rogatu Ludouici Hierarchiam Dionysij de Græco transtulit in Latinum. & post a discipulis cõfossus stylis, moritur. Et nota, quod sæpius libri sancti Dionysij translati sunt.

Charitas refriguit valde circa hęc tẽpora in omni statu, & iniquitas plus solito cœpit abundare. Iam enim gladius & hæreses ex magna parte cessarunt: sed ambitio, & auaritia, & cætera vitia, fræna laxantes, amplius quam illæ hæresum persecutiones christianam fidem persequebantur.

Normannia conuertitur tertia generatione: post hæc Robertus nascitur, qui Apuliam, Calabriam, Siciliam acquisiuit, Venetosque & Alexium Imperatorem Græcorum superauit.

Sexta ætas:

Vngari gens inculta oritur: exit a Sicilia,& a Pincernatis propulsa, in Pannoniam venit, ibique manens expellit incolas. carnes crudas comederunt,& humanum sanguinem biberunt, sicut Phalangi. Hi postea Romam, & alia bona ecclesiæ per longum tempus inuaserunt, sicut olim Gothi. & sic continuatur tribulatio.

Flandria efficitur comitatus:& Balduinus primus comes ibidem fuit. Gallia autem nimis fuit vastata ante fœdus Rollonis: quia Germani videntes Coloniam Treuerim exustas,&c. iunxerunt se Francis.& sic Rollo dux Normannorum baptisatur,accipiēs Gillam filiam regis in vxorem, confirmata sibi regione Normanniæ.

Imperatores. Carolus tertius annis xij.

Sonderoldus episc. Maguntiæ a Normannis martyrisatus est.

Iste Carolus dictus est Grossus siue iunior: qui Galliam & Germaniā pacifice possidens, a Iohanne papa in imperatorem coronatur.tandem post glorioſam victoriam Normannos ad fidem perduxit: quia iam Francis resistere non valuerunt. & quatuor annis super Francos regnauit: & factus inutilis, abijcitur.

Sanctus Martinus translatus fuit de Turone Antisidorum: & curauit leprosum. deinde reportatus, curauit paralyticum, & cæcum contra voluntatem eorum. & frutecta regionis vestita sunt foliis supernaturaliter,&c. Vide pulchram historiam in legenda ipsius.

Anno mundi	VI^{M} LXXXIII.			VI^{M} XCIII.
Papæ,	Martin^{9} II. an. i. mens. v.	Adrianus III. an. i. mens. iij.	Stephan^{9} v. an. vi. dieb. ix.	Romanus. Formosus an. v. mens. vi.
Anno Christi	DCCCLXXXIIII.			DCCCXCIIII.

Iste Martinus parū præfuit: similiter & Adrianus. & iste Adrianus statuit, vt imperator nullo modo se intromittat de summi pōtificis electione. sed apparet,quod hęc constitutio parū obtinuit. imo Leo octauus directe cōtrarium statuit postea. & forte pro varietate temporū sic oportuit statuta huiusmodi variari,vt patet extra de spon. Non debet.

Corpus sancti Callisti trāsfertur in Franciam.

Huius Stephani tēpore corpus sancti Martini trāslatum fuit propter timorē Normannorū. Et nota, q; libri satis discordant de tēpore horū pontificū,cū linea imperatorū. Et forte hoc factum fuit propter scādalosas cōtentiones & intrusiones, quæ in vtroq; statu fiebant, &c. sed non est vis. sufficit enim nobis debita tēpora distinguere, & ea quæ digna sunt, memoriæ commendare.

Iste Formosus fuit primo episc. Portuens. & a Iohanne propter inobedientiam privatus erat & degradatus vsque ad laicalem statum: sed per Martinū restitutus est,& cōtra iuramentū nō solum Romā venit, sed etiā papatum suscepit: propter quod facta est altercatio magna. Schisma ix ecclesiæ & scandalosissimū fuit (secundum quosdā) inter Formosum & Sergiū. nam Sergius a Formoso reprobatus a papatu, fugit in Franciam: & tandem papa factus, reuertitur Romam secrete, & Christophorum cepit, & Formosi corpus effossum dehonestauit. Fuit etiam in schismate isto aliud minus & breuissimum,inter Leonem & Christophorum prædictum. nam Christophorus per vim rapuit papatum, Leone incarcerato: sed statim etiam ipse per Sergium captus est, tanquam inuasor. quidam enim dicūt, quod monachus effectus sit: & multiplicata sunt mala super clerum & ecclesiam totam.

Cluniacensium ordo patrum quasi stella matutina in medio nebulosæ tempestatis huius & scandalosæ, in magna humilitate & feruore rutilare cœpit atque proficere per Adonem monachum virum sanctum ac cæteros quamplures æque perfectos. Hi primi ordinis sanctissimi patris Benedicti, qui iam in plerisque locis cecidit, reformatores extiterunt. Et nota, quod diuitiæ fuerunt sæpius causa casus huius ordinis sacri, & paupertas reformationis. deuotio nanque peperit diuitias. sed (heu) filia suffocauit matrem! O abyssus imperscrutabilis iudiciorum Dei! ecce tam in imperio quã in papatu altercatione scandalosa tenebrescente, exortum est hic in tenebris lumen rectis corde.

Arnulphus annis xij.

Iste Arnulphus plene compescuit Normannos, qui iam vltra xi annos Galliam vastarunt. tandem a medicis desperatus, mirabili infirmitate, ita vt a pediculis consumeretur, defecit, & mortuus est.

Heu heu Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta sede apostolica, quam vsque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala! Quales contentiones & æmulationes, sectæ, inuidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates a filijs hominum! Verumtamen post hæc tempora fuerunt multi sancti papæ: sed non sic continue, & in tanto numero, sicut in præcedentibus. Eia quis conuentus? quæ congregatio? quis homo iam securus erit, si sic defecit sanctitas primitiua?

VI^m CIII.

Bonifacius vi. dieb. xv.

Stephan⁹ vi. an. i. mens. iij.

Roman⁹ i. mẽs. iij. dieb. xi.

Theodorus ii. dieb. xx.

Iohannes ix. an. ij. dieb. xv.

Benedict⁹ iiii. an. iij. mens. ij. *

DCCCCIIII.

Isti octo pontifices successiue sequentes, breui tempore sederunt. Nescio aliquid notabile de ipsis dicere: quia non nisi scandalosa de his reperi, propter inauditam in sancta sede apostolica contentionem, vnus contra alium, & simul contra se mutuo. nam Stephanus confirmans facta Iohannis octaui, Formosum damnauit, & eius facta irrita decreuit, & corpus eius mortuum dehonestauit: digitis duobus abscissis, manum in Tiberim proijci mandauit, omnino ingratus contumeliam pro gratia reddens, quia Formosus ipsum antea episcopum Anagniæ fecit. Sed breue tempus finem imposuit negotio. Rursus post hæc Theodorus omnes actus Stephani reprobans, facta Formosi approbauit. Similiter & Iohannes ix sequens in concilio Rauennæ coram lxxiiij episcopis damnauit facta Stephani, & Formosum confirmauit. Sergius autem directe contrarium sensit, & Formosum damnauit.

Cluniacum monasterium famosissimum ac sanctissimum construitur a Bernone duce Aquitanię, dono etiã Auę comitissę, ac Guilhelmo pio principe Burgundiæ. quod postea beatus Hugo abbas eiusdem cœnobij mirabili ampliauit opere. Vide circa annum MXCIIII.

Sexta ætas:

Imperium iterum transfertur,& diuiditur. Nam Franci non iuuabant ecclesias quas patres eorum exstruxerant: sed dissipabant: nec Romanis præbebant auxiliū contra Longobardos, qui multum infestabant eos. Ideo de communi consensu excluſi sunt ab imperio: & Italici in Italia,& Almani in Almania cœperunt vsq; ad Othonem, qui vtrobique regnauit. Franci autem coguntur nunc manere in terminis suis, experientes omnium rerum esse periodum, sicut alij rotam fortunæ ascenderunt & descenderunt.

Comitatus Blesensis oritur ex nobili stirpe Normannorum. Gelo primus.

Imperatores. Ludouicus III. annis vi. — Berengarius I. annis iiij. — Cõradus. vel Hugo annis vij. — Almanus.

Iste Ludouicus nõ habuit papalem benedictionẽ, propter insolẽtias eorũ qui in Italia dominabantur, & Berengariũ conabãtur expellere: sed cum pro ipso regnare cœpisset, Veronæ capitur, & excæcatur: & Berengarius restituitur. Et hic vltimus est de stirpe Carolina, qui imperiũ tenebãt.

Iste Berengarius prudẽs in armis fuit,& bellum habuit cũ Romanis,& etiam cũ Ludouico prædicto: nec fit aliqua mentio de isto & sequentib. vsq; ad Othonem, apud Vincentium in Speculo historiali.

Iste Conradus filius Ludouici inter imperatores nõ cõputatur, quia nõ regnauit in Italia, sed in Almania tantum. & Hungo, quia in Italia tantũ.

Anno mundi VI^M CXIII.

* Leoquintus dieb. xl. — Christophorus I. mens. vij. — Romanus. — Sergius III. annis vij. mens. iij. dieb. xvi. — Romanus. — Anastasi⁹ II. an. ij. mens. ij. — Laudo mens. v. dieb. xxi. — Romanus.

Anno Christi DCCCCXIIII.

Monstrum habens caput caninũ,& cætera mẽbra sicut homo, præsentatur Ludouico. & bene potuit mõstruosum statũ significare huius tẽporis, vbi homines sine capite quasi canes latrãdo hinc inde vacillabãt.

Iste Sergius cum Romã redijsset, auxilio Francorum Christophorum cepit, & sedit pro eo: & in vltionẽ suæ repulsæ corpus Formosi extraxit de sepulchro,& indutũ sacerdotaliter in pontificali sede decollari fecit,& in Tiberim proijci. piscatores autem in ecclesiam ipsum importarunt, sacris imaginibus se inclinantibus, & eum salutantibus venerabiliter, cunctis videntibus qui aderant. omnia insuper quæ ipse Formosus fecerat, irrita decreuit.

Anastasius & Laudo parum pręfuerunt.

Odo vir sanctus, primus abbas Cluniacens. feruorem monasticum in monasterijs resuscitauit: & plura scripsit. Dialogum beati Gregorij, ipso annuente, coarctauit sub vno volumine. Hic pater multorum monachorum fuit.

Elphredus rex Angliæ vir totus virtuosus, viij horis in orando, legendo & scribendo expendit, viij in negotijs regni, viij in cura corporis: reditus etiam optime dispensauit.

Stephanus episcopus Leodiens. claret sanctitate & scientia. Fecit historiam sancti Lamberti cum notis: & alias plures, scilicet de Trinitate, & inuentione sancti Stephani.

Vngari incipiunt Romam & cætera bona ecclesiæ vastare. & totã Rusciam destruunt, interfectis maribus & fœminis, omnia spolia secũ portantes. Taxis eorũ rex fuit, qui decem modios nummorum recepit a Berengario: & post singulis annis redeũtes, fines Romanorũ inuadere solebant per multa tempora. Causa huius mali fuit ingratitudo Romanorum, quia prædictum Marchionem expulerunt: & ideo vltus se fuit hoc modo, vocando barbaros, sicut Narses olim fecit tempore Iustini secundi. postea interfectus est.

Saraceni qui dominabantur circa hæc tempora in Italia, deuicti sunt a Iohanne papa, & Marchione Alberico.

Berengarius II an. viij.

Fons sanguinis fluxit Ianuæ, significãs cladem statim sequentẽ per Saracenos, qui eã ceperunt, & occisis cunctis, spoliarunt.

Henricus an. xviij.

Sanctus Wibertus, qui cœnobium Gemelatens. fundauit, claret in Lothoringia.

De isto Berengario non est consonantia in libris, quando regnauerit. Quidã dicunt post Berengariũ primum. alij, post Hugonem: sed nõ est curandum. tempora ista satis cõfusa fuerunt: quia qui plus potuit, plus fecit.

Iste Henricus dux Saxonũ fuit, & totus inclytus. nec ipse inter imperatores computatur: quia tantum in Almania regnauit. Ipse habuit vxorem sanctissimã, nomine Mathildã, ex qua genuit duos filios, Othonem & Henricum. & Otho successit ei in imperio: & Henricus in Almania habuit plures terras: tertium filium Brunonem, qui etiam sanctus fuit, & xiij annis archiepiscopus Colonien sis, & vir magnę perfectionis: qui etiam monasterium sancti Pantaleonis fundauit.

VI^M CXXIII. VI^M CXXXIII.

Iohannes x annis xiij. mens. ij. dieb. iij. Romanus. Leo VI mens. vi. dieb. xv. Romanus. Stephanus VII an. ij. mens. i. dieb. ij. Romanus. Iohãnes XI annis iiij. mens. x. dieb. xv. Romanus. Leo VII annis iij. mens. v. dieb. x. Romanus.

DCCCCXXIIII. DCCCCXXXIIII.

Iste Iohannes fuit filius Sergij papæ, tam carne quam moribus. Etiam rapuit præsulatũ. & tandẽ miserabiliter occiditur a militibus Guidonis, posito puluinari super os eius, dum in carcere teneretur. Post eũ quidam alius Iohannes intrusus fuit: sed statim eiectus est. & ideo non ponitur in catalogo summorum pontificum.

Adamarus vir sanctus, successor sancti Othonis, abbatis Cluniacens.

Theodardus abbas sancti Eliæ, claret sanctitate.

Dunstanus episcop. Cantuarien s. sanctus, plura monasteria fundauit. & didicit in die mortis ab angelo, *O Rex gentiũ, dominator omnium*: & vidit beatam virginem Mariam.

Bohemia conuertitur ad fidẽ Christi. Et in Praga ecclesia cathedralis erigitur.

Regino abbas Pruniẽs. Chronica scripsit elegãter.

Siptineus dux Bohemiæ ad fidem conuersus est, vir vtiq; fidelissimus. Boleslaus filius eius: sed peruersus. qui postea fratrem eius sanctum Wenceslaum occidit, scilicet anno primo Othonis I. & ob hoc ab Othone cum tota Bohemia superatus fuit, & vastatus per annos xiiij.

Almania circa hæc tempora plus solito cœpit insignes habere personas in vtroque statu & sexu. domosq; eius principales, scilicet Saxoniæ, Bauariæ, Austriæ, Hassiæ, ac cæteras fidei lumẽ valde illustrauit. Sed & in sapientia & probitate plures claruerũt gloriose, & nominati sunt in orbe. Sic sic dum vna gens cecidit, altera succreuit: vt non glorietur omnis caro, nisi in Patre luminũ; a quo est omne bonũ optimũ, & omne donũ perfectũ. Ipse est qui olim ad Samuelem loquebatur, *Ego glorifico glorificantes me: & qui me contemnunt, erunt ignobiles.*

Dani idololatriam postponunt. Vsq; ad hæc enim tempora Christũ colendo, etiã idolis sacrificabant, dicentes quod dij essent antiquiores & potentiores eo. Sed clericus quidam, scilicet Ansgarius, contradicens, ignitũ ferrũ portauit illæsus: & sic fuerunt plene informati.

Eltheſcanus rex Angliæ, vir miræ deuotionis, floruit, ex matre humilis nationis, ſcilicet filia paſtoris, quæ vidit ex ſe prodire lunam quæ totam Angliam illuſtrabat. quod factum eſt: quia iſte rex tantã habuit deuotionẽ ad diuinum cultũ, vt nullum monaſterium dimitteret indotatum. Hæreſis Anthropomorphitarum in Italia repullulat: ſed Raherius epiſcopus, & cæteri extirpant eam.

Imperatores. Berengarius III annis vij. Iſte Berengarius imperauit in Italia; cuius tempore fuit magnum ſchiſma: & Henricus moritur, & Otho in Almania cœpit regnare. Lotharius ſecundus an. ij.

Carolus rex Francorũ a comite Hiberto exulatur & martyriſatur Paronam.

Iſte Lotharius moriens quãdo Otho regnauit in Almania, reliquit vxorẽ, nomine Daluidã, quæ poſtea eidem Othoni nupſit.

Sancta Mathildis regina, vxor Henrici, claret ſanctitate, & ſupra modum humilis & miſericors: quæ totam ſtirpem Saxonum ſua nobilitauit virtute. Hæc poſt obitum viri diu in viduitate permãſit, & monaſteria & hoſpitalia plura fundauit: in aduerſis patientiſſima, in orationibus ita peruigil, vt totum pſalterium ante matutinas exoluere ſolita fuerit. tandem ſpiritu prophetiæ mortem prædicens, migrauit ad Christũ, ſanctam ſobolem relinquẽs in conſolationẽ totius eccleſiæ.

Anno mundi	VI^M CXLIII.	VI^M CLIII.
Papæ.	Stephanus VIII an. iij. menſ. iiij. dieb. xv. Germanus.	Martinus III an. iij. menſ. vi. dieb. xiiij. Romanus.
	Agapetus II an. viij. menſ. vi. dieb. x.	Iohãnes XII a. vij. dieb. x. Romanus.
	Benedictus quintus menſ. ij. dieb. v. Tuſcus.	
Anno Chriſti	DCCCCXLIIII.	DCCCCLIIII.

Iſte Stephanus a quibuſdam Romanis mutilatus fuit.

Iſtius Agapeti tẽpore ſanctus Odo, primus abbas Cluniacenſ. in Domino obdormiuit.

Iſte Iohannes venator fuit, & totus lubricus: fœminas publice tenebat. quapropter depoſitus fuit per Othonem: ſed nõ curauit. Tandẽ cum vxore cuiuſdã ſe oblectans, a diabolo in tempore percutitur, & ſine pœnitentia ſubito moritur. Eia Deus æterne, quã diſpares ſunt illi prioribus! O abyſſus iudiciorum Dei! quis inueſtigabit ea? Nec fuit iſte digne electus, ſed per patrem ſuum intruſus, quoniam potens erat. Schiſma x eccleſiæ fuit inter Iohannem xij & Leonem viij, quia Iohannes cum male intraſſet, & peius vixiſſet, depoſitus fuit; & Leo ſubrogatus. ſed tamen Leo obtinuit auxilio Imperatoris, licet bis fugatus fuiſſet.

Maiolus vir ſanctus, qui fuit tertius abbas Cluniacenſ. eximij feruoris & abſtinentiæ, & reparator monaſticæ diſciplinæ, claret.

Iſte Benedictus a Romanis eligitur contra Leonẽ; ſed ab Othone deponitur, & in exilium apud Saxones miſſus eſt. Malũ principium raro habet bonũ finẽ. Time, eruditus periculo alterius. Sanctitas papas dimiſit, & ad imperatores accedit hoc tẽpore, ſicut clare apparet.

Wenzeſlaus princeps Bohemiæ, de bono patre melior filius, martyriſatur ab iniquo fratre ſuo. Iſte vir ſanctus fuit, humillimus & miſericordiſſimus.

Bruno archiepiſcopus Colonienſ. vir ſanctus, frater Othonis; qui claret in Almania, vtrumq; gladium ſtrenue gubernando: & ſancti Pantaleonis monaſterium fundauit in Colonia, & epiſcopio ducatum contulit, reliquiiſque pluribus ornauit.

Imperium transfertur ad Almanos. Hi enim, secundum nominis ipsorum interpretationem, dicũtur quasi omnes viri, in armis vtiq; strenuissimi, catholicæ fidei feruentissimi defensores. *Al* enim lingua eorũ omnes, & *man* vir sonat: inde Almani, id est omnes viri. Nec potest infelix homo informari, vt illum scopulum declinet, in quo tot iam vidit etiã potentes periclitatos. Monstrum in Italia: mulier habens duo capita, & cætera membra vsque ad vmbilicum, vna comedente vel dormiente: alia quandoq; neutrũ faciebat. diu vixerunt, & pariter tandem obierunt. Eduinus rex Angliæ, qui omnes monachos expulit a regno,

Berengarius IIII annis xi.

& sanctum Dunstanũ in Flandriam trusit, & tamẽ eiusdẽ sancti meritis ab inferis liberatur.

Etgarus rex Angliæ pene omni anno monasterium fundauit.

Otho primus annis xij.

Iste Berengarius magna tyrannide premebat Italiam. quare Dominus papa & alij Romani vocauerũt Othonẽ, vt liberaret eos. quod & factũ est. Et capto per vim Berengario, bis exulauit eum, & relictam Lotharij sibi vxorem accepit, quam tyrannus incarcerauerat.

Iste Otho primus erat imperator Almanus, totus victoriosus, velut alter Carolus; ecclesiæ Dei defensor solicitus, & promotor singularis. ob quod meruit dignitatem imperialem, multos infideles conuertit. Benedictũ papam inuasorem ecclesiæ duxit secum ad Saxoniã; ibiq; moritur in exilio. Omnibus tandẽ pacatis, obijt, plenus bonis operibus, diuitijs & gloria ditissimus, & prole digna. sepultus Magdeburg in Ecclesia sancti Mauricij, quam preciose fundauit.

VI^M CLXIII. VI^M CLXXIII.

Leo VIII anno i. mensiiij.

Iohannes XIII an. vij. mens. xi. dieb. v.

Benedictus VI anno i. mens. vi.

Bonus vel Donus anno i. mens. vi.

Bonifacius septimus mens. vi. dieb. x.

DCCCCLXIIII. DCCCCLXXIIII.

Iste Leo cõmuni voto eligitur, deposito Ioãne. Hic statuit, vt nullus papa fieret sine cõsensu imperatoris, propter malitiã Romanorũ, qui suos intrudebãt. Hic omnes donationes factas ecclesiæ a Iustiniano & Carolo & alijs, Othoni cõcessit, & suis successoribus, vt Italiã ab inuasoribus defenderet.

Iste Iohannes grauẽ iniuriã passus fuit, a Romanis captus, & exul factus. sed Otho durissime hãc perculit, nobilib. occisis, & quibusdã in exiliũ missis. Nota, quod hic occiduntur, sicut in primitiua ecclesia: sed non fiunt martyres, vt isti. *Par pœna, sed dispar causa.*

Iste Benedictus captus fuit, & in castro sancti angeli strangulatus. Et iste bonus qui alio nomine Don^9, parũ sedit.

Iste Bonifacius per Romanos, strangulato Benedicto, in papã eligitur, & deprędata ecclesia, fugit in Constantinopolim: post reuersus, Iohãni diacono cardinali oculos eruit: & ipse deinde subito extinctus est.

Sanctus Otho episc. Cantuarien. & sanctus Bruno Colonien. transferunt corpora sanctorum Elysij, Patrocli, Priuati, Gregorij, cum baculo sancti Petri, de Roma ad Coloniam.

Oswaldus reuerẽdus Vingorniæ ẽpisc. post Eboraci archiepisc. Rameſiæ monasteriũ fundauit.

Acheluoldus reuerendus episc. Vintonien. multa fecit. Ecclesia Magdeburgẽs. gloriose extruitur, & dotatur per Othonẽ primũ. & archiepisc. eius fit Primas Almanię. Et nota, quod tẽpore Othonis tertij, fuit in ea quidã archiepisc. nomine Vdo, qui per beatam virginem promotus fuit: sed post propter malam vitã horribiliter damnatus est. Vnde, *Cessa de ludo, quia lusisti satis Vdo.* Schisma xi fuit inter Benedictum v & Leonẽ viij: sed Leo obtinuit.

Sexta ætas:

Vngaria incipit hoc tempore ad fidē conuerti; vbi primo prædicauit vir Dei Adelbertus epiſc. Pragenſis. Adelbertus vir ſanctus, claruit, natione Bohemus, & primus epiſc. Pragenſ. reuelante Deo Pannoniā veniens, ſanctū Stephanū primū Regē Vngarorū cū multis baptiſauit. deinde Polonos in fide confirmauit. tandem Pruthenis in inferiori Almaniæ regione prope mare commorantibus prædicans, ibi martyrio coronatus eſt.

Stephanus primus rex Vngariæ, chriſtianus, ſanctus vir fuit. & fit gratia magna in populo barbaro, & idololatriæ cultui hucuſq; dedito. Annona pluit de cœlo, & piſciculi parui in Albonia. Carolina ſtirps eijcitur de regno Frāciæ, & comes Pariſiēſis arripuit regnū circa hæc tēpora.

Imperatores. Otho ſecundus annis ix. — Otho tertius annis xviij.

Iſte Otho fuit filius Othonis primi, per omnia fidelis & ſtrenuus defenſor eccleſiæ: plura bella contra infideles habuit: ſed in vltimo pene totū exercitum amiſit in Calabria. Ipſe tamen dum tota mente ſanctum Petrum inuocaſſet, mirabiliter liberatus fuit. Ipſe habuit filiam Imperatoris Conſtantinopolitani de ſanguine Romanorum in vxorem. & fuit coronatus a Benedicto ſeptimo. Moritur Romæ. ſepultus in eccleſia ſancti Petri honorifice.

Iſte Otho per omnia imperij & nomine dign⁹ iuxta paternā probitatē, fideliſſimus eccleſiæ fuit: multa bella ꝓſpere geſſit: Deo & ſanctis deuotus extitit: reliquijs ſanctorum maximā reuerentiā exhibuit, &c. tandem poſt multos labores Romæ vitam finiuit.

Anno mundi	VI^M CLXXXIII.	VI^M CXCIII.

Papæ. Benedict⁹ vii a. x menſ. vi. — Iohannes xiiii menſ. viij — Iohannes xv menſ. iiij. — Iohannes xvi an. x. menſ. x. dieb. vij. — *Saxo.* Gregori⁹ v annis ij. menſ. vi. — Iohannes xvii menſ. vi.

Anno Chriſti	DCCCCLXXXIIII.	DCCCCXCIIII.

Iſte Benedictus coronauit Othonē ij: & fecit capi plures Romanorum. cōgregauit etiā conciliū Remenſe cōtra regē Franciæ: vbi Gilbertus necromāticus deponitur, & Rudolfus reſtituitur in gradū priſtinum.

Horū primus in caſtro ſancti angeli fame afflictus, per iiij mēſes defecit, & moritur. & alter parū ſuperuixit.

Iſte Iohannes fuit in armis eruditus: & plures libros compoſuit. Hunc Creſcētius patricius in tantum afflixit, quod vrbē exiuerit, & ꝓ Imperatore nuncios mitteret. Quod audientes Romani, ipſum reuocant, & vſq; ad terrā proſtrati, veniā petunt. Iam enim aliquot annis experti fuerunt ludum Almanorū. Vilis conditio hominum, nolle obedire niſi cum nō poteſt reſiſtere. Tandē pace facta, Romæ mortuus eſt.

Iſte Gregorius factus fuit papa ad inſtantiā Imperatoris Othonis tertij, vir venerabilis & ipſius Othonis cōſanguineus. Dictus fuerat antea Bruno, & cū parū ſediſſet, & iā imperator ab Vrbe receſſiſſet, Placentinus intruditur a Creſcentio conſule, propter pecuniam: & Iohannes xvij vocatur. & factum eſt ſchiſma diebus paucis. Nam Imperator reuerſus, Creſcentiū cepit, & capite truncauit: Iohannē autē antipapā exoculari, & cæteris membris mutilari fecit, nihil eū iuuantib. ducatis ſuis. Quia enim fecit quod nō debuit, paſſus eſt quod meruit. Et nota, quod iſte Greg. cū Othone prædicto ordinauit electores imperij in Almania, qui deinceps permanſerunt vſq; nunc, nec potuerūt Franci aut alij infringere. Comitatus Sabaudiæ inclytiſſimus oritur ex nobiliſſimo ducum Saxoniæ ſanguine, qui etiam hoc tempore imperium tenebant: vbi primum Beroldus vir in armis ſtrenuus multis tyrannis expulſis, dominari cœpit.

Electores imperij post Othonem tertium instituti fuerunt, non propter aliquam culpam Saxonum, sed ad præcauendū pericula futura. Hi sunt septem principes in Almania potentissimi. Primi tres spirituales, scilicet archiepiscopi Maguntinēs. Treuerens. Colonien s. Et tres seculares, scilicet Palatinus, qui est comes Rheni; Marchio Brandeburgens. Dux Saxonum. Rex Bohemorū est mediator. Vnde habentur versus in speculo Vincentij:

Maguntinensis, Treuerensis, Colonienſis.
Quilibet imperij sit cancellarius horum.
Et Palatinus dapifer: Dux portitor ensis:
Marchio præpositus Cameræ: pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Verum quidam dicunt, Hac occasione aquila multas pennas amisit, & in fine totaliter nudabitur.

Henricus primus annis xx.

Gilla virgo prudentissima, soror Henrici Imperatoris, post nupsit sancto Stephano Regi Vngariæ: & multum iuuit ad plenam conuersionem Vngariæ.

Heribertus archiepiscop. Colonien s. vir sanctus, clarus habetur. Iste Henricus vir sanctus fuit, dux Bauarię, & concorditer electus, propter legalem & sanctā famā quā habuit. Habuit sororē æque virtuosam, quā sancto Stephano Regi Vngarorū dedit, & totam Vngariā ad plenā fidē perduxit. Vxor eius fuit sancta Kunegundis, cum qua in virginitate permanēs, cœlibē vitā duxit. Plura bella tā in Almania, quā in Italia contra rebelles iuste & prospere cōfecit: ecclesias quāplurimas & monasteria fundauit, & magnifice dotauit. Tandē beato fine quieuit. sepultus in ecclesia Bambergens, quā fundauit, & cathedralem fecit fieri; miraculis coruscans. In vita sancti Laurentij exemplum ponitur de ipso & vxore.

VI^M CCIII.

Sylvester II annis iiij. mens. i. dieb. viij. Gallicus.

Iohannes XVIII mens. v. dieb. xxvi.

Iohannes XIX annis v. Romanus.

MIIII.

Iste Sylvester factus est papa auxilio diaboli, cui homagium fecit, vt cuncta ei ad votum succederēt. Dictus fuit Gilbertus: & gratiam regis Francię inimicus sibi procurauit: vnde factus est archiepiscop. Remens: tamen eiectus statim fuit per concilium, iubente Benedicto septimo. Deinde gratiam Imperatoris acquisiuit: & fit episc. Rauennæ; post papa. Sed finem solitum cito habuit, vt puta, qui spem suam fallacibus dæmonibus commisit. Speratur tamen de eius saluatione propter certa indicia sepulcri ipsius, & pœnitentiam quam in fine fecit grauissimam, membris abscissis, & auibus datis.

Isti duo Iohannes post se mutuo sederunt: & primus parum præfuit: alter annis quinque, sepultus apud sanctum Petrum.

Adelboldus episcopus Traiectens, hoc tempore clarus habetur.

Fulbertus episcopus Carnotens similiter.

Elphegus episcopus Cantuarien s, qui post martyrisatur a Danis.

Odilo vir sanctus, abbas Cluniacens, successor sancti Maioli. Hic diem animarum instituit post festum omnium sanctorum, tempore Iohannis xviij. quod postea per totam ecclesiam approbatum est.

Medericus abbas Eduens, vir clarus habetur.

Gerhardus episc. Cameracēs. martyrisatur ab Vngaris: ligatus super bigā de mōte currit.

Herigerus abbas Lobiens. & Albo abbas Floriacens, & plures alij.

Translatio glorioſa sanctorum martyrum Candoaldi, Adriani, Amancij facta fuit Gandaui hoc tempore.

Sexta ætas:

Hieruſalem iterum capitur a Saracenis permittente Deo: & glorioſum ſepulcrum Domini ab infidelibus poſſidetur. Et Iudæi multis in locis metuentes, baptiſantur.

Luna in ſanguinem verſa apparuit. & terræmotus magnus. Facula ardens & fulgur inſtar turris cecidit cum maximo ſplendore. Sequitur fames valida. In Lothoringia fonticulus aquæ in ſanguinem verſus eſt. & multa ſigna circa hæc tempora contigerunt. Mortalitas fuit maxima pene per totum orbem, vt ſepelientium tædio adhuc viui ſpiritū trahentes, obruerentur cum mortuis. Siccitas magna & ardor ſequitur.

Simeon vir ſanctus, Siracenſis monachus, claret Treueris.

Gnoto epiſcopus Leodienſis, ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ claruit.

Imperatores.

Choriſantes quidam fuerunt circa hæc tempora, qui per totum annum ſaltabant, propter peccatū inſolentiæ: quia in vigilia natiuitatis Chriſti in cœmeterio quodam choriſando impediebant quendā ſacerdotē in prima miſſa, quā deuote faciebat: ſed quia nolebant ceſſare, maledixit eis cū imprecatione, dicēs, *Vtinam ſic per annū ſaltaretis*. Et factū eſt ita. Fuerūt tandē a beato Heriberto abſoluti. & quidā eorū valde pœnituerunt, ita vt ſancti effecti fuerunt, & miraculis claruerunt. Secundū quoſdā, contigit in villa Saxonię in eccleſia ſancti Magni. & filia ſacerdotis cuiuſdam auulſis brachijs ſaltauit. Fuerunt autem numero xix, quarū tres fœminæ erant. omnes breuiter obierunt. Sancta Kunigundis vxor Henrici Imperatoris, & virgo perpetua, claret operibus bonis. poſtea monaſteriū ingreſſa obijt, miraculis coruſcans. Henricus rex Vngariæ virgo cum ſponſa ſua obijt, miraculis coruſcando. fuitque filius ſancti Stephani regis.

Anno mundi	VI^{M} CCXIII.	VI^{M} CCXXIII.
Papæ.	Sergius IIII an. ij. menſ. vij.	Tuſculanus. Benedictus VIII an. xi. menſ. xi. dieb. xxi.	Romanus. Iohannes XX annis xi.
Anno Chriſti	MXIIII.	MXXIIII.

Iſte Sergius fuit ſanctæ vitæ, & exemplaris conuerſationis. ſepultus in eccleſia ſancti Petri.

Iſte Benedictus habuit ſchiſma maximum: quia eiectus fuit, & quidam alter ſubrogatus. Hunc poſt mortē vidit quidā epiſcopus in miſerabili ſpecie, dicentē, ſe grauiter affligi: & quod nihilominus ſperaret de miſericordia Dei. & nihil ſibi prodeſſe quod pro ſe factum eſſet: quia de rapinis fuit. miſitq; eum ad Iohannē papam, vt de tali theca ſummā pecuniæ acciperet, & pauperibus daret. quod ipſe fideliter implens epiſcopatui ceſſit, & timore perculſus ſibi prouidens in futurum, monaſterium intrauit.

Iſte Iohannes bellum habuit cū Romanis.

Schiſma xiij eccleſiæ fuit inter Benedictum octauum, & quendam alium intruſum: ſed poſt Benedictus obtinuit, eiecto iterum intruſo.

Robertus rex Frāciæ, cōpoſuit ſequentiā, *Sancti Spiritus aſſit nobis*, &c. Et reſpōſoria, *O Iuda & Hieruſalē*, &c. *Cornelius Centurio*, &c. cū notis, & alleluia, *Eripe me*, &c. Ipſe fuit vir miſericordiarum.

Rogerus epiſc. Beluacenſ. totus inclytus claret.

Durandus epiſc. Leodienſ. obſcuro genere natus.

Adelbertus ſanctus, epiſcopus Metenſis.

Elbertus abbas Gemelatenſis.

Campanus doctor inſignis, & deuotus maximuſq; aſtronomus claret. Hic inuenit errorē paruum in calculatione Ptolemæi, quo ad mediū motū lunæ: videlicet, q, in ij^{m} clx annis lunaribus deficit vna dies, & in quibuſdam alijs ſimiliter. Excuſat autem tantū virum, quod hoc nō prouenerit ei ob defectū ingenij, ſed ob penuriā tēporis, maxime quo ad motum octauæ ſphæræ; ad quem longum tempus requiritur. Eius theorica & computus ſunt optimā.

Tempus effœminatũ incepit circa annos Domini M; in quo fides christiana valde cœpit deficere & declinare a pristina virilitate, vt patet in prophetia sanctę Hildegardis. & in multis regionib. christianitatis nec sacramẽta, nec ecclesiastici ritus seruabãtur, augurijs & maleficijs intendentes. & erat sacerdos sicut populus. sed misericors Dominus cõtra hæc mala iterũ plures apostolicos viros suscitauit, qui hanc ariditatẽ bonis exemplis & prædicationib. irrigarent, Domino cooperante, & sermonẽ cõfirmante sequentib. signis. Et multi ordines maximo feruore succreuerũt, vt periculosum tempus illustrarẽt: de quib. post cõsequenter fit mentio. Et quia iam sæpe huiusmodi reformationes factę fuerũt præter spem, & sequentibus futurę sunt, ideo fatuũ est determinare, quod Antichristus tunc vel tunc veniet, propter malitiam temporis: quod pleriq; attentauerunt: quos omnes

Conradꝰ primus annis xx.

fefellit sua opinio, & euãgelica derisit sanctio, & ipsa temporis reprobauit experientia. Horum errorum immensus est numerus.

Iste Conradus fuit dux de Frãconia, quę est pars Almanię. Hic multas leges edidit, & pacẽ districtissime seruare, sub pœna capitis iussit. sed comes Lupoldus accusatus, de terra sua fugit, cupiens magis rusticane viuere, quam solenniter mori. cuius tamẽ filius mirabiliter ad Imperiũ puenit nutu diuino, cõtra voluntatẽ Cõradi, accepta filia eius in vxorẽ.

Egelmotus archiepisc. Cantuarien. misit brachiũ sancti Augustini in Angliam. Eius epistolare habetur.

Guilhelmus Diuionensis.
Ricardus Virdunensis.
Popo Stabulensis.
Elias Colonien sis.
Ostertus Leodicensis.
Stephanus Leodunensis.
Hi omnes abbates venerabiles circa hæc tẽpora floruerũt.

VI^a CCXXXIII.

Benedictus IX annis xiij. Tusculanus.

Siluester tertius dieb. lvi.

Gregoriꝰ VI an. ij. mens. vi.

Almanus.

Clemẽs II mens. ix. dieb. vij.

MXXXIIII.

Iste Benedictus fuit nepos Benedicti octaui, totus lubricus: & ideo dãnatus apparuit cuidã in specie mõstruosa & horribili. Caput & cauda erãt asinina, reliquũ corpus sicut vrsus: & ait, Noli expauescere: scito me hominẽ fuisse sicut tu es: sed sic me repræsento, sicut olim existẽs infelix papa bestialiter vixi. Tempore eius schisma scandalosum nimis fuit, ꝙa ipse eiectus erat, & iterũ restitutus: & iterũ eiectus.

Iste Siluester electus fuit, expulso Benedicto. sed ecõtra cijcitur: & Benedictus restituitur. quo iterũ eiecto Greg. substituitur. Qui cũ esset rudis literarũ, alterũ papã ad Ecclesiastica officia exequenda secum consecrari fecit. Quod cũ multis nõ placeret, tertius superinducitur, qui solus vices duorũ adimpleret. dimicantibus inter se Henricus superueniens, oẽs deposuit, & Clementẽ II substituit: a quo statim se coronari fecit, promittentib. Romanis, sine ipsius cõsensu se nunquã papã electuros. & sic quinq; sedentibus, sextus instituitur. Verũ de isto Gregorio Guilbertus dicit, quod fuit vir sanctus, & contra Henricũ bellũ habuit, & raptores sancti Petri extinxit. & cum magno miraculo fit sepultus, &c. Schisma xiiij ecclesiæ scandalosum & confusione plenũ, fuit inter Benedictum IX & alios, vt patet infra. Causa fuit, mala vita Benedicti aut iniquus introitus. Hic notat Ptolemæus, quod fastus summorũ pontificũ habuit semper malũ exitũ: & fuit occasio, & est causa multorũ schismatũ. notabile est. Fulbertus Carnotensis episcopus in infirmitate visitatur a beata virgine: & de eius lacte sanctissimo recreatus est.

Iste Clemens dictus fuit ante Sindegerus Bambergens. episc. qui factꝰ fuit papa per Imperatorem propter vnionẽ recuperandã, vt iã dictũ est supra, &c.

Hela auguriatrix in Anglia fuit; quam dæmon de ecclesia extraxit horribiliter.

Sexta ætas:

Corpus gigantis Romæ inuenitur immenſæ magnitudinis, incorruptum, cum lucerna, quæ non poterat flatu extingui. Statua marmorea erat in Apulia; cuius caput oſtendit theſaurum ſubtiliter. Monſtrum. Duæ mulieres in Gallia, omnia membra ſingula vſq; ad vmbilicum, & diuiſim operabantur. vna mortua alia ſuperuixit, triennio mortuã portans.

Palumbus presbyter Romæ fuit necromanticus, contra quem diabolus orauit: & obijt.

Sanctus Theobaldus vir notabilis, de Francia, recluſus eremita, hoc tempore claruit.

Carolſus Mertiorum regis filius, martyriſatus fuit a matertera.

Edmundus rex, vir ſanctus, a Danis martyriſatus eſt.

Imperatores. Henricus II an. xvij.

Iſte Henricus fuit gener Conradi, in ſylua natus, & bis ad occidendum traditus: ſed tamen Deo protegente illæſus euaſit adhuc puer. Cum autẽ imperator eſſet effectus, in loco natiuitatis ſuæ nobile monaſteriũ ædificauit, quod vſq; hodie Vrſania nominatũ eſt. Vide pulcrã hiſt. in Chron. Martini & Vincentij. Hic omnes ioculatores a curia ſua remouit; & quæ his dari conſueuerant, pauperib. erogauit. Hic victorioſus fuit, & Italiam intrans, Pandulphum Campaniæ principem cepit; Abbatem Fuldenſ. ſedauit, qui tũc potentiſſimus fuit: Bochonienſib. atq; exercitu eiuſdem Imperatoris ſe mutuo interficientibus in eccleſia Maguntin. in die ſancto Pentecoſtes, diabolo in aere vociferante, & cantante, *Hunc diem bellicoſum feciſti*: quem etiam increpauit.

Bardo vir ſanctus, archiepiſcopus Maguntinenſis, claret.

Anno mundi	VI^M CCXLIII.	VI^M CCLIII.
Papæ.	Damaſus ſecundus dieb. xxiij	Leo IX annis v. menſ. ij. dieb. vi. — Almanus.	Victor II annis ij. menſ. iij. — Almanus.
Anno Chriſti	MXLIIII.	MLIIII.

Iſte Damaſus inuaſor fuit eccleſiæ: & ſubito defunctus eſt: & ſtatim Romani petierunt ſibi dari pontificem, ſed non Teutonicũ ſiue Almanũ. ad hoc enim nõ poterant inclinari, ex mala cõſuetudine indurati. Tunc iſtũ Leonem virũ ſanctũ ad hoc inclinauit, vt papatũ acciperet: ſed poſtea de hoc fecit conſcientiã, & reſignauit: & denuo eſt electus. Hic Chriſtum in ſpecie leproſi nocte in lecto ſuo collocans, mane ipſum non inuenit. Tandem poſt laudabilẽ vitã ſancta morte potitus, miraculis claret. Ipſe multa ſcripſit & fecit. Erat antea epiſcopus Tulenſ. & audiuit angelos dicentes, *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, dicit Dominus.*

Iſte Victor vir bonus & venerabilis, timore imperiali factus eſt papa. Sic enim diſpoſita fuit apoſtolica ſedes hoc tempore, quod ſancti viri duplici timore ſe ſub traxerunt, ſcilicet diuino, & humano: quia tanto officio ſe indignos arbitrabãtur, & tyrannidẽ Romanorũ quotidie ſuſtinere tæduit. Sed compellente Imperatore, quidam nihilominus acceſſerãt ſimiliter duplici timore. Timebãt enim Deum offendere ſic vocati: etiã offenſam principis. Iſte idem Victor multos ſimoniacos depoſuit in concilio Florentino, & etiam fornicarios. De pluralitate beneficiorum, quæ circa hæc tempora nimis inualuiſſe videtur, & deinceps continuata, multumque dolenda ambitione prælatorum & ſimoniaca labe, quamplurima ſcripta ſanctorum patrum habentur deteſtantia abuſiones iſtas. Et nota, quod facile inuenti ſunt pauperes clerici & doctores, qui pluralitatem beneficiorum, & pompam eccleſiaſticorum reprehenderunt, donec offerret ſe occaſio participandi. qua accepta communiter auaritia excæcauit eos. Fertur de quodam magiſtro magnæ literaturæ, qui valde ſublimiter diſputauit contra diui-

Cyclus magnus annorũ finitur hoc tẽpore, ſcilicet anno Domini mlxiij, continens annos dxxxij: qui ad rationẽ omnẽ paſchalis cõputi vtilis eſt, & ab æuo in æuũ in ſemetipſum ſine errore reuoluitur. & ſequenti anno cyclus magnus annorũ dxxxij, a natiuitate Domini exactus incepit; in cuius fine erit labor & dolor: & (vt quidam dicunt) terminabitur anno Domini mdxcv. Eduardus vir ſanctus, rex Angliæ, claret ſpiritu prophetię. nec reperi plures aliquos reges in aliquo regno ita iuſtos & ſanctos, quam in Anglia.

Mathildis comitiſſa, triumphatrix inclyta, Normannos expugnat, & Imperatorẽ debellauit, pro eccleſia glorioſe laborauit. & tandem totũ ſuũ patrimoniũ ſuper altare ſancti Petri obtulit. Berengarius epiſc. Turonẽſis, erronee dogmatizauit de ſacramẽto altaris: & poſt informatus, retractauit, & ſanctę vitę fuit: ſed diſcipulos cõuertere nequiuit. Et ſequitur hæreſis magna, quæ ſatis afflixit eccleſiam longo tẽpore. Ipſe negat verũ corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in ſacramento, ſed figuram tantum. Vide de con. di. ij, Ego Berengarius, &c.

Elburga virgo ſancta, filia Eduardi Regis.
Etgitha Edgari regis filia, virgo ſancta, claret.
Walburga virgo ſancta & abbatiſſa fuit.
Lanfrancus epiſcopus Cantuarienſis, magiſter Anſelmi, ſcripſit librum per modum dialogi de ſacramento, & alia.
Petrus Damianus doctor grauiſſimæ autoritatis, & religioſus valde, claret.
Anſelmus vir ſanctus, epiſcop. Cantuarienſ. doctor excellẽs, & beatæ virgini deuotus.
Adrianus chronographus, & monachus Fuldenſis, vir clariſſimus, floret.

VI^m CCLXIII.

Stephanus ix, menſ. ix. dieb. xxviij. Almanus ex Lothoringia.

Benedictus x menſ. ix.

Nicolaus ii annis ij. menſ. vi. dieb. xxvi. Burgundus.

MLXIIII.

Iſte Stephanus parum ſuperuixit. & ſequens Benedictus cũ per vim papatum rapuiſſet, & ix menſibus ſedilſet, ceſſit.

Iſte Nicolaus concilium celebrauit contra Berengarium, qui errore deceptus, contra fidem dogmatizauit: ſed plene correptus, reuocauit, vt patet de con. di. ij. Ego Berengarius. In eodem concilio factum eſt decretum de electione papæ, *In nomine Domini*, di. xxiij.

tias prælatorum & factum eorũ, quaſi omnino ſic viuere non liceret, &c. Hæc cũ nuntiata domino papæ fuiſſent, plauſibiliter reſpondit, Demus ei bonã præpoſituram, & hæc & illa beneficia: & bene pacatus erit. Factum eſt ita. & ecce, protinus ſententiam mutauit, dicens, Nunquã intellexi materiã hanc præter modo. quippe qui de inope diues, de contemptibili repente glorioſus apparuerat. Hos beatus Hieronymus velut peſtes quaſdam cõtagioſas vitandos pronunciat. Dixit quidẽ notabile verbũ, Qui habet vnũ beneficiũ competens, & eo legitime vtitur, recto calle ad patriã tendit. qui vnũ ſuperaddit, vno oculo cõſcientiæ priuatur. qui aliquid adhuc plus acceptat, etiã altero lumine priuatus, totaliter excæcatur, & deinceps quæcunq; poterit, coaceruat. Hanc maledictionẽ inſatiabilis auaritię olim pręſignabat Ieroboã, Rex Iſrael, qui licet diuinitus ad regnũ peruenerat, ſtatim tamen a cultu Dei receſſit: fecitq; duos vitulos aureos, ne populus Iſrael ad templũ Domini aſcenderet. Factum autẽ eſt hoc verbũ in peccatũ, itavt oẽs ſequentes reges hũc cultũ ſacrilegũ obſeruarẽt in deſtructionẽ regni. Ita de Eccleſiaſtico ſtatu timendũ eſſe, ſancti viri cõmuniter aſſeuerant, & iam in plurib. mundi partib. completũ cernimus. Clerici qui nihil poſſidere deberent, præter rationabilẽ cõpetentiã; neq; ſe de tẽporalib. intromittere, oĩa poſſidere, oĩa volũt guber-

Gotfridus de Bulion, dux Lothoringiæ, victor glorioſus, pro eccleſia, velut alter Carolus, vndiq; dimicat. qui tandem Hieruſalem cepit, factus ibi rex. Habuit fratrem æque victorioſum, Balduinum nomine; qui ei in regno ſucceſſit, & erat totus inclytus, miraculoſa bella geſſit. Finitur ſucceſſio regum Angliæ. Et Wilhelmus dux Normannorum, interfecto Araldo, regnat pro eo. de quo fit mentio in hiſtoria conceptionis beatæ Mariæ.

Pariſijs horribile factū contigit de quodam magiſtro magni nominis, qui ter exclamando, dixit ſe damnatum. Quapropter multi ſolennes viri ſeculo abrenunciauerunt, & diuerſas religiones inſtituentes, celebre nomen poſteris reliquerunt, & exemplum.

Mures infinitæ conueniunt, quendam potentem circumuallantes in quodam contiuio: *Imperatores.* & non poterant abigi donec deuorarent eum. Idem cuidam principi Poloniæ contigit. Mirum valde.

Syracuſana ciuitas magnum terræmotum ſuſtinuit: & maior eccleſia cecidit dominica die, omnibus oppreſſis, quatuor exceptis miraculoſe.

Vrſmarius præſul ſanctus, eccleſiam ſancti Petri fundauit, ipſo ſibi reuelante in Flandria.

Maurillius epiſcopus Rothomagenſis.

Schiſma xv eccleſiæ fuit inter Alexandrum & Codulum epiſcopum Parmenſem: ſed Alexander obtinuit, licet Imperator contradiceret iudicio concilij. & maior pars fuit ſecum. Diu ſtetit.

Anno mundi VI^M CCLXXIII.

Papæ. Alexander II annis xi. menſ. vi. dieb. xxv. Mediolanenſis.

Anno Chriſti MLXXIIII.

Iſte Alexander fuit vir ſanctus, & ſtatuit vt nullus miſſam audiat presbyteri, quem ſcit habere concubinā, ſub pœna excommunicationis, vt patet xxxij diſt. Præter hoc. Et habuit ſchiſma cum quodam Codulo: ſed poſtea purgauit ſe in Mantua coram concilio de ſimonia; & Codulus tanquam ſimoniacus & inuaſor repudiatur.

Ordo Grandimontenſis inchoatur hoc tempore per ſanctū virum Stephanum nobilem, Auernorum ſtipite progenitum. Ordo canonicus cœpit florere in Beluacenſi eccleſia: qui primo ab apoſtolis, poſtea a beato Auguſtino regulariter inſtitutus, ſub magiſtro Iuone præpoſito, poſt Cornotenſi epiſcopo.

*nare. Idcirco (vt beatus Bernardus dicit) quia ordinem nullum ſeruat, illuc properant, vbi ſempiternus horror inhabitat. Olim phariſæi contra auaritiam diſputantem Dominū deridebant, & inſanum iudicabant: ſed nunc Dominus ſubſannat eos. Caueas lector, qui multa occupas beneficia, ne idem facias, neq; eadem patiaris. Deus nō irridetur: ſed quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Noli ſequi conſuetudinē periculoſam. Noli te per papę diſpenſationem excuſare. Ad oculum vides, quod vituli aurei adorantur: ſed cæteri mactantur. Sed quæ neceſſitas, quæ reuerentia eſt in hoc Deo exhibita, quod de numero miniſtrorum eius propemodū medietas eſt reſecata? Si enim cuilibet beneficio permitteretur dari ſuus poſſeſſor, numerus ſeruorum Dei eſſet duplex; qui modo eſt ſimplex. Sequere conſilium eorum, qui Deo iam in cœleſtibus coniuncti ſunt, ne cum vitulis aureis æterno igni confleris. Quid prodeſt vltra prohibitos beneficiorum titulos coadunare, quando etiam ſimplices communiter videmus in frugali honeſtate amplius abundare?

Solita pericula contigerunt circa hæc tempora, scilicet inundatio aquarũ nimia cum damno immẽso. Aues domesticę syluaticæ fiũt. Pestilentiæ maximæ. Et plures sacro igni consumpti sunt, exesis carnibus & membris instar carbonũ. Terræmotus in Anglia, vt ædificia eminus resilirent: & furor ventorum, qui dc domos Laudoniæ cõfregit. Fames & ictus fulgurum vltra modum, &c. Et fons sanguinis xv diebus emanauit, & diabolus palam locutus est hominibus in pago quodam visibiliter apparendo.

Translatio sancti Nicolai de Mirrea ad Barrenses. Et corpus sancti Clementis primi episcopi Metensis inuentum est Metis; quem episcopi ibi ordinauerunt. Et x^m peregrini occisi sunt Hierusalem per Arabes.

Arnulphus abbas sanctus, post archiepisc. Lugdunens. ordinem regularis vitæ instituit.

Cono episc. Treuerorũ, cuius tempore multa corpora martyrũ inueniuntur, quos olim Rictionarus occidit.

Hugo vir sanctissimæ & castissimæ vitæ claruit, episc. Gratianopolitanus, qui in liij annis nullius fœminæ faciem vidit, vna paupercula excepta, quamuis quotidie plurib. consilium & auxilium dederit, confessiones etiã recipiendo. Hic sancti Carthusiani propositi præcipuus cooperator fuit; & postea etiam habitum a sancto Brunone sumpsit, insigneque exemplum præbuit.

Schisma xvi ecclesiæ fuit inter Gregorium vij & archiepisc. Rauennens. Causa fuit tyrannis Imperatoris, & dissensio quorundam episcoporum. Maius fuit omnibus ante habitis, & durauit vsque ad Vrbanum secundum.

VI^M CCLXXXIII.

Gregorius VII an. xij. mens. i. dieb. iiij.

Cluniacensis.

MLXXXIIII.

Iste Gregorius fuit vir sanctus, & multas persecutiones pro iustitia perpessus est. Hic antea dicebatur Hildebrandus, Prior Cluniacens. & fuit legatus in Gallia, & dure processit contra simoniacos. Quendam etiã episcopũ miraculose vicit de simonia: quia non potuit contradicere Spiritui sancto. Factus autẽ papa, synodum celebrauit, in qua contra eos simili zelo processit, & contra presbyteros vxoratos, amouendo eos a diuino officio. Fuerunt enim tempora satis arida. Et quia iustitiæ rigorem nisus est tenere solito more, contra eum multi insurrexerunt. & primo Cinthius, præfecti filius, eũ cepit, cũ primã missam in nocte natiuitatis celebraret; & in turri sua posuit: sed Romani turrim destruunt, & papam liberant, & Cinthium extra vrbem eijciunt. Deinde Imperatorem excommunicauit propter dissidium: qui post veniens ad ipsum, & pluribus diebus nudis pedibus super glaciem stans, vix absolutionem impetrauit. Sed Imperator non perseuerauit in humili obedientia quã cœpit; quinimo in Wormatia cõtra eũ protensum cõciliũ celebrãdo, aliũ loco sui eli-*

Ordo Carthusiensiũ sanctissimus incepit hoc tempore per Brunonem, virum sanctũ, natione Almanũ, de Colonia Agrippina, magistrũ in theologia, cum sex alijs venerabilibus viris in diœcesi Gratianopolitanensi. Hic ordo (teste beato Bernardo) inter omnes ecclesiasticos ordines primatum tenet, nõ ratione temporis, sed rigorositatis. vnde ipse vocat eum speciosissimam columnam ecclesiæ. Verum quia propter nimiam abstinentiã paucis portabilis erat, & ne diu paruus maneret, postea ab ecclesia moderatus fuit; nec vnquã a sancto proposito cecidit, singulariter a Spiritu sancto præseruatus vsque hodie.

Sexta ætas:

Terra ſancta hoc tempore ex magna parte recuperata eſt, & Hieruſalē, & ſepulcrū Domini glorioſum cū Antiochia & alijs ciuitatib. multis de manib. Saracenorum. Creduntur transfretaſſe vltra cc^{m} chriſtianorū. Quantus autē zelus fuerit in omni populo ad hoc opus perficiendū, & quomodo ex omni ſtatu ſenes & iuuenes, diuites & pauperes confluerēt, nemine pellente, vix aliquis ſine lacrymis aut dicere vel audire poſſet. Paſſagium enim iſtud fuit beatæ virginis Marię, quę mirabiliter duxit & protexit propugnatores ſuos, ſicut oſtenſum fuit in viſione. Principes fuerunt plures, ſcilicet Godefredus de Bulion, qui etiam Leonem interfecit; & fratres eius Euſtachius & Balduinus: Boemundus dux Apuliæ: Hugo frater regis Francię, & plures alij; qui pro fide ſe diſcrimini dantes, & glorioſe vicerunt, & nomē æternū ſibi acquiſierūt, in omnib. magnifice a Domino delectati. Vide hiſtoriam in ſpeculo Vincentij.

Imperatores. Henricus tertius an. xlviij.

Iſte Henricus videtur fuiſſe homo multū inquietus, & ſatis afflixit virum ſanctū Gregoriū vii, papam. & primo quidē veniā petens, abſolutionē meruit: ſed non perſeuerauit, quinimo de nouo quendam antipapā contra eū tanquam idolum erexit. & iterū Gregorius eū excommunicauit: & electores imperij ducē Saxoniæ pro ipſo elegerunt: quē Henricus cruento bello ſuperauit. & tunc Romā veniens cum antipapa ſuo, Gregorium & cardinales perſequitur: ſed ſtatim Robertus rex Apuliæ eum fugauit, & papam cum cardinalibus liberauit. Fuit nihilominus vir eleemoſynis deditus. & ſexageſies & bis acie collata, dimicauit. tandem miſerabili morte vitam finiuit in carcere, a proprio filio detentus. Sicut fecit, factum eſt ei.

Anno mundi VI^{M} CCXCIII.

Papæ. Victor iii annis i. menſ. iiij. dieb. iiij. Abbas Caſſinenſis.

Vrbanus ſecundus annis xiij. menſ. iiij. Cluniacenſis.

Anno Chriſti MXCIIII.

Iſte Victor per ſomniū vidit Deum, ſuæ dignationi in ſolitudine Carthuſię habitaculum conſtruentem. Et dicitur, q; ſpiritu prophetię pollebat. fuit exſtinctus per venenū in calice miſſum.

Iſte Vrbanus antea dictus eſt Otho, & fuit monachus Cluniacenſis. multū laborauit in eccleſia Dei; regē Frāciæ excommunicauit propter adulteriū. Conciliū primo celebrauit apud Clarum montē, in quo ſtatuit horas beatæ Mariæ dici quotidie, & in ſabbatho ſolenniter officium fieri. Dicitur, quod hoc beata virgo fratribus in Carthuſia reuelauit. Aliud conciliū Turonis celebrauit, pro recuperanda terra ſancta: & prouocauit populum occidentalem ad transfretandū, qui tunc in Lancea Domini triumpharunt. Hic habuit magiſtrum Brunonem pędagogum; qui fuit Prior Carthuſiæ: quem etiam lateri ſuo ſociauit in papatu. & multum profectum in eccleſia fecerunt.

Ordo Ciſtercienſ. incepit per Robertum abbatem, & Albericum ſucceſſorem eius. & videntur quaſi ſecundarij reformatores ordinis ſancti Benedicti, cuius regulam habent: & multas curioſitates & abuſiones abdicarunt, & ſimpliciter ſecundum ſanctā ſimplicem regulam viuere cœperunt, & mirabiliter in breui tempore creuerunt in omnibus. Habuit viros ſanctiſſimos, & plures numero.

* gi fecit ab epiſcopis. & fit ſchiſma longo tempore. Inſuper & adhuc in caſtro Sancti Angeli ab Imperatore, videlicet Henrico tertio, cum cardinalibus incarceratur: ſed per regētem Apuliæ liberatur. tandem in Apulia moritur, miraculis coruſcans.

Soles duo apparuerũt. Terræmotus magnus fuit. Stella per diem fulgurauit. In Italia pluit sanguis. In Antiochia terra absorbuit plura ędificia. Et porcellus nascitur cum capite humano. Pullus nascitur quadrupes. Et mulier quædam enixa fuit monstrum; ante sicut homo, retro facies canis, & cætera membra. Lancea Domini reperta est in Antiochia a quodam rustico, cui beatus Andreas apparuit, & locum ostendit. & quidam percurrendo ignem xiij pedum, cum ea totum exercitum lætificauit; & certificauit: eo quod minime lęderetur, sicut Dominus sibi apparens mandauerat.

Helimandus Laudunensis episcopus, clarus habetur.

Henricus quartus annis xv.

Toletum ciuitas Hispaniæ nobilissima tollitur hoc tempore de manibus Saracenorum per Adelfonsum regem, octauo anno obsessionis.

Iste Henricus satis excessiuus fuit in quibusdam, & primo erga patrem suum, quem cepit, & in carcere eum mori fecit: etiam contra Pontifices Romanos, eo quod deberet resignare inuestituram episcoporum & abbatum; & nollet, sicut nec pater eius. Tandem ad cor rediens obediuit, & multa damna ecclesijs illata fideliter restituit. Moritur tandẽ sine prole iusto Dei iudicio: quia patrem suũ dehonestauit. quod valde sæpe contigit alijs similibus. Sepultus est in ecclesia Spirensi prope Rhenum cum alijs regibus: in cuius epitaphio versus iste fuit inscriptus, *Filius hîc, pater hîc, auus hîc, proauus iacet istic.*

VI^M CCCIII.

Paschalis II annis xviij. mens. v. dieb. vij.

Tuscus.

M CIIII.

Iste Paschalis diligenter laborauit pro ecclesia contra imperatores & reges, super resignatione inuestituræ episcoporũ & abbatum: & satis profecit. Multa etiam perpessus est a falsis fratribus: etiam Imperator eum cepit cum cardinalibus, & per duos menses in vinculis tenuit. & schisma habuit. In omnib. tamen triumphauit, & glorioſum & pacificum finẽ habuit. sepultus Romæ in ecclesia sancti Saluatoris. Et ecclesia rectissime comparatur lunę, quę crescit & decrescit, & quasi deficere videtur: sed tamẽ ad plenum reuertitur, propter illuminationẽ solis æterni, qui est Christus Dominus sponsus eius.

Schisma xvij ecclesiæ fuit inter Paschalem secundum & tres prælatos, scilicet Albertum, Arnolphum, & Theodericum, qui fauore Imperatoris erexerunt se: sed mala morte perierunt: & Paschalis obtinuit, quia iuste electus fuit: & Deus fuit pro eo.

Iuo Carnotensis episcopus abbreuiando compilauit decretum apostolicum post Isidorum: & post eum Hugo Catalaunensis: post quem Gratianus.

Ordo Cistellensis incepit sub Herdingo abbate. Et nota, quod non æque ordines inceperunt. Hugo Cluniacẽsis abbas, vir sanctus, & pietatis visceribus totus affluens, reuelatione diuina templum monasterij Cluniacensis virtute Dei, non arte virili venustissime ampliauit, sicut hactenus cernitur. Hic multorum monasteriorum pater extitit, quæ tunc in diuersis mundi partibus construebantur, & ecclesiæ Cluniacensi subijciebantur, propter famam sanctitatis sanctorum monachorum, qui tunc ibidem conuersabantur. Hic etiam inclytissimos habuit discipulos, inter quos Vdalricus monachus ad Almaniam pro reformatione regularis vitæ directus, miraculis claruit. Monasterium Rubeimontis fundatur ab incolis loci illius, & per Wilerium comitem Gruriæ dotatur.

Sexta ætas:

Tyrus capitur a christianis: & Leodium multis plagis atteritur. Terræmotus,&c. Et Balduinus Rex Hierusalem capitur. Acies in cœlo apparuerunt. Mosa suspenditur. & alia multa monstra fuerunt, quæ forte Tartarorum tyrannidem proxime futuram signarunt. Ventus maximus fuit, & turres & ædificia subruit.

Wilhelmus rex Angliæ, pessimus, obijt, a Deo percussus: quia nullum conuentum fieri permisit. Petrus Alfonsus doctor notabilis, fuit Iudæus natus: sed conuersus postea, scripsit aliqua eleganter. Extra Romam in monasterio sancti Laurentij monachus quidam admirans quomodo,&c. cingulo soluto, audiuit, *Sic potuit Christus clauso prodire sepulchro.*

Malachias vir sanctus, archiepisc. Hiberniæ, claret: qui totam illam gentem reformauit.

Imperatores.

Eius vitam beatus Bernardus scripsit. Flandria ex parte submergitur.

Hugo de sancto Victore claret Parisijs, natione Almanus de Saxonia, doctor magnus: qui alter Augustinus dicebatur tempore suo.

Sanctus Gerhardus Biturienſis episcopus, & sanctus Anselmus Laudonicæ ciuitatis episcopus, qui glossas interliniares in psalmis ordinauit.

Bernardus incipit clarescere adhuc iuuenis; qui post intrauit ordinem Cistercienſ. deinde factus abbas, Claramuallem fundauit. Hic creuit in doctorem magnum & apostolicum virum. tot miracula fecit, & tantum honorem habuit, vt similis ei in his nunquam creditur fuisse. Vide vitã eius,&c. Pater clx monasteriorũ fuit: & velut alter Moyses habitus est vbiq;.

Anno mundi	VI^{M} CCCXIII.	VI^{M} CCCXXIII.
Papæ.	Gelasius II an. ij. dieb. v.	Campanus.
	Calliſtus II annis v. menſ. x. dieb. xi.	Burgundus.
Anno Christi	MCXIIII.	MCXXIIII.

Iste Gelasius timore Henrici Imperatoris, cum cardinalibus Caietam accessit: & deinde per mare veniens in Burgundiam, apud Cluniacũ mortuus est, & sepultus. Idẽ Imperator schisma contra eum fecit, erigendo quendam Hispanum Benedictum: quod etiam postea cum Calliſto continuatum est. Schisma xviij ecclesiæ fuit hoc tempore: quia Benedictus quidam fauore Imperatoris erexit se contra Gelasium, & etiã contra Calliſtũ cõsequenter: sed miserabiliter perijt; & qui iuste electi fuerũt, obtinuerũt more solito.

Ordo Templariorũ incepit hoc tempore: qui prius albis vsi sunt mantellis: post rubeã crucem superpositam portauerunt. & Hugo & Ganfredus fuerũt primi fundatores eius. Et beatus Bernardus regulam composuit.

Ordo Præmonstratenſ. incepit per virũ Dei Notbertum. Ricardus de sancto Victore, pietate plenus, & doctor floridissimus, claret.

Iste Calliſtus fuit filius comitis Burgundię: & electus fuit in locum Gelasij. & dũ rediret Romam, Prætensum Benedictum cepit, & equitare ante se fecit supra mulam ignominiose, ita, vt versa facie, cauda pro frẽno vteretur, & vsq; ad Vrbem ageret, vbi trusus fuit in carcerem. Et papa cum Imperatore pacem fecit. Hic dolose synodũ celebrauit, in qua damnauit fictos quosdam religiosos, qui plures hæreses secrete & publice seminabant cõtra sacramenta, & bona ecclesiarum. Fecit libellum de miraculis sancti Iacobi. Statuit etiã historiam Caroli descriptam a beato Turpino, Remensi archiepiscopo. Fũdauit monasterium Boniuallis, Cistercij ordinis.

Stephanus vir venerabilis, abbas Cistercij tertius: qui beatum Bernardum cum fratribus suis ad ordinem suscepit.

Tartari permissione diuina circa hæc tempora montẽ exijsse putantur, in quo clausi fuerunt in magna miseria & fame: quia nimis multiplicati erant. gens vilis, & sterilis. & plagarunt post mundum, omnia subijcientes, iuxta illud Moysis, *In gente stulta irritabo illos.* Mirum valde, quomodo illi qui in maxima seruitute fuerũt, iam non armis, sed pellicijs & baculis omnia prosternunt, & dominantur vniuersis. Hæc iudicia tua Domine. Sic olim Assyrij, Medi, Persæ, Græci & Romani, Gothi, Hunni & Wandali, Saraceni & Arabes, Bulgari, Africani, Franci, Almani, Turci, Hispani, &c. flagella iracundiæ tuę fuerunt, quilibet in tẽpore suo: eo, quod homo noluerit obedire tibi. Siccitas magna fuit, vt flumina, lacus, fontes, putei siccarentur. Ignis in terra subintrãs biennio nõ potuit extingui aqua. & fuit plaga horribilis. Et quædã mulier iiij masculos peperit.

Lotharius secundus an. xij.

Iste Lotharius fuit dux Saxoniæ: & erat vir bonus, & fidelis ecclesiæ: & coronatus ab Innocentio secundo, quem etiam fideliter iuuit contra Petrũ Leonis. Hic beatum Bernardũ in maxima reuerentia habuit, & alios viros religiosos, quorum etiam meritis magnas victorias se gloriabatur obtinuisse, & præcipue contra Rogerium inuasorem regni Siciliæ: quem fugauit, & alium substituit, de commissione domini papæ.

Petrus Abelardus insignis fuit doctor: sed in hæresim cadens, ab Innocentio damnatur.

Hic precium redemptionis euacuauit.

Setzelo vir sanctus in diœcesi Treuerensi fuit: qui etiam brumali tempore in medijs niuibus totaliter nudus incessit.

Richardus de sancto Victore, pietate plenus, & doctor floridissimus, claret.

VI^M CCCXXXIII.

Honorius II annis v. mens. ij. dieb. viij. — Bononiensis.

Innocẽti^9 II an. xiiij. mens. vij. dieb. viij. — Romanus.

MCXXXIIII.

Iste Honorius in gratiam recepit Rogerium, & inuestiuit eum in ducatu Apuliæ, facto homagio: qui fuit rex Siciliæ, & magna post pro fide fecit. Hic duos patriarchas depossuit, Aquileiẽsem & Venetũ: quia reperit eos fauisse schismaticis. Moritur tandẽ Romæ. sepultus in ecclesia Lateranensi. & idem Rogerius post ab Innocentio remouetur; quia sibi contrarius fuit.

Ordo sancti Iohannis Baptistæ Hierosolymitani inchoatur hoc tẽpore a venerabili Raimundo, viro operib. misericordiæ dedito: & valde creuit. Hi vouent se pauperibus seruituros.

Iste Innocentius fuit vir valde deuotus; & tales suo lateri sociauit. Hic habuit schisma per vij annos contra Petrum Leonis; qui se Anacletũ nominauit, & per vim papatum rapuit, adiutus a suis amicis. Quod videns Innocentius cum duabus galleis fugit in Galliam, vbi fuit gloriose susceptus a beato Bernardo, qui tunc omnes reges & principes in manibus suis habuit: & prouocauit eos, vt reducerent dominum papam ad sedem suam. Et plura de eo narrantur in vita sancti Bernardi. Tandem pacatis omnibus, & horribiliter diuino iudicio aduersarijs consumptis, pacifice & vtiliter ecclesiæ præsedit. Sepelitur in Laterano gloriose, plenus operibus sanctitatis, &c.

Vdalricus pater sanctus, natione Almanus de Ratispona vas vtile in domo Domini positus, cõsummatæq; religionis, monachus Cluniacens. multis clarus miraculis a sancto Hugone ad Suicerorũ fines directus, primo monasterium Montisrotgerij, quod a Bernens. oppido quasi duob. miliarib. distat, dono Lutoldi de Rũlingen, nobilis viri fundauit, & secũdũ in nigra sylua, vbi nũc quiescit. Hic primũ Almaniæ monasterijs cõsuetudines Cluniacens. ecclesiæ inuexit.

Sexta ætas:

Iohannes de Temporibus moritur, qui vixerat ccclxi annis. Fuit enim armiger Caroli, & vsq; ad hæc tempora durauit. Passagiũ magnũ contra Saracenos factũ est. Ludouicus & Lotharius crucẽ susceperunt. & beatus Bernardus diuino doctus spiritu, crucẽ prædicando plures prouocauit; sed non contigit, sicut sperabant: quia Græci dolum magnum fecerunt, cum calce farinæ mixta intoxicantes exercitum.

Visiones Tondali factæ sunt in Hibernia horribiles, &c. Rogerius rex Siciliæ Græcos vastauit vsq; Constantinopolim: & Ludouicum regem Franciæ a vinculis liberauit.

Visiones sanctæ Elisabeth hoc tempore factæ fuerunt.

Imperatores. Cõradus secundus annis xv.

Visiones sanctæ Hildegardis virginis, & pphetię plurimæ apud Treuerim fuerunt. Iohannes de Pino scripsit librum lingua Gallicana, per modum visionis, Mandauie dictum.

Iste Conradus fidelis & inclytus princeps fuit. & quia hoc tempore bonum regimen fuit in ecclesiastico statu, ideo principes prompte obediebant propter exemplaritatẽ prælatorum. Vnde iste rex cruce signatus erat a beato Bernardo, & transfretauit cũ multis, & miraculosa bella gessit pro dilatatione dominij christiani in terra sancta: passus est etiã magna dispendia propter dolum Græcorũ. Ludouicus Pius, rex Franciæ, claruit, qui magna pro fide fecit, & a beato Bernardo cruce signatur, & vltra mare trãsiẽs, captus fuit & multa mala passus, multaq; prælia gloriose gessit. Et Henricus frater eius monachus efficitur, post episc. Edissa quę olim dicebatur Rages Medorũ, semper inuicta & sancta, hoc tẽpore destruitur.

Anno mundi VI^a CCCXLIII.

Papæ. Cælestin^9 II mẽs. v. dieb. x. Lucius II mens. xi. dieb. iiij. Eugenius III an. v. mens. iiij. dieb. xx.

Anno Christi MCXLIIII.

Schisma xix ecclesiæ fuit inter Innocentium ij & Petrum Leonis, propter discordiam eligentium. & Innocentius obtinuit, quia maior pars erat secum, & beatus Bernardus per septem annos laborauit pro vnione fortiter.

Isti duo parũ præfuerunt: quia ambo in pestilentia obierunt. & sunt sepulti in ecclesia Lateranensi.

Iste Eugenius ante fuit monachus beati Bernardi in Claraualle, & missus ab eo Romam cum alijs pro instauratione monasterij sancti Anastasij, & ibi abbas efficitur: & nõ longe post ex insperato in papã electus est. Hic cũ esset simplex, Deus eũ mirabili gratia & eloquentia perfudit. Beatus etiã Bernardus illũ solennẽ librũ de cõsideratione ad eũ scripsit. Romani autẽ solito more ferue scentes seditionẽ faciunt. Quapropter vir sanctus dedit locũ iræ, & in Gallijs veniẽs pristinũ locũ dilectæ Clarę uallis humiliter benigneq; visitauit. Alloquitur fratres nõ sine lacrymis memor pristinæ & tã pulcræ quietis iam perditæ: miscẽs sermonib. auulsa a corde suspiria: hortatur & cõsolatur, & se inter eos fratrẽ & sociũ, non dominũ vel magistrũ, &c. rem difficilẽ agens, diuersarũ in vno homine proprietatẽ exhibens personarũ. Sagmenta ei circumferebantur & puluinaria, lectus eius pallijs opertus cortina ambiebatur purpurea: sed si reuolueres operimenta, inuenires laneis complosa stramina & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde. Ipse vero bona corã Deo & hominib. prouidebat, æternũ omnib. monachis & pontificib. exemplũ relinquens. Demũ valedicens fratrib. cum multis lacrymis, solitis inquietudinib. redditur. Romamq; reuersus gloriose suscipitur, clamantib. vniuersis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Obijt tandẽ in magna sanctitate suis meritis illustrando Romã miraculis pluribus, sepultus in basilica sancti Petri. Moritur statim etiam beatus Bernardus eodem anno.

Pestilentia sacri ignis. Et puer quidam liberatus ab igne, omnem historiã mundi, textum euangelij, Actus apostolorũ, &c. tanquã in libro legeret, alijs pronũciauit. Hugo de sancto Victore, doctor insignis, hoc tempore moritur: cui, cum iam in extremis laboranti fratres hostiam simplicẽ pro corpore dominico darent: eo quod cibũ retinere non posset; ille per Spiritũ cognoscẽs, dixit, *Misereatur vestri Deus fratres. Quare me deludere voluistis?* Quib. stupentibus, & verum corpus Christi afferentibus, ille videns, quod recipere nõ valeret, eleuatis in cœlum manibus, sic orauit, *Ascendat filius ad patrem, & spiritus ad Dominum qui fecit illum.* Et inter hæc verba spiritum exhalauit: & corpus dominicum ibidem disparuit.

Frideri-cus I a. xxxiij.

Petrus Tarentasiensis episc. vir integerrimæ religionis.

Guilhelmus puer in Anglia crucifigitur a Iudæis in die sancto parasceues. Et erat tunc puer ibidem qui vidit infernum.

Iste Fridericus fuit vir magnorũ operum, ita vt quidam dicunt, quod post Carolum Magnũ in gestorũ magnificentia, orbis similem nõ habuit. Et nota, quod huiusmodi comparationes sunt cũ moderamine accipiendæ, nõ simpliciter, sicut solet dici de Salomone. Potest enim esse, quod aliquis simplex miles in aliquo negotio ita magnifice se habeat, quod vere dici potest de eo, quod nunquam similẽ habuerit in illo; sed nõ in omnibus. Verum iste idem Fridericus in vno crimine gloriæ suæ intulit, quod cum Alexandro papa altercauit, & contra fas schismaticos fouebat longo tempore. Veruntamẽ post pœnituit, & veniam petens, & crucẽ pro satisfactione suscipiens, vltra mare iuit: & post magnos triumphos in quodam fluuio submersus fuit improuise.

VI^M CCCLIII.

Anastasius IIII an. ij. mens. iiij. dieb. xxiiij.

Romanus.

MCLIIII.

Iste Anastasius fuit abbas sancti Rufi Valentinensis diœcesis. primo quidem in cardinalem, & post in papã assumitur. Hic construxit palatium nouum apud sanctam Mariam rotundam. Moritur, sepeliturque in Laterano.

Gratianus monachus hoc tempore decretum cõpilauit: & ab Eugenio papa iij approbatur vt ipse sit episc. in Tuscia in clusiua, vnde oriundus fuit.

Petrus Lõbardus episc. Parisiensis, frater Gratiani, librum sententiarum edidit, & glossas psalterij, & epistolarum Pauli, & plura alia.

Petrus Comestor, frater Gratiani & Petri Lombardi, historiam scholasticam composuit, & alia.

Comes Muriensis factus est humillimus, conuersus in Carthusia.

Theobaldus comes Campaniæ, vir totus misericors. (nimæ.

Hugo Folieti scripsit librũ de castro a-

Wilhelmus eremita sanctissimus, circa hæc tempora claruit: qui olim dux Aquitaniæ fuit, & comes Pictauiensis. Hic primũ totus dyscolus fuit. Ad quẽ cum beatus Bernardus vt eum reconciliaret, directus fuisset, & ille modis omnibus reconciliari renueret, vir Dei ad altare celebraturus accessit, ipso duce tanquã excommunicato præ foribus expectante. Cum autem *Pax Domini*, &c. dixit, corpus dominicũ super patenam ponit, & secum tollit, atq; ignea facie & flammeis oculis foris egreditur, dicẽs ad ducem, *Rogauimus te*, inquit, *& spreuisti nos. Ecce ad te processit virginis filius, qui est Dominus ecclesiæ quam tu persequeris*, &c. Statimque velut alter Paulus, tremens cecidit, &c. qui post lorica super nudo vestitur.

Sexta ætas:

Sol obſcuratus fuit hoc tempore. Fames magna facta eſt. Terræmotus inſuper maximus fuit. Antiochia cum Tripoli & Damaſco ceciderunt. l^m hominum ſubmerguntur. & mare retrogradum verſum eſt. Tres lunæ apparuerunt in cœlo, & in medio ſignum ſanctæ crucis. Et tres ſoles viſi ſunt: & ſtatim poſt ſol iterum obſcuratus fuit ab hora ſexta vſque ad horam nonam.

Viſio horrenda facta eſt epiſcopo Lingonenſi, a quodam eremita iam defuncto, dicens, quod xxx^m hominum deceſſerant ſecũ: inter quos beatus Bernardus ſtatim euolaſſet, tres in purgatorium deſcenderant: omnes alij in inferno perpetuo cruciandi ſubmerſi fuerunt.

Boemia fit regnum: antea ducatus fuit.

Imperatores.

Norwegia quæ eſt inferior regio Almaniæ, conuertitur ad fidem: vbi primum prædicauit Adrianus legatus & cardinalis Albanenſis, poſtea papa.

Sanctus Thomas Cantuarienſis archiepiſcopus, martyriſatur hoc tempore in Anglia pro eccleſia, in eccleſia, in loco ſancto, & in tempore ſacro inter manus ſacerdotum & religioſorum, &c. Ad cuius exequias dum clerus pro introitu miſſæ, *Requiem*, &c. inciperet, ſtatim angelorum chori aſtantes, voces cantantium interrumpũt, martyris miſſam intonant, *Lætabitur iuſtus*, &c. Hic multis claret miraculis. Et Henricus, rex Anglię, miſit ſolennes ambaſiatores, & excuſauit ſe de nece eius; & crucẽ ſuſcepit poſt triennium. Sanctus vero Thomas non longe poſt canoniſatur ab Alexandro.

Anno mundi

Papæ.

Adrianus quartus annis v.

Anglicus.

Anno Chriſti

Iſte Adrianus natione Anglicus, fuit epiſcopus Albanenſis, vir magnanimus, & verbi Dei cum zelo prædicator egregius. Regem Siciliæ & Romanos compeſcuit cũ cenſuris. Ipſe ante legatus fuit in Norwergia, & gentem illam barbaricam conuertit, & inſtituit. Poſt electus in papam, officium ſuum honorificauit. Et dicitur, quod primus papa fuit, qui cum curia in vrbe veteri moram contraxit. Hic fecit gyronem in Radicafano, & turribus muniuit: & multa comparauit a comitib. circa locum ſanctæ Chriſtinæ. Sepultus eſt in Vaticano.

Hæreſis Waldenſium ſeu pauperum de Lugduno incepit; cuius inuentor fuit Waldenſis ciuis Lugdunenſis. Qui cum diues eſſet, relictis omnibus, paupertatem euangelicam ſeruare voluit. & ſcribi fecit aliquos libros Bibliorum in vulgari cum nonnullis ſanctorum auctoritatibus. qui minus ſane intelligens ſuo inflatus ſenſu, apoſtolorum officium vſurpauit: prædicando vbique, & ſuos ad prædicandum mittendo, errores plures ſeminauit. Moniti autem reſponderunt, Deo magis obediendum quam hominibus, prælatos & cleros aſpernando. Tandem contumaces excommunicati ſunt, & expulſi a patria: & poſt in concilio hęretici denunciati ſunt. Et factum eſt in grande malum & laqueum magnum ſimplicibus, & deuotis perſonis ſcandalum immenſum. Et vtinam hodie eſſet finis.

Olim ſancta fides catholica per potentes principes, per argutos philoſophos, per ſubtiles hæreticos, ac cæteros viros ſpectabiles impugnata fuerat. Diebus autem iſtis per viliſſi-

Almani qui apud Tusculanum pro Imperatore morabantur, Romanos apud montem portum inuadunt,& tot a nona vsque ad vesperas occiderunt, vt nunquam ex Romanis tot milia occisi legantur, licet tempore Hannibalis tot occisi sint, vt tres cophinos annulorum quos de digitis procerum occisorum idem Hannibal extrahi fecit, Carthaginem destinauerit,&c. Horum multi apud sanctum Stephanum & sanctum Laurentium sepulti sunt.& habent hoc epitaphium,

Mille decem decies † sex decies quoque seni.

Sanctus Richardus fuit hoc tempore, qui a Iudæis martyrisatus fuit Parisiis. & Iudæi expelluntur a regno.

Corpora sanctorum trium regum hoc tempore transferuntur de Mediolano ad Coloniam Agrippinam, per venerabilem Rainoldum archiepiscopum Colonien sem. Fuerunt namque hæc corpora sacratissima primo per Helenam Constantini matrẽ rapta, & de India ad Constantinopolim perducta: quæ postea Eustorgius episcopus Mediolanum transtulit: vbi vsque ad hæc tempora permanserunt. Sed cum Fridericus Imperator quasi cum innumerabili Almanorum exercitu Mediolanum obsedisset,& tandem cepisset,prædictus archiepiscopus qui tunc in comitatu Imperatoris erat,eadem corpora vix magnis precibus impetrauit, & Coloniam secum perduxit,&c. & extunc Colonia floruit.

Sanctus Bernardus canonisatur per Alexandrum : & propter concursum populi prohibuit eum abbas, ne plura miracula faceret: & obediuit mortuus.

VI^M CCCLXIII. VI^M CCCLXXIII.

Alexander III an. xxi. mens. xi. dieb. xix.

MCLXIIII. MCLXXIIII.

Iste Alexander vir strenuus fuit,& habuit longum schisma xvij annorum, & quatuor schismaticos vicit successiue,& excommunicauit eos:qui omnes mala morte perierũt. Pręualuit etiam contra Imperatorem,& ad vnionẽ reuocauit. Duo concilia celebrauit, vnum Turonis, aliud in Vrbe. Tandem omnib. non sine graui labore compositis,puta qui aduersus talem regem dimicauit, gloriose Romam reuertitur, & eos qui propter perseuerantiam eiecti fuerũt, restituit. Moritur post. sepultus cũ patribus suis in pace Christi. Item, idẽ papa ordinem Carthusien sium confirmauit, cum subscriptione omnium cardinalium,suscipiens eum sub protectione sancti Petri , & sua dando priuilegia aliqua, quibus Lucius & alij numero xi plurima superaddiderunt, & monasteria extruxerunt.

Schisma xx ecclesiæ grande fuit inter Alexandrum & quatuor schismaticos: sed Alexander obtinuit. Durauit annis xvij.

Ordo Wilhelmitarum a sancto Wilhelmo eremita, olim duce Aquileien si, nomen & originem traxit. Eius discipulus fuit sanctus Albertus eremita, qui ordinem istum educauit.

* mos idiotas ac laicos pauperrimos extitit non modice tribulata. Quasi dicat ecclesia, Iam vtique debeo affligi, si nec isti a tribulatione cessant, qui vita ipsa videbantur indigni, quorum conuersatio Deo & hominib. odibilis est, qui ad nihil quod est, valent, nisi quod mentiuntur me zelare, vt sic efficacius noceant. Fuerũt nihilominus postea quidam subtiliissimi hæretici, qui istam hæresim Waldensium defendere conabantur,& plura regna & populos deceperunt: cum quibus tandem miserabiliter exterminati, perierunt.

Berchtoldus dux de Zeringen filius Conradi Imperatoris olim ſecundi: qui dominabatur ab Argentinenſi ciuitate vſq; ad Valleſienſ. multas munitiones & oppida fundauit contra inſolentias tyrannorum, qui hoc tempore vulgum opprimebant. Ædificatoq; Friburgo in Briſgauia, ſecundum Friburg in Nochtlandia cõtra Sabaudos oppidum inexpugnabile exſtruxit, anno Domini mclxxix, & poſt duodecim annos Bernam.

Leodium capitur, deprædatur, vaſtatur, & mulieres ac virgines opprimuntur: religioſæ tamen ac timoratæ mirabiliter liberatæ fuerunt, nec alicuius pollutionis contagium paſſæ ſunt, ſicut Dominus oſtendit ſanctæ Mariæ de OEgnies. Vide in vita ipſius.

Hieruſalem iterũ permittente Deo capitur a Saracenis, & glorioſum ſepulcrum cũ ſancta cruce, propter peccata chriſtianorum, & præcipue luxuriæ & crapulæ. Nam rarus erat

Imperatores.

in monaſterijs, rariorq; in ſeculo, quem nõ morbus luxuriæ infeciſſet. Et quia tota terra ſordeſcebat facinoribus, ideo proiecit Dominus populum ſuum, inducens multas tribulationes ſuper ipſum, vt vel ſic ad eum contritus rediret. Paſſagium grande ordinatur hoc tempore: quod factum fuit tempore Clementis iij. & Fridericus Imperator crucem accepit, & multi principes cum eo. & factus eſt concurſus maximus: ſed parum profecerunt, nec aliquid recuperauerunt præter ſolum Achos.

Sancta Alpiadis, virgo ſanctiſſima, claret: quæ humiliter nata, ſubulca erat in terra Senonenſi. cibo ſpirituali vtebatur, ſed nullo corporali: tamen venuſta facie. Multas habuit reuelationes.

Anno mundi VI^M CCCLXXXIII.

Papæ. Lucius III annis iiij. menſ.ij. dieb.xviij. — Tuſcus. — Vrbanus III anno i. menſ.x. dieb.xxvi. — Lombardus. — Gregorius VIII menſij.

Anno Chriſti MCLXXXIIII.

Iſte Lucius fuit epiſc. Oſtienſ. qui poſt Veronæ moritur, habens tale epitaphium,

Luca dedit lucẽ tibi, Luci; pontificatum
Oſtia, papatum Roma, Verona mori.
Imo Verona dedit verũ tibi viuere, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

Pulcri verſus quaſi quoddam apologeticum, &c.

Iſte Vrbanus fuit oriundus de ciuitate Mediolanenſi. ad eum venit Ioachim de Calabria. Hic cũ audiſſet captam Hieruſalem a Saracenis, nimio dolore tactus obijt. ſepultus in Ferraria.

Iſte Gregorius natione Beneuentanus, magnum zelum habuit pro terra ſancta, & cœpit practicare de modo recuperandi eã ſed ſtatim obijt Piſis.

Sanctus Bertoldus Carmelici montis Hermicõlis ab Aimerico Antiocheno patriarcha in Priorem aſſignatus, fama celebriori multis innoteſcit. Hic inter cætera præclaræ ſuæ ſanctitatis indicia, animas quamplurimũm fratrum, quas Saracenorũ abſumpſit gladius, cum corona martyrij ab angelis in cœlum deferri vidit.

Abbas Ioachim fuit, qui plurima prædixit, & ſcripſit. & in quibuſdam errauit, vt patet in principio decretalium. Sciſcitantibus etiam principibus, an ire deberẽt ad terram ſanctam, reſpondit, Non: quia tempus nondum aduenisſet.

Sanctus Hugo epiſcopus Lingonienſis, ordinis Carthuſienſium in Anglia innumeris claret miraculis hoc tempore.

Sanctus Anshelmus epiſc. Bleſinenſis, ordinis Carthuſienſium, claret bona vita.

Prodigia magna apparuerunt inter Clarummontem & Compendium: quia lapides quadrangulares ad quantitatem ouorum cadebant: & fulgura cremantia villas. & corui in rostris carbones ignitos portantes, incendentes domos ac villas, & multi ictibus fulminis perierunt. Vide in speculo Vincentij.

Regnum Tartarorũ incepit, & creuit valde: & vsq; hodie est maius in orbe, & fecerunt plagam in mundo maximam.

Liuonia regio Septentrionalis magna conuertitur ad Christum pro parte.

Henricus quintus annis viij.

Philippus annis xij.

Iste Henricus fuit filius Friderici, & accepit Constantiam filiam regis Sicilię in vxorem, occasione cuius subiugauit sibi totum regnum Apuliæ, fugatis illis qui illud tenebant.

Schisma oritur post mortem Henrici. Nam quidam elegerunt Philippum, ducem Sueuiæ, fratrem eiusdem Henrici. Alij Othonem, filiũ ducis Saxoniæ. Et facta est altercatio magna, & bella in Almania. Tandem Otho pręualuit, quia papa Innocentius tenuit cum eo. Philippus enim statim post pacem, quã cum Othone fecit, interfectus est dolose a Lantgrauio; & sic Otho obtinuit, & Romam veniens ab Innocentio coronatur contra consilium multorum & voluntatem. Et versa est benedictio in maledictionem: quia eodem die facto iuramento contra ecclesiam cœpit tyrannisare stolidissime. Quare statim excommunicatur, & deponitur: & tandem in contumacia moritur.

VI^M CCCXCIII.

Clemens III an. iij. dieb. xvi.

Romanus.

Cælestinus III an. vi. mens. viij. dieb. xi.

Romanus.

MCXCIIII.

Iste Clemens ordinauit monasterium extra murum, quod dicitur sancti Laurentij; & quædã alia ædificia. Eius tempore factũ est passagiũ magnũ, contradicente abbate Ioachim: quia nondum venisset tempus.

Iste Cælestin^9 in die sancto Paschæ coronatur; & die sequenti coronauit Henricũ Imperatorẽ. Ipse etiam fecit fieri palatiũ apud sanctũ Petrũ.

Ordo Teutonicorum dominorũ incepit circa hæc tempora in Prussia sub Cælestino papa tertio. ortum habuit ex ordine sancti Iohannis Hierosolymitani.

Ordo sanctæ trinitatis circa idem tempus incepit.

Berna conditur.

Berna ciuitas Imperialis cõditur anno Dõmini mcxci. Berchtoldus nãq; dux de Zeringen inclytissimus, iã plurib. monasterijs ac munitionib. ædificatis, denuo hunc locũ nemorũ vastitate cõdensum humanis habitationibus aptũ perlustrãs, vrsum quendam venustissimum arte venatoria ibidẽ cepit: a quo prædicto loco nomẽ imposuit. Nam vrsus, lingua Teutonica *beer* sonat, &c. Vnde hæc ciuitas robustissimos viros tanquam vrsos, enutrire consueuit: qui prę cæteris confœderatis iustitiæ zelatores, multorum tyrannorum colla Dei virtute calcarunt.

Sexta ætas:

Constantinopolis recuperatur a christianis: & Balduinus comes Flandriæ imperator ibi efficitur. Crux prædicatur quinq; vicibus. & hoc in aere ostẽsum fuit: quia cruces diuersorum colorum quinque numero in aere patenter resplenduerunt. Crucesignati plures glorioſiſſime euolarunt ad cœlum: & quidam diuinitus punitus fuit, eo quod crucem prædicare noluit. Rex Aphricæ christianis bellum intulit; & fugatus est. perieruntq; amplius quam c^{m} Saracenorum.

Imperatores. Otho IIII annis ij.

Nota, quod circa hæc tẽpora leguntur miracula glorioſa. & plurimæ reuelationes factę ſunt de iniquis mercantijs & vſuris. Et in vita ſanctæ Mariæ de OEgnis fit mẽtio de quadã vidua optimæ vitæ; cui beata virgo cũ ſancto Petro & multitudine angelorum aſtitit in agonia: & vix dæmones abegerũt. & tandem Dominus met aduenit, & funeris officium adimpleuit. Nec tamẽ propter hæc pœnas purgatorij euaſit: maritus enim eius mercator fuit, & quædam per fraudem acquiſierat. quoſdam etiam de familia ducis Louaniæ hoſpitio exceperat; qui de iniuſte acquiſitis in eius domo multa expendebant, de quib. perfecte nondum reſtitutionem fecerant. Ideo anima huius tam ſanctæ viduæ purgatorij ignibus exurebatur. Nota lector gratioſam prouidentiam Dei. Quando hæc mulier erat in ſtatu mutabilitatis, ne ex vehementia doloris vel timoris in peccatum decideret, conſolata eſt a beata virgine, a ſancto Petro. quando autẽ per mortem euaſit periculum amplius peccandi, iuſtitiæ rigorem experta eſt. Pœna enim eius fuit dilata, non ſoluta.

Anno mundi VI^{M} CCCCIII.

Papæ. Innocẽtius III a. xviij. menſ. iiij. dieb. xxiiij

Campanus.

Wilhelmus Pariſienſis incepit ordinem Auguſtinenſium, qui dicuntur mendicantes.

Albertus patriarcha Hieroſolymitanus, ordinẽ Carmelitarũ inſtituit in mõte Carmelo.

Anno Chriſti MCCIIII.

Iſte Innocentius magnis laudib. extollitur: quia vtilis fuit valde eccleſiæ Dei. quod opera eius teſtantur. Nam fecit fieri hoſpitale ſancti Spiritus. & renouauit eccleſiã ſancti Xyſti. Compoſuit decretales ſermones, ac librũ de miſeria humanæ conditionis, & multa glorioſa alia. Ipſe coronauit Othonem, & etiam depoſuit: quia nõ ſeruauit fidelitatem. hæreſes plures damnauit, ſcilicet Albienſ. contra quos crucẽ prædicari fecit: item Almerici: & librum abbatis Ioachim contra Petrum Lombardum. Confirmauit ſanctum Hugonẽ Linconienſem Carthuſienſis ordinis. Tandem poſt plura bona pacem faciendo inter Piſanos & Ianuenſ. moritur apud Peruſiam, & ibidem ſepelitur. Hic conſtituit, quod vltra quartum gradum conſanguinitatis licite matrimonium contrahatur. Item quod chriſtiani non ſeruiant Iudæis in domibus vel in agris. Item quod Iudæi portent veſtes, quib. omni tempore cognoſcantur: & non permittantur in diebus lamentationum prodire in publicum: imo feneſtras & ianuas claudere compellantur. nec nouas ſynagogas erigant, ſed antiquas reficere poſſunt, & non ampliare.

Dominicus Hiſpanus vir ſanctus, apoſtolicæ perfectionis æmulator, mirabili zelo perſequitur hæreticos, miraculis claret, & ordinem Iacobitarum ſiue Prædicatorum inſtituit.

Franciſcus Italicus, vir incomparabilis feruoris, ac ſummæ perfectionis, paupertatis euangelicæ exemplar perlucidum, multis claret miraculis. & ordinem Minorum inſtituit.

Maria de OEgnes claret miraculis in diœceſi Leodienſi. Et multæ aliæ virgines, viduæ, & ſanctæ maritatæ fuerunt ibidem.

Sancta Clara fulget virtutibus.

Pueri de Almania xx^m & amplius, diabolica machinatione decepti, cruce signantur, quasi Deus per eos vellet recuperare terram sanctam, secundum illud, *Ex ore infantium*, &c. Sed cum ad mare venissent, a piratis dolose in nauibus rapiuntur, quasi eos ad Ierusalem ducere promittentibus. verum multos submerserunt, & alios vendiderunt Saracenis. Et sic patet, quid de similibus in futurum faciendum sit, si similis casus occurreret. Pastores pecorum similiter de Hispania cõuenientes, cum turba graui Parisios venerunt, & omnia bona cleri vastarunt, inuidis plebib. gratulantibus. sed cũ etiam laicorũ bona cœpissent deuorare, statim expugnati fuerũt, & perempti. Et sic patet, quod diabolus etiam suas cruces prædicauit.

Fridericus II an. xxx.

Iste Fridericus fuit filius Henrici prædicti: & electus fuit contra Othonẽ, vt eũ expugnaret: quod & fecit. Et extunc incepit ecclesiã laniare. quare excommunicatur & deponitur per Honorium qui eũ coronauit. & multa mala fecit, & cõtumax diu permansit. & morte præuentus sine sacramẽtis a proprio filio suffocatur. Sic iterũ multa exemplа hic sunt de persecutorib. ecclesię, quam miserabiliter perierunt. Ipse etiam filium suum Henricũ suffocauit. quapropter ab alio filio suo cũ ægrotaret, suffocatus fuit, tempore Innocentij papæ quarti.

Simon comes Montisfortis, velut alter Carolus, mirabiliter triumphauit contra hæreticos, habẽs secũ episcopos & abbates sanctos, præcipue sanctũ Dominicum. Fugauit aliquando c^m hæreticorũ cũ paucis, puta viij milibus catholicis.

Cõciliũ Lateranẽse in Vrbe mcccxv prælatorum.

VI^M CCCCXIII.

Honorius III an. x. mens. viij. die. xxviij.

Romanus.

MCCXIIII.

Iste Honorius multos honorauit, & canonizauit plures sanctos. Fridericum coronauit, & etiã deposuit, propter rebellionẽ. Ecclesiam sancti Laurentij extra muros, & basilicã quæ dicitur Sancta sanctorũ, renouauit. Decretales cõposuit. ordinẽ Prędicatorũ & Minorũ confirmauit. Tandem moritur, & sepelitur Romæ in ecclesia beatæ Mariæ maioris.

Ordo Cruciferorum circa hęc tempora renouatus est per Innocentiũ tertiũ, anno pontificatus sui xviij, iam deuicta hæresi Albiensiũ per cruce signatos. Fertur beatũ Quiriacum Hierosolymitanũ episc. olim huius ordinis primicerium extitisse statim postea quam sancta Helena crucem inuenit: sed Iulianus apostata eundem Quiriacum cum fratribus occidit. & sic longo tempore idem ordo abolitus fuit. tempore autem Innocentij iiij apud Lugdunum creuit, & priuilegijs dotatus est ab eodem.

Guilhelmus episc. Niuernens. vir sanctus & doctissimus, claret: qui duo milia pauperũ tempore famis quotidie pascebat.

Hierusalem destruitur vsq; ad solum, excepto templo & ciuitate Dauid, a Corradino filio Staphadim.

Stephanus sanctus Pater & Prior domus portarũ ordinis Carthusiensium: & post episcopus Digensis.

Ordines iiij mendicantiũ, videlicet Prędicatorum, Minorũ, Augustinensiũ, & Carmelitarum, confirmantur ab Honorio, &c. Præponuntur tamen Prædicatores Minoribus, in literis papalibus: quia vi mensibus ante ipsos confirmati fuerunt.

Ludouicus filius regis Ceciliæ, frater Minor, vir sanctus, hoc tempore clarus habetur.

Lapis grandis cecidit in monasterio sancti Gabrielis, habēs signū sanctę crucis, & imaginē Christi expressam, & desuper aureis literis scriptū, *Iesus Nazarenus rex Iudæorum*. & cæcum illuminauit. Frisia pene tota submergitur fluctibus marinis; in qua perierunt plusquā c^m hominum, propter irreuerentiam factam sacramento a quodam pugile, sicut postea reuelauit beata virgo Maria. Et constructa est ecclesia in eodem loco vbi hostiæ ceciderunt; & cessauit quassatio. Tartari deuastant horribiliter Vngariam & Poloniam. & fit ingēs terror in christianitate. sed precibus sanctorum impediti sunt ne procederent.

Vacat Imperium multo tempore post depositionem Friderici, & etiā post eius mortem. Et ideo plures anni asscribuntur Friderico, licet paucis iuste in ecclesiæ obedientia regnauerit: quia non statim alius in locū eius electus fuit. Mons quidam maximus in Burgundia inferiori diuiditur, & currit per multa miliaria, & quinque milia hominum suffocauit: & tandem ad alios montes accessit mirabiliter.

Decretales compilantur per Raimundum ordinis Prædicatorū, de mandato Gregorij ix; & ad studia mittuntur.

Sancta Elizabeth filia regis Vngariæ, vidua, omni virtute & sancta vita plenissima.

Thomas de Aquino, doctor sanctus, claret.
Albertus Magnus episcopus Ratisponensis, de quo mira dicuntur.
Eustathius (qui & Bonauentura) doctor deuotus.
Alexander de Halis, doctor irrefragabilis.
Vincentius speculator omnem materiam scibilem collegit.

Anno mundi	VI^M CCCCXXIII.	VI^M CCCCXXXIII.
Papæ.	Campanus. Gregorius IX an. xiiij.	Mediolanus. Cælestinus IIII dieb. xvij.
Anno Christi	MCCXXIIII.	MCCXXXIIII.

Iste Gregorius plures canonisauit: & contra Fridericum constanter ecclesiam defendit. & Romanos corruptos pecunia, facta processione solenni a Laterano vsq; ad sanctū Petrum, cum capitibus apostolorum, mirabiliter reuocauit, ita vt contra Fridericum pene omnes cruce signarentur. Quapropter idem Fridericus ab Vrbe recessit longius. Ipse librum decretalium per Raimundum compilari fecit. Tandem plenus tribulationibus propter tyrannidem Friderici, & aliorum, moriens, migrauit ad Christum.

Iste Cælestinus vita & scientia laudabilis, senex & debilis moritur. sepultus in ecclesia sancti Petri. Fuit episcopus Sabinensis.

Sanctus Angelus Hierosolymitanus Carmelita, vir sanctioribus adnumerandus, nominis sui vere speculum, velut nubes imbrifera prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas; cui etiam tandē post plura miracula effusione proprij sanguinis, mortis vicem reddidit.

Sanctus Cyrillus, Græcus, melliflui Carmeli Prior, doctorque tum vitæ sanctitate, tum prophetiæ spiritu conspicuus, multa conscribit posteris profutura seculis: & copiosis miraculis Dei procurat gloriam, mundoque stuporem.

Petrus de Tarentasia, postea papa; & plures alij sancti & literati floruerunt in diuersis mundi partibus: quos diuina bonitas misit pro fidei defensione: alioquin tota pene fides perijsset, propter hæreticorum multiplicitatem, & subtilitatem simul, & potentiam.

Hugo Cardinalis, qui tota Biblia postillauit.
Magister Iordanus sanctus, doctor mirabilis.
Magister Vdalricus, discipulus Alberti.

Iudæus quidam in Hiſpania apud Toletum fodiendo inuenit lapidem, in quo erat liber vetuſtiſſimus, in quo ſcriptū erat, *In tertio mundo filius Dei naſcetur de virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur*. & quod liber deberet inueniri iſto tempore, ſcilicet Ferandi virginis Caſtellæ. Et ſtatim Iudæus baptiſatur cum omni familia ſua. Ludouicus rex Franciæ, vir ſanctus, crucē accepit, & transfretauit mare, & capitur. & multa de ipſo laude digna ſcripta inuenies. Vaticiniū quoddā ſacrilegū de ceſſatione euangelij Chriſti, & euacuatione ſacramentorū eccleſię ante annos Domini mcclx. quod experientia temporis exufflauit. Plura talia taliter mendoſa reperies facta & dicta.

Henricus VI an. iiij.

Lantgrauius Thuringiæ: bonus chriſtianus moritur in Turcia, miraculis clarus.

Peregrinus quidā beatæ Marię occiditur clam in diœceſi Andegauenſi. Et ſtatim cultellus homicidæ non ceſſauit ſtillare ſanguinē, donec ſuſpenderetur interfector iſte.

Wilhelmus annis ix.

Comes Holandiæ.

Iſti duo fuerunt electi ex mandato domini papæ contra Fridericum, ſucceſſiue: ſed non prævaluerunt tyrannidē eius ſuperare, quia potens nimis erat: nec fuerunt coronati morte præueniente. Vltimus horum interfectus fuit a Friſonibus, qui fuit ante comes Holandiæ.

Edmundus archiepiſcopus Cantuarienſis canoniſatur ab Innocentio.

Petrus nouus martyr ab hæreticis occiditur, multis clarus miraculis.

Staniſlaus epiſcopus Cracouienſis, ab iniquo principe interfectus eſt.

VI^{M} CCCCXLIII. VI^{M} CCCCLIII.

Ianuenſis.

Innocentius quartus annis xi. menſ. vi.

Alexander IIII an. vij. menſ. iij. dieb. iiij.

Campanus.

MCCXLIIII. MCCLIIII.

Iſte Innocentius plures canoniſauit. Fridericum per ſententiam diffinitiuam depoſuit, & anathematiſauit tanquam hoſtem eccleſiæ, anno ſui pontificatus, adiutus a Ianuenſibus. Tandem mortuo Friderico, idem papa cum magno exercitu Apuliam ingreditur. & poſt paululum Neapoli moritur. Sedes cardinaliū diu vacuæ reſtaurantur de perſonis ex diuerſis mundi partib. electis per Innoc. O frequens Saracenorū inſultus! Fratres ordinis Deiferę Marię de Carmelo, a tranſmarinis partibus, vbi in pluribus locis multiplicati fuerant, in ciſmarinis venerunt paulatiue: diuerſas regiones orbis incoluerunt, teſte Vincent. in Spec. hiſtor.

Iſte Alexander quendā Manfredum pſeudoregē Siciliæ, excommunicauit. Duos falſos libros cōdemnauit, loquentes cōtra mendicitatem & euangelium Chriſti. Moritur tandem Viterbij, & ibidem ſepelitur.

Martinus qui chronica abbreuiauit.

Alexander de Villa Dei, ordinis Minorum, qui doctrinale compilauit, vir ſanctus, ac theologiæ ſacræ profeſſor, claret.

Sancta Clara canoniſatur ab Alexandro quarto, circa annū Domini mcclIiij.

Contra pluralitatem beneficiorum facta eſt illa ſolennis diſputatio Pariſijs anno Domini mccxxxviij: in qua determinatum eſt per ſanctos doctores, quod nemo ſine periculo peccati mortalis tenere poteſt duo beneficia, quorum alterum ſufficeret ad ſuſtentationem ſuam, &c. Et quidam quos auaritia excæcauit, aliter opinati, fecerūt contrarium: quos flagellum diuinæ iuſtitiæ horribiliter damnauit, & puniuit. De hoc ſunt plura ſcripta & exempla in diuerſis locis, &c. Dicit quidam ſanctus doctor, quod medietas miniſtro-*

Sexta ætas:

Superiores Almani qui Swiceri vocantur, pauci quidē numero, plures nobiliū tyrannos qui eos iniuſtis exactionib. opprimebāt, diuino ſuffulti ſuffragio de finib. eorū potenter expugnāt, & ſe deinceps fraterno fœdere cōglobantes, multa bella admiratione digna, eccleſias, orphanos ac viduas defendendo, geſſerunt: & nominati ſunt in orbe.

Alphonſus.

Æra Alphonſi famoſiſſima apud aſtronomos. & eſt anno Chriſti mccli. Quod nota diligenter: quia ad multum deſeruit in aſtronomia.

Paſſagiū grāde factū eſt, in quo ſanctus Ludouic⁹ rex Frācię fuit, parū ꝓfecit.

Poſt longam imperij vacationē electores in duo ſe diuidentes, hos duos, videlicet Alphonſum regem Caſtellæ & Legionis, & Richardum comitē Cornubiæ, fratrem regis Angliæ, elegerunt. Et fuit ſchiſma annis multis. Tandem mortuo Richardo, Alphonſus coram Gregorio x, intuitu pacis, volūtarie ceſſit omni iuri ſi quod haberet. erat enim vir prudens, & maximus aſtronomus. Eius tabulæ famoſę ſunt, quas fecit: quia compendioſæ. Feſtū venerabilis ſacramenti inſtituitur per Vrbanum iiij, cum indulgentijs.

Imperatores annis xv ſimul. ſchiſma.

Richardus.

Concilium Lugdunēſe D epiſcoporum, & XL abbatū, & aliorū prælatorū circa M, celebratur per Gregorium x: vbi Greci & quidam Tartari ſolennes baptiſati fuerunt.

Anno mundi VI^M CCCCLXIII.

Papæ. Vrbanus IIII an. iij. menſ. i. dieb. iiij. — Gallicus. — Clemens IIII an. iij. menſ. ix. dieb. xxv. — Prouincialis. — Gregorius decimus annis iiij. dieb. x. — Lombardus.

Anno Chriſti MCCLXIIII.

Iſte Vrbanus fugauit exercitū Saracenorū per cruce ſignatos, quē Manfredus contra eccleſiā miſerat: & contulit regnū Sicilię comiti Prouinciæ, qui fuit frater regis Frāciæ, vt fugaret Manfredum. Tandem moritur Peruſię, & ibidē ſepelitur. & Manfredus poſtea vita & regno priuatur per Carolum.

Iſte Clemens ſanctus fuit, & prophetico ſpiritu prædixit, hoſtes eccleſiæ tanquam fumū perituros. vnde creditur, quod Deus eius meritis tribulationes plurimas extinxit. Hic habuit antea vxorem & liberos.

Iſte Gregorius ſatis accidentaliter venit ad papatum: quia cum eſſet archidiaconus Leodienſis, & ideuiſſet vltra mare cauſſa deuotionis, ibidem exiſtēs in papam eligitur. Verſus,

Papatus munus tulit archidiaconus vnus. Hunc patrem patrū fecit concordia fratrū.

Verū hoc a Spiritu ſancto factum nō dubiū eſt, quia valde bene ſe habuit, non intendens pecuniarum lucris, ſed eleemoſynis pauperum. Fecit etiā ordinationem vnam quinq; epiſcoporū cardinaliū quamplurimum laudabilē, quia honeſtas & valentes perſonas aſſumpſit. Moritur tandē Aretij. ſepultus ibidem honorifice.

Benedictum ſit dulce nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & glorioſiſſimæ virginis Marię matris eius, in æternū, & vltra. Amē. *Nos cum prole pia benedicat virgo Maria.* Amen. Quicunq; hæc legerit totiens quotiens, habet tres annos indulgentiarū, quos Clemens conceſſit, ob rogatum Ludouici ſancti regis Franciæ, ſolenniter.

Speculum hiſtoriæ Vincentij hic finitur.

*rum Dei eſt quaſi reſecata per hoc genus auaritię, quod vnus plura beneficia permittitur habere. Sed quia vel vnum poteſt digne adminiſtrare, aut proprijs pro peccatis ſatisfacere.

Piscis marinus in similitudinem leonis captus fuit anno primo Martini papæ, & dabat planctus horribiles: & adductus in vrbem veterem, cunctis ostensus est, quoniã monstrum hoc, vulgo interpretante, esset signum futuri dissidij. quod & factum est: quia statim post Sicilia interfectis alienigenis, & fœtibus in materno vtero occisis, crudeliter ab obedientia Caroli sui regis, & per consequens ecclesiæ recessit, & Petrum Arragonũ regẽ assumpsit. & multa mala secuta sunt. Et in Vrbe partialitas surrexit: quia Vrsini contra Hanibaldos cum multa sanguinis effusione pugnarunt. Item & inter Saracenos multa milia occisa fuerunt. Et ideo non mirũ quod patrimoniũ ecclesiæ patitur solito more, quia tempus est vt iudiciũ incipiat ab ecclesia Dei. Verum Carolus non longe ante Martinum obijt bene dispositis singulis, & deuote sacramentatus: Petrus vero inobedientiæ filius infeliciter mortuus est ex vulnere quod in bello susceperat, sicut solent mori persecutores ecclesiæ: quia durum est fragili homini contra stimulum calcitrare.

Rudolphus annis xviij.

Iste Rudolphus fuit comes de Habsburg, probus, & in armis strenuus, & prudens, electus apud Basileam. Hic oppidum Paterniacense obsidens, auxilio Bernensium cepit. Post aliquos vero annos, per certos nobiles, inimicos pacis, contra Bernenses prouocatus, Bernam diu inaniter obsedit. Gnanus autem quidam quem secum ducebat, cum iam ab obsidione recederet, Bernam inspiciens, ipsam dominandam toti patriæ, spiritu prophetico prędixit. Tandem idem Imperator crucem susceperat pro terra sancta.

VI^M CCCCLXIII. VI^M CCCCLXXIII.

Innocentius quintus mens. v. dieb. ij. — Lombardus.

Adrianus quintus mense i. dieb. ix. — Ianuensis.

Iohannes XXI mẽs. viij. — Hispanus.

Nicolaus tertius annis i. mens. ix. — Romanus.

Martinus quartus annis iiij. mens. i. — Gallicus.

MCCLXIIII. MCCLXXIIII.

Iste Innocẽtius fuit de ordine Prædicatorũ, famosus doctor, antea vocatus Petrus de Tarentasia. Moritur statim Romæ, & sepultus est in Laterano.

Iste Adrianus fuit nepos Innocentij quarti. & etiam statim moritur Viterbij, ibique sepelitur.

Iste Iohannes fuit scientijs diuersis famosus, sed moribus stolidus, omnib. tamen cõmunis. Hic cũ diceret diu victurũ se, statim cum camera noua corruit, & mortuus est Viterbij.

Iste Nicolaus magnific⁹ fuit in ædificijs extruendis, & bene rexit Vrbẽ diebus suis: & ordinationem cardinaliũ fecit anno primo pontificatus sui: & secundo moritur. vnde sequitur turbatio Romanorum, propter patriam Vrsinorum & Hanibaldensium, & homicidia.

Iste Martinus fuit religiosorum amator, & pijs operibus valde intentus. Hic excõmunicauit Imperatorẽ Constantinopolitanum, eo quod non redierat ad fidem, sicut promisit in cõcilio Lugdunensi. propter quod multa passus fuit, & tota ecclesia simul. similiter & Petrum regem Arragoniæ, inuasorem regni Siciliæ, excommunicauit. Tandem post multa bella quæ instruxit contra perfidos Iudæos, & tribulationes, moritur Perusiæ, miraculis clarens.

Iordanus Teutonicus, doctor solennis, & magister secundus in ordine Prædicatorum, clarus & sanctus habetur.

Cometa visus est, signum mali: quia plura secuta sunt afflictiua christianitatis. Tartari inuadunt regnum Constantinopolitanum, multasq; terras Imperij occupant, stragem indicibilem de hominibus facientes.

Tripolis capitur a Saracenis, & christianitatis nomen ibidem deletur.

Achon illa fortissima & inexpugnabilis ciuitas capitur a Soldano & Saracenis, propter discordiam vitiaq; nationum in ea commorantiũ, & deleta fuit: & consequenter tota simul terra sancta occupatur a Saracenis, propter nimia peccata christianorum qui ibidem morabantur. Hoc etiam tempore christiani perdiderunt cũ Achone xv ciuitates nobiles, & xij castra, occisis ccc^m^ christianorum. Quod maxime euenit propter diuersum dominium, & regentes ciuitatem non concordabant: & etiam propter stultitiam cruce signatorum.

Imperatores.

Bellum maximum & graue inter Ianuenses & Pisanos, occasione insulæ Corsicæ. Tandem in mari Pisani victi sunt & capti, plusquam xij^m^ hominum qui interfecti sunt, & perdiderunt xlviij galeas, exceptis alijs nauigijs, & præter illas quæ submersæ sunt in mari. Terræmõtus etiam magni fuerunt in Tuscia, signantes mala multa quæ secuta sunt ibidem.

Franciscus Petrarcha, poeta, & erẽmita, hoc tempore claret: qui scripsit plura eleganti stylo.

Anno mundi VI^m^ CCCCLXXXIII.

Papæ. Honorius quartus annis ij. die i. Romanus. Nicolaus quartus annis iiij. mense i. Lombardus. Cęlestinus quintus mens. v. dieb. v.

Anno Christi MCCLXXXIIII.

Iste Honorius fuit homo temperatus, & magnę discretionis, libenter habẽs pacem, nulli læsiuus. Hic prędicari fecit crucẽ contra Petrum, inuasorem regni Siciliæ.

Carmelitæ huius tẽpore dimissis mantellis varijs, cappas albas sumpserunt.

Iste Nicolaus fuit dictus frater Hieronymus, minister generalis in ordine Minorũ. qui, licet bonus homo in se fuerit: tamen multa infelicia ecclesiæ suo tẽpore acciderunt. Nam multa bella orta fuerunt in Vrbe ipsius occasione: quia nimis adhæsit vni parti. Post hunc vacauit sedes annis ij, mensibus sex.

Iste Cælestinus totus sanctus fuit, & ob hoc cũ per annos duos cum medio cardinales cõcordari nõ possent, ipsum tandẽ de eremo provocantes, elegerunt. Et statim propter onus, papatui resignauit. Et ab eo dictus est ordo Cælestinorum. Canonisatus est per primum Clementem sub nomine sancti Petri confessoris. Cuius festum est xiiij Kalend. Iunij.

Ordo Cælestinorum inchoatur per virum sanctum Cælestinum, qui in papam electus est: nec vnquam a proposito sancto cecidit vsque hodie.

Nicolaus de Lyra, doctor Theologiæ, clarus habetur Parisijs. Hic fuit Iudæus natione: conuersus autem valde profecit in ordine Minorum: scripsit super tota Biblia, & alia. Et fuit anno Domini mcccxxx. Vide in libris suis. Alij dicunt, quod fuit de Brabantia, de parentibus christianis, sed ob paupertatem visitauit scholas Iudæorum, & sic didicit linguam illam. Vel, iste Nicolaus a Iudæis informatus est in pueritia.

Cometa apparuit. & sequitur statim bellū Flandrense, vbi cecidit flos militiæ Gallicanæ. anno Domini mcccij.



Terræmotus etiam magni fuerunt, nec ausi fuerunt homines manere in ciuitatibus, & papa Bonifacius quiescebat in prato.

Wernherus puer sanctus, rusticanus, martyrisatur a Iudæis. requiescit in Beracō.

Eodem tempore, scilicet anno Domini mcclxxviij, quidam alius puer, nomine Rudolphus, similiter a perfidis Iudæis martyrisatus est in Berna: qui multis miraculis claruit. Iudæi vero sceleris huius perpetratores a Bernensibus mortis sententia plectuntur.

Adulphus anniis vi.

Hac occasione Rudolphus Imperator Bernam cum xxx^{m} pugnatorum obsedit: sed tamen parum profecit.

Iste Adulphus fuit comes de Anaxone. & non fuit coronatus per papam: quia obijt in bello quod cum Alberto duce Austriæ habuit.

Nobilissima Aconensium ciuitate a Saracenis destructa, demum Deiferæ Marię in Carmelo monasterium ad iiij miliaria ciuitati vicinum ab eisdem igne crematur, fratribus inuentis in eo perfidorū gladijs trucidatis. & tunc (proh dolor) ordo Carmelicus mellifluum locū ex toto perdidit, in quo a tēpore Heliæ & Helisæi ꝓphetarū ij^{m} ccxxi annis perstiterat.

Sanctus Ludouicus olim rex Franciæ canonisatur hoc tempore per Bonifacium papam octauum.

Alanus doctor vniuersalis claret in Burgundia. Hic ad tēpus pœnā taciturnitatis incurrit corā pluribus, eo quod in principio sermonis diuinū auxiliū more solito non inuocasset.

VI^{M} CCCCXCIII.

Bonifacius octauus annis viij. mens. ix.

Campanus.

Benedictus vndecimus mens. viij. dieb. xvij.

MCCXCIIII.

Iste Bonifacius fuit vir in his quæ ad curiam pertinēt, experientissimus. Et quia parem non habuit prudentiæ suæ, vltra modum in tantam arrogantiā erexit seipsum, vt dominū totius mundi se diceret tam in temporalibus, quam in spiritualibus. Et multa magnifice fecit, quæ in fine miserabiliter defecerunt. Deditq; exemplum cunctis prælatis, ne alta saperent, sed forma facti gregis, magis studerent amari a subditis, quam timeri. Hic est, de quo dicitur, quod intrauit vt vulpes, vixit vt leo; & moritur vt canis, &c. Sepultus est Romæ.

Iubilæus instituitur a Bonifacio de centesimo in centesimū semper duraturus. Et fuit primus Iubilæus anno mxxx.

Liber sextus decretaliū publicatur, & fuit missus ad studia vniuersalia per Bonifacium octauum.

Festum quatuor euangelistarum, & quatuor doctorum instituitur, scilicet Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregorij.

Sanctus Albertus de Tarpano, Carmelita Siculus, vir meritis, signis, doctrinaque clarus, ac totius perfectionis exemplar, vij Idus Augusti migrauit ad Dominum.

Iste Benedictus vir sanctus fuit, de ordine Prædicatorum, & parū superuixit: & obijt Perusiæ. ibidē sepultus in ecclesia Prędicatorum, miraculis coruscans. Hic suborta dissidium inter regem Francorum & Bonifaciū sedauit, & priuilegia restituit & libertates quibus rex priuatus erat. Et vacauit sedes per annum sequentem & plus, propter discordiam cardinalium qui tunc fuerunt.

Iohannes Scotus, doctor subtilis, claret.

Iohannes Andreæ iurista maximus, claret Bononiæ: qui plura scripsit solenniter.

Rhodus insula capitur de manib. Turcorũ per dominos ordinis sancti Iohannis Hierosolymitani, cũ quinq; adiacentibus. & fuit bellatũ annis iiij: & finaliter christiani obtinuerũt.

Templarij destruuntur subito, mirantibus vniuersis quomodo tanti domini sic inspera-
te perimuntur. magister ordinis cõburitur Parisijs. Causa autẽ publicata fuit postea, quæ fuit
vana professio cum abnegatione Christi, & expuitione supra crucẽ in opprobrium eruci-
fixi, prout plures eorũ confessi fuerunt. Et stetit ordo iste annis clxxxiiij.

Iudæi expelluntur de regno Franciæ, omnib. eorũ bonis cõfiscatis, illuc minime reuersuri.

Imperatores.

Albertus primus annis x.

Iste Albertus fuit dux Austriæ, filiꝰ Rudolphi prædicti. Hic primũ a Bonifacio reprobatus, deinde ab eodẽ cõfirmatus, propter regẽ Frãciæ tunc inimicũ ecclesiæ. cui etiã Alberto idẽ papa regnũ Franciæ subiecit, sicut & alia regna: sed nihil profuit. Tandẽ occiditur a nepote suo.

Henricus septimus annis v.

Iste Henricus fuit comes Lutzenburgensis, in militaribus actibus strenuissimus: pacẽ per terrã & aquam tenere cupiuit. victor glorioſus, & bellator inuictus extitit. & fuit coronatus a Clemẽte quinto. Tandẽ intoxicatus fuit, sumendo eu-

Concilium Viennense, in quo præsedit Clemens.

In isto concilio multa statuta fuerunt pro salubri regimine ecclesiæ, & hæresium extirpatione. Et Minores intra se tumultuantes, concordati fuerunt: pars vna dicta fuit spiritualium: alia vtique non habuit vocabulum hoc.

Anno mundi VIm DIII.

Papæ.

Clemens v an. viij. mens. x.

Iohannes xxii an. xviij.

Anno Christi MCCCIIII.

Iste Clemens fuit tantæ prærogatiuæ in expediẽdis negotijs ecclesiæ, quæ tunc plurima fuerunt, vt etiã absens eligeretur. Conciliũ celebrauit Viẽnense, & librum vij decretalium, qui vulgariter Clementinarum dicitur, compilari fecit. Inquisitores cõtra Templarios misit, Venetos superauit, regulam Minorũ declarauit, Templarios condemnauit, & ordinẽ sancti Iohannis Hierosolymitani exaltauit. Tandem post multa, quæ laudabiliter egit, moritur. Sedes vacat annis ij. mens. iij.

Iste Iohannes totus glorioſus fuit, quo ad ea quæ in actiua vita exercenda sunt. constitutiones Clementinas publicauit, & ad vniuersalia studia misit. multos sanctos canonisauit. Episcopatus pingues diuisit. contra pluralitatem beneficiorum multa bona instituit. hæreticos plures præcipuo zelo damnauit, &c. An autem saluatus sit, an non, Dominus etiam suis deuotissimis reuelare noluit. Ipse etiam fundauit domum boni passus ordinis Carthusiensis, super Durentiã prope Auinionem.

Schisma xxi inter Iohannẽ xxij & quendam Petrum de Carbario, de ordine Minorũ. Causa fuit tyrãnis Ludouici, qui scindere nitebatur vnionem ecclesiæ, eo quod Iohannes papa eum excommunicauit, & ideo istum Petrum in idolum erexit, & veneratus est eum: sed nihil profecit, quia statim succisum est, & Petrus venit ad pedes Iohannis, veniã petens, & obtinuit: tamen fuit conseruatus vt hostis omnibus diebus.

Dulcius hæresiarcha Nouariensis cum Margarita vxore sua hæretica, & complicibus suis combusti fuerunt: sed prius membratim concisi fuerunt. Crux etiam tunc prædicata fuit.

Gerhardus de Bononia ordinis Magnæ Mariæ de Carmelo, doctor Perusię, sapientię & doctrinę opinione celebris, post plurium librorum editionem in Auinione vitam exiuit.

Pauperes de Lugduno qui se dixerunt de tertia regula Franciſci, tanquam hæretici damnati ſunt, & combuſti pluribus locis & vicibus, cum ſuis articulis erroneis. Vnus articulus fuit, quod Chriſtus & apoſtoli nihil habuerũt in proprio vel communi: & quod nullum ius habuerunt in his quæ ſcriptura dicit eos habuiſſe, &c.

Beguardi multi combuſti ſunt Pariſijs, propter hęreſim pauperum de Lugduno, quia ſub ſpecie boni mala ſuſcitare conabantur. Et Michael generalis Minorum, fuit cum ſibi adhærentibus probatus hæreticus. Numerus cõbuſtorũ tam de ordine eodẽ, quã aliorũ, cxiiij.

Ludouicus IIII an. xiij.

Thomas de Aquino, doctor ſanctus, canoniſatur l anno poſt obitum ſuum. Ludouicus Toloſanus epiſc. filius regis Sicilię, ordinis Minorũ canoniſatur.

Iſte Ludouicus fuit dux Bauariæ, & contempſit coronationem domini papæ. quapropter ab eo depoſitus eſt, & multus ſibi labor & pẽriçula ſucceſſerũt. Niſus eſt etiam ſcindere vnitatem eccleſiæ, & Fridericum ducẽ Auſtriæ contra ſe electum vicit. In tribulatione & contumacia vſque ad finẽ durus permanſit, grande periculum animæ ſuæ reportando. Tandem Carolus contra eum eligitur, qui prævaluit, & Ludouicus de equo cadens ſubito moritur.

* chariſtiam. Hęc leguntur in libris, & fama feruntur per quendam de ordine Prędicatorum facta: ſcilicet fratrem Bernardinum de monte Politiano, &c. Sed tamen ordo excuſatur de his per quaſdam literas teſtimoniales, quas apud ſe habet. Cui placet, requirat huiuſmodi apud profeſſores eiuſdem ordinis: & plene informabitur de his ad omnem copiam.

VI^{M} DXIII. VI^{M} DXXIII.

Clementinarum liber publicatur, & ad ſtudia vniuerſalia dirigitur per Iohannem papam xxij.

Benedict^{9} xii an. vij. menſ. ij. dieb. xviij.

MCCCXIIII. MCCCXXIIII.

Declaratum eſt per Iohannem xxij edicto perpetuo hæreticũ eſſe cenſendũ aſſerere Chriſtum & apoſtolos nihil habuiſſe in proprio, nec in cõmuni. Itẽ: affirmare, quod Chriſto eiuſque apoſtolis in his quę eos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, nequaquam ius vtendi competierit, nec illa donandi, aut ex ipſis alia acquirẽdi, erroneum & hæreticum idem papa Iohannes declarauit.

Idẽ Iohannes papa collegit de libris prædeceſſorum ſuorum ex ordine beatiſſimi patris Benedicti ſanctos canoniſatos, & prælatos plures numero, qui comprehenduntur in ſequentibus:

Mitis & inuicte Chriſti verna Benedicte: In cœlo ſiſti tot fratres promeruiſti.
Quingẽtos quinq; quinquaginta milia quinq; Ad te tranſlatos prius oẽs canoniſa- (*tos.*
Papæ ſunt bis duodeni, cardinales bis milleni, in mundi hierarchia.
Archiepiſcopi dati, ſeptem milia creati, in fide catholica.
Quindecim milia digni, pietateque benigni, ſcribuntur epiſcopi
Ac milleni quinque deni abbates ſeptuageni, cum quaterno numero.
O quam plures ſine mitra refulſere inde citra prælati eccleſiæ!
Quotquot ſanctæ moniales, conſorores & ſodales, degunt ſocialiter!
Non eſt noſtræ facultatis compenſare dicta factis, ac ſtylo diſſerere.
Sed quis alter confeſſorum ſecum ducit talem chorum per cæli palatia?

Iſte Benedictus fuit monachus monaſterij Bollenſis, ordinis Ciſtercij, & vocabatur Iacobus de Furno, ab infantia bonæ vitæ, & magiſter in theologia. Factus aũt papa reformauit ordinẽ ſancti Benedicti & Ciſtercij. quod neceſſe fuit. In largiendis beneficijs durus fuit, & ne indignis conferrentur decretalem edidit, quæ ſic incipit, *Benedictus Deus in donis*, &c. Et multos priuauit. erat feruidus fidei cũ ſeueritate zelator, & ob hoc multis min^{9} carus. Tantę rigoroſitatis fuit, quod vix cognoſcere voluit conſanguineos ſuos, dicens, papam conſanguineos nõ habere,

Iohannes Mandeuil, doctor in medicinis, & miles in armis, natione Anglicus, fuit circa hæc tempora. & mirabilẽ peregrinationẽ quasi totius mundi perfecit: & scripsit eã tribus linguis.

Astronomi maximi fuerunt Parisijs hoc tẽpore, videlicet Iohannes de Lignerijs, Iohannes de Saxonia, Iohannes de Muris, & Buridanus maximus philosophus, qui inuenit viam modernorum.

Ventus magnus fuit, qui terras mouit, & vndas, & ædificia plurima subruit.

Spiritus Guidonis multa reuelauit in ciuitate Alexij circa Romã. De hoc pulcer liber est scriptus. Aquarum inundatio fuit maxima, nõ ex pluuijs, sed scaturientium terræ venarum. damna fecit infinita in toto orbe.

Imperatores.

Carolus quartus an. xxxi.

Iste Carolus fuit rex Bohemiæ, vir prudens & astutus. Hic iussu Clementis fuit electus, adhuc viuẽte Ludouico Contumace. Et quia humiliter sancti Petri benedictionem, ac papæ coronationem expetijt more aliorum bonorum, ideo in omnibus bene directus fuit, & præualuit contra omnes aduersarios suos. Ipse multa statuit, & precipue legem fauorabilem pro personis & rebus spiritualibus, quę adhuc Carolina dicitur. Tandem moritur, diuitijs plenus & gloria. sepultus Bragæ. Bellum maximum inter Philippum regem Franciæ, & Eduardum regem Angliæ fuit, & tanta strages, vt mare Flandrense aliquot dieb. tinctum sanguine videretur.

Pestilentia grauissima fuit, ita quod vix viui sufficiebant ad sepeliendum mortuos. Item multæ villæ desertæ diu manserunt.

Anno mundi	VI^{M} DXXXIII.	VI^{M} DXLIII.

Papæ.

Clemẽs VI annis x. mens. vi. dieb. xvi.

Lemonicensis.

Anno Christi	MCCCXXXIIII.	MCCCXLIIII.

Iste Clemens fuit nomine & re totus virtuosus, multaque per Benedictum rigorose facta mitigauit, & quosdam priuatos restituit. Laudabilis fuit rigor seueritatis Benedicti, sed multo amabilior fuit benignitas Clementis. Hic erat sermocinator egregius, & sermones multos collegit. Nullum inconsultum a se abire permisit. electus fuit anno Christi mcccxliij, vt in bulla quadam reperi.

Declaratum est per Benedictum, quod animæ sanctæ quæ nihil habẽt purgabile, primo statim vt decedunt, faciẽ Dei vidẽt. aliter sentire aut dogmatisare est hæreticũ.

Ordo nouorũ militum Iesu Christi instituitur in Portigalia per Iohannem xxij, contra Saracenos.

Iudæi per totam Almaniam fuerunt combusti, quia fontes & puteos intoxicarũt, sicut plures eorum confessi fuerunt id esse verum.

Anno mcccxxxv fundata est domus sanctæ Barbaræ ordinis Carthusiensis in Colonia Agrippina, illo in loco (vt pie creditur) vbi olim beatus Seuerinus sancti Martini animam in cœlũ deferri cõspexit, angelico cũ concentu.

Odericus vir sanctus, de ordine Minorum, in Asia & India euangelisando discurrit, miraculis clarus. Et quatuor sanctorum martyrum corpora sui ordinis de ciuitate Hormas transtulit per mare ad superiorem Indiam in ciuitatem Carram, nõ sine miraculis. Et descripsit peregrinationem suam.

Ludolfus Carthusiẽsis, Prior Argentinensis, qui vitã Christi compilauit egregie & alte.

Multitudo procerum qui Louppen, castrum cum xxx^{m} peditum, & mcc equitum obsederunt, per ij^{m} Swiceros fugantur, interfectis iiij^{m} pugnatorum, & tribus comitibus. anno Christi mcccxxxix.

Portentum ignis in cœlo visum est, quod a philosophis vocatur candela rotunda. Eodem anno surrexerunt mcccli cruciflagellatores. Hæc secta pestifera surrexit in superiori Almania, & ad inferiorem descendit, demum ad partes Gallicanas. Confluebãt huiusmodi ex diuersis doctis & indoctis, nobilibus & ignobilibus. Flagellabant autem se cum flagellis nodosis, acubus insutis, &c. & nisi papa prohibuisset, multa mala attentassent.

Sanctus Iuo Brito, doctor iuris, canonisatur: quia fuit aduocatus pauperum, & sanctæ vitæ. Hic solus inter omnes iuristas modernos sanctus computatur.

Taliarandus cardinalis sancti Petri ad vincula, prælatus deuotus, & amicus religiosorum, & promotor bonorũ fuit. Visio flebilis facta cuidam eremitæ in præsentia domini Innocentij papæ VI, dum adhuc cardinalis esset: vnde aiebat, Vidi animas in infernũ descendere sicut niues densissimas, in purgatorium sicut niuẽ rarissimã: sed ad paradisum tantum tres vidi introire, scilicet illius episcopi, ac illius viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthusiensis. quæ omnia sic post reperit vera, & extunc maximam deuotionem erga viros religiosos habuit, & præcipue Cluniacenses & Carthusienses. Hos enim duos ordines specialiter præ cæteris priuilegiauit, & ab omni patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & quorumcunque principum, &c. iurisdictione, visitatione, taxatione, & qualicunque vexatione exceptos esse decreuit sub anathematis vinculo: eosque sub sancti Petri ac Romanæ ecclesiæ protectione suscepit.

Sibertus de Belre, Almanus, & Iohannes Wolfigram, Anglicus, Carmelici ordinis, illustribus connumerandi, ad salutis scientiam verbis scriptisque quamplures erudiunt.

VI^M DLIII.

Innocentius VI annis X. — Leomonicensis.

MCCCLIIII.

Iubilæus mutatur per Clementẽ de quinquagesimo in quinquagesimũ, propter breuitatem humanæ vitæ. Idem etiam Clemens monasteriũ & ordinẽ Cluniacensem multis & maximis priuilegijs dotauit, ab omnibus inquietudinibus exemplũ sub beatorum Petri & Pauli apostolorum tuitione imperpetuum suscepit.

Iohannes de Bachone Carmelico, theologicæ sapientiæ, canonicæq; scientiæ princeps, Parisijs, & demum per Angliam clarus cognoscitur. Guido de Pirpiniatio ex Priori generali Carmelicæ religionis, primum Maioricensis, ac demum Cluniacensis pontifex, doctor inter præcipuos commẽdatus, & vt alter Helias, pro domo Domini seriosius post correctoriũ iuris, & alia quampluri ma volumina percommendata, librũ cõtra omnes hæreses scripsit, quẽ domino Gancellino, cardinali Albenensi, prætitulauit.

Iste Innocentius fuit amator religiosorũ, & fecit fabricari in regno Franciæ propter sanctum Andream ex oppositio Auinionis monasteriũ ordinis Carthusiensis, & multa priuilegia eidem sancto ordini cõcessit. ibidemq; sepelitur. Fuit etiam canonista maximus.

Iohanna regina Franciæ virtuosa & humilima, &, vt pie creditur, sancta, obijt anno Domini mcccxlix. Studium Bragæ instituitur, & priuilegijs dotatur ab Innocentio VI, intuitu Caroli Imperatoris.

Lector quidam, Paulus nomine, negando beatam virginem conceptam fuisse sine peccato originali, coram toto clero & populo in Cracouia cecidit, & expirauit, sermone nondũ finito, vt testatur magister Henricus de Hassia. Quod factũ plures terruit in hac materia scribentes. Fatuum est enim de secretis Dei nimis curiosius inuestigare.

Terræmotus maximi fuere per diuersa loca. Et Basilea tota cecidit mccclvi cum multis castris in circuitu. Tunc homines velut bestiæ in siluis commorantur, nec ciuitates intrare audent. Bella etiam plura & pestilentiæ & fames fuerunt. Terra in multis locis aquam albam & fœtentem euomuit, quæ castra & loca fortia casui dedit. Tempora insuper periculosa, propter hæreses & sectas plures. & superbia & iniquitas nimis inualuit: & populus curiosus & leuis nimis. Vnde in libro beatæ Brigittæ 1 cap. xlv dicitur, quod secundum rigorem iustitiæ mundus merito deberet perire: quia peior est quam tempore diluuij: sed precibus sanctorum misericorditer parcit ei.

Eclipsis solis fuit in principio Martij, & durauit quasi duabus horis.

Imperatores.

Circa hæc tempora promisit Carolus quatuor electoribus telonia & vectigalia imperialia, quæ sita fuerunt in terris ipsorum. Et surgit disputatio grandis pro & cõtra. Nam vna positio probare contendit, quod hoc non liceat, nec expediat sic exossare imperium, vt nullas vires contra aduersantes retineat. Alia econtra putat rationabiliter hoc factũ, ne ipsorũ electorũ regiones grauarentur, stante pro tũc tot principũ violenta incursione, nihilq; curantium de imperialiũ fulminatione præceptorum. Quare ergo ipsi electores, præ cæteris exactionari deberent, cũ non esset qui defenderet, aut manum afflictis adiutricem porrigeret? Quæ autẽ istarum firmior sit, videant quorum interest. Quid vero de his Æneas poeta laureatus senserit, in histor. Bohemorum plenius continetur. Hoc pro certo scimus, quod siue sic, siue aliter disputatio concludatur, mundus iste cursum suũ a solita vanitate & instabilitate non retrahet. Nihil stabile sub sole, sed cuncta subiacent vanitati, vt Sapiens ait.

Anno mundi VI^M DLXIII.

Papæ.

Vrbanus quintus an. viij.

Anno Christi MCCCLXIIII.

Iste Vrbanus fuit abbas Massilienſis, ordinis sancti Benedicti, decretorum doctor: & sanctus reputatur. Fecit crucem prædicari cõtra Turcos: & passagiũ ordinauit. Ad ipsum beata Brigitta fuit missa a Christo pro cõfirmatione regulæ. Tandem intoxicatus obijt.

Brigitta vidua sanctissima, de regno Suetiæ, clara habetur, multas reuelationes habuit informatiuas ad omnem statum ecclesiæ. & ordinem instituit, cuius ipsa patrona est. Eius festũ agitur xxiij Kal. Iunij. Ordo Saluatoris (qui vulgariter ordo sanctæ Brigittæ) circa hæc tempora inchoatur, cuius regulam ipse Saluator met dictauit.

Constitutio ne in vinea publicatur cõtra simoniacam prauitatem, primo anno Vrbani papæ quinti, in Vrbe apud sanctum Petrum.

Catharina de Senis, virgo incõparabilis sanctitatis fuit. cuius vitã scripsit magister Iordanus, ordinis Prædicatorũ, confessor eius. Obijt autẽ anno mccclxxx. multũ iustificauit partem Vrbani vi, dicendo ipsum esse verũ papam. Et de schismate prophetisauit. Habuit etiam virginẽ secũ sanctã Catharinã, filiã beatæ Brigittæ, & alias plures vtriusq; sexus personas venerabiles.

Iohannes de Rupescissa, de ordine Minorũ, multa prædixit mox futura de duob. Antichristis, & desolatione terrarũ, & generali conculcatione cleri, & reductione totius orbis ad fidẽ Christi: pluraq; alia ante annũ Domini mccclxx: quæ dixit sibi reuelata a Domino Iesu. sed non euenerunt. & diu in vinculis tentus, grandia scripsit de futuris. Et nota, quod pene ab initio fidei huiusmodi prẽnosticatores fuerunt, & quotquot tempus determinatum prędixerunt de huiusmodi arcanis quæ Pater posuit in sua potestate, decepti sunt. ideo non est huiusmodi reuelationibus amplius fidendum.

Anglici cum Britonibus & multis alijs populis barbaris plus quam xl^m Alsatiæ Sungauiæque fines inuadunt: castra quamplurima cum vrbibus vsque ad solium euertunt: virgines & mulieres violenter opprimunt: ecclesias cum monasterijs igni succendunt. Tandem post multas tyrannides cum Bernensium terminos similiter deprædare attentassent, maxima multitudo cum duce eorum a Bernensibus interfecti sunt in Frowenbrun: reliqui vero per Swiceros aggressi, miserabiliter ceciderunt. anno Christi mccclxxv, in die sancti Stephani protomartyris.

Wenzelaus annis xxiiij.

Secta chorisantium transiuit anno Domini mcccclxxiij.
Et fuit Rhenus magnus incomparabiliter.

Bartholdus & Baldus fuerunt hoc tempore maximi legistæ.

Iste Wenzelaus filius prædicti Caroli, regis Bohemiæ, & adhuc patre viuente electus est in regem cum adhuc puer esset: sed non curauit de imperio: & ideo post multas admonitiones depositus fuit. Nobilem eius indolem libidinosa vita polluit: & fuit finis eius sine honore. nimis enim degener erat a moribus & virtutibus sui genitoris: nec vnquam imperiali diademate coronatus est. Paterna autē probitas in Sigismundum fratrem eius transisse fertur, vt infra patet.

Petrus de Casa ex Priori generali Carmelitarum episcopus Vasionensis, ac Hierosolymitanus patriarcha, virtutis forma, doctrinæque speculum, clarus habetur. quē quamplura miracula Deo conregnare prædicant.

VI^m DLXXIII.

Gregorius xi. an. viij.

Schisma pessimum oritur, quod durauit annis xl.

Vrbanus sextus annis xi.

Clemens septimus annis xv.

MCCCLXXIIII.

Iste Gregorius fuit dictus Petrus de Bellaforte, Lemnonien. dioces. diaconus cardinalis. obijt Romæ in pace Christi. Post eum sequitur tribulatio, quam Dominus beatæ Brigittæ præostendit, propter peccata cleri.

Stigma Christi mulier quædam in manibus & pedibus habuit, & morabatur in oppido Delfft in partibus Holandiæ.

Iste Vrbanus electus fuit in Vrbe, propter vim Romanorum: sed cardinales hoc metu fecerunt, & non ex animo. Quapropter fugientes ad ciuitatem Fundorum, dixerunt eum non esse papam: & elegerunt loco eius dominum Robertum de Gebennis, eodem anno: qui dictus Clemens vij. & hic oritur schisma pessimum.

Schisma xxij omnium schismatum quę ante fuerunt, pessimum & subtilissimum. Adeo enim perplexum fuit, vt etiā doctissimi & conscientiosi viri non valerent discutere cui esset magis adhærendum. & fuit continuatum per annos xl cum grandi scandalo totius cleri, & grandi iactura animarum propter hæreses: & alia deuia, quæ tunc pullularunt, eo quod non esset disciplina in ecclesia contra huiusmodi. Et ideo ab isto Vrbano vi, vsque ad Martinum quintum nescio quis fuit papa.

Alexandria Ægypti ciuitas opulentissima a christianis capitur.

Causa humanæ malitiæ a doctis viris multiplex assignatur, inter quas non minima est, quod parentes filios non educant disciplinate, sed permittunt eos ad placitū delicijs affluere. Petulantia igitur cum ex consuetudine in naturam transierit, nec erubescere nec timere potest. fitque ceruix dura, donec paupertate, bellis, laboribus & alijs tribulationibus mollescat, attrita. Flagellum ergo sibi præparat, qui filios non castigat.

Sexta ætas:

Lupoldus dux Auſtriæ cum maximo comitatu militaris exercitus, nobiliũ deluſus conſilio, confœderatos (qui Swiceri vocantur) apud Sempachum potenti prælio inuaſit. Verum illi, licet pauci, id eſt m d c, Deum qui protector eorum eſt, inuocantes, maximã hanc multitudinem effugarunt, ipſo duce interfecto cum viij comitibus, cxx militibus, iiij^{m} pugnatorum, & pluribus nobilibus qui de Auſtria, Alſatia, Sungauia, & Briſgauuia, &c. illuc ad pugnã conuocati erãt. de Swiceris vero tantũ cxxij interfecti ſunt, anno Domini mccclxxxvi, die ix menſis Iunij. Et poſt duos annos nobiles qui remanſerunt, iterũ cũ vi^{m} pugnatorum reuertentes, per cc viros de Glarona, in fugam verſi ſunt, occiſi duo milia cccc.

Robertus annis ix.

Imperatores.

Henricus Oyta ſacræ Theologiæ profeſſor famoſus,

Henricus de Haſſia etiam doctor theologiæ, fuerunt in Wienna duo luminaria eccleſiæ.

Iſte Ropertus (alias Robertus dictus) fuit dux Bauariæ, & comes Palatinus Rheni, vir iuſtus & catholicus, coronatus a Bonifacio ix. Hic cũ grandi exercitu Almanorũ intrauit Italiam contra Iohannẽ ducẽ Galiaſe: ſed cũ iactura graui redijt, dignus habitus, vt ꝑ iuſtitia pateretur.

Gerhardus Groet claret ſanctitate vitę & ſcientia: & incepit congregationẽ fratrũ in Dauẽtria. & plura ſcripſit. Iohãnes de Ruſburch clarus habetur, vir admodũ deuotus & illuminatus: etiam multa ſcripta in Teutonico reliquit. Vincentius de Valentia, (alias de Ferra) vir ſanctus, claret miraculis multis. canoniſatus eſt poſt a Calliſto iij. quod & ſibi prædixit ſpiritu prophetico Bernardus diſcipulus eius.

Anno mundi	VI^{M} DLXXXIII.	VI^{M} DXCIII.

Bonifacius nonus annis xv.

Papæ.

Benedictus xiij annis xxi.

Anno Chriſti	MCCCLXXXIIII.	MCCCXCIIII.

Iſte Bonifacius eligitur Romæ loco Vrbani. dictus fuit Petrus de Thomacellis. & continuatur ſchiſma.

Feſtum viſitationis beatæ Mariæ inſtituitur ab Vrbano vi ſecundum formã ſacramenti Euchariſtiæ, propter impetrandam vnionem meritis beatæ Mariæ perpetuæ virginis.

Iſte Benedictus fuit electus in Auinione, in locum Clementis, & dicebatur Petrus de Luna. & perdurauit vſq; ad concilium Conſtantienſe: ſed nec tunc quidem obedire voluit, ſed ſemper permãſit pertinax. Moriens tandem in regno Arragoniæ, iuſſit cardinalibus ſuis, quod ſtatim alium loco ſui eligerent. quod & fecerunt, & idolum eleuantes Clementem octauum vocauerũt: ſed tamen nihil profecerunt.

Hæreſis peruerſa Iohannis Wiklef in Anglia, & Iohannis Hus in Bohemia, Hieronymi de Braga pullulauit, & multos infecit, & ſub habitu ouino lupinam feritatẽ abſcondentes, totum eccleſiaſticum ſtatum ſubuertere nitebantur. adiuuit eos tempus peſſimũ propter ſcandaloſum ſchiſma. Hæreſis Adamitarum pullulare cœpit in Bohemia, ſed ſtatim exſtincta ab hæreticis fuit, ſcilicet Huſſitis. Erat enim nimis groſſa & inuerecunda. Nam nudi incedebant, & indifferenter cum fœminis luxuriabantur.

Sanctus Petrus Thomæ ex Carmelita Pactenſ. epiſcopus, & patriarcha Conſtantinopolitanus, doctorque præcelebris, ſummiq; regis ſignifer bellicoſus, poſt innumeras quas habuit nedum cum ſpiritualibus, ſed & corporalibus crucis inimicis victorias, poſt quamplures conſcriptos libros ac patrata miracula, in Famaguſta, regni Cypri ciuitate corpus exiuit, in feſto Epiphaniæ.

Cometa apparuit, qui Veru appellatur, satis singularis, cũ coma & radijs sursum erectis, capite deorsum pendente, in occidente transiens versus septentrionem. Hunc inter cęteros cometas qui apparere solent, astronomi pessimum esse dixerunt. Sed quia non mane, sed tempore vespertino apparuit, ideo significabat tarde euenire illa quæ cõmuniter minatur.

Raro vidi prænosticationes de influentijs cœli factas, veritate fulciri. Nam de futuris contingentib. non est determinata veritas. Ac sapientia huius mundi stultitia est apud Deum, vt Salomon, & Apostolus testantur. Insuper qui ex nihilo omnia creauit, ille per electos suos amicos potest ea faciliter immutare, dicente Propheta Psal. ci, *Opera manuum tuarum sunt cœli, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et licet stellæ & planetæ causent generationes & corruptiones in istis inferioribus, vt patet ij Physicorum. nam hoc se non extendit ad actus & opera hominum, sicut sunt prælia, dissensiones, pressuræ gentium, &c. Ad talia etenim licet per influentiam cœli homines aliquando inclinentur, nõ tamen necessitantur: alias arbitriũ hominis nõ esset liberũ. Ideo Ptolemæus dicit, *Vir sapiẽs dominabitur astris*, sci-*

Francia ante hæc tempora diu in flore, hic in mœrore & conculcatione fuit, iuxta morem variabilitatis temporaliũ. Et nota, quod Franci etiam extra patriam suam, scilicet in Turcia, hoc tempore miserabilissime ceciderunt in bello, quia noluerunt audire concilium Sigismundi regis deuotissimi, propter arrogantiam ipsorum: & captus fuit dux Burgundię, interfectis plusquam c^{m} christianorum. anno Domini mcccxcvi.

Ludouicus dux Aurelianensis, frater regis Franciæ, occisus est Parisijs insidiose, anno Christi mcccclvij. & fuit occasio infinitorum malorum.

VI^{ta} DCIII.

Grego- rius xij, annis xij.

Iohan- nes xxiij, an. iiij.

Innocẽ- tius vij, annis ij.

Alexan der v, anno i.

MCCCCIIII.

Iste Innocentius fuit electus Romæ in locum Bonifacij: & dicebatur antea Cosmarus de Perusia.

Iohannes Balestarij carmelita, & doctor egregius, multa scripsit.

Petrus de Eliaco, theologus;

Iohannes Gerson discipulus eius, etiã doctor theologiæ, clarent Parisijs.

Iste Gregorius fuit electus Romę loco Innocentij: & vocabatur antea Angelus Coranus. cessit Constantiæ.

Iste Alexãder fuit electus in cõcilio Pisano; dicebatur Petrus de Cãdia: & sic additum est schisma schismati, quia tres gerebant se p̃ summis pontificibus.

Iste Iohãnes successit Alexãdro, & primũ quidẽ bene inchoauit pro vnione, & fuit in cõcilio Cõstantiensi, & obtulit cessionẽ papatus: sed post deprauatus, latenter fugit, & tamẽ nil profecit ei. Capitur tandem, & sic cessauit coactus, factus iterum cardinalis. sepultus Florentiæ.

Trifarius cursus temporũ reperitur, qui se miro ordine alternat, & secundũ hunc omnis status, & omnis conditio se gubernat. Primus est abundantiæ: secundus indigentiæ: tertius temperantiæ. Cũ enim temporaliũ abundantia arridet homines, sic fiunt animosi, & grãdia attentant, prolesq; velut futuri sublimes, delicate & pompose educant. Sequitur ex his faciliter discordia, quãdo nullus alteri cedere didicit, donec apte bella cuncta ad paupertatẽ deducant. Indigentes igitur effecti, prudentiã addiscimus, moleste experti, quod non vt volumus, sed vt permittimur, operamur: temperate deinceps viuere ac meticulose solemus. Generat deniq; temperantia diuitias, quæ iterũ vt prius animũ tumidum reddunt, & eũ in circuitu sempiternæ instabilitatis ambulare cogunt. Iuxta cõmune igitur prouerbium, *Diuitiæ pariũt animositates, animositas bella, bella paupertatẽ, paupertas mediocritatẽ, mediocritas diuitias, diuitiæ iterum animositates*, &c. Hoc est quod Psal. notat, dicens, *In circuitu impij ambulant.*

Cometa apparuit anno mccccviij. & ſtatim poſt Leodium cecidit, xl^m interfectis. Domini Brutheni cõtra regem Poloniæ bellantes ſuperati ſunt, occiſis xx^m.

*licet reſiſtendo influentiæ cœleſti. Concilium Piſanum in quo inchoata fuit materia de modo faciendæ vnionis. duos enim depoſuit, & tertium ſubſtituit, & ſic peius ſchiſma factum eſt: quia non præualuit exequi bonum quod creuit.

Iſte Sigiſmundus rex Vngariæ, & filius Caroli, vir chriſtianiſſimus, & humilimus, adeo deuotus, vt merito canonizari debuiſſet, iuxta quorundam piorũ vota. Hic afflictæ eccleſiæ & pene deſolatæ ſua mira-

Imperatores. Sigiſmũdus annis xxvij.

blii ſapiẽtia & induſtria ſuccurrit: nec in aliquo ſibi ac ſuis pepercit, donec plena vnio fieret. Contra Turcos ix bella habuit, vbique triumphando. quid vltra? Quæ de Conſtantino, Theodoſio, Carolo, Othone, cæteriſq; imperatoribus laude digna ſcribuntur, huic ſecure poſſunt applicari. Eligitur anno mccccix, cum iam xxiij annis regnaſſet in Vngaria: coronatur ab Eugenio.

Concilium Conſtantienſe magnũ anno mccccxvi.

In hoc ſacroſancto concilio fides chriſtiana, quæ iam multis annis quaſi titubare videbatur, fortiter exurrexit. ibi ſchiſma peſſimum xl annorũ terminatum eſt: ibi hæreſes damnatæ, & duo hæreſiarchæ, ſcilicet Iohannes Hus, & Hiero-*

Anno mundi VI^m DCXIII.

Papæ. Martin^9 quintus an. xiiij. Romanus.

MCCCCXIIII.

Iſte Martinus electus fuit per concilium Conſtantienſe, depoſitis alijs contendentibus, qui diu ſchiſma habuerunt: & ſic redijt vnio diu deſiderata & neceſſaria pro fidei defenſione. Hic fuit papa potentiſſimus, ſuper omnes diues, & iuſtitiarius magnus. plateas & ſtratas publicas ſecuras reddidit, hæreticos deleuit, multa bona patrauit, adiuuante ſibi inclyto principe Sigiſmundo; pro terra ſancta recuperanda multos theſauros congregauit: ſed morte præuentus res impedita fuit, & concilium breuiter ante mortem congregari iuſſit in Baſilea.

Maxima multitudo auium ſatis ignotarum, in magnitudine quaſi paſſeres, de Gallia venientes, prope Bernam ſpacium itineris ferme vnius miliaris Teutonici in longum, & quartam partem vnius miliaris in latum volando, occupabant. Et ſtatim poſt Sigiſmundus cum glorioſo comitatu illuc aduenit.

Michael de Anguauis Carmelita, totius chriſtianitatis luminare, poſt editionem multorum voluminum terras liquit.

Conſcientia pura ſecundum timorem Dei olim in prælatis vigens, eccleſiam Chriſti laudabiliter vita & exemplo rexit & prouexit. De hinc, ſucceſſu temporis, cum iam eccleſia in temporalibus abundare cœpiſſet; oblita quodammodo *con* de cõnſcientia, ſcientia quæ inflare ſolet, multos in eccleſia præſidere fecit, qui ſacram ſcripturam diuerſis verſutijs palliantes, iuſtitias Domini rectas, quæ cor lætificare conſueuerunt, propter delicias carnis falſificare non timebant, multas hæreſes & ſectas ſeminabant, & plura benefic ia pinguia per papam diſpenſando cumulabant. Verum tamen aliqui, licet pauci, *con* cum ſcientia rec-*

Boemia vastatur atrociter per Sigismundum & principes Almaniæ, propter hæresim Hussitarum. & fuit crux data & prædicata contra eos. Regnum Francię florentissimum miserabiliter supra modum vastatur per Henricū regem Angliæ, qui etiam nō valens quietos dies in delicijs sufferre, postquam alios afflixit, non sine grandi iactura suorum infelicissime morbo pessimo vitam finiuit. Item Iohannes dux Burgundiæ idem regnum æque lacerauit: & ipse etiam post occiditur. quod fuit infinitorum malorum occasio. Tandē dominus cardinalis sanctæ crucis, ordinis Carthusiensis, pacis modū inter eos reperit: sed Anglici noluerunt recipere, sed Burgundi tantum. Iohannes dux Burgundiæ atrociter occiditur in conspectu regis Franciæ, statim post treugas initas, cum sacramentum diuisim ambo sumpsissent. & sequuntur multa mala longo tempore.

*nymus, combusti fuerunt, & plura bona instituta. Determinauit etiam eadem sancta synodus, quod concilium legitime congregatum repræsentat ecclesiam vniuersalem, & potestatem habet a Christo immediate, cui omnis status, etiam papalis, obedire tenetur in his quæ sunt ad generalem reformationem ecclesiæ, scilicet in fide & moribus, tam in capite quam in membris. Item, quod deinceps concilium de decennio deberet celebrari, & plura alia bona.

Duo amantes in præsentia Sigismundi fatuo amore conglobati, cum se ad libitum frui non possent, horribili infirmitate percussi sunt, ita vt mulier expiraret, vir etiam vix curari poterat. Vndè apparet, quantum sit hoc malum vitandum, quod nullo consilio acquiescere potest.

VI^M DCXXIII.

Eugenius IIII an. xvi. Venetus.

MCCCCXXIIII.

Iste Eugenius fuit electus pacifice in vrbe, mortuo Martino, & indubitatus papa habitus: sed postea breuiter expulsus de Roma fuit, vt nudus fugeret. item a concilio Basiliensi citatus, & etiam depositus: sed non curauit. & ob hoc iterum schisma oritur, quod stetit vsque ad obitum eius. Qui fauebant sibi, multa laude digna de eo dixerunt. e contra, qui ei aduersabantur, plura enormia sibi imposuerunt, vt moris est. tamen quicquid est, ante susceptam dignitatem fuit vir abstractæ vitæ, puta fratricella, & bonæ famæ. Quod postea fertur feciſſe, diuino iudicio relinquo. Ipse etiam Romam recuperauit, adiutus a Venetis, & maiorem obedientiam habuit.

*nentes, conscientia pura, & scientia sancta illuminati, multos ad iustitiam erudierunt; qui iam quasi splendor firmamenti in æterna felicitate rutilare creduntur. Sed (heu) nephandis his tēporib. iam *con* cum *sci* de *conscientia* abrasis, solum *entia* sponsam Christi gubernare videmus, personas videlicet conscientia scientiaq; carentes, & velut entia insensibilia, Deum nec sanctos eius verentes, beneficia super beneficia sibi vsurpare. Et quod plus est, videmus vilissimos quosque laicos parœcias, & monasteria, & (quod nephas est dicere) oblationes altariū amodiare. Hinc patrimonium Christi solis ministris eius deputatum, & pauperibus distribuendum, in vsus deuenit tyrannorum & meretricum: ecclesiæ & monasteria sacra in loca deserta rediguntur. hinc guerræ mortiferæ, destructiones ciuitatum & regnorum, mortes innocentium lamentabiles, & mala infinita nunc facta cernimus: quæ omnia ex pompa episcoporum, & insatiabili auaritia prælatorū detestanda processisse cognouimus.

Tres soles visi sunt in cœlo. & sequitur statim triplex regimen in ecclesia, scilicet Eugenij, cõcilij, & neutralitatis. Multa dicũtur, &c. Itẽ, Vẽtus maximus fuit an. Christi mccccxxxiiij.

Liduit virgo sancta in Holandia fuit. & ibidem sepulta oppido Schidam dicto. quæ mirabili infirmitate diu detenta, vbique patitur, id est in toto corpore, iuxta nomen suum.

Bernardinus, frater Minor, qui nouam reformationem inchoauerat, & multa bona in ecclesia fecit, moritur, miraculis fulgens innumeris.

Iohãnes de Capestrano, frater Minor, discipulus Bernardini, statim post obitũ eius præfuit reformationi nouæ: claret miraculis. Moritur anno mccccclvi, habita victoria contra Turcos.

Imperatores.

Albertus anno v-no.

Iste Albertus fuit dux Austriæ, & gener Sigismundi. ideo assumptus fuit in regẽ Bohemiæ & Vngariæ, propter filiũ sci-*

Concilium Basilienſe in Spiritu ſancto legitime congregatum.

In hoc concilio multa bona instituta fuerunt pro reformatione ecclesiæ in capite & in membris. Habuit principiũ gloriosum, sed finem humilem ac tribulatione plenũ, propter schisma. Mirabilis rerũ euentus, præualuit conciliũ Constantiense contra tres papas, eos dejciendo, & quartum instituendo, cum tot haberet aduersitates, & a nullo confirmatum fuisset: illud autem tanta autoritate collectum & firmatum, nec vnum potuit vel in modico reducere ad normam sui propositi: imo econtra processus eius impeditus fuit ab vno. Ibi debile principium, & finis gloriosus; hic econtra præcise.

Anno mundi VI^m DCXXXIII.

Papæ. Felix v an. ix. De Sabaudia.

Eugenius depositus fuit anno Christi mccccxxxix, die x, mensis Iulij. & Felix eodem anno, vij Nouembris. & oritur schisma vsq; ad annum mccccxlviij.

Anno Christi MCCCCXXXIIII.

Iste Felix fuit dux Sabaudiæ, princeps deuotus, & senex; vidit filios filiorum suorum. Hic cum iam cœlibem vitã duceret, electus est in papã a concilio Basilienſi, deposito Eugenio, & fuit schisma longo tempore, & nõ habuit magnã obedientiã, quia neutralitas subintrauit. Tandem defuncto Eugenio, cessit Nicolao, propter fauorem vnionis, factus legatus Franciæ, & cardinalis Sabinianus. Hic monasteriũ Ripalense prope lacũ Lausannensem, magnifice instaurauit. ibiq; sepultus est in pace Christi. Schisma xxiij inter Eugenium & Felicem, & durauit annis xvi. Causa fuit satis noua, nec ante hęc tempora visa, quia conciliũ Basilienſe deposuit Eugeniũ vnicũ & indubitatum papam, ideo, quod non seruaret decreta cõcilij Constantiensis, vt dicebatur: nec obedire curauit concilio Basilienſi, asserens, magis econtra debere fieri. Vnde oritur grandis altercatio scribentiũ de hac materia pro & contra: nec poterant concordare vsq; hodie. Nam vna pars dicit, conciliũ est supra papam; alia pars econtra dicit, Non: sed papa est supra concilium. Deus super omnia benedictus det pacem suam in ecclesia, sancta sponsa Christi, semper. Ludouicus Alamandi, episc. Arelatens. cardinalis, vir sanctæ vitæ ac miræ patientię, singularisq; columna cõcilij Basilienſis, cui diu præsedit, multis coruscat miraculis. Prohibitum fuit in sacro sancto concilio Basilienſi, ne principes seculares, cõsules, siue cõmunitates, &c. ecclesias & viros ecclesiasticos tallijs siue collectis, &c. aggrauare præsumerent sub anathematis vinculo. Anno Domini mccccxliiij, xxi mensis Augusti, Ludouicus primogenitus regis Franciæ, & Dalphinus Viennens. intrauit patriam Alsatiæ, cum multitudine copiosa armatorum. & eandem patriam a Basilea vsq; Argentinã miserabiliter deuastauit. Et hac die, scilicet xxv Augusti, ante Basileam idem Dalphinus præualuit aduersus Schuitenses: & ceciderunt mortem de i-*

Constantinopolis, ciuitas imperialis, capitur ab infidelibus Turcis, tradita per quendam Ianuensem, qui per triduũ constituitur a Turco rex, iuxta promissum, & die quarto decollatur. Et fit planctus in tota christianitate & timor grandis. Multi christiani trucidati sunt, & innumerabiles venditi. Imperatoris corpus iam mortuum, decapitatum fuit ex liuore Turci. & perijt pene totaliter fides in Græcia.

Bella plurima in diuersis locis diu continuata, præcipue in Saxonia, Westphalia, Flandria, Prussia, Sueuia, Bochonia, & specialiter in Anglia strages grandis.

Frideri-cus III an. xlij.

Iste Fridericus, dux Austriæ, electus fuit in regem Almaniæ, & diu distulit coronari a papa, propter schisma. Tandem facta vnione, a Nicolao cũ magna gloria imperiali diademate extitit in vrbe coronatus; vir vtiq; pacificus & quietus, & patientiæ singularis, nec odiens clerum. Filiam quoq; regis Portigaliæ sumpsit in vxorem. Anno autem mccccclxxi, magnam fecit conuocationem principum in Ratispona, propter incursionem Turcorum, proponens eis, quod iam infra xx annos christianitas diminuta esset ad c leucas, vel quasi: & monuit vt ad resistendum se pararent. *licet eius, quia alium hæredem non reliquit. Hic electus fuit Franckfordiæ in regem Almanię, anno Domini mccccxxxviij, die xvij Martij: sed statim intoxicatus, obijt. Alij dicũt, quod profluuio ventris. vir vtiq; totaliter virtuosus, & adeo pius, vt tota plebs diceret, quod mundus eius præsidentia non esset dignus. Reliquit vnum filium paruulum, cui simile contigit, & duas filias.

VI^M DCXLIII. VI^M DCLIII.

Nicolaus quintus an. viij. Ianuensis.

Callistus III an. iij. mens. v. Catalanus.

MCCCCXLIIII. MCCCCLIIII.

Iste Nicolaus de oppido Sarrasana inter Ianuã & Lucanam ciuitatẽ, electus in Vrbe, anno mccccxlvij, loco Eugenij, adhuc pendente schismate: paulatim vbiq; obtinuit obedientiã, mirantib. omnibus, quod vir humillimæ nationis sic prævaleret contra ducẽ Sabaudiæ, qui fuit quasi affinis cunctis principib. christianitatis, & tamen dimissus ab omnibus. Sed statim sequenti anno vnio redijt, cedente Felice: quia placuit Domino per abiecta mundi glorificare nomen suũ. Hic fuit magister in theologia totus actiuus, & in conceptibus locuples; multa diruta reædificauit, & grandem murũ Romæ in circuitu Palatij construxit, & totũ murũ Romanũ reintegrauit, propter timorem Turcorũ. Item, versus in Vrbe publicatus, *Lux fulsit mundo, cessit Felix Nicolao.* videlicet anno mccccxlix.

Iste Callistus, vir valde senex, electus fuit anno Domini mccccv: & cõtinue infirmus, nec potuit zelũ suũ perficere, quẽ contra Turcos concepit, impediente senio, morteque præueniente. Moritur anno mccccclviij, ipso die sancti Xysti, in quo festum transfigurationis Domini instituit, anno vno elapso.

Iohannes de Capestrano, frater Minor, discipulus Bernardini, statim post obitum eius præfuit reformationi nouæ: claret miraculis. Moritur anno mccccclvi, habita victoria contra Turcos. Iubileus cum magna deuotione per totam christianitatem celebratur, & ingens multitudo ad limina sanctorũ confluit. Dominus etiã papa rosam in dominica Lætare consecrato, inclyto principi Lantgrauio Hassiæ transmisit, multis virtutib. redimito: qui ab Elisabeth sancta matre sua fuit proles sexta. Festũ transfigurationis Domini instituitur a Callisto, pro gratiarũ actione illius victoriæ miraculose factæ contra Turcum in Vngaria. *psis duo milia, vel circa, in domo leprosorum apud sanctum Iacobum, ipsamque domum leprosorum combusserunt & destruxerunt. anno quo supra.

Victoria miraculosa cœlitus datur christianis in Vngaria trans Danubium contra Turcum magnũ: & perdidit multos,& fugit timore hostiũ perculsus, cũ nemo eũ persequeretur. sola manus Dei terruit eũ,in die sancti Xysti. anno mccccl vi. Sanctus Iohannes de Capistrano præsens fuit ibi,& prouocauit populũ trepidantẽ ad persequendũ infideles fugientes. & facta est vltio magna. Dixerũt enim Turci, q; tam immensus numerus armigerorum insequebatur eos, q; vix ausi fuerunt respicere, & ideo fugissent relictis omnib. Ipsi fuerunt sancti angeli. Pueri sancti Michaelis peregrinantur cũ magno feruore per turmas viam longam ad mare.& fit timor cunctis,ne spiritus nequã agitaret eos: sed statim cessauit propter tædiũ itineris,& famem,quã patiebantur.anno mccccl vij. Et anno prẽcedenti fuit maximus terræmotus in Neapoli,& perierunt xl^{m} hominũ. Librorum impressionis scientia subtilissima,omnib. seculis inaudita,circa hæc tẽpora reperitur in vrbe Maguntina. Hæc est ars artiũ,scientia scientiarũ,per cuius celeritatis exercitationem thesaurus desiderabilis sapientiæ & scientiæ,quẽ omnes homines per instinctũ naturæ desiderãt, quasi de profundis latibularũ tenebris prosiliens,mundũ hunc in maligno positũ ditat pariter & illuminat. Virtus etenim infinita librorũ, quæ quondã Athenis,vel Parisijs, cæterisq; studijs, siue bibliothecis sacris, pauciss imis quibusdã studiosis manifesta fuit, per hanc in omni tribu,populo, natione, & lingua, vbiq; diuulgatur, ita vt veriss ime impletũ cernamus illud,quod dicitur Prouerb. 1, *Sapientia foris prædicat,in platheis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat, in fortibus portarum vrbis profert verba sua,dicens, Vsquequo paruuli diligitis infantiam, &c.* Quamuis vero porcos spernere margaritas sciamus,nihil in hoc prudentis lædit opinio, quo minus oblatas comparat margaritas.

Imperatores.

Anno mundi VI^{M} DCLXIII.

Papæ. Pius secundus annis vi. Tuscus de Senis. Paulus secundus annis vij. Venetus.

Anno Christi MCCCCLXIIII.

Iste Pius electus est anno Domini mccccl viij,& vocabatur Æneas,vir eloquens, & orator magnus, poetaque laureatus. Imperatoris ambasiator ante fuit, & in concilio Basilienssi notabilẽ tractatũ scripsit pro autoritate eiusdẽ. Ipse etiã canonisauit sanctam Catharinã de Senis. mccccl xi. Hic passagium ordinare cupiens, cũ plures ex Almania venissent Romã,ipsos cũ benedictione remisit ad propria, eo quod non suffecissent. & statim ipse post moritur. anno Domini mccccl xiiij,die xiiij Augusti.

Turci dolo quidem & fraude obtinuerunt Bossenorum regnum, & ducatum despotis Seruiæ, & plura loca & regna in partibus Orientis, Achaiam prouinciam,& insulã Mitylenen. anno mccccl viij. Reformatio magna plurimorũ monasteriorum in diuersis mundi partibus fit. Et nota,quod huiusmodi reformationes crebro leguntur factæ: sed pene nulla remansit, quin solito more per succession temporis ad pristinum relaberetur languorem post venerabilium patrum mortem. Maguntia capitur. anno mccccl xi.

Iohannes Soreth, Prior generalis, ac reformator Carmelici ordinis, vir sanctæ vitæ, & singulariter Christo fructificus,posteaquam Carmelum totum xx rexerat annis, Andegauis obijt, vbi quamplurimis nunc miraculis coruscat.

Iste Paulus electus est anno Domini mccccl xiiij,& statim approbauit celebrationẽ festi præsentationis beatæ virginis glorioss e,sicut Pius. Hic in signãdis petitionib. maturus fuit,& iustitiæ tenax. quasi melius foret pauca condonare, & ea firmiter seruare, quã plura signare,& statim reuocare. Grande palatiũ constr uxit apud sanctum Marcũ: ante completionẽ moritur. anno mccccl xxi, die xx Iulij.

Iubileus mutatur in fauorem animarũ per Paulum de xxv in xxv annum, vt quia abundabat iniquitas,superabundet & gratia.

Eubœa ciuitas, vulgo dicta Nigroponte, capitur ab infidelibus Turcis. anno mcccclxx. Cometa apparuit in principio anni mcccclxxij. Circa festũ Agnetis transiuit super Coloniã in opposito libræ, & caudã longã quasi graduũ xxx misit ad Occidentem. In festo sancti Blasij stetit in ariete, & misit caudã quasi ad pleiades versus Orientem: vaga nimis erat, alba, quandoq; & flãmea, crinitaq; valde. Sequũtur bella & epidemiæ in diuersis partib. Et anno sequẽti fuit æstas feruẽtissima, & siccitas inaudita, & in quibusdã terris ignis sub terra succẽsus vsq; ad arenã fuit. Eremita quidã deuotus in partib. Schuicerorũ prope Vnderwalden in magna humilitate solo corpore dominico singulis mensibus refectus, a xv annis & vltra absq; corporali cibo vixit. Carolus dux Burgundiæ primũ memorabile bellum cum rege Francorum habuit in loco dicto Amondleri, de quo fugatis hostib. nobilissime triũphauit. anno mcccclxv. Post duos insuper annos Dinant, & paulo post Leodium ciuitates potentissimas totaliter destruxit: anno etiã lxxiij intrauit terrã Geldriæ, & obtinuit eã, totumq; ducatũ Lotharingiæ. Sicq; per multa bella victoriosus semper permanẽs, cũ Nusciam super Rhenũ quasi per anni spaciũ inaniter obsedisset, tandẽ potẽti cũ exercitu ad Schuicerorum fines castra mouit; vbi statim a ij^{m} aggressus prope Grandisonũ cũ graui damno terga vertit. Eodẽ tamẽ anno rediens de oppido Moreti, quod obsidebat, iterũ relictis omnibus, potenter fugatus est cum suis, occisis xx^{m}. anno mcccclxxvi, die x mi. martyrũ. Nouissime in obsidione ciuitatis Nanceiæ a confœderatis atroci prælio trucidatus est victoriosissime, anno mcccclxxvij, v mẽsis Ianuarij. Epitaphiũ cuius editũ tale extat, *Te piguit pacis, tæduitq; quietis in vita. Hic iaces Carole, iamq; quiesce tibi.* Reliquit filiã hæredẽ vnicam, Maximiliani vxorem: quæ cum duos genuisset filios, paulo post de equo elapsa, fractis ceruicib. expirauit.

VI^{M} DCLXXIII.

Xystus quartus an. xiij.

Ianuensis.

MCCCCLXXIIII.

Iste Xystus ante cardinalatum fuit generalis in ordine Minorum electus. anno Domini mcccclxxi. Vocabatur antea Franciscus de Sauona prope Ianuam, bonæ famæ & morum. Fuit etiã vocatus ad cardinalatũ absq; scitu suo. Eodem anno orator Bernardus Iustinianus Venetorũ recitauit coram eo, quod Turcus abstulisset christianitati ij imperia, iiij regna, xx prouincias, & cc vrbes, populumq; absque numero vtriusque sexus: hortabatur quoque, vt ad resistendum se disponeret. Beatus Simon martyrisatur in ciuitate Tridentina. anno mcccclxxv. die tertia ante festum Paschæ (vt fertur) Iudæi azymũ eorũ cum sanguine christiano faciunt. tunc Iudæi ante domũ parentũ suorũ infantẽ Simonem in mense suæ ætatis xiij ceperunt, eumq; crucifigaliter tenebant, vt sanguinẽ vndiq; ex corpore suo traherent.

Puella quædã, nomine Stina in partib. Westphaliæ, in oppido quod Hamo dicitur, aperte ac verissime stigmata dominicæ passionis habuit in manib. & pedib. ac latere, virgo noiter conuersa. anno mcccclxiiij. Post spaciũ autẽ xv hebdomadarũ circa festũ venerabilis Sacramenti corã xij testib. ostendit ea, & prędixit, quod post duas horas redirent; quia tunc non inuenirent ea. Et sic factum fuit, quia loca illa sanata erant.

Turci etiam terra mariq; cum potenti suo exercitu Rhodum ciuitatẽ obsidentes ag-*

Puellæ monstrũ tempestate istac in Veronensi agro nascitur, quæ vnũ caput tantũ habet, sed duos pedes, duasq; vuluas habens, ex ipsis ambab. vuluis superfluitates emittebat: insuper quatuor brachia, sed duo grossiora, quę pro voluntate mouebat; alia tenuiora, & immobilia erant: ventres etiam duos circa stomachũ coniunctos habebat. Hanc parentes per Italiam circumferentes, precia ab inspicientib. mendicabant. Fuerunt aquarum inundationes maximæ, ventiq; horribiles multa ædificia subuertentes. anno mcccclxxxi.

Iste Maximilianus archidux Austriæ,& dux Burgundiæ, filius Friderici tertij Imperatoris prædicti, vir vtiq; magnæ virtutis & prudentiæ insignitus, ac rei militaris scientia non sine bellosis laboribus a iuuentute peritus,fortunatus ac virtuosus. Quem ob virtutum suarum laudem, archiprincipes, sacri imperij electores, in regem Romanum vnanimi corde, præsenti patre suo, in Franckfordia anno Domini mccccLxxxvi elegerunt, & paulo post in Aquisgrana imperiali ciuitate coronauerunt,& more sancto verum regem futurum imperatorem vnxerunt. Duxitque in vxorem Mariam filiam Caroli ducis Burgundiæ; ex qua produxit Philippum Burgundiæ ducē. habuit quidem bella plurima memoriæ digna. secundo enim anno ducatus sui Burgun-

Imperatores. Maximilianus primus.

diæ, prope Flandriam cum Gallicis maximum habuit bellum, quo magna cum victoria Francorum potentiam superauit. In hac laudabili electione obijt in Franckfordia illustris princeps elector Albertus Marchio Brandeburgensis; senex ipse electionem & sceptri imperialis administrationem deuote exegit. obijt etiam ibidem venerabilis ac deuotus princeps Iohannes comes de Werdenberg,episcopus Augustensis, qui propter electionem ad Franckfordiam venit.

Item Maximilianus Romanorum rex deficientibus a se nequiter Gandensibus, a Brugensibus, tum etiam maiestatis suæ iuramento deuinctis, in vincula coniectus est,captis simul ac partim trucidatis omnibus quibus apud maiestatem suam,poscente illorum fide,aliquid gratiæ aut nominis fuit.

Anno mundi VI^M DCLXXXIII.

Papæ. Innocentius octauus an. Genuensis.

Anno Christi MCCCCLXXXIIII.

Innocentius papa eius nominis octauus, patria Genuensis, patre Aron ciborum familia mediocri, sed honorata natus;Iohannes Baptista antea vocatus,post Xystum pontificem,ex cardinali presbytero sanctę Cęcilię,hoc anno idibus Augusti pontifex creatus,sedit annis Hic cum inter cæteros patres pauperior humaniorq; haberetur, propter ipsius humilitatem,humanitatemq; ac comitatem, pontificum munus obire promeruit. ferebatur etiam in rebus gerendis prudentissimus atq; magnanimus, eo quod Senis & in Vrbe legationis officio cum optime functus fuisset, magnam sui regiminis & prudentiæ spem patribus dedit: & apertum Ecclesiæ thesaurum vniuersis Christi fidelibus in peccatorum suorum remissionem dispensauit liberalissime.

Matthias rex Hungarorum e manibus diui Frederici Romanorum Cæsaris subacta ditioni suæ Austria,apud Wiennam rebus humanis feliciter exemptus est.anno mccccxc. *grediuntur, offendentes ipsam plagis innumeris bombardarū,muros destruentes, & vndique alias muri partes conscendentes,& multos varijs modis accidentes : tamen ex vtraq; parte multi mortui sunt. Demum ab obsidione destiterunt, illatis vtriq; parti damnis innumerabilibus. Deniq; partes regis Siciliæ inuadentes,multa loca deuastant, homines rapiunt trucidantq;, ac eorum bona deprædantur: & immanissimæ clades fiunt. Tandem acceperunt Otranti ciuitatem,archiepiscopum ipsius ciuitatis per medium secant; & quasi omnes in vrbe occiduntur pro fide;tamen constanter,donec potuerunt,agentes viriliter,& non sine Turcorum etiam aliquali strage multorum.

Explicit Fasciculus Temporum.

APPEN-

APPENDIX AD FASCICVLVM TEMPORVM WERNERI ROLLEWINCK,

AVTORE IOANNE LINTVRIO.

ANno Domini 1475, viguit maxima peregrinatio ad D. virginis in *Niclashauſen*, in partibus Rheni, diœceſeos Mogũtinæ, vbi quidam iuuenis, laicus, ſimplicianus, per quendam necromãticum, vt fertur, deceptus, qui in alba veſte ſub ſpecie beatæ virginis eidẽ apparuit, docendo ipſum ſeminare zizania contra clerum. Ad nouum igitur dogma ſimplices vndique agitati concurrerunt. Laici deuoti, per inſignia mirabilia veneno perfuſa moti, & ea conſpicientes, etiam vſque ad diſturbium contra Herbipolitanũ epiſcopum per turmas ſeſe erigunt, qui armigerorum impetu depulſi: & tandem captus iuuenis, tanquam hæreticus probatus (licet ſeductus) igne incineratur; & ceſſat peregrinatio prædicta.

Anno 1484, Innocẽtius octauus, Rom. Pontifex Italus, circa Bartholomęi feſtum eligitur, 28 Auguſti. veneno inficitur: ſed reconualuit tunc Dei auxilio.

Anno 1485, Matthias rex Vngariæ, poſt diuturnas lites, Viennam Metropolin Auſtriæ per biennium obſedit, econtra Friderico tertio Imperatore laborante, nec valente. Matthias igitur rex circa Pentecoſtes feſtum, anno 1485, prædictam ciuitatem, fame incolas vrgente, pacifice ingreditur. Imperator de prouincia diſcedens, ad imperiales ciuitates pergit.

Anno 1486, lites contra Papam oriuntur, & rex Neapolitanus cum ducibus Romam obſedit exercitu multo: ſed Papa vicit omnes bono medico.

Anno 1486, dum prædictus Fridericus Imperator imperiales ciuitates peragraſſet, deſcendit ad Rheni partes, filium vnicum, Maximilianum nomine, Francofordiam aduocans, qui nuper Burgundiæ dux effectus erat; & principes electores etiam illuc conuocauit, vbi dictus Maximilianus, filius Imperatoris, circa Dominicam *Reminiſcere*, in Rom. regem concorditer eligitur, & in Aquiſgrano, corona Caroli Imperatoris ex Noriberga allata, regaliter coronatur. Erant ibi Frãcofurti in electione Berchtoldus Moguntinenſis, Hermannus Colonienſis, Ioannes Treuirenſis, Archiepiſcopi: Bambergenſis, Auguſtenſis, Eyſtettenſis, Spirenſis, Wormatienſis, Miſnenſis, Triſtenſis, Verdunenſis, Cameracenſis, epiſcopi: Philippus Palatinus, Erneſtus Saxoniæ dux, Albertus Marchio Brandenburgenſis, electores: & Ioannes, & Rupertus, & Caſparus, Palatini comites a Veldentz; & Albertus dux Saxoniæ, & Fridericus, & Ioannes, filij Erneſti electoris Saxoniæ; & Henricus dux Brunſchwicenſis, & N. dux Geldiæ, & Chriſtophorus, & Albertus, & Fridericus, Marchiones Badenſes, & Wilhelmus Henrici, & Wilhelmus Ludouici filius, Landtgrauij Haſſiæ, & Georgius Teutonici ordinis, & Otho, & Fridericus Hennebergenſes comites, & alij comites innumerabiles, & nobiles, & Abbates. Facta itaque electione regis Romanorum, poſtquam coronaretur rex, illuſtris Princeps, electorum ſenior, Marchio & Camerarius regni Romanorũ, in monaſterio S. Petri, Francofurti, ſabbatho* debitum perſoluit carnis, migrãte paulo poſt temporis Antiſtite Auguſtenſi, ibidẽ Francofordiæ ad Dominum. Inſuper referentibus peregrinis hebdomada tertia poſt Paſchæ feſtum, Aquiſgrani cum corona rex Romanorum coronatus eſt, & regaliter ibidem cæremoniis peractis diuinis, & auro & argento in viæ medio proiectis, prætorium adiens, cibo refectus eſt, vbi primum morſum de boue integerrime aſſo, in quo ſus, & in ſue agnus, & in agno gallina, & in gallina ouum erat, ſumpſiſſe viſus eſt: & iuſſit vinum abundantiſſime, tanquam de fonte vndam tota die fluere.

Eodem anno 1486, die Veneris ſancti Georgij, tunc feſtum præcedente Paſchæ, poſt feſtum quartæ hebdomadæ, aere influxu cœleſti frigeſcente, nix in montanis altioribus partibus cecidit valida, & vinum & annonam valde perdidit.

Anno 1487, die Iouis, Conuerſionis ſancti Pauli, deceſſit Philippus epiſcopus Bambergenſis, natione comes de *Henneberck*, magnus venator: & octauo die electus eſt Henricus natione *Gros* in præſulem Bambergenſem.

Eodem anno, circa Philippi & Iacobi festum, diæta Imperialis Noribergæ celebrata est; vbi inter Principes Electores, Marchiones Ioannes, Fridericus, & Sigismundus, fratres, in ornatu equitatus famam præ cæteris tenuerunt principibus. Sed parum ibidem effectum est, quamuis diu congregati fuissent.

Anno 1488, nobilissimus Rex Romanorum, qui etiam Dux Burgundiæ fuit, a Ciuitatensibus in *Bruck* partibus Flandriæ suis subditis, circa principium Quadragesimæ captus fuit, quibus Gandauum & Ipra ciuitates confœderatæ sunt. Venerunt ipsi tunc in auxilium Principes electores, & regni Romani cæteri principes, circa festum sancti Georgij eiusdem anni, & ipsum a captiuitate liberauerunt.

Anno eodem, Dominica v post Trinitatis, fœto peperit vxor cuiusdam laici seu coloni duos canes, & mane feria secunda peperit tres adhuc canes paruos, ad modum murium, tres viuos & duos mortuos, quos mulieres præsentes absconderunt sepeliendos. Accidit hoc in villa *Nempscha*, sub capella *Possеck*, sub limitibus Lasa. Nomen coloni erat N. Duner.

Anno eodem, circa festum sancti Michaelis Rex Hungariæ cum suo exercitu ducem Ioannē de Saga de prouincia expulit per vim, & obtētis ciuitatibus, quas possederat prefatus Dux in Silesia, circa Carnispriuium postea Duces Misnenses, in eorum districtu prope Stolpam & Torgam, impugnare cœpit; sed non prævaluit. Et pace facta, Ruthenos illius exercitus inuasit, & ciuitates & oppida eorū deuastauit plurima, eam ob causam. nam albus Dux, dominus eorum, ita vocatus, adiuuit Turcum contra Regem Poloniæ: quod Rex Hungariæ vindicauit & in eo, & in suis, anno 1489.

Anno 1489, celebratur dies regia per ipsum regē Hungariæ, in *Lintz* oppido Austriæ, circa festum sancti Galli, vna cum Maximiliano rege Romano, & quampluribus regibus & ducibus, pro concordia de prouincia Austriæ.

Anno eodem, quidam Legatus a latere missus cum Iubilæo, & maximis indulgentiis a Papa Innocentio, dum Norinbergæ moram duceret, Doctor Theodoricus *Morung*, Canonicus Bambergensis Herbipolensis & Eystatensis Collegiatarum Ecclesiarū, &c. bullis contradixit papalibus in eo quod Papa non haberet animis in purgatorio annum Iubilæum impartiri, nisi per modum suffragij. Et idem Norinbergam veniens, in egressu ad Herbipolin, circa Norinbergam capitur per clientes Marchionis Friderici, & vulneratus ducitur in *Kadlspergk*. Absoluit Legatus clientes, & ad manus sanctissimi eundem Doctorem captiuum tenuit, commitēdo ipsum dicto Principi. tandem etiā ipsum inhabilitauit propter libellum famosum (quem passionem sacerdotum sub Principe Marchione Alberto, patre dicti Friderici, intitulauerat) editum tempore persecutionis sacerdotum, sub Principe illustri Marchione Alberto, ex parte cuiusdā *Steuræ*, quam ab eis aliquatenus exegit idem Princeps in suo districtu. Qui libellus per eundem Doctorem confectus fuisse dicebatur. Etiam propterea, quod Papalibus bullis contradixit, & quod sacrilegus incantator, & quod sub laici vestitu nocturno tempore armatus, vt cliēs equestris, incessit. Et hic Doctor captus tenebatur adhuc anno 1494, circa festum Michaelis, incarceratus a Marchione Friderico in quodam castro *Rauhenculm*. Iste Legatus, nomine Raymundus Pegerandi, Doctor S. Theologiæ, Francigena, missus ad Franciam & Alemanniam, Iubilæum posuit ad diœceses & ciuitates & oppida per Alemaniam. At dum Bambergæ anno 89 Iubilęum posuisset, Licentiatum Ioannem *Groman de Munchpergk*, qui secum Parisiis steterat, Commissarium per diœcesin Bambergensem ad prædicandum Iubilæum misit. Hic Licentiatus S. Theologię & Parisiensis magister, Ioannes *Groman*, posuit Iubilæum in *Hof*, oppido, vbi ego eram pastor, die Omnium Sanctorum: & durauit per mēsis spacium. Ordinauit quindecim Confessores in capella sancti Michaelis, erexit crucem, & posuit capsam, & in singulis diebus prædicauit per se vel per alium. Confessionalia distribuit, vnum pro 70 numis Franconicis, in quibus nullus casus fuit exceptus, nisi aliquis reseruādus Papæ. Septem ecclesias ordinauit, ad instar septem capitalium ecclesiarum in curia, & penes trecentos florenos collegit in capsam: & penes 600 confessionalia distribuit per alium in domo dominorum. Sed tota pecunia collecta fuit surrepta in *Cronach* & *Freyburg*. In *Cronach* a filio rustici, & in *Freyburg* a pastore, quos ambos diabolus visibiliter in forma hominis & canis adiuuit: qui capti & factum confessi dirissime interfecti sunt.

Anno

Anno 1490, Matthias rex Hungariæ deceſſit, rugitum, vt bos in extremis emittendo, in caſtro Viennæ, feria ſecunda Palmarum. Et poſtea fit diſceptatio pro regno Hungariæ. nam nobiliſſimus Maximilianus rex Romanorũ, Vladiſlaus rex Bohemiæ, & dux Albertus, filius regis Poloniæ, frater Vladiſlai, quorum quilibet pro rege Hungariæ primum ſe geſſit. Sed nobilis dux Albertus ceſſit regi Bohemiæ fratri ſuo, qui per dominos generoſos & nobiles pro rege electus habebatur; rex autem Romanorum per vulgares prouinciæ pro rege tenebatur. Hi duo litigarunt pro regno, & imprimis circa feſtum Bartholomæi anno, &c. 90, vbi ſimul pugnando ex vtraque parte conuenerunt, & præliando plures ex ipſis ſuccubuerunt: ſed regis Bohemiæ clientes tunc campum ſeu victoriam obtinuerunt, & manſit ille rex Hungarorum.

Anno 1491, die ſancti Georgij, illuſtriſſimus & nobiliſſimus Maximilianus rex Romanorum conuentum Principum electorum, & aliorum multorum in *Nurnberg* celebrauit. Et fecit illi dux Alborum Ruthenorum obedientiam per legationem ſuam, & tunc ei multa dona dedit, offerendo pelles hirſutas & ſimilia, ſuoque dominio ſe ſuosque ſubiugando. Hic Principum conuentus ſiue conuocatio ad longum, nimirum vſque ad tempus autumnale, durauit ſine concordia.

Eodem anno, Carolus rex Franciæ repudiauit filiam Maximiliani, & rapuit deſponſatam Maximiliano regi Romanorum duciſſam Brittanniæ.

Eodem anno, inaudita noſtris ſeculis viguit caritas annonæ, in Ateſi, Sueuia, Bauaria, & partibus Italiæ vicinis, quæ creſcendo ad triennium perdurat, ita vt fames eos multiformiter a territoriis peregrinari faceret, vt in aliis terris, maxime in Thuringia, Miſnia, & ſuperiori prouincia Marchionum, & hic circa oppidum *Hof* victualia peterent, ac frumenta & ſiliginem emerent ibidem. Vidi ego viros de oppido *Suuatz*, apud Tridentum ſito, cum XVIII equis ſolitarie & pedibus incedentes (prout in montanis conſueuerunt facere in eis mercimonia) ad emendum ſiliginem in *Hof* veniſſe, & V feria poſt Petri & Pauli, quorum dies IIII feria poſt Dominicam quartam Trinitatis erat, ſex octalia ſiliginis floreno vno emiſſe, cum ſiligo ante tres hebdomadas duobus florenis in *Hof*, in foro venderetur, & ita in primo eorum aduentu deſcendit. Emerant pro 20 florenis ſiliginem, ſex octalia (vt dixi) pro vno floreno: quam ſiliginem vno floreno emptam in Tridento & ſua patria quinque florenos valere dixerant libentiſſime, aut ſex florenos.

Anno 1492, Imperator Fridericus circa diem ſancti Georgij illuſtrem Principem Marchionem Fridericum, Romani Imperij capitaneum ordinatum, ad bellum præparare, & Auguſtam ad campum *Lechfeldt* cum cæteris principibus recipere ſe demandauit. Qui Marchio obediens V feria feria poſt Georgij, quæ ſecunda feria Paſchæ fuerat, plus quam quadringentis armigeris equeſtribus, & centum curribus, & totidem cum equeſtribus de *Onoltzbach* poſtea illuc comparendo exiuit. Breui poſt temporis ſpacio, dum congregati eſſent in *Lechfeldt* vltra 20000 armatorum, concordia facta eſt inter Imperium & duces Bauariæ, qui eidem fuerant rebelles.

Eodem anno moritur Innocentius Papa, die ſanctæ Annæ, & eligitur Alexander ſextus.

Eodem anno, poſt feſtum ſancti Martini, cecidit lapis quidam trium centenariorum, & vltra, in Elſatia, ex clara ignita nube, cœlo alibi ſereno, maximo cum ſonitu, qui fuit diſcolor, & durus. Eodem tempore, viſa eſt crux rubea circa lunam magna, cœlo ſereno.

Eodem anno, in feſto ſancti Ioannis Euangeliſtæ, 27 Decemb. frigus intenſum fuit, & cœlum ſerenum: & viſi ſunt tres ſoles in Iride pulcherrima, & in circulo integre circa meridiem vſq; ad veſperam, & duo extremi ſoles in circulo integrę Iridis apparebant, quaſi tecti alba nube. Sol tamen orientem verſus lucidior apparuit Sole occidentali; item circulus Iridis integer circuibat verum corpus Solis. Mane autem prodigia alia in ſole viſa erãt. Sol ſanguineus in ortu ſanguinem in altum ad trabis modum ſparſerat, & hoc ſæpius.

Anno 1493, circa feſtum S. Bartholomæi, fama diuulgauit, Imperatorẽ Fridericum III deceſſiſſe: & ſic factum erat, die Lunæ 19 Auguſti. Fuit vir pacificus & deuotus, qui ſacro igne in pede accenſus, pede abſciſſo, deniq; eodem igne interiit.

Eodem anno æstas fuit satis temperata. Sed certi dies calidissimi interiecti erant. Tempus autumnale satis calidum fuit, & siccum, ita vt quinta feria in Angaria, ante festum sancti Michaelis Archangeli, audirentur tonitrua nociua & horribilia, & fulgetra lucidissima nocturno tempore tunc visa sunt.

Eodem anno, Turci ceciderunt strage graui de manibus Alemannorum in Vngaria, procurante Vladislao rege Bohemorum & Vngarorum. Nam anno 92, Turci occiderant magnum, vocatum nigrum, exercitum regis Vladislai. Sequebatur tum per Alemannos Dei nutu vindicta, anno 93. Vngari autem indignati de aliorum Alemannorum contra Turcas victoria, de cætero sibi volentes hunc vendicare honorem, Turcis autumnali tempore, circa Simonis & Iudæ festum, eodem anno 93, intrantibus cum 18 millibus pugnatorum ipsi occurrerunt. Cum humilibus DEVS det gratiam, per Turcas circumdati omnes ibi occisi sunt, paucis demptis qui captiui ducti sunt. Nam sex millia Alemannorum, quos Rex ad prælium hoc ordinauerat, inter sequendum Hungaros interfectos repererunt.

Dictum est, quomodo Carolus rex Franciæ desponsauit sibi primo filiam Maximiliani regis, tunc Romanorum. Et dum præfatus Maximilianus rex Romanorum desponsasset sibi Ducissam Brittanniæ; Carolus rex Franciæ vi eam rapuit, & sibi desponsauit, repudiata filia regis Romanorum. Vnde grauis altercatio iuxta vaticinia de hoc dicta oritur. Tandem fit pax. Sed mira sunt & metrice & prosaice vtrinque conscripta de matrimonio, quod rex Romanorum per legatos, de præsenti contraxerat, & per regem Franciæ violatum erat, quorum quædam hic interponere volumus.

Ad Carolum Franciæ regem pro Maximiliano rege oratio.

LVstra iam octo fruendæ huius vitæ propitia mihi fata dederunt, quibus ne scriptis quidem absens mortalium quempiam lacessere, impetere, carpere molitus sum. Sciebam enim id esse non mediocre pusillanimitatis flagitium ac vindictæ. Et modo quam mihi ipsi contumeliã temerarius afferret; aure surda transire potuissem. Verum cum non mihi, sed supremo maximoq; Romanorũ regi, Maximiliano nefariam iniuriam ac indignissimum facinus rex alius designauerit; quo id pacto non moderate quidem, sed molestissime ac acerbissime mihi ferendũ, a viris æquitate iustitiaq; præditis non posset existimari: quippe qui germanus sum, & germanorum regi obnoxius, & merito turpe iudicarer membrum, si non capiti contumeliam passo misererer, &c. quantũ vires supperunt, vel ingenij lucubratiuncula, non satagerem lamentari. Nam & nõ modo Germanus, sed etiam ex insigni Romani imperij oppido natus sum, quod ex quatuor eius vicis aut castellis, non est abiectius aut obscurius, & non absque singulari regũ atq; Imperatorũ liberalitate & honore collato, illustris aquilę præclaro signo, refulget. Quid quod ego ex præteritis coniecturã faciens, maximam constanter spem habui, si vnquam nostro seculo res Christiana, tot fluctibus & procellis, in hunc vsque diem agitata; si regnum Romanorum, florem antiquum, potentiam & maiestatem resarcire possit; ea omnia duce Maximiliano feliciter propediem futura; eumq; tanquam ancoram & salutis portum, fidei & imperij incrementum, fortunam, decus, & gloriam restituere, dirigere & componere posse? tantum principem, tam inuictum, tam victorioſum belli ducem, tam magnificum, & maiora facturum regno, cuius Romanum regnum humeris fulcitur & quiescit; quis nam (quem se imperio Romano subiectum non pudet fateri) æquo animo ferat rara & inaudita contumelia nunc affici, grauissimam iniuriam pati, vxorem arripi, & eam quæ indiuisa secum caro futura erat, attrectari, castissimum thalamũ violari, & vna iucundissimam spem gratæ posteritatis auferri? Nemo mihi succenseat humanissimi patres: ponderate rẽ ipsam: cogitate facinus: scelus exquirite: & quantũ in se contineat horrendæ impietatis, animo volentes discutite. An hæc insignis cõtumelia patienter est ferenda? an hoc flagitiũ christianum hominẽ non sufficiat permouere. Ego quidẽ ita iudico, quisquis tali peccato blãditus fuerit, eũ honesti, nũquã aut catholici viri solo nomine dignũ esse & fore: neq;

ego

egó te ex regio Francorum ſanguine natum crederem, Carole, niſi te Ludouici Francię regis filium eſſe certo ſcirem: qui fidē Chriſti amplificarunt, eccleſię ſuiſq; pontificibus opitulati ſunt, & rebus præclare geſtis Chriſtianiſſimorum inſignem titulum meruerunt: quorum nonnulli ob vitæ ſanctitatem inter diuos & beatos cœlicolas relati ſunt. Eos tibi maiores, auos, & proauos extitiſſe, perſuaderi mihi non poſſet? ſic quidem ipſa ſanguinis ſucceſſio, & legitima prolis ex parentibus traductæ propagatio bonas & malas condictiones ſecum transfert. Egóve te Carole regia maieſtate dignum crederem, cuius eſt impios quoſlibet & iniuſtos vlciſci; bonis autē & meritis optata præmia referre? Hoc regis officium, hoc principis munus, vt ab iniuriis & calumnia cæteros quoſque defendat, contra legem & inique agentes cohibeat, caſtiget, exterminet. Sed quæ maior impietas? quæ ſpurcior iniquitas? quæ nam calumnia execrabilior? quæ iniuriarum atrocior, quam optimi regis, optimæ filiæ illudere, & eam abiicere, explodere, abdicare, quam tu, nolente ſocero, interueniente tamen populi conſenſu, optaſti, voluiſti, duxiſti vxorem? quæ maior omnium peruerſitas? quæ truculentior ſæuitia? quæ tyrannorum crudelitas inexplicabilior, quam filiam nobilem, quæ iam pridem vltro in Maximilianum expreſſis verbis de præſenti conſenſum præbuit, (qui ſolus ratum & verum indiſſolubileque matrimonium facit) ab alienis nuptiis violenter abſtrahere; coniugem viro ſuo viuenti rapere; & a viua adhuc vxore dilectum maritum excludere ac ſeparare; indiuiſam carnem ſcindere; & in loco electi ſponſi odioſum adulterum quieſcere, ſuoque ſinu iniuſte foueri? an non ſatis viſum eſt tibi, Carole, ſoceri turpiter eieciſſe filiam; niſi etiam turpiſſime rapuiſſes vxorem? Et vt te impudentiſſimum oſtendas, auſus es, vt tibi id liceat, a clementiſſimo iuſtiſſimoque omnium pontifice licentiam poteſtatemq; duplicis adulterij poſtulare. Credis tu beatiſſimum patrem in flagitium, in adulterium, in raptum, in ſacrilegium, in ſummam iniquitatem tuam conſentire, blandiri, confirmare: deceptus es conſilio tuorum. non eſt temptandum apud primam ſedem, vt propter te tuamque potentiam Deum execrabiliter offendere; quos Deus coniunxit, ſeparare; diuinas ſanctiones conculcare; ſacratiſſimas leges infringere; ius, fas, pium, æquum, iuſtum, ſanctum, honeſtum, fidem & religionem confundere, violare, inficere, labefactare præſumat. Honeſtum petito, & dabitur tibi a Romano Pontifice. Vxorem alienam reddas: tuam retineas: errati veniam petas, & impetrabis. Dic Carole, nunquid ne tibi mentis aut animi tui latens quędam ſententia, cum cordis etiam tremore ac metu remurmurans, definit, iniquum ac impium eſſe quod feciſti? Satis tibi paganorum eruditione perſuaſum eſſe debuit: ſi omnes deos hominesque celare poſſimus; nihil tamen iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incōtinenter eſſe faciendum. honeſta enim bonis viris, nō occulta quæruntur. Numquid Carole Rex, ſi diſpenſatum etiam fuerit (quod nunquam crediderim) animi tui pacem & tranquillitatem perditurus es, quo ad viues? Latebit in conſcientia teſte ſemper frigidus anguis, qui te mordeat, pungat, excruciet. In hac re memineris Carole, Deum te adhibere teſtem, id eſt (vt Tullius arbitratur) mentem tuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius. Et ſi forſitan obfirmata ceruice & indurato corde futurus es, adeo vt internum tuum iudicem ac reprehenſorem negligas, & nequaquam animaduertas; nonne iuſtiſſimum Deum tandem timebis? nonne vel hominum pudorem habiturus es? vbi erit regia virtus? vbi erit regalis honeſtas? vbi timor Dei? vbi pietas in fratrem? vbi fides in æqualem? vbi obſeruantia in ſeniores? in principes natu maiores? in regni patres? in conſiliarios? vbi obedientia in confeſſorem tuum? quos non credo omnes hoc in vitio tibi prorſus aſſentiri: tametſi inter tot aulicos opiner adulatores quoque multos inueniri, qui ſolent ex ſtultis inſanos facere: præſertim cum nihil ſit, quod credere de ſe non poſſit, cum laudatur diis æqua poteſtas: *Satyrus ait.* Perpulchre id Plato ſentiebat, & paucis admodū verbis ſignificauit. *Difficile eſt*, inquiens, *& plurima laude dignum, in magna peccādi licentia iuſte vixiſſe.* Verū cum doctiſſimis optimiſq; viris Francię regnum abundet (quippe in quo & illuſtres viri, epiſcopatus, & nobiles Academiæ florent) apud te quoq; graues & præſtantes viros eſſe in precio non dubito, qui & auſint ne blando quidē tactu molliter animi tui vulnera palpare, ſed inſtar ſanctiſſimi Baptiſtæ conſtanter arguere, qui Idumęum principē ſui amatorē viriliter increpabat, inquiēs: *Non licet tibi habere Philippi fratris tui vxorē*: nō ſolū inceſtū, ſed

etiam adulterium ipsum acerrime detestatus; & quidem, quod frater infidelis infideli fratri coniugem vi rapuisset. Quid quod frater Christianus Christiano fratri dimidium corporis aufers? An credis christianæ fraternitatis cõiunctionem infidelium germanitate viliorem? Erras: sic quidem naturã gratia perficit & excellit: & fidem caritatemq; cum in omnes homines, tum maxime in domesticos religionis & fidei obseruare iubemur. Si Deus per os Baptistæ voluit infidelẽ corripi: quid de te fieri dignum est; qui non solum Christianus, verumetiam christianissimus dici gloriaris? Si tanta rerum calamitas, & Troiani regni fundamentalis euersio, raptum & adulterium Paridis secuta est, quo Rex regi, gentilis gentili, par pari, contumeliam intulerat: Quid tandem fiet, dum tu rex primo atque supremo regi, Christianus Christiano, gener socero, tantam iniuriam, contumeliam, impietatem, ignominiam & proditionẽ attulisti? Non hæc certe iustissimus Deus impune poterit præterire. Ac veluti raptu & adulterio suo Paris Troianę subuersionis; ita tu (vereor) nobilissimi Francorum regni lamentabilis excidij, ruinæq; infandum seminarium & dirum fomentũ causamq; præstabis. Non hæc supremus omnium rector sustinere poterit, qui matrimonium instituit; qui fracto sacramento, velut institutor & auctor, offensam accipit; qui adulterium prohibuit; qui adulteris passim in lege maledixit; qui mœchos saxis obrui iussit; qui Abimelech regem Palæstinorum, auferẽtem summo patriarchæ vxorem Saram, corripuit, dicens: *Redde viro suo vxorem: Si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt*: ille, inquam, Deus, qui per Moysen, mansuetissimum belli ducem ac legislatorem, sanxit, puellam viro desponsatam, si alius forte pro libidine sua contrectasset, cum vltimo supplicio plectẽdum; qui adultero Dauidi, *Non recedet, ait, gladius de domo tua vsque in sempiternum: eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Ethæi*; qui & in euangelio, cũ iudicialia præcepta moderaretur & euacuaret, Legis tamẽ naturalis obseruantiã mandauit, inquiens, *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*. Lex illa natura est, & a lege Dei æterna deriuatur, cui semper obtemperandum est: nisi forsitan nihil existimas contra naturam fieri in hominibus violandis. Quid ergo tecum differam, qui omnimodo hominem ex homine tollis? At si ad honestatem nati sumus; ea sola expetenda est, (vt Zenoni visum) aut certe omni pondere grauior est habẽda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet. Necesse est, si Rex iustus esse voles, hanc te turpitudinem, naturali honestati contrariam, deserere, qua nihil tetrius, nihil fœdius excogitari potest. Si enim natura non patitur, vt aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes, augeamus; & huic quoque vitio natura repugnat, vt alterius coniuge rapta, peruersæ nostræ libidini satisfaciamus. Neque, si Deus simulare etiam velit, stabile esse potest, aut mansurum diu regnum tuum, quod & legibus & iustitia non fulcitur, & bonis artibus præclarisq; moribus non administratur. Non possunt diu subsistere latrocinia. Et qualia sunt regna, dicit Aurelius, adempta iustitia, nisi latrocinia magna? Nec reprehensibile Philippi Macedonis regnum potuisset tam diu subsistere, si non in suos commilitones iustitia quadam vsus fuisset. Verissimum enim est, absque summa iustitia rempublicam administrari non posse. nihilque tam inimicum ciuitati aut regno, quam iniustitia. Enimuero cum rex aut princeps lex animata sit, ad quam subditi tanquam ad exemplar respiciunt; operæ precium est, illum omni virtute, & præsertim iustitia, pollere, qui cæteris imperãdi sumpsit autoritatem. At cum in rege aut principe passiones & vitia dominantur; vniuersum regnum submittit ruinæ: quoniam, dum misere voluptatibus intendit, a regni cura sensim remittitur, & suo quidem exemplo subditi ad vitia licentius inclinantur. Memoriæ proditum est, Romanum quondam imperium diuidi & exhauriri cœpisse, Nerone imperante: cuius aula omnia deuorauit; maculauit libido; superbia exinaniuit. Romanis ad ea flagitia (vt conditio est omnium hominum) procliue declinantibus, eorum respublica indies labefactata est. Quod Cato cum Scipione in senatu deplorat: *Nolite*, inquiens, *O vos Romani existimare, maiores vestros rempublicam armis ex parua magnam fecisse, sed alia fuere quæ illos magnos fecere: domi industria; foris iustum imperium; animus in consulendo liber, nec delicto nec libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, auaritiam, publicæ rei egestatem.* Itaque Carole, si regnum tuum florere cupis, non imitabere lasciuiam abiecti animi, & arbitrio carentis suo: non imitare libidinẽ Paridis & Herodis: ne imi-

imitare temeritatem Caij Cæſaris,qui omnia iura diuina & humana peruertit,propter cum quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat,principatum:imitare Carole auos & progenitores tuos,Clodoueum,Clodoaldum,Dagobertum,Pipinum,Carolũ Magnum, Ludouicos,qui omnes hoc vnum vitium,tãquam lethiferum virus,gelidumq; ſerpentem,horruiſſent: & quorum plerique,inſigni virtute præditi, Imperio Romano detulerunt, erexerunt, nobilitarunt. Caue rex Carole, ne ſequaris veſtigia Caroli Martelli primogenitoris tui; qui ob tyrannidem ab Eucherio Aurelienſi præſule in tormentis apud inferos viſus eſt. Caue rex Carole, ne ſequaris alterius cuiuſdam progenitoris tui veſtigia, qui ab Angliæ rege apud ſummum pontificem Innocentium tertium fractæ pacis & rupti fœderis initi,iure iurandoq; firmati, quondam accuſatus eſt. Caue ne ſuperſtes adhuc tibi tuoq; nobili regno ex hac labe & turpi nota, non mediocrem quoq; iacturam tãdem videaris attuliſſe:ne tibi eueniat,quod merito omnibus accidere conſueuit; qui male viuendo, conſulendo prouidendoq; expectant proſperum rei ſucceſſum. Et vos ô prudentiſſimi conſules, ô viri præſtantes, qui Carolo regi proximi ſemper eſtis,prouidete,ne ſimul cum tanto raptu & adulterio intereant omnes bene & ſancte viuendi mores & artes; ne ſubito per magnam ſeu periculoſam potentiam legum metu,omnes qui lateri ſuo cohęrent,animi virtutes ducant eſſe ſuſpectos. Vereamini, ne apud regem veſtrũ pudici adulteris; ignaui fortibus; bonis perditi; grauibus & ſanctis ganeones ac adulatores, in amore & amicitia,in magiſtratibus honoribusque,prę-
ferãtur. Et quoniam in nobiliſſimo Franciæ regno regali politiæ Ariſtocratia feliciter cõiuncta eſt;ô vos inclyti patres,& illuſtres parlamenti iudices,quorũ eximia laus toto reſonat in orbe; (datis enim inprimis operam,vt iuris & iudiciorũ æquitate ſuum quiſque teneat; vt neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur; neq; locupletibus ad ſua vel tenenda vel recuperanda obſit inuidia. Solet enim conſtantiſſima prudentia veſtra ius cuique dicere; iuſta decernere; iuſtitiam colere; iuſtitiam fouere, proſequi,defenſare;quamuis inter regem & abiectum repeciatorem coram vobis cauſam verti contingat) adeſtote. Cauſa enim nunc agitur vniuerſi regni veſtri, famæ, decoris,honeſtatis,gloriæ,celſitudinisq; regiæ. Fama nunc agitur regni, populi, militiæ, cleri,gymnaſiorum,principum,antiſtitum, religioſorum,conſulum,præceptorum,& patrum,eorum denique omnium, quorum ſalus ex virtute ac gloria regis pendet. Nolite, quæſo, patres admittere, vt veſtri regni tot ſeculis celebratæ laudes, hac vna labe tandem intereant,caliginem contrahant,aut ad nihilum redigantur.

Tu quoque ô ſacratiſſime clementiſſimeq; Cæſar,aperi theſauros,& ſuccurre filio, neceſſitatem habenti.Et vos ô Romani Quirites;ô Hiſpaniarum,Angliæ,Portugalięq; reges; ô vos principes,vrbes,milites, & proceres Romano imperio fideles & obnoxij; mementote ex claritate ac triumpho Maximiliani veſtram dignitatem, commodum & gloriam pendere: tædeat,obſecro,Germaniam perpetua macula deſerti regis obfuſcari. Demum Maximiliane Rex regum (cum pace & venia tua loquar) elige tibi viros,conſilio,prudentia,ingenio,auctoritate,eloquentia, maturitate, iuſtitia, cõſtantia, præſtantiores,quorum vel in Germania magna copia eſt (vt in Catalogo virorum illuſtrium meminimus) vt illorum ductu imperij monarchiam feliciter adminiſtres.Non enim vitibus,aut velocitate, aut celeritate corporis, res magnæ geruntur, ſed conſilio, autoritate, ſententia: quæ quidem non in iuuentute, non in calamiſtratis, ſed in ſenectute, & optimarum diſciplinarum cultoribus, inueniri poſſunt; in Philoſophis, qui moralem philoſophiam; qui politicam præcipue norunt; qui hiſtoricos veteres legerunt; qui diuinas & humanas leges non ignorant. Scito Maximiliane,Græcorũ ducem nunquam optauiſſe, vt Aiacis ſimiles haberet decem; ſed Neſtoris quinque: quod ſi accideret, non dubitabat, quin breui ſit Troia peritura. Tales ergo conſiliarios aſſume qui Deo & ſibi ipſis ſint fideles; caritatem, & zelum habentes; benigni; patientia præditi; non ambitioſi; qui non inflentur; boni publici amatores; qui non quærant quæ ſua ſunt,ſed quæ cõmunia; qui ſint veraces in verbo; conſtantes in iudicio;in cõmiſſo fideles; in arcanis taciti & ſecreti; qui docti ſint & experti; in quibus ſapientia maior & prudentia viget; qui ad ea quæ iuſta, quæ honeſta, quæ reipublicæ & regno tuo neceſſaria videntur,eloquentia ſua vel ore vel ſcriptis cæteros valent potenter inducere,cohortari, perſuadere. Hos viros accerſe; iſtos dilige; illis vtere familiariter.

Deuita & repelle procul abs te virginum corruptores monialium, ſacrilegos, raptores aut violatores, adulteros, blaſphemos, maledicos, calumniatores, bilingues, fallaces, oblocutores, aſſentatores, impios, feroces, & inmiſericordes, in arma & necem ſine conſilio promptos & præcipites, bonarum artium hoſtes, ęmulos cleri, & pauperũ oppreſſores, & (vno verbo) Dei timorem non habentes: ſed his omnibus abiectis & excluſis, optimos viros vita, moribus, prudentia, præclaros elige, quales in Germania (crede mihi) facile conſecuturus es. Habes enim principes electores: habes eorum cancellarios prudentiſſimos & eloquentiſſimos: habes in cathedralibus & collegiatis eccleſiis prælatos: habes in gymnaſiis, in cœnobiis doctiſſimos & ſapientiſſimos viros, qui quandoque tibi tuoq; regno prudentia, conſilio, facundia, multarum hiſtoriarum cognitione, ſalubriter prodeſſe poſſunt: hos elige: hos ad te voca: hos ama, foue, & tua beneuolentia complectere. Profecto quantum ad ingenui & præclari animi regij q́ue corporis tui vires attinet, ea quidẽ habes quæ victorioſum principem, quæ maximum regem decent. Diceris enim magnanimus, laborum patiens, tempeſtatum contemptor ſub dio & papilionibus, prędicaris intrepidus ad ardua, terribilia, lethifera, vbi vix tenui filo mors a vita diſiungitur: ſed neque tibi hæc, Maximiliane, ſufficere credas; neque id quoque vnquam tibi perſuadeas, ſatis eſſe & fore ad patriam tutandam, quod bonos & perfectos conſules nactus ſis: porro alterum quoque neceſſarium eſt, vt & tu ipſe conſilio, prudentia, & dandis ore tuo reſponſis intendas. Neque enim vernacula lingua tuis ſolum ſatellitibus, ſed his omnibus loqui poſſe, vel Romano ſermone, qui te vrgẽtibus negociis adituri ſunt, regiam tuam maieſtatem decebit. Nihil eſt quod principi fauorem & affectum populi magis conciliet, quam gratia ſermonis: immo indignus aliquantulum regno videtur, qui ad ſeſe venientes vel non intelligit, vel eis reſpondere non poteſt. Mithridatem Ponti Regem quis non commendabit, qui viginti duabus gentibus quibus imperauit, abſq; interprete loquebatur? Aulus Gallius teſtis eſt. Sigiſmundus Romanorum Rex, Ladiſlai patris tui patruelis, auus maternus, quod plurima noſſet idiomata, perpetua laude meruit extolli. Audiui ego ipſe ex grandæuo quodam & veraci viro, nonnullos oratores Alemanos ad Martinum quintum, Romanum pontificem, miſſos fuiſſe, inter quos comes erat eleganti & procero corpore eminẽs ſupra cæteros omnes. Cum Pontifex de more illos ſalutare & alloqui cœpiſſet: non potuit linguæ commercio ad comitem vti, quippe qui ſermone quem a matris vberibus didicerat contentus, neque Romanam, neque Italicam linguam norat. Subridens Pontifex, ait circumſtantibus: *Ecce bella beſtia*, ſignificans eum bellum eſſe corpore, ſed beſtiam taciturnitate. Comes vbi verba & mentem Pontificis ex collegis ſuis cognouit, bono pudore permotus; tres filios ad Academiam Italiæ Bononienſem miſit: vt literis operam darent: nolens vnquam caræ poſteritati quod ſibi contigerat, forſitan euenire. Nec patrem ſpes fefellit. Nam filij omnes ſummo ſtudio cæteris multis præſtãtiores euaſere, vſq; adeo vt vnus eorum in Agrippinæ Archiepiſcopatũ, duo reliqui, alter poſt alterum, in monaſterienſis eccleſiæ antiſtites, doctrinæ merito digne fuerint exaltati. Itaque paterna confuſio filiis laudem peperit & gloriam immortalem. Quiſquis ergo Regum vel laudibus extolli, vel a ſuis amari deſiderat, linguæ cõmercio vtatur ad omnes, neceſſe eſt. Tibi ergo, Maximiliane, nitendum eſt, vt audire per te ipſum ſubditos & aduenas, intelligere, affari & reſpondere poſſis. Stoliditatis & imprudentiæ clam arguitur princeps, dum coram oratoribus exteris aut quibuſuis alienigenis, interprete ſolo loquente, ipſe tacet & obmuteſcit. Occurrunt plerunque negocia, quæ tibi ipſi duntaxat referre & tuto committere ſubditi velint, nec interpreti confidunt. Cæterum Rex qui per alios loquitur & reſpondet, nihil certe magis, quam nudum regis nomen, meretur. Mulieri (vt Homerus ait) taciturnitas decus affert: at non itidem viro. Itaque, ſereniſſime Rex, vt regnum, vt milites, clerum, & ciues, feliciter regas; prudentes, & ipſam prudentiam, eloquentiam, & affabilitatem amicitiæ parentem ama, ſectare, amplectere: quæ vt facilius compares, literas cole; libros dilige; lectioni intende: quæ te omnem diſciplinam, omnem virtutem, omnem prudentiam, omnem iuſtitiam docebunt, qua ſola temporale hoc regnum tibi creditum prudenter & egregie tandem gubernabis. Exemplar accipe a Iulio terrarum domitore, qui cum in Gallia bellum gereret, diem armis, noctem literis dedit. Quid autem terſius: quid eloquentius

tius scribi potest quam ea commentaria quæ ipse de se cõdidit? Exemplar accipe in Sigismundo, qui orationes elegantes & deuotas ad deputatos in synodo Constantiensi habuit; plurimos reges dissentientes eloquẽtia sua pacificauit,& multa præclare gessit: quæ sine iugi literarum studio & assidua lectione nequaquam fieri potuissent. Cum tibi nonnunquam Maximiliane, per otium licet(non enim semper bella geruntur)cura, vt saltem legantur,te ipso auscultante,historiæ veteris Testamẽti; & doctrinę morales; Aristotelis politica, vel in vernaculam linguã traducta; Valerius Maximus, Salustius, Vegetius De re militari, Titus Liuius, Suetonius De duodecim Cæsaribus, Seneca De clementia ad Neronẽ, Ægidius De regimine principũ, Decades Blondi, Henricus Ariminẽsis De quatuor virtutibus cardinalibus, historiæ Regum & Imperatorum, Platina De moribus põtificum; Ioannes Gerson in cõsiderationibus, quas rex aut princeps habere debet. Vtinã tibi ex eodẽ opusculo enchiridion facias: quo saltẽ, dũ rem mane diuinã audire soles, partim vti possis. Deniq; Maximiliane, vt te rege beata sit respub. caueto in primis, ne Germanicę nationis thesaurus,& pecunia(quę neruus est belli)absorbeatur, aut prorsus euanescat. Tum,si obscœnos & peruersos oderis; prudẽtes consiliarios(quales descripsimus)aduocaueris; literarũ studio delectatus fueris; rerũ publicarũ & priuatarũ vtilitati & opulentię intenderis: poteris Romano imperio consulere; Germaniæ priscũ decus augere; nobilis Austriacæ domus insignẽ claritudinem perpetuare; hostes vincere, pacificare discordes, rebelles subigere, læsę maiestatis reos castigare; sacrosanctã eccles. tueri; & eos qui christianã religionẽ inficiũt, persequi, omnẽq; regni statũ in melius reformare? Et tandẽ pacificatis principibus, ac bellis omnibus exterminatis, subactisq; rebellibus, opportunitas maior prębstabitur, faciliusq; poteris Turcas & Saracenos cõterere; Machometistas voluptati deditos extinguere; & mari commode transito, non solũ christianorũ sanguinem, quẽ sæpe gens impia fudit, vlciscí; sed etiã sanctissimam vrbẽ ab infideliũ spurcitie sacrilegisq; manibus liberare, vt liceat deuotis Christicolis vrbis illius mœnia tuto & viriliter accedere; varios summo in gaudio motus gestire; iubilis & canticis optimum maximũ Iesum venerari; & in faciẽ prostratos, lacrymis vbertim genas irrigantibus, sanctã vrbem, sanctũ venerandumq; Domini sepulchrũ salutare; atq; vt id non rara, sed frequens faciat Christianorũ multitudo,& pulchrũ sit cernere sumã in lætitia, in omni exultatione deoscularí loca, vbi Dominus operatus est salutem; in medio terræ singulorũ genas lacrymis irrigari, laudes, hymnos, psalmos certatim cũ presbyteris & clero, populũ quoq; decantare; & eos, licet paucissimos, qui iã vrbem sanctã & montẽ Synai habitant Christianos, nobis passim aduentantibus ostendere, vbi Dominus Iesus natus; vbi in horto captus; vbi verberatus; vbi passus; vbi deinde conuersatus; ac demũ ascenderit in cœlos. Neq; enim tu Maximiliane, imbecillior futurus es Gothefrido Lotharingiæ duce, cui insignis hæc victoria, Deo quondã propitio, fuerat concessa. neq; inclyta semper loca, in quibus nostra salus & noster legislator Christus pro nobis passus est, impiorũ malitia contaminari poterũt, & ab eis indigne possideri; spem tibi & non mediocrẽ recuperandæ terræ sanctæ fiduciam faciat, Maximiliane rex, Christi Iesu(quo nihil verius, nihil certius)testimonium: qui cum ruinam & excidium vrbis Hierosolymæ vaticinaretur, inter cætera subdidit:

Et Hierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Roberto Gaguino, ordinis sanctæ Trinitatis ministro generali, Francorum regis Oratori, Iacobus Wimpfelingus Sletstadens. salutem.

VIr non vise, at ex literis cuiusdam amicissimi qui in inter Allobroges habitat, mihi & laudate & dilecte, gauisus sum, quoniam te coram videre nequeo, saltem literis visitare: diceris de cõceptu virgineo nuper Elegiaco carmine cecinisse. Et quoniam ego mihi videor in eadem re quoquę neruis vsus; cupio,si vnquam fieri posset, carminis tui copiam nãcisci. Iam autem propter commune literarum humanitatis studium, ad te mitto carmen Sapphicum, quod hesterno vespere confinxi. Si vero est de tuo rege fama; æquo animo feres scripta nostra: sin falsa,& ficta est; propter magnitudinem tamen publici rumoris qui ad Italos vsque & cæteras gentes penetrauit, ignoscito mihi precor: Adonium ipsum, præterquam in principio, deinceps ita legas, tanquam sit introsertum, vt sententiæ cæterorum versuum sibi inuicem cohęreant. Nam ob legem

& condictionem huius generis versiculorum, non necessitate sententiarum aut argumẽti totiens me idem dimetrum intermiscuisse tu ipse nosti. Vale, ex Spira pridie Idus Februarij, anno Domini &c. 1492.

Carmen Sapphicum Iacobi Wimpfelingi Sletstadensis ad Robertum Gaguinum Francorum regis Oratorem.

Regis ex raptu tetrico procacis,
Qui dolo fœdat thalamos pudicos,
Quæ prius gratos dederant odores,
Lilia marcent.

Filiam nuper Aquilæ potentis
Gallus elegit, rapuit, amauit;
Compotem regni cupiens futuram:
Lilia marcent.

Cor de nutanti posuit pudorem
Inmemor iusti, fugiens honestum:
Negligit famæ titulos vetustæ.
Lilia marcent.

Integro lustro placuit puella:
Et simul vita fruitur suaui:
Sperat & tædas sibi præferendas.
Lilia marcent.

Vt decet, sponsam fouet, osculatur,
Assidet, stringit niueis lacertis,
Dat manus, ridet, recreatq; mœstam.
Lilia marcent.

Coniugis totum studet exhibere
Munus, at frustra. Silicem quis optet,
Vt niuem aut ceram fluidam, resolui?
Lilia marcent.

Mox amor Galli bonus & pudicus
Carneo victus; vitioq; virtus
Victa: languescunt, cecidere, lugent,
Lilia marcent.

Sponsa quæ cordi fuit & placebat,
Displicet: coniunx soceri placet nunc.
Magne cur Princeps adeo vacillas?
Lilia marcent.

Dic mihi causam subitæ repulsæ
Cur tuam spernis, alienam amastis?
Sic volo, dices: satis est potesse.
Lilia marcent.

Dic vbi regis decor aut honestas?
Dic vbi verus pudor & cor altum?
Dic vbi virtus animusq; constans?
Lilia marcent.

Roberto Gaguino, Franciæ Regis Oratori, Iacobus Wimpfel. Sletstad. S.P.D.

PRopter magnitudinẽ famæ, multitudinemq; rumoris (qui cum adeo inter diuersas gẽtes inualuerit, non potest nõ habere momẽtum) interpretabere pro tua sapiẽtia, me nihil temere, indigne aut inconsulto fecisse: præsertim cum non possis existimare, Sapphico nostro violari vel famã vel dignitatẽ tuam. Quod si ego arbitrarer, nũquam ad te misissem. Sed mihi ita persuadeo (potest fieri vt fallar) eam rẽ laudi tibi potius, quã vituperationi fore: vt dũ tibi nostræ sententiæ iacula perspecta esse cœperint, facilius ea tibi forsitan elisum iri contingat. Si vero putas nihil interesse mea, velim mihi ignoscas, quod animi mei dolori (qui magnus est) obtemperãs, minus videor rationem habuisse grauitatis & prudentiæ tuæ. Nam & indigna quam rex noster accepit, contumelia, visa est mihi, non suæ solũ maiestati, sed vniuersæ quoq; Germaniæ, & Alemanis deniq; omnibus, infandum probrum, labem, iniuriam & sempiternam ignominiam attulisse. Cogita: veluti tu Francus iure & natura Francorum regem colis & amas; ita ego Germanus regi Germanorũ obnoxius, merito turpissimũ iudicarer membrum, si non tãto capiti contumeliã passo saltem ingenij mei vena condolere & misereri studuissem. Ne autem me ex omnibus duntaxat animo perculsum credas, ecce, reuerende pater, mitto Italorum carmina, qui ne hoc quidem facinus æquo animo putant esse sustinendum: sed eis indigna est visa rei facies, & non tollerabile stuprum. Videbis, si verba mentem iudicant, etsi ex habundantia cordis os loquitur; illos exteros longe acerbius ferre hoc peccatum, & eos maiori indignatione commoueri, acrioriq; censura & minis durioribus tantam inhumanitatem detestatos. Et quis non obstupescat, audiens horrendum regis tui facinus? Cuius maiores non solum ecclesiæ tribulationibus succurrere, non solum Romanis pontificibus in sua sede reponendis, verum etiam omnibus frequenter iniusta passis opem ferre consueuerunt: tanquam nobilis Franciæ decus templum esset misericordiæ, quale apud Athenas fuisse memoratur, vbi cunctis afflictis erat præsto subsidium. A summa laude ad summam labem clarissimam domum subito cecidisse, & miseremur vobis, & nobis ipsis dolemus. Quid quod ego, qui mirifice ingeniis excellentibus (quale tuum est) delector; non poteram aptius opportunitatem, qua te ad scribendas mihi literas inuitarem, nisi hac vnica via nancisci? Scio enim

enim mihi voluptati, & gloriæ fuisse confido, si literas ornatissimas a doctissimo præstantissimoq; omnium viro ego, licet obscurus & imperitus, accepissem. Vale, ex Spiris 16 Kalend. Marcij, anno 92.

De raptu Caroli Gallorum Regis Chronica ex vrbe missa.

Reginæ volucrum thalamos inuaserat ales
Cristata, & turpi infecit adulterio.
Reginæ volucrum natam prius abstulit illam,
Et zonam soluit pessima virgineam.
Nunc rursum inductæ concedit nata nouercæ
Stragula fallacis prodigiosa viri.
Hæc papa: hoc ipsi totum qui vertitis orbem
Cardinei: fertis crimina tanta viri?
Ferte licet: liceat gallo miscere hymenæos:
Mox iter hoc passer discet inire salax.

Aliud.

Iure tuo violas alienum Carole lectum,
Iure tuo prædas & aliena rapis.
Quis negat licuisse tibi, lex Iulia quamuis
Bina negat, cum sit iam potuisse satis?
Iura ligãt miseros: summis, si credere dignum
Principibus nulla viuere lege licet. (est,
Esse tamen superos cælo qui talia curent,
Si verum est; properat vindicis ira Dei.

Robertus Gaguinus, ordinis sanctæ Trinitatis minister generalis Iuris Pontificij tibi deditus interpres; Venerabili viro Iacobo Wimpfelingo Sletstadensi, literarum humanitatis Professori S. P. D.

LIteræ tuæ Heidelbergę in legatione mihi agenti nocte fere concubia redditæ sunt: vixque otium fuit, eas perlegendi; quod scribendis literis ad legationem nostram perneccessariis occupatissimus eram. Percurri tamen celeriter: nec quicquam fuit quo offenderer, præter lyricum illud tuum sapphicum, quod neque excogitasse te, neq; me legisse vellem. Est enim aduersus innocentissimi Franci Regis conscientiam, non scite (quod tua venia dixerim) scriptum. Nam cum de regum maiestate nihil contaminate loqui deceat: tum eius maxime lædi celsitudinem puritatemque minime oportuit, quam neque tu vnquam, neq; quisquam gestorum eius conscius, insimulare possit. Igitur edere in eum eulogia, parum temperantis est ingenij; & eius maxime, qui eloquentiæ excellentia iactatur: cuiusmodi ipse re esse arbitrarer, nisi illud præter me carmen nemini commune esse factum asseuerares. Consules ergo modestiæ & honori tuo; nec æthereo illud lumini, sed igni & fauillæ committes. Atque vt te commonefaciam, rerum quas accusas animaduerto duo tantum esse capita, quorum in primis regem in iudicium adducis: repudiatæ primum (vt ipse iudicas) filiæ regis Romanorum; deinde receptæ in coniugem, quæ regis Maximiliani vxor esse vulgo ferebatur. quæ duo sic profecto incontrouersia versantur, vt vtrunq; diluere mihi facile sit, si epistolæ lex admitteret. Sed iustam epistolæ magnitudinem excessero, si totius causæ attinentias percurram: perstringam tamen paucis quæstionem. Margaretha Austriæ annum nondũ agens quartum, ad Carolũ Delphinum Viennensem impuberem, sperati ad pacem matrimonij gratia, deducta est. Eadẽ (defuncto Caroli patre rege) post aliquot annos, ad Romanũ regem non dũ adulta remittitur. Omitto in hac re, quod impuberem ante pubertatẽ inanis est ad nuptias assensus: & dum pubescunt, liberum esse illis sponsaliorũ pœnitere: quæ lex, vt canonicũ institutum, præsenti negocio maxime conuenit. Et ne forte nescias, rex Romanus, Margarethę pater, pactũ de nuptiis semper improbauit; tum quod a Flãmingis, se inconsulto & reclamante, conflatæ coniuratæq; essent; tũ quod plus grandis erat dos filię designata, & quæ accessione hęreditatis, si filię frater archidux præ sorore moreretur, augeri posset. Nec defuerunt qui ad refellendas mox nuptias constantissime diffamarent, Francum regẽ puellam, renuente patre, occupare atq; distinere. Et quo hæc facilius admittas, dũ virguncula in Francia educatur; nullum in filiã amoris indicium durus pater ostendit; neq; beneuolentiam in regẽ vllã opere exhibuit; nec saltẽm simulauit: quin potius, speratũ si volet, generũ bellis lacessunt. Regi quoq; Anglorum (quem Francis hostem esse pueri non nesciunt) fœdere se astrinxit: recepto cingulo, quod tibiæ ornamento est Anglis. Filia ergo quæ pacis causa futura vxor sperari potuit, cum præter bellum nihil videretur allatura, volẽti patri non iniuria remittitur. Quiescant alia plurima, quæ causæ regis Francorum suffragantur,

breuitati epistolæ consulens, perscribere. De Brittonibus deinceps breuiter agam. Bello Brittannico, rex Romanus auxiliaribus Anglis maxime patrocinabatur, viresq; impendebat suas: nec spes alia pacis compendiosior occurrebat, quam eã a Franco rege duci vxorem, cuius gratia pleriq; principes, & inter alios Romanus, Anglusq;, Brittanniam tueri adnitebãtur: quibus quidẽ nuptiis caste religioseq; celebratis, illud feliciter accidit, vt Brittonum omnium assensione pax patriæ reddita sit. Nec est quod cum liuore æstimes, regem ditandi se gratia, in nuptias properasse: quippe qui ante connubij diem Brittannia potiebatur; legitimoq; proprietatis iure eam terram sibi pertinere certo constabat: sed pacis consideratio pacificum regem adduxit, pacem Brittonibus dare fœdere coniugij: quo Romanus rex minime (vt plerique autumant) offensus est, quasi rex Francus obnoxiam sibi antea connubio virginem occupauerit. Itaque ne modestum regem arbitreris incõsulte & temeritate aliqua in coniugium prorupisse; omnia quæ ad honestatem & religionem pertinent, priusquam tori leges admitteret, antetulit: siquidem eam puellam quæ nunc regina est, & eos quos sui & rerum suarum curatores custodesque virgo habebat, iurisiurandi religione addictos, perconctatus est, quid nam de hoc quod de regis Romani matrimonio ferebatur, veritas obtineret. qui sancta & innocẽti fide Deum testati, nullo coniugali fœdere cuiquam mortalium virginem obnoxiam teneri asseuerauerunt: sed simulatum tantum ad cautionem quandam, & stratagema belli matrimonium fuisse, ne gens terræ Brittanniæ Franco regi se dederet. Nec tibi fecerint fidem destinati ad connubium procuratores: qui tametsi quatuor essent, nulli illorum tamen erat in solidum coniugij gerendi decreta facultas: quod vnum iuris maxime prouidentia cautioneq; statutum est. Huic potissimum vero duo libri sexti capita astipulantur: vnum titulo de electione *Si quis*. Alterum deprocurat. *Si duo*: scriptum deprehendes. Quorum hæc sententia est, Rem spiritualem nomine alieno gerere posse neminem: nisi qui sit per se & seorsum vnicus negocij gestor cõstitutus. Quod si quoque legitimo aliquo procuratore matrimonium gestum esset, illud nihilominus a domino rati habitione confirmari lex statuit: Quod institutum in eo de quo disceptatio est negocio, omissum fuit. Egi regis causam quam potui breuissime: quamuis aliis auxiliis plurimis causa iuuetur. Tu nunc sine inuidia cogitato pensiculate scrupuloseq;: nec stateram quo maxime ipse fortasse cupis, nequiter inclinare permittito. Sed hæc hactenus. De libello, quem de conceptu virginis carmine a me editum scripsisti, nullam tibi cõmunionẽ hoc tempore exhibere possum, quippe quem apud me non habeam: sed cum opere impressorio multis disseminatus locis sit, facile illum assequeris. Tuum autem opus, quod eodem argumento & styli genere scripsisse te dicis, si commune mihi feceris, in deliciis habebo. Vale, & me ama: Heydelbergæ 14 die Februarij, anno Christi 1492.

Roberti Gaguini, Franciæ Regis oratoris, Elegiacum ad Iacobum Wimpfelingum Sletstadensem.

Lilia frondescunt, semperq; virore recenti
Aethera per summum candidiora volant.
Illa nec insurgens Aquilo: nec chorus adurent:
Fomes erit zephyrus. aura benigna, Deus:
Quin etiam custos opulenti liliger orti
Carolus humorem gnauiter indit agris,
Curat & amplexu magno prætendere sepem,
Hostibus vt pugnax sit cohibenda manus.
Vnde igitur fieri marcentia lilia clamas,
Est quibus adiuta plurima fibra sua?
Numquid odoratum sentis Nasute poeta
Quod suaue inspirat Pampinus hic redolens?
Disce prius mentem quem fers peccasse, coloni,
Et lance appendas quod pia causa gerit.
Non erit hic raptor; nec certe fœdus adulter;
Nec temere quemquam dispudiasse feres.

Se-

Sequitur responsio Iacobi Vimpfelingi Sletaten. primum ad epistolam, deinde ad carmen Roberti Gaguini.

Roberto Gaguino, Franciæ Regis oratori, Iacobus V. Sletatensis S.P.D.

EPistolam tuam legi, quę me non mediocriter pungit: etsi paulo modestius scripsisse videris, quam ore præsens loquebare. Putabas enim me regis tui lęsæ maiestatis reũ, quod in oratione mea soluta, & carmine lyrico falso & repudii & raptus crimina obiecissem. Fateor de Regum maiestate nihil contaminate loqui decere. Sed & hoc regum interest, ut regia & præclara vita polleant, de qua nihil impium vere & incontaminate mussitare, ne dicam loqui, possimus. An vero credis impune quęlibet facere, hoc ipsum scilicet regem esse? Si in ea es sententia, falso certe iudicas, inter regem & tyrannum nihil prorsus interesse. Quod si de tyrannis quoq; nihil scribendum esse putas: quonam modo ad posteritatis notitiam Lucij Syllæ, Caij Marij, Damasippi, Hannibalis, Mithridatis, Ptolemæi, Dionysij, Phalaridis, Neronis, Iuliani apostatæ, Caroli Martelli, pręclara facinora peruenire potuerunt. Si vera est fama de tuo rege, etsi ego tacebo, lapides tamẽ & iumenta loquentur: si falsa est, facilius ego scripta mea comprimam, quam Rex tuus occasionem, tanto rumori & famæ datam, occulere possit. Vellem profecto me, publica fama deceptum, falsa scripsisse. Vellem (ut etiam in aspectu tuo dixi) cõdignam libens pœnam sustinere falsitatis. Scripsi, regẽ tuum Maximiliani filiam repulisse. Vellem non repulisset. Scripsi, regem tuum sponsam Maximiliani, quæ data fide publica tuto sperabat per Galliam ad sponsum proficisci, intercepta via, præter omnem metum abduxisse, & sibi elegisse vxorem. Vellem, nõ duxisset. Vellem, ut integræ & infectæ res essent: tum calamum cohiberem, & quæ prius effinxi, supprimerem, ueluti serio rogabas. Fateris regẽ tuum sponsaliorum (ut tuis utar verbis) pœnituisse ita, ut iure potuit; & filiam patri non iniuria remisisse volenti. Est ne id officium cõstantis & magnanimi senatus, nobilissimam filiã, quam dudum elegit, voluit, abduxit, educauit, tot annis apud se detinuit, & morigeram sensit, pręter culpam abijcere, excludere, repellere? Quid si tibi commemorem vnas literas, in quibus se Carolus Regem, & Margaretha Reginam Francorum hoc anno simul subscripserunt? Quid sibi uult, quod Carolus adhuc natu iunior, impio suorum suasu iam alienandus & diuidendus a Margaretha, mœrebat? Ingemuit, lacrymas fudit. Et quid ni doleret? quippe qui nimirũ in animo suo sibi eã decreuerat, & gauisus est esse futuram vxorem, qui pium in eam cõiugis affectum habuit, caste cohabitauit, vniceq; dilexit; qui nihil in præclara virgine sensit, quod sibi displiceret. Quid enim in ea sibi displicere potuisset? Genus an educatio? Si patris genus quæras, nata est ex nobilis Austriæ ducatus illustri domo; quæ quidem multos Romanæ reipublicæ reges & imperatores; quæ sæpe Bohemiæ, sæpe Hungariæ, & aliquando Poloniæ, electos reges dedit. Si maternum genus quæras; nata est ex inclyta Burgundionum familia. Maternus auus, & Maximiliani socer Carolus dux fuit, illustris, potens, magnanimus, bello plurimũ ualens. Auia paterna Leonora Portugalię regis filia fuit. Auia vero materna ex regali Anglorum sanguine descẽdit. Quid ad tãta maiorum stemmata claritatis accedere potuisset? Si displicet educatio, apud Carolum Francię regẽ & per suos multis annis comiter, sancte, laudabiliterq; (ut tu ipse asseuerabas) educata est; haud dubie, quin naturali uirtuti & optimæ indoli ex egregia institutione morum & disciplinæ manifestum accesserit incrementum. Talem ego puellam Carolum excluisse crederem, nisi coactus fuisset sequi consilium Achitophelis, aut cõsilium Roboam natu iuniorum? De ducissa Britannica multis mecum verbis egisti, & ea partim scribis, quemadmodum procuratorium irritum fuerit & inane. Quid interest de procuratorio altercari: cũ de vtraq; persona, quæ inuicem contrahere cupiebant, liquido constabat? Nullus error personæ cõmissus est. Ducissa voluit & consensit in nostrum regem: rex noster consensum præbuit in eandem filiam Britannicam, ea per negotiorũ gestores acta sunt. quid refert, si nullus eorum insolidum plenam habuerit auctoritatem? Animorum consensus, per uerba de præsenti expressus, matrimoniũ facit: etiam inter absentes, vtcumq; de consensu constet: præsertim si nullus personarum error interuenerit. Quid tu in anfractibus iuris ob ambulas? quid nodum in scirpo quæris? quid de superuacuo procura-

torio disputas? Substantiam rei pondera: consensum animaduerte: voluntatem & affectum mutuum pensiculate memẽto. Si mihi æris mutuati debitor esses, & mitterem ad te famulum, tenui & trita veste amictum; Tu diceres, Nolo tibi reddere pecuniã: quia seruum lacera toga vestitum, tuo nomine postulantem, ad me misisti: num quid legitimam causam negatæ restitutionis haberes? Aut si ego negotiorum gestorem cũ imperfecto forte procuratorio misissem, ad extorquendum a debitoribus pecuniam eis creditam: tu interea deprehenso nuntio præriperes numos meos, assueranś esse tuos ex imperfectione procuratorij: nonne iniusta rapina rem alienam tibi vendicares? Ita tu procuratorij defectu quem allegas, matrimonium quod necessario & pleno consensu rite contractũ est, cassare studes. Hæc sunt inuenta filiorum huius seculi: hæc sunt fraudes, doli, nugæ, ambages eorum, qui cum ius & iustitiam fugiant, iustam sententiam contra se ferendam timeant; mox studeńt impugnare procuratoria, ut causa vel differatur, vel vt aduersæ parti laqueos ponant. Tu religiosus es: exerce opera sanctæ & religiosæ vitæ, quam præ te fers & profiteris. Tuum est, innocentiam, veritatem & iustitiam defendere; non effingere dolos, non ponere laqueos, non prauas causas tueri, nõ iustas velle conculcare. Noli deinceps, Roberte, arguere ducissam Britannicam, primores ducatus, & omnes huius rei cõscios, violati iurisiurandi: Noli dicere, quod omnes hi deierarint. Dicebas enim apud me, omnes istos iureiurando, fide integra, vno ore testificatos, sibi nihil prorsus constare de matrimonio, inter regem nostrum & ducissam cõtracto; sed omnia simulata, ficta & subornata fuisse, quo minus Britones ultro sese Francorum regis subijcerẽt ditioni. Quid est, quod tot homines Brittannicos vos Galli iureiurãdo astrinxistis ad dicendam veritatem: nisi quia rumor & suspicio saltem matrimonij inter Maximilianum & Brittannicam contracti ad vos peruenerat. Si vinculum hoc timuistis, cur non etiam Maximilianus auditus est? Non sufficerat audire puellam: At eũ quoq;, cuius maxime intererat; cuius negocium & causa vertebatur; qui alter coniugum creditus, aut saltem famatus est; cui iniuria fieri non debuit. Puta, Romanorum regem conuenire, consulere, audire, testificari, ratio decernebat; postulabat æquitas; iustitia voluit; honestas optauit; religio flagitabat. Dicis regem tuum nihil incõsulto fecisse. Et Roboam ipse cũ consilia adolescentum qui nutriti fuerant cũ eo, Ieroboami & Israheliticæ gentis inobedientiam & schisma mercatus est. Dicis de matrimonio Maximiliani nihil cuiquã Britonum cõstare: & tamen procuratorium ipsum vehementer impugnas. Videor mihi (ni fallor) quandam in verbis tuis controuersiam videre. Dicis, Regem nostrum non habuisse ratum coniugium per procuratores initum. Quam verum id sit, audiat rex tuus nõ Regem nostrũ, sed vniuersos principes, qui superioribus diebus, de hoc connubio cæterisq; rebus tractaturi, Nurenbergæ cõuenerunt. Spero tamen omnia hæc, sicut acta sunt, in lucem suo tempore proditura. Spero iustum Deum veritati & iustitię opitturũ, in quo solo rex noster confidit. Tu per excogitatas subtilitates manifestũ reatum & veram culpam palliare (vt ita dicam) & obumbrare videris; neq; Deum respicis: neq; conscientiæ tuæ obtẽperas, neq; saluti regis tui consulis. Veniet illa dies qua, cũ rex tuus magis adoleuerit; prudentiam rerũ maiorem nactus fuerit; conscientiam perpetuo repugnantem & continuum animi sui bellum senserit; maledicet, horrebit, execrabitur, consilia eorum omnium, qui sibi de reijcienda Maximiliani filia, vera sua coniuge, & super ducenda Brittannica soceri sponsa, impium, impurum, iniustum, atrox & tartareum consilium præstiterunt. Vale ex Spira, XI Kal. Marcij, Anno Christi 1492.

Carmen Elegiaco & Sapphico mixtum Iacobi Wimpfelingi Sletatensis, respondens carmini Elegiaco Roberti Gaguini.

Vncta, quibus Caroli volitantia crimina purgas,
Visa fuere statim fabula ficta mihi.
Quid vero multis nitar contendere verbis,
Et vacuare tuos docte Roberte locos?
In lucem verum successu temporis ibit:
In lucemq; ætas abdita quæq; feret

Multa

Multa sub arcanis quæ iam sunt tecta latebris,
Mox aderunt claro lucidiora die.
Lilia quam placidum dederint quis nescit odorem?
Quæ quondam ducibus signa fuere pijs.
En nunc vt quondam floreret pristina virtus,
Nec marcere quidem lilia musa canat.
Si nunc, vt quondam regum pia gesta vigerent;
Lilia tuta altis sepibus vsq; forent.
Si rex maiorum vestigia carperet; ense
Tutus ab hostili lilifer hortus erat.
At quia virtuti successit amara libido;
Putrent & marcent lilia, odora prius.
Lilia non metuis marcere aut posse refelli,
Quod Rex humorem gnauiter indit agris?
Falleris. Autumno modo lapso, te precor, audi
Agricolæ quantum sustinuere malum?
Visi equidem cunctos sunt exercere labores,
Quantos toto anno vinea sæpe petit.
Quippe fimo pingui curant adolescere vites,
Et faciunt operas tempore quasq; suo:
Attamen heu grandes venti gelidæq; pruinæ
Bacchiferos misere depopulantur agros:
Spe frustratus ager succo respondet amaro:
Progq; vua dulci sola labrusca manet.
His animaduersis, frater Roberte memento,
In rebus dubias omnibus esse vices.

Aliud Carmen.

Franciæ regnum, scio, præpotenti
Principum, cleri, populi caterua,
Et superbarum grege ciuitatum,
Esse coruscum.
At nouo regis Caroli reatu
Sceptra qui læsit temere Quirini,
Quæ dabant quondam placidos odores,
Lilia marcent.
Candor est florum nebula repulsus,
Ac odor nares vitiosus angit:
Quæ decus narras habitura semper,
Lilia squalent.
De potentatu tibi gloriaris,
Septa quod Gallos spacioſa cingant:
Sub manu iusta Domini tonantis
Omnia pendent.
Teutonum neruos, animosq; fortes,
Martis expertos, pater, imbecilles
Credis? An spondet Carolo triumphum
Nostra simultas?
Cum duæ forsan aquilæ repugnant;
Alteri gryphes cupiant nocere;
Mutuo belli posito furore
Vincitur hostis
An negas vires Aquilæ potentis
Candidos flores violare posse.
Terreat nuper reparans puella
Lilia regni.

SEd iam redeo ad historiam.

Anno 1494, in die S. Fabiani & Sebastiani, in nocte ventus fuit summe fortis; ita vt plura rumperet tecta, & ædificia lignea funditus plurima euerteret. Audiebatur quoq; mugitus in aere cœlo sereno.

Eodem anno, Maximilianus Rex Romanorum duxit filiam Ducis Mediolanensis, circa festum Natiuitatis Christi, in vxorem; & propter incursum Turcorum non celebrauit nuptias ante Carnispriuium: iã circa mediũ Quadragesimæ celebrauit primũ.

Eodem anno, circa festum S. Bartholomæi incepit regere pestis in partibus Rheni, Franconiæ, Sueuiæ, & Bauariæ. Erat autumnus calidus, ita vt 4 feria ante festum Michaelis audirentur tonitura, & fulmina nociua magno cum vento.

Eodem anno, quidam iuuenis 14 annorum abstulit venerabile sacramentum Eucharistiæ in *Weißenstadt* de Monstrantia, in magna hostia, quod Corpus Christi defertur. Et quarta feria, qua proxime supra, quando fulmina & tonitrua audiebantur maxima, inuentum est circa Capellam S. Wolffgangi trans piscinam, & iuuenis post octauam comburitur in *Culmbach*.

Eodem anno, circa festum Natiuitatis Christi, Carolus Rex Franciæ intrauit Romam magno cum exercitu. Tandem Papa coactus, Alexander VI, ipsum ad S. Angeli castrum intromisit, vbi capitaneum suum posuit. Et ipse Carolus bellandi gratia contra Regem Neapolitanum proficiscitur: postea illo deuicto, reuertẽdo domum pergit: sed a Venetis in campo circumuallatus, prope Bononiam, ipse decem millia soldatorum Venetorum, suis quingentis tantum occisis, in via S. Kiliani prostrauit.

Anno 1495, Dominica Palmarum, Maximilianus Rex Rom. illustrissimus, Alemanniæ Principes conuocat ad Ecclesiæ negotia tractanda, & propter bellũ Turcicum, cum quibus in Worms ciuitate ad festum vsq; Iacobi consilia habuit. Fuerunt ibi in persona: Rex Romanorum Maximilianus, qui venit 18 Martij; item Episcopus Moguntinus Berchtoldus Hennebergensis, item Hermannus Colonienſis, & Ioannes Treuirensis; item Palatinus Philippus; & Saxonię Dux Fridericus, Electores; item Dux Lotharingiæ; item Archiepiscopus Salisburgensis; itẽ Episcopi, Spirensis Wormatiensis, Curiensis, Freysingensis, Eystadiensis, Tollensis, Kenchensis, & Magister Teutonicus, & Abbas Fuldensis, &c. item Principes seculares, Ludouicus, & Philippus, & Ruprechtus, & Fridericus, & Georgius, & Ioannes, & Henricus; omnes fratres & filij Electoris Philippi Palatini; & Ottho dux Bauarię; & Ioannes Palatinus; & Albertus & Fridericus, duces Saxoniæ; & Fridericus Marchio Brandenburgensis; & Wilhelmus Dux Iuliacensis; & duo Wilhelmi Hassiæ Landtgrauij; & Henricus & Ericus duces Brunswicenses; & Magnus & Henricus, duces in *Meckelburg*; & Ioannes Landtgrauius in *Leuchtenburgk*; & Rudolfus & Philippus Principes de *Anhald*; Item Henricus, & Ottho, & Wilhelmus, & Georgius, Ordinis Teutonici, omnes Comites Hennebergenses; & Eberhardus Wirtembergensis, qui tunc factus est primus dux, sicut postea dicetur. Summa: Principes in propria persona 45; Comites vero, sine illis qui cum Principibus erant, circiter 67, qui per se venerant. Deinde multi legati absentium Electorum, & Principum, & Regum exterorum, & vrbium. Ibi cum magna pompa regalia sua acceperunt Electores & Principes, clerici & laici. Et propterea fuit dicta *Magna Dieta Wormatiensis*. Ibi etiã tractatum fuit, vt in Christianitate tam pax, quam iustitia in administratione seruaretur, & hostibus Christi ipsis Turcis resistẽtia fieri posset. Huius intuitu decreti, Imperator *communem denarium dictum* per Christi Ecclesiam dari ab omnibus & singulis, imposuit: quem denarium militares per Orientalẽ Franciam, tertia feria post Luciæ, anno 1495, in *Sweinfort* oppido congregati, & per reuerendissimos & illustres Principes, Henricum Bambergensem, Laurẽtium Herbipolensem, episcopos, & Marchionem Fridericum Brandenburgensem, conuocati, expresse hunc dare contradixerunt, dicentes se liberos Franconnes esse, & imperio non pecunijs, sed corporibus & sumptibus contra Ecclesiæ hostes inseruire velle. Congregantur deniq; postea in Montanis, in Sueuia, Franconia, *an der Ron, Notenbaldt*, & alibi iterato, seorsim per distrietus nobilitares, agitantes negotium impositæ *steuræ* a Maximiliano Rege Romanorum, & illi se opponentes; prout in *Culmbach* nobiles congregati quarta feria ante *Oculi* concorditer concluserunt, seq; cum alijs supra dictis confœderarunt, se non daturos.

Ibidem,

Ibidem, eodem in anno, in Diæta Wormatiensi, Comes Wirttebergensis Eberhardus in̄ ducem promotus est: quod sic actum fuit: Venit Comes Eberhardus Wormatiam cum multis clientibus, & specialiter cū nouem comitibus, & 37 nobilibus, & doctoribus, & multis equis. Ideo in die Martis post Diuisionis Apostolorū, venit ille Eberhardus, & ducitur a duobus Landtgrauijs Hassiæ, duobus Wilhelmis a dextra; & a Rudolpho principe de *Anhald*, ex sinistra parte, qui ante nobilissimum Regem Romanorū in pedes ceciderunt. Sic Rex ille comitem ex ordine comitum posuit, & fecit illum ducem; & primo pallium ducale, deinde pileum ducalem, tertio gladium ducalem, & arma & titulum Ducis dedit. Ibi primo Itelfritz Zolrensis, & Hans a *Werdenbergk*, & Craft ab *Hohenloh*, petierunt regalia a Rege Romanorum. Tum deinde sellam Cæsaris cum nigro & fuluo vexillo circum equitari iussit; & ipse cum quinq; vexillis, cum ducētis equis, deinde post venit. Fuerunt autem quinq; vexilla: unum Wirttenbergensis Ducatus, quod portauit Simon Wecker Comes in *Zuueybruckh* & *Bitsch*; secundum fuit Ducatus *Teck*, quod portauit comes Wolfus a *Furstenbergk*; tertium fuit comitatus Mompelgardici, quod portauit Simon Dominus in *Falckenstein*; quartum fuit fuluum vexillum, cum nigra aquila, quod fuit Imperij *Sturm* vexillum, quod portauit Bernhardus comes in *Oberstein*; Quintum fuit totū ruffum, quod est sanguineum vexillū, & significat regalia, quod portauit Stephanus Baro de *Gundelfingen*. Sic fuit ille inthronisatus & dotatus a rege Romanorum.

Anno 1496, sexta feria hebdomadæ Pentecostes, visi sunt tres circuli solem horā nona vsq: ad meridiem circumire, qui ad modum Iridis tri colores extiterunt. Circa illos quartus circulus apparuit in quantitate lapidis molaris. quintus semicirculus tres maiores a Sole septentrionem versus se curuando pertrāsiuit. Hæc visio apparuit in *Onoltbach*, vbi illustris Princeps Marchio Fridericus residet.

Anno eodem, quidam capitaneus in oppido *Hof* simplex nobilis, nomine Ioannes de *Reitzenstein* domicilium habens in *Schwartzenstein*, prope *hindern Schwartzenpach*, more Tyrannorum, sedile quoddam de Ecclesia S. Michaelis in *Hof* in quo duæ ciues solebant stare, ad domum communem per aduocatum Petrum *Ochsen*, & duos famulos fecit deportari, sabbatho circa vesperas, altera die post Ioannis Baptistæ. Quo facto, ipse cū actoribus minori excommunicatione per prælatos Bambergæ fuit excōmunicatus. Qui vi voluit per magistrum Erhardum *Kunigs dorffer*, prædicatorem & priuatum executorē absolui. Quo dicente, sua de potestate non esse; misit prædictum aduocatum cū quatuor famulis, ad præfatum prædicatorem, & pro tunc etiam animarum curam gerentem, spoliandum: qui vi intrantes domum eius, quatuor deportauerunt libros spolij nomine. Vitati igitur sunt in diuinis. Factum est spolium secūda feria post visitationem, die S. Vlrici. postea in festo S. Chiliani ad vesperas, silentium siue cessatio diuinorum officiorum posita est, & durauit ad octauam. Cogebantur deniq; factores ad restitutionem tam sedis quàm spolij: alias non fuissent absoluti. Inde secuta pœna.

Eodem anno, iterato Carolus Rex Franciæ intrauit regnum Neapolitanum depellendo Regem cum Regina, circa festum Corporis Christi. Proposuit etiam regere Ecclesiam DEI. Scripsit se Regem Christianitatis, & Papa cepit fugam ad ciuitatem quandam maris *Proes* dictam. Obtinuit vero regnum Neapolitanum, & reuertitur cum magno spolio. Veneti autē percusserunt exercitum eius; multū ipse tamen euasit incolumis.

Eodem anno, secunda feria post Margaretæ, quæ dies Margaretæ erat 4 feria ante Annæ, tempestas prope oppidum *Munchpergk* circa nemus orta est sæuissima, ita vt fruges vltra & citra nemus per oppida & villas, vsq; ad nemus Bohemicum valde cōtererentur, ceciderunt q; lapides ad quantitatem ouorum gallinarum, rotundi & triangulares; habētes facies humanas regales, cum diadematibus super capita: quod miraculum presbyteri, nobiles, & seculares viderunt.

Eodem anno, die S. Petri ad vincula, congregantur iterum nobilitares de partibus superioris Alemanniæ, per suos Capitaneos, ad hoc deputatos, de quolibet territorio, cōtradicentes regi Romanorum Maximiliano, nec volentes impositam dare *Steuram*. Et quanquam dicebant, se velle pugnare contra infideles; tamen diabolicum latebat venenum sub melle. Erant namq; in vna confœderatione decem millia nobilitarium & vltra, qui singuli cum duobus equis conscribebantur, præter principes qui ipsis adhærebant.

Congregatio hæc erat in oppido *Sweinfortt*. Medio tempore iam notato, Rex Romanorum Maximilianus & Carolus Rex Franciæ, qui ante inimici ad inuicem erant, in Tridento cõueniunt, cunctis cum Curialibus qui a Venetis tuentur, tunc ita prope, vt a quolibet die amborum regum consules poterant conuenire, commissaq; negotia simul tractare. Temporibus illis oriuntur plagæ in Alemannia, ita vt certi tam clerici quam laici percuterentur vlceribus, a vertice capitis vsque ad plantas pedum inclusiue, ad modum scabiei puerorum, vel morbillorum, quibus excoriatis & decidentibus, creuerunt alia eodem in loco, ad medium aut integrum annum durãtia vlcera. Et vocatur dicta plaga malum Francigenum, & non immerito. Nam quos tunc in varietate vestium & superbia sequebantur Alemanni, merito etiam cruciabantur ipsi Francigenum plaga. Iudicataq; est altera lepra, & pessima. Nam & viri & mulieres, in pudendis maxime, inde passi sunt, & ciuitatibus & plebe, vt leprosi, eiecti, soli morantes & gementes.

Eodem anno, 5 feria post omnium sanctorum festum, surripitur de Ecclesia S. Michaelis in oppido *Hof* venerabile sacramentum, in 50 particulis & amplius, cum argentea Monstrantia nouem marcarum.

Anno 1497, post festum Natiuitatis Christi, per 12 noctes magna mutatio & varietas aeris visa & audita est: ita vt iam niues caderent; iam plueret vsque ad inundationes magnas aquarum; itemq; venti fortissimi flarent, ita vt multa ædificia caderent. Interea de mense Februario tonitrua magna audita sunt, fulminaq; durantia, oblongas magnæ quantitatis scintillas, ad quantitatem scassorum communium in media regione aeris vsq; ad terram, ad modum fabricæ emittentia, cõtinue visa sunt, ita vt incendia inde timerentur. Nam ad festum S. Thomæ, anno 96, proximo ante; Principes, Henricus progenie *Gros* ex montanis Bambergensibus, Episcopus Bambergensis, & Marchio Fridericus Brandenburgensis mandata super collectione & extorsione ab omnibus communis denarij emiserant.

Eodem anno, circa Purificationis festum, Rex Romanorum Maximilianus Romam versus, vt imperiali corona ab Alexandro VI coronaretur, proficiscitur: sequentibus ipsum illustribus Principibus & Ducibus; Friderico & Ioanne fratribus, Ducibus Saxoniæ; Ioanne Duce de *Saga*; Duce de *Meckelburg*; Duce Pomeranorum; Duce Stetinensi; Duce de *Braunsweig*; & Duce Georgio de Bauaria Landtshutensi. Sed per Carolum Regem Franciæ pro tunc impeditur. Itaq; reuertitur a Florentia & Venetijs ad Alemanniam, aliorum Ducum tamen nullus vltra montana venit in Italiam, & plures cum Romanorum Rege in *Ispruck* per Quadragesimam anno 97 degunt.

Eodem anno, secunda feria post Lætare, intrauit nobilissimus Rex Vladislaus Bohemiæ & Vngariæ ex Vngaria ad Pragam, competenti cum familia; duos Episcopos & vnum suffraganeum secum adducens, ad corrigendos & cohercendos tali medio excessus dominorum in Bohemia, & omnium inhabitantium: sed pro tũc nihil effecit memorabiliter. Nam propter Turcorum incursus cogitur iterato ingredi Hungariam.

Præterea post festa paschalia *communis denarius* siue *steura* cõtra Turcum per Marchionem Fridericum & Henricum Episcopum Bambergensem in suis territorijs & diœcesibus dari cogitur, per omnem populum & clerum. Si quis pauper nõ habuit, statim pignoratus fuit.

Eodem anno, infra octauas Pentecostes, contigit, quod filij duo præfecti in *Munchpergk* quendam piscatorem publica in platea, ipso de aquis transeunte, expectantes lethaliter vulnerarent. Vnde fit seditio in oppido, & campana sonante cõcurrit communis populus. Sicq; dum filij euasissent, capitur præfectus, cuius ad querelas capiuntur postea viginti oppidani, vt super facto in *Culmbach* respondeant. Et postea eodem anno, nobilissimo rege Vngariæ & Bohemiæ Vladislao in Praga existente, quidam Dux potens in Silesia ex quodam disturbio, cum Episcopum gubernatorem cum duobus alijs læsisset, ipse Dux iuridice ob crimen læsæ Maiestatis decollatur. anno 97 in æstate.

Eodem anno, secunda feria ante festum natiuitatis Beatæ Virginis, Marchio Fridericus obsedit castrum *Gutenbergk*, & 5 feria proxima obtinuit, sabbatho proximo omnibus domum remeantibus. Nobiles castri euaserunt nocturno tempore: quorum vnus Mauricius de *Gutenbergk* inimicus factus, castrum *Schellenbergk* circa *Weiden* pro munitione inhabitauit: quod castrum præfatus Marchio Fridericus illustris princeps cum suis de mon-

de montanis obtinuit & fregit. Actum v feria hebdomadæ 5 post Trin. in vigilia S. Margaretæ virginis.

Anno 1498, post festum natiuitatis Christi, incepit hyems intenso cũ frigore grandiq; casu niuis vigere. Postea post octauam Epiphaniæ visæ sunt Irides pulchræ, integri & sæpe medij circuli, circumgyrãtes solem in ortu & occasu. In extremitatibus Iridis duo alij soles apparent, sed tamen opaciores. Statim post, principes electores Alemanniæ per Regem Romanorum Maximilianum monentur ad parandum se ad bellum. sic & ciuitates Imperiales, quatenus quisq; cum certa summa soldatorum se ad bellum præparet. Et tunc principum & presbyterorum rustici in districtu *Hof* bellare in armis cupiunt, & mittunt legatos duos sacerdotes ad illustriss. principem Fridericum Marchionem pro exoneratione: & exonerati sunt hac vice. Durauit hyems feruida sine interruptione in montanis, vsque ad medium Quadragesimæ, ad festum Annunciationis, quod cecidit in Lætare.

Eodem anno, circa Dominicam *Oculi*, egregius vir D. Theodoricus *Morung* emittitur, qui ad nonum vsque annum captus fuit, vt habes in 89 anno. de ipso reperitur historia. Is vero D.D. restitutus honoribus pristinis plebanus in *Hof* efficitur: sed postea anno 1501 in Herbipoli a nobilibus tribulatus, clam Romam proficiscitur, & fit Alexandri VI familiaris.

Eodem anno, principium æstatis feruebat calore, sed medium & finis humore, ita vt per inundationes aquarum tam fœnum, quam fruges multis in locis perirent. & sequitur caritas, ita vt vnũ octale siliginis nouæ in *Hof* valeret in autumno quatuor grossos Turnos, qui erant 48 denarij Francici: quod eo tempore insolitum fuit.

Eodem anno, illustrissimus Princeps Marchio Fridericus, & Reuerendissimus Dominus Bambergensis Heinricus, ex Grosorum familia, altercabantur per totam æstatem & autumnum, propter castrum *Streipergk*, & nobiles eosdem de *Streipergk*. Sed sine bellorum tumultu pacificantur tandem.

Eodem anno, secunda feria ante festum S. Martini, vesperi circa horam quartam, cum toto die pluisset, audita sunt tonitrua horribilia, & visa sunt fulmina cum granulis.

Eodem anno, erat magna diæta in Augusta ciuitate.

Anno 1499, Hic annus fuit satis inquietus. Comes de Hassia Cassellanus altercabatur cum duce Brunswicensi. Marchio vero Fridericus plus quam mille pedestres præfato comiti transmisit in auxilium, quorum aliquot de Curia *Regnitz* emisso die Circumcisionis, anno 99, cogebantur exire. Præterea hac lite sedata, grande dissidium oritur inter nobilissimum Romanorum regem, & ipsos Switenses in alta Alemannia; ita vt quod vulgo extitit longe prædictum, nimirum rempublicam non fieri meliorem, nisi incipiat *Bundtschuch* vel *Cakeus fœderis*, iam iam ipso facto probaretur. Nam Rex prædictus cum Sueuis confœderatis pluribus tam principibus quam populis, tam spiritualibus quam secularibus, sibi iunctis, vnam tenẽt partem, & nominant fœdus: & Switenses cum Venetis & Italis aliquibus & Rege Gallorum confœderati, tenent alteram partem. Exiuit primo illustrissimus Dux Bauariæ Monacensis, capitaneus confœderationis Sueuorum, Quadragesimali tempore, cum Illustrissimo principe Casimiro Marchione, filio Friderici, & alijs contra Switenses: sed reuertitur vacuus, pluribus ex vtraq; parte occisis. Nullus enim nisi vi tentus capitur in hoc bello, sed occiduntur tantum. Tandem Pentecostes tertia feria, vocatur Illustriss. Princeps & Dominus D. Fridericus Marchio Brandenburgensis in Capitaneum cõfœderationis Sueuorum, & exit eo die de Onoltzbach cum suis. Nihilominus vt amator iustæ pacis, insidiantibus pro eadem alijs, laborauit: nihil tamen pro pace effecit. Circa festum S. Chiliani exeunt Switenses cum duabus turmis bellatorum, & vi Regnum Romanum impugnant, Rege cum suis non repugnare volente pro tunc, nec post, vsq; ad Natiuitatis Beatæ Virginis, eiusdem anni: sed statim postea cõcordant. Interfecti comites a Switensibus vnus de *Potzschir*, vnus de *Thirstein*, Comes Henricus de *Furstenbergk*, & Comes Georgius de *Castell*.

Eodem anno, feria VI, in vigilia S. Viti, circa occasum Lunæ, luna fuit primo mutata in nigredinem, postea per medium in duas partes diuisa, quasi essent duæ lunæ; quarum vna saltauit contra aliam retrograde, & ex aduerso contra aliam,

& fuerunt rubricatæ. Tandẽ vniuntur econuerſo,& dant occaſum,vt vna luna. Illis tẽporibus multæ fiunt confœderationes,tam in Sueuia quã alibi. Et nobiles,qui anno 1496 confœderati erant, opponunt ſe magnifico Romanorum regi, ex parte *denarij communis*, quem Regi non voluerunt dare.

Eodem anno,Sabbatho poſt Iacobi,quæ erat v feria, audiebãtur tonitrua cum coruſcationibus circa villam *Sweigenpach an der Sal*, intra quos certi lapilli vltra vnã libram librabant,cum acuminibus ad modum digiti.

Anno 1501,circa principium Quadrageſimę,apparuit crux rubra magna cum corona regali mane circa ſolem. Nam valde Turcus in propria perſona debellauerat inſulas Venetorum:& ciuitatem *Madon* dictam ſpoliauit, & incinerauit.

Eodem anno, Ludouicus dux Mediolanenſis a Rege Franciæ captus eſt,apud quẽ etiam mortuus eſt.

Eodem anno,cecidit de cœlo, circa inuentionis S. Crucis feſtum, figura armorum paſſionis Chriſti ſanguinea, ſuper peplum cuiuſdam virginis in *Maſtrik Grilete:* quæ lauans peplum poſt octauam, ſuper cecidit iterum huiuſmodi ſanguinea figura, nec deleri potuit de peplo crux Chriſti, corona ſpinea,lancea,flagella,&c. Alij dicebãt,quod etiam in *Lubeck* factum eſſet. & alibi in pluribus locis cruces ceciderunt rubri aut fuſci coloris: ſequuntur plagæ, ſubitanei motus, & magnæ peſtilentiæ, & malum Franciæ, quaſi acuta lepra,quæ ante & modo ad 10 annos durat,& nondum finis.

Eodem anno, etiã cecidit de cœlo crux ſanguinolenta in Aquisgrano, quæ ad imaginem Beatæ Virginis ibidem collocatur.

Eodem anno, crux ſanguine aſperſa cecidit ad caſtrum quoddam circa *Nurnbergk:* & ſequitur circa B. Bartholomæi feſtum maxima inundatio aquarum,in Bauaria, Bohemia,& alibi,quæ antea viſa non eſt in memoria ſaltem hominum.

Eodem anno, diſſenſio oritur inter illuſtrem Principem Marchionem Fridericum & oppidanos Noribergenſes:& celebrata diæta Erphordiæ inter eos.

Anno eodem, nobilis Ioannes de *Reitzenſtain* impugnauit diœceſin Bambergenſem, & combuſſit 24 villas. Ex aduerſo omnes villæ ſuæ incendio perierunt. Tandem fit pax,eodem anno.

Anno 1502, proxima Dominica poſt Viti,quæ erat quarta feria, filius Marchionis Caſimirus proſtrauit de Nurnbergenſibus prope oppidum quaſi quingentos viros: quorũ ſoldati & ſubditi in caſtris audientes, peruenerunt in *Swabach* ex aduerſo contra Marchionitas,& proſtrauerunt plures ex eis. Inde fit pax.

Eodem anno,oritur noua ſecta & plurimorum cõfœderatio in partibus Rheni, qui propria autoritate & vi multos ſpoliauerunt ſacerdotes ditiſſimos; diuidentes hæc bona inter pauperes ſacerdotes, quia dicebant omnia bona debere diuidi æqualiter; volentes corrigere & occidere ſacerdotes & nobilitares. Sed excommunicãtur, ſubiugantur, cremantur vt hæretici, & occiduntur alias multi: quorum capitaneus ſupremus dictus Ioannes *vom drath*,nobilitaris,habens plurima millia ſuæ ſectæ more Bohemorum.

Eodem anno, Egrenſe oppidum per quendam cõciuem Ioannem *Knitzel* dictum inimicabiliter inuaditur,altera die poſt feſtum S. Ægidij,uidelicet ſexta feria,de nocte:& comburuntur prope oppidum tres villæ,& pereunt 8 perſonæ ignis occiſione,& pariunt duæ puerperæ abortiuos. Exinde, vigilia Natiuitatis B. Mariæ Virginis,occaſione nocturnæ vigiliæ, ciuis Paulus *Friſler* ante portam inferiorem ob rebellionem cuiuſdam qui vigilare debuit,coactus ſe ab eo defendere, eundem vigilem occidit. Inſuper die B. Virginis regreſſi conciues de peregrinatione B. Virginis in *Culem* prope *Egram*, iterum vnus ex improuiſo telo confixus moritur. Et orta fuerat hæc lis ex leui cauſa.

Anno 1503, Sabbatho *Iudica*, circulus magnus albus ad modũ Iridis integræ ad latus circuibat lunam, & luna videbatur, quaſi alba nube eſſet tecta; nec lucide lucebat, quamuis ſerenum eſſet cœlum.

Eodem vero anno, ceciderunt cruces in ſuperiori Alemannia,in Noriberga,Ratisbona,Landshuta,& alibi,ad veſtes virorũ & mulierum; plus tamen mulierum,vt opinor, propter horribilẽ ſuperbiam, luxuriã, auaritiam, homicidia, intrinſeca bella, inobedientiam Eccleſiæ Catholicæ & erga eius præcepta,& tribulationem cleri in eorum libertate,

propter

propter vim laicorum tunc regentium, & ordinem versum quasi in omni statu. Fuerunt autem coloris fusci ad rubedinem declinantes, & secundum superbię diuersos colores in togis & camisijs: quæ etiam in pauperibus tunc excellenter viguit: & omne malum regimẽ, prout supra anno 1500 & 1501, in inferiori Alemannia & Rheno factum est, vt isto loco diximus. Qui etiam cruces extinguere conati sunt, serpentes ad collum vsq; ad introitum habuerunt, aut qui maledixerunt ipsis saltem. Sic Bambergæ, Egræ, in *Hof*, *Culmbach*, Misnia, Bohemia, totoq; pene Romano imperio eædem cruces visæ sunt in vestibus hominum varijs formis, secundum omnia arma passionum Christi. Speratur inde tempus miserendi.

Eodem anno, in octaua S. Vrbani, in die Iouis, pluit ignis in *Coburgk* oppido. Item eodem anno, in vigilia S. Apostolorum Petri & Pauli, in aere nubes fortuitæ omnimodæ, vt ciuitates, castra, &c. Bohemiam versus visæ sunt: & proxima vigilia visitationis B. Mariæ, apparuit Iridis arcus integer solitorum colorum, circumgyrans solem hora duodecima meridiei. Itẽ Ioannis & Pauli vesperi, circa octauam, sereno cœlo, visus est draco magnus in cœlo, circumgyrans cum cauda sua signum Thau: & eodem tempore Rex Vngariæ & Bohemiæ Vladislaus suscepit pacem cũ Turco, qui antea Capitaneus Ecclesiæ factus, contra Turcum nihil nobiliter egit. Sed Dux Ioannes Coruinus sub Rege Vngariæ noluit tenere pacem cum Turcis, sed ad principes Alemannię ex Prouincia proficiscitur. Verum per Regem reuocatur a *Saltzberga*, & ventilata pax confirmatur.

Eodem anno, vulgatur grandis peregrinatio ad Beatæ Virginis in *Grimmenthal* sub generoso comite de *Hennebergk*, & diœcesi Herbipolensi, vbi talis cõcursus fit, principaliter propter malum *Frantzosiæ*, alias acutam lepram & ardentem dictam, quæ vltra decennium durat, ita vt quasi 300 Mauri equites siue Æthyopes, circa festum Pentecostes per Silesiam transirent illuc peregrinando.

Eodem anno, decessit Papa Alexander VI, veneno intoxicatus, in vigilia Natiuitatis B. Virginis. Eodem die decessit Episcopus Bambergensis Vitus de *Schoninbergk*, & eligitur Georgius *Marschalck* in Episcopum. Romæ vero electus est in Papam Pius III, qui duntaxat octodecim diebus post coronationem rexit, etiam veneno intoxicatus: & eligitur Iulius secundus, & fuerunt isto tempore schismata pessima.

Anno 1504, erat hyems feruentissima, intenso cum frigore diu durante.

Anno eodem, 4 feria ante Purificationem B. Virginis Mariæ, (& erat sexta feria in anno bisextili, in signo Leonis, in Oppositione) generosus Sebastianus *Schlickh* cõtra oppidanos in *Cubito*, cum ad tres hebdomadas dissensionem habuissent; disturbium a castro mouit; & quasi 200 interfectis a 14 nobilibus, & oppidanis qui confœderati erant ipsis, victum manu oppidum cum vxoribus & pueris exeuntibus; præfatus *Schlickh* domus spoliauit: & vltra 40, in vrbis domo *vom Pluen* quatuor, interfecti sunt. Et quidam D. *Schenckh*, ipsi *Schlickh* in auxilium veniens, cũ præda siue spolio reuerteretur e Monasterio in *Waltsain* a generoso de *Burgaw* captus recipitur, & vna cum spolio ad *Tachaw* ducitur. Obtinẽt nobilitares cum oppidanis Cubitensibus ius suum in Praga coram magnatibus Bohemiæ. Et tres generosi *Schlickh* Nicolaus, Wenceslaus, & Sebastianus in facto hoc contra regia mandata agentes, infames & rei iudicati sunt & declarati. Interea ipsi *Schlickh* combusserunt nobilium præfatorum omnia allodia & villas. Ex aduerso & alij etiam ex vtraq; parte seinuicem prosternentes & occidentes per totam æstatem sequentem.

Eodem anno, decessit illustris Princeps Georgius, Dux inferioris Bauariæ sine virili hærede: cuius vnicam filiam desponsauit illustris Dux Rupertus, filius Philippi Palatini, Comitis Rheni, qui Rupertus & filios & filiam vnam ex ea genuerat. Et quia Dux Georgius cum Duce Alberto Bauariæ de Monaco ante obitum prouinciæ contractum inijt, vt qui citius sine hærede discederet, alterius prouinciã obtinere deberet. Et interea dicebatur Dux Albertus Monacensis in mortem Ducis Georgij per medium nobilitatis machinatus fuisse; ita quod prouincia Georgij ei de iure cedere non deberet, sed filiæ quam Rupertus duxerat, & eius hæredibus. Habebantur diætæ inter Ducem Albertum & Rupertum per Regem Romanorum Maximilianum, fororium Alberti, per eius legatos & alios principes: sed nihil efficiunt. Interea Rupertus excommunicatur maiori excommunicatione per legatos, & bannitur per Regem Romanorum cum suis. Tandẽ post festum

Paſchæ confœderantur Marchio Fridericus Brandenburgenſis, &c. cum oppidanis Noribergenſibus, cum duce Alberto, & Romanorum rege. Surgit bellum durum, ita vt, pluribus interfectis hinc inde, oppidulis & villis vndecunq; cõbuſtis, monaſterijs & Eccleſijs incenſis, ſpoliatis religioſis & clericis, & prælatis, & pauperibus villanis depauperatis, qui vt plurimum orbati in rubetis præ timore verſabantur; plures fame perirẽt; qui inuenti gramen præ fame comedentes adhuc in ore habuerunt: ita ſæuiente Tyrannide, vt Bohemi per Rupertum ſalario conducti, & circa Ratis bonam per Regem Rom. cum ſuis aggreſſi, ex vtraq; parte gladio ceciderint: ſed pars Marchionis Friderici tandem vicit. Et dicebatur, quod die 5 poſt feſtum Natiuitatis Beatę Virginis, circa quatuor millia virorum ex vtraque parte corruerint gladio; ita vt vulgo diceretur, quod præcurſio Antichriſti hęc eſſet mota per Regem Rom. & crucium ſupra ſignatarum myſterium iam practicaretur. Tantę enim tyrannides exoriebantur, vt nec ſacerdotes cũ ſacra communione, nec mulieres puerperæ quamplures, nec aliæ inſtrata ſecure incederent; quin apud pudenda, proh dolor, pecuniæ quærebantur. Diæta circa natiuitatem Chriſti celebratur in *Inſpruck* de pace, ſed nihil efficitur.

Anno 1504, in die S. Sixti, tertia feria, Marchionitæ ſtragem paſſi, circa *habmut*, *Wenſidel* & *Kemnat*, & intereunt plures. Alij fugam dederũt, cum in triplo Palatinenſes exceſſiſſent. Cauſſa eſt, quia ſabbathina nocte præcedẽti ipſi Marchionitę ſolẽne Monaſterium Beatæ Virginis in *Waldtſachſen* ordinis Ciſtercienſium ſpoliarunt, deuaſtarunt, & incendio vſq; ad ſolũ conſumpſerunt. Ita in plagam eius factũ eſt ſecundo die ſtatim.

Anno 1505, in die S. Erhardi, in noctis crepuſculo, circa oppidum *Pilſn* Bohemiæ, muliere prætereunte ſignum magnũ crucifixi cum latronibus a latere, ante oppida conſuete poſitum, ſe inclinauit verſus dextrum latronem, ita vt trabes crucis fragorem magnum facerent. Mulier audiens & vidẽs oppidanis narrauit: qui exeuntes viderunt ſignũ Chriſti ad latronem, & latronem ad Chriſtum verſos eſſe, inferiori ſtipite non verſo: & ita ſe imagines aſpiciunt adhuc.

Eadem nocte, Pragæ piſcatores in *Elba* viderũt cadere ſuper aquam in magno ſpacio e cœlo quatuor nigras fuligines, & deſuper ſigna rubea ſanctæ Crucis.

Eodem anno, circa feſtum Pentecoſtes, iterum diæta celebratur pro pace, per Regem Rom. Maximilianum & principes. Ibi bellum in Alemannia intercipitur: ſed rex Franciæ per ducem quendam adeo filium Regis Romanorũ in Flandria tribulauit bello forti, quod Rex Rom. cogebatur de Colonia filio venire in ſubſidium. Ibidem per æſtatem bellant, tandem pacificantur. Et poſtea princeps Burgundiæ & Flandriæ, filius Maximiliani Regis Romanorum, veneno interijt.

Eodem anno, Sabbatho poſt Tiburtij, fuit dies aliquantulum turbida. Nihilominus ſol adeo pallide & glauce reſplenduit, ac multum triſte, ac ſi in eclipſi magna eſſet. Erat tamen altera dies poſt oppoſitionem Maij. Et Dominica proxima poſt oriebatur ſanguinolentus multum. Sequitur aliqualiter ſiccitas.

Eodem anno, potentiſſimus rex Hungariæ, Vladislaus, vnicam habens filiam, illam nepoti Regis Rom. ſupradicti Maximiliani deſponſat: qui ad compactata, per prius ſuper regno Hungariæ per literas & ſigilla habita, Vngariæ regnum regi Romanorum reſignare ſatagebat, eo quod ab illo tempore, quo cũ Turco paciſcitur, apoplexia tactus regno inutilis fuit. Verum Vngariæ magnates reſtiterunt, & filium Comitis Magni Stephani in coadiutorem & futurum in regem contra regem Romanorum & prius compactata elegerunt & erexerunt: qui aggregato exercitu regi nolenti inſurrexit. Rex ipſe regem Romanorum vocat in ſubſidium ſui & vt iactata exciperet, vſque poſt feſtum S. Martini expectatur adhuc. Qui contra veniens, ſtrage modica Hungaros domuit, qui econtra in Auſtria regi Romanorum Maximiliano ſubiecta ſtragem fecerunt. Sic pacificatur lis.

Eodem anno, circa feſtũ S. Michaelis, & circa nouilunium Nouembris, apparuit magna ſtella noua, hora quarta, vel circa, ante ortum diei, perdurans vſque ad octauam horam diei, ſecundum medium horologium; lucẽs per terras & oppida pulchre & lucide quaſi luna, non tamen omnino tam luminoſe, ſicut luna. Oſtendit deniq; iter mane ambulantibus ſatis lucide, tranſiens a meridie quaſi occaſum verſus, aliam minorẽ præcedentem ſe ſtellam habens, quæ adhuc duas minores præcedentes ſe habuit.

Anno

Anno 1506, celebrauit Marchio Fridericus ſolenne conuiuium Carnispriuij cum Ioanne duce Saxoniæ, duce de Mechelnburgk, Epiſcopo Georgio *Schenckhen.* * & alijs baronibus, comitibus, & multis nobilibus. Tunc poſt diſparuit ſuperior ſtella.

Eodem anno, feria VI, Vigilia S. Pauli eremitæ, mane viſi ſunt tres ſoles. Et eadem nocte in Oppoſitione viſæ ſunt duæ integræ lunæ. Vna tamen minor alia.

Eodem anno, circa Natiuitatis Chriſti feſtum, initio anni, ignis in quantitate dolij cecidit e cœlo ad montem patibuli. Deſuper cecidit vir magnus, niger, extenſis brachijs ad ignem, & combuſtus fuit: poſt cecidit ſtella ignita quaſi ſuper prætorium, & verſa cecidit ad montem *Plaſſenbergkh* & circa montem caſtri in Culmbach.

Poſt Dominicam Cantate, apparuit albus circulus circa meridiem, circa ſolē, per certas horas. Et in feſto Pentecoſtes celebrat Papa Iulius cōcilium cum Minoribus Romæ: qui duplices erant pro tunc, & in duas ſectas duntaxat diuiſi, ſc. *de obſeruantia* & *de reformatione* qui vicem tenent Martinianam.

Eodem anno, altera poſt Ioannis Baptiſtæ in & circa thermas Schlickenſium, vulgariter *im Warmenbad*, cecidit nix in ſpiſſitudine pedis, & per diem & noctem iacuit per certam diſtantiam. Altera die reſoluitur.

Anno 1507, Maximilianus Rex Romanorum, diæta tunc in Conſtantia cū principibus Alemanniæ celebrata, exercitum congregat proficiſcendo Romam pro corona Imperiali. Et quanquam Papa Iulius ſecundus uno exercitu cum & in ſuis pro eo, & ipſe rex Rom. Maximilianus ex altera parte pro ſe exercitu ſuo, laborarunt; tamē Veneti ſuis exercitibus & poteſtate Papam detinuerunt, & regem Romanorum vicerunt, eumq; ad proprtia remeare compulerunt. Sed Papa tranſmiſit Cardinales ad Tridentum cum corona & Imperiali titulo, ipſum coronando & titulo inſigniendo, ſed prudenti vſus conſilio, titulum recepit Cæſaris; Coronam vero Romæ (vt decet) afferre recipiendo voluit: vbi dicitur treugam contra Venetos ad triennium tunc inſtituiſſe cum rege Franciæ & Arragoniæ.

Anno 1508, multi fiunt terræ motus. Et obijt Albertus dux Bauariæ, & Philippus Elector Palatinus.

Anno 1509, die quinta feria poſt Quaſimodo geniti, in *Eger* ſentitus eſt terræmotus infra tertiam & quartam horas poſt meridiem. Poſtea circa feſtum S. Trinitatis, quidam nobilis auratus Georgius de *Gedbitz* in *Libenſtein*, cum diffidaſſet quendā Ioannem *Mollerfick* in *Haſla*, cui ſecunda feria poſt congregato exercitu vaccas cepit, & tres interemit ex laicis. Vnde commoti Egrenſes caſtrum *Libenſtein* obſederūt in vigilia Corporis Chriſti, & obtinuerunt 17 nobiles, decē equeſtres, & 40 pedeſtres ex arce, ſub pacto militaris captiuitatis: quos Egram ducunt, & in duo hoſpitia publica locant. Mane Corporis Chriſti proceſſione non tanta, quidam ex nobilibus fugam petierunt. Vnde communis populus ſeditionem maximam fecit; & vnum nomine *Hawenſtein* interfecit. quo ſepulto, alij ad prætorium recipiuntur; pedeſtres autem clauſuris mancipātur, quos rex ſibi mitti petijt. Sed Egrenſes negant. Emittit rex iuramentum, niſi ipſi præſententur, quod nolit eſſe Rex. Sed bono medio fractum intercipitur, ita ut omnes captiui in quatuor curribus veherentur, & vltra mille armati cū bombardis ob cautelam, quos Egrenſes conduxerant, vſq; ad limites medij miliaris una proficiſcerentur; vbi de regis commiſſo generoſus Sebaſtianus *Schlick* Cubitēſis obuius, regis in nomine captiuos loco regis ab Egrenſibus recepit, quos ilico Egrenſibus reſtituit. Reducuntur ad Egram; nobiles ad prætorium, cæteri ad turres. Vnus deniq; nomine *Geſeller* dictus, ſeorſum concluditur fame perimendus: quia Pragenſium inimicus tam uiris quam mulierculis nefanda attulit ludibria.

Eodem anno, Veneti grauiter debellātur. Et Maximilianus Wormatiæ apud electores & principes in diæta auxilium quærit: ſed non obtinet pro tunc. & Cæſar ſcriptis inuehitur contra ſtatus Imperij tunc & poſtea.

Eodem anno, ſunt etiam combuſti quatuor ordinis Prædicatorū apud Bernenſes.

Anno 1510, Auguſtæ fuit magna diæta: & Erphordiæ fuit magna diſcordia inter ſenatum & ciues, adeo quod unus magnus ciuis fuit ſuſpenſus a plebe.

Eodem anno, *Paul From*, ex Pomerania, malus Chriſtianus, duas hoſtias venerabilis Sacramenti ex cibario furatur cum Monſtrantia, & vendit hoſtias Iudæis in *Spandaw*

vrbe pro nouem Marchicis groſſis. Iudæi vero hoſtias cum multis iniurijs confoderunt & poſtea in tres partes una ſciſſa, ſanguinolenta eſſe viſa fuit: idq; ſæpe factum eſt. Tandē omnes capiuntur, & feria ſexta poſt diuiſionis Apoſtolorū triginta & octo comburuntur, & duo baptizati decapitantur, & *Paul From* laceratus cū forficibus deinde cōburitur.

Eodē anno, multi fiunt terræ motus in Italia, Florētiæ, Rauennæ, Venetiæ, & alibi.

Anno 1511, generale concilium ad inſtantiam regis Romanorum & regis Franciæ inchoatum eſt in Piſa a Papa, & terminatum in Mediolano.

Anno 1512, multa clades infertur Venetis a Gallo: & Italia paſſim miſerabiliter vaſtatur.

Anno 1513, *Frantz von Sickingen* Wormatienſes impugnat: & fuit magnum diſturbium in *Wurms* inter ſenatum & ciues: & rex Romanorum quoſdam ciues decapitari fecit.

Eodem anno, mortuus eſt Papa Iulius: & ſequitur eum Leo x.

Eodem anno, 11 Auguſti, concurrerunt in Arteſia Maximilianus Cæſar & Henricus rex Angliæ in perſona. Et ſuper fluuium *Litz* apud Terbonam fugant Gallos, & capiunt decem ſigna: & capitur dux de *Longeuille*, & alij quamplures: & occiduntur plures quam centum nobiles, & Terbona comburitur. poſtea obſidetur *Tornax*.

Anno 1514, Vlricus Dux de *Wirttembergk*, volēs grauamina terræ in debitis tollere, cōuocauit ſuos, vt darent *ſteuram*, de floreno vnum numum. Ibi Schorndorffenſes pagi rebelles, videlicet *Bittelspach*, *Heppach*, & *Grumbach* veniunt in *Schorndorf*, & volunt ſenatum cogere in ſuam partem: ſed ſenatus nō vult. Erant vero villani circiter duo millia, & de illis villis ſupra dictis, & hi alios ad ſe trahunt, & libras quibus carnes ponderantur, in aquam valde iniurioſe proijciunt. ſed admoniti a duce, orant ſuppliciter pro venia, & promittunt ſe velle eſſe obedientes: non tamen diu durat. Nam ad Pentecoſtes iterum rebellant Leobergenſes & Schorndorffenſes, & circum ducem Vlricum veniunt, & voluerunt illum occidere. Nam vnus clamauit, *Occidite illum nebulonem.* Sed Deus prohibuit. Ibi oppidum Schorndorff capiunt & claudunt, & parant ſe quaſi vellent bellare, & ferme mille & octingenti in monte, *Cappelsbergk* dicto, ſupra *Bittelspach* morantur contra prælatos, & nobilitates, & alios honeſtos viros, quos voluerunt omnes occidere. Accurrunt quotidie quamplures etiam ex fidelibus ſubditis, & fit quaſi magnū bellum. Leobergenſes tamē ſtatim redeunt & iurant. Sed Schorndorffenſes in *Ramsthal* inſaniunt & iurant in pauperem Cunradum. Ibi *Ernſt vom Furſt* nobilitaris ducit quingentos Tubingenſes, & Dux adhuc centum alios, & multi accurrūt de fidelibus, & fugatur exercitus pauperis Cunradi. Venit etiā dux cum 1800 equis, & multis fidelibus ſubditis ſuis. Ibi omnes Schorndorffenſes in oppidū cōuocati, capiuntur principales, & primū feria ſecunda poſt Sixti *Hans Volmar*, & *Baſtian Schwartzhanſen* filius, & *Iorglin Kremer*, tanquam capitanei, decapitantur. Deinde iterū feria tertia poſt Sixti, alij ſeptē decapitantur; & iterum feria quarta poſt Sixti alij ſex; deniq; Tubingæ adhuc duo. reliqui fugam petierunt. populus cōmunis fuit in gratiā receptus. Miſerat nobiliſs. Cæſar Max. comitē a *Montfort*, Georgiū & Chriſtophorū *Schenck* a *Limpurgk*, & Doctorē *Schad*. Miſerat etiam Pal. Comes Valentinum *Schenck* ab *Erpach* cum tribus nobilibus; & Chriſtophorus Marchio de *Bada* miſerat Vlricum *Landſchad*; & Herbipolenſ. Epiſcopus Ludouicum ab *Hutten*. Venerunt vero in perſona: Epiſcopus de *Strasburgk*, & de *Coſtentz*. Ibi etiam erāt, *Hans* & *Chriſtoff* comites de *Werdenbergk*; Georgius Comes de *Hohenloh*. *Wolf* & *Ioachim* comites de *Zolren*, fratres, Vlricus ab *Helfenſtein*; Ludouicus a *Leuuenſtein*, Rudolfus a *Sultz*, Wilhelmus & Georgius *Truchſeß*, & legati Suuitenſiū. Hi omnes uenerunt Tubingam, & uolebant conſultare quomodo ruſtici cogi poſſint, & tandem pacificarunt ſubditos cum Duce. Hoc bellū vulgariter dicebatur *der arm Chunrad*, id eſt pauper Cunradus. Eodem anno Ioannes *Pfefferkorn* baptizatus Iudęus, feria quarta poſt Ægidii in Halla propter nefanda ſcelera & malefacta cum ignitis forficibus laceratur, & aſſatur ante caſtrum Mauritij in Iudæorum cœmeterio.

Finis Appendicis Ioannis Lintvrii *ad Faſciculum temporum.*

DE GER-

DE GERMANORVM PRIMA ORIGINE, MORIBVS, INSTITVTIS, LEGIBVS ET MEMORABILIBVS PACE ET BELLO GESTIS OMNIBVS omnium seculorum vsque ad mensem Augustum anni trigesimi noni supra millesimum quingentesimum, libri Chronici XXXI, ex probatioribus Germanicis scriptoribus in Latinam linguam tralati, authore H. MVTIO.

D. D. EVSTATHIO QVERCETANO SVMMO PHILOSOPHO ET MEDICO, H. MVTIVS S.

CVM multas nationes, ob animi ingenijq; cultum, & philosophiæ studium, potissimum medicinæ, peragrans, doctissime Eustathi, visitares etiam in Germania claros eruditione viros, & in nostro florentiss. gymnasio magna cum tua laude, auditorumque fructu legeres publice, studebas cum exactissima Latinæ Græcæq; linguæ cognitione Germanicam quoque linguam coniungere: & cum lingua notitiam rerum consequendi gratia, diligenter meliores autores qui Germanorum res gestas germanicè scripserũt, conquirebas, in quibus vbi olfecisti, pro tuo exquisito iudicio, multa præclara esse & digna quæ ad Græcos & Latinos transmittantur, rogabas me vt memorabilium ea quæ aut omnino non, aut certe non tam bona fide neque tam clare essent apud Latinos, trãsferrem in linguam Romanam. Quod quantopere recusarim, scis: neque enim ignorabam me oneri tanto non esse ferendo, nec erat ocium. Nunc vero tandem sum aggressus, quanquam nihilo magis ociosus quam tum: tamen animi gratitudinem declarare cupio valde erga te, a quo cum in aliis medicinæ partibus, tum præcipue in anatomicis & re herbaria, multa, candide & amice tradita, si non didici, saltem audiui. Quam ob rem omnes libros historicos germanice scriptos, quos habere potui aut extare sciui, studiose excussi, & quæ visa sunt insigniora, scituq; digna, verti tibi in linguam Latinam, atque adeo tibi vni, non iudicium, sed candorem & amorem in me tuum respiciens. Nec hic mihi studio fuit, vllam vel ingenij vel artis laudem consequi, satis abũde existimans me præstitisse, si morem gererem tibi, cui pro nostra amicitia nihil meorum potest displicere. Qua autem festinatione occupatissimus scripserim, vides facile, ex tumultuariæ dispo-

sitionis modo & ex elocutionis genere. Fidem certe, quæ sola historias commendat, non desiderabis. Porro ne quid dissimulem, primo sequebar quosdam scriptores non certissimæ per omnia fidei: sed vbi primum animaduerti, meliores consului, neque temere cuiuslibet vestigia secutus sum. Cum hæc leges, compater carissime, fac memor sis quantopere petieris hoc, adeoque imperaris mihi. Egoreorum Germanicarum scriptorem quempiam optarim exoriri magni spiritus, consilij, & artis, qui ingentia dictuque vix credibilia facta huius populi altiore quopiam tono celebret, quique tot insignes victorias hexametro sono efferat. Sed nemo mortalium vlla orationis vi vnquam consequetur. Si Germani facultate dicendi, quemadmodum bellica armorum virtute, Romanos Græcosque superassent, dij immortales, quantæ essent res quæ iam ignotæ & obscuræ pleræque iacent. Dolendum profecto tali materiæ nullum hactenus dignum fabrum contigisse. Idcirco ego nulla magis causa, tuo impulsu, tantæ molis onus subiui, quam quod spei nonnihil est, aliquem maioris spiritus & oris, meam debilitatem, onere viribus longe potentiore suppressam, leuaturum, qui possit digne res omnibus nominibus maximas e tenebris eruere. Spero enim vbi apparuerit qualisnam materies sit, aliquem peritum fabrum manus admoturum. Quam ob causam, nullum aurium lenocinium adhibuimus, sed fidem sancte, quod est palmarium historiæ, obseruauimus, nisi a quopiam scriptore falsi simus, quod tamen in paucissimis fieri potuit. Mirari satis non possum, quod hanc nationem multi scriptores ita præterieunt, ceu nulla esset mundi pars, etiam autores qui quoque describere conati sunt quid apud Antipodas & in terris non habitabilibus agatur, nec vno verbo vel nominant Germaniam. Porro (quod hic locus alioqui requirere videbatur) de vtilitate historiæ, hoc est speculi & magistræ mortalium vitæ, superuacuum est ad te scribere, qui in illis iucundissimis quæ inter nos frequentissima fuerunt, colloquijs, mecum sæpe sapienter disseruisti, quam nulla re promptius animi prudentia pariatur, melius iudicium formetur, & rectius vita instituatur, quam ex accurata historiarum obseruatione & frequenti lectione. Est enim historia hominum vitæ imago. Hanc vtilitatem veteres haud dubie viderunt, qui pro illiteratis multa monumentorum genera, tropæa, imagines, statuas, &c. posuerunt in locis in quibus homines maxime conueniunt. Et his rebus magis vsi sunt, cum adhuc nullus vsus erat literarum. Quæso si ex sacris literis detrahas historiam, quid reliqui erit? Si auferas ex studiis literarum historiam, quid obsecro, manebit, quod magnopere vsui esse possit? Quid canitur a doctis, & a vulgo? quid loquuntur homines in rebus serijs & ludicris, in omnibus conuentibus? nonne si demas historiam, omnia muta erunt? Sed nihil opus his ad te, vt dixi. Accipe igitur vt petijsti, breuibus quicquid Germani scriptores memorabile habent, de Germanorum rebus: bonique consules si quid est rudius alienioreque loco dictum.

Vale in Domino tuam aliorumque valetudinem curans & conseruans quamdiutissime. Basileæ anno M. D. XXXIX, Mense Augusto.

DE

Ihr Ehrig Hugwaldg mütig

DE GERMANORVM RITIBVS, MORIBVS, LEGIBVS, ET OMNIBVS GESTIS OMNIS PRÆTERITÆ ÆTATIS CHRONICORVM LIBER I.

GENVS ET ORIGO GERMANORVM á Tuiſcone filio Noë.

SVNT autores, inter quos eſt. & Nauclerus & Beroſus, qui tradunt poſt diluuium Noë inter reliquos filios genuiſſe & Tuiſconem gigantem, qui Germanorum progenitor genuit Mannum. Manno aſſignant progeniem hanc; Mannus genuit Ingæuonem, qui produxit Iſtæuonem, ex quo Hermionem natum dicunt, cuius filius Marſus; rurſus huius Gambriuius, ex quo genitus fertur Sueuus, qui pater Vandali eſt; cui prolem adſcribunt Hunnum patrem Herculis: Hercules autem factus parens Teutone filio. Hæc ferè etiam Tacitus habet. Hinc vocitatos Ingæuones proximos Oceano, medios Hermiones, cæteros Iſtæuones, Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos. Iohannes Viterbienſis tradit, Noë numeroſam proſapiam habuiſſe; Tuiſconem autem Germanorum & Polonorum Danorumq; autorem & patrẽ eſſe. Idcirco genus Tuiſconis ad Noë, ſicut Enos ad Adamum rectè refertur. Vxor Noë, quę peperit illi Tuiſconem tribus nominibus, Veſta ſcilicet, Terra, & Titea appellatur. Atque ita pulchrè Beroſus Cornelio Tacito conſentit, Tuiſconi matrem fuiſſe Tellurem. Longeque fallitur hoc loco Diodorus Siculus exiſtimans propter hæc nomina Noë multas fuiſſe mulieres. Nam tres appellationes vnũ vnius mulieris nomẽ eſt. ſuntq; abſque dubio ſynonyma. Quemadmodum etiam Noë appellatus eſt Ianus, bifronsque pingitur, quod bina ſecula vidit. Eodem Beroſo non dubiæ fidei autore, Sarmatia & Germania Tuiſconi ſorte obtigit. Cui Beroſi opinioni aſtipulatur & C. Tacitus. ſcribit enim Germanos ſedem & nouam regionem quærentes, poſt longos variosq; errores in Oceani littoribus terram primũ attigiſſe. Propter has cauſas diu Germani ab Italis & Gallis Tuiſci vocati ſunt, quod nomen adhuc non ſolum in Germanorũ, ſed ferè omnium gentium ore eſt.

Beroſus (quem quidam, inter quos eſt etiã Metaſthenes Perſicarum rerum ſcriptor, fide dignum authorem ducunt, quemq; Ioſephus libris antiquitatum ſæpe citat, libro hiſtoriæ ſuæ quarto) ſcriptum reliquit, quod à diluuio poſt centum triginta vnum annum prima & potentiſſima vrbs Babylonia ædificari cœpta ſit. Tunc etiam temporis Noë, qui & Ianus eſt vocitatus, Tuiſconem filium ſuum in Europam miſiſſe, & illi tradidiſſe regnum à flumine Tanaë ad Rhenum vſque. Sicut & Tacitus ſcribit, Tuiſconem deum terra editum, & eius filium Mannum autorem & conditorem gentis. Item ſcribit Beroſus, quod anno 4 Nini regis Aſſyriorum, Tuiſco Germanos circa Rhenum legibus & inſtitutis correxit, & in ordinem redegit, quemadmodum Iubal apud Celtiberos, & Samotes leges tulit Celtis. Secundus Germanorum rex fuit Mannus Tuiſconis filius. Scribit enim Beroſus, Sexto anno Semiramidis reginæ Aſſyriorum, iuxta Rhenum Mannus Tuiſconis filius Germanorum regnum obtinuit. Tertius Germanorum rex fuit Ingæuo filius Manni, tempore Nini filij Nini. Hermionem, quartum ferunt Germanorum regem fuiſſe, tempore Arali ſeptimi Aſſyriorum regis. Quintus eorum rex fuit Marſus, tempore Balei octaui regis Aſſyriorũ: à quo dicti ſunt Marſi, hincque eſt regnum Marſorum, teſtibus Plinio & Cornelio Tacito. Gambriuium ſextum regem in Germania faciunt hiſtoriæ, tempore Belachi Aſſyriorum re-

gis. Hic Gambriuius ſtrenuus & fortis bello fuit. Ioannes Annius quibuſdam coniecturis colligit, hunc primum coronatum regem Germaniæ fuiſſe. Sueuum ſeptimum regem ſcribunt, Baleo vndecimo rege Aſſyriorum ſeu Babyloniæ imperium obtinente. ab hoc putantur Sueui nominati. Hic Tigurinæ non ignobilis vrbis conditor fertur. Vandalus Germaniæ octauus dicitur rex, Altada duodecimo in Aſſyria regnante. Nonum tradunt Teutonem fuiſſe huius nationis regem. ab hoc ſunt Germani dicti Teutones. Fuit aut tempore Manniti tredecimi Babyloniæ regis, qui primum dijs ſacrificare inſtituit. Decimus rex Hercules fuit, tempore Macalei decimiquarti Babyloniæ regis. Hunc omnium virorum fortium primum in prælia ituri Germani, carminibus cantuq; celebrabant, autore Cornelio Tacito. Hæc de regibus Germanorum, autoribus citatis.

Veriſimile eſt, ſicut iudicat etiam Ioannes Viterbienſis, quod quemadmodum Germani à Tuiſcone nomen acceperint, ita Alemannos à Manno Tuiſconis filio, ſecundo rege ſuo vocatos. et a ſeptimo rege ſuo Sueuo nominatos Sueuos, ſicut à nono rege Teutone appellati ſunt Teutones. Germani vero longo poſt tempore ab exteris nationibus, Gallis ſcilicet, & Italis dicti ſunt. Cuius nominis cauſam arbitror fuiſſe, quod belli tempore tam fraterno animo ſemper partiti ſint pericula & ſucceſſus: et quod ij qui domi remanſerant, paſcentes, ruſticantesq;, vxores & liberos pro communi patriæ ſalute militantium alebant: poſt annum qui in bello fuerant, reuertentes domum, viciſſim rura colebant, nutriebantq; familias qui in eorum locum exire lege inſtitutoq;, in bellum cogebantur. Hæc viciſſitudo & mutua mutatio cum magna germanaq; fide fiebant. Nec autem vſquam germani fraterniq; animi magis apparent, quàm in prælijs, vbi vitæ capitisq; agitur periculum. Hanc cauſam huius nominis eſſe idonei ſunt autores. Porrò ex nominibus omnibus illis nouiſſimum eſt Germanus; nec multum, quod ſciam, ante Chriſtum natum in vſu fuit: quanquam hoc nomen etiam ſit apud Titum Liuium primæ decadis libro 6. Iulius quoq; Cæſar in Commentarijs cum lib. 3, tum alijs quibuſdam locis huius nominis meminit. Facit & Cornelius Tacitus mentionem huius nominis. Item Strabo Geographiæ lib. 7, Trans Rhenum, inquit, verſus orientem Germani habitant, gens forma & moribus non prorſus diſſimilis Gallis. A Romanis vero frequentius Teutonici vocati ſunt. Ita ſine dubio vocabulum Germani minus eſt vetuſtum. Quando autem aut per quem, primum ſic appellati ſint, ſcribit Nauclerus ſe neſcire. quanquam vero minus vetus ſit reliquis nominibus; tamen quam vetuſtum ſit, videmus ex Liuio. poſt enim vrbem Romam conditam, anno centeſimo ſexageſimo, fuerunt Germani in Italia, quo tempore Brennus Romam incendit.

Omnes qui digni ſunt quibus fides habeatur, coſmographi, nempe Ptolemæus, Hegeſippus, Cornelius Tacitus, Beroſus, Strabo, & ſi qui ſunt alij huius loci conſentientes, ſcribunt, Rhenum Germaniam a Gallijs ſeparare, eſſeq; vtriuſq; nationis terminum. Nec eſt dubium obſcurúmue Gallos olim vſq; ad Rhenum occupaſſe omnia. atque ſic Rheno diuiſas Germaniam & Gallias. Hinc palam eſt Argentinam & Moguntiam & maiorem Baſileam, reliquasq; in ea Rheni ripa vrbes in Gallia ſitas. Germani enim virtute roboris, armisq; præſtantiores ſuis non contenti, Gallos expulerunt. Ferunt etiam quidam ſcriptores, Gallos aliquando Germanica lingua locutos, ſed bellis omnia confuſa. Solinus in collectaneis ad Auguſtum, dicit, Germaniam eſſe populoſam, pertinereq; a Polonûm ſiue Sarmatiæ montibus per Hercyniam ſyluam vſq; ad fines Rheni, & ortum Danubij. Plinius lib. 4 cap. 13, ſuis quoq; finibus Germaniam deſcribit. ſed nobis parum cognitum quid ſibi velit. adeo per temporis bellorumq; iniuriam, nomina ciuitatum & regionum partim interciderunt, partim mutata ſunt. vixque eſt inuenire aliquid quod ſuum priſtinum nomen tueatur. Ptolemæus & Corn. Tacitus libro de Germaniæ ſitu & moribus ſimiliter ſcribunt, Germaniã eſſe imprimis nobilitate & magnitudine inſignem: Rheno & Danubio à Gallis, Rhetis, & Pannonijs; montibus vero a Sarmatis Dacisque ſeparari. Hi veterum Germanorum fines ſunt. Sed nunc ſingulari armorum animiq; robore ad ſua adiecerunt multa, verſus meridiem, orientem & ſeptentrionem, tranſgreſſi, poſſeſſoribus fugatis, flumina & montes, omnes ſuperarunt difficultates. Cuius rei teſtimonio ſunt Germani

Germani transrhenani in Gallia, vt supra dictum est. Tantumque accessit Germaniæ, vt duplo hodie maior sit, quam Strabonis, Ptolemæi, Plinijq; tempore habita est. Nam Germani omnes regiones & populos qui lingua Teutonica cuiuscunque idiomatis vtuntur, sibi asserunt: quantumuis varia sit huius linguæ dialectus.

Germaniæ omnes naturæ dotes tantum variant cum ijs quæ olim illi, si credimus Romanis & Græcis scriptoribus, fuerunt, adeoque fere omnia aliter habent, vt hæc abunde possint esse argumento (si scriptores non mera mendacia & somnia mandarunt literis) cœlum & regionum naturam mutari: etsi philosophi physici non concedant. Sed Domini verbo obediunt omnia elementa, faciunt omnia hæc iuxta iussum & imperium Domini exercituum. Hoc benedicente, & aperiente manum, terra fert fructum suum, fertilitateq; omnia implentur: maledicente, & manum claudente, sterilis redditur terra, & omnia pereunt, vt Psal. 103, *Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.* Et Psal. 32, *Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Hoc genus sententijs tota est plena scriptura. In hunc modum solet esse vicissitudo in donis Dei: mutanturque sic artes, animi, ingenia, & regna, fieriq́ue solent mortales post varia dona & victorias successusque, arrogantes & molles, vitijsque infinitis inquinantur. quare post longam patientiam non perpetuo ferens Dominus Deus, puniensque ingratos dat fructum ferentibus. Sic est mutata fertilitas, propter populi peccata; terræ promissionis quæ prius fluebat melle, vino & lacte, iam vix spinis & tribulis ferendis est habilis. Notum est, quales fructus in testimonium & signum Israeli Iosue & Caleb ex illa attulerint terra, quę iam est desolata, deserta, & colono prorsus non respondens; sicut etiã Sodoma & Gomorrha ante maledictionem omnibus rebus abundauerunt, vt iure habitæ sint paradisus & pinguedinis domus. Propterea Ezechiel cap. 16, perditionis eorum nullam aliam reddit causam, quam omnium rerum affluentiam sine magnis operis, & luxum qui solet comitari ocium & fructuum absque labore copiam. Sic verum existimo Germaniam aliquando fuisse barbaram, horridam, & infœcundam; semper tamen bellicosam, aliisq; populis fortiorem, quemadmodum consueuit esse gens laboribus indurata & exercitata, parumque ciuilibus mollioribusque moribus imbuta. Sed Dominus iam tandem quoq; hanc terrarum orbis partem respexit, ita vt ex verbo & gratia Domini vix vnquam fuerit regio vel fertilior, magisue habilis ad omne genus fructus producendos, vel felicior ingeniorum animorumque bonitate, magnitudine & prestantia. Quibus enim gentibus, quæso, in vlla cedit arte? imo quos populos qui & sunt & fuerunt non longo interuallo post se relinquit? Iam incipiunt Physici disputare de temperie media & summa, cui ascribunt illam benedictionem Domini in Germania, quam olim tribuerunt Assyrijs, Persis, Terræ promissæ Israeli, Medis, Grecis, Italiæ. Iam illud ver illãue Domini benedictionem in Germania omnes mirantur cum stupore populi. nihil in hoc mundo vanitati obnoxio solidum, immutabile, & incorruptibile. Fuerunt alia olim etiam secula apud Ægyptios, Græcos & Romanos, eruditione & artibus omnibus excellenter dotata & exculta, sed temporis iniuria, quæ omnia consumit, artes & homines interciderunt. Id quod sine dubio nobis potest euenire, si ingrati fuerimus Domino Deo omnium bonorum largitori. Etiam nunc causæ paulo oculatioribus non sunt obscuræ. Et nisi Domino, qui omnia propter sese facit, ascripserimus in vera humilitate & timore Dei, in despectum barbariemque maiorem priore relabemur. Nam Dominus propter peccata cum alia tum potissimum superbiæ, molliciei & luxus transfert animos & regna, ita vt repente leones immutentur in lepores. quare ambulandum in lumine antequam prætereat. Ne quis sibi in illis donis sibi placeat, arroganterque alios despiciat; Dominus deijcit superbos de sede, exaltat humiles. Qualis aliquando Germania fuerit, est apud L. Anneum Senecam in lib. de gubernatione mundi. dicit enim, errare eos incertis sedibus, perpetuas hyemes illic esse, solum infœcundũ, nullas ædes, venationibus viuere, vbicunque nox fessos laboribus deprehẽdit, cubare sub frondibus aut in speluncis foueisve; pellibus vestitam aut etiam nudam gentem esse; miram illis esse frigoris patiẽtiam.

Non dissimilia scribit & Tacitus, Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? Informem terram, asperam cœlo, tristem cultu conspectuq;, nisi si sit patria. Addit post pauca, Terra etsi aliquãto specie differt, in vniuersum tamen aut syluis horrida, aut paludibus fœda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda: sed plerunq; improcera; ne armentis quidem suus honos aut gloria frontis; numero gaudent, eaq; solæ & gratissimæ opes sunt; argentum & aurum propitij an irati Dei negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argentum aurumue gignere, quis enim scrutatus est? possessione & vsu haud perinde afficiuntur, &c. Hæc Tacitus. Talia de Germania refert etiã Strabo, & alij plures ex Græcis & Latinis. Næ ista videtur mera mẽdacia, & figmenta omnibus qui hodie hæc legunt aut audiunt. Nam quo loco & statu sint hoc tempore Teutonicæ res ad astra sublatæ, nouit totus mundus. Sed ijce autores grauitate & doctrina insignes excusari possunt, iudicio Domini, de quo paulo ante. Si iam cernerent isti rerum scriptores germanas res, non possent non suffundi rubore. T. Liuius putat Germaniam totam nihil nisi horridam siluam esse, ad quam nullus vnquam mercator veniat; nec quisquã ad eos accedere propter feritatem auderet, nisi cum valida militũ armorumq; manu. Idem quoque demonstrat in ijs Italiæ locis, in quibus nũc sunt pulcherrimæ vrbes Bononia & Mutina & aliæ, desertum & syluam fuisse. Iulius Cæsar tradit, neq; agriculturam neque vsum belli intermitti apud Germanos: sed priuati ac separati agri apud eos nihil esse; neque longius anni tempore vno in loco incolendi causa remanere concessum esse; neq; multum frumento, sed maximam partem lacte atq; pecore vitam degere, multum in venationibus esse. Et hoc vitæ genus & quotidianam exercitationem, libertatemq; vitæ, ab omniq; officio ac disciplina vacationẽ, vires alere, & immani corporum magnitudine homines efficere. Additq; in eam consuetudinem adductos, vt locis frigidissimis nullis vestibus, exceptis pellibus, vtantur. Quæ Cæsar in Commentariis de Sueuis scribat, cuilibet in prõtu est legere, vt nihil opus sit pluribus. Facile est videre eo loco quomodo indurati fuerint ad laborum & bellorũ incredibilem patientiam, quam frugali vita fuerint contenti, modo salua esset auro preciosior libertas. Ex quibus causa barbariei patet. Nec mirum terram a Domino statim post Adami lapsum maledictam sine diligẽtibus cultoribus nihil produxisse quã tribulos & spinas; omnia erant obsita sentibus, quę iam sunt vestita pulcherrimis & fœcundissimis vinetis & pomariis. Nihil est tam felicis ingenij quod non cultum, fructum producat suum. Quãquam sint autores physici qui opinẽtur ex reuolutione cœlestium virtutum & per hoc temperiei mutatione regionum fœcunditatem mutari in sterilitatem, & sterilitatem rursum in fœcunditatem: idq; adeo vt vbi nunc est mare, aliquãdo terras; & vbi terra, illic maria fuisse. Sterilem autem fieri fœcundam terram, indicãt etiam Romani scriptores qui queruntur, non eandem esse suarum terrarum fœcũditatem; disputantq; in eo, num etiam terra senescat, effœtaque reddatur senectute, vt animalia. Quæ mutatio facta sit in Canaan scimus. Natura rerum infirmis elementis subiectarum est fragilis, corruptionibus & mutationibus exposita; nihil est tam splẽdidum & magnificũ quod non redigatur ad nihilum, & in contemptum veniat; omnia veterascunt, vt vestimentum. Dominus solus immutabilis manet & qui in eo sunt, vnum cum illo facti. In Asia & Africa, aliisque memorabilibus locis iam multa iacent neglecta, infrugifera, & deserta, quæ vix serpentibus iam alimentum sufficiunt vbi fuerunt ingentes ciuitates populosissimæ. Vbi fuit Babylonia? Vbi fuit Niniue? Vbi Troia? Vbi Thebæ? vbi reliquæ de quibus tam magnifice loquuntur historiæ? Ecce rerum humanarum miseram conditionem! Quid miseri extollimur? quid cæci inflamur in tam caducis rebus? Babyloniæ vrbis amplitudo & altitudo nota est: sed vbi fuerit, ignoratur locus; est iam habitatio Sirenum, draconum, crocodilorum & veneficarum aliarum ferarum. Dic mihi campum vbi Troia fuit, & eris mihi magnus Apollo? Ægyptus quæ ex Nili exundatione paradisus erat, iam suas laudes non tuetur, nec respondet colonis suis. Quid igitur mirum si ex Germaniæ eremo factus est hortus omnibus & ad voluptatem & necessitatem sufficientibus plantis consitus, omniaque pene dixerim, ferens sine culturæ disciplina? Quem in modum omnia sphærica reuolutione mutentur a Domino in sacris

ctis literis cum aliis locis pluribus,tum clariſſime Solomon in Eccleſiaſte tradit. Multa faciunt vt ego perſuadeat, Germaniam felicitate non vlli orbis partium cedere. Quanquam enim ſunt qui prædicent Aſiæ,Africæ,Indiæ,Italiæ,aliarumque dotes;tamen cum Plinio iudico feliciſſimam regionem, quæ ſuis contenta, alienis nihil opus habet; cuique eſt temperatus aer. Concedo aliis hyemes minus rigentes: ſed caloribus æſtatis magis feruentibus affliguntur. Fructibus alij aliis abundant, ſed habet & Germania ſuos peculiares; taceo de animalium aliarum regionum nocentiore veneno. Non facile eſt conferre in hunc modum terrarum felicitatem: nam nullam partem eſt inuenire,quæ ferre omnia poſſit; ſemper negatum eſt alij quod in aliam collatum videas; non dico in præſentiarum quam diues auri & argenti, aliorumue metallorum ſit Germania: quanque omnibus rebus ad vitam laute degendam copioſe ſibi ſufficiat, nihil prorſus externi egens, ſi vellet: quid enim opus eſt de his pluribus dicere, quæ in oculis omnium in claro die conſtituta ſunt? Italiæ, Hiſpaniis, & Galliis fere prorſus omnia metalla negantur,niſi quæ a mercatoribus Germanis mercantur.

De Germania ſcriptum Cornelius Tacitus reliquit,Germanos indigenas,minimeque aliarum gentium aduentibus & hoſpitiis mixtos, qui olim non terra, ſed claſſibus aduectos: & aliquot populos Tacitus, Plinius, Oroſius, Strabo, Ptolemæus commemorant, ſed nominibus nobis adeo incognitis,vt mirari ſatis non poſſim qua temporis iniuria adeo perierint regionibus ſua nomina. Nec minus eſt mirabile,quod nullus ex autoribus cum alio conſentit in nomenclatura, ſed quilibet alia tribuit regionibus & vrbibus nomina; cum tamen in vno fere ſeculo tres inſigniores vixerint. Strabo enim ſub Tiberio, Cornelius Tacitus ſub Traiano, Ptolemæus imperante Antonino Pio,floruerunt. Iſta ſunt nomina populorum Germaniæ apud Strabonem, Bructeri, Sueui, Caldui, Marcomanni, Liuij, Zumi, Butones, Mugilones, Sabini, Senones, Sicambri,Catti, Gambruuij, Cattuarij, Chaubi, Cimbri, Caulci, Campſiani, Biſurges,Cheruſci,Catiſci,Ampſani,Cheinſci,Landi,Sabatij,Heumunduri,Boij. Cum Strabone Cornelius in pluribus variat. Oroſius his vocabulis appellat, Vſipetes, Tencteros, Friſos, Agoriuarios, Dulgibinos, Taſuarios, Chauchos, Longobardos, Reudingos,Auiarios,Varmos,Eudoſos,Suarmos, Nuithomos, Hermunduros, Nariſcos, Quados, Marſignos, Gothos, Oſos, Buros, Ligios, Arios, Heluetianos, Mannumos, Heliſios,Naharualos,Rhingios,Lemones,Suiones,Venetos,Fennos, Vandalos. Ptolemæus multa alia habet, quæ recenſere ſuperuacuum exiſtimo. Tam diuerſæ impoſitionis nominum non fuit alia cauſa,quam quod doctiſſimi hi autores ſibi putarint licere pro animi arbitrio imponere nomina barbaræ nationi, ſicut & adhuc hodie Germani peregrina libenter imponimus nomina, vel Græca vel Latina. Huc facit quod olim in Germania, autore Tacito, nec viri nec mulieres nouerunt literas. Etiam ipſi Galli antequam Romano imperio fuerint ſubiecti, nullas omnino literas attigerunt, nec etiam viderunt. Græci aliquando illis Græcas literas oſtenderunt, quas pro miraculo habuerunt. Ex his dubium non eſt illa Germanis nomina impoſita a Græcis vel a Latinis. Romanis enim ſingulari ſtudio fuit linguam Latinam cum imperio propagare, & pleraque aliis appellationibus nominare. Noſtro tempore Germaniæ regiones appellantur hoc genus nominibus. Ea pars quæ non multum abeſt a fontibus Danubij & Rheni,Sueuia vocatur,quam ſolam Alemaniam quidam volunt. Huic vicina eſt Heluetia, Alſatia, Brabantia, Selandia, Holandia, Friſia, Dania, Saxonia, Thuringia, Haſſia, Francia Orientalis, Boemia, Schleſia, Polonia, Bauaria, Pannonia.

Iulius Cæſar memoriæ mandauit,quod Germanis vita omnis in venationibus ſtudijſq; rei militaris fuerit: quodq; a paruulis duritiei & laboribus ſtudeant. Quique diutiſſime impuberes permaneant, maximam inter ſuos laudem ferre. Hoc enim ali ſtaturam, ali hoc vires, neruosq; confirmari putāt,& cætera quæ eo loco ſcribit,in prōptu ſunt. De his Tacitus ſcribit,quod aliquando ſupra modū inculti barbari fuerint,in ſordibus & magnis ſudoribus a prima iuuētute educati,in omni domo,inquit, nudi & ſordidi;in hos artus,in hęc corpora,quæ miramur,excreſcunt;ſua quenq; mater vberibus

alit,nec ancillis ac nutricibus delegantur; dominum ac ſeruum nullis educationis delicijs dignoſcas. inter eadem pecora in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos,virtus agnoſcat. Sera iuuenum Venus,eoq; inexhauſta pubertas;nec virgines feſtinantur:eadem iuuenta,ſimilis proceritas,pares validiq́; miſcentur,ac robora parentum liberi referunt. Seuera illic matrimonia. Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert: interſunt parentes & propinqui, ac munera probant:munera nõ ad delicias muliebres quæſita,nec quibus noua nupta comatur,ſed boues & frænatum equum,& ſcutum cum framea gladioq́;. In hæc munera vxor accipitur. Atq; inuicem ipſa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum,hæc arcana ſacra, hos cõiugales dies arbitrantur. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes extraq́; bellorũ caſus putet, ipſis incipientis matrimonij auſpicijs admonetur, venire ſe laborũ periculorumq́; ſociam: idem in pace,idem in prælio paſſurã auſuramq́;. Hoc iuncti boues,hoc paratus equus, hoc data arma denunciant:ſic viuendũ,ſic pereundum. Accipere ſe,quæ liberis inuiolata ac digna reddat,quæ nurus accipiant,rurſus quę ad nepotes referantur. Ergo ſepta pudicitia agunt,nullis ſpectaculorum illecebris, nullis cõuiuiorum irritationibus corrupta. Hæc fere ad verbũ Tacitus de moribus Germanorum. Sunt & alia apud alios autores,ex quibus cõijcere licet,de morum ſeueritate & inſtitutis ita tetricis, vt tamen non per omnia honeſta diſciplina caruerint. Scribunt quidam,olim Germanas mulieres fortiter pro patria pugnaſſe,& iam laborantib. in dubij martis periculo viris in multis non vulgaribus prælijs prompte viriliterq́; fortes auxiliares manus attuliſſe, res aliquãdo pene fractas aliquando reſtituiſſe, & ab incunabulis liberos ad arma educare & exercere ſolitos. Quæ cõſuetudo adhuc noſtro tempore durat,ita vt hæc natio toti orbi abundè ſatis militum mittat. propterea ſuos liberos Marti dedicabant, quem præter alios deos colebant. Nam aſtrorum periti affirmant peculiariter Martem virtute ſua, &, vt loquuntur, influxu ſuo reſpicere Germaniam,vt non ſolum vſu & exercitatione in militari diſciplina & robore animi & corporis cæteris præſtent, ſed etiam natura. Quare Dionyſius vocat eos natura bellicoſos. Quando matrimonijs iungebantur, vtrique ſponſo & ſponſæ prædicebatur; adeptos ſuorum laborum & moleſtiarum ſocium, &, vt pacis & belli tempore mutuam ſancte inuiolatã ſeruarent fidem, omniaq́; communia ducerent pericula, & pacis tranquillitatisque commoda, ocia & labores, bona & mala. hoc iunctis ſub vnum iugum bobus,equo inſtructo,& armis vtrinq; datis, ſignificabatur. Item, vt facultates a maioribus acceptas auctiores ſuis liberis & poſteris relinquerent. Mulieres vero arcentur a comeſſationibus publicisq́; ſpectaculis, quo ſumma dos, mulierum pudicitia illibata permaneret. Qua diſciplina factum eſt, vt adulteria rariſſima apud eos fuerint. Deprehenſæ in adulterio maritus iure omnem cæſariem euellere pro arbitrio potuit. et eiectam cum ſumma ignominia ex domo per omnes vrbis plateas, vel etiam per omnes regionis vicos duriſſimis verberibus agebat. quoq́; ſeuerior erat in peccata vxoris, hoc vir laudatior habebatur. Nec hic vlli perſonarum reſpectui locus erat. Propter has cauſas apud eos boni mores plus valebant,quàm apud alios bonæ leges. Diuerſitas ſuppliciorum eſt ex delictorum varietate. Proditores & transfugas arboribus ſuſpenderunt. ignauos & degeneres animo, imbelles & corpore infames paludibus & cœno merſerunt. Ita diuerſitate ſupplicij puniendo ſcelerum naturam oſtendebant. Leuioribus peccatis pro cuiuſque delicti magnitudine equorum pecorumq́; numero conuicti multabantur. Multæ pars reipub. vel regi, pars ipſi qui vindicabatur, vel propinquis eius exoluebatur. Non iunctas ſedes incolebant, ſed ſeorſum diſcreti rura ſua colebant, ſicut fontis, aut campi vel nemoris occaſio admonuit. Quiſq; ſuam domum certo ſpacio circumdedit, vel propter incendij periculum, vel propter barbariẽ ædificandiq́; imperitiam. Subterranei ſpecus multo fimo onerati erãt illis hyeme receptacula & domus, & frumẽto fructibusq́; alijs horrea & cellæ. Et hoc modo & brumæ rigores, & hoſtium depopulationes fallebant. Veſtitus erat ſagum aut fibula, vel etiam ſpinis contextum. Totos fere dies ac noctes ad focum ſedebant. Locupletiſſimi eorum a vulgo diſtinguebantur veſtibus non laxis & fluitãtibus, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtrictis & ſingulos corporis artus exprimẽtibus. geſſerunt & plerique ex ipſis ferarũ pelles maculis quandoq; variegatas. nec alio veſtimentorum genere mulieres quam viri vtebãtur: niſi quod fœminæ

ſæpius

sæpius linea veste purpuris variata induebantur: sed sine manicis, brachia & lacertos, totamq; anteriorem pectoris partem nudæ: etsi fuerit, vt dictum est, summa in matrimonijs castitas. Pro dijs creaturas visibiles coluerunt, sicut Lunam & Solem. Mercurio præcipue diuinos honores exhibuerunt; cuius imagines adhuc hodie quibusdã locis extant: cui sanguine humano, viuoq; homine sacrificabant aliquãdo. sed Martem & Herculem pecude quapiam placabant. Isidi quidam Sueui sacrificabant. non ferebant deos suos humana effigie pingi aut sculpi. nemora & lucos dijs dedicabant, & illa ex deorum nominibus appellabant: propterea quod illi abscondita vident. Quidam terram deam vocabant, honoribusq; diuinis colebãt: quod alma tellus omnia producat. Sunt præterea multa apud autores de veterum Germanorum superstitione & diuinatione & augurijs, quæ non duco operępretium esse enarrare omnia: quanquam adhuc hodie cæca & christianæ lucis ignara mortalitas infinitis superstitionibus inuoluta sit. Magna æquitate agrorum limites diuidebant, & ne quid iniustè inæqualiterque fieret, quotannis possessionibus mutatis, veteres migrabant coloni inuicem in aliorum agros. Qui ex magnatibus, sicut hodie fit, quando à bellis vacabant, ocio, ludendo, somno & conuiuijs vitam ducebant. Rei familiaris curam, & culturam agrorum mulieribus, senioq; defectis aut alioqui imbellibus cõmittebant. Summus magistratus apud quẽ belli tempore vitæ necisq; ius erat, temporibus pacis abrogabatur, constitutis in singulis pagis iudicibus. Publicè conuentus comitiaue agebant: silentio a sacerdote indicto, & re proposita, reges, magnates aut alioqui lingua & autoritate præpollentes sententiam ordine dicebant: magisque exorant, quàm imperant, quod volunt. Si vulgo sententia displicebat, magnis clamoribus explodebant; probantes autem, armorum concussione & sonitu animi propensionem significabant. Bellis confectis, centum duces, viros ex omni populo prudentia & probitate insigniores, seligebant, qui lites dirimerent, custodes essent legum. Sed omnia publica & priuata armati agebant. nec erat illis concessum ius vel belli suscipiendi, vel alias aliquid maioris momenti agendi, nisi prius populo vel ciuitate consulta. Iuuentus bello fortis magnis honoribus & præmijs afficitur, supraque alios nobilitatur. Nobilitas apud eos non ex maiorum stemmate, sed ex fortiter gestis iudicatur. nec tamen desunt autores ex maiorum egregiè factis, & prolem laudem nobilitatemque consecutam. Et iuxta factorum magnitudinem & claritatem per gradus ad regum latus sedes tribuebatur. Nobilitas alijs armis & animo fortior, hostibus vicinisque omnibus terrori erat; sæpeque vel solo nomine vicerunt, & in officio vicinos continuerunt. Ad hos legationes cum muneribus frequenter mittebantur ab exteris. Nulla gens propensiore animo peregrino hospitia offert, & omnem humanitatem ostendit in omnes, aduenas præsertim. ducuntq; in plerisq; locis pro bono omine esse, si cui Deus hospitẽ peregrinum egenum mittit. nam sine deo fieri non posse rectissimè persuasi sunt. Atq; vtinam hanc humanitatem non exuerent his pessimis nouissimis temporibus, quibus prædictum est homines fore sine omni caritatis affectu. Germanorum humanitatis & præcipuè in peregrinos, facilitatis vestigia adhuc manent; sed refrixit etiam hæc caritas in multis. Hoc de Germanis veteres autores Romani testantur. Magnum flagitiũ iudicatum apud Germanos, peregrinum quapiam vel leui iniuria afficere. Quamobrẽ confugientes ad se, & auxilium aduersus potentiorũ iniurias petentes summa vi & integritate defendunt, & ius persequuntur iniuriã patientium vltro sine spe præmiorum; sed solum propter solam humanitatẽ & misericordiam erga infirmiores. Hilari fronte & affabilitate non vulgari cibũ & reliqua necessaria indigentibus communicant. A somno statim calida lauare consueuerant. Dormiunt autem libenter vsq; in diem à curis soluti. Cibi generibus minimè exquisitis vtuntur. nullis cõdimentis & illecebris voluptatum & effœminata mollitie vincebantur. Cibus erat venatio aut arborei fructus, aut lac, ex lacteq; confecta. Sed in potando immodicos semper fuisse negari nõ potest. Exiccandis poculis semper certarunt, & adhuc certant. quicq; capaciora vno hausto sæpius exhaurit, robustior habetur. & hæc non vltima laus est. Nec in hoc pugnæ genere minus pertinaces sunt, quàm in prælijs. Potu vtuntur ex hordeo & alijs frumẽti speciebus cocto, vino sapore nõ absimili, & vt merũ, inebriat. Sũt quoq; autores qui reliquerunt scriptũ de Sueuis, quod passi non sunt ad se inuehi vinum, quod molles animo &

effœminatos reddat. Nec ad conuiuia, nec ad opus eunt nisi armati. Paratiores semper ad verbera quàm verba etiam post calices. De magnis rebus consultant inter potandũ. Aperti sunt, minimè nigri & fallaces, nihil dissimulare, nihil celare, nihil adulari, nihil fingere, non repostum odium in pectore, & ore risum gerere, scientes. Ludo nimium dediti, præsertim aleæ; & non dubitant audaces omnes facultates semel deponere: imo suorum ipsorum corporũ libertatem non raro deponunt. Et victus sic, nihil repugnans victori se vinctum præbebat seruum. tanta semper fuit apud eos fidei obseruatio. Spectacula eorum omnia erãt exercitatio & tractatio armorum; summum decus scire rem militarem. Malebant sic se exercere, quam venas argenti & auri in terra abstrusas magnis sudoribus effodere. nec enim precium hoc hæc metalla habebant, sicut partim supra diximus, partim in sequentibus vbi offeretur occasio, narrabitur. Vasis aureis & argenteis quæ dono acceperant ab exteris, vt fictilibus vsi sunt: quanquam Romano imperio viciniores, propter vsum & commercium monetam præcipue Romanam & acceperint & exposuerint. sed nullus amor aut honor lamæ, vsui vero solum. Remotiores autem aliis rebus commutabant, rarius pecunia vtentes. Munera semper amarũt, quod quid commodi incõmodíue adferat patriæ rerum nostra memoria declararunt euentus. Nunc in quo luxu, quibusq; inutilibus peregrinis rebus intricata sit Germania, sine dolore recordari quis possit, qui hos veterum mores audit? Per hos certe iustitia extrema vestigia fecit, excedens terris. In proximos frequenter hostiles excursiones exercebant & propter rapinas & propter exercendam iuuẽtutem, ne ocio emolliti belli temporibus inutiles redderentur; simul vt vicinis terrorem incuterent. & ex ducibus ad huiusmodi incursiones paratior, à popularibus præ cæteris laudibus vehebatur. adeoq; non dedecori erat alienas gentes diripere, vt etiam laudis plurimum datum sit, qui plurimum domum retulit rapinarum. Ita factum est, vt nunquam cum hoste confligere, etiam iustis bellis confectis, desierint. Ex nobilioribus reges creabantur: duces verò propter factorum magnitudinem eligebantur, sed communibus omnium suffragiis. Tantumq; abest vt regibus liceat tyrannidem exercere, vt etiam nihil audeant constituere in rebus quoque exigui momenti, sed omnia populo sciente & consentiente agere coguntur. & vel ob minimam tyrannidis suspicionem è regno repelluntur. Atque ita rex & duces magis exemplo quàm imperio plebeios præcedunt. primi domi constitutiones legum factis exprimunt. in præliis primi hostem adoriuntur, in prima acie constituti. primi, si quid operis in castris locandis exigitur, manus admouent. noctu & die per omnes locorum difficultates primi proficiscũtur: reliquus exercitus hos sequitur, ab his exemplum in omnibus functionibus capit. Supplicia criminum capitalium leuiorumq́ue flagitiorum in manu sacerdotum erant, non ex authoritate regum aut principum, sed deorum. Religionem enim deorum supra omnem humanum magistratum, collocabant. Persuasioq; hæc de diis superstitiosa seditiones cauebat, & plebem in officio retinebat, quod per alios principatus impossibile erat. Quanquam inscius non sim Iulium Cæsarem scribere, summum in bello imperatorem apud Germanos habuisse necis & vitæ ius & potestatẽ. In præliis cognatos & amicissimos quoque locabant quam coniunctissime poterat fieri; quo minus alterum alter desereret, pugnatetq; fortius quisque pro familiarissimo quoque. Et ob has causas etiam vxores & prolem inter impedimenta habere, & præliaturis ostentare & commendare: eorum captiuitatem & crudelem trucidationem, si vincerentur; præmia, & spolia, & laudem, & gloriam, & pacis commoda, si vincerent, ob oculos ponere. hoc per duces eloquentiores fieri solebat. etiam per mulieres infantes in vlnis mammisque adhibitos ostendere. ipsæq; arma non raro in manus capere, in acie locum viriliter defendere, hostem repellere: quibus incitamentis & facibus vix quicquam excogitari potest, quod etiam ignauissimum excitet, vt si non aliam causam respiciat, vel pudore compellatur aduersus hostem. Obsidum loco nubiles virgines dabant, & vicissim accipiebant. Hoc videtur illis peculiare fuisse in deliberationibus magnarum rerum, nullius quantumuis abiectæ in speciem personæ, consilium spernere, etiam mulieres audire. Vespasiani tempore fuit Velleda mulier, propter bona consilia pro dea Germanis habita. Hostem aggressuri, carminibus Herculem celebrabant & inuocabant, & clamoribus quibusdam ad terrendum hostem confictis, vti vnà omnium voce soliti sunt. sic suos in spem vocari,

vocari, hostes confundi animo sperantes. De hoc cantus & clamoris genere Tacitus, & alij quidam. Arma eorum haud nostris nunc similia fuerunt; expedita & leuiora ferũtur fuisse. omnia agrestia, nihil picti & effœminati quod effœminatum animum argueret. equites equis non prorsus dissimilibus ijs quibus hodie Turcus vtitur. Relinquere equos si loci prælijque ratio flagitare videbatur, aut fessis & vulneratis concedere peditibus; ipsi pedites vicissim pugnare cõsueuerunt. in quem vsum equos in omnẽ euentum assuefactos habebant. Pugnando in præliis omnes ad principem exercitus respicere, omnibus curæ esse vt illum imitentur, vt placeant illi; illi vicissim studium vt ad animositatem exercitum prouocet. Nullum maius dedecus quam principe relicto fugere: imò principe viuo, & re non prorsus desperata, respicere, fugere relictis armis, aut principe, flagitium haberi consueuerat maximum. Nec postea vnquam conceditur tali adesse publicis conuentibus, vel sacris eorum. Itaque contemptim tractabantur, vt multi laqueo vitam finierint, vel alio quopiam genere sibi mortem conscierint. Pace diutius durante, iuuentus præcipue nobilior patria relicta, quærere hostẽ, & aliis sine prorsus titulo bellum inferre solebat. Sic vitæ discrimina & labores subire, quam domi ignobiles in otio torpere, maluerunt. honestioremque quæstum ex sanguine humano, quam ex terræ cultura barbari iudicabant. Funera non tanta religione & apparatu, quanto alij populi curabant. Nobiliorum cadauera cum armis & equis comburunt: deinde tumulo in viridi quopiam horto aut prato sepelierunt. nec lamentationibus funera prosequuntur. viris enim vitio datur; mulieribus propter sexus infirmitatem nonnunquã conceditur. Mercatores, non vt aliquid importarent, sed vt spolia ab hostibus accepta emerent ab illis, Germaniam adire consueuerant: nunc mercatorum facultatibus & multitudine antecedit ferme omnibus nationibus, Veterum nulla fuit negotiatio & quæstus, quam bellum, venatio, agricultura, pastiones pecoris, quæ multis locis solæ in vsu fuerunt. Pagi & oppida non muro, sed fossa circundata longe distabant. nam maior pars agri siluestris & inculta manebat. Verisimile est ex pagis qui tum fuerunt nobiliores, quæ nunc sunt ciuitates originẽ suam habere. Rhenani a Rauraca Basilæa ad oceanum vsque fuerunt aliis magis politici, propter Galliæ viciniam: qui mores, exuta barbarie, ciuiliores ante Germanos, acceperũt: quod vicini fuerunt Romanis, quibus ciuilitate Græci præcesserunt. Græci autem ab Ægyptiis ciuilem vitam mutuati sunt. Coloniam Agrippinam & Treuerim primum omnium politioribus moribus a Gallis acceptis, ad ciuilem vitam perueniisse ferunt. Dicuntúrque vetustissimæ imperij ciuitates, ædificatæ a Trebeta ante natum Christum anno 1548, temporibus Abrahami. Apud Germanos olim nemo possidebat propria rura, sed singulis annis mutanda fuerunt, cedendumq; aliis, ne quis arrogaret sibi terram quæ communis omnium alma mater existit: néue libido possidẽdi animos hominum stultos occuparet, præriperentq; alij aliis quod fruendum omnibus dat Dominus. pernicioſum nimirum putantes hominem sibi agrum asserere, de quo tot ante cesserint, omniaq; metat orcus. Certe illam stultam humanæ mentis arrogantiam etiam annus Iubilæus ille in sacris literis videtur cauere. Erat ciuitatibus singulare studium quam longissime nullum habere vicinum, quanque latissime omnia circum se habere siluestria, & nullis habitata hominibus. & hoc laudi præcipue erat. Sed primi libri hic finis esto. In sequentibus ordine persequi egregie dicta & facta Germanorum conabor. Sequi autem visum est Cæsarum tempora, a Brenno incipiens ad Carolum hunc V pergens, si annuerit Dominus. Ne cui autem videatur absurdum & præter rationem, quod ordine Cæsarum meam dispositionem instituo. Nemini opinor non cognitum quantum Romanis ducibus cum Germanis, rursum Germanis cum Romanis fuerit negotij; alterique alteros claros reddiderunt.

Sed hic primi libri
finis esto.

DE GERMANIS LIBER SECVNDVS.

DE VETERVM GERMANORVM ante natiuitatem Christi gestis.

364 ANNIS 364 post Romam conditam, Senones, Sueui, & ij qui nunc Heluetij vocantur, Italiam ingressi sunt hostiliter, duce Brenno, vt Iustinus refert, gratia nouarum sedium quærẽdarum, patriam propter intestinas seditiones & rapinas relinquentes, atque in Latio incolas expulerunt, Tuscos primum: ædificasseq; feruntur nobiliorũ vrbium quasdam, nimirum Mediolanum, Comum, Vincẽtiam, & alias quę nunc partim Venetis, partim ducatui Mediolanẽsi, partim Romano pontifici sunt subiectæ. Mantuam quoque volunt quidam ab his cœptam ædificari. Tusci, duce Rheto nomine, se in vicinas alpes, & montium loca inaccessa receperunt, fugientes militem Germanũ & Gallum: vocaruntq; regionem à duce Rhetiã, & se Rheros. Porro ij non contẽti, agro Tuscorũ occupato, hostili animo Romam versus profecti sunt, omniaq; depopulantes, incolasq; trucidantes & eiicientes, in potestatem redegerũt. quibus mature obuiã missi sunt à senatu populoq; Romano duces cum validissima militum manu: sed resistere nõ valentes, frequẽtibus præliis victi sunt, accepitq; Roma maiorem quam vnquam antea cladem. Aliquoties ita trucidati sunt, vt vix euaserint præliorum testes. Tandem etiam ad iam tot cladibus acceptis, terrore confusam Romam, ipsam vrbem venerũt, successibus elati & barbarie feroces hostes: quam expugnarunt facilè, propugnãtibus metu exanimatis, captam crudelissime diripuerunt, nulli ætati sexuiq; parcentes. Quidam ab altera parte fuga sibi cõsuluerunt: cũ quibus pontifices, Vestęq; moniales virgines egressi sunt cũ suis sacris reliquiis & simulachris deorum. nam irruentibus hostibus non occurrerunt, sed e regione in fugam se coniicientes, focos & penates, & senio defectos parẽtes hosti trucidandos deseruerũt, multis vrbis locis incẽdio exustis, & magnis viris Romanis multis trucidatis, obsessoq; Capitolio (quod Romanis solum ex omnibus supererat) sex totis mẽsibus frustra, nam fortiter confisi loci munitione defenderunt Romani. diciturq; seruatũ à vigili ansere. Nec Galli & Germani sine magna suorum iactura Capitolium conati sunt capere. M. Torquatus in ea propugnatione prudenter multa gessit. inter alia hosti sperãti deditionem Capitolij propter cibi penuriam, proiecit vltro liberaliter panẽ ex Capitolio, quo de pertinaci futuræ deditionis spe barbaros iam etiã cõmeatu indigentes deiiceret. nec eum rei expectatio fefellit. barbari enim homines capiendi Capitolij animum despondentes, pacto certo auri pondere, Romanis in Capitolio reliquis Romam reddiderũt. Parãtibus verò discessum Germanis & Gallis, F. Camillus in his turbis ex exilio vocatus, & dictator factus, milite comparato, mira celeritate, non expectãte hoste barbaro, abituros, omnia tuta putantes, nihil iã timentes, negligenterq; omnia administrantes, quasi re bene gesta & cõfecta, adoritur, vertit in fugam, maiorem partẽ trucidat, spolia recipit. Itaq; incẽsum Romæ ignem sanguine hostium extinctum recte quidam dixerunt. Atq; hoc modo Camillus ex inuidia a suis ciuibus in exiliũ missus, rem Romanã restituit; in quo viro cẽsent autores, q, abũdè satis prædicabile fuisset, q, hosti se ꝓpter iniurias nõ adiũxit. quo ore igitur sonãda animi magnitudo, q, etiam auxiliares manus fractis ꝓrsus rebus attulit? Hoc tẽpore cõsultabant Romani de bello in Germanos & Gallos suscipiendo, ne aliquando denuo armati Romam cõtenderent, & tempus belli plerisq; opportunũ videbatur post recentẽ fugã & hostiũ cladẽ: sed aliter visum est Camillo, cui summa erat rerũ potestas: qui maluit se prius recolligeret, & præsenti contra hostẽ successu contẽta esset Roma, quæ similior erat aceruo lapidum, quàm ædificatæ vrbi. Sed qui volet, hęc pleniſſime in historiis cognoscet. Ego ꝓpterea paucis verbis indicare volui, vt admonerẽ quo seculo primũ lõgius ꝓfecti sint in militiã Germani. Nã ante hoc tẽpus neq; Italiã, neq; vllã remotiorem regionẽ hostiliter ingressi sunt. Post multas a Brenno ciuitates in Italia ædificatas, profectus est cum armata Gallorum & Sueuo-

Sueuorum (quorum maior pars absque dubio ex iis montibus fuit, quos hodie Heluetij possident) manu in Asiam, præmisso prius legato Belgio Germano cum Germanis; qui totam Asiam ita terruit suo aduentu, vt magna vi pecuniæ plurimi reges pacem ab eo emerint, legationibus vndiq; ad eum missis, pacem petentibus. Ptolemæus rex Macedoniæ, cõparato exercitu, resistere conatus, victusq;, captus, truncatus, capiteq; eius a Germano milite per totam Macedoniam circumlato, incusserunt ingentem formidinem Macedonibus & vicinis regionibus omnibus. Depopulata igitur Macedonia & Asia totaq; Græcia, secutus est & Brennus maioribus copiis, & quæ relicta fuerant, deuastat omnia, nõ parcens templis & eorum aris. Sed, vt historiæ vno loquuntur ore, vbi Apollinis templum diripuerunt in Delphis, multi terræmotu perierunt, multi fulminibus perierunt, multi gladio perierunt, multi peste perierunt: vehementerq; copiis afflictis, & Brennus ipse imperator vulneratus grauissime, doloris impatiens, sibi mortem conscisiuit. Quidam scribunt pugione transfossum periisse. Alij alio mortis genere periisse tradiderunt. Post ducis mortem Germani & Galli occuparunt opportunas in Asia sedes: dictiq; a Græcis Galatæ, quod nomen seruant. Hinc Gallogræcia dicta est.

Quod Cimbri & Sueui, & populi in iis montibus, quos Heluetij inhabitant hodie, in Illyrico, tota Græcia, Hispania, Italia gesserint, quanque difficilia bella confecerint, potest ex variis historiis colligi: quãtumuis dissimulanter pauca ex plurimis vix vno digito attingant. Solet enim humanũ ingenium sua exaggerare quę putat esse laudi, aliena vero extenuare, vel etiam deprauare. neq; enim verisimile est ex rerum ignorantia factum. Quantis copiis Aurelius Scaurus conatus sit Germanis resistere, quo pacto fusus sit, quot milia amiserit, quomodo captus & interfectus, si enarrare vellem, iusto volumine vix possem. Quid dicam de M. Æmilio, qui cum ingenti apparatu multisq; legionibus aduersus Germanos missus, extinctus est cum vniuerso exercitu, in quo habuit 100 milia peditum, præter equitatum & impedimenta? Ex omni illo numero vix euaserunt octo animę. In quo luctu, quoque metu tum fuerit Italia & ipsa vrbs Roma, cogitatione melius quam verbis consequi possum. Nam iam ante ediderant barbari multa suę crudelitatis exempla, quare vehementer timuerunt, ne imminens ferox hostis Italiæ, superatis alpibus, direptaq; Italia, excinderet totam Vrbem. nam tales iactabantur minæ ex hostium ore auditæ. & iam Romanum imperium subiectum in Germaniam & Gallias per nuncios iactabant. Sed Domino aliter visum est. Nam Marius contra illos missus, prudenter cunctanterq; exultantes & ferocientes barbaros, multis præliis victores repulit, expectata locorum opportunitate, & hostium commeatus penuria (quæ res plurimum in bello habet momenti) adortus est, pugnaruntq; totum fere diem dubio marte; sed Germani frigoris patientiores, quam æstus, calorem in valle soli exposita, tempore anni calidissimo nõ ferentes, sub vesperam dissipati tergum verterunt. In quo prælio vtrinque infinita hominum multitudo desiderata est: sed Germani potiores suos duces amiserunt, & regem ipsum † Teutobochum. Sed sub idem tempus Q. Catulum in alpes cum non contemnendis copiis missum ad prohibendos hostes, non sine magna Romanorum cęde ex præsidiis deiecerunt Germani. Nisi Catulo subuenisset mature Marius (qui vt ante cunctatione. ita hic festinatione prudentissime vsus est) actum erat de legionibus Catuli. Marius contra barbaros vsus temporis & locorum commoditate. nam vt alios cunctanter magno consilio, ita illos festinanter mane nebuloso tempore obseruatis solis exortu & vento, vt essent hostibus infesti, aggressus est, & sole hostibus aduerso, & nebula & puluere excitato, per ventum fretus, vicit, & occidit fere ducenta millia, supra quadraginta millia captis. Ibi inauditum apud alias gentes, mulieres Germanorum, & mulieres secutæ castra memorandum exemplum pudicitiæ & magnorum animorum ediderunt. nam cum in vallo & munitionibus castrorum primo impetu non potuerunt Romani eas redigere in potestatem, & cernentes ita viriliter munitiones defendere, vt morituras potius animaduerterent, idq; non inultas, quam se hosti traderẽt, conditiones deditionis obtulerunt illis: sed illæ omnes recusarunt, nisi promitterent illæsam omnium pudicitiam fore. quod cum negatum illis est, sibi & suis liberis consciuerunt mortem, ne veniret earum pudicitia in manus eorum qui suos caros coniuges occiderant: aliæ ferro, aliæ laqueo, aliæ se præcipitando in aquam (quæ ab vno latere castrorum erat alta, quod etiam sin-

† Teutobũ.

gulare munimentum castrorum fuit) paucæque ex magno numero in hostis manus peruenerunt. Sunt quoque inuentæ, quæ quanquam captæ, cum congressuris viris tam pertinaciter certarunt, vt animas in pugna reliquerint. interea ita castra defenderunt, vt hæc omnia peregerint, & omnia quæ vsui putarunt fore hostibus, in ignem iecerint. nec paucæ seipsas in ignem coniecerunt. quædam irruerunt in hostium arma densissima, in certissimam mortem: sed secum hostium aliquot ad inferos rapientes. In hoc prælio multi duces, & rex ipse Cimbrorum Beleus, occubuerunt. Et in hac pugna fractæ Romanæ res sunt per Marium restitutæ, non tam militum virtute, quam ducis prudenti astutia. quæ nisi successum habuissent, Romanum imperium totum suppressum erat Germanorum armis.

Quicquid se vllo modo effert, & suis viribus confidit, Dominus deiicit. nemo est ita creaturis munitus, quem Deus non exuat suo tempore. Omnem fastum deprimit: & stultitia est sibi placere in creaturis quas omnes Dominus propter se fecit: & nulla est maior vanitas, quam hominem sibi arrogare vel culicem. Regna Assyriorum, Persarum, Medorum, Alexandri Magni ab alio ad alium translata sunt: tandem peruenerunt ad Romanos, qui etiam iam fuerunt Troës. eorum imperium frustatim scissum, fere tot tyrannos habet quot oppida vel vicos. Sic hæc pereunt & transeunt. perit omnis arrogantia. nec enim Deus ferre potest. Omnis virga amplius non necessaria, & inutilis facta, in ignem mittitur. Exitus tyrannorum operæprecium est considerare, quam miseri inexpectatique fuerint. Videmusque diuæ virginis cantionem per omnia secula impleri, *Deponit potentes de sede, exaltat humiles. Deus perpetuo superbis resistit, humilibus dat gratiam. Quod vult aliquid videri, in nihilum redigitur. vocatq; Deus quæ non sunt, tanquam vt sint.* 1 Corinth. 1. Roman. quarto. Huius diuini iudicij omnes historiæ testes sunt: suntque plenæ exemplis omnes. Quanti reges, quanta regna & imperia, quantæ vrbes, quantæ respublicæ deletæ sunt, vt ne vestigium quidem remaneat? omnium exitij causa nulla prorsus est quam superbia cordis, cæcæque mentis humanæ Dei gloria destitutæ & vacantis. Quid Troiam, Græciam, Pharaones, Romanos, & Constantinopolitanos principes, Romanum senatum, populum Israëliticum; quid alios reges & Imperatores commemorem? Quid aliud habent omnes historiæ? Quin nunc Turca tam breui in tantum fastigium potentiæ est euectus, vt vel solus satis abunde indicio sit, quam inconstantes mutabilesq; sint humanæ res. Sic non fortuna, ne gentiliter loquar, sed Deus omnia versat, omnia mutat.

Vt redeamus ad Germanorum gesta. Vicinos olim sæpe composuisse, & coëgisse suum iudicium sequi; aliisq; nationibus, vt adhuc hodie res se habet, semper metuendos fuisse non est obscurum (quantumuis dissimulent historiarum scriptores) Heduis & Sequanis diu de imperio litigantibus. Petierunt Sequani a Germanis contra Heduos alioqui potentiores, & peiorem habentes causam, auxilium: qui percognita vtriusque factionis causa, Rhenum transgressi, a quibus Hedui victi, dareq; obsides coacti, & perpetuis pacis cõditionibus compositi, ad votum Sequanorum, & arbitrium Germanorum sunt. Nec hoc bellum leue fuit, sed Heduorum omnis nobilitas in prœliis est interfecta. Vnus tamen ex Heduis Romanos solicitauit aduersus Ariouistum Germanorum regem & Sequanos: qui commemorando quid Germani tandem ausuri essent, quæq; eorum fama iam esset per omnem Galliam, & in Hispanias vsque peruenire inciperet; quæ contra opinio de Romanis, si socios desererent, esset futura: & hoc genus persuasionibus aliis facile induxit Romanum Imperatorem ad auxilium ferendum, & cogitandum de bello aduersus Germanos suscipiendo. Nam iam maiorem partem possessionum & in agro Heduorum & Sequanorum occupauerant Germani; & quotidie numerus aduenientium ex Germania augebatur, vt breui haud dubie veteres Gallos colonos omnes eiecturi viderentur. Huc accedebat, quod non habuit minimum momenti ad Romanos excitandos, quod Ariouistus rex vir erat natura ferox, & ad bellum quoduis oblatum perficiendum promptissimus. vi armorum omnia agere, nihil illi maiori studio esse quam imperij sui fines propagare, Romanos vbicunque occasio offerebatur, omnibus modis conatibusque aperte & clam impedire. sedulo cogitare de sibi subiicienda Gallia. Romanorum præsidia ex ea eiicere. Nam Iulius Cæsar multa præsidiis tenebat loca in Galliis. Quare Cæsar facile coniectura,

ctura,quam magnæ Ariouisti regis spes essent (quid enim non speraret etiam de Italia, capta tota Gallia?)assequi:& quid moliretur, oculis conspicere potuit:viditq; totã Galliam suam futuram si hunc hostem vinceret. Propter vero supra commemoratas causas quæ in hoc rege erant, prudenter diligenterq; contra talem minime contemnendum hostem censuit agendum. Quamobrem visum est illi ad Ariouistum legationem mittere cum talibus mandatis:Vt ad quempiam medij itineris locum certum & commodum conueniret Cęsarem,de communibus rerum publicarum commodis,& vtriusque suo & Ariouisti iure,& componendis rebus turbulentis,colloquendi gratia.Respondit barbaro & elato animo Ariouistus,Se mirari quid iuris & negotij esset Romanis in Gallia, quæ armorum vi & iure belli sua essent facta. nihil sibi apud Cæsarem esse negotiorum,si quid ille velit,ad se venire posse.Hæc nimium superbe renunciauit Cęsari. Quibus auditis,Cæsar censuit hominem barbarum ferocientem aliter tractandum: remisitq; legatos, qui seuero vultu & animo illi nunciarent,vt in memoriam reuocaret, ex gratia & beneuolentia senatus populiq; Romani se salutatum appellatumque regem. Quæ nam sit ingratitudo, non velle vel ad colloquium venire propter pacem,euitandaque multa incommoda & pericula. Quum autem non velit venire,hæc esse quæ velit: Primum,ne in posterum in Galliam transrhenum Germanos ducat. Deinde,vt Heduis obsides restituat.Postremo, ne vlla causa amplius arma sumat contra Romanos eorúmve socios: si hoc faciat,fore amicum populi Rom.si non,se Romanos sociosq; eorum summa vi defensurum,nec vllo modo Heduos inultos relicturum. nec enim Romanos talem contemptum in se recipere solitos. Ad hæc respondit Ariouistus rex,Ius belli esse,vt victor cum victis pro suo arbitrio agat.& hoc etiam Romanos cum suis agere.quum igitur ipse Romanis non pręscribat quid cum victis agãt, se quoque non velle impediri. Heduos victos suis armis;obsides se non redditurum: nec arma aduersus eos moturum,quamdiu pacis conditionibus & promissis satisfecerint.Quod autem Cęsar minetur,se vlturum eos,posse eum venire,si cupiat.neminem impune hactenus contra se & Germanos arma sumpsisse.se effecturum,vt sentiat quę vires, quodq; robur sit Germanis qui iam quatuordecim annis sub dio obduruerint perpetuis in militia,nunquamq; interea temporis domũ venerint:inuictosq; hactenus fuisse.His auditis,Cęsar festinandũ esse iudicauit.diligenter igitur copiis collectis,quãprimum ad Ariouistum contendit.nec segniter,minoriq; conatu Ariouistus aduersus Cæsarem in Sequanos profectus est.sed celerior Cæsar opportuniora loca & vrbes Sequanorum Romanis præsidiis muniuit. Sed facile Cæsar vidit,quantopere miles Romanus Germanum timeret: quanq; in magna existimatione fortitudinis inuictæ esset Germanus. quare hunc metum longa oratione exemit: Primum,vt orationi viam ad exterritos & metu stupidos animos faceret, Ariouistum non temere contra Romanos bellum moturum, qui se consule,tot beneficia accepisset a Romanis,præsertim cognitis suis postulatis, & æquitate conditionum. Deinde incipit commemorare Marij factorum successus, suam diligentiam. Hos Germanos cum Ariouisto esse quibus cum sæpenumero Heluetij congressi,non solum in suis sedibus,sed etiam in illorum finibus plerunque superassent: qui tamen pares esse Romanis non potuerint(quod tamen fictum erat,neque enim Heluetij Romanis vnquam cesserunt,ita vt habeant quod glorientur) Gallósque magis astutia quam virtute ab Ariouisto victos. Post hæc,prætextus varios timoris diluit. quidam enim metuere se rei frumentariæ penuriam:quidam itineris difficultates volebant videri.De quibus pro tempore & proposito prudenter vbi dixit,conuersi sunt mirabiliter omnium animi,alacriateque mentium cupere prælium præ se ferebant.Cæsar igitur arripuit per commodissima iter,sine omni cessatione aduersus Ariouistum cum suis contendit. Audito aduentu Cæsaris,Ariouistus mittit ad eum qui nuncient,quod antea de colloquio postulasset,id licere fieri:addítque causas quare iam cupiat vltro quod ante recusarit. Et conueniendi conditionibus statutis; & vterque suis comitibus in equis stipatus,Cæsar primum Romanorum beneficia erga Ariouistum recensuit, quod rex a senatu salutatus esset;quodque dona missa amplissima essent nihil etiam promerenti. commemorabat quoque quam cari essent Romanis Hedui multis ex causis. talesq; confœderatos suos solere non solum defendere, sed etiam augere Romanum senatum. addidit etiam suam priuatim

animi propenſionem & beneuolentiam erga Heduos. Deinde vt obſides Heduis reſtitueret poſtulauit; nec vnquam ſociis Romanorum inferret bellum. & ſi traductos Germanos reducere non poſſet, ſaltem efficeret, vt in poſterum nulli Rhenum tranſirent. Ad hanc Cæſaris orationem Ariouiſtus reſpondendo, ſua in bellis geſta recenſuit, cauſasq; quare ſit iure & merito rex appellatus: reddiditq; ſui in Galliam aduentus cauſam, victoriamq; ſuam in prælio cum vniuerſis Galliæ copiis, commemorauit, vno prælio totius Galliæ vires a ſe ſuperatas. Si malint denuo fortunam martis experiri, ſe eſſe accinctũ: ſi verò velint potius in rerum tranquillitate quieſcere, ſibi iure promiſſum ſtipendium deberi. ſe amicum populi Romani factum vt iuuetur, non vt iniurias ferat. ſe traduxiſſe Germanorum copias: neque enim inermem potuiſſe venire ad defendendos iniuriam ferentes. nam non veniſſe ad oppugnandam Galliam, ſed a factionum altera rogatum. ſe priorem in Gallia eſſe quam Romanos, adeoque ſuam eſſe hanc prouinciam; Cęſaremq; propter nullam Heduorum cum Romanis neceſſitudinem, ſed ad opprimendos Germanos veniſſe. Quare niſi quamprimum decedat cum ſuis omnibus copiis, hoſtis loco eum habiturum. Neq; enim ſe ignarum, inquit, etiam magnam gratiam initurum apud multos Romanę reipub. principes, ſi Cæſarem interficiat. id ad ſe clara multorũ voce perferri. igitur non eſſe, vt timeat ſe contra Romanos principes facturũ, ſi reſiſtat Iul. Cæſari. Poſtremo pollicetur gratum ſe fore, ſi diſcedat ex Gallia ſua. His Ariouiſti poſtulatis Cæſar multis cõtradixit, Se non poſſe vllo modo facere, neq; Romanę fidei ſocios deſerere. Item ſi temporis diuturnitatem ſpectandam iudicet, populi Romani iuſte imperium Galliæ deberi: ante enim bonam partem Galliæ bello victam a Q. Fabio Maximo. Ecce, dum vtrinq; hæc contrauertuntur, equites Germani moræ impatientes, ad Romanos propius adequitant, in eosq; tela & lapides mittunt. Qua re nunciata Cęſari, ſtatim ad ſuos aduolauit, & cum comitatu ſuo ad exercitum ſe ex periculo recepit: & in vulgus militum ſparſit quã potuit odioſiſſime Ariouiſti in colloquio libertatem, vel ſi quis mauult, arrogantiam; quo pacto Romanis ex omni Gallia interdixiſſet. quomodoq; impetum feciſſent contra fidem in Romanos Germani. quibus modis maieſtas Romani nominis contemneretur a barbaro rege. atq; ita incenſos omnium animos reddidit. Iterum igitur cupiebant colloquendi gratia conuenire: ſed Cæſar impetum Germanorum metuens, mittit ad regem legatos, qui quumprimum venerunt, vt proditores aut ſpeculatores coniecit in vincula, ſtatimq; exercitum ad Cæſarem promouit propius. Cæſar exercitum aliquot diebus in conſpectum Germanorum in acie produxit; ſed loco iniquiore continuit. Equites primis diebus fortiter pugnarunt vtrinq;. Germani tali pugnæ genere vſi ſunt: Erant tot peditum quot equites, horum alteri ad alteros ſe in prælio, vt res ipſa requirebat, recipiebant, aliquando coniuncti, aliquando ſeparati pugnabant. pedites miræ erant celeritatis, æquarunt equorum, iubis nonnunquam ſubleuati, curſum, quandocunq; erat opus feſtinatione. Interea Cęſar opportunioribus locis caſtra munit. Ariouiſtus fortitudine & alacritate ſuorum fidens, miſit exercitus partem ad munitiones Cæſaris oppugnandas. Hic toto die acerrime pugnatum eſt, vſque dum nox diremit pugnam. Et quanquam Romani in munitionib. ſuis ſuperioreq; loco conſtituti fuerint: tamen
» tanta conſtantia & robore Germani pugnarunt; vt Cæſar ipſe hoſtis ſcribat, Solis occ-
» caſu ſuas copias Ariouiſtus multis & illatis & acceptis vulneribus, in caſtra reduxit. Ex his verbis quiuis facile intelligere poteſt, quomodo eo die Romani vix in caſtris ſe defenderint, tantum abfuit, vt in æquum campum deſcendere auſi fuerint. Sed nimium confiſi, poſtridie eius diei iterum locis iniquiſſimis adorti hoſtem, & magna parte exercitus Cæſaris trucidata, tandem propter nimiam locorum iniquitatem & munitiones diligentia Cæſaris factas, coacti ſunt cedere, vtrinque occiſis infinita pene hominum multitudine. Sed poſtea & in illas & in alias Galliæ partes irruerunt hoſtiliter, viceruntq; longe ſępius quã victi ſint. Cum igitur ſæpius Galliam diriperent, & omnibus modis Romanorũ conatus impediret, Cæſar neceſſario belli molem omnem in Germanos vertendam iudicauit. Commeatu igitur comparato, delectuq; habito militum & equitum, aduerſus Germanos (qui in Gallia ſedes occupauerãt, expulſis incolis Gallis Romanorum ſociis) proficiſcitur: qui veniẽti obuiam miſerunt legatos cum his
» mandatis, Populi Romani amicitiam ſe ſeruaturos, neq; vnquam bellum priores Ro-

manis

manis illaturos. si autem quis illis prior inferat bellum, se minime recusaturos. neque » enim Germanæ virtutis esse bellum deprecari, sed hostem repellere & persequi: nec » hactenus quenquam impune lacessisse Germanos. Exposueruntque longa oratione » aduentus sui causas, & voluntatem erga Romanos: quanti vsus esse possint Romanis » in militia, si sedes occupatas cum pacis tranquillitate illis concesserint volentes. Nec » hoc se propterea dicere, quod animum despondeant se non posse defendere armis ca- » pta (neque enim parem Germanis nationem inueniri vsquam.) sed malle possidere » cum gratia Romanorum, quàm inuitis illis. Ad hæc Cæsar, Nullo modo se laturum, vt » ipsi Romanorum socios eiiciant, & occupent agros eorum: maleque eos de Romanis » sentire qui hæc sperent aut petant ab ipsis. nullos in Gallia habitatoribus vacuos agros » esse, qui sufficiant multitudini tantæ. Præterea pollicetur illis auxilium contra hostes » suos, vt possint redire ad patrias suas sedes. Hoc responso reddito à Cæsare, mouit pro- » pius ad Germanos castra, festinandum censens antequam eorum copię congregaren- tur. nam dispersas intellexerat. Iterum igitur legati Germanorum ad Cæsarem rede- unt, petuntq; æquissimas pacis conditiones, quas Cæsar omnes recusauit, nimirum vi- dens Germanorum paucitatem; fidens verò sua multitudine. Quod vbi Germani non obscurè intellexerunt, tamen potius fortiter voluerunt quicunq; esset dubij mar- tis futurus euentus, pugnare, quam turpi fuga se ex periculo eripere. Vbique primum equites Cæsarianos conspexerunt (qui erant numero quinq; mille: Germanorum au- tem equites erant vix octingenti: multi enim quibusdã de causis ab exercitu aberant) Germani impetum in eos faciunt, statimq; (etiam Cæsare ipso teste) Romanos pertur- bauerunt, fugaueruntq;, interfectis multis. Rursus Cæsarianis resistentib. relictis equis Germani in pedes desilierunt, suffossisq; equis, compluribusq; Germanorum deiectis, denuo reliquos in fugam coniecerunt, persecutiq; sunt illos vsque ad Cæsaris exercitũ. In ea pugna equestri plures Romanorũ equitum interfecti sunt, quam Germanorum fuerint. Et in his fuerunt quidam imprimis nobiles. Post hoc prælium sperabant iam Cæsarem posse ad æquiores conditiones adduci, conueniunt igitur (vt conuenerat in- ter Cæsarem & legatos) cum principibus suis & senioribus ad Cæsarem in castra, cre- dentes Cæsaris fidei, vt de induciis agerent. Sed Cæsar quos ad se venire iusserat, ca- ptos seruari præcipit, continuoq; copias suas omnes educit castris, & acie triplici in- structa, ad Germanorum castra properat, & ducibus principibusq; per infidiam desti- tutos inexpectatus aggreditur, expectantes pacis conditiones. Et quanquam discessu principum suorum turbati, nullum spatium habuerint consulendi, nec arma arripi- endi: dumque incipiunt deliberare, velintne in castris suos continere, an aperto mar- te, eductis copiis, pugnare. intelligentes, se perfidia circumuentos, & animi doloribus (propter suos caros natu maiores & principes, qui fidei hostis credentes vltro in ma- nus Cæsaris ierant) tristitiaque confusos (his omnibus accedebat quod ab exercitu ma- gna equitum & peditum pars, frumentandi & pabulãdi gratia aberat) ecce hostis con- citatus irruit in sic paratos. Sed pudor & Germana virtus prohibuit fuga salutem pete- re, id quod facile erat: nam equitatus ita erat metu consternatus ex priore prælio, vt vix in vltimo agmine a longe sit secutus. Sine igitur ordine arma celeriter arripiunt, & in obuium hostem, perfidia eius incitati, feroces ruunt, acriterq; pugnarunt diu, donec puerorum & mulierum multitudo ex hostium manibus effugeret. Porrò Cæsar mu- lierum & puerorum fugam videns, equitatum trepidantem ad alios vsus inutilem mi- sit ad hos consectandos: qui crudeles & irati propter pristini diei suam turpem fugam, infantes & mulieres inermem multitudinem trucidarunt. Vbi viri in castris pugnan- tes clamorem audiuerunt, & suos trucidari viderunt, nefandam sobolis & matrum cę- dem non diutius ferre valentes, ex castris proruperunt, impetumq; in equites faciunt, & magnum numerum ex equis deiiciunt, imponuntq; in hostiles equos mulieres cum pueris. atque ita armati, repellentesq; hostem, se trans Mosam in tuta receperunt. In- gens eo die mulierum & puerorum Germanorum numerus perit, magnus quoque vtrinque virorum numerus. Cæsar post illa intelligens a Germanis, Romano Im- perio semper fore in Galliis periculum, & in Germania intestina bella esse: vocaretur- que a factionum, vt fit, partibus. Vbij nanque diu cum Sueuis, quibus pares esse non po- terant, bellum gesserant: pressiq; diu, ad Cæsarem, quem audiebant cum magnis copiis

in Gallia esse, legatos mittunt, fœdus ineunt cum eo, vt auxiliares manus cõtrà Sueuos ferat: esse enim superioris Germaniæ populos inuictos, nisi coniunctis viribus eos adoriantur: neque contentos fore, nisi etiam Gallias tandem in potestatem redigant, & postea etiam Italiam vexent. Atq; hæc Cæsar etiam non admonitus timuit antea, quare omnino transportandum in Germaniam per Rhenum copias censuit. Quibus ex causis non nauibus transierit Rhenum, sed potius ponte; quoq; pontis genere traduxerit, scribit ipse: idcirco his immorandum non censeo. Porro omnibus copiis transportatis per pontem, volens terrorem incutere Germanis, ædificia frumentaq; passim succendit. & cum in Vbiorum regionem peruenit; quibus auxilia laturus venerat, cognouit Sueuos esse in armis omnes, in vnumq; locum conuenisse, hostem lætos animoq; plane Germano expectare, & si veniat, ipsos obuios excepturos, imo etiam abiturum persecuturos, quare celeriter se in Galliam recepit: & ne Sueui insequi possint, pontem destruit, qui magno sumptu & laboribus factus erat. Nam Sueuorum nomen erat exercitui Cæsariano terrori tanto, vt non difficile videret Cæsar, quid facto opus esset. Iterum Britannico & quibusdam leuioribus aliis cõfectis bellis, transire Rhenum constituit Iulius Cæsar, nam non cessabant in Gallia eum multis modis vexare. Confecit igitur alium pontem per Rhenum; sed quum primum per exploratores intellexit Sueuorum & aliorum Germanorum belli apparatum & vires animosq;, iterum se in Galliam recepit, pontemque rescidit. Neque enim censuit tutum esse cum Sueuis bellum in suo agro gerere, qui in alienis plerunque inuicti fuerint. Quibus causis ductus Cæsar, magnam multitudinem Germanorum magnis stipendiis conductam in exercitu suo habuit. Nam victum Pompeium & tot bella feliciter in Italia & Hispania aliisq; nationibus gesta, debet haud dubie Germanis.

DE GERMANORVM MORIBVS ET FACTIS

LIBER III.

De bellis Germanorum gestis cum Augusto, Tiberio, & aliis Romanis principibus.

TEmporibus Augusti Octauiani Imper. Romani, est in Germaniam missus cum exercitu Rom. Drusus, qui imparatos ex improuiso oppressit, qui circa Rhenũ habitabant, & Vsipetes, Hassos quiq; in illis habitabãt regionibus. Sed Sueui omnesq; vicini repẽte armis sumptis, hostem aggressi in fugam cõiecerunt, & magna Romanorum multitudine interfecta, in quibus ferunt viginti cẽturiones occisos. Et actũ erat plane de Drusi copiis, nisi barbari insolentes iam victoria, negligentissime omnia administrassent, nam iam ceu victores traduntur spolia distribuisse, omniaq; egisse ac si plane vicissent. Sed id accidit illis, quod omnib. superbientibus & hostium suorũ contemptoribus; negligenter enim omnia administrantes ceu in vado nauigantes Drusus, collectis suis omnibus, loco & tẽpore sibi commodissimo, opprimit nihil timentes; nec tamen inulti mortui sunt, Romanorũ enim magna perit multitudo in ea pugna. Et vel a mulierib. incredibilem Romani acceperunt cladẽ. intra munitiones enim castra defendentes, in oppugnantes emissis omnibus telis & lapidibus, multisq; militibus sic cadentibus, tandẽ omni reliqua materia, qua hostem repellerent, deficiente, suos liberos in terram collisos in faciem oppugnantium proiecerunt. In hoc prælio, si vsquam alibi, apparuit quam crudele animal homo sit. Sed Drusus tandem (sic visum fatis vel potius Domino) eam regionem in Romanorum prouinciam redegit. A Mosa flumine vsque ad Rauracam Augustam, vbi nunc inclyta ciuitas Basilea est, ædificauit arces numero circiter sexaginta: effecitque magnis operis, vt Hercynia sylua esset peruia, multisque locis habitabilem. nam ante aduentum illius Drusi, scribunt quidam Hercyniam syluam desertum hominibus inhabitabile & inaccessum fuisse, ferarum domum. His temporibus primum Germani exuta paulatim barbarie ad humaniores & ciuiliores peruenerunt mores, Romanis moribus & legibus assuefacti. Alia prorsus facies non solum hominum, sed etiam cœli & terræ videbatur tunc in Germania. Mortuo in Germania Druso, nomẽ impositum est a pro-

a prouincia Romano imperio adiecta, Germanicus, ſicut conſueuerant Romani fortibus viris nomina a regionibus adiicere, quas deuicerant, vt Scipio Aphricanus, &c. Porro immatura morte Druſus admodum adoleſcens abreptus eſt, ex vulnere quod a Germanis acceperat. Data eſt hæc Druſi prouincia Q. Varo. Sed Germani iugi impatiẽtes, ad libertatem aſpirabant. nec enim eam humanitatem & æquitatem, qua imperia retinentur, Romani oſtendebant. nec enim facilius eſt aut minoris ingenij artifve parta tueri quam acquirere. Germani igitur natura ingenioq; ad libertatem nati, Vari hominis odioſe tumidi & ſuperbi non ferentes dominationem, eligunt ducem, quo Romana cum præſide Varo præſidia eiiciant. Varus confidens Romanis legionibus, nihil a Germanis (quos iam iugum accepiſſe, & aſſuetos ferre, ſeruosq; animos effectos putabat) timens, non veretur magnam multitudinem conuocare, vt leges pro arbitrio præſcribat, iubeatque quod libuit. Illi conueniunt cum duce Arminio viro forti, & ad aſſerendã libertatem omnibus nominibus idoneo, Romanos nimio tranquillitati ſucceſſibusq; cõfiſos opprimunt, arces & ceptas vrbes ſolo æquant, tres Romanorum legiones trucidant. captorum, quorum magnus fuit numerus, aliis manus, aliis oculos, aliis aliud membrum exciderunt. Principis Vari corpus, quod milites terra obruerant cum ſignis militaribus duabus aquilis, effoſſum fruſtatim diſſecuerunt, & in paludem proiecerũt. Romani igitur qui maria ad meridiem & occidentem & orientem fere omnia occupata tenebant, Rhenũ ſeruare non potuerunt. Poſt Romanos eiectos vtrãq; Rheni ripam occuparunt Germani. Sunt adhuc in vtraq; ripa veſtigia vrbium & munitionum Romanarum tũc temporis diſiectarum. Atq; illo tempore abolitum eſt Romanum nomen & imperium apud Germanos; quod magnum erat vſque ad Parthos & Indos. Quo in loco hoc factum ſit, dubitant ſcriptores, ſunt qui volunt in agro Vindelicorum factum. Strabo alio vult loco factum. Eſt qui putat factum, vbi iam *Franckfordia* eſt. Tacitus putat factum in ſylua *Teutoburgenſi*. Ego exiſtimo non vno loco, ſed paſſim per diſpoſitas munitiones inſtitutæ a Druſo prouinciæ: quanquã aliis locis collectiores fuiſſe vires Romanorum, maximumq; præſidium Varum ſecũ habuiſſe veriſimile eſt. Hæc clades vehementer Auguſtum afflixit, capiteq; in parietem grauiter illiſo, ſæpe clamauit, *Quintili Vare redde Romanis Romanas legiones.* Poſt hæc geſta miſſus a Senatu eſt in Germaniam frater Druſi Tiberius cum quindecim legionibus quæ erant maximus eo tempore exercitus Romanus. Hic Germanos bello grauiſſimo impetiuit, magna damna illis inferens, magna viciſſim accipiens. Toto perpetuo triennio durauit bellum hoc, vix poſſet multis libris explicari dignè pro rei magnitudine. Nec vllum grauius magisq; ſanguinolentum Romani, poſt Punica, geſſerunt bellum. Sed tandem maiore parte exercitus amiſſa a Sueuis vicinisq; Germanis, multis præliis victus Tiberius diſceſſit, vel, vt verius dicam, fugit ex Germania. Quanquam non inſcius ſim Romanos de ſe hæc ita ſcribere, vt alienam gloriam in ſe verbis transferant. Sed finis & fuga ex Germania Tiberij ſatis abunde qui victores fuerint, arguũt. Poſt hunc Veſpaſianus contra Germanos miſſus eſt cum valida manu, magnisq; conatibus eos aggreſſus, frequentibus præliis fere totum exercitum perdidit. ferme enim quadraginta præliis conflixit. Tandem deſperato propoſito, redit domum. Sunt & alij, qui rebus parum proſpere geſtis, multisque amiſſis, redierunt domum. Antonini Aurelij & Alexandri Cæſarum conatus, & expeditionum contra Germanos apparatus, noti ſunt: qui etiam ad arbitrium & votum atque adeo nutum Germanorum conditiones fœderis compoſuerunt. Galenus medicus ille ſummus, Romanis principibus carus, rogatus, vt comes eſſet Imperatori, reſpondit homines non eſſe pares vrſis non carentibus ratione; quare non iturum comitem, quos eſſet periculum triſtiores redditurum. Traianus non imperando, aut armis aliquid apud Germanos potuit efficere, ſed longe aliis artibus, nempe mãſuetudine, humanitate, & iuſtitia ſibi eos deuicit. Quid dicam, quid Norici, Sueuiq; cum iis qui Heluetiæ montes inhabitant, in Italia ſæpe geſſerint, totam vaſtauerint, ædificia igne exuſſerint, ſedes occuparint, aut præda onuſti domum redierint victores?

Alexander cognomento Magnus poſtquam totum Orientem, Aſiam, Africam & magnam Europę partem ſubegit, vocatusq; propterea & habitus dominator orbis terrarum, tamen ad fines Germanorum nunquam peruenit. neq; enim conſultum puta-

uit Germanos attingere. Etiam Darius & Cyrus, illi potentissimi reges cum ad Danubium peruenerunt, Germanos veriti retrocesserunt. Quemadmodum infinitæ, penè dixerim, potentiæ Turcus cum omnibus suis collectis viribus, vbi primum aspexit terribili toruoque vultu Germaniam, virtute Germanorum repulsus, turpissima fuga, innumerabili multitudine amissa, salutem inuenit. Quæ res cum propriam historiam requirat, à nobis non tractabitur: quanquam hic Germana virtus a nemine satis possit prædicari. Dominus det gratiam & lucem, vt ei soli gloriam ascribamus, alioqui durabilis gloriatio non erit. Lysimachus rex potentissimus, cum vsq; ad Danubium peruenit cum exercitu infinitæ multitudinis, à Germanis multitudine imparibus victus est: cuius exercitu deleto, ipse rex Lysimachus captus est à rege Germanorum Romechete. Hac fortitudine in bello Germani consecuti sunt apud exteras nationes, vt de illis hoc genus diuerbia ferantur, Qui pugnare velit infeliciter, cum Germanis pugnet. Germanos amicos habe; vicinos vero minime. Germanos vrsos esse ratione præditos. Hinc est quod Romani Imperatores titulos & cognomina omnia posthabuerint Germanici cognomine; vt Domicianus Germanicus, Nerua Germanicus. & Tiberius suum filium cognominauit Germanicum, nulla prorsus alia causa, quam propter insignem fortitudinem, animi magnitudinem, fidemq; huius populi. Tam tenaces semper fuerunt fidei, vt Imperatores quidam Romani (inter quos Iul. Cæsar & Augustus fuerunt) eos fidos sui corporis custodes habuerint, vt nostro tempore rex Gallorum, & Romani Pont. Scribũt etiam Romani, inter quos Tacitus est, neminem vnquam cum Germanis bellum gessisse, quem non pœnituerit; quique non plus incommodorum quam commodi acceperit. Atque certum est Germanis defuisse eruditos viros, qui facta ingentia eorum describerẽt: & falso ab alienis scriptoribus multa detorta & deprauata, vt est ingenium omnium hominum. Item non est dubium Romanos maxima quæque sua bella Germano milite confecisse. Et quis adhuc hodie rex aut princeps aliquid audet sine Germanis? Et qui aliquid contra German. egerunt, militibus Germ. factum est. Quod magna ex parte milite Germano Carthaginem ceperint exciderintq; Romani, autores digni quibus credatur, sunt. Cuius belli scriptores plures sunt, vt nullus mentioni nostræ relinquatur locus. Redeundum igitur nobis ad propositum, titulusque, qui est de Germania, respiciendus. Ferunt historiæ Augustum principem Rom. imperij tempore toto regni sui non habere quod queri iure potuerit, nisi in conatibus contra Germanos. nam hic vir libidine nimia regnandi ductus, ausus est Germanos primus, si credimus autoribus, armis lacessere: sed Germani, duce Harminio, prælio superarunt Romanos, trucidaruntque fere triginta millia. reliqui fuga sibi consulentes, in Italiamque trepidi peruenientes, tantum terrorem incusserunt Italię & Romanæ vrbi, vt consultauerint multi de fuga in Asiam, Africamque; & nauibus omnibus, ne esset sequendi facultas, quibus non esset opus, exustis. Sed nescio quid Harminio accidit, quod hostem non vsque in Italiam persecutus sit. Dominus qui ponit terminum mari, ponit etiam terminum hostis furori. Alioqui sæpe, si respicias tantum hominum consilia, mirabere, quare hic non progressus longius sit; quare retrocesserit. Sic enim homini intuenti creaturas, non regem Imperatoremque, cuius est omnis potestas, apparet.

Traianus non vulgaria cõtra Vngaros & Germanos bella gessit. Germaniam quæ tota desciuerat, iterum redegit in prouinciam, atque beneuolentem habuit; Quæ ante nullis armorum viribus domari potuit, huius beneuolentia & comitate victa, iugum tulit: sed non oneribus grauioribus degrauata. Talem enim pacem prætulisset bellis, etiam si dubius Mars eis certo fauisset perpetuo. Quam bene audierit hic apud Germanos, quamque carus illis fuerit, sunt adhuc reliqua quædam monimentorum vestigia. Item Marcus Antonius Berus multum negotij habuit in Germania cum iis, qui sunt in extremis qui habitari possunt, locis. Qui cùm bonus, vt est hominis animalis captus, vir esset, facile Germaniam circa Rhenum & Sueuos in officio detinuit; quorum opera facile fuit repugnantes barbaros repellere. Quod autem persecutus non sit vsque ad vltimas glacies, mirum non est: neque enim operæpretium fuit magno capere homines in locis incultis degentes, nihil habentes, neque ædificia, neque supellectilem vllam, nisi cortices arborum, aut pelles ferarum. Huic Imperatori singulare stu-

dium

dium fuit, vt Germania latius miteſceret: nam liberalia ingenia habere eos, deprehendit hoc melius quam alij Imperat. quo fuit doctior in philoſophia. nam philoſophatum ſedulo fuiſſe ſcribunt hiſtoriæ. Marcus Antoninus Verus (quẽ dicunt ita formatum philoſophiæ præceptis habuiſſe animum, vt ſemper in eodem vultus aſpectu viſus fuerit) longo & magno bello quod illi cum Germanis fuit, exhauſit non ſolum ærarium, ſed omnem etiam domeſticam pretioſiorem ſupellectilem. Tantę molis erat Germanos bello tentare. Hic ſæpe fretus potentia & eõmeatus copia, cunctando & occupando altiora loca, aliisq; circumſtantiis ſibi fauẽtia occupauit, coëgitq; Germanos, quantumuis frugales & patientes, paruoque contentos, propter cibi penuriam pugnare in locis & temporibus iniquiſſimis: & ſæpe tamen, deſperatis rebus in Germania, de reducendo exercitu cogitauit. Itaq; moriens, Germaniam relinquere coactus eſt, vt nulla parte magis Romano timeret imperio. Propterea q; etiam orationem ad ſuos ſummos amicos habuit; in qua commendauit filium, periculum enarrans, quod illi a fortuna, a ſucceſſu rerum & infortunio potiſſimum a Germanis eſſet. Maximinus qui militauerat ſub Alexandro Seuero, omnia quæ acceperat, milites & reliqua in Germania conſumpſit. Nam craſſus & ſtupidus venter, neque ſuis neque alienis parcens, poſt mortem Alexandri Germanis non dubitauit inferre bellum, aliquid pręclare agere meditãs: idcirco rem difficillimam conatur, parum expendens maiorne vtilitas an incommoditas etiam ad victorem rediret. Poſſetne confici res tanta, quantumue eſſet diſcriminis & certi periculi. Et quid aliter faceret talis venter? Aggreditur igitur Germaniam, dans & accipiens ingentia mala. Nam ferus tyrannus nemini parcit, exurit omnia, nihil mouetur quantum numerum ſuorum perdat. ſpe enim præmiorũ & propter omnigenam licentiam militibus impiis ab impio Imperat. conceſſam ſemper ex Gallia & aliis nationibus, etiam ex ipſa Germania colluuies peſſimorum nebulonum confluebat, ſemperq; reficiebantur legiones quãtumuis multitudinem flagitioſorum hominum quotidie Germani occiderent. Sicq; perdens multas legiones, ipſe ſibi ſemper cauit, & magnam pecuniæ vim ex præda corradens, vnde animus quotidie efferebatur, ita vt odioſus omnibus hominib. tandem redditus ſit. Et Romani videntes quot ſuorum in German. perderet, nihil omiſerunt quo eum minuerent, & imperio priuarent. Et ipſe in oratione ad ſuos quadam querens de Romani ſenatus populiq; iniuriis ſibi illatis, nihil habet maius quod exprobret, quam quod Romanã maieſtatem a Germanorum manu defenderit. Nam, vt dixi, ſciebat Romanis a nulla orbis plaga maius imminere periculum. voluitq; maximum videri quod feciſſet negocium Germanis. Decius, tyrannus verius quam Imperat. cum Germanis Thraciã depopulantibus grauia geſſit bella. & multis prælijs victus, tãdem tam numeroſo exercitu & valido, vt ipſe & filius exultantes ceu victoriam certam adepti, manus cum German. conſeruerint. Ipſumq; ferunt Decium ita ſuos collocaſſe, vt nullus fugæ pateret locus. fortiter igitur pugnante Decio & filio, vterq; occiſi ſunt. Atq; hoc bellum memorabile, ſolum æternam fortitudinis laudem parere poſſet Germanis. Impares numero totum diem & noctem fere totam pugnarunt, & exercitum pene extinxerunt Romanum. Quanta materia Romanis & hæc fuiſſet ſcribẽdi, ſi ipſis ceſſiſſet quemadmodũ Germanis. Decius artibus & virib. corporis & ingenij vir incomparabilis, in imperio tanto conſtitutus, victus ſatis loquitur, vt verbis opus non ſit meis. Et in hoc bello tanta varietas euentuum dicitur fuiſſe, vt ſæpe ita locis iniquioribus Germani circũuenti fuerint, vt Decius nihil de victoria dubitarit. Sed cum Dominus qui tyrannos a facie ſua, ceu ventus vehemẽs puluerem proiicit, non amplius voluit per illud vas iræ ſanctificare ſanctos ſuos (nam magnam Chriſtianorum multitudinem ſupplicio affecit) cum ignominia ad inferos deiecit. Nec enim vnquam diu in hac luce tulit qui effuderunt ſanguinem ſanctorum ſuorum. Et hoc loco non intempeſtiue admonemur, quod Dominus vltus eſt ſuorum ſanguinem per Germanos. Quam miſere perierit multis vulneribus acceptis, in palude ſuffocatus ſit Decius, cum ſatis memoriæ iam olim mandatũ ſit, nihil opus eſt pluribus. Licinij Valeriani temporibus trecenta Germanorũ millia Italiam inuaſerunt, & maximã prædam domum miſerunt: veneruntq; in ſpem etiam capiendi Romã ipſam. Fugitque quicquid audiuit aduentare Germanos. tantus huius nominis extitit terror. Sub idem tempus cædibus & incendiis impleuerunt Germani Gallias: nec erat vel

ex Romanis,nec ex Gallis,qui reſiſtere auderet.Nec tunc temporis Pontus aut Aſia tutæ fuerunt à Germanis, nam vehementer ab illis afflictæ ſunt. His etiam temporibus Vngaria à Germanis eſt deuaſtata; victoresque domum rediere præda graues. Nec vulgarem laudem meruerunt Germani tempore quo Æmilianus non procul à Moguntia eſt occiſus. Erat in Germania his ferè temporibus dux nomine Poſthumus, qui adeo excellebat arte militari & aliis dotibus, vt milites eũ euexerint ad imperium totius exercitus:qui militibus Germanę nationis magis fidens,quocunque Germanos habere potuit,magno ſtudio conſcripſit.Romani Galliq; hoc videntes, & omnia merito timentes, cogitarunt de occidendo Poſthumo,aut quoquo modo tollendo. Per proditionem igitur interfectus eſt hic maximæ in bellicis rebus ſpei vir. Sed quãquam dux illis ſublatus fuit:tamen Germani collectum exercitũ in officio ſeruarunt,aliumq; in occiſi locum ſubſtituerunt, & transferentes bellum ex Germania in Gallias. In hac expeditione Gallos non vno tantum prælio vicerunt, & præſidia Romana penitus in Galliis ſuſtulerunt. Hac tempeſtate magnam iacturam & detrimentum Romanum imperium paſſum eſt:& multum Germanorum ſucceſſus aduerſus Romanos promouerunt bella quę illis eiſdem temporibus fuerunt in orientalibus regionibus cum Perſis & Ægyptiis.Tantumque negotij exhibuerunt Germani Rom. imperio,vt Perſæ & Ægyptij nullo negocio Romanum iugum abiecerint. Flauius Claudius non ſemel conflixit cum Germanis magnis prælijs victus, victorque viciſſim. Germanos verò in Italia prædando occupatos ex improuiſo improuidos, ſuisq; viribus & fortunæ mendaci nimium confidentes,oppreſſit, magnaque multitudine occiſa, expulit omnes ex Italia. Quamobrem illi ſunt ſtatuti Romæ ſummi honores, erecta ſtatua illi eſt aurea. neq: enim leuem hoſtem vicerat,aut ſaltem cohibuit,ne progrederetur longius. Aureliani temporibus ex longa cœli temperie bona nulla peſtis conſumpſerat populum in Germania, & omnibus iis regionibus quæ ſunt ad Septentrionem: quare cogitauerunt de occupandis cultioribus terris. Inuitabat verò etiam in Italiam rerum omnium copia: & quod Romanis in Oriente difficilia erant bella, quare Italiam inuaſerunt infinita multitudine; quibus neceſſario occurrere coactus Aurelianus,omnibus optime ordinatis, & locis & tempore electis, congreſſus eſt. Pugnatumque eſt eo prælio toto die,tandem terga dedere Romani,vixque Imperator cum paucis qui circum eum fuerunt,euaſit. Quæ clades & fuga Romanis tantum incuſſit terrorem, vt ex Vrbe multi fugerint. Germanis iam exultantibus, geſtientibus, nihil timentibus, & omnia negligentiſſime adminiſtrantibus,retroque domum ſcribentibus,ſe dominos Italię & vrbis ipſius Romæ; ecce alio interim conſcripto exercitu,reuertitur Aurelianus, omniaque diligentiſſime adminiſtrans, nihil timentes, in diuidenda præda & locorum occupandorum electione occupatos Germanos adoritur. pugnant vtrinque acriter: ſed Aurelianus vincit. tribusq; prælijs ab eo ita victi,extenuati ſunt Germani,vt domum reuerti coacti ſint.Poſt hæc bella Aurelianus conſcripto Germano milite,contendit aduerſus rebelles in Oriente; & proſpera vſus fortuna ſæpe vicit eos mari & terra. Probus poſt mortem Aureliani contra Germanos qui Gallias tenebant,multis locis proficiſcitur magno apparatu. Cum igitur aliquot diebus iter feciſſet, inueniebat ex iis quos explorãdi cauſa præmiſerat, flumen itinere vnius diei abeſſe, trans quod flumen omnes Germani conſediſſe, & in neceſſitatem belli multa feciſſe, expectareque cupide Germanos quod ex captiuis intellexit.expectarique quotidie auxilia ex Germania; iamq; copias Rhenum tranſiſſe. impedimenta omnia, pueros, ſenio defectos,mulieres,reliquamq; turbam ad arma inhabilem in locum natura & arte munitiſſimum coniecisſe. Habereque magnam commoditatem vecturæ ad commeatum,& poſſe longo tempore intra munitiones ſeſe tueri. His rebus auditis, Probus alio loco quam expectabãt Germani,exercitum traduxit,delegitque locum caſtris talem: Mons erat non admodum altus, qui leuiter deſcendebat ad flumen; ab altera parte aſper, & propter rupes inacceſſus; ad radicem montis erant fontes & patens campus; hunc occupat caſtris Probus. Non procul ab hoc loco alius erat collis nõ diſſimilis ſitu & ad flumen deſcenſu, ſed paululum humilior; hunc tenebant Germani. Inter igitur vtrorumque caſtra erat planicies,ſed maiore parte ſylueſtris. Probus igitur poſt caſtra locata,ſe Germanis cum paucis equitibus oſtendit,collocauitque in inſidiis milites, qui laborantibus poſſent

sent auxilium ferre. nec Germanis visum est suos prorsus continere in castris. prælium igitur leuius equestre cum hostium equitatu commiserunt. Post commissum prælium statim ex occulto exiliunt pedites Romani, Germani se receperunt intra munitiones. Sequenti die iteratur prælium equestre: sed Germani pro more suo ferebant secum pedites qui ita insedebant equis, vt videri non potuerint ab hostibus. congressi igitur, territis re non expectata Romanis, & occisis quibusdã, multis captis, fuga reliqui sibi consuluerunt. In posterum diem vtrique Romani & Germani e castris educunt copias instructas. Probus longissima oratione suos cohortatus est, Vti cogitarent nullum fugæ « locum esse propter flumen, per hostes ipsos viam faciendam, aut pereundum. Germa- « norum iniurias & contumelias in Romanos exaggerauit quantum potuit plurimis. Si « sustineant primum impetum barbarorum, victoriam certam consecuturam. Numero « se superiorem, certa præmia proposita victoribus, victis certa mors, aut certe durissima « morteque grauior seruitus. Huiusmodi in hanc sententiam multa dixit ad excitandos « & inflammandos militum animos. Germanorũ duces non minus suos adhortati sunt, vt pristinæ fortitudinis memoriam tenerent; nullam in fuga salutem esse. vincendum aut pereundum. Cum igitur non longe abessent hostes, & vtrinq; animi incitati & parati ad dimicandum essent, prælium cõmissum est. diuq; pugnatum est, dubio in neutramq; partem inclinante se marte. In prima coitione magna Romanorum militum multitudo in flumen compulsa est. postremo cum cedere coacti sunt Romani, recepe- runt se intra munitiones, interim nox incidit; Germaniq; progressi in locum iniquissimum insequendo hostem per noctem dissipati alij dormierunt, alij exuebant occisorum corpora, iam securi ceu victores. Sed matutino tẽpore redintegrato prælio dispersos adoriuntur ex superiore loco, & sine negotio in fugam conijciunt. Sed cum fugiendo vsque ad flumen peruenerunt, ex desperatione pugnarunt rursus, & iterum retro agunt hostes: & equites Rom. interuenientes rursum ad flumen egerunt Germanos. Nec tamẽ a pugna cessarunt, donec fides illis data sit, quod Probus eos velit aut dimittere in Germaniam suam, aut in numerum militum ascribere. His Germanis conscriptis, Probus profectus est in Italiam quam miserè affligebant Gothi, quos vicit & expulit ex omni Italia. Hisq; Germanis militibus vsus est fidelissimis in omnibus orientis partibus: et omnes motus bellorum feliciter compescuit. Primum enim domum aliquot diuites dimisit in Germaniam, & cum ijs simul qui alios conscriberent; qui selectissimos quotquot volebant, facilè inueniebant. sperabant enim diuitias; & magna erat bonitatis & liberalitatis fama Probi. Pacato igitur Romano imperio per vniuersum ferè orbem, Proculus & Bonosus seipsos imperatores vocabant, & occupabant aliquot prouincias: inuocabantq; Germanos, illis pollicẽtes montes aureos. Nec enim eos latebat se impares fore Probo, nisi essent illis auxiliares manus Germanorum. Sed Germani ob fidem & probitatem Probi denegabant illis auxilium. Quamobrem breui nec magno negotio deleuit eos Probus. Nec enim iam tum, vt nunc, vlla spes poterat esse victoriæ contra Germanos milites, sine Germanis. Constantinus in Germania non imperauit, sed per omnia Germanis inseruiuit, hocque maximæ laudi & autoritati fuit illi Romæ, & in toto Romano imperio, quod dictus sit Germanis imperare. Dictumque est de eo vulgo, quod in alijs nationibus imperator sit, in Germania adulator atque etiam seruus. Iulianus quoque non mediocre bellum gessit cum Germanis. Postquam enim Gallias deuicit, Germani qui transrhenum Galliæ loca occupauerant, non satis valentes erant ad resistendum Romanis: quanquam primum Romanorum impetum ita sustinuerint, vt plures hostium interfecerint, quam Germanorum perierint eo bello. Pugnatum autem est apud Argentinam vrbem. Nodomarius Germanorum rex perijt eo prælio. Sed nemo insequi eos audebat: statim enim rursus collecti in altera ripa Rheni, hostem prohibituri ne transiret, armati consistebant. Itaque posuit rursum, eiectis ex Gallia Germanis, Rhenum finem Romani imperij. Hoc prælium tantum nominis & fauoris peperit Iuliano, vt mox a pugna salutatus sit Romanorum Imperator. Nam, vt sæpe dictum est, tam præclarum propter difficultatem, habitum est cum Germanis non infeliciter pugnasse. Neq; enim laudem meruisset vllam, si cum alio hominum genere dimicasset tanta suorum iactura, & non longius a finibus imperij Romani submouisset. Valentinianus im-

perij ſui anno tertio, aut (vt alij volunt) quarto, volens aliquod præclarũ facinus in memoriam ſui relinquere, cum legionibus expeditis ſex, aut ſeptem, & equitatu valido in fines Sueuorum proficiſcitur, quod hi neque Romano imperio parebant, imo quod ſine intermiſſione Romanorum ſocios incurſionibus vexabant, & quod moliri expeditionem tranſalpes dicebantur: & quod potiſſimum videtur mouiſſe eum, quod nulla maior laudis materia inueniri poterat. Hęc enim pars Germaniæ, vt ſatis dictum eſt, longe plurimum totius Germaniæ viribus & militaribus virtutibus, omnibus hominibus excellens fuit. habetq́; militum copias imprimis magnas. tangit Romanum imperium, vnde illi infeſta eſt. Sueuis igitur, ſimul atque de Romanorum exercitu cognitum eſt, equitatum peditatumq́ue cogere, omnibus qui vel per ętatem, vel per infirmitatem bello adeſſe vtiliter non poterant, in ſyluas inacceſſaq́ue loca abditis (qualia loca apud illos fuerunt multa) bella parare inſtituerunt, & hoſti obuiam ire antequam exſpectaret. Progreſſiq́; longius, in conſpectum venerunt Romani. cœperunt ergo Germani eos ex locis ſuperioribus prohibere, & prælium committere: ſed non niſi ex locis natura & hominum induſtria munitis; quæ erant iam olim ad propulſandum hoſtem præparata. frequentibus enim foſſis & arboribus ſucciſis, aditus præcluſerant omnes. pauci ex foſſis & ſyluis cum multis Romanis pugnabant, facileq́ue ab ingreſſu prohibebant. Sed Romani ſimulantes fugam aliquanto longius fugiebant: quos primum quidem fugientes perſequi vetabant ſeniores rerumq́; peritiores; quod inſidias ſuſpicabantur. Et ſic aliquot dies conſumpti ſunt. Quotidie vero incautiores redditi Germani, poſterioribus diebus effuſim eruperunt ex munitionibus ſyluarum, ſecutiq́; ſunt in planitiem æquam, fugam ſimulantes Romanos. Quo vbi peruenerunt, diſperſos & nihil tale expectantes Romanę legiones & equitatus adoritur, acriter vtrinque pugnatur, cadunt plurimi: ſed ſine ordine numeroq́; inferiores, Germani cedere coacti ſunt: & in ſyluas colleſque compulſi, eodem die redintegrarunt pugnam, multos denuo vtrinque amiſerunt: noxq́ue pugnam diremit. Die ſequenti imprudentibus Romanis, inq́ue muniendis caſtris occupatis, ex improuiſo ex ſyluis euolauerunt Germani, magnoq́ue impetu in hoſtes facto, qui erant in operis occupati omnes occiſi ſunt: ſed munitiones erant firmiores, quam vt expugnari potuerint. Defatigatis igitur Sueuis nocteſcit, ipſi paſſim iacentes expectarunt craſtinam lucem. qua orta, rurſum caſtra oppugnare cœperunt, & tam pertinaciter in propoſito perſeuerauerunt, vt quanquam plurimi omni genere telorũ emiſſo ex vallo, perirent, nec eſſet poſſibile aggeres tranſcendere tanta propugnante multitudine; tamen non deſtiterunt donec ad eam raritatem redacti ſunt, vt vel cæco apparere potuerit nihil effici contra caſtra poſſe. Accedebat quod etiam ex paucis illis reliquis vix vnus atque alter inuentus ſit, qui non grauiter vulneratus fuerit. Nec alia eſt laus quam hæc qua ſe de Germanis iactare poſſit Valentinianus. Nec enim inſcius ſum ſcriptores quoſdam tradere victos ab eo Germanos, præcipue Sueuos & Saxones. Porro Germanis militibus Sequanos & Heduos ſubditos ſibi reddidit. Nam Germanis carus redditus fertur ob animi dotes eximias, & odium eius in vitia: præſertim autem odiuit auaritiam. Quam magnas res Conſtantinopoli geſſerint Germani, Valente poſt Valentinianum imperante, ſatis cum non ſit memoriæ mandatum, hic paucis attingendum videtur. Germani tempore Valentis Vngaria depopulata, & deuictis reſiſtentibus omnibus, peruenerunt Conſtantinopolim, eamq́ue terruerunt non mediocriter vrbem. Contra quos Conſtantinopolitana reſpub. copias coëgit quantas potuit maximas, & conſtituebant conſerere cum barbaris manus: quanquam exterriti animi militum ſuorum eſſent, & barbarorum animos ad pugnam paratiſſimos, rerumq́ue ſucceſſibus efferatiſſimos cernerent. Multa ſui timoris præbebant ſigna: Primum, quod paſſi tamdiu fuerunt diripi tot ciuium egregie ædificatas villas & cultiſſima rura: quodq́ue non ſubuenerant etiam ciuibus iis qui ad mœnia vrbis & occiſi & capti ſunt. Deinde, quod aliquoties egreſſi mox intra muros ſe recipiebant, quodq́ue etiam egreſſi, ſe in altioribus locis continebant, nec de locis editioribus deſcendebant. Poſtremo, non obſcurum de ſuo timore indicium dederũt, quod muri noctéſque diéſque pleni hominibus cum omni ad propugnandum excogitato genere inſtrumentorum, quódque iter facientes eorum copiæ confuſæ, neque ſigna, neque militares ordines ſeruare videbantur. Tamen omnino rem prælio commit-

mittendam cum viderent, & prælio quod non possit non esse cruentissimum, quærebant commoditatem loci & temporis, nihilque omittebant, quo hostem ad locorum quampiam iniquitatem perducerent. Eaque iam rerum erat conditio huc scilicet deinduſtria deducta, vt qui priores promontorium ad mare quoddam attingerent, spem habituri essent rem confici posse, alterosque vinci sine suorum sanguine aut certe non multo. Eo igitur dum contendunt Græci cum suis, Germani quod primum non animaduerterant, locorum ignari, tandem & festinatione hostium consilium intelligunt. & cum essent propiores loco quem petebant Constantinopolitani, priores Germani eo peruenerunt, atque ex hoc loco contra hostem copias in acie collocant. Græci expectatione falsi, quendam natura munitum locum idoneum castris, in eo constiterunt. Germani quotidie libere vagari passim per agros, & hostem prouocare in æquum campum, aliquando etiam non satis cauti periculo sese exposuerunt nimium indiligentes & temerarij, hostemque nimium contempserunt; & nisi ingens pauor occupasset animos Constantinopolitanorum, sine negocio & absque vulneribus vniuersas copias barbarorum extinxissent; sed aliquandiu tenuerunt se in castris, Germani suspicantes eos auxilia expectare, quamobrem magis irritare & omnibus modis ad pugnandum occasionem dare, nihilque omittere, quo dimicare cogerentur. tandem in eum locum rem deduxerunt, vt necessario illis decertandum esset. Igitur die quodam cum barbari in locum omnibus modis iniquum descendissent, cum viderent omnino conferendas cum hoste manus, proruperunt præter Germanorum expectationem ex castris, acriterque pugnarunt, quia videbant aut moriendum aut vincendum. Fuit prælium cruentissimum, neutris cedentibus, iis ex desperatione & necessitate, illis ex animorum ferocitate & confidentia pugnantibus. Sub vesperum tandem ad raritatem redacti, Constantinopolitani fuga salutem quærere cœperunt. Valens Imperator vulneratus telo, perlatus est in villam vicinam: quem Germani persecuti, villam incenderunt: quo incendio perit hic Imperator Valens, derelictus a suis omnibus, & grauiter vulnere laborans. Quanto metu post hoc prælium concussa sit ciuitas ante ita pauore conturbata, qualisque facies fuerit illi, facile quis videt, ne longior sim, lectori cogitandum relinquo. Post hanc pugnam late longeque omnia incendiis, rapinis, compleuerunt. Cumque esset vrbs ipsa Constantinopolis in magna formidine, & certo præsentique periculo, ipsa Cæsaris vxor pacem ab hostibus magna summa pecuniæ emit: iuuitque eos nauibus & frumento, aliisque ad profectionem necessariis, vt discederent. Sic Dominus per hos Germanos hunc Arianæ hæresis defensorem Valentem supplicio affecit. Fuit enim inprimis studiosus Arij doctrinæ hic Imperator, & orthodoxæ fidei hostis. Odio prosecutus est non vulgari omnes qui non iurarunt in sectam quæ ipsi arrisit, Arij. De reditu Germanorum in patriam nihil habeo certi, quod scribam. Eodem tempore mare multis locis exiccatum in alia loca est translatum. Causæ sunt Physicis in promptu.

DE GERMANIS
LIBER QVARTVS.

HOc seculo, sicut reliquis omnibus quæ fuerunt hactenus, omnes nationes Germanorum auxilia in omnibus bellis petebant: nec fere vllum bellum paulo grauius sine Germano milite est gestum vsquam gentium. Arcadij & Honorij ætate, Ruffinus nomine, dux exercitus summus, cum cogitaret de Arcadio e medio tollendo, nullam spem negocij conficiendi inuenire potuit, nisi per Germanos. quapropter magnam vim pecuniæ mittit Alarico regi Germanorum, magnisq; promissis solicitat, vt veniat quamprimum. Sed cũ essent omnium oculi in Germanos coniecti, & nihil in Germania agi potuisset, quod non diligentissi-

me obseruaretur a principibus regibusve, Arcadius resciuit omnem rem: idcirco detruncatum caput Ruffini per totam vrbem & exercitum ostẽtauit ceu proditoris. Hoc factum est per legatum Honorij, fratris Arcadij, Stilconem veteratorem, qui diu quæsita occasione, qua Imperatorem faceret filium suum Eleutherion, quam ob causam multis dolis, multas insidias, magna astutia excogitauit. Quos potuit alienauit ab imperio Romano, quosque potuit in arma contra Romanos exciuit. bellorum fomites excitauit omni conatu. Germanorum cum bene noscceret ingenium, negauit illis stipendium promissum, pro quo militabant. Quod Imperatoribus suadebat non ignarus quod de suo iure nihil concederent Germani, & quod militia meriti essent, pro quoque vitæ subiissent periculum, armis, summaque vi postulaturos. Nec hæc expectatio hominem fefellit. Nam irritati iniuria & debiti stipendij negatione, statim cum quibusdam vicinis Gallis conspirarunt Germani aduersus imperium. Conuenerunt autem paucis diebus supra 400 militum, & socios Romanorum proximos quosque depopulantur. Tantus furor fuit Germanorum, sicut solent irasci supra modum ingenia natura ferocia, cum iniuria fit eis, vt ne resistere quidem quisquam tentarit. Rapiendo igitur & contrucidando defatigati, præda onusti, reuertuntur domum. Alaricus non longo post tempore, fœdere icto cum Radagaso rege Gothorum, conseripserunt quam possunt maximas copias, quas diuisas ita vt si necessitas vsusve postularet, biduo aut triduo cogi in vnum possent. Primum Vngariam inuaserunt, in qua quicquid prædæ adepti sunt (sunt autem maxima adepti & ex multis rebus & ex vocalibus) retro domum miserunt. Depopulata Vngaria, expulsis, captis, & trucidatis Romanorum præsidiis, omnes munitiones demoliti sunt. Hic iterum exanimatum est Romanum imperium metu. Nec mirum, multitudo enim hostium numerari non potuit. Hinc in Thraciam profecti, ex qua legatos cum copiis Romanis eiecerunt primum. deinde pro animi libidine omnia tractarunt. Ex his autem qui effugerant periculum primum ex præsidiis Romanis coniunxerunt sibi pastores & aratores quosdam, occuparuntque locum natura munitissimum, aqua & fossis, vbi aliquid magnifacere cogitarunt. Quam ob causam simularunt metum summum, & effecerunt vt hostes persuasi fuerint, illuc mulieres & pueros, infirmam turbam confluxisse. Quam ob rem postquam ventum est ad eum locum hostibus, egressæ sunt fœminæ quædam cum infantibus, quæ ferocem hostem ad misericordiam commouerent, supplicesque salutem petierunt sibi & reliquis quæ confugissent in eum locum, obtuleruntque illis sese & quæcunque haberent: mox emissæ sunt aliæ mulieres forma insigni, quæ animos principum exercitus in se facile conuertere potuerunt; quæ quoque prioribus consentanea dixerunt. Ducum barbarorum quidam misericordia deuicti, quidam amore capti, nihil suspicantes mali, abutebantur illis. cumque aliæ prodirent forma insignes mulieres, plane persuasum est illis nullos viros illic esse. nec enim naturam humanam hæc posse vllo modo pati. Ergo iam incipiebant clam se subducere illis qui erant in aliquo eminentiore loco exercitus, & ingrediebantur per eas viarum angustias per quas hæ mulieres venerant, qui omnes clam ingressi, clam sunt trucidati. nam quum primum ingressos comprehenderunt ij qui propter singularem peritiam & vsum in rebus bellicis se conseruarant, sibique loco cauerant, & ex captis omnem hostium multitudinem, propositum, spem, fortunas, opinionem de illis qui confugerant in eum locum hostibus inaccessum, cognouerunt, & qui dissentientia loquebantur, durissime torti dicuntur. Tandem cum multi sic amissi ex exercitu essent, inceptum est dubitari in exercitu quo nam iuissent, quæve essent cessandi causæ. quod vbi cognouerunt Romani & Thraces qui cum iis erant, emiserunt alias paucas quasdam statim mulieres cum infantibus, quæ questæ miserabiliter apud summos exercitus rectores, de quorundam virorum inexhausta libidine qui ingressi essent, propterea ne viderent egressas, sed potius hosti se tradere quam hæc neganda videre quæ illi perpetrarent. Quod vbi auditum est, conuocant concilium deliberaturi de longiore profectione, cumque aliis de rebus agendis, tum de illa turba mulierum & puerorum, quę illuc confugisset. Interea dum hæc narrantur & aguntur, plures mulieres illas quærunt. interficiuntur autem omnes quotquot introierunt. Erat

an-

angusta semita per rupes, & multis flexibus nunc ascendebat, iterumque descendebat per cliuos: in interiore loco erat amplus campus lacubus & fluminibus circundatus, latéque patebat hic locus, capereque potuit magnam multitudinem populi & pecoris alimenta & pabula. Igitur cum aliquot dies essent illic morati certas ob causas, & paulatim multos ex primoribus perdidissent (nam huius rei fuit adhuc ignarum vulgus in exercitu) nec tamen quisquam sentiebat amissum vllum: iam enim nullo per totam regionem hoste existente, quisque sine omni periculo vagabatur, quocunque libuit. Discedebant igitur ab exercitu variis ex causis, hi regionis situm videndi, illi defossas opes, vt solet in his casibus fieri, inuestigandi causa, alij aliam ob causam errarant per totum illum agrum. Porro hostes absconditi, qui facile videre poterant, tandem futurum vt mitterent visum in locum illum, quæ illuc congessissent, qui & quantus hominum numerus se illic seruasset, & quæ esset loci natura, quærebant rationem, qua hoc periculum declinarent. Ergo mulieres quasdam facundia præstantes cum infantibus suis emiserunt. Quarum orationis hæc fere fuit summa: Maximas calamitates, durissimos casus nihil necesse esse multis verbis exponere. ob oculos enim ita posita, vt vel durissima saxa mouere possent. Ex vultu principum exercitus sese colligere eorum animos misericordia tactos. nec se ignorare belli iure hæc se pati propter Romanos, quos magis sciant incusandos, quam hostes fortes viros, qui sine dubio non venerint absque aliqua iusta aut saltem probabili causa contra Romanos, nimium superbe multis imperantes, quibus coacti, ipsi hactenus paruissent. Atque vtinam, inquiebant, vos qui huic exercitui præestis habuissemus reges. Nam sicut mulier bene est tuta secura, quæ habet virum fortem & industrium; ita gens cui est rex fortis & industrius. Hæc namque, vt vestra insignis fortitudo satis ostendit, passi non essemus. Nunc qui respeximus Romanos, ab illisque expectauimus auxilia, nostros carissimos progenitores, dulcissimos natos, iucundissimos coniuges amisimus. Foci sunt exusti, omnia solo æquata sunt. Et vtinam contigisset mori. felices enim sunt qui hæc non viderunt, felicissimi qui primi periere. Quot conscisuerunt sibi mortem? quædam laqueo finierunt sibi vitam: magna pars præcipitata est sua sponte in aquam, suffocataque est. Doloribus periere non paucæ mulieres. Prægnantium multæ abortierunt. Multæ se in incendia iniecerunt. Adhuc hodie inueniuntur, quæ mori cupiunt. Nos rogatum venimus, obtestamur & obsecramus vos per humanitatem communemque hominum societatem, qua nos coniunxit natura pares, vt liceat nobis viuere in castitate quam nostris vouimus maritis qui pro nobis mortem oppetiere. Nam vno omnes consensu decreuimus aut mori, aut castitatem seruare coniugij superstites. His ita longa oratione expositis, demonstrare conatæ sunt nihil facultatum secum habere, nisi quandam vulgarem quotidiano vsui necessariam supellectilem. nec enim temporis spacium fuisse conuasandi aliquid maioris momenti. Vix eripuisse se cum puellis, quas matres argento & auro precioso ribusque rebus omnibus potiores habeant. Imo præsentius inexpectatum fuisse periculum, quam vt vitæ consulerent, paucis exceptis. totum enim exercitum testimonium perhibere quot in ipsa fuga correptæ sint nudæ. In hanc sententiam cum multa mulieres viriliter dixissent, cum lachrymis miserabiliter omnia. Responsum est illis se missuros cum illis comites, qui animos earum erigant & consolentur. nullum amplius periculum illis quæ primo impetu non occubuerint. & huius generis cætera. Illæ sine hæsitatione (siue quod hoc prouiderant, siue quod mulieres natura promptiores sunt fingere causas & excogitare mendacia) responderunt, esse in eo loco inclusas quasdam quæ adhuc non redierint ad montem, doloreque adhuc recenti insanire: quam ob causam non licere legatis tuto ad eas accedere. Si enim pauci veniant ab insanis facile superari: si validiori manu conentur ingredi, non passuras. Certum enim esse omnibus potius mori, quam in alienorum virorum manus peruenire. Apud ipsas summum piaculum haberi cum iis hostibus rem habere, a quibus sui necati sint viri. Cúmque vtrinq; diu sic orationem & sententiam commutarunt; cúmque nihil se efficere viderent mulieres, omninoque statuerent hostes videre quidnam ageretur in angustiis illis clausis, petierunt vt concederent illis primum reuerti ad eas a quibus missæ essent mulieribus, vt illis nunciarent hoc. Quod facile concedebant, nihil videntes mali quod hinc oriri posset (nam totus hic lo-

cus per omnem regionem ab exercitu circundabatur, vt effugere non magis possent, quam si in arce essent inclusæ, obsessæ ab omnibus partibus) Ergo permittebatur illis hæc postulatio: sed ea lege, intra biduum responderent non aliud quam quod ipsi vellent principes exercitus. Igitur quam possunt ocyssime, reuersæ, concilio conuocato hæc referunt. Diu consultantes, aliis aliud faciendum videbatur. Crassior turba voluit quam plurimos admittere vsque ad locum quendam, in quo sine negocio aliquot millia perdi potuissent. alij volebant tantum reges admittere cum suis familiarissimis, vt illis miserrimis modis tractatis & necatis, exercitus rectoribus destitutus, in periculum sine ratione rueret. Esse enim belluam sine capite, multitudinem carentem rege, sciebant. Non defuerunt qui censebant perseuerandum in prima petitione, & cum prioribus mandatis remittendas easdem: tantum additis quibusdam argumentis ad persuasionem, & exorandum aptioribus quam priora fuissent. His varie iactatis in omnes partes, tandem vicit eorum sententia, qui censebant reges solum, & regibus proximos inuitandos, vt supplicium dignum de illis sumerent: & exercitus postea irritatus, temeritate barbarica se in periculum præcipitaret, aut diuisus in partes factionésue imperandi causa. Quid enim dominandi cæca libido non facit? Postridie igitur reuersæ ad principes exercitus, multa conquestæ de sua fortuna, & alia quæ videbantur ad propositum facere, postrema orationis parte orant, vt reges accedant, vt suis oculis præsentes cernant miserrimum statum ancillarum suarum. In spem enim indubiam vocari, reges miseris viduis & orphanis, infirmæ puerorum & mulierum turbæ opem laturos: omnésque regiam vultus regij maiestatem reuerituras. Iram enim ita refrixisse, vt nullum amplius periculum sit, modo nihil amplius petant faciántue. Hoc genus cum multa multis dixissent, responsum est, Ex exercitus conspectu reges abesse nullo pacto posse, ne qua seditio oriatur inter milites (hoc veréne dixerint, an viderint periculum esse posse in claustra illa cæca ingredientibus, incertum est) sed missuros quorum fidei non dubitent suam ipsorum vitam concredere. Cum hæc mulieres audirent, supplici voce obtestatæ sunt, vt & hæc prius referre ex gratia regum liceret. Reges respondent, propter sexum fœmineum & hoc ea conditione illis permittere: sed nullam moram interponi velle: idcirco quam primum posset fieri redeant. Hæc igitur perferunt ad suos responsa. In qua re cum diu deliberarent quid facto optimum esset: postquam multa commutata variis sententiis, placuit illos futuros legatos saluos remittere. Nam nullius momenti omnino vtilitatem ad se ex eorum morte peruenire videbant. Sed omnibus viris & armis in interiora antra absconditis, & vestibus tectis, anteque illos mulieribus insaniam simulantibus constitutis, quas dentibus frementes aliæ fingebant a se magna vi retineri, ne ruerent in legatos. Cum igitur diutius morarentur, missi sunt aliquot viri ad illas cum interprete. obuiæ igitur illæ quæ ibant ad exercitus principes, ducunt intro, vbi cum paruulis suis liberis mulieres nudæ pedes & pectora, minimaque sui corporis parte tectæ raris lineis pannis. quæ ita ornatæ erant, vt facile quantumuis inhumanum cor ad misericordiam flectere, & Veneris cupidine incendere possent. Illi igitur consolati illas primum, speque facta libertatis, non audentes ad frendentes dentibus insanas propius accedere, iam satis omnia perscrutata & cognita arbitrantes, incipiebant incensi amore ludere cum nudis mulieribus. quæ tamen pertinaciter & constantissime repugnabant, nec vllis promissis vinci poterant. siue quod viros habuerint omnes suos latentes proxime, siue quod iudicarent præstare incensos, non extinctos abire, ad paratas insidias ad finem optatum perducendas. nam insanique amore nihil aliud cogitare poterant, quam Venerem. Cæco ergo amore nihil penitus scrutante, & diligentiam omnem excludente, ex recenti victoria nihil recte prospiciens animi elatio, abierunt, cupidi quam primum redire cũ fortiori manu: sed cum nobilioribus tantum. inuidebant enim plebeiis militibus ad illas veneres. Vbi igitur ventũ est ad reges, eminentioris; loci duces læti omnia nunciant, & suam diligẽtiam in perscrutandis omnibus angulis prædicant, omnia suis oculis exposita fuisse asserunt. formas & habitus nudorum muliebrium corporum depingunt, adfingunt multa quæ grata cõmilitonibus suis, aptaq; ab eodem igne quo ipsi correpti erant, ad socios incendẽdos videbãtur. Quibus creditis (nã prudentiores & fideliores miserant) certiores reddunt de iis rebus omnibus quotquot putabant sufficere

ad

ad cogẽdas mulieres, armati quidem, ſed ſine vllius periculi ſuſpicione ſine ordine per anguſtias viarum irruunt. Incluſi vero ocyus armis correptis, per exploratores numero aduolantium cognito, abſcõdunt ſe in locis opportunis: & vbi iudicabant ſatis multos intromiſſos, oſtenderunt ſe, prohibebant reliquos, qui omnes re noua perterriti ſe in pedes coniecerunt, multiq́ue in illa fuga perierunt. Intromiſſi capti gratiã petebant, ex quibus vbi omnia reſciuerunt, quæ putabant operæpretium ſcire, contrucidant omnes. Reges autem in extremo agmine non peruenerunt intro, quod vehementer doluerunt Thraces, & cum ipſis alij incluſi. Quibus inſidiis commoti Germani reges, (nam ſuos chariſſimos perdiderunt) magnis conatibus multis diebus expugnare tentarunt; ſed fruſtra. nam inexpugnabilis erat locus, & ipſa oppugnatio cum incredibili iactura coniuncta fuit: magnam enim multitudinem amiſerunt impoſſibilẽ rem molientes. Porro cum omnes res neceſſarias abunde intra munitiones haberentur, Germani autem commeatu eſſent deſtituti, profecti ſunt verſus Italiam, omnia in itinere deuaſtantes. Radagaſus rex ſuis ſimulachris Romano ſacrificauit ſanguine. Peruenerunt ea profectione Romam cum centum milibus armatorum, omnia diripientes. Romanum vulgus in fide Chriſtiana parum recte inſtitutum, ſe ob deorum cultum omiſſum, & deiecta deorum ſimul atque dearum ſimulachra hæc pati clamitabat, vt ſolet fieri cum in rerum tranquillitate ore omnes cõfitentur Chriſtum, deinde aliquid incidit aduerſitatis. quãlibet enim cauſam ſui infortunij vult caro potius videri, quam verum, nempe peccatum. Atque ita Romæ dum factio factioni imputat cauſam, & arma in ſe vertebant, hoſtis peruenit intra muros, partesq́ue quæ ita mutuo flagrabant odio, omnes ſine delectu occiſæ ſunt, eſtq́ue vrbs ipſa Roma capta, direpta, habitationibus partim captis, partim occiſis. Hic vidiſſes in tribulationibus quid cor pium, verẽque pendens a Deo, ſabbathiſmum agens Domino, quidq́ue gaudium illud verum in Spiritu ſancto in perpetuum permanens, præſtet impio cordi & ſuperbo in ſe cõfidenti, in ſe reſpicienti, & gaudio huius mundi finem mox habenti, multisq́; miſeriis mixto. Nam Chriſtiani læti vocati ad nuptias ibant, nihil expectantes quam regnum Dei, laudantes Dominum, qui per hæc media ad ſua tabernacula reciperet ſuos. nam aliam ianuam non eſſe quam talem iam ante frequenti meditatione crucis Domini Ieſu didicerant. Illi qui antea ita calcabant terram ſuperbe, vt etiam aſtra & cœlos deſpicerent, ſe omnia a ſeipſis habere putantes, ſe robur ipſum, ipſam prudẽtiam & ſapientiam exiſtimantes, ita viuentes atq; ſi ſempiterni eſſent futuri ſuperſtites, accedente iudicio Domini ita confunduntur, conſternantur animo, vt nullo modo tantum habeant reliqui animi, quantum porcus. Fuga, deſperatione, timore, mala conſcientia, dolore, deſiderio rerum, quas ſibi arrogauerant, amiſſione ſui theſauri, cruciantur. eſt eorum opſonion mors: illorũ qui militauerunt Domino, vita æterna. Sed Dominus vaſis iræ non ſolet diu parcere. Stilco igitur copiis collectis in opportuna itinera, quibus rediturі videbantur, ſuis locis diſpoſuit. nec expectatio fefellit eum; nam onuſti præda barbari ſine ordine omniq́ue metu domum properantes, in anguſtiis iuxta Apenninum montem oppreſſi ſunt. eſtq́ue occiſa ingens multitudo. Nihil certi habeo an rex Radagaſus occubuerit illic, an euaſerit. Certe id contigit illis quod adhuc noſtra ætate militibus ex Italia redeuntibus ſæpe accidit: opprimuntur enim per itinera, niſi coniunctim proficiſcantur. Nec mirum gentem bello afflictam vltionis cupidam eſſe, & omnem occaſionem paria referendi quærentem. Poſt hæc mox Alaricus rex cum aliis Germanorum copiis Italiam ingreditur; qua terrefacta, mittit ad Imperatorem Honorium legatos, qui nuncient illi, aut pugnandum Cæſari cum Germanis, exponẽdumq́ue totum imperium certo periculo: aut ſi malit quietem & pacem, expeririq́ue quales amici ſint Germani, concedat illis ſatis amplam regionem, quæ excipere liberaliter poſſit Alaricum cum ſuo exercitu, vxoribus & liberis. Honorius ſibi imperioq́ue non mediocriter metuens, non diu conſuluit, vtrum vellet pugnare ne, an agrum concedere ſufficientem Alarici copiis. Quamobrem ſtatim reſpõdet, Se ſemper populi Germani amicitiam cupiuiſſe, & gaudere ſibi occaſionem oblatam gratificandi illis, & cupere perpetuam amicitiam. Obtulit igitur illi Galliam, quam acceptam ſperabat: ſemper enim illi inhiabant Germani. Nec alioqui in officio manſerant Galli, Romanum ſemper aſpernantes imperium. accedebat, quod illis temporibus ab aliis Germanis erat oc-

cupata magnã ex parte. Sic etiam ſperabat Honorius Imperator barbaros contra barbaros diuturno bello laboraturos, ſeque inuicem ſic conſumpturos hoſtes Romanorum. His rebus ſic conſtitutis, verſus Galliam profecti ſunt, Placentiæ cum copiis aliquandiu moratus Alaricus, putans nihil amplius vſquã ſibi infeſtum in Romano imper. nihil igitur feſtinat. Stilco vero ex ſuperiori ſucceſſu adhuc elatus & confidens, ſimul omnem iam diu mouens lapidem, vt aut ipſe aut filius eius ad imperium peruenirent. Et iam incipiebat bene Romæ & in exercitu audire: nec enim parua res habebatur quod paulo ante geſſerat, de quo iam eſt dictum. Quare palam iam timiditatis arguebat Honorium, qui tantum barbaris contra Romanorum gloriam conceſſiſſet, ignominioſiſſimum Romano nomini aiebat, has cum barbaris conditiones, potius quiduis audendum fuiſſe. Quam ob cauſam Saulem, ſuum legatum clanculum bene copiis bonis inſtructum mittit Placentiam ad opprimendos illos Germanos, iam paſchatos feſtum celebrantes, bene iam potos, depoſitis armis, nihil de pugna cogitantes. Et prima coitione plane ex ſententia ſucceſſit: ſed poſtquam Germani arripuerunt arma, & datum eſt tempus & ſpacium pugnæ, totũ Stilconis exercitum, qui Sauli duce contra Germanos venerat, contrucidauerunt ad vnum vſque omnes deletos ſcribunt hiſtoriographi. Tum demum Stilco confuſus, ignarúſq; quid ageret, incipit adulari Honorio, in cuius nominis honorem ſe omnia conatum voluit videri. Quare petit auxiliares manus ab Honorio, prælium inceptum, certam eſſe victoriam, modo ipſe admoueat ſuas vires. Sed Honorius propoſiti cogitationumque Stilconis non ignarus, ſciebat ſine dubio Stilconem ſic petiuiſſe iter ad imperium, & calumnias eius certis nunciis tenebat: ideo mittit ex ſuis qui Stilconem & filium eius, iam ex fuga recenti, maleque geſta re, omnibus præſidiis deſtitutos interficiant. Et hoc feciſſe fertur Honor. non ſolum ex priuato odio, quod imperium affectabat Stilco & filius eius, ſed vt Germanis ſedem faceret contra ſuam voluntatem, hoc tentaſſe Stilconem. Sed nullo ſtatuto exemplo, nec vllis quantumuis cohærentibus argumentis fides Alarico & reliquis Germanis fieri potuit: nec induci vllis rationibus potuerunt, vt irati crederent inuito Honorio hæc conatum Stilconem. Facinus enim maius videbatur. Quare relicto inſtituto itinere, reuerſi aduerſus Romam contenderunt, & deuaſtauerunt totam Italiam, Romam expugnarunt, Honorium expulerunt, filiũ eius Gallam & ſororem eius Placidiam ceperunt. Et cuiuis apparet, cum hæc in manus eorum peruenerint, nihil non in poteſtatem eorum redactum. Omnia igitur conuaſauerunt, & captiuos omnes duxerunt, quos non trucidarunt, nec a templis abſtinuerunt manus. Placidiam, quia erat inſignis forma, ſororem Honorij duxit vxorem Alaricus. Hæc mulier tantum excelluit formæ & animi gratia, vt pacem conciliarit inter fratrem Honorium & Alaricum maritum. Hic rex Alaricus, aut quia timuit Dominum, aut quia ſic Dominus voluit, edixit militibus ſuis, ne vllo pacto Chriſtianos aut eorum bona quis attingeret, aut etiam eos qui ad eorum eccleſias confugiſſent. Conuerſatio enim ſanctorum erat tam inculpata & ſincera. Et vt magis caueret ne qui læderentur Chriſtiani, ſtatim Romam reliquit, eduxitque omnem exercitum, ſeueriter animaduertens in eos qui Chriſtianos læſerant. Hoc quidam ferunt ex precibus vxoris ſuæ feciſſe. alioqui decreuerat radicitus tollere Romam, aliamque ad ſui nominis memoriam ædificare. Sed Placidiæ gratia tantum apud hominem valuit, vt a propoſito deſiſteret. In his rerum felicibus ſucceſſibus libere duxit exercitum in quolibet Romani imperij loco. Porro poſt tres annos exercitus ignauiæ incepit eum accuſare: totum Romanum imperium potuiſſe tribus quibus regnarat, annis ſubiugare ſine difficultate, clamantes. Sic animi eius placiditatem interpretantes. Propterea decollauerunt ipſum. Sigerichum elegerunt in locum eius, virum fortem: ſed etiam tranquillitas & pax cordi fuit homini magis, quam exercitui placuerit. Cum igitur Romani nihil omitterent, quo pacem componerent, adiecit & hic Sigerichus animum ad pacem: ſed non ferens exercitus rerum tranquillitatem quam videbant futuram, obtruncarunt & hunc Sigerichum. Eligunt autem in locum eius Valliam, qui vulgi voluntatem animaduertit longius proficiſcendi, nihil non fecit & dixit ad populi nutum. Volens igitur morem gerere plebi, præparabat magnam nauium multitudinem, quibus exercitus partem in Africam tranſmittat, vt Romanum imperium ſubigeret in illis

illis regionibus. sed naufragio perierunt omnes ad vnum, qui nauibus seſe commiſerant. maris etenim & nauium illarum imperiti erant. Hac clade accepta non leui, init quoque fœdus cum Honorio Cæſare. mittit igitur Vallia Honorio ſororem viduam Alarici regis vxorem, quam collocat Conſtantino cuidam Romano, cuius opera fideli in bello vſus fuerat Honorius: & hunc ad cõmune imperium aſſumit. Ex hoc Conſtantino & Placidia Valentinianus eſt natus. Hic Conſtantinus auxilio Valliæ & Germano milite profectus eſt contra Sequanos & Germanos Francos. Deuicerunt etiam coniunctis viribus Hiſpanias, in qua optimas poſt hoc bellum elegerunt ſibi ſedes Germani. Conſtantinus ſibi aſſeruit Toloſam. Sed breui poſt obiit. His occaſionibus Germani exceſſerunt ex Italia, & manſerunt in Hiſpaniis. Quidam illorum ex Hiſpania migrare coacti ſunt in Africam. Carion tradit quod Carolus quintus, & eius progenies, ex his Germanis originem ducat: ego nihil auſim hic definire. Hi omnes non bene Germanorum lingua vſi dicuntur. Copioſiſſime hæc poteris, ſi libet, legere apud Oroſium lib. 7. capitibus 26, 27, 28, &c. Dum hæc in Italia, Gallia, Hiſpania & Africa ſunt geſta, infeliciter habuerunt ſe res in Germania, omnia fuerunt plena armis, rapinis, & latrociniis; populis circa vtranq; Rheni ripam habitantibus, & Sueuis, & Francis, & Saxonibus, & reliquis inter ſe cruenta inteſtina bella exercentibus, alij alios diripuerunt, nulla ædificia ab incendiis tuta fuerunt. Hinc factum eſt, vt conſumptis inuicem viribus incolarum, vt Vngari & Vangiones totum flumen Rhenum a fonte vſque in mare ab vtraque ripa deuaſtarint. Pulcherrima Rheni oppida partim diripuerunt, partim tota ſuſtulerunt. Wurmatia hoc anno fere tota eſt diruta, & Moguntia fere tota exuſta eſt. In ipſis eccleſiis multa millia hominum occiſa ſunt. Et Argentina pene eo anno ſolo eſt æquata. Circa hæc tempora Franci Orientales, aucta prole, cum ager natalis habitatorum multitudinem non caperet, inceperunt cogitare de aliis quærendis ſedibus. Quas ob cauſas emiſerunt ex ſuis viginti tria millia in Galliam, quam hoſtiliter ingreſſi ſunt; expulſiſq; Gallis, occuparunt agrum eorum, & coluerunt: hæc geſſerunt ductore Ibro Germano, homine corpore & animo præcellenti. Huius expeditionis tempore adhuc regium nomen inter Francos erat inuſitatum. Quidam, Marcomirus nomine, tyrannidem affectauit in illis Francis qui in Galliis habitabant: & hic muris & foſſis circummuniuit vrbem eorum in Galliis, ad incurſiones hoſtium excludendas. Huius Marcomiri filium, Pharamundum, propter ſingularem in rebus militaribus induſtriam, regem ſuper ſe conſtituerunt Franci. Qui primus leges quibus inter ſe vterentur, tulit; quibus communem vitæ ſocietatem tueri poſſent. Poſt hunc Pharamundum in regnum ſucceſſit filius eius nomine Clodius; & ſic deinceps regnauerunt ſucceſſione: de qua alibi ſatis. Porro poſtquam Conſtantius, cui Honorius ſororem matrimonio iunxerat, quemq́ue ſocium imperij aſciuerat, mortuus eſt, menſe imperij ſui ſeptimo, Honorius ſummam rerum bellicarum, & copias ipſas Ætio viro militari commiſit: qui poteſtate aſſumpta, duxit exercitum validiſſimum in Gallos, Francos rurſum ex Galliis compulit in patriam Germaniam, & multos occidit. Sed Franci excitatis Sueuis, coëgerunt ingentem manum, & obuiam profecti ſunt magnis conatib. Ætij, Ætius barbarorum ſæuitiam & iram veritus, fugit ex Galliis in Hiſpanias. Quæ fuga Ætij ſupra modum Honorium male habuit. quare Ætio exautorato, ſubſtituit Caſtinum primæ nobilitatis virum, ſperans idoneum qui cum Germanis bellum gerat: ſed opinio fefellit Honorium; nam etiam hic Germanorum nomen timuit adeo, vt reſiſtere nuſquam auderet. quod adeo dolori fuit Honorio, vt propterea mortuus feratur. vires enim vniuerſas Romanas collectas vertere volebat in Germanos. His temporibus Arcadij & Honorij fuerunt multa ſeditionum ſeminaria in Eccleſia, multæ hæreſis cauſæ. Ioannes Chryſoſtomus epiſcopus Conſtantinopolitanus eſt in exilium miſſus, propterea quod Eudoxiam reginam in publica concione Ieſabel nominarat. Eſt quoque concilium celebratum Conſtantinopoli; in quo Ioannes Chryſoſtomus condemnatus eſt. Lucius tyrannidem aduerſus Chriſtianos exercuit. Vixerunt hoc tempore multi hæretici homines ſibi placentes, omnes odio proſequentes qui non iurarant in eorum verba, quiq́ue non adulabantur illis. volebantq́ue hæretici omnium rerum primi eſſe, omnes ſuſpectos habebant, inter ſeſe clancularijs diſſidentes odijs, etiam ij qui prorſus

idem sentire volebant videri. Hac ætate vixerunt etiam Cælestinus & Pelagius. Cum res fidei & religionis maxime iactarentur vbique, disputarentque qui confitebantur Christum cum Iudæis acriter, finxerunt Iudæi suum Talmuth, in quo commenti sunt infinita, ridiculaq; mendacia. Tantum fecerunt Christiani Iudæis negotij, vt præceperint publico mandato Iudæi, ne quis periculo capitis discederet aut dubitaret de veritate eorum omnium quæ essent in Talmuth commentata, non magis quam quæ essent in Mose & reliquis prophetis. Nec multum post, anno nimirum 423 celebratur 423 illud magnum consilium Ephesi contra Nestorium, &c. Interea Germanorum qui in Hispaniis remanserant, non satis concordes quidam, cesserunt ex Hispaniis in Africam, vbi deuictis incolis, occuparunt quæq; cultissima: & Romani imperij robur vbicunque potuerunt, labefactarunt. nam quo potentia Romana minor erat, hoc erat tutior fortuna eorum.

Habebant Franci regem militarem virum nomine Claudium, qui diu expectata occasione suscipiendi belli in Romanos, audita de imperio dissensione, & de quibusdam Romanorum cladibus; & quod necessariis bellis tenerentur aliis in terris Romani, delectum inter suos habuit, & mira celeritate inuasit totam Galliam, & fugauit, occidit, & cepit omnes Galliam inhabitantes: subegitq; paucis mensibus totam Galliam, expulsisq; omnibus incolis, Francis habitandam dedit; qui primum locuti Germanorum, hoc est sua lingua, bellorum iniuriis factum est, vt maternam linguam amiserint, loquantur expulsæ gentis sermone. Romani hoc fieri passi sunt inuiti. Circa hæc tempora validam inprimis manum mittit Theodosius aduersus quẽdam Bonifacium quem constituerat imperij vicarium. Bonifacius solicitat vbique in Africa & Hispania habitantes Germanos & Gothos, promittit illis magnam pecuniæ vim, aut si malint, partarum regionum partes certas. Ii intelligentes ex vsu suo esse, Romanum imperium quam minime quiescere, quam maxime minui & infirmari, statim arripiunt arma, occupant Mauritaniam, diripiunt Numidiam, & capiunt Carthaginem & multas vrbes: quæ omnia in suis manibus seruant, neque quicquam Bonifacio reddunt; imo & ea quæ antea possederat, eripiunt. Sueui soli regnum obtinebant in Gallitia sub rege suo Emerico, qui regnauit 33. post Emericum regnum suscepit inter Sueuos Rixilla, qui vero nobili prælio Romanas legiones multas deleuit, & capit vrbes Emeritam, Hispalim, Carthaginem, & Bethicam, reliquasque, quarum me nomina fugiunt: Theodosio & Valentiniano incredibiliter dolẽte, quod ita imperium fractum vident Romanum, & indies magis debilitari. Quare Valentinianus quoquo modo putauit pacem faciendam cum iis Germanis qui in Africa sedem fixerant. igitur concedit illis plus quam petere aut sperare ausi fuissent; & ampliora promittit: vicissim petit vt iuuent illum quo recuperare possit Hispaniam & Gallias. nam nihil non posse opera Germanorum sperabat. Fœdus est his conditionibus ictum. Gensericus præerat illis in Africa Germanis. qui statim crudelissime totam Africam deuastarunt, omnia rapinis, cædibus, & sanguine complentes. Hic Gensericus erat vir crudelis, hostis omnium hominum, & quo quisque humanior hoc magis odiuit eum. Singulari odio sacerdotes & nobiles prosecutus est; hoc genus hominum occidit miserabiliter. Arianæ hæreseos quosdam passus est præesse plebi, templorum bona diripuit, in prophanos vsus ecclesiasticas facultates dilapidauit. Sicque subegit Gensericus sibi totam Africam ad Æthiopiam vsque. Hæc qui certius & plenius cognoscere cupit, legat Blondum. In his rerum turbationibus amissa est & Anglia de imperio. Nam Scoti, Picti, & Albinenses, coniunctis vno tempore viribus oppresserunt Britanniam. Angli in angulo quodam regionis suæ munitione se defenderunt, ne tota gens extingueretur: sed cum viderent se non diu sic durare posse, quin venirent in manus hostium, miserunt in Germaniam ad Saxones, implorabant eos, vt laborantibus subuenirent: qui statim magnis copiis aduolauerunt, & vicerunt Scotos & Pictos; eieceruntque ex Anglia omnes eorum hostes: sed ipsi Saxones occuparunt sedes eorum, nec restituerunt Anglis sua, quibus tulerant auxilia. Vario genere mortis affecerunt nobilitatem maxime Romanam. Itaque dominari in Anglia cœperunt Saxones. De his qui cognoscere cupit, plura ex authoribus in promptu est petere. Gensericus Africam obtinens totam, non contentus illa, cupiebat regnum propagare, & Romanum imperium debilitando

tando sua confirmare; quare quam maxima potuit classe in Siciliam nauigauit. Siciliam autem cum cuperet liberare bello Valentinianus, mittit cum copiis Sebastianum cognomento Magnum in Africam, vt sic reduceret Genſericum ad sua, transferretq; bellum ex Sicilia. Nec iudicium fefellit Valentinianum: nam mox relicta Sicilia, redit in Africam. Sebastianus ille degener animo nihil nititur præclare agere ex iussu & voluntate Valentiniani, sed quibusdam artibus effecit apud Germanos, vt illum dominum fecerint in Lusitania. non diu autem perfidum nebulonem ferentes occiderunt. Valentinianus proficiscitur Constantinopolim ad suum cognatum Theodosium, & ducit filiam eius in vxorem. Anno 45, ex Vngaria Atila virga, vt se ipsum nominabat, 45
Dei, inuasit inaudita crudelitate Germaniam, deuastauit ex Pannonia vsque in Heduos omnia, totam peruagauit Germaniam, miserisque modis eam vbique afflixit. Postea ingressus Galliã, nec minus crudeliter tractauit eam. Supererat adhuc angulus quidam in Gallia adhuc subiectus Romano imperio; quem locum tenebat Aetius, qui Atilæ crudelitatem videns, cum Francis qui Gallias tenebant serio egit, communicauitque consilia, quibus rationibus Atilæ possit resisti. Germani in Galliis & ipsi timebant Atilam; quare libenter iunxerunt se Aetio. Atila vehementer timuit Francos; nam partim expertus fuit eos suo damno, partim fama peruenerat ad eum quales essent in armis. ergo & ipse legationibus & epistolis egit cum ipsis, cupiens eos a Romanorum societate auellere. multis igitur modis tentauit corrumpere Dietrichum Germanorum tum in Galliis regem. Sed Germani videntes nephandos Atilæ conatus, omnes eius conditiones, & amicitiam eius recusabant. Coniunxerunt se arctissime contra hunc communem hostem, Romanis. Itaque post multa acta & consultationes, ventum est vtrisque partibus in æquum campum, acieque vtrinque instructa, non procul a Tolosa. Erat ab altera parte Dietrich Germanorum rex cum suis, & Aetius Romanus cum suis; ab altera Atila cum suis copiis. Igitur magnis clamoribus & animis congressi sunt, pugnatumque est vtrinque per totum diem dubio marte, donec tandem sub vesperam in fugam actus Atila: neque enim diutius propter raritatem suorum qui remanserant, consistere poterat. Supra quinquaginta millia amisit eo prælio Atila. Occubuit quoque eo prælio Dietrich rex Germanorum. Tanto dolore ex ea clade Atila affectus est, vt pene sibi mortem conscinerit: itaque infirmatus est, vt se conferre coactus sit in Vngariam, vnde venerat. Vbi collectis viribus innumerabilium copiarum, Italiam inuasit, multasque vrbes Italiæ radicitus sustulit, omnia incendio sanguineque implens. Sunt qui tradunt Pontificem Leonem ei obuium venisse in suis pontificalibus ornamentis, rogasseq; eum vt a proposito desisteret; exposuisseq; ei potentiam Domini qui gubernat omnia: Atilamq; commotum põtificis verbis, iterum in Vngariam reuersum, ibiq; nuptias celebrasse, subitaneaq; morte prima nocte qua nouam nuptam compressit, interiisse. Nec desunt idonei quibus fides adhibeatur, authores, qui tradiderunt, hunc Atilam ante has expeditiones Mesiam, Achaiam, Macedoniam, Armeniam, Thraciam, & Sicambriam sibi subegisse: multos reges, multosque populos sibi tributarios fecisse. Magna quoque Germaniæ pars amicitiam cum hoc Atila inierat. Theodosius dicitur comparasse omnia necessaria ad bellum gerendum cum hoc Atila: sed in apparando dum occupatur, Theodosius peste correptus, moritur. Hic Theodosius est autor Codicis operis in iure inprimis præclari. Erat vir sapiens, literatus, pacis amans. Interrogatus, cur non vltionem de hostibus sumeret, respondit, Vtinam vi- »
uerent omnes qui meo mandato mortui sunt, cum expendo vitæ dotes, & vsum mira- »
bilem partium humani corporis. »

DE GERMANIS
LIBER QVINTVS.

NOn longe post hæc iussit Valentinianus obtruncari Aetium fortem ducem bello, quia suspectum habebat ambire imperium. Nec habebat vlla signa nisi quod facta & dotes dignæ Imperatore erant in Aetio. Et certe quouis loco dignus iudicabatur Aetius post illam magnam aduersus Atilam victoriam. Postremo fecit pacem Valentinianus cum

Genſerico, rege Germanorum in Africa habitantium, & regionem partitur cum eo contra maieſtatem Romani nominis. Genſericus multos ex militibus & equitibus qui conſpirauerant aduerſus eum obtruncauit. Cum forti viro Aetio ruit magna ex parte Romanum imperium. Et poſt interfectum Valentinianum videbatur actum eſſe de Romano imperio: quanquam multi voluerint appellari Imperatores. Et Maximus Romæ arrogauit ſibi regnum: propterea quoque Eudoxiam viduam a Valentiniano relictam, vxorem duxit. Eudoxia virago cupiebat ſuos hæredes imperium conſequi; ad quod perficiendum a nemine putauit ſe melius iuuari, quam confidentiſſimo homine Genſerico. quare vocauit eum ad ſe Romam ex Africa, vt auxilium ferret aduerſus Maximum. Genſericus occaſionem occupandi plura non omiſit, quam primum parat proficiſci Romam, non ſine magna manu venit: ſed Romani non voluerunt talem hoſpitem amicúmve expectare, fugerunt ex vrbe in montes & ſolitudines. Maximus imperij affectator quoque arripuit fugam: ſed milites gratificari volentes Genſerico, occidunt eum. Genſericus ingreſſus vrbem, diripiendo eam, conſumpſit quatuordecim dies; & Eudoxiam viduam maiora molientem, quam ſexus capit muliebris, captam cum duabus filiabus ducit ſecum in Africam. Hanc mulierem ſuperbia turgidam ſic afflixit infortunium, vt mœrore oſſa pene exaruerint. Sed iudicium domini iuſtum eſt. Tunc a Germanis ſecundo Roma direpta & deuaſtata eſt, anno 466. Poſt direptam Romam, etiam Italiæ vrbes omnes diripuerunt, multas præclaras ſolo æquarunt. Neapolim ſolam capere non potuerunt: reuerſíque ſunt in Africam. Sicque Romanum imperium finem in occidente habuit; durauitque nomen imperij tantum Conſtantinopoli. Quanquam enim Iuſtinianus rurſus in occidente poſtea imperium aſſerere conatus ſit, & per Beliſarium & Narſetem multa receperit; tamen poſt Valentinianum nullus Imperator qui meruerit hoc nomen, extitit in Italia. Multi quidem ſeſe appellabant Cæſares, ſed alius alium ſtatim interfecit. Germani incurſiones in omnes fere nationes faciebant, iam nullo reſiſtente. Franci tenebant Gallias, vexabant Hiſpanias, & Italiam. Africam tenebant etiam Germani. Saxones in Britannia regnabant. Ita erant res imperij fractæ. Hinc magnæ & quotidianæ cauſæ bellorum. Antea enim cum omnia eſſent ſub vno Cæſare, quieſcebant neceſſario, nunc quilibet ager cum habeat ſuum regem, quæ cauſæ bellorum ſint, in multis locis quotidie videmus. Franci in Gallia cæteris qui vbiuis gentium degebant, terrori erant. Genſericus rex in Africa videns omnia in Romano imperio debilitata, nihil iunctum, omnia diſſolutas ſcopas, exiſtimauit tempus eſſe propagandi ſuum imperium (nam in tota vita ſua declarauit ſatis quantam ambitionem dominandi habuerit) igitur quantiſcunq; potuit copiis collectis, & omnibus neceſſariis præparatis ad expeditionem, magna claſſe in Italiam nauigat, populatur omnia obuia quo acceſſum habuit. Sed Anthemius auxilio Cæſaris Leonis contra inſtructus ſufficientibus copiis, reſiſtit illi, capit omnem occaſionem & loci & temporis opportuni dimicandi cum homine: poſt aliquot dies venerunt alteri alteris in conſpectum. Quanquam Genſericus videret ſibi omnia eſſe iniquiora: tamen pudore noluit in præſentiarum pugnam detrectare, veritus, ne hoſti accederent animi, ſuis alacritas minueretur. Et ſi igitur multa diſplicuiſſent, quæ ad futurum deſiderabat prælium: inſtructa tamen acie, maluit videri petere hoſtem primus. Quare congreſſum eſt, pugnatum eſt, in fugam actus Genſericus cum ſuis eſt, ex Italia eiectus eſt, amiſſis nauibus & militibus, Genſericus cum paucis fugit in Africam. Poſt hoc tempus ſtatim quidam tyrannus, Richimerus nomine, obſidet Romam: qui paucos præter Germanos habuiſſe in exercitu ſuo dicitur, in oppugnando primum laborat, tandem tamen expugnatam diripit, Anthemium fruſtatim dilaniat. Sed Richimer ille paucis poſt menſibus moritur. Auguſtulus, lapſi imperij omen, Cæſar coronatus, pacis conditiones cum Genſerico componit. ſperabat enim opera & auxilio Genſerici imperaturum Romanis: ſed Odoacer, rex Gothorum, cum valida manu Germanorum irruit in Italiam; cui ſe Oreſtes pater Auguſtuli cum milite Romano opponit. Cum vero iam eſſet prælio confligendum, eſſentque hoſtes proximi, Oreſtes territus eſt cum vidit quantam vim militum Odoacer habuit, arripuitque fugam antequam inceperit pugnare; locisque tutis & vrbibus munitioribus quæſiuit ſalutem.

salutem. Postremo confugit Orestes cum suis omnibus Ticinum, vrbem munitissimam, quem Odoacer persecutus obsedit, breuiq; expugnat, quanquam non sine negocio & suorum iactura, omnia conuasat, incendit vrbem, solo adæquat; ex omnique Orestis exercitu qui numerosus fuit, pauciſſimi euaserũt: interfecti enim pene omnes sunt: & Odoacer sua ipsius manu Orestem interfecit. Itaque statuit exemplum in ea vrbe, vt omnes vltro venerint, quæque enim eandem formidabat fortunam, pacem petierint, sese dederint, sua omnia hosti crudeli obtulerint. Augustulus fuga vitæ suæ consulturus, abiecit imperatoria ornamenta omnia, valedicens imperio, quod reuera nullum erat reliquum. Hunc habuit finem incomparabile illud Romanorum regnum. Ab Augusto sub quo fuit in summo vigoris statu vsque ad Augustulum diminutum & finitum, anno 477. Facile inueniunt fata viam cum est aliquid finiendum. Omnia sic subiecta sunt vanitati, omnia prætereunt: quem Dominus terminum statuit nihil præterire potest. Videmus quumprimum ordo qui rebus robur & vim vt durent, addit, confunditur, actum esse. Dum omnes volebant Cæsares esse, nullus vlli locus est relictus. Post has res confectas, Orestem occisum, fugatum Augustulum, in fidem receptas multas ciuitates, territam Italiam, Odoacer Romam profectus est, nemine resistente, factus est dominus totius Italiæ. Romani animo abiecti (vt enim res sese offerunt, ita magni aut humiles sumus,) omnia exhibuerunt homini barbaro, quæ seruos æquum est exhibere dominis suis. Omnem ergo humilitatem animi ostendebant illi, regem suum appellabant, deducebãt magno comitatu in Capitolium, offerebant illi omnia sua, honorem deorum quoq; in hunc barbarũ conferebant. O superba Roma, vbi est illa seueritas, grauitas quæ contempsit totum orbem terrarum! Vbi est decorum illud, quod vt seruares, euertisti tot insignes populos! tot populos diruisti! Sed omnis fastus hominis bulla est. Hic Odoacer tyrannidem pro animi libidine exercuit Romæ, & in Italia tota annos quindecim, nominauitque Romam Odoacriam. Odoacer in imperando primum non fuit infelix. Italos mancipiorum loco habuit, Germanis militibus quorum armis ad illum locum peruenerat, donauit magna. Hic Odoacer tam immanem tyrannidem exercuit vltimo anno, vt Romani coacti sint circumspicere vnde nam petere possent auxilia. Ad Zenonem igitur miserunt qui implorarent auxilium aduersus difficillimum latu tyrannum. Zeno igitur misit auxilio Romanis oppressis Dietrich quem vocant de Berna; qui prudenter & astute censuit tractandum tyrannum, & ansam in manus dedit Dietricho Odoacer. nam videns non contemnendum hostem Dietrichum Germanũ, obtulit illi commune Italiæ imperium, amicitiamq; petit sempiternam cum illo. Dietrich intelligens dolo malo hæc omnia fieri; tamen cum vulpe censens vulpem esse oportere, inuitauit igitur illũ, postquam vtrinque magna beneuolentiæ signa alter alteri ostenderat. Odoacer inuitatus non dubitat venire, sed stipatus sui corporis fideliſſimis custodibus, quos omnes interficit Dietrich. Odoacer igitur hunc habuit finem: qui dum tolerabiliter in Italia tyrannidem exercuit, tulerunt illum; sed vbi nimium extendere voluit, vt in prouerbio est, arcum, pessumiuit. neq; enim quicquam violentum in humanis durare potest: nec est vllum regnum stabile inter homines, quod non beneuolentia & comitate administratur. Dietrich ergo solus suscepto regno, regnauit in Italia in magna tranquillitate annis 32. Nec est memoriæ mandatum in Italiam ab vllo vnquam domino tantum beneficiorum collatum: Collapsas vrbes restituit magnis impensis, Romam vrbem ædificiis nouis ornauit plurimis. culta rura mirum in modum amauit. Quod autem fuerit hic Dietrich natus Germ. sunt autores boni, & ipsum nomen Dietrich indicat: sonat enim in Germanica lingua, factis diues. Porro supra mentio est facta etiam Dietrichi Germanorum ducis, qui etiam iuuit in Atila vincendo, & fortiter dimicans in prælio contra Atilam, occubuit. Sunt qui scribunt huius consanguineum fuisse. In hunc modum regnauit hic Dietrich in Italia magna laude, mortaliumque commodo magno.

477

Huic in regno successit filiæ eius filius Adelrich, qui octo annis bene regnum Italiæ administrauit. Nam Dietricho fuerunt tantum tres filiæ, nulli filij: quarum vnam collocauit Alarico regi Gothorum, aliam filiam iunxit matrimonio regi Heduorum; tertiam cuidam nobili viro Germano militari nuptui dedit. Post Adelrichum regnauit cognatus Dietrichi, qui latrocinio sustulit filiam cognati sui Dietrichi:

qui tamen pauculis mensibus post dignas factis suis pœnas dedit. Dietrichum hunc hominem barbarum literas literatosq; viros singulari odio habuisse quidam tradunt; quod idoneos putauit qui regnum affectarent. propterea capitis supplicio affecisse virum doctissimum in omni philosophiæ genere Boëtium, & quosdam alios innocentes occidit. Sed iusto iudicio fit, vt tyranni qui tales doctos viros interficiant, perpetuo infames reddantur omnibus seculis. Nec enim Apollo inultos relinquit suos mystos. Pontificem quoque Ioan. 1 in carcere coniectum fame perire coëgit. Diermar rex Gothorum fuit illius pater, qui misit eum ad Imperatorem Constantinopolim, cumq; Odoacer nimium affligeret Italiam, missus est, vt diximus, qui laborantibus ferret auxilium. Finem autem vitæ habuit morbum apoplexiæ. Post hæc mox tempora iterum Saxones delectu habito, nauigarunt in Angliam insulam, qui primo prohibiti ab insularibus, ne littus attingerent; sed post longam pertinaciam peruenerunt ad petita littora, incolisq; superiores victores euaserunt, regem Britanniæ nomine Ambrosium Aurelium occiderunt. Itaque multis diebus sæuierunt, vt omnes Angli relicta Insula, ad exteras nationes fugerint, vitæq; fuga consuluerint. Quæ gens ante quoque occupatam, iam totam capit; & totum illud regnum obtinet adhuc hodierno die. Breui ita aucta est in insula, vt regibus Galliæ sæpe intulerint bella. Sed, vt fateamur verum, cum opus fuit illis auxiliaribus copiis, ad manus habuerunt semper Germanos, Saxones suos. De his rerum statibus qui plura cupit, legat Æneam Siluium: item Blondum Decadis 1 libro secundo. Sunt & alij authores, sed in quibusdam variant. nec enim conuenit quoties Angliam Saxones armata manu inuaserint. Verisimile est sæpius submissos alios, postquam semel sedem illic fixerant.

Hoc Zenonis tempore incepit Clodouæus rex Galliæ confiteri Christum, in insignia sua accepit lilia. Clodouæus a Germanis multum passus est, sæpe ab illis victus; multa quoque mala intulit illis, sæpeque vicit eos: quæ bella digna essent multis libris, & ocioso scriptore. Hoc etiam tempore Honoricus maior natu filius Genserici, loco patris in Africa regnauit: erat autem Honoricus hic totus hæresi Arianæ deuotus. expulit ergo omnes qui ab Ariana factione dissentiebant, spoliatosque omnibus bonis in exilium misit omnes, & eorum ædificia igne consumebat. In hac persecutione Carthagine pulsus est Eugenius orthodoxus episcopus cum quingentis personis, quæ Arianæ sectæ non consenserant. Tandem finem habuit miserabilem qualem Herodes, vermibus enim consumptus est, periitque exeso a vermibus corde. Sic Dominus suos vlciscitur, ipse retribuit. Secutaque est hanc persecutionem in Africa tanta fames, vt omnes viæ essent plenæ cadaueribus, nec viui sufficerent sepelire mortuos. Comedebant folia & radices, & alia non apta humanis corporibus alimenta. hinc sequebantur morborum infinita cæca genera, hinc pestis, & mortes.

Arcturus Magnus Anglicani populi rex circa hæc tempora conatur recuperare insulam Angliam, eiectis Saxonibus, quos paulo ante Diglas non modico prælio fuderat. Dux Saxonum Cognius non audebat rem committere prælio; quare continebat se in munitionibus locorum & vrbibus. Arcturus quotidie magis cupiebat confligere, & properabat: nam aduentare Germani dicebantur, Cognius cedebat vbicunque commode potuit. Post longos & varios errores contulit se cum suis Eboracum, expecturus illic auxilia ex Germania. Arcturus igitur obsidione premit Eboracum: postquam vero percepit aduentare sexcentas naues plenas Germano milite, soluit obsidionem, & occupat loca munitiora in insula, & mittit ad minoris Britanniæ regem Henelum, petitque ab eo auxiliares manus, alioqui actum esse de vtriusque facultatibus in Anglia. Hic Henelus videns præsens periculum, omnes quas potuit copias cogit, & festinans coniungit se Arcturo; qui coniunctis viribus quærunt tempus & locum pugnæ aptum: quibus Saxones copiam libenter faciunt pugnandi, conserunt manus vtrinque infinitus hominum numerus, primis aliquot diebus ita soluit nox prælia, vt neutri sibi victoriam asserere iure potuerint. Vtrisque acerrime pugnantibus, ceu pro focis & aris fieri consueuit, tandem nonnihil cedere coacti sunt Saxones, multitudine nimirum obruti. Arcturus magnam Angliæ partem recepit, Insulas etiam Orcades, Hiberniam, & Noruegiam in potestatem redegit, etsi hoc nihil videri possit; nec enim in Noruegia habitabant homines, exceptis feris quibusdam, pauculis

culis venatoribus sub terra in speluncis degentibus. Breui post venerunt ex Germania noua auxilia Saxonibus, qui Arcturum vicerunt, & in prælio interfecerunt, recepe-runtque fere rursus totam insulam. Post huius Arcturi mortem, rex Vertegernus Saxones bello aggreditur, implicanturque difficili & longo bello. Post longas rerum vicissitudines, quales in grauioribus bellis esse solent, vincit Saxones, regnoque eiicit. Sicque restitutum est Angliæ regnum vsque ad regem Melgon, qui luxuria & lasciuia perditus fuit, quique subitanea morte abreptus est, cui successit rex Creticus. Inter-ea temporis parauerant se ad vltionem Saxones; quare coactis magnis copiis, rursus ex Germania profecti sunt in Britanniam. Et post multas fortunæ mutationes, vin-cunt Anglos cum rege suo Cretico, deploratisque rebus, de relinquenda insula cogi-tant. Quam ob rem fugerunt ex insula quibus effugere gladium datum est. Episcopi & sacrificuli in Gallias cum suis ecclesiasticis ornamentis & reliquiis concesserunt: alij alio fugerunt: ceperuntque totum regnum Saxones, & iam nullo mouente bel-lum, possidebant omnia, & fruebantur prouentibus insulæ. Pontifex Gregorius mi-sit postea ad illos Augustinum quendam monachum, qui doceret illos religionem Christi in Britannia (nam antea non confitebantur Christum Saxones:) Hic igitur monachus conuertit illos si non ad veram Christianam pietatem, at saltem ad huma-niores mores. Beda libro primo de gestis Anglorum scribit, Saxones a Vertigerno rege stipendio conductos, anno 449, tempore Martiani & Valentiniani: sed stipendio non 449
contentos fuisse, insulam inuasisse, & tempore Ambrosij Aureliani eiecisse Anglos; & varios fortunæ casus fuisse, iam Saxones victores, mox rursus victos fuisse, do-nec tandem Saxones domini euaserint. & anno 582, Christus illis per Augustinum 582
monachum a Roma missum per Pontificem prædicatus est, qua efficacia spiritus, nemo facile dixerit. Atalarico filio filiæ Dietrichi de Berna Italiæ res non pessime administrante octo annis, Italia non infelicissime vixit: sed mortuo Atalarico rege, mater eius, filia Dietrichi, artibus quibusdam traduxit regiam potestatem in Theoda-tum cognatum suum, quem amauisse dicitur etiam obscœne. Sed hic Theodatus e medio sustulit hanc mulierem, suam consanguineam, cui regnum debebat. Hoc la-trocinium male habuit Romanum populum & senatum; male vero & habuit omnes Germanos qui in Italia primas tenebant; pessime autem omnium habuit Iustinia-num Imperatorem, cui erat a maioribus commissa. Iudicauit igitur Iustinianus satis occasionis causæque sibi oblatæ vlcisci latrocinium, Romanam libertatem asserere a seruitute & tyrannide barbarorum. Ad quod perficiendum nemo videbatur magis idoneus Belisario, qui paulo ante Africam iterum ad imperium reduxerat, eiectis barbaris: cuique libertas Romana curæ esse videbatur, minimeque auarus erat vir. Hic igitur contra Theodatum missus cum omnibus Iustiniani copiis, & ad bellum necessariis. Sed Theodatus sibi mali conscius, formidolosus erat vir, agit clam cum Belisario, proditurus suos. Quod olfacientes Germani, alium creant regem, Wittig nomine, qui interfecit Theodatum. Contra hunc bellum gerit Belisarius, legatus Iu-stiniani, rara prudentia: nam Wittig habebat exercitatum veteranum militem, & hunc numerosissimum. Belisarius continebat se intra vrbium muros, aut alias in editioribus locis; Wittig obsidebat eum, patienter multa fert obsessus, donec tan-dem, id quod expectauerat, fame coactus Wittig, discedere coactus sit. Germani igi-tur & Gothi, quia ipsi capere voluerunt Belisarium, & semper continuerat se in-tra muros vel munitiones, nihil minus suspicantes, quam hostem ausurum egredi, abeunt sine ordine famelici; ecce erumpit Belisarius, extremum agmen aggreditur, cædit magnum eorum numerum, ipsum regem Wittig capit. Sed tamen collegerunt se, & vtrunque ordinati, repugnant tandem; & sic nondum desponderunt animum. Belisarius timens suis, ne scilicet multos amittat, reducit intra muros Romæ. Iustinia-nus componit pacem cum illis, datque illis certos limites habitandos inter montana & Padum. Postque receptam & liberatam Romam, Neapolim, & Siciliam, re-uocauit ad se Iustinianus Belisarium. Quidam putant timuisse Iustinianum, ne post illos tantos successus, Imperatorem sese appellaret Belisarius. Et certe fauor Italiæ & Romæ & militum, inuitare eum potuerunt ad vsurpandum nomen hoc. Sed in Be-lisario nihil talis perfidiæ fuit: cuius rei argumento satis est, quod vocatus cum omni

obedientia & reuerentia ad dominum ſuum Conſtantinopolim,aduolauit.Magno igitur triumpho Conſtantinopolim ingreſſus eſt,ducens ſecum Wittig regem,& multos captos nobiles ex Gothis Germaníſve. Interim ex Italia in Germaniam frequentes commeabant nuncij,qui ſolicitarent & euocarent bellicoſiſſimos quoſque: nam nihil agere aliud,quam de vltione cogitare,amiſſa recuperare.hæc agunt ij,dum illi Conſtantinopoli triumphant,& gaudio perfunduntur, ſortis futuræ neſcij. Interea Totila rex creatur a Germanis in Italia. Erant autem non mediocriter debilitati a Beliſario. Propterea Cæſariani in Italia omnia licenter & crudeliter agunt, & contra Italos & Germanos:idcirco iniuriis ſuis quotidianis magis atq; magis quotidie excitabant Germanos, vt cogitarent de vltione.Illi tuta omnia putantes, nihil artium militarium exercentes, ſatis erat illis nomen Cæſaris. Totila omnia diligenter adminiſtrare,negligentiam ſummam ſimulare, omnia diſſimulare, bona verba dare; interim nihil omittere quod videbatur ad futuram pugnam facere, ſuos adhortari ſi vſus veniat, vt fortiter pro libertate pugnent. Cæſariani gloriari,& ſuperba loqui,multitudinem numerare, oſtentare ſeſe. Totila ſuas copias quæ erant 8000, iuxta Placentiam in planiciem deducit, in acie collocat, hoſtem prouocat, qui deſcendit in eandem planiciem cum 20000, ſed in quibus Totila habebat duo aut tria millia, quos ſibi fauere ſciebat, & qui victoriam Totilæ vel vita emiſſent. Quæ res peperit Totilæ victoriam. Congreſſi igitur pugnarunt aliquot horis: ſed ij qui fauebant Totilæ in Cæſarianis partibus, verterunt tergum; conturbataque eſt tota acies Cæſariana, occiſique ſunt ab illis Germanis 8000, cum non plures Germanorum fuerint. Nec eſt hic quod quiſquam hoc factum tam memorabile aſcribat virtuti cuiuſquam, ſed tantum habet momenti apud hoſtes eſſe qui nobis fere ex animo faueant. Sunt clara & multa exempla quæ referre poſſem. Sed laudem illam vehementer auxit clementia in victos, & modeſtia poſt victoriam tantam.Quo genere virtutis tantam ſibi conciliauit animorum beneuolentiam & gratiam, vt multæ vrbes quas nunquam oppugnaſſet,vltro ad eum venerint, eius fidei ſeſe commiſerint. Iuuenes captos infinitos ſeruatos ad ſua liberos dimiſit. Virginum caſtitatis curam geſſit. Matronas ab iniuriis defendit. Omnes maiores Italiæ ciuitates recepit ſine impenſis.Neapolim receptam,laborantem omnium rerum penuria, commeatu iuuit. Dimiſſis militibus Cæſarianis incolumibus, rura coli mandauit: & effecit vt in tota Italia omnia etiam ruri ſub dio eſſent tuta. His rebus ita compoſitis, Romam contendit, quæ ſe dare negauit; multis agit cum ipſis: ſed fruſtra videt ſe verbis tentare rem. quare manus admouet, poſtque
545 longam obſeſſionem, per proditionem capit eam, anno 545. Et ne vanus haberetur, multos primo impetu (nam hoc illis & grauiora minatus fuerat, ad deditionem adhortans eos) interfecit, & facultates ciuium diripi permittit: ſed ſtatim rogatu ſummi pontificis Pelagij, præcepit militibus ne quem amplius necarent, ne vllam mulierem vi comprimerent. item, vt ne quis attingeret bona eccleſiarum.Habuitque Totila in his poſtulatis omnibus militem ſatis obſequentem. Pontifex Pelagius mittit ad Iuſtinianum, docetque eum, omnibus modis pace eſſe opus cum Totila, alioquin ipſum incenſurum Vrbem, & non relicturum lapidem ſuper lapidem. Sed Iuſtinianus nullis rationibus induci potuit ad vllas pacis conditiones, tantum confidit Beliſarij militaribus virtutibus, & felicitate. Totila cogitationes Iuſtiniani non obſcure intelligens, magna commouetur ira, præcipit omni populo Totila excedant ab Vrbe,vbi habitare debeant,indicat. iuſſit deinde muros deiicere.& demoliri turres, & in omnibus partibus incendere Vrbem. Quibus omnibus factis ad animi libidinem, profectus eſt in Calabriam, cepit omnes vndique vrbes. Rauennam vero iam petebat, quæ adhuc Cæſariana erat. Interim adpulit ad Italiam cum copiis Cæſarianis Beliſarius, peruenitque in vrbem Romam apertam, & multis partibus deiectam & exuſtam, ſine habitatore omnino,eam habuit loco caſtrorum. Incipit eam reſarcire, foſſas impletas euacuat, muros reficit, turres ligneas erigit ad muros,munit compendio quocunque poteſt:hęc omnia adminiſtrantur militariter cum feſtinatione, menſisque ſpacio perficiuntur. Romani ciues ad patrios lares confluxerunt. Nec Totila interea quieſcebat,ſed comparatis aduerſus Beliſarium neceſſariis omnibus,feſtinat cum exercitu Romã, quam primo accurſu capere conatus,repulſus eſt a Beliſario.

rio. Sed Totila ad muros per omnia loca obsidioni apta disponit præsidia, quantumque potuit, prohibuit ne inuehi possent alimenta. Cum autem spes capiendi inpræsentiarum Romam non esset, discessit a muris aliquanto longius, ita tamen, vt commeatus inuehi non posset. Interea Belisarius reuocatur Constantinopolim: vt autem vocaretur, effecit vxor eius. Belisarius desperans de rebus Cæsaris in Italia, facilis acquieuit, reditque relinquens Italiam, Constantinopolim. Post Belisarij abitum recepit Totila omnia in Italia, Romamque nonnihil restitutam. reuocauit igitur omnes ciues Totila Romam, & restituit illis bona illorum omnia, multaq; beneficia in vrbanos contulit. itaque nihil omisit quod ad ornandam & augendam Romam facere videbatur, vt appellatus sit *pater patriæ*. Neque enim mitis & benignus pater ad filium iuuandum procliuior esse potest, quam hic fuit in iuuandis & augendis ciuibus. Idcirco meruit incredibile omnium studium & amorem. Iustinianus vero grauiter ferens sibi totam Italiam ereptam, aliumq; in ea pro rege haberi, misit igitur in Italiam Narsetē virum rei militaris scientissimum & animo forti. Totila aduentu eius cognito, periculum præsentiens, munit vrbes, augetque copias. Narses magnis præmiis solicitat Germanos, sine quorum manu contra Totilam nihil tentandum præuidens. Collecta igitur robusta Germanorum manu, & recenti, Narses properat in Italiam, effecitque vt in æquum campum cum suis descendat Totila, qui suorum militum virtuti confidebat plurimum. Pugnarunt igitur aliquot diebus, fuitq; aliquādiu mars anceps: sed tandem vicerunt ij qui nuper in Germania conscripti erant a Narsete; occisusq; est Totilas vir animis & corpore vere magnus. Gothi vero & Germani qui iam aliam naturam induerant, tamdiu scilicet in cœlo Italico morati, nondū prorsus fracti post Totilæ mortem, alium elegerunt regem Teiam, qui militaribus dotibus præclaris nobilis erat. Sed & hunc cum magna clade recens nouáve ex Germania manus adducta, occidit. Post hanc stragem in qua Teiam occisum diximus, adeo debilitati sunt, vt pacem a Narsete rogarint. Huncque habuit finem regnum illud quod a Dietricho de Berna auspicatum durauit vsque ad Teiam. Fuerunt (ni fallor) anni sedecim. Pacis conditiones cum iis qui supererant fuerunt eiusmodi, vt relinquerent Italiam, conferrentq; se domum, ibique colerent terram, nec vnquam aduersus Romanum imperium acciperent arma. Quod iuramento se facturos promiserunt. Narses tota Italia & Roma recepta, ædificiis quæ potuit omnia decorauit. Magna quoque dona cōtulit in Germanos, quorum opera & virtute tantas res confecerat. Iustinianus quoque Cæsar absens fertur magnas gratias habuisse Germanorum fortitudini. Sanciuitq; etiam Iustinianus fœdus cum iis Germanis qui in Gallia habitabant, qui Franci erant; conceditque illis partes certas Galliæ, ea nimirum lege, vt sicubi opus esset, armis suis Romanum imperium defenderent. Hæc superiora quæ tradidimus, cum omnia per Germanos sint gesta, aut certe quorum maxima pars Germani fuerunt, non intempestiue a nobis videntur breuiter tractata. Operæprecium vero est animaduertere quoties a Germanis capta & direpta sit Roma. Ab Alarico primum, deinde a Genserico, mox a Totila, postremo iterum a Totila. Atque hoc pacto imperium Iustiniani tempore, industria Belisarij & Narsetis adiutum est; maximaque bella sunt feliciter gesta. Porro Germani quorum auxilio vicerat Narses, nullis stipendiis, nullis muneribus satiari poterant. Videbant enim sibi deberi victoriam, se victores cepisse Italiam; quare occuparunt quæ illis arridebant loca, Cæsaris mandata & preces contemnentes. ab illisque videbat Iustinianus nouum periculum imminere. Iamque regnum tenebant. & muneribus quotidianis & pollicitationibus continendi fuerunt, ne latius occuparent, animumque ad maiora adiicerent, pluréve ex Germania inuitarent. Ii regnauerunt in Lombardia fere annis 300. Hic cogitandum prudenti lectori relinquo quid periculi sit alienam gentem inuitare in patriam. Narses interea Italiæ res administrabat, mortuo iam Iustiniano, circumque se habuit Germanos quibus omnia debebat: Romanis autem non omnibus placebat. Quare aduersus eum Iustino scribunt, grauiterq; accusant eum, adduntque, nisi liberentur ab illius tyrannide, reddituros se vrbem hostibus. Post hanc accusationem statim aduersus Narsetem non auditum missus est a Cæsare Longinus ex Græcia in Italiam. Narses Neapolis cum suis Germanis Longini aduentum expectabat. Sed cum primū intellexit contra se bellum a Cæsare decretum

parari, misit legatos in Germaniam, qui adducant milites. simul scribit Albuino regi qui multos Pannones & Germanos sub se habebat, vt veniat ad se in Italiam, promittit illi aureos montes, promittit illi Italię regnum, sub sole (sic enim vocabat) pulcherrimũ. Sine omni difficultate Cęsarianos se eiecturum. Conatus Cęsaris interpretatur illi. His partium consiliis & conatibus cognitis, Pontifex Ioannes olfaciens periculorum magnitudinem, molitur rebus periclitantibus subuenire. Primum igitur incusat duriter Romanos, quod hunc virum odio & inuidia, suo magno damno præsentiq; & certa pernicie prosequantur, qui tam benemeritus sit de Republica Romana, vt meruerit nomen *patris patriæ*. Item qui omnibus vitam donarit: nam aliquando omnium vitæ necisq; ius in manibus eius fuerat. Quiq; tot ornamentis vrbem & Italiam decorarit. Tandem Pontifex hoc genus argumentis effecit, vt Romani cum lachrymis obtestati sint Pontificem, vt conueniret Neapolis Narsetem, & eum illis placaret, deprecaretur culpam, se obsecuturos Narseti consiliis & authoritati. Pontifex proficiscitur Neapolim, agit longa oratione Romanorum causam, apud Narsetem impetrat quæ cupit, adducit eum secum Romam. Romani suppliciter orant eum vt ignoscat, condonétque culpam, persuadentque illi vt Alboino nunciet, vt cum Germanis suis in Pannonia maneat, in Italia iam non esse quod agat. Sed Alboinus iam comparatis copiis accinctus erat ad iter in Italiam, nec potuit retineri. Compositis igitur in Pannonia rebus, & qui præessent illis regionibus constitutis, Italiam petit cum magna multitudine. Habuit vero præcipue Sueuos multos & Saxones, quos etiam iussit liberos & vxores consequi, vt expulsis Italis, nouum populum nouus rex in nouo regno haberet. Venit igitur cum innumerabili multitudine armatorum, mulierum, liberorum & pecudum primum in Venetorum agrum, quorum omnia, præter Venetias vrbem, capit. Posthæc Insubriam & Mediolanum capit, & sic deinceps omnia diripit, agros suis diuidit, quotidie sine intermissione ex Germania plures sequebantur, quibus omnibus possessiones dabantur. Multæ vrbes claues offerebant per sacerdotes & mulieres gratiam petentes. Longinus Cæsaris legatus missus contra Narsetem Rauennæ se continuit, & vrbes quasdam præsidiis munit. Nec quiescebant ij Germani, qui a Narsete vocati in Italiam, sibi optimas sedes delegerant: proximos enim incursionibus vexabant. Atque ita Germani diuersarum partium tenebant Italiam.

Alboinus iam contentus iis regionibus quas ceperat, quiescere in ocio cupiens, ludis & spectaculis intentus est Veronæ, quam regni sui primam sedem voluit esse. Volens igitur laborum suorum aliquando fructum percipere, indulget genio, comessationibus vacans. In quopiam igitur conuiuio Alboinus liberalius potus, coëgit suam vxorem Rosimundam bibere ex sui patris cranio, quod ornatum erat auro. (Nam Alboinus socerum suum occiderat quibusdam ex causis) Rosimunda vxor antea parum æqua marito propter patris mortem, fit longe inimiciore animo in eum postquam coacta est bibere ex nefando poculo. Quare exasperata mulier cogitat quo modo interfici possit Alboinus, inuenit viam, premit propositum, occiditur Alboinus per iuuenem cum quo Rosimunda adulterium commiserat. Germani funus procurant, adulterum quem voluit adultera regem, recusant. Ipsa cum magna vi pecuniarum confugit ad hostem Longinum, cui cum propter formam & pecuniam placuisset, complexus est eam, reginamque futuram, sed si sustulisset veneno iuuenem quo cum consueuerat rem habere, cuiusque opera interfecerat maritum suum Alboinum. Mulier ad quoduis facinus audax, consentit Longino; & cum egrederetur iuuenis ex balneo, & ex consuetudine peteret poculum, exhibuit venenum in potu, bibit, rapitur statim per calefactum corpus balneo veneni vis, sentitque mox mortem bibisse. Accipit extemplo quod reliquũ erat in calice (nam non ebiberat totum) & per vim infundit scorto Rosimundæ. Sicque iusto iudicio diuino ambo periere. Perueniuntque ad Longinum hostis sui regij thesauri, sine eius studio & cura. Germani Italiæ optimas partes occupant, faciuntq; inter se leges & statuta, quibus pace & bello viuant. Temporibus quibus supra dicta sunt gesta, occuparunt Sueui vtramque Rheni ripam, paulatimque semper latius in Gallias extenderunt manus, vt non obscure videre potuerint quid tandem ausuri essent. Quare mature venienti malo occurrẽdum Franci censuerunt. Copiis igitur coactis, bellum Sueuis inferunt. Sueui non assueti cedere hosti, opponunt

ponunt se Francis, aliquoties congressi victi sunt Sueui; cessere igitur tandem, ripásque Rheni Francis possidendas concesserunt. Quantum negotij fecerint Germani Exarchis in Italia, refertæ sunt omnes historiæ. Igitur diutius mihi hic immorandum non censeo. Erat etiam illis temporibus acris quædam contentio inter Francos in Gallia & Hispanos, in negotio religionis, dierum obseruationibus, præcipue de paschatis die, quem diem celebrabant Franci decimoquarto Calend. Maij; Hispani vero festum paschatos agebant duodecimo Calend. Aprilis. Quam litem iudicarunt Romani Pontifices. Tiberius Imperator post confectum bellum Persicum, ducit copias in Lombardiam contra Germanos illic degentes: sed quicquid gloriæ & nominis sibi in bello Persico pepererat, hoc omne hic amittit. Fugatus est a Lombardis non semel tantum turpissime. Clephis rex ab illis Germanoitalis electus post Alboinum, occupauit omnes fere in Italia vrbes, agros pro arbitrio diuisit. Gallos & Italos seruos fecit, Germanos agrorum dominos. Omnibus igitur in potestatem redactis, obsidione Romam cingit. cumque esset deditioni proxima, peteretque Roma iam conditiones deditionis, ecce a quodam quo familiariter vsus fuerat, Clephis interficiter. Conturbato igitur morte regis exercitu, respirare Romæ datum est. Mortuo hoc rege, magna inter populum hunc fuit contentio de magistratu eligendo, aliis volentibus regem, aliis aliud genus cupientibus magistratus. Nam hic rex vltimus Clephis in subiectos iuxta ac rebelles, in socios & hostes fuit durus & crudelis. Quare triginta elegerunt viros, quibus rerum gubernationem commiserunt: qui prospere egerunt, & propter vnanimitatem terrori fuerunt omnibus gentibus. Clotharius rex Francorum ex Germanis originem ducens, intelligens Germanos in Italia fortiores, quam vt quisquam contra Italiam cogitare debeat quicquam, ipse vero videns alioqui Italiam diuturnis bellis debilitatam, vt sibi eam subiicere facile posset, si Germani eam relinquerent. quare frequentibus legationibus, missis donis quibus corrumperet præfectos, conatur efficere vt Italiam deserant, diuitesque & onusti auro domum redeant: quod ipsis laudi & maximæ rei futurum sit. Sed illi nullis apte cohærentibus verbis mouentur, potius quæ in Italia pacata non sunt componunt, quæ non in manibus habent, capiunt. Campaniam horreum Italiæ excolunt. Quod videns rex Clotharius, magis muneribus aureisve telis pugnare conatur; tandem flectit animos eorum. *Auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora ?* Sed non omnes ibant. erant enim qui consilium regis Galliæ intelligebant, quare magis irascebantur regi qui pecunia regnum Rempublicámve Germanorum in Italia ita disturbasset. Ergo ij cum Lombardis & Italis inuadunt reges Gallię vicinia, capiunt munitissima quædam loca breui tempore; præter alias vrbes, expugnant Taurinum validum naturaque loci munitum oppidum, diripiunt multa eius loci loca, & multitudinem hominum infinitam trucidant, cum magna & preciosa præda reuersi sunt in Italiam. Itemque Saxones & alij Germani profecti sunt in Italiam, & sedes quæsiuerunt feliciores quam in Germania habuerunt. Cum quibus Clotharius Galliæ rex pacem facit, promittitque illis rex, si vellent in patriam, se effecturum, vt Saxones per Sueuos qui Saxoniam tenebant, libere domi habitare possent. Saxones igitur magno numero mulierum & liberorum & pecorum domum eunt: sed Sueui nullis neque precibus, neque minis moueri poterant, vt cederent Saxonibus, aut illis locum in patrio suo solo darent. Vt semel dicam, res deuenit ad arma, partes nullis æquis conditionibus conuenire poterant. Concurrunt vtrinq;, acies instruitur, manus conserunt, Sueui post longam pugnam victores euadunt, obtinent agrum Saxonicum, Saxones expellunt. Hinc adhuc hodie Sueuorum linguæ & morum vestigia sunt non obscura in Saxonia.

DE GERMANIS
LIBER SEXTVS.

583 TIBERII gener Mauricius imperium Romanum vel potius Constantinopolitanũ assecutus, anno 583: quo tempore Longobardos & illos Saxones qui erant in Italia Sueuorum victoria contra Saxones pessime habuit. Quod vidēs Dotrula vnus ex triginta illis summis loco regis magistratibus, natione Sueuus (neque enim obscura odij in se signa dederunt) timens igitur peiora, desciuit a suis, iunxit se Exarcho qui agebat Rauennæ. Cuius defectio totum eorũ regimentum perturbauit; nam ille Sueuus optime nouit qua parte hæc regnādi ratio infirmior conuelli posset. Quamobrē aliam administrandi regnum suum rationem ineundam iudicarunt. elegerunt igitur Antharim filiũ Clephis regis, cum decem iam annis sine rege per triginta illos nō male administrassent Rempublicā, pacis & belli tempore. Antharis ergo armis adoritur Dotrulam, qui per paucitatem suorũ resistere non diu potuit, breueq; fuit illud bellũ. Dotrula vincitur; sed effugit manus hostis. Aliquandiu inducias Lōgobardi fecerunt cum Exarcho: sed finitis induciis, bella magna & cruenta exorta sunt inter Germanos & Cæsarianos, qui & ipsi vsi sunt perpetuo Germanis militibus. In his tumultib. bellorũ veneno extinguitur Antharis: a cuius morte vehementer controuersum est inter Italogermanos de rege. cōuenit tandem, vt esset rex cui demortui regis Antharis vxor Teudelina esset nuptura. Nupsit autem Agilulpho, fecitq; eum regem nuptiis suis: qui seuerus vir fuit, inobedientibusq; durus; magnaque animo proponens. Quod Mauricius Imperator videns, occurrere conatur. Nouo igitur Exarcho, Romano nomine, facto, cui magnam vim pecuniæ, & exercitũ infinitæ multitudinis dedit, quo eiiceret Germanos & Lombardos ex Italia. Quam prouinciam Romanus hic nouiter susceptt, capiens primo impetu multas vrbes quas tenebāt Germani. Tandem tamē corruptus, a quo vel qua re incertum mihi est, Cæsaris exercitũ prodidit; receperuntq; Germani omnes amissas vrbes. Infelix prorsus fuit his temporibus status rerũ in Italia. Nam Cæsariani maiori oneri erant suis, quā hostes. quare quotidie desciuerant occasione qualibet oblata, ad hostes. Huius Mauricij Constantinopolitani Imperatoris ætate graues fuerunt dissensiones inter Gregorium 1 Rom. Pont. & patriarcham Constantinopolitanæ ecclesiæ. cumq; mecum expendo vtriusq; animũ & sententiam, video animi humilitate longe propius ad Christũ accedere Gregorium, q̃ hunc patriarchā, qui nescio quid superbe spirabat inflatus inanibus titulis. Ætate Mauricij ingentibus malis obruta fuit Italia. Id quod queritur sępe Gregorius, qui inciderat in illa infelicia tempora. Hic Lombardi inter sese intestina exercebāt odia; neq; enim omnes ij triginta principes agnoscebant regem Agilulphum; præter enim expectationem quorundam illi Regina nupserat. Illic rapinis & latrocinio implebant omnia Exarchi, qui quoq; vno tempore plures fuerunt. Atque ita *quicquid delirant reges plectuntur Achiui.* His causis repleta erat Italia cædibus, incendiis, rapinis; quas pestes indiuiduus comes, sequitur fames, quæ Italiam vehementer afflixit istis temporibus. Gregorius Pont. plus sperans æquitatis & pietatis in Agilulpho, quam Mauricio homine auaritia perditissimo, temporum statum apud Agilulphum deplorat, adhortaturq;, vt humanarum diuinarumq; rerum rationem habeat, vt decet magistratum qui a Deo est. Mauricius humilioris animi homo pecuniæ inhiat, nihil curans regni fortunas, nullam publicarum rationem habens, priuata tantum curauit. quare & stipēdium militibus debitum non soluit, facultates innocētibus eripuit per vim & calumnias. Cum vero intelligeret Agilulphus alienatam a Cæsare Italiam, Romam, & Pont. ansam sibi oblatam existimauit totam Italiā sibi subiiciendi. Quare delectu habito, hostē lacessere incipit, expugnauitq; aliquot oppida, venitq; ad mœnia Romanę vrbis, obsidetq; Romam totum integrum annum. Mauricius auarior quam vt velit exponere tantum pecunię in milites, vt Romam vrbē liberet obsessam, & laborantem omniũ rerũ penuria. Gregorius Põtifex nec Cæsari nec Agilulpho in vlla re obsequitur, vt sanguinis humani reus fiat. Nam vterq; non sæpe eius autoritate abuti conatus est: professus libere se

operam

operam daturum ne reus fiat mortis vllius hominis. se enim alium profiteri spiritum; seque sperare vas misericordiæ Domini. Mauricius studio pecuniæ insaniens, milites in hyberna mittit ad amicissimos cumque omni subiectione obedientes, quos hoc modo exhaurit. Porro vbi hic Imperator videt de se actum esse in Italia, somnioque de futura sua nece esset admonitus, vt inuidiæ & odio suo satisfaceret, commouet Lombardos & Germanos aduersus Romam, quam angue peius odit. Et quacunque via potuit, nocuit Romanis ciuibus. Ex hoc odio fecit quoque Ioannem episcopum Constantinopolitanum caput omnium episcoporum, etiam Romani. Hac ætate Sigisbertus Francorũ rex in Galliis videns motus varios Italorum, Imperatorisque ignauiam, in spem vocatur rei bene gerendæ in Latio, cum magna manu venit: sed cum magno dedecore repellitur a Germanis. Post quam Sigisberti Regis fugam, vniuersam habuerunt sibi subiectam & audientem Italiam Germani. Circa hæc tempora inceptum est Mahometicum illud regnum nunc longe potentissimum, a paruis exordiis auspicatum, de quo vt pauca dicam, liceat a Germania digredi parumper.

Anno 630, Mahometh vir obscuris parentibus natus, sed, vt re ipsa apparet, dolosus 630.
ingenio, & insignis impostor se pro propheta & rege in Arabia apud Saracenos alióque populos ostentauit. Et creditum est illi incredibiliter. Et quis satis mirari potest, hominem tam humilis loci & abiectum dementare maiorem partem orbis terrarum? Et quanquam in multis superstitionum generibus euidens sit humanæ mentis cæcitas: tamen hic vel euidentissima est hominum cæcitas, quæ hominem animalem & impurum ita colit, veneratur & adorat, vt nulla religio iam latius pateat, plura hominum corda occupet. Sic illudit Satan in cordibus eorum qui pereunt. Tanta est errorum efficacia. Euectus est autem, quod Testamentum vtrunque nouum & vetus interpretatus est carni vt placuit, impiisque militibus adulatus est: qui libenter dulci errore impliciti crediderunt, & probauerunt quod palato sapuit suo, mendaciisque seducti, consolationem in peccatis habuerunt ad tempus: sed male tecta peccata super corda scripta diuino digito inuenerunt sine dubio in fine seductos miseros mortales. Porro crescendi in maius talis incidit occasio huic factioni: Agareni in Arabia erant ad bella & rapinas latrociniáque promptissimi, qui stipendiis Romanis meruerant in bellis quæ diu durauerant, Persicis. Postquam autem stipendia huic perdito hominum generi negata sunt a Romanis ducibus, coniurarunt per seditiones in Romanorum duces; estq; auctus supra modum numerus illorum. In hac seditione euectus est Mahometh. nam elegerunt sibi hunc in regem, qui ingeniosus fuit ad fallendum & circumueniendum quoscunque libuit. Mahometh videns multitudinem secum sentientium, cogitauit astute non posse in officio seruari sine religionis sancta quapiam superstitione. Quare primum omnium studet eos imbuere religionis opinione & zelo, efficitq; vt in illum essent ceu magnum e cœlo demissum prophetam. Igitur videns apud quosdam Christum magnum, apud quosdam maiorem Mosen, vtrisque satisfacit, scripturam pro animi libidine ceu mollem ceram fingens, promittens illis benedictionem bonaque terræ, libertatem, beatam in hoc seculo vitam, aduersus hostes victoriam certam, etiam felicitatem & quietem pacis post hanc vitam: damnans & refellens omnes sectas in religione: omnia carnalia promissa proferens: Spiritus sanctificationem & carnis mortificationem dissimulans. Hæc erant carni grata. Omnes prophetæ qui hominibus student placere, talia docent, vt studia carnis non damnent. Hoc propositum & hos conatus Mahomethis iuuit Sergius monachus, qui veram fidem abnegarat, vel potius nunquam gustarat: qui multas in elementis constitutas ceremonias excogitauit: Vxores maritis plures concessit: Militibus qui occumberent religionem illam defendentes, promisit futuras delicias in cibo & potu, & venere, flumina olei, vini & mellis, lactis, vt rura paradisi sua sponte ferentia omne genus fructuum. Quo autem maior illi haberetur fides, faciebat comitialis morbus, quo sæpe cadebat, spumam ex ore mittens. Prædicabat autem sic se a spiritu prophetico corripi, qui eum doceret. Nec enim splendorem angeli & vocem Dei incommotum se posse audire. Quoties igitur redibat ad se, recolligens se ex morbo, conuocauit populum, exponens illis voluntatem & mandata Domini. Prædicabat autem quicquid ad populum in obedientia conseruandum facere putauit. Hoc sane prudenter fecit: sic enim sæpe factitatum est

a magnis viris. Sic simulauit Romulus colloquium & commertium deorũ. Nec enim possibile est regere homines nulla religione imbutos. His artibus creuit in admirãdam magnitudinem. Primum Arabiam ceperunt, mox magnam partem Syriæ. In Damasco posuit sedem suam Mahometh. non longo post tempore totam subegerunt Ægyptum. Post expugnatam Ægyptum, deuicerunt Persas. Imperatores Romanos sæpe eo tempore superarunt: sunt & ipsi sæpe itidem superati. Antiochiam expugnatam miserabiliter diripuit. Sunt qui tradũt etiam illo tempore Hierusalem ab illis obsessam post annum expugnatam: nihil ausim hic affirmare. Hoc negari non potest, multas ab eo prouincias breui Romanis ereptas. Simulachra gentium, & idolorum cultum vbique deiecit, imperans vnum deum adorari & coli. Quo edicto multorum conciliauit sibi animos. Sed non vero cultu passus est coli Deum cœli & terræ, qui quia magnus cum sit, prudenter est colendus. Mosem & Ioannem magnos prophetas iudicauit; ijs maiorem Christum, vt quem Deus ex virgine sine semine virili nasci voluerit ad seruiendum gloriæ diuinæ: sed se secundum post Christum fecit prophetam. hocque persuasit ferè toti orbi, vt nulla religio, nullumque regnum iam amplius potentiusque sit. Sed Dominus cum illius sapientiæ visum fuerit, finiet hanc bestiam: cum enim tempus ad-
870. erit, euanescet, sicut stipula rapitur a vento vehementi. Anno 870, iterarunt Saraceni bella cum Persis; neque enim res Persicæ vnquam omnino fractæ fuerunt. Persæ Turcas vocarunt in auxilia, qui habitabant iuxta montem Caucasum, vocabanturque Tartari. Persę igitur horum auxilijs vicerunt hostem. Posteris autem temporibus nunquam Turcæ reliquerunt Asiam, sicut consueuit fieri cum aliena gens inuitatur. Turcæ illi erant militares & equestres viri, nescientes alium quæstum, quàm bella & rapinas. Itaq; sunt facti domini in Asia, Saracenos sub iugum domuerunt; sed rursum Saraceni religione sua Mahomethis Turcas deuicerunt. sicq; factum est, vt nemo facile pronunciarit, vtrum Turcæ Saracenis, an Saraceni Turcis magis imperarint. Coaluerunt igitur hi in vnum populum (tanta est vis superstitionis) creuitq; imperium illorum paulatim vsq; ad Othomannum, qui vixit anno millesimo trigentesimo. Hic Imperator Turcarum magna gessit, dilatauitq; fines regni sui supra fidem. Numerant adhuc hodie ab hoc Turcæ suam originem. Hæc Turcarum potestas Romanum imperium labefecit etiam totum in oriente: Nam, vt dictum est, in occidente iam olim perierat: Turcæ occupant omnia in oriente Ægyptum, Syriam, Asiam, Africam, Thraciam, Græciam, &c. Sed nimium longe fortasse digressi, redeamus in Germaniam. sed nobis in itinere obuiam veniunt in Italia Germani, quorum conatus & facta sunt paucis ostendenda. Luitprandus igitur rex Germanorum qui inhabitabant Italiam, multa sub iugum in Italia mittit, præcipuas vrbes expugnat. Iamq; ab eo obsessa Roma magnopere laborabat. Pontifex opem quærit non apud Leonem Imperat. Romanum, a quo peti primum decebat; sed apud Carolum Martellum, Francum, Francorum in Gallia regem. Id fecit pontifex odio Cæsaris, nec non quod parum posse Cæsarem intelligebat. Carolus igitur rex Franciæ cum Germanis veniens, multum valuit apud Luitprandum autoritate; & etiam pecunia autoritatem suam auxit. Effecit igitur vt rex Luitprandus soluta obsidione, discederet; pontificiq; Romano reddidit multa oppida, inter quæ fuerunt Narnia & Ancona in agro Piceno, & quæcunque Lombardi in Hetruria triginta iam annos possederant. simul omnes captos reddidit sine precio: fecitque pacem cum Romanis decem annos. Hoc quoque tempore inuaserunt Turcæ Thraciam, & Armirathus summus eorum belli dux cum maxima classe adpulit Constantinopolim, quam mari & terra circumdat, & ab omnibus partibus oppugnat perpetuo triẽnio. Sed temeraria pertinacia Turcarũ infinitos perdit: periere enim innumeri peste, fame, & frigore, & gladio. Classem penè totã oppidani igne absumpserant. Nam discedere coactis Turcis, vix quinque triremes supererant ex tribus milibus quas secum adduxerant. Post diuturnam illam obsidionem quam ciuitas hæc passa fuit, venit pestis quæ vix tertiam hominum partem superstites in Vrbe reliquit. Leoni 3 studium & cura vnica erat, qua via possit pontificis Romani odium in se vlcisci, qui regem Galliæ vocarat Romam, seque eius fidei cõmiserat. Quare quum primum per Turcas & pestilentiã fieri potuit, misit cum copijs & necessario apparatu Romam Marinum, cuius fidem & industriam in militaribus negocijs spectatam habebat, vt

captum

captum Papam ad se adduceret, si posset; si non, vt occideret: si nec id posset, vt e Roma eiiceret. Sed aliter visum est Domino: in itinere enim tetigit manus Domini hunc legatum. Post hunc cum eisdem mandatis est missus Romam Paulus Exarchus. Sed Papa admonitus, hospites hos excepit, sicut meruerant. qui enim captum veniebant, eos capit; multiq; ex his occisi sunt. Exarchus tamen euasit Rauennam. Quanquam Turcę non cessarent iniuriis non ferendis afficere Christianos, & barbari Italiam graui iugo premerent: tamen Leo Imperator nihil aliud cogitauit dies & noctes, quam de supplicio sumendo de Papa. nullis impensis parcit. mittit milites & pecuniam Exarcho Rauennam, vt Pōtificem in carcerem ducat, aut occidat, aut quoquo modo de gradu deiiciat, alium in locum substituat. Papa Germanos in auxilium vocat, qui præsentes auxilium ferentes, Exarcho in itinere obuij eripiunt pecuniam magnam, & capiunt multos ex eius familiaribus. Epistolæ Gregorij ad Bonifacium monachum euangelium in Germania prædicantem, abunde testantur hoc primū tempore Germaniam ad religionem Christi conuersam. Quanquam enim quidā in Germania Christum professi sint antea: tamen cultus dæmoniorū adhuc vulgo in vsu fuit, præcipue vero ad Rheni ripas Treueris, Coloniæ, Moguntiæ, &c. In hanc enim sentētiam scribit Pontifex ad Germanos; Propterea ad vos nostrum sanctum fratrē Bonifacium misimus, vt vos baptizet, & in Christiana fide erudiat. Adhortatur etiam idem Pontifex Saxones, vt Bonifacium audiant, & doctrinæ eius obediant. Idcirco scribit quoq; Gregorius 3 Bonifacio illi Germanorum apostolo, vt omnem idololatriam abroget. Et in eadem epistola adhortatur eum, vt doceat Germanos, ne ita fugiant pestilentiam atq; si manus Dei ab homine effugi possit. Scribit etiam Gregorius 3 ad episcopos Sueuiæ & Bauariæ, vt excipiant digne hunc Bonifacium, & doctrinæ eius obsequantur, & omnes ritus gentiles abiiciant: Laudatq; Pontifex hūc apostolum, quod verbum eius tam efficax in Domino fuerit, vt conuersi sint eius prædicatione supra centum millia hominum (hanc conuersionem quidam ascribunt Carolo regi in Gallia Francorum) peruenitque vsque in Pannoniam sua prædicatione, & constituit vbiq; diaconos & episcopos: celebrauitq; aliquot concilia, quorum vnum Augustæ fuit: in quibus multas ordinationes quibus vteretur ecclesia, instituit. pręcipue vero ad orationes frequentes & ieiunia & eleemosynas adhortatus populum scribitur. Et inprimis laudauit hospitalitatem. Feruntuŕque multi inuenti sancti viri, qui relictis quæ mundi sunt, vacarint contemplationibus & orationibus, mortui mundo, consolationem in spiritu & contemplationibus habētes. Certe quales fuerint maiores nostri, declarant ecclesiarum & monasteriorum ędificia & facultates. Quales fratres olim in monasteriis fuerint, demonstrant bibliothecæ: declarant quoque eorum institutiones: quas si posteri aliqui eorum non ita præuaricati fuissent, nunquam Dominus eos passus fuisset peruenire in tantum contemptum. Dominus dirigat nos in vias rectas.

Carolus Martellus, Caroli Magni auus, princeps Francorū in Galliis, sæpius triumphauit vicitq; hostes quam credi possit. Præter alias vero expeditiones quas obiuit maximas, ex Galliis Rhenum transgressus est copiis non minus instructis, quā numerosis. subiecitq; sue ditioni Sueuos, Saxones, Bauaros, breuiter totam Germaniam: obliterauitq; quicquid reliqui erat de Romano imperio in Germania. imperauitque ita, vt populus Germanus, alioqui ad libertatem aspirans, obedireque nescięns, volens imperio eius obsecutus sit. Eius temporibus Turcæ qui iam olim quædam Hispaniæ loca occuparunt, latius propagare regnum semper tentabant. Cuius morbi principiis obstandum prudentissimus rex existimauit. Comparatis igitur omnibus ad graue bellum & diuturnum necessariis, proficiscitur in Hispanias. Quo vbi venit, reperit hostes in vallo, & munitionibus manu factis & natura munitis, cum omni commeatus copia. Carolus etsi dimicare in votis habebat: tamen veritus munitiones aggredi, præsertim tanta multitudine propugnatorum repletas. Ex aduerso igitur munire iubet ex tempore castra vallo pedum 15, fossamq; iubet fieri duplicem; turres erigi imperat altiores turribus hostium, quo tela longius in hostem mitterentur. Hoc opus cum absolutum fuit, frumentatum longius mittit suos; sed multos simul. nā castra eiusmodi erant, vt a paucis defendi potuerint facile. Interim multos per dies procurrentibus vtrinq; Turcis & Francis siue Germanis contendebatur, aliquanto longius alteri alteros insequebantur

vsque ad castra. Item papulatores alij alijs non mediocre detrimẽtum afferebant. Cum per multos sic inutiliter tererentur dies, & animaduerteret Carolus hostem commeatu longé abundantiore vti, possęque diu obsidionem ferre, & sic propterea muniuisse castra. nec locum eum claudi posse nisi maiore exercitu, mittit domum in Gallias & Germaniam, vt nouæ conscriptæ copiæ maximis itineribus ad se venirent. Ipse interea lacessit hostem, quibus potest modis prouocat, hostes quotidie maiore numero erumpunt ex castris, Francos submouent longius, stationes semper equitum dispositas habentes, qui suis laborantibus subueniant. Cognitis stationibus Turcarum equitum solitis, Carolus in arbustis insidias disponit, eodemque sequenti die equites mittit, qui inducant Turcas in insidias: circumuentosq; per dispositas insidias omnes aut occidunt, aut captos in castra perducunt. Irritati hostes sunt hac clade suorum: nam nec pauci & ex prima nobilitate perierant, & capti sunt multi. Ex his captis omnia hostium consilia extorquet Carolus; quibus percognitis, sua consilia aliter atque primum inceperat, instituit. animaduertit hostes quidem diligentius stationes equitum disponere, sed auidiores etiam nostros & immoderatius insequi. Quamobrem quotidie prelia committuntur leuiora in conspectu Turcarum & christianorum. Cum vero Turcę cognouissent alias nouas copias venire, præuiderant obsessionem, quam in animo Carolus habebat: ergo nocte dimittunt ætate prouectos & alias infirmiores & impedimenta; mane luce orta armati, instructa acie sequuntur impedimenta & commeatum: quos vltimo agmine insequitur Carolus, nec paucos ita trucidat. Sed hostes iterum se recipiunt ante noctem in collem, vbi castra muniunt. Carolus e regione non paulo humiliore loco castris eligit locum, fossaque circundat ex tempore facta. Hinc rursum leuioribus prœliis congrediuntur. Erat autem ita auctus auxiliaribus copiis nouis ex Germania exercitus Caroli, vt quantumuis ampla castra concludere obsidione potuerit. Quare statuit Carolus suis castris includere Turcarum castra; sed ipsi incõmoda præuidentes quæ certa hinc erant futura, potius copiam pugnandi facere statuunt, quam expectare certam captiuitatem. Educunt igitur in latissimum campum qui subiectus collibus erat, & alacritatem animorum cupientium pugnam præbuerunt. Carolus suos cohortatus longa oratione, quid hostis animi habeat, quid futurum sit si vinceret, quanquam hoc non timendum: certam enim victoriam se habere, hostem simulare illam animorum lætitiam, quam potissimum equites ostentabant. Iamdiu de fuga cogitare, inuitum e castris exiuisse: sed peiora certumq; exitium timuisse. quare Deum illos in manus suas dedisse. In virtute illorum totius orbis qui Christum confiteantur fortunas positas. Explicans quantum sit in hoc prælio situm. Videns autem ex vultu, exercitus animos erectos, & ad pugnam paratos, aduersus hostem exercitum ducit, habens solis & ventorum rationem. Primum igitur equestre prælium commissum est; qui nullo modo nostros sustinere valentes, fugiunt, paucique incolumes euaserunt. Hęcq; fuga facta in vtriusque exercitus conspectu, terruit vehemẽter Turcarum peditatum, e contra alios animauit. Concurritur igitur, pugnatur: sed Turcæ in fugam primo impetu post vnam atque alteram horam vertuntur, sed vsque ad sequentis diei vesperam cæduntur. Scribitur in historiis eo prælio supra trecenta millia Turcarum occisos. Ex copiis Caroli desiderati sunt circiter duo millia tantum. Hoc bello liberauit Hispanias a Turcis. Potuissetque si libuisset, sibi asserere Hispaniam vniuersam, tanta erat iam nominis eius vis, tantus omnium erga eum amor & fauor. Confecto ex animi voto bello hoc, redit in Gallias, ibi Hedui & Sequani nescio quid noui moliti erant; sed eos leui opera compescuit. Omnibus in Galliis pacatis rebus, in Phrisios ducit copias, quos adhuc idololatras ad Christianam professionem cogit, sed cruentis prœliis. deiecit tem-
725 pla gentilia, in quibus erant simulachra dæmonum. Hoc est factum anno 725.

Post hoc tempus, iterum viribus collectis, Saraceni siue Turcæ petunt magna, vt semper consueuerunt, multitudine Hispanias, hostiliterque omnia, crudeliter omnia obuia trucidantes. Coniunxerunt autem etiam se illis Gothi, qui multis annis habitarant in Hispaniis. Has ob causas Carolus quam maxima manu in Galliis & Germania coacta, quam potest celerrimè occurrit. Nam cogitabant de tota Europa Turcæ capienda ea expeditione. Et nisi Dominus per illum Carolum prohibuisset, actum erat: adeo reliqua omnia erant propter dissensiones & in minutas partes, quæ iungi non po-

terant, diuisiones infirmata. In Romanis Imperatoribus qui non tam re, quam nomine Imperatores nominabantur ex veteri consuetudine, nulla erat spes, nullum robur. Vt vno verbo expediam illam expeditionem Caroli, hosti quam primum occurrit, ne longius grassans, omniaque vastans, vires acquirat procedendo, & tot mortales occidantur, & capti abducantur. inuenit hostem paratum dimicare, fidentē infinita multitudine, adoritur, vincit, maiore exercitus Turcici parte occisa, reliquos fugat ita, vt nullus consistere ausus fuerit, donec venerit ad naues, cum quibus se crediderunt mari. In his necessario susceptis bellis, omnium fructuum decimas in stipendia militum & equitum contulit, consentientibus sacerdotibus. Hic vir natione Germanus, nulli neque Græcorum, neque Romanorum, siue felicitatem & dexteritatem in rebus agendis, siue gestorum magnitudinem respicias, cedit. Moritur autem anno 35 regni sui. Reliquit tres filios Carolomannum, Pipinum, & Griphonem. Carolomanno & Pipino testamento dedit quæ armorum bellive iure assecutus fuerat. Mater grauiter tulit, quod pater testamento præterierat Griphonem. illum igitur incitat & impellit ad petendam æquam hæreditatis paternæ partem. Petit instinctu matris æquam partem, illi negant. Ius suum armis persequi conatur: sed duo fratres coniuncti, fortiores vincunt, in custodiam Griphonem coniiciunt. deinde partiuntur ditiones inter se. Carolomanno obuenit Germania, nempe Saxonia, Sueuia, & reliquæ in Germania partes, & Galliæ pars quædam. Pipinus pro sua parte accipit Gallias & Phrisiam. Pipinus fratrem suum Griphonem ex custodia liberum dimittit, habetque eum non vulgari inter suos loco. Erat autem solum ex patre frater; genitusq; fuit Carolo ex concubina: Pipinus vero & Carolomannus nati sunt ex legitima. Liberatus ergo Gripho, quoque surgere cupiens, non contentus vita libera & nulla re egente, iungit sibi temerariam militum turbam, & inuadit primum hostiliter Bauariam, & Tassilonem, Bauariæ principem, ad deditionem compulit, atque ducatum occupat. Pipinus iniquo ferens animo fratris sui iniurias, quas intulerat Tassiloni confœderato suo: æterna enim inter Pipinum & Tassilonem pax erat confirmata. Quamobrem victo fratre, & iterum capto, restituit principem Tassilonem. Iterumque libertate donauit fratrem suum Pipinus, deditque illi honestas & principe dignas possessiones: sed mala hominis mens nata ad seditiones, confugit ad Aquitaniæ principem, aliam ibi quærens copiam. Illic est hic Gripho interfectus. Henricus Cornelius Agrippa scriptum reliquit, esse ex consilio & iussu Pipini interfectum. Atque hoc modo regnum Galliæ ad Pipinum peruenit: cuius pater Carolus Martellus, de quo ante diximus, sed de quo nemo satis dicere potest, effecit quicquid vnquā conatus est: vel hoc solo excelluit omnes qui ante eum fuerunt, quod Germaniam subegit sibi; quod nec Iulius, nec ante eum Augustus, nec alius quisquam vnquam potuit. Massiliam semper inuictam vrbem cepit; toties Turcas superauit, quoties cum illis pugnauit. effectumque est his rebus, vt re Galliæ rex fuerit: omnes enim omnium oculi in eum solum coniecti fuerunt. Childerichus nomine rex fuit, mulierosus, mollis, & ventri deditus, nullius frugi homo, administrauit omnia regni negocia per consiliarios, omnisque res agebatur ex consilio aliorum principum virorum; in quorum numero primus fuit primo Carolus Martellus, postque mortem eius Pipinus. Cum igitur Childerichus contemneretur ab omnibus, essetque summo loco inter suos Pipinus, Pipinum multi stimulauerūt, vt ipse regnum assumeret, super ea scribunt Romam ad Pontificem Zachariam, accusantes Childerichum mollitiei. Pontifex intelligens animum Pipini, esseq; e re sua talem habere sibi obstrictum; contraq; hostes ecclesiæ videns egregium se nactum defensorem. igitur approbat consilia Pipini aduersus Childerichum inutilē ecclesiæ regem. Suffragio Pontificis Romani accedente, eligitur Pipinus in regem Galliæ. Childerichus reliquū vitæ priuatus in monasterio transegit. Hoc Romanus Pontifex non absque magno iudicio fecit; nam illos postea habuit deditissimos ecclesiæ, & si antea dediti fuerint Romanis Pontificibus. Pontifex autoritate ecclesiastica sua iusiurādum remisit illis qui Childericho obnoxij erant, & inclinarunt se ad partes Pipini. Bonifacius qui religionem Christianam apud Germanos prędicauit, missus à Pontifice Romano, vnxit Pipinum, & coronauit in regem: vestiuit ergo Childerichum habitu monachi; apud quē religiosa quædam opinio tantum valuit, vt cum quiete cum monachis vixerit, non reputans iniurias

& contemptum. Hoc tempore Papa Zacharias effecit etiam vt Rachis Longobardorum rex relicto bello, cum vxore ſua & filiis viſitaret Romanas reliquias ſanctorum; deſertaque vxore cum filiis vitam monaſticam ingreſſus ſit. Huic frater Aiſtulphus in regno ſucceſſit: qui rex factus, ſtatim inuadit Italiam. Reducitur cum copiis domum, pecunia data a Pontifice Stephano, fœdus ineunt quadraginta annos: ſed quatuor tantum menſes ſeruauit fœdus. Poſt quatuor enim menſes contra fœdus Rauennam obſidens expugnauit, & ſub ſuam poteſtatem redegit. Pontifex ſcribit Conſtantino vetus nominis, qui habitabat Conſtantinopoli; ſignificatque illi per literas & legatos, niſi ſubueniat Italiæ, ſtatim actum eſſe, niſique veniat quam primum cum valida manu, alia auxilia inuocanda illi fore. Aiſtulphus nunciat Papæ, niſi dedant ſe Romani cum Vrbe, omnes perituros gladio, & hoc iureiurando confirmat. Papa concione habita præcipit ieiunia omni populo in ſaccis & cineribus. Videns ſpei & auxilij nihil in Cæſare Papa, mittit ad Pipinum Germanum Galliarum regem, petit & obſecrat eccleſiæ in ſummo diſcrimine conſtitutæ ſubueniat, nihil non pollicetur illi & cœleſtium & terreſtrium bonorum. ſeipſum velle ad Pipinum venire promittit Papa. Carolus filius Pipini obuiam Pontifici proficiſcitur vſque ad fines Galliæ, quod iter erat centum miliarium. Pipino vero obuius fit Pontifex tria miliaria ab vrbe Cariſiaco, deſcendit de equo, oſculatur pedes Pontificis, & ducens equum Pontificis capiſtro per pedes vſque in vrbem Cariſiacum. Promittit obſecranti Pontifici nomine ſanctæ eccleſiæ, auxiliares manus, & iuramento interpoſito, pollicetur omnibus ſuis publicis & priuatis facultatibus eccleſiam defenſurum. Quas ob cauſas vnxit Pontifex Pipinum (quanquam ante per monachum Bonifacium quoque in regem vnctus fuerat) & filios vxoremque eius Gertrudam, benedixit illis & poſteris eorum, & excommunicauit omnes quicunque bella aut gererent, aut in poſterum eſſent geſturi. Pipinus titulis & benedictionibus multiplicibus a Pontifice datis, lætus, & ſpe bona plenus, cum numeroſo exercitu hoſtem petiturus procedit. Aiſtulphus anguſtias alpium præſidiis munit, prohibiturus Pipinum ne poſſit tranſire montes: ſed Pipinus ſecum ducebat Germanos duros bello, aſſuetosque aſcendere rupes, &c. Cedere igitur coactus Aiſtulphus, recepit ſe Papiam. Ibi obſeſſum, & ad deſperationem redactum coëgit dare quadraginta obſides, ne vnquam negocium faceret Romano Pontifici ſeu eccleſiæ, & vt omnia ablata eccleſiæ reſtitueret, & damnum quod ab illo acceperat Romana eccleſia, compenſaret. His rebus ex animi ſententia confectis, dedit Pipinus Pontifici equitatum & peditum aliquot millia, qui Pontificem Romam tuto & honorifice deducerent. Porro vbi Pipinus cum ſuis copiis, relicta Italia, domum venit, dimiſitque exercitum, Aiſtulphus nihil eorum quæ promiſerat ſeruat, ſed inexpectatus eximprouiſo aduolat ad mœnia Romæ iam omnia pacata & tuta putantis, ſuburbana ædificia omnia exurit. Maiorem cladem eo bello accipit Roma quam antea vix vnquam. Pontifex iterum ad Pipinum mittit, rei indignitatem & perfidiam indicans & exaggerans. Pipinus feſtinanter venit maiore belli apparatu quam prius. Cæſar moleſtetulit contemptum illum, quod Pontifex alieno auxilio vteretur, mittitque ſtatim exercitum in Italiam, præuenitque Pipinum Cæſaris exercitus. Cum venit Pipinus, petunt ab eo legati nomine Cæſaris, vt reſtituat Cæſari quæ bello acquiſita Pontifici dederat, quorum ius ad Cæſarem pertineat. Reſpondit Pipinus, non ſuo nomine eſſe hæc capta, neque ſibi voluiſſe ſeruare, quod tamen facile potuiſſet; ſe nomine eccleſiæ bella illa geſſiſſe, donaſſe eccleſiæ, nec ſe vnquam mutaturum quod non temere fecerit. Hoc reſponſo accepto, diſcedit Cæſaris Conſtantinopolitana legatio. Pipinus ſecundo cogit Aiſtulphum, vt ſatisfaciat Pontifici, & reſtituat quæ ad Pontificem & eccleſiam ſpectabant, hæcque omnia facere coëgit dum præſens in Italia fuit adhuc Pipinus; dareque coëgit obſides quos voluit Pontifex. Et diſcedens Pipinus aliquandiu moratus eſt in montibus, expectans an perfidus rex rurſum res nouas moliri vellet. Sed Aiſtulphus mortuus eſt in venatione morte ſubitanea. Quæ morbi mortisve cauſa fuerit, incertum eſt. In cuius locum eligunt Deſiderium, qui rex factus, a Pontificis partibus ſemper ſtetit. Poſt hæc tempora cum exercitu proficiſcitur Pipinus in Saxones, quos prælio victos, ſed cruento prælio, etiam Pipini exercitu vehementer afflicto, melioreque eius parte cæſa, victos tamen, inquam, fecit ſibi tributarios, coëgitq;

gitque vt iurarent se facturos quicquid oneris imponeret. Præter alia exegit quotannis trecẽtos equos, quorum quilibet armatum equitem ferre posset. In Aquitania octo annis perpetuis bellum gessit Pipinus, antequam subiici potuerint, iugumque ferre voluerint. Scribũt historiarum autores, septies graui bello petitos a Pipino, vltimo regem eorum occisum, & subiectos Pipino. Post hos sub manum suam redactos, breui moritur Pipinus Lutetiæ. Post huius mortem multa multi fabulantur euenisse & apparuisse in aëre, & terra, & aquis. Ego quia nugas iudico, nihil horum scribo. Anno 850, Edenulphus originem ex Saxonia ducens, rex Angliæ, quam maiore parte Saxones tenebant, collegit decimas omnium fructuum terræ & pecoris, tulitque eas Romam, obtulitque Pontifici Romano Leoni 1111: vouitque in toto regno suo ex singulis domibus duos argenteos quotannis Romam se missurum. Quod hactenus ad nostram vsque ætatem factitatum est in Anglia. Anno 851, erat inaudita omnibus retro seculis in Germania fames; hominesque in ædibus, & rure & viis mortui fame reperiebantur. 850 851

DE GERMANIS
LIBER SEPTIMVS.

PAulo pluribus arbitror dicendum, quod omnium rerum longe maximum est, qua ratione quandoque Christi religio in Germania cœperit, quibusve initiis creuerit. Anno igitur 720, vix decimus quisque Germanorum hominum Christi ferebat nomen. Quidam de Christo quædam audierant; quare simul cum idolis colebant Christum, nihil de eo recte sentientes. Nec ego vsquam inuenio de vllo apostolo qui Germanis prædicarit, ante hunc Bonifacium, qui a Pontifice Romano, vt antea quoque dictum est, missus fuit in Germaniam. Ante eum fama & rumore incerto auditum de Christo dubium non est. Porro quo pacto religio & mores in Germania habuerint ante annum septuagesimum quintum, satis arguunt epistolæ Bonifacij apostoli per Pontifices Romanos in Germaniam missi: quas epistolas e Germania ad quatuor dedit Pontifices, nempe Gregorium 11, & 111, ac ad Zachariam, & Stephanum eius nominis 11. Rursum satis epistolæ Pontificum ad Bonifacium prædicatorem indicant, qualis, quod attinet ad religionẽm, status tunc temporis in Germania fuerit. Qui hæc plenius cognoscere studet, euoluat bonæ, meo iudicio, fidei scriptorem Nauclerum. In Bauaria fuit vnus tantũ pastor, cui fuit nomen Vnulo, qui tamen ante Bonifacium non fuit: nam Bonifacius cuius discipulus erat, eum in eum locum constituit. Ita hic primus & solus ecclesiæ præfuit in Germania. Post hunc aliis locis quibusdam alios ordinauit episcopos, Erfurdię vnum, deinde constituit Herbipolitanum antistitem. Quid officij functionisve illis commiserit, facile quiuis coniicit. Et plane serio quæ docebantur Germani, exequebantur, testantur tot pinguia monasteria & collegia spiritualium tum mulierum, tum virorum, qui sine dubio non pessime primum vixerunt. Bonifacius queritur in literis suis ad Romanos Pontifices, quod abusus infiniti in Germania magnopere suæ doctrinæ impedimento sint. Animales, inquit, homines tempora quædam anni habent, quibus insaniunt, crapula se degrauantes & inebriantes, comessationibus totos dies & noctes vacantes, clamantes ferino more, saltantes, & canentes cantiones obscœnas, quæ facile mores corrumpunt bonos. Mulieres se exponunt meretricio quæstu venales. Hoc genus multa queritur valde obstare suæ prædicationi & bonis institutis Christi. 720

Item scribit idem Bonifacius ad Zachariam Pontificem, quod Carolomannus Francorum rex petat ab eo, vt res ecclesiæ in Galliis componat, synodo habita. nam iam tum vulpes subingressæ fuerunt in ecclesiam in Galliis. Ad quæ Bonifacij respondet Pontifex, Omnibus modis occasionem corrigendis ecclesiasticis rebus & personis non negligendam. Et præcipue admonet eum, vt sicubi inueniat sacerdotes presbyterosve ecclesiæ, adulteros, quique plures habeant vxores, non vna contenti, vel

qui milites & latrones sint, quique non animum ad orandũ sedulo & pascendum gregem habeant, qui non precationibus & ieiuniis vacent, hos omnes officio priuet, alios
742 probatos in eorum locum substituat. Anno 742, concilium in Gallia habuit Carolomannus: vir religiosus enim erat hic princeps, & magnæ curæ fuerunt illi res religionis. Huic in Gallia concilio præfuit Bonifacius ille Germanorum apostolus: ad quod munus a Carolomanno rogatus fuerat. Hic Carolomannus post illam synodum relinquens regni gubernationem & curam aliis, ingreditur monasterium, veste monastica indutus a Pontifice. Vt paucis indicem quid decretum sit in eo concilio: Statuerunt vt in Galliis quotannis congregata synodo, res & personæ in ecclesia emendentur. Singulæ ciuitates suum habeant episcopum; super omnes vero archiepiscopus sit Bonifacius, cui omnes obsequi debeant. Sacerdotes adulteri aut scortatores non debeant de ecclesia viuere, neque ministrare ecclesiæ. Cogendos vero & adhortandos ad pœnitẽtiam. Item spiritualem vitam professi, & ecclesiarum presbyteri non armati incedant, sed præ se ferant toto habitu pacem. Neq; militent in bello, nisi quia principibus & magistratibus eliguntur, vt ministrent in sacris. Statuerunt etiam vt rex Gallię semper in familiaribus suis habeat vnum aut alterum episcopum cum diaconis. Item spiritualem vitam professos non debere se immiscere negociis secularibus, Ludis & venationibus vacare nõ debere, sed iugiter semper orare pro populo. Nullus presbyter ad officium ecclesiasticum debeat assumi, nisi prius ab episcopo & synodo cõmuni sit probatus, sitq; doctrinæ & vitæ spectatæ. Cauendum quoq; etiam atq; etiam, ne ritus gentiles, a quibus auelli imperita & rudis plebs non poterat breui tempore, in ecclesiam irrepant. quod plane caueri omnino non potuit. Item quod deprehensus spiritualem vitam professus, in scortatione, debeat in carcerem duci. Si fuerit presbyter, in carcere conseruetur integrum biennium, deinde flagellatus corã ecclesia dimittatur, viuatq; priuatus in labore manuum. Si autẽ clericus fuerit ter in anno debet duriter virgis cædi, postq; annũ dimitti, nec recipi in ministerium ecclesiæ debet nisi pœnitentiæ veræ clara signa specimenq; certum resipiscẽtiæ præbeat. His etiam modis monachos & moniales plectendos. Vestitusq; ab idiotis laicisve diuersus est in hoc concilio constitutus. Quid in hac synodo de matrimonio sacerdotum sit constitutum, inuenies in iis scriptoribus, qui hanc synodum diligentius literis mandarunt. Constitutum est quoque in hoc concilio, vt monachi suas professiones rigide obseruent, nec a regulis quas semel vouerunt, discedant, & belli tempore ieiuniis & orationibus consuetis addant orationes & frequentiora ieiunia. Item statuitur quod debeant pecunia certa statuta multari qui aliquid sacrorum gentilium faciant. Hoc genus multis constitutionibus, quæ videbantur ad bonos mores puramque religionem facere, ordinatis, Caroloman nus dat Bonifacio literas suo sigillo consignatas ad omnes Galliæ & totius Germaniæ principes & magistratus, ad quoscunque venturus sit, vt eum excipiant, tutoque possit suum ministerium in ecclesiastico negocio exequi, defendant sicubi opus sit eum. Illum omnibus rebus quibus opus habeat, iuuent. Post multos exhaustos labores, multasque peregrinationes facit eum Archiepiscopum Moguntinum Zacharias Papa, & Colonienſis ecclesiæ præfecturam adiungit. Nam meritus in omni sua peregrinatione bene est de Romana ecclesia. effecitque vt multi Romam peterent cum oblationibus. Contra hunc apostolum missum a Pontificibus Romanis duo docti viri insurgunt, nomina eorum erant Adelbertus Gallus, & Clemens Scotus, ij hæretici declarantur, quod nominabant hunc Bonifacium adulatorem & mollem martyrem, simul cum vita doctrinam eius incusabant. conferebantque cursum eius & vitæ genus ad apostolorum exempla. quod odiosissimum erat. Bonifacius de his hæreticis Pontifici scribit, accusatque eos grauiter. Pontifex excommunicat eos & omnes qui eis crederent aut audientes essent. Simul prohibet ne publice doceant, aut in ecclesiis vllum locum habeant. Postquam Stephanus II electus ad Pontificatum Romanum est, scribit ad eum Bonifacius Moguntinus episcopus, quid Romanæ ecclesiæ sua prædicatione adiecerit, quid porro in animo habeat quod ad augendam ecclesiam pertineat. precaturque quoque suppliciter, vt eum discipulum sanctitatis suæ agnoscat, & offert se suaque omnia ad sanctitatis eius pedes. subiicitque doctrinam suam & quam traditurus sit, & quam hactenus docuerit, iudicio Pontificis. In eadem epistola petit, vt boni

ni consulat quòd tardius quam voluerit ad eum scripserit: se enim pugnasse cum gentibus quæ fere triginta ecclesias labefecerint. Post aliquot episcopatus sui Moguntini annos, eligit vicarium quendam Lullum in ecclesiam Moguntinam, ipse per Rhenum naui descendit in Phrisiam ad prædicandam religionem Christianam, ibi moritur. sunt autores, inter quos Nauclerus est, qui dicunt ab incredulis occisum: postea vectum in monasterium Fulda, quod ipse suis impensis ædificarat, & rebus necessariis instruxerat. Scribũt vbi funus monasterio appropinquauit, omnes campanas solito melius sonasse, sponteq; sua absq; humana aut alterius animalis aut rei ope pulsasse. quod relinquo iudicandũ aliis an credendũ sit. Multa huiusmodi figmenta & somnia extant quæ etiam faciunt vt vera non credantur. Et in hoc confingit ingeniosus mille artifex Satan. Constantinus v his temporibus peruenit ad imperium Romanum, cui fuit vxor Irene Germana, principis Bauariæ filia. Hęc mulier & Constantinus maritus eius propter imagines lethaliter inuicem oderunt: Constantinus enim imaginum osor omnia simulachra deiecit & fregit; illa aduersatrix viro magnis impensis restituit fractas imagines: quas rursum confractas combussit Imperator. Mulier loco vnius ablatæ reparauit binas imagines. Quod maritus ferre coactus ab vxore superba & fastu turgida, quia habuit secum sentientes omnes Romanæ ecclesiæ principes, & patrocinantes ei. Porro non dissimulandum arbitror alios scriptores aliter hæc habere, qui scribunt Irenen illam fuisse vxorem Leonis IIII; & hunc Constantinum v fuisse eius socerum; Constantinum autem VI eius filium extitisse. Et quod hæc Irene soceri sui Constantini v cadauer e sepulchro eruerit, & exusti cinerem in mare misisse, propterea quod imagines deiecerit & combusserit. & propter eandem causam crudelis mulier eruit oculos filio suo quem ipsa genuerat, & æterno carceri tradidit cæcum; nullam aliam ob causam, quam quod patris aduersus imagines animum gerebat. Postquam hæc patrauit inhumana, superstitiosa mulier, concilium conuocauit Nicenum, in quo fuerunt trecenti triginta episcopi: in quo est definitum, imagines posse tolerari; & literas nescientium libros esse. Postquam accessit huius synodi autoritas mulieris opinioni & voluntati, impleuit omnia Constantinopoli & in tota oriente templa simulachris. Post illa in Romanam ecclesiam officia sua Irene mittit ad Pontif. Rom. legatum suum, qui ageret cum Pontifice, vt Pontifex suam autoritatem interponendo efficeret apud Carolum Magnum Francum, vt eam vxorem duceret. Dotem fore Romanũ Imperium, sicque Carolum fore dominum occidentis & orientis: Pontifex intelligens e re sua Carolum suum mancipium quam potentissimum esse, agit diligentissimum internuncium, nihil omittens quod ad rem perficiendam putauit idoneum. Hoc Irenes consilium & practicam illam resciuit Nicephorus, Constantinopolitanosque commouit, quid hinc futurum sit explicat, oratione negocio & proposito suo conuenienti persuadet, captam Irenen, condemnatam ad æternos carceres in custodiam duci. Sunt qui scribunt in exilium missam: sed captam. Dedit hæc suæ impietatis has pœnas. Alias sperauit nuptias, aliam cæca futurique ignara mens aulam somniauit & expectauit.

His temporibus Huni peregrinus populus veniens ex Asia, magno numero obruit Vngariam & Pannoniam. Sunt qui ab his volunt dictam Vngariam, ante Pannoniam nuncupatam. Hi imminentes Germaniæ, a Germanis sunt repulsi; sed non incolumes: nuncupatam. Hi imminentes Germaniæ, a Germanis sunt repulsi; sed non incolumes: perit enim in vna pugna fere totus exercitus. Quare experti Germanorum virtutem, vertebant vim bellorum suorum in Constantinopolitanum regnum; quotidieq; aliquid in oriente Saraceni sibi subiecerũt quod erat imperij Romani. iam fataliter enim ruebat, deuoluebaturque ad alios. Romani erant in solos Galliarum reges Francos intenti, qui indies crescebant. Tentarunt quidẽ aliquando Constantinopolitani principes suam fortunam aduersus Turcas, sed frigide: animus illis erat in patinis domi. Delicias & præsentem luxum corpori arridentem præferebant gloriæ veræ & virtuti quæ durat. quare factum est vt tributarij cum magna ignominia facti sint Turcis, solamq; Thraciam reliquam habuerint, imo non habuerint, sed in ea Turco seruierint: nam plus fere tributi annui cogebantur Turco dare, quam ipsi acceperint. Et talis erat rerum status vt omnes paulo cordatiores præuiderint & prædixerint, nisi reges Galliæ cum Germanis rebus in extremo periculo consistentibus subueniant, omnia cum ve-

lit,in potestatem Turcæ fore. Sed principibus plerisque & ecclesiasticis & secularibus, quos vocant,fuit gratius ocium in deliciis & pompa aulica, quam vt seruare voluerint
760 tot homines,regna tam eximia. Anno 760,moritur Aistulphus Longobardarũ rex, de quo supra.Regnum igitur inuadit Desiderius princeps Hetruriæ. Tam grauiter tulit Rachisius, Aistulphi frater, regnũ ad alienos peruenire, vt relicta vita monastica (nam in monasterio fuit monachus) coëgitq; exercitum,quem ducit aduersum Desiderium. Porro omnes Longobardæ fauebant & studebant fratri regis sui. Desiderius inuocat Romanum Pontificem, promittit se & sua deuota futura Pontifici Romano, se omnibus suis facultatibus defensurum ecclesiam, non se regem Longobardarum futurum, sed Pontificem Romanum. Hæc omnia iuramento quam potest religiosissimo confirmat. Accusat multis nominibus apostatam monachum (sic enim vocabat) nisi odiret & contemneret religionem non reliquisset,inquit, vitæ genus quod semel instituerat. Præterea fratrem exemplo esse quid debeat ecclesia ab illo expectare. Omniaque quæ vnquã Aistulphus in Romanos Pontifices fecerat,cõmemorãdo exaggerat. Pontifex persuadetur, scribit imperiose Rachisio a proposito desistat, in monasterium se conferat, pœnitentiam agat. si hoc facturus sit, se eum absoluturum; si non, excommunicaturum & persecuturum donec redigat, vt nesciat quo se vertat, & cætera hoc genus plura minatur. moxque appellat Desiderium regem,& vngit eum. Eratq; tanta iam Romani Pontificis autoritas, vt Longobardæ coacti, ne hiscere quidem ausi fuerint contra regem Desiderium. Cum autem Pipinus Caroli Magni pater vita esset defunctus; atque etiam Papa Paulus laboraret morbo, a quo non posse liberari vno ore præsagiebant omnes Romæ medici,quod vbi cognouit Desiderius rex (nam eiusmodi res latere reges non possunt,quibus sunt longissimæ aures & multi oculi) noua ex rei euentu consilia capit, nouas magnasque sumit spes, impiger natura ad res huiusmodi sic gerendas homo, mittit festinanter principem, cui præter alios fidebat plurimum, Romam cum muneribus & militibus,vt donis primum Constantinum suum fratrem Papam conaretur efficere; si dona hoc efficere non valerent, vi & armis extorqueret electionem fratris sui. Sperabat autem per fratrem suum ad pontificatum euectum se fore Imperatorem Romanum,& fratris autoritate & potentia magna gesturum. Consilio & conatui illi euentus respondet, suffragiis quorundam eligitur hic Constantinus, frater Desiderij, & vi armisque in pontificatu per fratris operam detinetur,contra Philippicum,qui etiam electus fuerat, multoque pluribus suffragiis; sed arma eum de sede deiecerunt. Romani vero molestè ferentes vim illam, coniunxerunt ergo se cardinalibus & episcopis, & elegerunt Stephanum eius nominis tertium, & fratrem Desiderij Constantinum cogunt vt pontificatum resignet. Desiderius venit post has turbas Romam, simulat se harum rerum omnium ignarum, electum Pontificem aduersus fratrem suũ familiarissime & blandissime alloquitur, admissus ad oscula pedum gratias agit.irascitur fratri Constantino,quod tantã rem conatus sit contra patres quos regi Spiritu sancto se credere affirmat. iubet de instinctorib. & iis qui illi autores Põtificatũ petendi fuerũt,sumere dignas pœnas.indignissime se ferre simulat, quod rẽ tantã celarit se:sed nõ mirari,neq; enim fratrẽ nesciũ fuisse,quo animo tulisset Desiderius, si de hoc proposito & ista nephãda vi certior factus fuisset. Iurat quoq; Põtifici se patrocinaturũ omnib.suis opibus & virib.sedi apostolicæ: pacemq; æternã cũ ecclesia pollicetur se seruaturũ,aucturumq; ecclesiã quibuscunq; reb.posset:& eã religionẽ sibi cordi esse persuadere conatur,quicunq; Põtificẽ offendat,offendere & ipsum Deum.Hęc omnia ex falso corde procedere sciebãt pontificij,neq; quicquã credebãt illi,qui antea satis rebus ipsis testatus fuerat animũ suum malũ in Pontifices. Desiderius vero intelligens se suspectũ esse perfidiei, nihilq; illi credi in Romana curia, cõtraq; se aliquid parturire põtificios,aperte fit hostis Papæ,declaratq; animũ palam in Põtifices Romanos. quicquid putauit Romano Pontifici nocere,efficit, nulla impensarum ratione habita, tantum odiũ potuit in viro alioqui pecunię studio insaniente. Præter reliqua detrimenta quibus incommodauit Romanæ curiæ,restituit Cæsaris Romæ præfectũ Affiartam in pristinum locum & potestatẽ suam,iussitq; seruos ecclesiæ orationib.vacare. Quos a partibus Pontificis stare cognouit Romanos, necauit, multosque suspectos tantum Pontificis fouere partes,in exilium misit. Episcopis quibusdam exautoratis,qui scilicet

Pon-

Pontificem iuuabant, alios hoſtes Pontificis elegit; quaſdam pontificiæ ſedis vrbes expugnatas pro ſuis poſſidet. Pontifex clam hæc omnia queritur apud Carolum Galliæ regem, in quo omnes ſuas habebat ſpes poſitas. Sed dum hæc per legatos agit in Galliis, mittit ad Deſiderium Abbatem cui in mandatis dedit, vt obteſtetur Deſiderium humiliter, vt a propoſito deſiſtat, vrbes eccleſiæ armis ereptas reſtituat, nempe (ni fallor) Fauentiam, Ferrariam, Comachum, Rauennam, Vrbinum, Eugubium, Senogalliam, Bleram, Oriculum. Hæc petit Papa non quod ſperaret aliquid a Deſiderio, ſed vt negligentiorem eum reddat, perſuadeatque ſibi nullum aliud quæri medium a Pontifice. Deſiderius inflatus ſucceſſibus, ſuperbe & contumelioſe reſpondet legato Abbati. Iubet Pontifici renunciare vt ipſe veniat, ſecumque præſens agat, alioqui ſe Romam venturum hoſpitem non commodum. Papa, hoc nuncio audito, munit præſidiis vrbem, claudit portas, procurat commeatū & omnia quæ ad bellum obſidionemq; ferendam neceſſaria videbantur. Precibus per frequentes legatos inuocat regem Galliarum. Deſiderius vbi certior fit vnde Pontifex ſperet auxilium, & Carolum conſcribere exercitum quem ducat in Italiam, iterum conatur per aſſentationem ſe inſinuare Pōtifici, ſed fruſtra. Et Deſiderij ſtupiditas magna ſine dubio fuit, qui ſperauit ſe fidem aut gratiam apud Pontificios reperturum, qui toties perfidus contra fidem & fœdus & iuſiurandum egerat. Carolus igitur conſcripto magno exercitu Germanorum & Gallorum, pedetentim verſus Italiam ducit copias: ſed mittit prius legatos qui verbis agant cum Deſiderio, vt eccleſiæ reddat poſſeſſiones quas occuparat. Pollicetur amicitiam, alioqui omnibus viribus pontificiam ſedem defenſurum minatur. Vim præterea magnam ſe dare velle pecuniæ, vt res componatur, ne bello tam gra ui agendum ſit. Deſiderius quo ad æquiores conditiones ſubmittit ſe, Francus hoc elatior, durior, & pertinacior fit. Velociter igitur claudit præſidiis omnes vias in montibus, per quos iter erat ex Gallia Carolo. Carolus fretus milite Germano, hoſtem in montis anguſtiis adoritur, quantumuis in locis iniquis. Difficultas fuit magna; ſed maior militum virtus. Per loca iter faciunt quæ non videbantur acceſſa homini. Quidam cum præſidiis in anguſtiis pugnantes præſidia deiiciunt. Ita multitudine & robore militum per anguſtias irrumpit, hoſtem in fugam agit, qui multis amiſſis fugit in munitiſſimas Italiæ vrbes, quas Carolus obſidens capit: quanquam fere omnes vltro obuiam venerint, & ſe ante aduentum hoſtis in poteſtatem obtulerint. Quidam amicorū Deſiderij Conſtantinopolim fugiunt. Carolus ſine prælio totam fere Italiam ſibi ſubiicit; reginam Deſiderij vxorem quoque ad deditionem cogit. His rebus feliciter ex animi voto peractis, Carolus Romam venit ad Pontificem Adrianum, qui erat tum Papa; excipitur ceu obediens filius a patre. Carolus genibus flexis, oſculatur pedes Adriani. Benedixit igitur Carolum Pontifex liberaliſſima benedictione. Poſt benedictionem feriunt inter ſe fœdus æternum, interpoſito iuramento religioſiſſimo: & tale fœdus amicitiamque qua arctior nulla excogitari poteſt. Quicquid Pipinus donorum & priuilegiorum contulerat in ſedem pontificiam Romanam, id omne filius eius Carolus non modo ratum habet, ſed multipliciter liberaliſſime auget, ingentibus muneribus condonat Romana templa. Hæc omnia iureiurando literis & ſigillo corroborat. Nondum autem Deſiderius erat captus, aut e medio ſublatus, ſed obſeſſus Papiæ per partem regij exercitus, dum hæc Romæ aguntur. Igitur coniungit Carolus exercitum quem ſecum habebat Romæ, illi quem ante Papiam reliquerat ad obſidendum Deſiderium. Igitur Papia vehementi fame & crudeli peſtilentia laborante, aucta ad mœnia obſidione, dediderunt ſe vrbani, in vincula coniicitur Deſiderius cum vxore & liberis, & in cathenis ducitur in triumpho in Gallias. Collocat præſidia Francorum ex Germania Mediolanum, Papiam, Veronam: ſed quid nomina locorum commemorem? Omnia fere oppida, omnia rura Francis complet, datque illis habitationes per totam Italiam. Præuidebat enim fratrem Deſiderij Aldegiſum, qui confugerat ad Cæſarem Conſtantinopolitanum, collecta quapiam manu conaturum recuperare fraternum & paternum regnum. Id quod accidit non multo poſt diſceſſum Caroli ex Italia. Venit enim Aldegiſus cum maioribus quam quiſquam expectarit, copiis, adiutus ab Imperatore Conſtantinopolitano. Qui quum primum attigit Italiam, exceptus eſt ab iis Germanis, qui propterea erāt in Italia relicti a Carolo, amiſſiſq; copiis fere omnibus,

ipſe Aldegiſus capitur, trucidaturq;. Itaque Italia multis diuturnis bellis ſine intermiſſione fatigata, beneficio Caroli Galliarum regis pace & tranquillitate fruitur. Adrianus poſt hæc cogit concilium, adiutus a Carolo: in quo concilio datur plena poteſtas Carolo eligendi Pontificem Romanum, nec licere ſtatuitur vlli religioſorum aut ſecularium, quos vocant, principem contra vel dicere vel ſentire. Item in eo concilio decernitur, vt omnes epiſcopi & archiepiſcopi pallium a Carolo Germano Francorum rege comparent. Quicunque contra aut dixerint aut fecerint, vt excommunicentur, habet eadem conſtitutio. Hæ conſtitutiones multas cõtentiones pepererunt, antequã poſteri Pontifices a poſteris Imperatoribus Romanis hæc priuilegia rurſus extorſerint. Ante hoc bellum, Carolus ſtatim a patris ſui morte armis Aquitaniam imperio ſuo adiicit, victo & expulſo Aquitaniæ principe, qui confugit ad regem Vaſconiæ, quo cum amicitiam & neceſſitudinem veterem habebat. Carolus minatur regi niſi reddat Hunuldum (nam hoc nomine vocabatur Aquitaniæ princeps) ſe omnem vim belli in ipſum tranſlaturum. Qui cum cogitaret & deliberaret quid honeſtum, vtile & neceſſarium eſſet: & non ſtatim humiliter faceret quæ petebat Carolus, inuadit armis regẽ, Hunuldi hoſpitem, vincit, ambo dediderunt ſe, iureq; illo belli fit Caroli Aquitania & Vaſconia. Interea moritur Carolomannus, tota nobilitas elegit Carolũ, vt ſolus regnet: quoniam rariſſimam felicitatem & dexteritatem in rebus potiſſimum bellicis videbant in viro. Poſt hæc tertium ſuſcepit bellum, quod pater Pipinus poſt ſe imperfectum reliquerat. Nec difficilius periculoſiúsve aut etiam magis diuturnum vllum bellum geſſit. Erant nanque aduerſus Saxones, qui ſunt Germani & duri, laboribus aſſueti, nec dum erant Chriſtiani, cum iis bellum triginta annis geſſit, & cruentum bellum. Sæpe victus diſcedere coactus eſt, ſæpe victor compoſita conditionibus pace diſceſſit; ſed a diſceſſu nihil obſidibus datis, nihil promiſſis, nihil iuramento, nihil literis conſignatis mouebantur, deſciuerunt ſæpe. Carolus diu inops conſilij quid ageret cum hominibus barbaris qui nulla ratione & via in officio retineri poterãt, tandem huic malo mederi volens, incolas educit ex ædibus ſuis, aliis in eorum agrum miſſis, diſperſitq; Saxones per Germaniam, & Gallias; quoſdam in Latium ad colenda rura miſit. Hacque ratione domuit, qui nullis armis, minis & cædibus domari poterant. Factus autem eorum dominus, idolorum cultum & ritus gentiles deteſtandos ſuſtulit, coëgitq; eos ad Romanæ eccleſiæ ceremonias, quibus diu repugnantes vix aſſuefacti ſunt, multis occiſis propter ritus ſuos gentiles, a quibus auelli tam difficile poterant. Erant conſtituti Scabini quos nominant, quibus erat poteſtas laqueo ſuſpendendi, aut gladio interficiendi omnes qui gentiliter ſacra faciebant, aut eccleſiaſticas ceremonias contemnebant, contra facientes vel etiam loquentes. De iis ſcribit Æneas Siluius. Saxonibus omnino ſub iugum miſſis, Turcæ iterum in Hiſpaniis multa vaſtarant, abductis incolis, ipſi ſedes & poſſeſſiones occuparant, ſemperque latius ſua propagarant. Carolus igitur a Pontifice & Hiſpanis inuocatur, maiorum ſuorum quoque exemplo inuitatur. parat igitur profectionem in Hiſpanias aduerſus Turcas, qui maioribus animis & copiis, quam prioribus temporibus illud bellum ſuſceperant. Venit Carolus, Turcæ intelligentes regem cupidum pugnandi, videntes ſimul ſuorum alacritatem & animos ſpe victoriæ futurę plenos, deſcendunt in planitiem, ad prælium paratos ſe oſtentant; Carolus ſuos pro tempore adhortatus eſt, & in memoriam reuocat, quam ſine Chriſtianorum ſanguine Pipinus pater ſuus illos vicerit. iamque multo potentiores ſe, pluribusque inſtructos copiis, diſſimulans maiorem Turcarum multitudinem. Hæc cum multis & eloquenter (fuit enim facundus) dicit, equitatus vtriuſq; exercitus concurrunt, Turcæ leuioribus ſuis equis cedunt, incertum an de induſtria, an impetum noſtrorum non potuerint ferre, noſtri incautius ſequuntur, fugientes vſq; poſt peditatum Turcarum, quo circumuenti ad vnum omnes ſunt partim occiſi, partim capti. Sicque perit equitatus fere totus, in quo multum ſpei habebat Carolus. Pauci qui circa regem manſerant, apud exercitum ſupererant: ſed ij pauciores quam vt magno vſui eſſe poſſint. Hîc vero erant tam propinqui exercitui, vt referre pedem non liceret: alioqui conſilium fuiſſet intra munitiones reducere exercitum, & reparare equitatum. Confuſus igitur Carolus, cogitur inuitus pugnare, etſi videret ſuorum animum iamdudum in pedes delapſum. Poſt ſcilicet equites amiſſos, in quibus magna erat pars victoriæ.

Turcæ

Turcæ gestientes animis cursu citato in nostros irruunt, qui diutius acriusque pugnarunt, quam prudens harum rerum iudex speraſſet: sed tamen post tres quatuorve horas in fuga salutem quærunt; quæ paucis saluti esse potuit, pauci incolumes euaserunt, cum equitibus qui reliqui erant, Carolus euasit. Quantus terror Italiæ & Galliæ illam Caroli fugam secutus sit, verbis consequi non est possibile: Saraceni enim persequebantur fugientes vsque ad fines Hispaniæ. Carolus animo non fractus suos consolatur, Deum sic passum suos tentari; sed non prorsus abiecisse. Pollicetur breui rerum mirabilem viciſſitudinem. nec hoc factum virtute Turcarum, sed temeritate equitum qui præcipitarint se, cum essent victores, in certam mortem. iam enim victoriam in manibus sibi fouisse, si illi caute insecuti fuissent hostes fugientes. Iam hostes elatos victoria suæ hanc virtuti ascribere, omnia negligenter administraturos. Mittit extemplo nuncios in Germaniam & Italiam, qui cogunt exercitum quam possint maximum. omnes vbique parati sunt commune periculum depellere. Conuenit exercitus ex Germania, Galliis & Italia quantus vix hominum memoria fuit eodem tempore congregatus, mira velocitate, non credibilibus itineribus obuiam veniunt hosti, iam omnia victa putanti. Carolus quam arctissime cogit copias, quo speciem paucorum præberet exercitus, donec hostes se demiserunt in æquam planitiem. Vbique ventum est, vt neuter exercitus sine pernicie in castra redire posset, imperat vt equites lacessant Turcarum equitatum; lacessiti accurrunt, impetum vero nostrorum non ferentes, vel, vt quidam iudicarunt, ex composito fugientes vertunt terga; sed nostris præceptum fuerat, ne cupidius persequentes eos, circumuenirentur. in medio igitur cursu sistunt equos. Cum igitur eo deducti essent, vt neutris liceret in castra redire, pugna deuitata, diducit Carolus suum exercitum qui spississime steterat, & aciem instruit. Quam multitudinem hostis videns, intelligensque propterea coactos fuisse in angustias, quo ipse in harenas descenderet, timorem dissimulare ita non potuit, quin daret clara suæ formidinis signa. Carolus suos alloquitur, certum se habere oraculum a Deo, hos sibi in manus datos. Iam animo victos, circumspicere fugam, &c. Scribunt historiæ de comite Palatino Colando Germano, quod ante prælium commissum singulari prælio equestri, quod paribus conditionibus comparatum erat, Turcam nobilem in re militari insolitæ staturæ virum vicerit, & interfecerit: sed ita fessus in ea pugna fuit, & siti confectus, vt & ipse correptus febre, mortuus sit. De illo viro & alia insignia facta referuntur. Singulari alio certamine vicit principem Marsurium. Cohortatus milites, vt iam dixi, Carolus signum pugnæ dat, concurritur, acerrime pugnatur, equitatus nostri pars in fugam actum hostilem equitatum submouet lõgius, & dissipatos quos consequi possunt, interficiunt nostri. Reliqua pars (nam in duas partes diuiserat equitatum) hostilem ordinem perrumpit. Perturbato ordine coniiciunt se in pedes, vertuntque terga. quibus obuij nostri equites victores, qui dissiparant, imo deleuerant Saracenorum equitatum, interficiunt sine numero multitudinem hostium, detentosque hostes per equites nostros peditatus assequitur: occiduntur igitur & capiuntur incredibili numero. Recuperatis ergo omnibus in Hispania, hostibus submotis vsque in Africam & Asiam, Carolus dimittit exercitum, redit triumphans ad suos. Non diu post hoc bellum feliciter ad finem perductum, Princeps Bauarorum ab vxore sua (quæ erat filia Desiderij regis de quo supra, & odio propter patrem Desiderium habuit Carolum) irata persuasus, Carolo indicit bellum. Quod consilium vxoris illi cessit, qualem plerunque mulierum maxime ira commotarum consilia euentum habere solent. Boemos igitur & Vngaros contra Carolum euocatos stipendio & promissis amplissimis conductos, quos cum conscriptos vno atque altero mense aluisset, inciperentque deficere necessaria, incipiebant Vngari & Boemi reuolare in patriam. Hocque plures fecerunt, quod Caroli nomen aduenientis terruit eos. Bauarus discessu militum, quibus se & fortunas suas crediderat, confusus, a Carolo petit pacem & gratiam; detestans se qui tam stultus fuerit, vt stulta vxoris consilia exequi conatus sit. Carolus vocat Bauarum Tasilum (nam hoc principi nomen erat) ad se Wormatiam, vbi forte erat cum, ibi pax fit, dantur a principe regi obsides 12, addito religiose iuramento. Carolus firmam existimans pacem, proficiscitur in Gallias, dimittens copias.

Vxor principis, filia Desiderij patris calamitatum quas a Carolo acceperat, non oblita, ira obcæcata non cessat maritum a quo amabatur, incitare aduersus Carolum. rursum igitur insanis iratæ vxoris consiliis & precibus inductus, contra fœdus & iuramentum Regi præstitum agit. Quare à Pontifice Romano excommunicatur, & tribus locis contra eum mittit Carolus tres exercitus, quorum minimus erat validior multo Bauaro principe. Erat autem ipse Rex in exercitu eo qui ab ea parte venerat vbi est Augusta Vindelicorum. Venit ergo Princeps desperatis rebus suis, ad Carolum, ante eum in terram procidens, suppliciter gratiam & misericordiam petens, & vtcunque excusans refellensque quædam obiecta. Carolus magnam semper laudem putans victis & supplicibus ignoscere, & multa condonare, iraque non obedire, ignoscit, renouare iuramentum & obsidibus prioribus addere filium ex Principe legitimo toro natum, imperat. Hæc fiunt, Carolus consolatum & admonitum quod boni viri officium sit, dimittit ad suos, ipse in Galliæ regnum reuertitur. Porro cæcus erga vxorem amor, & cæca vxoris ira manebant. Vxor non desinit secum reuoluere patris sui miserias, & in quo loco posset esse, nisi hic Carolus fuisset, quotidie repetit veterem suam cantilenam apud maritum, a quo amari impensius se sciebat. multa quibus Carolus posset minui excogitat. Saxones expectare occasionem iamdiu, qua iugum Caroli abiiciant. In Italia res nouas plerosque principes viros & ecclesiasticorum & secularium optare. Neminem vsquam gentium esse qui Caroli potentiam non imminutam velit. Iamiam enim futurum, vt omnibus principibus seu mancipiis, ad nutum illi seruiendum sit. Exprobrat etiam subinde quod facile videat se non amari, qui ita patris sui iniurias negligat. Hoc genus figmentis iterum vincit mariti amore languentis animum cæcum. Sed accidit illi quod omnibus contingit qui mulierum (nam omnes stultæ sunt, linguacitate faciunt quædam quidem vt non cordatis videantur prudentes, cum sint cæteris vt nequiores, ita stultiores; quare naturæ diuinaque lege viros sequi debent, ceu vir deum quocunque vocat) consilia sequuntur. Iterum enim accusatur apud Carolum de perfidia, quodque res nouas molitus sit contra Carolum. Carolus mittit ad eum, expostulat, minatur illi. Ille petit se præsentem præsenti excusare. Carolus iubet venire, venit, conatur se excusare; sed non potuit accusatoribus ex aduerso respondere quod esset ad excusationem satis. Extabant exemplaria literarum quibus in Italia commouere voluerat quosdam Principes. Extabant eius facta & dicta quæ negari non poterant. Damnatur ergo læsæ maiestatis crimine. Orabatque solum pro tempore quo possit peccatorum suorum pœnitentiam agere ante mortem. Carolus donauit illi vitam; clausit vero illum & filium eius in monasterium, vt illic pœnitentiam agerent. Reliqui omnes eius prosapiæ in exilium mittuntur.

DE GERMANIS
LIBER OCTAVVS.

CVM igitur Bauariam suam fecisset iure de quo dictum, causas bellorum dederunt vicina Pannonia & Vngaria, aduersus quos octo bella gessit annos. in his bellis sæpe pugnatum est; Marsque dubius modo in illam, modo in aliam partem inclinauit se: sed maior potentia, maiores opes & copiæ Caroli tandem superiores euaserunt. Sed tantum sanguinis prius effusum est, vt in multis oppidis ne vnus quidem vir inueniri potuerit. nam pertinacia eorum tanta fuit, vt se dare noluerint, donec ad eam raritatem redacti sint, vt nulla reliqua spes esse posset. Omnis nobilitas in Vngaria & Pannonia perit in iis octo annis. Bellum in quo plus sit effusum sanguinis, vix fuit vnquam. Inexhaustos thesauros reperisse dicitur Carolus apud Vngaros. His spoliis & his thesauris multas ecclesias & monasteria ædificauit rex Carolus, amplissimeque donauit sacerdotum collegiis quæ ex hoste consecutus erat. Multas diuitias ecclesiarum & monasteriorum collegia acceperunt ab hoc rege. Sed dissimulandum non est, quod summa cura studuerit cauere, ne personę irreligiosæ illa bona consumerent: voluit enim ocium contemplandi & orandi illis facultatibus

tatibus fouerẽ, voluit educari bonos & doctos viros ad pietatem, qui alios erudire ad iuſtitiam valerent. Ita non minus religione quam bellicis rebus magnus fuit. Cuius quidem virtutes & triumphos, pace & bello resgeſtas conſequi non poſſumus verbis: nam fortitudine & ſingulari induſtria Galliarum regnum a patre ſuſceptum ita dilatauit, vt quantumuis amplum, duplum tamen reddiderit. Acceperat enim hæreditate a patre eam partem Galliæ quæ inter Rhenum & Ligurim fluuium, Oceanumque & mare Balearicum ſita eſt. acceperatque eam partem Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium & Salam fluuium, qui Sorabos a Thuringis ſeparat; & regionem quam incolebant Alemani & Boioarij. His a patre acceptis adiecit armis Aquitaniam, & Vaſconiam, totumque Pyrenæi montis iugum vſque ad Iberum amnem, qui apud Nauarros ſcaturiens fertur, per fœcundiſſima Hiſpaniæ rura, iuxta mœnia Dertoſæ vrbis Balearico mari influit. adiecit quoque Italiam totam vſque in Calabriam minorem, vbi ſunt Græcorum & Beneuentanorum confinia. adiecit etiam Saxoniam citra & trans Albim, magnam Germaniæ partem. adiecit & Pannoniam & Vngariam, & regiones ſitas in altera Danubij ripa, Daciam ſcilicet, Iſtriam & Liburniam Dalmatiamque. adiecit etiam barbaras illas gentes quæ intra Rhenum ac Viſtulam fluuios, Oceanum mare & Danubium degunt: quæ Germanis annumerantur, quanquam moribus & habitu diſſimiles ſint, lingua autem non multum variant. Accedit etiam ad gloriam huius Caroli, quod omnes non modo finitimi reges, ſed etiam in extremis terris habitantes eum ceu dominum ſuum honorarint, munera miſerint, multis modis animum ſuum erga eum declararint beneuolum. Aaron rex Perſarum potentiſſimus miſit ad Carolum hunc legatos, anno Domini 807: qui ferebant illi ampliſſima munera, 807
planeque digna quæ a tali rege ad tantum regem mitterentur. Erant autem tria tentoria vario colore diſtincta faberrime, inuſitatæ magnitudinis, omnia byſſina tam tentoria quam funes eorum. Miſit etiam per eoſdem legatos dono pallia ſerica multa, in quibus ars materiam quantũuis precioſam vincebat. & precioſiſſima vnguenta ac balſamum, & horologium ex auro miro artificio compoſitum, in quo 12 horarum curſus ad Clepſydram vertebatur, cum totidem æreis ſphærulis quæ ad completionem ſingularum horarum decidebant, & caſu ſubiectum cymbalum tinnire faciebant. habebat quoque horologium duodecim equites, qui per duodecim feneſtras completis horis exibant, ſinguli ſingulis horis exeuntes, feneſtras ſingulas claudebant, quæ apertæ erant: ſicque cum die claudebantur omnes feneſtræ. inerant præterea mirabilia alia in horologio illo, quæ enumerandi locus hic non eſt. Imperatores quoque Conſtantinopolitani frequentes ad eum miſerunt legatos, amicitiam eius expetentes, vel, vt veriſimilius eſt, timorem ſuum declarantes. Quibus & ſi ſciuit non poſſe carum, tamen propter communem pacem & vitanda ſcandala cum illis ſocietatem & pacem ſeruauit. Quanquam non ignoraret Græcos Francorum potentiæ inimicos eſſe, & Conſtantinopolitanis Imperatoribus in ore & corde eſſe illud frequens, τὸν Φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ ὄχι.

Carolus multa loca regnorum ſuorum ædificiis exornare, maxime eccleſiarum fabricas curæ habuit. In his operibus eius eximium eſt, templum Aquiſgrani extructum mirabili magnificoque opere, ad cuius ædificationem e Roma & Rauenna marmora & columnas aduexit. Imperauitq; vbiq; in regno ſuo abbatibus & epiſcopis, prælatisq; aliis eccleſiarum, vt honeſte ædificent, ne pecunia in luxum victus conſumeretur. Monaſteria quoq; ſcribunt fundaſſe, vt ita loquar, ſecundum numerum alphabeti literarum, in ſingulis monaſteriis ſingulas aureas literas poſuiſſe. Suis quoque impenſis pontem Moguntiæ fecit tranſrhenum quingentorum paſſuum: qui tamen incendio conſumptus eſt anno ante mortem ipſius. Quod præſagij de morte eius loco eſt habitum. Et palatia operum eximiorum ædificauit, vnum non longe a Moguntia, iuxta villam Ingelheim, in qua villa natum ex Pipino patre & Bertha vxore eius. Aliud palatium Nouimagij ſuper Vahulam fluuium conſtruxit. Vt redeamus ad bella ab eo geſta, non multum poſt deuictos Vngaros & Pannones, de quibus paulo ante diximus, cum copiis Carolus miſit filium ſuum Carolum in Daniam ſeptentrionalẽ contra eius populi regem Gotfredum, qui quotidianis excurſionib. Saxones & Phriſios vicinosq; alios deuaſtabant. Cumq; hic rex Gotfredus in animo haberet maius aliquid gerere,

esſetque in exercitu maiore quam vnquam antea habuerat, interficitur a ſuoipſius filio, propter repudiatam matrem ſuam, & aliam a patre ductam. Dani alium mox elegerunt regem, qui cum Carolo componit pacem. atque vtrinque dimittitur exercitus. Sunt autores quoque qui ſcriptum reliquerunt, poſt hactenus omnia dicta, ab eo petiiſſe auxiliares copias & conſilium Conſtantinum Conſtantinopolitanum Imperatorem, aduerſus Turcam. Ipſumque Carolum collecta vndique ex Germania, Galliis, Hiſpaniis, & Italia manu, in Aſiam profectum, Turcos frequentibus prælijs victos profligaſſe, & in ea expeditione vſque Hieroſolymam peruenisſe incolumem, incolumique exercitu multas illinc ſecum adportaſſe reliquias, quæ adhuc hodie in quibuſdam Germaniæ & Galliarum eccleſiis maioribus oſtentantur. Vbi rediit ex Hieroſolyma in regna ſua, exceptus eſt cum omni quæ ab homine excogitari potuit, reuerentia. Vxores habuit primam Hirmigardam, filiam Deſiderij Longobardorum regis: quam poſt primum ſtatim annum repudiauit. Cauſam iuſtam ſcribunt fuiſſe: ſed nullam audio. Poſt hanc repudiatam duxit nobilitate & forma incomparabilem e gente Sueuorum puellam, nomine Hildegardem, de ſtirpe Gotfredi ducis Sueuorum. Hæc fecit Carolum tribus filiis parentem; quibus impoſita ſunt nomina hæc: Carolus, Pi-
783 pinus, & Ludouicus. Mortua autem eſt Hildegardis, anno Domini 783, Calẽd. Maij. Poſt hanc duxit filiam Rudolphi comitis de Francia orientali, nomine Faſtradam, ex qua genuit filias duas Theoderatam & Hiltrudem. Habuit autem ex Hildegarde etiam tres filias, nominibus Rutrudem, Bertham & Giſelam. Anno Dominini 794, mo-
794 ritur Faſtrada: hac defuncta, Lutgardam duxit vxorem, quæ ſterilis apud eum manſit. Poſt mortem Lutgardæ vſus dicitur concubinis, primum Gerſuinda ex Saxonia, quæ illi peperit filiam, quæ nominata eſt Adeltrad. Deinde aliam habuit concubinam Reginam (ſic enim vocabatur) quæ genuit ex illo Drugonem & Hugonem, elegantes puellos. Poſtremo concubinam habuit appellatam Alindam, ex qua natus eſt Theodericus. Variant in his non parum authores: hæc mihi omnia diligenter expendenti vero propiora viſa ſunt. Tres vero ſolum ex legitimo toro ſuſcepiſſe filios, abunde teſtari mihi videtur teſtamentum quod poſt mortem ſeruandum ordinauit. Sic enim ad verbum ſonat, In nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Imperator Cæſar Carolus, Rex Francorum inuictiſſimus, & Romani rector Imperij pius, felix victor ac triumphator ſemper Auguſtus, omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, qui ſub noſtro imperio conſtituti ſunt. Sicut omnibus votis notum eſſe credimus, quomodo diuina clementia, cuius nutu ad occaſum tendentia ſecula per ſucceſſiones, generationum reparationes generantur, tres nobis dando filios magno nos miſerationis ac benedictionis ſuæ ditauit munere; quia per eos ſecundum vota noſtra, ſpem noſtram de regno confirmauit, & curam obliuioni obnoxiæ poſteritatis leuiorem fecit. Ita & hoc vobis notum fieri volumus, quod eoſdem per Dei gratiam filios noſtros regni a Deo conſeruati, & conſeruandi regni vel Imperij noſtri hæredes relinquere, ſi ſic diuina maieſtas annuerit, optamus, non vt confuſe atque inordinate, aut ſub totius regni iurgium, vel litis controuerſiam eis relinquamus, ſed trina partitione totum regnum diuidentes, quam quiſque illorum tueri vel regere debeat, deſcribere & deſignare volumus, eo videlicet modo, vt ſua quiſque portione contentus, iuxta ordinationem noſtram, & fines regni ſui, qui ad alienigenas extendantur, cum Dei adiutorio nitatur defendere, & pacem atque caritatem cum fratre cuſtodire. Diuiſiones vero adeo conſeruati & conſeruandi Imperij vel regni noſtri tales facere placuit: Vt Aquitaniam totam atque Vaſconiam, excepto pago Turonico, & quicquid inde ad occidentem atque Hiſpaniam reſpicit, & de ciuitate Niuernis, quæ eſt ſita ſuper fluuium Ligerim, cum ipſo pago Niuernenſi, pagum Analenſem atque Alſenſem, Cabillonenſem, Matiſconenſem, Lugdunenſem, Saubaudiam, Tarantaſiam, montem Ciniſium, vallem Seguſianam vſque ad Cluſas; & inde per terminos Italicorum montium vſque ad mare, vel vſque ad Hiſpanias continetur, hoc eſt illam portionem Burgundiæ & Prouinciam & Septimaniam vel Gothiam, Ludouico dilecto filio noſtro conſignauimus. Italiam vero quæ & Longobardia dicitur, & Boioariam, ſicut Taſſilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina ſunt *Ingoldeſtat* & *Latrahahof*, quas quondam Taſſilo beneficio noſtro tenuit, & pertinent ad pagum *Nortgouue*. De Alamania partem

tem quæ in Auſtrali ripa Danubij fluminis eſt, & de ipſo fonte Danubij currenti limite vſque ad Rhenum fluuium in confinio pagorum *Cletgoue* & *Hegoue* in locum qui dicitur Auge: & inde per Rhenum fluuium ſurſum verſus vſque ad alpes quicquid intra hos terminos fuerit, & ad meridiem vel orientem reſpicit, vna cum ducatu Cunenſi, & pago *Durgoue*, Pipino dilecto filio noſtro ordinamus. Quicquid autem de regno noſtro extra hos terminos fuerit, id eſt Franciam & Burgundiam, excepta illa parte quam Ludouico dedimus, atque Alemaniam, excepta portione quam Pipino dedimus, Auſtriam & Neuſtriam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem Boioariæ quæ dicitur Nortgoue, dilecto filio noſtro Carolo conceſſimus, ita vt Carolus & Ludouicus viam habere poſſint in Italiam ad auxilium ferendum fratri ſuo, ſi ita neceſſitas extiterit. Carolus per vallem Auguſtanam quę ad regnum eius pertinet, & Ludouicus per vallem Seguſianam, Pipinus vero & exitum & ingreſſum per alpes Noricas atque Curiam. Hæc autem tali ordine diſpoſuimus, vt ſi Carolus qui maior natu eſt, prius quam cæteri fratres ſui obierit, pars regni quam habebat, diuidatur inter Pipinum & Ludouicum, ſicut quondam diuiſum eſt regnum inter nos & fratrem noſtrum Carolomannum, eo modo, vt Pipinus illam portionem habeat, quam frater noſter Carolomannus habuit; Ludouicus vero illam partem, quam nos ſuſcepimus. Si vero Carolo & Ludouico viuentibus, Pipinus debitum ſortis humanæ compleuerit, Carolus & Ludouicus diuidant inter ſe regnum quod ille habuit, vt ab ingreſſu Italiæ per Auguſtam ciuitatem accipiat Carolus Vercellas & Papiam; & inde per Padum fluuium termino currente vſque ad fines Rhegienſium; & ipſum Rhegium, & ciuitatem nouam atque Mutinam vſque ad terminos ſancti Petri. Has ciuitates cum ſuburbanis territoriis, & quicquid inde Romam per Genuam eſt ad læuam vna cum ducatu Spoletino accipiat Carelus. quicquid autem a prædictis ciuitatibus Romam eunti ad dextram iacet de prædicto regno, id eſt portionem quæ remanſit de regno Tranſpadano vna cum ducatu Tuſco vſque ad mare Auſtrale, & vſque ad illius prouinciam, Ludouico cedat. Quod ſi cęteris ſuperſtitibus Ludouicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam regno eius adiunximus cum Prouincia & Septimania ſiue Gothia vsq; in Hiſpaniam, Pipininus accipiat; Carolus vero Aquitaniam atq; Vaſconiam. Quod ſi filius cuilibet horum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit vt patri ſuo ſuccedat in regni hæreditate, volumus vt conſentiant patrui ipſius, & regnare permittant filium fratris ſui in portione regni paterni. Placuit etiam inter prædictos ſtatuere atque præcipere propter pacem quam inter eos perpetuo manere deſideramus, vt nullus eorum fratris ſui terminos vel regni limites inuadere præſumat, neq; fraudulenter ingredi ad cõturbandum regnum eius, vel marcas muniendas, ſed adiuuet vnuſquiſq; illorum fratrem ſuum, & auxilium ei ferat contra inimicos eius, iuxta rationem & poſſibilitatem, ſiue in patria, ſiue contra cæteras nationes. Neque aliquis illorum homines fratris ſui pro quibuslibet cauſis ſeu culpis ad ſe confugientes ſuſcipiat ad interceſſionem pro eis faciendam; quia volumus vt quilibet homo peccatis & interceſſione indigens intra regnum domini ſui, vel ad loca ſancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde iuſtam interceſſionem mereatur. Similiter volumus, vt quem liberum hominem qui dominum ſuum contra voluntatem eius dimiſerit, & de vno regno ad aliud profectus fuerit, neque ipſe rex ſuſcipiat, neque homi nibus ſuis conſentiat vt talem recipiant. hoc non ſolum de liberis, ſed etiam de ſeruis fugitiuis ſtatuimus obſeruandum. Quapropter præcipimus, vt poſt noſtrum diſceſſum vnuſquiſque accipiat beneficia in regno domini ſui, & non alterius, ne forte per hoc ſi aliter fiat, ſcandalum poſſit aliquod accidere; hæreditatem autem ſuam habeat vnuſquiſq; illorum hominum abſq; contradictione in quocunq; regno hoc eum legitime habere contigerit. Vt vnuſquiſq; liber homo licentiam habeat poſt mortem domini ſui ſe cõmendandi inter hęc tria regna ad quodcunq; voluerit, ſimiliter & ille qui nondum alicui commendatus eſt. De traditionibus autem & venditionibus quæ inter partes fieri ſolent, præcipimus vt nullus ex his tribus fratribus ſuſcipiat de regno alterius aliquam traditionem vel venditionem a quolibet homine rerũ immobiliũ, hoc eſt terrarũ, vinearũ, ſyluarum, ſuorumq; qui iam caſſati ſunt, ſiue cęterorũ quæ hęreditatis nomine cenſentur ex auro & argẽto, & gẽmis, & armis ac veſtibus, necnõ & man-

cipiis non cassatis, & his speciebus quæ proprie ad negotiatores pertinere noscuntur; cæteris vero liberis hominib. hoc minime interdicendum iudicauimus, Si causa controuersiæ inter partes propter terminos aut confinia regnorum orta fuerit, quæ hominum testimonio diffiniri non potest, volumus quod ad declarationem rei dubiæ, iudicio crucis Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec vnquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem indicatur: si vero homo de vno regno hominem de altero de infidelitate contra fratrem domini sui apud dominũ suum accusauerit, mittat eum dominus eius ad fratrem suum, vt ibi comprobet quod dixit. Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem ecclesiæ S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab auo nostro Carolo & beatæ memoriæ Pipino rege à nobis postea susceptа est, vt eam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulauerit, habere faciant. Similiter & de cæteris ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, vt iustitiam suam & honorem habeant; & pastores atque rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocunque de his tribus regnis illarum ecclesiarum possessiones fuerint. De filiabus autem nostris iubemus, vt post nostrum discessum licentiam habeat vnaquaque eligendi sub cuius fratris tutelam se conferre velit; & quæcunque ex illis monasticam vitam elegerit, liceat ei honorifice viuere: quæ autem iuste & rationabiliter a condigno viro ad coniugium quæsita fuerit, eique coniugalis vita placuerit, non ei denegetur a fratribus suis, si & viri postulantis & fœminę consentientis honesta & rationabilis fuerit voluntas. Postremo statuimus vt quicquid adhuc de rebus ac constitutionibus his nostris decretis addere voluerimus, sic a prædictis dilectis filiis nostris obseruetur, sicut ea quæ in his iam statuta sunt ac scripta. Hęc autem omnia ita disposuimus, atque in ordinem firmare decreuimus, vt quandiu diuinæ maiestati placuerit hanc corporalem agere vitam, potestas nostra sit super a Deo conseruatum regnum atq; imperium istud, sicut hactenus fuit: &, vt obedientes habeamus prædictos filios nostros, atq; Deo amabilem populum nostrũ cum omni subiectione, quæ patri a filiis & imperatori ac regi a suis populis exhibetur, Amen. Hoc Caroli testamentum ascribere visum est propter eos qui nõ satis diligentes, in historiis quiduis in qualibet charta inuentum credunt, literis ceu certum, mandant. Quod genus ingeniorum in causa est, quod ita variant, vt in infinitis aliis rebus, de huius Imperatoris filiis: est enim magna controuersia qui ex vxoribus, quique ex concubinis Carolo nati sint. Dissensioni causam dedit vxorum concubinarumque, quas multas habuit, & ex illis prolis diuersitas. Quoniam autem duo filij Pipinus & Carolus immatura morte abrepti sunt: quorum alter nempe Pipinus quinque filias, & vnum filium, Bernardum, ex se genitos reliquit, Carolus senex mutat necessario testamentum, solum igitur Ludouicum instituit hæredem consortemq; Imperij; Bernhardum autem nepotem ex filio, Italiæ regem facit. De thesauris suis regiaque pecunia omnia diligenter ordinauit, & quæ ad eleemosynas, & quæ ad filios filiasque hæredes suos peruenire voluit. Hac ergo ratione facultates omnes suas partitus est: Partibus tot factis quot opus erat ad institutum, ex omni genere supellectilis, cuius precium supra fidem fuisse ferunt. Largitiones erant ab illo constitutæ illis ecclesiis, Rauennæ, Mediolanensi, ecclesiæ quæ est Forumiulij, illi quæ erat Gradi, item ecclesiæ quæ Coloniæ erat, item Moguntinæ, item quę Iuuaniæ erat, quæ vernacula lingua nominatur Saltzburg, item ecclesiæ quæ Treueris est, item illi quæ apud Senones est, quæ est Vesontij: illique quæ Lugduni est, item quæ est Rothomagi, quæ Remi est, illique quæ est Arelatæ, ecclesiæ Viennensi, ecclesiæ quæ erat Tarẽtasiæ, illi etiam quæ Ebroduni est, item quæ de Burdegalæ, item ecclesiis apud Turones & Bituriges. Constituit etiam liquido quid hæredum quisque accipere deberet, ne qua controuersia post mortem exoriretur. Quid pauperibus elargiendum esset, quid seruis in aula, quid viduis, quid pupillis, quid nubilibus virginibus pauperibus donandum esset, omnia religiosissime ordinauit. Quæ & quanta & qualia quibusq; dederit, cum longius sit enumerare, & in aliis obuium sit scriptoribus, breuitati studẽs in præsentiarum præ-

810 tereo. Anno domini 810, Princeps Hunnorum Cacannus conuenit Carolum, petens sibi concedi habitare iuxta Carnotum, quoniam propter incursiones Sclauorum,

in

in priſtinis ſedibus ſuis durare nequeat. Cui Imperator Carolus omnem humanitatem exhibendo oſtendit, quicquid petiit concedens illi, donatumque liberaliter muneribus regiis iuſſit habitare vbicunq; circa Carnotum vellet. Hunc Cacannum quia Chriſtianus erat, ſedulo cohortatus eſt ad eccleſiarum curam, in eumque vſum inſumendam dedit ei pecuniam non modicam. Propter quam largitionem hoc hic recenſuimus. Quoniam autem in Caroli rebus impliciti ſumus, quicquid inciderit, & quocunque forte iter duxerit, illac eamus, vt expediamus hinc nos. In liberis & nepotibus erudiendis liberaliter diligentiſſimus fuit. nec enim deſidia & ignauo ocio perire paſſus eſt quenquam ſuorum. Hominem enim ocioſum male cogitare, & Satanæ huius aeris ante rerum renouationem domino obnoxium eſſe, & eius tentationibus expoſitum, non ignorabat. Quamobrem magnum illi ſtudium fuit, vt ſtudio diſciplinarum mares eſſent occupati, & fœminæ lanificio & aliis muliebribus artificiis ſemper eſſent occupatæ. Vtriq; vero imprimis pietate & ſanctimonia inſignibus perſonis viris & mulieribus (qui tum in monaſterio plurimi inueniebantur) erudiendos & inſtituendos in religionis negotiis tradebat. Neque enim ſatis eſſe genuiſſe prolem, niſi excultam, vtilem educando & erudiendo redderet. Hinc factum eſt, vt tot honeſta virtutum virilium & muliebrium exempla prodierint ex huius familia. Hoſpitalitatem diligenter, ſicut ex ſacris literis doctus fuerat, coluit. In excipiendis & alendis peregrinis tam largus fuit, vt non modo aulæ, ſed toti regno oneri eſſe calumniati ſint quidam ex familiaribus & œconomis eius; qui videlicet animales ratione ducti, ſpiritu diuino deſtituti, non cogitantes, quam mirabiliter Dominus impleat omnia cum velit, benedictione; cumque claudit manum, omnia egeant. non cogitantes quantum numerum Chriſtus aluerit quinque ordeaceis panibus. Sed non ij tantum ſic putarunt: totus enim mundus lumine vultus Dei carens ſic putat. Nónne quotidie audimus, niſi peſte aut gladio multitudo hominum e medio tollatur, annonæ vilitatem non expectandam, cum contrarium clariſſime Dominus quotidie declaret? Videmus enim in familiis quæ non numeroſæ ſunt, feſtinantes ex nocte in noctem in re quærenda, tamen ſemper egere, & mutuo accipere, & non reddere. Cernimus rurſus alias quæ numeroſiſſimę cum ſilentio & quiete nihil feſtinant; ſed opus ſuum facientes, curam in Domino reiicientes, abundare omnibus rebus, aliis dare mutuo, & multa largiri pauperibus. Item cum iraſcitur, vt ſic dicam, Dominus, poſt infinitam peſte cõſumptam multitudinem ſequitur quandoque maxima fames, & plenis horreis. Et contrarium apparet etiam cum benedicit Dominus, quantauis enim multitudo hominum ſit, & horrea vacua; tamen annona ad extremam vilitatem peruenit. Sed ad Carolum redire tempeſtiuum eſt. Fuit corpore euſarco & quadrato, laborum patiente, ſtatura iuſta, oculis ſplendentibus & prægrandibus, natibus paulo oblongioribus, vultu læto & puro, ſanguine ſuffuſo, inceſſu virili magis quam ſuperbo. Brachiis, manibus, & pedibus proportione reliqui corporis mediocribus. Voce clara, & facundia non vulgari: erat enim copioſus & memoria rara. Nec vnam tantum calluit linguam; latinam linguam ita didicerat, vt ea prompte viua voce vſus ſit, eleganter autem ſcribendo. Græcam intellexit; ſed in colloquio vti parum quiuit. Gallorum linguam & Italorum fere æque nouit atque maternam Germanicam. Artibus liberalibus earumque doctis profeſſoribus magnum honorem magnaque præmia præbuit. Doctos quos fama commendabat, ad ſe vocauit, aut vt in celebribus locis docerent, honeſtis conductos ſtipendiis curauit. Ipſe vſus eſt præceptoribus Petro Piſano in literis Græcis, in dialecticis & rhetoricis, & aſtrorum ſcientia mathematicisque omnibus vſus eſt præceptore Britanno Alcuino Diacono. Scribunt autores, quod hic Alcuinus a rege Angliæ legatus miſſus ſit ad Carolum de magnis regnorum negotiis: & ſic alterum alteri cordi fuiſſe, vt manſerit Alcuinus apud Carolum. Eſt etiam mandatum literarum monumentis, illis temporibus duos Scotos ex Bedæ diſcipulis, Claudium, & Ioannem nomine, veniſſe ex Hibernia in Galliam, viros in literis ſacris & diſciplinarum omni genere ſupra modum doctos; qui in ciuitatibus per plateas clamabant, Si quis ſapientiæ cupidus eſt veniat. loquebantur autem non de humana ſapientia, ſed ea quæ a Deo eſt. Fama de his permanat ad Carolum, qui vocauit eos, dicitque ſe veræ ſapientiæ cupidum eſſe, venalémne habeant? Reſpondent, venalem habere: ſed iis quibus non eſt pecunia, gratis

dare se. Rex auditis eis per aliquot dies probauit spiritus eorum, iudicauitque bonos: quare gratias egit Deo, quod miserit illos ad se. Rogauit igitur eos quid nam pro sapientia postularent. Responderunt, Ingenia & animos capaces philosophiæ, & locum aptum ad philosophandum, & in quo se ex rustico quæstu iumentorum & seruorum operis, & suis etiam operibus, quantum satis esset sapientiæ, exercitij corporalis. Nam habere debere modum corporis exercitium. Illorum ergo alterum prę fecit pueris nobilissimis quos putauit ad rerum gubernationem aliquãdo peruenturos. Magni enim referri iudicauit sapiens rex, recte & sapienter institutos eos qui alios regere deberent. Alterum vero nempe Ioannem in frequens monasterium ordinis sancti Augustini iussit ire, & in eo monachos ad pietatem erudire. Ab iis viris & Alcuino Anglo habuit initium Parisiensis schola. Carolus nullum vnquam intermisit diem, quo non aliquid in historiis, vel in sacris literis, vel aliis disciplinis legerit: tamen corporis exercitationem nunquam omittens, quo in negotiis pacis & belli laboribus corpus sufficeret. Neque enim ocio torpida corpora vere viuere dici possunt: sunt enim ita dissoluta, vt mors nõ multum mutet in illis. Et infeliciter viuunt: nec enim delicatus cibus & potus quantumuis bene præparatus sapit illis. Et quid potest non esse infelix quod contra naturam viuit? Carolus igitur sapienter victus rationem ordinatam obseruans, exercuit se equitando & venando, mittendis telis, cursu nonnunquam. Oblectatus est etiam lauacro calidarum aquarum, propterea Aquisgrani ædificauit regias ædes: ibique libẽter vitam egit. Fuisse scribitur modici potus, cibi paulo liberalioris. Inter comedendum lectione historiarum, aut quæstionibus philosophiæ oblectatus est. In iuuandis pauperibus se ipsum vincit: neque enim vlla virtus in eo præstantior fuit. Misit eleemosynas trans mare in Syriam, Ægyptum, Africam, Hierosolymam, Alexandriam, breuiter in omnia loca vbi cognouit pauperes Christianos degere. Regibus transmarinis pauperes sæpe commendauit, quod quo diligentius facerent; amicos & socios habuit, opemque eis in necessitatibus pollicetur. Minatus contra non semel regibus gentilibus, si pergerent Christianos persequi, se vltorem venturum. Idque aliquoties fecit, nec enim semel tantum propter eam solam causam bella suscepit. Pauperum vero in regno suo præcipuam rationem habuit. Admonitusque aliquando a quopiam familiari, ne quibusuis petentibus etiam indignis daret, respondisse fertur, Et qua caritate nos tulit hactenus Pater cœlestis, ad cuius legem nos collati sumus ipsa impuritas & iniustitia, latrones & fures? Religionem Christianam religiosissime excoluit, multas horas diei, multas noctis in orationes collocans. Ieiuniis etiam cum periculo valetudinis exercuit corpus. In ecclesia voluit omnia serio maximaque honestate & grauitate agi, idq; a personis spectatæ vitæ in morum puritate. Psallendi, orandi, & cantandi ritus in ecclesia instituit, vt animis Deo deuotis omnia fierent, voluit. Scribitur & a Nauclero ecclesiæ Tubingensis præposito, bonæ fidei autore, quod Carolus cuidam nobili adolescenti episcopatum contulit, qui mox actis regi gratiis, lætus discedens, & ante palatium in sellam equi sibi adducti e terra insiliit gestiens. Carolus diligens personarum probator ecclesiasticarum hoc cernens per fenestras, iussit adolescentem reuocari, dixitque illi, video ex moribus & gestibus tuis te bello aptiorem quam episcopatui vbi oportet esse viros pietatis, & bonorum morum exemplaria. Tu igitur mecum ibis contra hostes militatum, alij magis idoneo imponemus munus episcopi: moxque contulit alij episcopatum. imperatque illi, vt præsens in exercitu sit, die constituto. Legitur etiam de eo, quod quoque alias non dubitauit, non modo verbis reprehendere & confutare episcopos, sed ex ecclesiis eiicere, propter mores pastore indignos. Quæ iam olim scripta suis locis præstat, opinor, legi, quam hoc tempore repeti. Cum autem sentiret se senio grauari & impediri a necessariis regnorum functionibus, habitis omnium principum comitiis, Ludouicum filium imperij regnorumque omnium hæredem & vicarium dum superstes esset, instituit. Bernhardum autem nepotem ex Pipino filio vita defuncto, Italiæ Principem constituit, appellarique regem & vnctionem regibus debitam a Pontifice petere iussit. Hæc rata vbique habuerunt omnes amici. Et hæc ordinatio consensusq; omnium hostibus terrori fuit magno. Ita rebus ordinatis & pacatis, in liberale ocium se cõtulit, quod orando, legendo, audiendo doctos viros, venando non raro, & suos ad iustitiam, animi robur & modestiam,

deſtiam, fortitudinem adhortando, praua in regno corrigendo conſumpſit. Hic cum adhuc aliquot annos in ſenectute non triſti, bonaque bene actæ vitæ conſcientia egiſſet, correptus eſt febre, qua per medicorum conſilia & abſtinentiam mitigata, nonnihil conualuit; ſed recidiuo febris redit comitante eam pleuritide, ſeptimo die pſallens & orans, in Domino obdormiuit ſeptuagenarius, & cum omni reuerentia regaliter ſepultus eſt Aquiſgrani, non ſine magno in plurimis locis planctu. Numerantur prodigia quæ eius mortem præceſſerunt, ſolis defectio, lunæ eodem anno tres defectiones, Sphæra quæ in apice templi apud Aquiſgranum erat, fulmine deiecta, in eodem loco porticus qua ex ædibus Palatinis ad templum via erat corruit. Et pontem, quem ipſe Moguntiæ inſignem conſtruxerat, conflagraſſe antea diximus. Diutius fortaſſe immoramur in hoc Carolo deſcribendo, & recenſemus quæ videri poſſunt cuipiam alieniora ab inſtituto: verum cum per hunc tantopere Germania ſit ornata & exculta, de qua ex profeſſo ſcribimus, nihil de illo nimium videri debet. Quare nihil morati moroſorum calumnias, etiam alia eius geſta narrabimus, quæ hactenus non ſatis diximus. Geſſit etiam bellum non vulgare cum Saxonibus & Anglis; geſſit autem per militaris diſciplinæ peritiſſimum virum Adolphum. Erat belli ſuſcipiendi cauſa, quod ſeditioſorum Britannorum & Saxonum turba magna communem pacem turbarant in Anglia, eratque regnum ita turbatum, vt honeſtis moribus nullus locus eſſet. Quibus igitur pax & rerum tranquillitas erat cordi, petebant contra ſeditioſos illos auxilium a Carolo, qui ante ſæpe alias apud alias nationes iuſtitiam petentibus, & iniuriam patientibus contra iniuſtos communem ſocietatem turbantes auxilium tulit. Hoc enim vere regium, hoc Principis Chriſtiani iudicauit, quam plurimos bonos iuuare, minimeque multos lædere. Cum igitur ſuppreſſas leges, religionem, omnes bonos, audiret, mittit ſuum ducem bello maximum Adolphum cum exercitu ſatis ad hoſtes magno. Nauigat igitur ſecundis ventis cum copiis in Angliam; cumque non procul ab Angliæ littore abeſſet, ecce Angli & Saxones qui de belli apparatu diu ante certiores erant facti, Adolphum cum ſuis egredi nauibus prohibebant, nouoque tormentorum genere quibus magnos mittebant lapides in naues, multosque ſic perdiderunt. Adolphus inductus erat in magnas difficultates, naues propter pondus reduci a littore non potuerunt. Deſiliendum e nauibus erat omnino militibus, quibus erant loca ignota, & in aqua fluctibusque cum hoſtibus dimicandum, loco prorſus iniquo; nam Saxones & Angli ex arido aut parum admodum in aqua conſiſtentes expeditiſſimi, locis notis pugnabant, & telorum noua genera coniiciebant mira denſitate. Quibus difficultatibus quidam in exercitu milites non mediocriter perterriti ſunt, & ſtudium alacritatemque dimicando conſuetam, ſicut in cæteris pugnis, non oſtenderunt. Sed Adolphus magnæ vocis oratione fortiter ſuos allocutus, primam coitionem eſſe acriorem, magno animo ad littus contenderent, hoſtes in fugam ſpem habere, nobis (inquit) aut vincendum cum gloria æterna, aut ignominioſe in aqua pereundum: videtis enim ipſi nullum locum fugæ. Pollicetúrque victoribus magna præmia, & primis militibus qui in aridum perueniant, ſingulis mille aureos clara voce promittit, & addit, Qui mauult turpiſſime ſuffocari, quam fortiter vincere, ceſſet: ego faciam quod mei eſt officij; & cum hoc verbo iniecit ſe in medios hoſtes. tum etiam cunctantes, partim exemplo, partim oratione, partim præmiorum ſpe commoti anteuerterunt ducem, & quiſque prorumpit media hoſtium tela, vt littus attingat, conſequatur hos mille aureos. ſtatimque hoſtes referre pedem coacti ſunt parum; tantum tamen, vt Adolphus in ſicco iam cum maiore parte exercitus conſiſtens, pugnaret. Diuque ſic acerrime eſt ab vtriſque pugnatum. Angli & Saxones nõ parum deſponderunt animum cum vidiſſent impares ſe fuiſſe hoſti cum adhuc eſſet impeditus in fluctibus, multo minus iam reſiſtere poſſe colligebant, cum æquum locum eſſent aſſecuti hoſtes; quare vehementer perturbati ſunt. Animis victis, nulla eſt reliqua in corporibus exanimatis ſpes. Quam ob cauſam cum Adolphus cum ſuis omnibus in terra ſicca conſtitit, animi omnium ſunt erecti; hoſtium vero deiecti. quare tergum vertentes, fugæ ſe commiſerunt. Adolphus parum tutum ratus per ignotam regionem lõgius inſequi hoſtem, veritus necubi eſſent poſitæ in hunc euentum inſidiæ: neque enim ſperare potuit ita hoſtem victum iri antequam ingrede-

rentur Angliam, quam liberandã venerit. Iubet igitur eos bono esse animo, maximum & difficilimum belli confectum, hostes territos. Castra muniunt in editiore colle, naues reparant, & in altum reducunt, vulneratis medentur, exploratores mittuntur, vbinam hostes constiterint, scire petunt. Nomina militum conquiruntur, qui primi littus attigerant in superioris diei pugna. Ibi vero ingens fit contentio: nam quinque millia petunt præmium, quorum quisque primum se fuisse conatur probare: ipse dux Adolphus omnino existimauit fidem seruandam sibi propter autoritatem & nomen suum; hactenus enim nomine suo bono fretus, feliciter exercitui imperauerat, quod opus est vnicuique qui imperare hominibus quocunque modo cogitat, siue pueris, siue maioribus natu: vbi enim in contemptum venit quispiam, & futilis leuisve habetur, nemo audit eum, contemtoque capite membrorum reliquorum, nullum suam functionem obit. Adolphus igitur qui suis oculis præsens viderat simul vno tempore plures audacissime perrupisse hostes, & in aridum littus peruenisse, vt ergo cernerent fortiter factis præmium apud eum esse, & quoque liberaret fidem suam, & ad reliquum belli haberet paratiores: nam quantum supereset difficultatis, scire nondum poterat (neque enim adhuc ad eum delatum erat, quid hostibus animi vel spei supereset, quid molirentur, vbique constitissent) addit illis decem millibus quos promiserat aureis, alia aureorum quadraginta millia, diuisitque eam pecuniam in eos qui præmium petebant, iuste autem plerosque petere sciebat. Quam pecuniam optime collocatam demonstrarunt difficiles casus, & necessitates ancipitesque pugnæ sequentis temporis. Interea redeunt exploratores, referunt, hostes castris munitis in colle, viduo arboribus, inter duas syluas sito, castra muniuisse, & muniendo ad huc occupari. Adolphus ex exploratorum verbis hostium timorem coniicit, quamobrem ocyssime, præsidiis ad naues tuendas relictis, properat vt ex recenti fuga territos adoriatur. Vbi venit, locum diligenter perspicit, aggreditur expugnare castra ea parte, qua minus firma videbantur, & suis minimum noceri possit telis & tormentis, quo genere armorum plurimum fidebant hostes, relinquens simul liberum hosti ad fugam exitum; nam propterea iuxta syluas castra locasse videbat, vt haberent quo se expugnatis castris reciperent. Hic erat videre quantum virium & animorum, illa aureorum 50 millia addidissent militibus, quisque enim ex illis quinque millibus voluit probare non collocatum præmium in indignum. Potissimum vero illi qui quibusdam putabantur non meritos accepisse, factis audacibus vsque ad extremam temeritatem hanc a se suspicionem amouere nituntur. Reliquus vero exercitus nititur declarare non animum & fortitudinem defuisse, aut virtute illis inferiores esse, sed locum illis ereptum (neque enim tantum loci fuit, vt omnibus simul possibile fuerit capere littus.) Ita illa honestissima contentione, ascendunt vallum, irrumpunt in castra per media hostium; sed ex fuga priore confusorum tela, Angli & Saxones eiiciunt se ex castris qua fugæ patebat locus, diffugiunt in syluas, sed magno numero occisorum ad castra relicto. Ex captiuis cognoscit Adolphus quanto terrore hostes confusi sunt: aperte enim inter eos dici vna omnium voce, non homines esse Gallos aut Germanos, sed deos aut dæmones in specie hominum. Verumque erat quod dicebant, quanquam non qui fieret sciebant: Deus enim per homines de illis supplicia sumebat, & Dei manus vere pugnabat contra eos. Conuocatis suis post expugnata hostium castra, Adolphus prædicat virtutes militum, & gratias agit, laborum præmium pollicetur. diuidit spolia quæ in castris nacti erant: erant autem spolia varia & magna. Discedítque hinc paululum propter cadauerum fœtorem. Mittitque leuioris armaturæ milites circa & in syluas qui hostium vestigia secuti, explorent quidnam agant. Læti per nemora quærunt hostem, cum peruenerunt eo vbi hostes lassi quieuerunt, vix cum essent quingenti, hostium esset iustus exercitus, attoniti spectabant ex arboribus quid hostes agerent. Iamiamque subducere se clanculum parabant, ecce hostium exercitus, qui totus illic conuenerat ex fuga, conspectis illis coniicit se in pedes, fugitque non aliter atque ouium grex conspecto lupo. Qui igitur ad explorandum missi erant, sequuntur; sed tardioribus pedibus. Vbi venerunt ad eum locum in quo hostes quieuerant, inuenerunt relicta posita in arborib. plurima arma, inuenerunt & multa alia ex impedimentis relicta. hic igitur vnam atq; alteram horam morati, admirati sunt formidinem hominum,

minum,deinde reuersi onerati hostium armis & aliis spoliis,ad suos quæ acciderunt & quæ viderunt,referunt. Postera luce veniunt ex tota Anglia legati ciuitatum,se suaque offerunt Carolo regi Francorum & Galliarum, inquiunt se iam tranquillitatem Angliæ sperare,gratias agunt,& c. Quos consolatus Adolphus bene sperare iussit, se propterea a rege suo missum, vt florentissimum regnum liberetur, bonisq; locus & ocium honestum sit, leges & inprimis religio floreant ad honorem & gloriam omnipotentis Dei. Hostes igitur superati, omniq́ spe erepta, miserunt legatos eodem tempore & ad Adolphum, & ad Carolum in Galliam, humiliterq́ petunt gratiam & pacem,& sedes in Anglia, se legibus & religioni obedituros, obsides quotquot & quoscunque vellet,daturos, & quæcunque Carolus imperasset,cum omni obedientia prompte facturos. Adolphus vbi cognouit etiam legatos hostium apud regem esse, nihil respondet,expectatq́ regis sententiam & voluntatem. Carolus victis ignoscit,peccata condonat (quod illi peculiare fuit.) Iubet vt Adolphus quam longissime dissitas sedes præbeat iis qui in castris & in coniuratione fuerunt, quo disiuncti minus seditionem denuo excitare possent. Adolphus mandata exequitur, pacem, leges & religionem in Anglia tota iuxta Caroli præscriptum statuit & firmat, obsidesq́ ab illis acceptos ad se recipit. Reditum igitur ex Britannia apparans,naues reficit, imponit copias,soluit eas. Ecce subito improuisa tempestas cooritur,& classis in diuersas partes maris dissicitur, nauesq́ per totam eam obscuram noctem anchoris iactis,dispersæ in mari stant, fluctibusq́ æstu maris excitatis obruuntur, misereq́ affliguntur. fitq́ ingens exercitus perturbatio. Redire igitur coacti sunt ad portus Angliæ: naues enim plurimæ ad nauigandum inutiles factæ sunt. Magno studio & cura adiuuarunt eos in reparandis nauibus certatim omnes Britanniæ ciuitates: paucisq́ diebus in reficiendis nauibus consumptis,nacti serenitatem & maris tranquillitatem,iterum se crediderunt æquori, prosperaq́ in Gallias vsque nauigatione vsi sunt. Atque ita est hoc bellum finitum, quod in Anglia status felix pacatusq́ consecutus est. animiq́ gratitudinem omnes singulatim ciuitates variis muneribus missis, declararunt erga Carolum regem Galliarum,qui illis hæc ocia fecerat.

DE GERMANIS
LIBER NONVS.

QVOD de conspiratione Pipini filij in Carolum patrem suum propter nouercam Fastradam,quę fuit legitima vxor Caroli,scribitur, mihi non cohærere videtur, malamq́ subesse fidem suspicor. Anno 793 (si historiæ non fallunt) visitauit omnes terras sibi subiectas, præsertim Franciam Orientalem in Germania, conciliumq́ Francofurti celebrauit,multis episcopis,monachis,& sacerdotum præpositis illic congregatis. In eo concilio damnata est Felicianorum hæresis,& opinio eorum,qui imagines in templis non ferendas putant & docent. 793

Anno 796,Leo Pontifex Romanus 3 Carolo Magno claues S. Petri misit,& vexillum Romanæ ciuitatis. Quæ dona accepta & grata fuerunt incredibiliter Carolo. Pontifici igitur pro his reddidit magnam vim auri & argenti,quam in Vngaria nactus armis,deposuerat apud principem Henricum Foroiulienſem. Præterea edixit Romanis qui nondum omnes per omnia Papæ obediebant, vt iureiurando promitterent,se facturos quicquid Papæ constituissent mandassentq́, aut mandarent, aut etiam in posterum mandaturi essent. Iusiurandum hoc sine tergiuersatione coacti sunt Pontifici iurare: quanquam inuiti plerique fecerint: sed tantum Caroli autoritas valuit. Quam autem inuiti iurarint, Pontificibusq́ ita se manciparint,declarant ea quæ postea Romæ acciderunt. 796

Anno nanque secundo post iuramentum, nempe anno 798, conati sunt in libertatem se asserere, & Reipublicæ Senatuiq́e ascribere quicquid Cæsaris erat. Quibus exordiis omnia essent orta, & postea peruersa allegantes,& se ita defendentes. Hoc intolerabile visum est Leoni 3 Pontifici,qui iura Romæ Cæsaris ipse sperabat. Aperte igitur contra Romanorum conatus fecit & dixit. quibus rebus in se con- 798

citauit iram omnium Romanorum. Leo cõtemnens iram illorum, in processione igitur quadam & pompa nihil expectans mali, omnia tuta putans, seditione a Romanis ciuibus facta, de equo abiicitur, Pontificio ornatu exuitur, pugnis colaphisq; cæditur, semimortuus in carcerem trahitur. Tantaq; hæc acta sunt crudelitate, vt omnes cardinales exanimati fugerint, & tota curia exterrita diffugerit. Verum vt nihil recte curari potest in populo qui in partes diuisus dissentit, habuit & suos amicos inter Romanos, qui studebant Cæsarianis & Pontificiis rebus contra Rempublicam; a quibus paucos post dies e carcere liberatus est, & confugit ad Principem Spoleti. Romani ergo vbi audiuerunt Papam e carcere liberatum, sæuierũt in omnes suspectos crudeliter, etiam in Palatium Pontificium & domos eorum quorum opera putabatur liberatus. Leo ad Carolum Magnum in Gallias festinauit, opem & auxilium quærens; Romani ad eundem mittunt suos legatos, se excusantes, refellentesque pontificiam accusationem, grauiterque rursum accusarunt Leonem. Carolus vero claudit aures ad Romanorum accusationem contra Papam, patrocinatur Pontifici. Romani hoc cernentes, tristes redeunt, ad Senatum omnia referunt, senatus nescire quid agat, quo se vertere debeat, sciens potentiam & in rebus gerendis Caroli successus, omnes se purgare, dicere nunquam placuisse audax impassibileq; facinus, adulari Pontificiis, aduersam factionem damnare. Quidam qui primi autores fuerant, fugere; quibus scilicet excusationi nullus locus erat. Carolus Leonem Pontificem Romã remittit cum equitatu forti, comitantibus eum quibusdam episcopis, sequitur eum Carolus cum copiis. Romam vbi venit Pontifex, obuiam procedentes omnes ecclesiasticæ personę, eum excipiunt honorificentissime cum pompa maxima, processerunt autem illi obuiam vsque ad pontem Miluium. Carolus post pauculos dies sequitur, quoque venit Romam: qui excipitur omnis generis instrumentis musicis, pulsatisque omnibus campanis. Octauo die post aduentum eius, sedit auditurus seditionis & tumultus causas. ex Romanis etsi viderent iudicis animum inclinari in diuersam partem, & aufugissent autores; tamen inuenti sunt qui cum periculo magno veritatem non dubitarint proferre. Præfati igitur quæ ad propositum & regis animum videbantur apta, nefanda & capitalia scelera Leoni obiiciebant, & omnia probabant argumentis quæ conuelli nõ poterant; cumq; essent excalefacti in media accusationis oratione, iussi sunt tacere, cardinales, episcopi & abbates, qui vna sedebant cum Carolo causas adituri, clamabant, Sedem Romanã ecclesiarum omniũ caput, iudicãdi ius habere omnes, a nemine vero debere iudicari. Propter hanc ecclesię autoritatem noluit Carolus iudicare in hac causa, relinquitq; iudicium sanctitati pontificiæ. Nauclerus hæc scripta habet, vbi si quis cupit legere, inueniet. Post hæc cogitauit Leo 3 quibus rationibus efficere posset, vt sedes Romana haberet defensorem, si quid tale aliquid accideret, quãdoquidem Cęsares Constantinopolitani non satis viribus & opibus pollerent ad defendendam Romanę sedis dignitatem, & hactenus in seditionum & tumultuum, ciuiliumq; bellorum motibus Romam deseruissent. Quas ob causas in Occidente opus esse Imperatore qui hæc curet. Multa autem ob merita nemo inueniebatur dignior Carolo rege Galliarum: Primum ob tot officia ab eo collata in ecclesiam Romanam, & tot priuilegia concessa Pontificibus Romanis. Deinde quod esset fortiter factis clarus per totum terrarum orbem, tantęq; autoritatis, vt solus nomine solo plus posset, quã multi alij cruentissimis bellis, qui Italiam & Hispanias ab hostibus sæpe liberasset, Turcasque superasset multis maximis præliis. Postremo ob eadem merita & beneficia in Romanam ecclesiam maiorum suorum, quorum egregie facta ad astra essent sublata apud omnes gentes. His ex causis Pontifex cum consensu suorum Cardinalium & episcoporum appellat Carolum Magnum Galliarum regem, Imperatorem Romanum in Occidente. In die natiuitatis Christi cum missam celebrauit Pontifex, vertit se ad populum, & pronunciauit Carolum Romanum Imperatorem in toto Occidente. Omnis populus apertis tibiis clamarunt, Deus Carolo inuicto Augusto Imperatori largiatur pacem, victoriam contra hostes, incolumitatem, & annos vitæ longissimos. Alij clamabant, Dominus omnipotens fortunet omnes gressus omniaq; cõsilia eius. Et statim auream gemmis distinctam, preciosissimam coronam imposuit illi Pontifex. Atq; ita peruenit ad Germanos a Græcis ius Romani imperij. Scribunt autores totum regnum Caroli nuncupatum

regnum

regnum Franciæ, Germaniam vſque ad Vngaros vocatam regnum Franciæ Orientalis; Gallias & Phriſiam, regnum Franciæ Occidentalis nominatum. A Carolo autem rege regnum Franciæ vocatum eſt. nam Carolus Germanus Francus fuit. Multa ſunt apud varios autores quo pacto imperium a Græcis tranſlatum ſit ad Germanos. Huc etiam facit Canon de conſec. diſt. 1, in qua aperte dicitur, quod Romanum imperium a Græcis ad Germanos deductum ſit. Item aliis locis ſcribitur, quod Romanum imperium in perſona Caroli ad Germanos ſit tranſlatum. Legimus etiam in ſpeculo Hiſtoriali, quod Carolus natus ſit Germanus, maternamque illum habuiſſe linguam Germanicam: & Germanica nomina menſibus & ventis Carolum hunc primum impoſuiſſe. Fuit enim ingenio felici, & literis variis culto, quę dotes illi etiam ab iniquis conceduntur. Et profecto non vulgaris ingenij fuit illa nomina imponere mēſibus & ventis Germanico ſermone quæ habent. Lingua Germanica etiam locutos in Gallia tempore Caroli, teſtantur munimenta multa veterum. Hoc beatus Rhenanus notauit, vir in omni genere literarum excellenter doctus & vere philoſophus. propterea que vere beatus ſuis contentus ſine ambitione viuit rex, &, quod ad noſtrum propoſitum facit, hiſtoriarum omnium ſeculorum ſcientiſſimus & iudex acutiſſimus. Quem virum ſi pluribus deſcriberem, non poſſem dici non reſpexiſſe libri titulum. videntur enim tales magna pars Germaniæ. Lotharius Ludouici Pij filius teſtatur, omnes liberos Caroli Magni etiam Germanice locutos, nempe natos Francos. Fuitque magna linguæ Saxonum & Francorum ſimilitudo, propter commertia & bella inter eos aſſidua. Porro nihil tam certum quod non inter mortales ad mentiendum & fingendum ingeniosos & inclinatos, in controuerſiam vocetur: quare etiam inuenti ſunt, qui negare auſi ſunt Carolum hunc Magnum Germanum fuiſſe, Germaniæ maximum virum inuidentes. Quod autem Germanus fuerit abunde ſatis magno teſtimonio ſunt eius veſtes, vxores, & liberi. Irenicus probat hoc ex maiorum eius genealogia, quam recenſet a Clodouæo vſque ad Carolum Magnum lib. 3 cap. 17. Eſt & in Decretis comprobatum. Baldus teſtatur, Flauius Forliuienſis, Otho Friſigenſis, Vrbanus 11, Platina in vita Adriani, & Gotfridus Viterbienſis, & reliqui autores, quos enumerare longum eſt, omnes conſentiente vno ore dicunt, hunc Carolum Magnum in Francia Orientali natum. Nauclerus, Lupoldus Bambergenſis, Eginhardus Cancellarius ipſius Caroli: cui tuto credi poteſt; addunt etiam locum in Francia Germaniæ, in quo eſt natus, nempe Ingelheim. Marlianus dicit, Carolum natum in pago Lupilia nomine; & ſcribit omnes eius maiores, cognatos, & liberos fuiſſe Germanos. Cui ſubſcribit Ganguinus. Eginhardus Cancellarius eius ſcriptum reliquit, Carolum Germanica ſemper pro ſua peculiari lingua vſum, plerunq; apud Germanos verſatum, niſi vrgentibus regnorum negociis, & bellorum tumultibus, nunquam Germania egreſſum, tantopere ſcilicet delectatum patrio ſolo, patriæ moribus, cœli, ſub quo natus erat, dulcedine. Et per totam ſuam ætatem non aliter veſtitum, quā conſuetudine & more Germanorum, præter bis Romæ, rogatu Pontificis Adriani, & Leonis tertij, veſtitu Romanorum more vſum, propter conciliandos ſibi morum veſtiumq; ſimilitudine Romanorum animos: ſed egreſſum Vrbe mutaſſe, & Romanum habitum ceu onus depoſuiſſe. Quanquam quid opus eſt probare rem clariſſimam? nos tamen hæc pauca ex pluribus addidimus, ne quis dubitet, illorum qui incidunt in eos qui audent hoc in dubiū vocare, aut etiam impudenter negare, quos miſſos faciamus; neque enim digni ſunt qui aut legātur, aut nominis eorum vlla mentio fiat. Iis vero autoribus, quos citaui, nemo dubitet credere: fidei enim maiorem rationem habuiſſe animaduerto, quam dictionis elegantiæ, idque laudo. neque enim in hiſtoria aliud eque requirimus aut expectamus, atque certam fidem. Suos etiam filios & filias & vxores a Germanorum cultu nihil differre voluit, filiosque in armis & exercitationibus in ocio & venationibus ad conſuetudinem Germanorum aſſuefecit. Exercuit autem eos a prima adoleſcentia non ſegniter, quo indurati ſufficerent ſeriis rebus bello & pace. Porro qui dicunt imperij Romani ius primum per Carolum ad Francos tranſlatum, & poſtea a Francis ad Germanos deductum per Othonē 1, ij toto errant cœlo. Ignorant enim Francos Germanos, putant Gallos Francos eſſe, cui errori occaſionem dedit id quod ſupra dictum eſt, regnum Galliæ etiā vocitatum regnū Franciæ (quod nomen ad noſtra tempora obtinet) propter reges eius ex

Francia Germaniæ. In his qui dubitat, idē clara luce cæcutit. Loquunturq; contra paulo ante citatum decretum, & contra Canonem in cap. Venerabilem. quibus locis satis est comprobatum, imperium Romanum in persona Caroli primū ad Germanos venisse: quanquam posterioribus temporibus Pōtifices Romani & alij sępe tentarint hoc ius Germanis eripere. Propterea quod Germani Cæsares quidam non voluerunt mancipia esse quorundam, & non omnia ad nutum quorundam implere sanguine. Et plane, quantum ego ex omnibus rerū circumstantiis coniicere possum, nullę fuerunt aliæ causæ, quod quidam ita ad Berengarij & Hugonis Arelatensis, & aliorum quorundam ocij & pacis communis turbatorum tyrannidem conniuerunt, imo & clam iuuerunt ad imperium & communem mortalibus salutarem almam pacem turbandam. Quorum malorum quę adhuc hodie orbem affligunt, causæ sunt apertiores, quam vt inuehendum sit mihi in autores bellorum. Nec est nostri propositi aut consilij perstringere quenquam. Reuertar igitur ad Carolum, cuius æquitatem cum vbiq; tum potissimum in Italiæ rebus ordinādis videmus. Longobardis enim victis sedes tribuit circa Mediolanum & Papiam, & in his locis quos hodie adhuc vocant Lombardiam. Exarchatum Rauennæ nominauit Romaniolā, vt quæ Romani essēt Pontificis. Græcos omnes eiecit ex Italia, Siciliam & Neapolim concessit propter pacē Constantinopolitanis Imperatoribus: quas facile sibi subiicere potuisset, nisi maluisset rerum tranquillitatem. Reliquam totam Italiam imperio Occidentali adiudicauit. Paxq; facta est inter Irenen & Carolum, & cū Nicephoro, ea conditionum lege, vt Veneti suis legibus vterentur, essetq; ciuitas libera, neutri neq; Occidētis, neq; Orientis imperio obnoxia. hoc factum
803. esse traditur anno 803. Non longo post tempore in Germaniam venerūt ad Carolum Imperatorem princeps & episcopus Venetiarum cum magnificentissimis muneribus, petentes ab eo priuilegiorum & libertatis donatæ confirmationem. Ad quam eorum petitionem Carolus Augustus facilis plura quā petierunt concessit: sed voluit vt etiam his a se concessis priuilegiis accederet Pontificis consensus & autoritas. Ea fuit Carolus modestia, & erga Romanam sedem obseruantia. Veneti autem breui post tempore beneficiorū Caroli non satis memores, egerunt nescio quid aduersus Carolum, egerunt autem tantum contra eum, vt illis indicto bello, in eos miserit Pipinum cum exercitu. Pipinus vbi cum Germano milite appropinquat Venetiarum ditioni, ex agro passim Veneto & ex vrbibus etiam munitioribus fugerunt in vrbē Venetiarum. idcirco Heracliam nouam vrbem, & Equilium vacuas reperit Pipinus: totamq; eorum in ea parte in Italia, scilicet ditionem cepit Pipinus, nullo resistente. Nicephorus in hoc bello suas simultates cum Carolo dissimulare non potuit: cōtra enim fœderis leges & fidem misit Venetis auxilia, & illos concitauit aduersus Carolum, conatus & alios eodem tempore excitare. Quæ res Carolum nō mediocriter commouit. Quare auget copias, maioriq; vrget bellum animo & apparatu. Profuit autē non parum, quod Venetorum quidam Principes Carolo fauebant. In vrbe igitur nihil solide discordes proponere poterant; & erant debiliores Nicephori manus, quam expectarant; Caroli autē copiæ indies crescebant, ex quibus causis factū est, vt Veneti desponderint animum, petierintq; pacē, adeoq; vt se facturos quicquid iustū & æquum esse, iudicaret ipse Imperator Carolus. Igitur nouū fœdus inter Carolū & Venetos est factum: cuius hæ præcipuæ conditiones erant, primo, ne vnquā mitterent Constantinopolitanis principibus auxilia, néve ab illis peterent auxilia, & nihil prorsus cōmune commertium q; cum illis haberent. Secundo, vt ficubi necessitas exigeret, vt Carolo opus esset nauibus, vt certum numerum nauium bonarum darent, & certam summam pecunię contra Turcas conferrent. Tertio, vt quandocunq; vsus postularet, vt illi loca eorum & portus omnes paterent, etiam Venetiæ ipsa vrbs. Hæc sunt literis & sigillis, iuramentisque corroborata.

Porro Veneti cum sint fere omnes mercatores, aut si qui sunt quibus nullo amplius quæstu est opus, ex mercatura has facultates sunt consecuti. non diu igitur illam iacturam facultatum ferunt; vident enim aut mercatura rē quærendam, aut deserendā patriam, mutandumq; locum. Neq; enim vineta in mari conserere, aut ęquor arare poterant. Ob has causas cum Principibus Constantinopolitanis iterum contra leges pacis redeunt in gratiam. Neq; enim mercaturam exercere possunt, nisi amici sint Constantinopolitanis. Quapropter cū Turcis tam diuturnam pacem nostra memoria seruauerunt.

runt. Nec diu possunt durare in ea populi frequentia, nisi amico vtantur Turca, qui transmarina fere omnia loca sub suo premit imperio, ex quibus ad nos per Venetos apportantur merces. Quamobrem si quando incidunt cum Turca belli causæ, breue solet esse bellum. Pacem enim emunt magno, quam pecuniã ex Europa, quæ eius fruitur mercibus, large recipiunt. Hanc defectionem Venetorum non laturus Imperator Carolus, multo quam prius apparatu belli ampliore inuadit eos, duce Pipino. Venetorum subditi vt antea ex oppidis & agris passim se intra mœnia Venetiarum recipiunt. Pipinus omnia habitatoribus & omnib. rebus vacua facile in potestatem redigit. Erat autem consilium & spes Venetorum, non diu cum tanto exercitu permanere posse in castris. Ipsi vero habebant omnia necessaria in vrbe vberrime, & libere nauibus per mare quo volebant, inuehere poterant; neque enim nauali facultate Pipinus pollebat. ipsi vero classem habebant magnam & bene instructam, & qui eam regebãt, peritissimos, ad pugnamq; naualem expeditissimos. Cũ igitur Pipinus aliquandiu sic in castris tempus frustra tereret, Venetiq; nullum deditionis aut timoris signum præberẽt, sed se intra mœnia continerent, intellexit eorum spem esse breui discessuram. Erat primũ consilium Pipini, captum agrum & vrbes aduenis habitatoribus tradere, fortibusq; viris ex Germania, & Italiam reliquam illis iungere, vt quando Veneti post exercitus discessum recipere conarentur, vna coniuncti resisterent. Sed Carolus iubet eum nullis impensis parcere, classem quoq; parare, qua etiam ab vsu maris prohibeantur. Pontifex in classe paranda & tota Italia iuuat eum. Postquam circumdedit vrbem mari & terra, pontem ab arido vsq; ad vrbem, magnũ opus facere instituit: cum autem pene erat ad vrbem perductus, igne a Venetis miro artificio & materia facto, correptus media nocte totus conflagrauit; periitq; ea nocte magnus militum, qui in ponte erant, numerus. Classem quoq; eius incendere conati, sed Itali qui in ea erant, cauerunt: sed nauali prælio congressi, cedere coacti sunt Pipini naues, vna atque altera amissa. Quibus rebus non parum commotus est ira Pipinus, sed quo magis cupit vlcisci, hoc minus spei est fieri posse. Videt enim inexpugnabilẽ vrbem, videt obstinatos ciuium animos. Pudet sic discedere, rebus infectis. Imperator Carolus subornat Pontificem, vt se interponat, & qualemcunque possit, pacem faciat. Pontifex ad Venetos mittit legationem, episcopum virũ facundia & prudentia insigniter dotatum: qui vbi venit ad Venetos, & Pontificis voluntatẽ & postulata de pace exposuisset, respondẽrũt, Se nullis rationibus posse mercaturam qua ciuitas cœperit, & in eam magnitudinem creuerit, & hactenus cõseruata sit, relinquere, nisi velint & cœlum mutare. Sed ad impossibilia promittẽda adactos a Carolo, quæ seruare vllis legibus nemo cogatur. Quare aut libertatem suam velle retinere, aut extrema omnia tentare. Si Carolus velit eis integrũ relinquere cum Constantinopolitanis & etiam cum Turcis mercaturam exercere, habiturũ amicam ciuitatem, & quæ officia iusta nunquã sit negatura. Interea Pipinus reparare naues, simulare se alios milites ex Germania expectare, moliri maxima quæq;. Veneti respondent Pontificis legato si possit efficere, vt in quiete possint statum ciuitatis conseruare, salua libertate, maximi beneficij loco habituros. Donant præterea munuscula nõ vulgaria, legato; qui horũ responso audito, ad Carolum proficiscitur in Germaniã, agitq; apud Carolum Venetorum causam, & exponit Pontificis voluntatem de facienda pace, quasi ignarus, quod hoc Carolus a Pontifice petierit. Et incertum est, an dissimularit se scire, an vere nescierit. Carolo magnopere placuit taciturnitas & fides Põtificis. Venetorum causam serio agit, quod tueri statum vrbis sine Græcorum & aliorũ exterorum commertio non possint: Si ex agricultura aut pactione viuere velint, vrbem relinquendam necessitate coactos, inuitos contra Cæsaream Caroli maiestatẽ egisse. Caroli virtutes a plurimis Venetiarum principibus viris prædicari candidissime. nihil æque cupere quã a Carolo occasionem præberi quo animum ciuitatis erga eũ declarare possint. Petere pacem, sed cum libertate coniunctam, sed in qua vrbis status posset durare, sed possibilem seruatu; contraque quam non cogantur velint nolint, agere. Carolus a Pontificis legato episcopo placatus, & Venetis beneuolus redditus totus, respondet se maiora Pontifici non negare aut posse aut debere. Venetis ignoscere, & quęcunque ad augendam ciuitatẽ faciant, cõcedere. Episcopũ multis officiis collatis, dimittit, cupitq; arbitros Pontificem & hunc legatũ de cõponenda pace cum Venetis, fit pax, sua omnia

recuperant, libere cum omnibus commertia agunt, dimittitur exercitus. Hoc pacto hoc est finitum bellum. Graue quoque cum Boëmis gessit bellum, contra quos cum copiis Carolus Magnus misit suum filium Carolum. Qui cum Boëmiæ appropinquasset, obuiam illi Boëmi venerunt, vtile putantes hostem in fines suos non admittere. Collocarunt igitur præsidia per omnia loca montium & syluarum, per quæ hostē venturum putabant. Vno vero loco congregatus est exercitus, qui in animo habebat excipere hostem prælio. Quibus Boëmorum rationibus cognitis, Carolus suas ex illorum rationibus moderatur. Ergo iter tenuit, per quod venturum expectabant, quamdiu potuit, & paruis itineribus iuit per aliquot dies. Hostes colligunt maximas vires suas in vnum locum, & bene muniunt castra, & obstruunt magnis laboribus vias. Simulat ergo se parare ad perrumpēdam omnem eam munitionem per hostes; sed acceptis viarum peritis ductoribus, sub crepusculum noctis iubet omnes se cibo reficere, promittit laboris præmium, iubet vt cogitent, quam paruis itineribus hactenus sint ducti, totos dies sæpe iam quieuisse, vt vna hac nocte sint animis parati, rogat, sine omni discrimine ducturum in medium hostilem agrum: sed hac nocte festinandum. Incenditq; ignes adiecta materia, qua ignes per totam noctem durent, præbeantque speciem manentis exercitus; taciteque propere abducit exercitum per loca qua minime a Boëmis expectabatur. inuenit tamen ea quoque præsidiis munita, sed infirmis: iis igitur partim captis, partim occisis, partim fugatis, peruenit sine negocio in hostilem regionem. Erat autem ea nox stellis & luna clara. Luce orta Boëmi mirantur insolitum silentium, exploratores nunciant hostes nusquā apparere, subito timent ne illud sit quod erat, nempe aliam viam ingressos, tamen discedere non audent, metuunt enim insidias. A meridie nunciatur illis in castris vt aduolent, hostes vastare omnia. Boëmi properant ad suos parentes senes, vxores, caros liberos, & focos defendendos. Eo die hostem consequi non possunt, sed veniunt ad vastata & incendiis consumpta ædificia, nouam & deplorandam patriæ faciem. Festinant igitur per totam noctem eam & sequentem lucem confusi dolore & ira, eo vesperi veniunt in hostium conspectum, qui castris munitis, quiescunt laboribus & longis itineribus fatigati. Boëmi ceu irrationales irritati animantes, fessi & fame debilitati ad castrorum vallum inexpugnabile currunt magno clamore. repulsi igitur aliquoties, multis amissis, alio loco non minus firmo tentant, & sic per totam noctem frustra oppugnant castra, amittuntque magnam copiarum multitudinem. Luce orta videns Carolus non compotes mentis, consilium ex tempore capit, nempe videns aut omnes sine suorum iactura oppugnādo casuros, si velint pergere, vt ea nocte sine ratione fecerāt; aut discessuros, vt quiete & cibo se reparent. Quare equitatum paratum iubet ad portam expectare, vt cum primum signum datum illis sit, erumpant, & extremum agmen abeuntium carpant, alio loco in eundem vsum etiam expeditos leuis armaturæ pedites constituit, qui signum expectent erumpendi. Boëmi vbi vident multos lassitudine & fame deficere, & expugnari castra non posse, collem qui aberat circiter quingentos passus occupaturi, se in pedes coniiciunt: sed fatigati tardius festinare coguntur. Emissi equites, & peditatus magna pars a Carolo non extremum agmen carpunt, sed vniuersas pene copias obrutas contrucidant, pauci effugiunt. Atque ex captiuis cognitum est totius Boëmiæ vires hic fuisse collectas. Carolus mouet triduo post prælium castra, expugnaturus vrbes. Boëmi mittunt qui pacem petant, qui obsides daturos, qui quicquid iubeat facturos, polliceantur. Prorsus enim erant fracti & victi: nam etiam perierat in oppugnandis castris Princeps eorum Lechon. Carolus imperat obsides, cōditiones fœderis præscribit. Quid singulis annis Carolo Magno tribuere debeant statuit, & reducit exercitum incolumem, tot hostibus occisis quod mirabile rarumq; auditu est. Porro cum tam multa hactenus dicta sint de Francis Germaniæ, nō est quod quisquam miretur: est enim magna pars superioris Germaniæ, & ante Carolum eiusq; maiores clari, præter alios Germanos, fuerunt bellicis laudibus, Valerianum a suis finibus repulerunt. Drusus Germanicus expertus est illorum fortitudinem. Post eum Gaius armis eorum cedere coactus est. Vitellius quoque eorum roboris testis est. Domicianum si quis roget, respondebit quales fuerint in bello. Traianus, qui inferiorem Germaniam subiecit sibi ad fines Francorum vsque, a Francis abstinuit. Aurelianus apud Moguntiam vicit eos prælio: sed minime inultos.

Pro-

Probus ſæpe vicit in ſuperiore & inferiore Germania: ſed à Frãcis accẽpit detrimenti plurimum. Valentinianus & Theodoſius etiam Francos cedere Romanis coëgerũt; ſed non ex agro Franciæ ceſſerunt, fortiter a ſuis focis hoſtem quantumuis potentem, repulerunt. Quæ autem prima ſit Francorum origo, multi fabulantur multa inutiliter. Francos eſſe ſuperiores Germanos clariſſime ex Strabone autore optimo probari poteſt, qui temporibus Auguſti vixit, & cum Romanis in militia ſæpe verſatus eſt. Hic autor diſerte Francos vicinos facit Vindelicis, quos attingunt una parte adhuc noſtra ætate. Hac occaſione autem euecti ſunt in tantam potentiam: Gallienus Romanorum Imper. appellatus, Romæ in omni genere luxus vixit, parum curãs imperij res: venit igitur in contemptum ignauus venter. Erat autem in Germania dux, dotibus multis boni Imper. ornatus, nomine Poſthumus, qui ab exercitu cui præerat, appellatus eſt Imper. Quod vbi ad Gallienum peruenit, homo iraſci, amicos conuocare, auxilia eorum inuocare, exercitum quam poteſt per facultates maximum conſcribere, contra Poſthumum mittere, graue pondus auri polliceri qui caput ad ſe ferret Poſthumi, quaſi eſſet in vado, ſi modò haberet caput Poſthumi, mentis inops venter putauit, non cogitans ſe deſpici, & pro fœmina ſcorto haberi. Audiens verò hãc iram Gallieni, & contra ſe mitti exercitum (quãquam nihil inexpectatum illi erat) ex Roma Poſthumus, copias ſuas auget Germano milite & prẽcipue Francis, qui tum propter belli prẽter alios, laudem bene audiebant. Maximã igitur Francorum multitudinem in exercitum aſſumit, expectat duces mollis hominis Gallieni ſine ſolicitudine; putat enim delicati principis ſeruos quoq; delicatos, nimirũ ita contemnẽs hoſtem, conferens virtutẽ ſui exercitus ad aduenientis Romani robur. Confiſus igitur militũ virtute nihil periculi timet, quare per proditionem facile occiditur, præcipue tanto occiſori præmio ſtatuto. Poſthumo igitur interfecto, Francorum copiæ non propterea ſtatim diſſoluuntur, ſed cum eſſent ſatis cõtra potentiſſimũ hoſtẽ magnæ, vnanimes ſtatuunt perſequi bellũ, & non propter vnicum hominem Poſthumum domum vacuos redire. Deliberant igitur qua potiſſimum parte Rom. imperium ſit aggrediendũ illis. Alij primo, alij alio loco aggrediendum cenſebant. tandem vincit ſententia eorum qui ſequi Rhenum conſulebant vſq; ad Treuerim, & apud Treueros tranſire Rhenum, Galliasq; inuadere, & ſedes illic quærere ſub feliciore & temperatiore cœlo. Poſtquam hæc diligenter deliberarunt, ſine ceſſatione viam propoſitam arripiunt, omnia vſq; ad Treueros quæ in itinere erant Romani imperij, populantur. Treuerim expugnatam in poteſtatem ſuam redigunt, & Galliam fere totam capiunt, ſedes in ea eligunt, de qua re eſt in ſuperioribus quoque dictum. Ex his Francis nobilioribus fuit proſapia Caroli Magni. Non deſunt qui volunt eam regionem ſubiectam illis fuiſſe, quam iam comes Palatinus habet. De magnitudine animi & fortibus felicibusque factis Caroli maiorumque eius nimium fortaſſe cuipiam dixiſſe videmur. Quare multa apud alios obuia omittimus. Maximum quod in hoc viro præcipue laudibus vehendum iudico, eſt, quod non ſatis habuit genuiſſe prolem, niſi etiam educaret recte, & vt mortalibus vtui eſſe poſſet. Quod non ſatis putauit regna acquirere, niſi bonis legibus, moribus, & recta religione inſtituta, in pace liberali ocio locus eſſet. Quapropter vbique locorum tot concilia celebrauit, tantam adhibuit diligentiam in perſonis, qui & religioni & Reipub. præeſſent. Eas ob cauſas tot ſcholas, vt loquuntur, fundauit, ad diſcendas bonas artes, bonos mores, Chriſtianam doctrinam imprimis. Autor eſt eius Vniuerſitatis quæ eſt Bononiæ, & eius quæ eſt Papiæ, eiusque quæ Lutetiæ eſt. Nec alio propoſito tot fundauit monaſteria, niſi vt iuuentus bene in illis inſtituta, vtilis eſſet exemplo & doctrina hominibus, & qui in illis conſeneſcere, mundi ſtultitia & pompa contempta contemplationi & orationi ſe tradentes, ſtatuerent, docerent morum probitatem, veramque religionem populum. Multa de hoc eius nunquam ſatis laudato ſtudio ſunt apud autores, nos vno teſte adducto ſatis habebimus. Sic igitur fere ad verbum eſt ſcriptum apud Nauclerum, Carolus pro ſuo religionis ſtudio Vlmam regiam villam abbati & conuentui Augiæ maioris dedit, qui eccleſiæ iura, decimas, tributa, penſiones, per præfectos ſuos inde accipiebat: ſed Vlmenſes iam ad libertatem ſuam non ſine maximo, vt legimus, incommodo redierunt, donationem ſuã Carolus literis confirmauit, quarũ hic exemplũ habes, In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis Carolus diuina fauẽte gratia Imp.

Augustus: Si sanctorum monasteriorum loca, ne labantur, frequenter sustentamus, sustentando ditamus, non solum Deum per hoc nobis placamus, sed etiam nostri totius regni statum corroboramus. Quapropter omnium præsentium ac futurorũ comperiet industria, qualiter Vlmam nostram regalem villam pro animæ nostræ ac parentum nostrorum remedio ad monasterium quod constructum est in insula quæ in Alamaniæ partibus sita *Sintleohesana* nuncupatur, vbi venerabilis præsul Hetto spirituali turmę pręest, cum omnibus appendiciis suis, & locis adiacentibus, tradimus atq; transfundimus, vt fratres ibidem regulariter subsistentes, & diuino operi die nocteque iugiter insudantes, dum a nostris sumptibus alacriter procurãtur, assiduis eorum precibus Deum nobis propitium facere dignentur, vt cum prædictis Hetto cum fratribus suis monachis videlicet, atque clericis in præfata insula exterioribus viris remotis Deo seruire liberius atque securius insistere valeat, cum ipsius abbatis desiderio, suorumque monachorum rogatu Adelbertum cognatum nostrum in supra dicta Vlma aduocatum ac defensorem constituimus, & eundem quia quales futuri homines sint, ignoramus, ne statuta nostra vel quisquam suorum successorum transgrediatur, in præsenti cum iuramento tenaciter eligamus. Hac de causa nostræ placuit prouidentiæ eodem Adelberto defuncto in præsentia abbatis suorumque successorum ac fratrum videlicet monachorum hoc perpetua ponere potestate, vt sapientium vsi cõsiliis ex his quos inter potentes nouerint, & inuenerint, meliores seculi & æquitatis amatores eligant huic loco, sicut & in cæteris locis suis, competenter aduocatos & defensores: eo tamen tenore, vt quandocunq; sui commissi præuaricator, aut in rebus vel hominibus (quod vulgo *Balmundt* dicitur) existat, statim sine mora, sine iudicio aduocatiam perdat. Qui aduocatur & omnes sui successores quale seruitium in præfata villa Vlma ab Augensi abbate eiusdemque ministris deinceps percepturi, vel qualem iustitiam ipsi abbatibus sint facturi, breuiter hic determinauimus. Statuimus ergo & præcipimus si præsens Adelbertus aduocatus vel quisquam suorum successorum in prædicta villa placitare voluerit, quando vel qualiter aut quotiens hoc fiat, in abbatis arbitrio pendeat, & ab eo disponatur, vt non compluribus quam 30 equis ad placitandum veniat: & tale seruitium quale tunc reperitur, & quod prædictæ militum & equorum multitudini congruat & sufficiat, eidem aduocato prælibato abbas decenter & honeste exhibeat. Et vt hoc nunc & in futuro cunctis pateat, regali nostro imperio sancimus & confirmamus, vt nullus aduocatus in præfata villa maius seruitium ab Augensi abbate, vel a suis ministris quasi ex debito exigat, aut ad libitum sibi statuat, ipse siue quasi ex iure vltra statutum quicquam vsurpare sibi vel vendicare audeat. Insuper statuimus atque iubemus quicquid placitando ibidem acquirat, tertia parte sibi retenta duas abbati reddat, & nullum aduocatum vel exactorem præter se sine abbatis permissione constituat. Addimus quod nihil priuati muneris vel seruitij in eadem villa, vel a quolibet locorum illuc pertinentium, siue a cellariis quasi ex debito & statuto sibi iure exigat, ac mansiones vel pernoctationes vspiã frequentare audeat. Quod si præsens aduocatus vel quisquam suorum successorum hæc nostra statuta transgrediatur, sine iudicio & absque spe recuperationis iubemus, vt aduocatia statim priuetur, & alter fidelior ac iustitiæ amantior sano consilio in eius locum subrogetur. Et vt hoc scriptum nostrum atque decretum ab omnibus firmius obseruetur & obnixius, annali nostro signo sigilliq;

813 impressione firmari iussimus. Datum anno salutis 813. Sed satis sint hæc de hoc incomparabili viro, cuius memoria delectati proliores fuimus. quis enim non cupiat perpetuo esse cum huiusmodi viris?

DE

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS.

ANatiuitate Christi anno 815, Caroli Magni Imperatoris Romanorum, Gallorum, Francorumque regis filius Ludouicus regnorum imperijque assumpsit habenas, propter summam in religionem obseruantiam, & singularem pietatem clementiamq; Pius dictus, quumprimum audit patrem Aquisgrani vita defunctum, illuc properat, iusta patri persoluit, studium & curam omnem ad administrationem imperij & regnorum conuertit, nullis laboribus abstinuit, quo omnia in tranquillo felicique statu perseuerarent. Nam maxima in rebus administrandis prudentia & cura est opus post magnorum principum mortem, solent enim tum multa moueri, multi res moliri nouas. Ad quam pestem excludendam impiger fuit hic nouus Imperator Ludouicus. Primum ergo legationes quæ ad patrem venerant, quæ multæ erant, & de rebus maximi momenti, patienter audiuit, & respondit. Comitiis mox habitis magnatum, ad leges custodiendas & pacem cõmunẽ conseruandam legatos in regnorũ omnia loca mittit.. Paucis post mẽsibus venit ad Imperatorem in Gallias, qui tum agebat in Aurelianis, Pontifex Romanus Stephanus, qui Leoni successerat, de publicis ecclesiæ commodis stabiliendis, & seditionibus tollendis acturus. Pontifex cum omni qua potuit fieri, reuerentia est exceptus ab Imperatore. Et non minore cura & sedulitate res ecclesiæ curat Ludouicus Pius, quam Pontifex ipse. Noluit enim suorum maiorum vestigia deserere. Hoc autem præcipue dicitur Imperatori Pio placuisse in Pontifice, quod orauerat pro suis persecutoribus & illis Romanis, qui in causa Leonis Pontificis in exilio erant. Solennibus postea sacris ex more celebratis, Pontifex Stephanus corona imperiali Ludouicum coronauit, Romanorumq; Imperatorem salutat. Rebus igitur ecclesiasticis ex animi voluntate ordinatis, dimittitur Pontifex Romam. Eo anno ecclesia Reatina vacante, vt sic loquar, Pontifex noluit electum episcopum consecrare nisi ab Imperatore Pio obtinuisset prius licentiam. Habetur in Decretis 63 distinct. ca. Lectis. Ex quo satis clarum est, tunc inuestituras episcopis præstitisse. De quo Imperatorum iure prius est dictum. Leo Imperator Constantinopolitanus, hoc anno legationem misit ad Ludouicum Pium, qui petant confirmari & renouari fœdus, quod inter Carolum Magnum & Constantinopolitanum Principem fuit. Quod facile impetrarunt ab eo Principe cui nihil antiquius pace & rerum tranquillitate. Eo quoque anno moritur Stephanus Pontifex; in eius locum eligitur Paschalis, Romanus natione. Hic, quoniam electus erat non accedente Imperatoris Ludouici calculo seu autoritate, sine mora legatos ad Imperatorem mittit, qui præueniant accusatores, & antequam animus eius irritatus propter læsam maiestatem aliquid apud se contra electionem statuat. Veniunt ergo legati antequam vlla fama de ea re ad Pium permanasset. Exordiis muniunt sibi viam, tractant oratoriis artibus Principis animum, tandem huc euadunt, paratum se deponere, si displiceat Imperatori, põtificatum, imo non assumptum, nisi autoritate eius confirmetur. Culpamque reiiciunt in clerum & populum; sed propter probitatem vitæ & pietatem tantopere fauisse omnes illi, neminem digniorem inuentum, non ambiuisse, ministerium ducere & onus, quod inuito imposuerint, paratum si iubeat Imperator, alij cedere. Qua oratione Cæsar persuasus, ratam habuit eius electionem: sed ne posthac fieret se inscio edixit, inquiens populo & clero maiorum instituta, leges, & pacta esse seruanda, in posterum impune non læsuros maiestatem, quare cauerent, nec hæc sua facilitas & clementia eos audaciores redderet ad leges præuaricandas. Itaque dimisit, vt simul facilem & seuerum virum, sineq; leuitate clementem Romæ prædicarent. Posthæc apud Aquisgranum generalem habuit synodum ecclesiasticorum & secularium procerum: in qua de vitiis ex ecclesia tollendis, de reformandis quæ in deterius labebantur, multis ecclesiasticis rebus & personis, de scholis instituendis, de probandis personis in ministerium ecclesiæ assumendis, de personis in monasteriis alendis, de rationibus tuendæ pacis, de ritibus ecclesiasticis, de psallendo & cantando non ore tantum, sed & cor-

815

de: deq; aliis ad ſocietatem & vitam felicem mortalium facientibus, eſt tractatum. In eo quoque concilio tres habuit filios, quos illi Hirmegarde peperit legitima vxor: quorum Lotharius in imperij conſortium admittitur, futurusq; pronunciatur Cæſar: Ludouicus Boioariæ rex creatur: Pipinus Aquitaniæ rex declaratur. nam illa fuerunt filiis nomina. Porro Lotharium imperij conſortem, in Italiam legauit, vt eius res quod ad imperium attinet, gubernaret, ſed prius iuſſum proficiſci Romam, vt a Pontifice Paſchali diademate coronatus, plus authoritatis & iuris accederet. In ſuperioribus eſt dictum Ludouico Caroli Magni filio fuiſſe duos fratres Germanos, nempe Pipinum & Carolum, qui ambo vita ſunt defuncti ante mortem patris. Sed reliquit Pipinus filium, nomine Bernhardum, qui ius regni Italici ad ſe pertinere voluit. pater enim eius Pipinus ab Imperatore patre ſuo fuit rex conſtitutus ſuper Italiam, & mortuo Pipino, Italiæ regnum ab eodem Carolo Magno auo ſuo eſt traditũ Bernhardo, Pipini filio. His cauſis contra patruum ſuum Ludouicum, & filium eius Lotharium arma parat, copias cogit, omnes in alpibus, quibus venturus putabatur Ludouicus Imperator, vias præſidiis firmis occupat, exercitum quotidie auget, vrbes munit, ſe Pontifici inſinuare nititur, ſolicitat ad defectionem quoſdam. Hæc omnia nunciantur Carolo cum adhuc eſſet congregata ſynodus Aquiſgrani, Ludouicus cauſam ſuam in comitiis agit, nullis præſentibus qui nomine Bernhardi ex aduerſo illi reſponderent, quanquam fuiſſe dicuntur qui cauſam Bernhardi iuſtam iudicarint, & percognitam habuerint; tamen nemo contra mutire, nemo non præſenti Imperatori adulari, omnes nepotem eius Bernhardum crimine læſæ maieſtatis condemnare, hoſtem communem imperij iudicare, omnes polliceri auxiliares manus aduerſus ſeditioſum, læſæq; maieſtatis rerum. Imperator milites per totam Germaniam & Gallias conſcribit, & cogit copias longe quam opus fuiſſet, maiores, properat Italiam verſus. Vbi venit ad alpes, Bernhardus veritus ne magis commoueret animum patruum Ludouici, ſi reſiſteret, præſidia deducit, quibus obſtruxerat in alpibus vias. Intellexit enim contra ſe totum imperium vno omnium conſenſu conſpiraſſe, ſuasq; copias ad Imperatoris collatas omnino impares, Imperatoremq; bellum poſſe producere, ſi opus ſit, in multos annos, ſe vix pauculos menſes. confiditq; veniam & gratiam ſe inuenturum apud Imperatorem qui ſtudeat clemens & pius haberi, illisq; nominibus iam per totum orbem bene audiat, & apud patruum ſuum propter ſanguinis coniunctionem. Quare ad Imperatorem patruum ſuum confugit, genibus flexis ante eum procumbens in hanc ſententiam in eum affatur, Se auſum accedere ad eum apud quem ſciat maximis delictis veniam, quemque ſciat propter caritatem Chriſti etiam hoſtibus non ſolum ignoſcere, ſed & benefacere. Pietate illa confiſum deprecari culpam, agnoſcere ſtultam ſuam puerilem temeritatem, ætatis errori ignoſcat, poſthac reueriturum ſe maieſtatem cum omni debita obſeruatione. Non ſua malitia factum, ſed impulſu quorundam factum, ſeſe fortunasq; ſuas in illius manum & voluntatem ponere, cum pace ratum habiturum quicquid eius bonitas ſtatuat. Admonuit ſimul eũ vnitatis ſanguineæ, voluntatis Caroli Magni, mentionemq; non tempeſtiuam imprudẽter fecit iuris ſui in fine orationis, putauit, opinor, animum ad cognoſcendam cauſam paratum. Ludouicus Imperator patruus, offenſus, vt creditur, orationis fine, qui de iure Bernhardi regnum Latinum fuit, nepotem adhuc admodum adoleſcentem & tres epiſcopos (quorum inſtinctu potiſſimum tantam rem conatus fuerat) ſcilicet Theodolphum Aurelianenſem, Valfredum Cremonenſem, & Anshelmum Mediolanenſem ſecum Aquiſgranum captos duxit, multis tamen prius qui ſtuduerant Bernhardi partibus in Italia antequam diſcederet, iugulatis viris. Concilio Aquiſgrani habito, in quo omnes, vt fieri conſueuit, aſſeſſores prius quam cõſulerent aut ſententiam ferrent, diligenter explorauerunt quæ eſſet animi Imperatorij ſententia & voluntas, qua cognita, rogati eã ferebant ſententiam, quæ maxima placitura viſa eſt principi. Horũ igitur iudicio damnatus Bernhardus rex nepos Imperatoris capite luit pœnas. Epiſcopi, propter religionem qua non licebat eos occidere, ſunt in exilium miſſi. In hac ſynodo putant quidam eorum locorum Italiæ ius ab Imperatore Ludouico pontificiæ ſedi donatum, de quo Volaterranus lib. Geograph. Nam in eo concilio definitum eſſe quid iuris Pontifex, quid Cæſar habere debeat in adminiſtrãdis rebus imperij. Item declaratum eſſe per quas regiones & facultates, cenſus & vectigalia

Ro-

Romana ſedes ſuſtentari honeſte debeat. His rebus ex voto Principum diſpoſitis, incidit grauiſſimum bellum cum Saxonibus, qui, vt ſæpe alias, ab imperio defecerant, Viromacho duce & defectionis autore, qui affectauit regnum, propterea q; hanc ſeditionem excitauit. Ludouicus igitur Cæſar opibus & copiis præpollens multis regibus, nedum Saxoniæ vni parti Germaniæ, adoritur Saxones, Viromachus ſuæ factionis turbam contra ducit; ſed Saxoniæ vrbes & magiſtratus etiam illi qui Viromacho promiſerant eandem cum illo fortunam laturos, veniũt ad Imperatorem, ſe excuſant, petunt vt per eum in pace viuere poſſint, hunc turbatorem pacis Viromachum e medio tollat, ſecum inutilem ocioſorum colluuiem hominum habere, quoſdam coactos metu eius caſtra ſequi. Et negant commeatum paſſim ij quoq;, quos maxime ſuos putauit. Quod cum vident paulo cordatiores in caſtris Viromachi, ſuum conſilium repudiant, & deſperatis rebus, caſtra deſerunt, domum ſe recipiunt, purgant ſe alius aliter, quidam dicunt ſe coactos ab eo, alij dicunt nefandum & temerarium eius propoſitum cõtra imperium neſciuiſſe, aliud q;, neſcio quid, ſe voluiſſe agere. contra hoſtes fidei ſuſceptam expeditionem putaſſe. Sic igitur ſociis, amicis, cõmeatu, cõmilitonibus præcipuis deſtitutus Viromachus, facile eſt victus, & interfectus: eius que morte eſt bellum finitum, rediitque Saxonia in viam. Ecce alio loco alia tempeſtas. Erat Angliæ princeps Nortmannus nomine (ſunt qui & illum ex maioribus Saxonem fuiſſe) qui bis aut ter fœdifragus victus a Francorum regibus, toties gratiam & veniam conſecutus eſt, iam iterum contra datam fidem res contra imperium nouas molitur, & coacta nebulonum magna multitudine, occupat magnam Britãniæ partem, & turbat totam eam inſulam, vt neque legibus, neque religioni eſſet vllus locus. Contra quem vbi miſit copias ſuas Imperator, idem fere accidit illi Nortmanno, quod iam diximus Viromacho contigiſſe: & ſolet pleriſque accidere qui turba multorum nebulonum nituntur contra leges. Vt vno verbo hoc bellum expediam, Nortmannus vincitur, obtruncatur, alma pax Angliæ redditur. Mox ab alia plaga e regione alia exoritur atra tempeſtas in inferiore Pannonia. in ea enim regione quidam nobilitatis primæ Linteuintus nomine, contra Romanum imperium magnam multitudinem excitauit, quaſdam etiam vrbes ea factio habuit: quam cum indies creſcere intelligeret Imperator, mature occurrit crescenti ſeditioni. Mittit enim ex ſuperiore Germania militum ſelectiſſimorum ſufficientem multitudinem contra quanta ſuis copias. Linteuintus ſuas conſtituit in vrbibus aut alioqui munitis locis expectare, vt aut cogerentur locis iniquioribus ſecum dimicare, aut producto bello tandem diſcedere infectis rebus. Sed conſilium fefellit eum: copiæ enim Imperatoris occuparunt omnia per totam Pannoniam & Vngariam loca, beneque præſidiis muniuerunt. Linteuintus ſuos diuiſos tribus habuit partibus: qui cum viderunt omnia vbique hoſtem in manu habere, ſeque obſeſſos adeoque captos, longe numero inferiores eſſe, etiamſi collecti eſſent omnes, non poſſe autem conuenire videbant, hoſtem vero per facultates poſſe bellum, ſi ſit neceſſe, ducere in multos annos, quare deſperarunt. accedebat maximum incommodum, nempe ita erant obſeſſi, vt alij non potuerint ſcire quid alij agerent, aut cum illis ageretur. Duces exercitus etſi viderunt hoſtem in manibus ſuis eſſe, tamen cupientes quam primum negocium expedire. Eam partem oppugnare occipiunt, quæ victu facilior videbatur: ſed nihil proficiunt, niſi voluiſſent perdere multos fortes milites; maluerunt autem tempus terere longius, quam expugnare caſtra cum iactura tot militum. Ergo aliud tentant. Induunt ergo milites prorſus quali habitu veſtitos viderunt illos quorum caſtra oppugnare conati erant; præmittuntque equites ouantes ad illos qui alias partes duas obſidebant, & iubent vt præparent ſe ad expugnationem illorum, alios eſſe trucidatos omnes, præter paucos captos: primum quidem non crediderunt, ſed mox cum viderunt venientes vinctos qui erant induti veſtibus ſimilibus ſociorum ſuorum, ſtupefacti nihil amplius dubitauerunt, pacem hoſtes & miſericordiam petũt, facturos ſe quæ imperet Imperator, promittunt. Facta deditione, æquas conditiones pacis conſecuti ſunt. leges ſunt reſtitutæ, & quietus ſtatus in Pannonia & Vngaria. Contra Vaſcones miſit filium ſuum adoleſcentem Pipinum: ſed datis illis ſenioribus cõſiliariis, qui eius iuuentutis feruorem temperarent, ſuperantur bello hoc Vaſcones, & iugum imperij illis imponitur, rediit victor triumphans Pipinus. Eodem tempore vxor Ludouici Pij Hirmo-

gardis regina moritur. Anno post eius mortem proximo duxit Guelphi comitis filiam Iuditham, quam ex multis forma & nobilitate præstantibus virginibus elegit. Hæc peperit illi filiũ qui vocatus est Carolus Caluus. His temporibus Michael Constantinopolitanus qui Leoni in imperio orientis successerat, misit Ludouico Imperatori maximi precij munera, inter quę fuerunt libri diui Dionysij de diuinis nominibus, & de cœ-
822 lesti hierarchia latinitate donati. Anno a natiuitate Domini 822, Lotharium filium misit in Italiam ad suscipiendam regni Latij gubernationem. Lotharius ergo Romam profectus gratia consequendi quæ putabat ad regem futurum necessaria. Igitur in Basilica sancti Petri vngitur & coronatur a Paschali Pontifice, appellatur & salutatur rex a toto pontificio, qui tum aderat populo. Sed Romanæ vrbis magna pars & per Italiam multæ ciuitates & principes regem recusarunt, multa aduersus eum intolerabilia facientes. quare Lotharius cogitur adire patrem, vt auxilio & consilio eius adiutus Italiam obedientem reddat. Ecce in itinere nondum Italia egressus è Roma, sequuntur nuntij qui significant, Theodorum Romanæ ecclesiæ primicerium, & Leonem eius generum in patriarchatu Lateranensi primum oculis crudeliter effossis, postea decollatos, idque perpessos nulla alia causa, quam quod Imperatori & regi Lothario ex animo fauebant, neque dubium vllum erat Lothario hanc causam fuisse, quod tam atrocibus suppliciis affecti erant illi duo summi amici Imperatoris. Est etiam vulgo creditum, Paschalem Pontificem huius facinoris conscium fuisse, atq; etiam iussisse fama erat. Multæ concurrebant, quibus verisimile fiebat, causæ: tamen Imperatores Ludouicus & Lotharius adduci non potuerunt, vt hoc de Pontifice crederent. Neque enim probabile illis videbatur ex sede apostolica tantum profectum facinus. Curiensem igitur Comitem nomine Hunfredum, & quosdam alios quorum prudentiæ & fidei fidebant, Romam mittunt inquirendi gratia veritatem, committuntq; illis vt nihil omittãt quo illam causam percognoscant. Pontifex Paschalis, audito oratorum Ludouici patris & Lotharij filij aduentu, triginta conuocatis episcopis, quos sciebat contra se nihil facturos aut dicturos, admissis etiam oratoribus Imperatorum, innocẽtiam suam iuramento testatur: nam aliis argumentis difficilis purgatu erat. etiam occisos pronunciauit iure cęsos tanquam maiestatis reos. ipsosque interfectores qui latere non poterant, quiq; erant familiares Põtificis, de familia videlicet S. Petri, absoluit, beneq; de Repub. meritos iudicauit. Quibus plane iudiciis tam suspectum se multis Paschalis reddidit, vt nihil prorsus dubitarint eius iussu scelus perpetratum. Legati igitur abeunt, re satis explorata. Paschalis cum animaduerteret viris se suspectum, eosq; dolere casum interfectorum, veritus ne apud Imperatores liberius dicerent de hoc facto, mittit simul cum eis suos oratores qui causam suam apud Imperatores agerent. Qui vna perueniunt ad Imper. Hunfredus vir liber animo & lingua, & veritatis amicus enarrauit omnia ordine. Amicos illos interfectos Ludouici & Lotharij Imperatorum fuisse dubium non erat: quare putauit grauius laturos Imperatores, subridendo iram indicans dixit, Pontifex iureiurando suam innocentiam purgauit, sunt ex familia eius qui latrocinium perpetrarunt, Pontifex non tantum absoluit eos, sed & magnifice meritos de Repub. iudicauit. Quæ iudicia cui non sunt certa indicia, quo non solum dissimulante, vt prius suspicabamur, sed iubente hoc sit factum? Postero die audiuntur Pontificij oratores, hi excusant Paschalem, multa in trucidatos dicunt, sed mortui non responderunt: quanquam non obscura erat tota res, vt nullo contradicente, res ipsa satis negocium manifestarit. Ludouicus Pius hic multis nimium Pius visus est in Pontificem Paschalem: nam duos Cæsaris amicos, quibus Romæ nullos habuit sinceriores, credebant tam miseris modis, quibus dictum est iam, necatos Paschalis consilio & iussu, nulla alia ex causa, quam quod nimium confidenter restiterint Pontificiis conatibus contra imperatorium ius. Sed Ludouicus intentus in sanctitatem Pontificiæ sedis, memorque quomodo erga eam affecti fuerint maiores sui, cauendum putauit, ne aliquid non paternum daret. Semel namque proposuerat omnibus viribus Romanæ sedis dignitatem defendere & augere, id quod per omnia imperij sui tempora diligenter executus est: neque enim vllus Pontificum, quorum dum ipse regnauit, fuerunt quatuor, non vsus est eius opera, auxilio, & sudoribus: sæpe autem eius adiumento opus fuit illis in seditionibus Romanorum, & aliorum hostium ecclesiæ.

siæ. Hoc tempore, autore non indiligente rerum scriptore bibliothecario, clarius definiuit Ludouicus quę in Italia ciuitates imperio, quæ ecclesiæ iuri subiectæ esse debeãt. Imperio autẽ ascripsit in Hetruria, Aretium, Clusium, Pistorium, Volaterras, Florentiam a Carolo Magno restauratam, Lucam vrbem, Pisas, Perusiam. Reliqua omnia in Hetruria Romanæ ecclesiæ attribuit. præterea in Vmbria adiunxit Tudertum, vltraq; Apenninum Romaniolam, & totum Rauennæ vrbis Exarchatum. Et quo in Imperatoris liberalitate Pontifices nihil desiderarent, Ludouicus totum ius eligendi (si credimus iis quæ literis sunt commissa) Papam concessit Romanæ curiæ, episcopis, abbatibusque, & reliquis sacerdotum principibus, cum antea, vt est supra dictum, sine calculis Imperatorum ius non haberent episcopum Romanum eligendi. Hoc enim ius Adrianus Papa fecit Carolo & successoribus eius. De hoc tex. est 63 dist. Ego Ludouicus. In quo loco tamen hoc iuris sibi & se sequentibus Imperator. conseruatum voluit, vt creatus & consecratus quilibet Papa statim legatos suos ad Imper. mittat, qui fœdus & pacem inter Pontificem & Imper. renouent & stabiliant. Quod ius Francorum, hoc est, reges Galliæ ad nostram vsque ætatem putant ad se pertinere. Alij volunt Imperatoribus hoc ius datum. A natiuitate Christi tempore Ludouici Pij, anno 823, in comitiis Francofordię celebratis venerunt ad Ludouicum duo fratres, quorum vterque ad se pertinere iure contendebat regnum Wilzorum: quare litis iudicẽ & arbitrum communi consensu elegerunt Imperatorem, vt quicquid ille iudicaret, vterque haberet ratum. Venerunt autem & alij legati de regno Wilzorum, ex quibus cum Ludouicus intellexisset, iuniorem natu gentem optare, melioris q; indolis ipse vidisset eum esse, statuit vt iunior regnum gubernaret; sed fratrem eo loco haberet, quo deceret. Cumque videret periculum, ne discordia fratrum euaderet in tragicum quempiam finem, non dimisit eos donec vidit placatũ maiorem, quem suspendit magnis promissis, liberalissimeq; ambos donauit muneribus Imperatore dignis, & iureiurando sacramentoque concordia inter eos facta, cum pace dimisit. Venerunt & alij magni principes qui sententiam & cõsilium petierunt huius Imperatoris. Missa sunt & illi magna a magnis regibus munera, & a ciuitatibus magnis. Hactenus fuit Ludouici imperium felix, tempestates ortæ sine magnis tumultibus sedatę fuerunt: sed sequentibus annis eo regnante, intestinis odiis & bellis omnia miscentur magno hominum malo, & externi hostes in Christianos sæuierunt. Prodigia quoq; acceserunt tot, vt fatalia hæc infelicia tempora sint credita. In Germaniæ quibusdam locis terræmotus euertit multa ædificia. Grandines magnitudinis tantæ quales prioribus seculis nunquã visæ sunt, ceciderunt, homines & pecora interemerunt. Narrantur præterea multa, quæ prudens omitto, quia plerique nullam his rebus fidem habent, & certe plerunq; sunt vana. Mortuo Paschali Romano Papa, creatur Eugenius in locum eius, Pont. 101: qui regnauit Romæ annis tribus. Vbi accepit Lotharius imperij consors patris sui Ludouici, Eugenium factum Pontificem, Romam petit, vt cõmuni voluntate, consilio & sententia cum Pontifice statum Romæ vrbis & totius Latij reformaret: erant enim varij motus, fomites bellorum, & mutua principum virorum odia in vrbe ipsa & per reliquam Italiam. Et Lotharius Eugeniusque scribuntur magnam tum rebus in Italia vacillantibus opem & salutem attulisse. Tunc temporis, testimonio Blondi, primum Lotharius Imper. & rex Italiæ, magistratus in vrbe Roma constituit, qui populo ius dicerent, & causas cognoscerent, interque partes litigantes sententiam ferrent. Ex quo patet ante libertate vsos, sed per dissensiones & seditiones libertatem amiserunt: neque enim regnum in se diuisum durare potest vnquam. Hoc tempore Saraceni iterum inuadunt Hispanias, magnam hominum & pecoris multitudinem abducunt, & multa loca populantur, vrbes direptas incendio consumunt. Quam ob causam Lotharius ad patrem Ludouicum properat coniunctis viribus, statuunt quam primum ducere copias aduersus hostem Turcam, conscribitur exercitus per Germaniam, Gallias, & Italiam, conscriptæ copiæ ducuntur recta in hostem qui numero infinito erat, & omnibus rebus bello necessariis instructus: & quod nostris plurimum attulit difficultatis, loca in iis regionibus bello ducendo omnia apta prœoccupauit. fuitque omnino necesse nostris aut redire vnde venerant, hostemque grassari pati; aut cum hoste conferere manus iniquioribus locis. Redire domum intacto hoste, non conueniebat: erat enim res plena

823.

turpitudinis,ignominiæ,& periculi & damni. Reliquum erat tentare fortunã in quantauis loci difficultate. Primum igitur caſtella quædam oppugnare viſum eſt: ſed quæ non aperta erant & vacua, erant præſidiis validis, & multiplicibus communita. quare nequicquam oppugnare conati ſunt. Iacturaque maxima fortium virorum erat coniuncta cum oppugnationibus illis. Igitur vbi vident non eſſe conſilium tempus conſumere, & perdere bonos milites, & nihil tamen efficere in oppugnandis caſtellis & vrbibus, nihil intentatum relinquunt quo hoſtis prouocetur ad pugnam: ſed fruſtra omnia tentant. Hoſtium quidem exercitus non continebat ſe in vrbibus, ſed ſub dio oſtentabat ſe noſtris, in loco tamen in acceſſo,ita ſcilicet natura ſimulque opera hominum munitus erat. Habebant a latere flumen latum & profundum, nauigabile a tergo mare; ab altero latere erat mons altus foſſis in eo factis, ſic vbi opus putabant eſſe, a fronte altum & latum vallum inter duas foſſas. Noſtri montem nituntur aſcendere, ſed hoſtes verticem tenent, deuoluunt ingentia ſaxa,obruuntur multi. Aliquot dies vehementer laborarunt, ſed fruſtra. Hîc premi Romanum Imperatorem Francorumve regem audientes Bulgari, Pannonias hoſtiliter inuadunt,ad quos debellandos & ab inſtituto prohibendos Ludouicus ſe conuertit, in Hiſpania tamen relinquens ſufficientes copias, qui obſtent Turcis ne progrediantur graſſando latius. Poſt diſceſſum Ludouici cum copiarum parte,leuiora aſſidua prælia fuerunt inter Chriſtianos & Turcas, habueruntque varios euentus: nunquam tamen iuſtum vtriuſque exercitus prælium eſt commiſſum. Noſtri Hiſpaniæ vrbes reliquas muniuerunt, & hoſti vbique præſidia oppoſuerunt, hacque ratione bellum ita eſt ductum per aliquot annos. Habuitque res inter eos non aliter atque cum inter duas vicinas regiones eſt perpetua inimicitia. Sicque ſunt detenti Turcæ non ſine magnis impenſis, donec tandem fatigati receſſerint.

830 Anno Domini 830, ſynodus magna eſt celebrata Aquiſgrani, præſente & præſidente ipſo Gregorio quarto Pontifice, qui patria Romanus fuit. Quæ ſynodus coacta eſt ob nullam potiorem cauſam, quam vt vita ſacerdotum & monachorum ita eſſet inſtituta, vt etiam tacentes Chriſtum docerent exemplo, & bona opera prædicarent faciendo. Eſt in ea ſynodo ex patrum ſententiis multis viuendi modus præſcriptus profitentibus ſpiritualem vitam. Statutum eſt communi ſententia huius concilij, vt epiſcopi & clerici nec precioſis, nec ſericis veſtibus, neque baltheis aureis aut gemmatis vtantur, ſed quæ mundi faſtus ſunt, deſpicientes, ſolum cogitent cœleſtia. qui non ſit ſic animatus, inutilem eſſe ad ſpiritualem vitam; ordinemque dehoneſtare, vt male audiat, multosque a bonis operibus impedire, & efficere vt religio contempta iaceat. ergo ſcandala illa non ferenda in eccleſiaſticis perſonis, decretum eſt per hanc ſynodum. Per id tempus Mauri in Sicilia graſſantur hoſtilibus factis, Papa implorat Ludouici & Lotharij Imperatorum brachium, vt ferant Siculis auxilium. Imperatores tergiuerſantur ad alios hoc bellum potius pertinere, nempe ad Imperatorem Conſtantinopolitanum: ſe tamen non negare & ſuas manus, ſi videant ſerio rem agi ab iis a quibus potiſſimum debeat. Dum hæc aguntur prolixius, quam res Siculorum & vicinorum ferebat, vicini quorum paries incendio proximus erat, quorumque focis, vxoribus & proli ferox hoſtis imminebat, coniuncti tribus pugnis inter Carthaginem & Vticam, Mauros ſuperant: & liberata eſt Sicilia ab hoſte ſine aliorum adminiculo. Per ea tempora Ludouicus Imper. filio ſuo Carolo Caluo, quem illi genitum ex vxore eius Iudith ſupra ſcripſimus, dedit Sueuiam, Rhetiam & Burgundiam. Hoc alij filij Imperatoris grauiter tulerunt: multi igitur prælati eccleſiaſtici ſe interpoſuerunt, patrem cum filiis concordem reddere conantes: præter alia media quibus eos reconciliare nitebantur, ſuaſerũt Carolo, vt matrem Caroli vxorem ſuam Iudith, tanquam malorum omnium autorem a ſe abdicaret. Conſilio ſpiritualium patrum obſecutus, repudiauit vxorem: ſed ſpe fruſtratus eſt; neque enim hæc media animos filiorum placare potuerunt. Ergo magnatum multi (qui gerebant in cordibus ſuis repoſitum odium erga Ludouicum alius alia ex cauſa, plurimi vero ob interfectum adoleſcentem nobilem Bernhardum) filios iuuenes per ſe ſatis furentes incitare non deſinunt, cum illis conſpirant. Ludouicus, nihil tale a liberis ſuis ex ſe genitis expectans, capitur, captum amici plerique deſerunt, ad filios deſciſcunt, filiis nemo reſiſtere audet, multi aſſentantur illis, factum

ctum laudant. Quare in frequentissimo principum conuentu, cogitur omnem imperij potestatem deponere, filiis omnem dignitatem imperialem conferre. Deinde in monasterium includitur, custodibus adhibitis, quibus confidebant filij. ex qua custodia post vnum annum liberatus est, opera (ita Deo disponente) multorum principum, quorum consilio & prudentia parata quoque erant illi ad manum copiæ & loca quo se reciperet, quibus fretus imperium & vxorem recepit. Filium Lotharium qui magnis copiis venerat, in Italiam compulit redire. Vbi receptum imperium vident qui antea parum prospecte filiis adulati fuerant, ceu iam actum esset de Ludouico, fugiunt. Remensis archiepiscopus qui contra Ludouicum cum filiis conspirauerat, deponitur ab archiepiscopatu, damnatus læsæ maiestatis, vita propter vnctionem donatur illi, in exilium mittitur. Propter hos in imperio graues motus, & quod viderent inter Principes Christianos tanta dissidia, Saraceni innumerabili multitudine per portum Centumcellensem in Italiam irruerunt, omnia expugnantes & vastantes, ceu torrens ex improuiso inundans omnia secum rapit, segetes, ædificia, arbusta & arbores cum suis radicibus; Romam vrbem obsidione cingunt, capiunt, omnia conuasant, occidunt mulieres, pueros, puellas & infantes; Ecclesia sancti Petri equorum stabulum fit, excindunt multas egregias ædes, magnam partem Vrbis incendunt, templa diruunt multa celebria: omnem Tusciam populantur eodem modo. Gregorius Pontifex mittit ad Cęsares, mittit ad omnes Principes vbique, aduolat cum Germanis maxime iis qui Heluetiorum montes incolunt Guido Marchio, quoscunque alios potest ex alpibus secum ducens, cum hoste congreditur, fit inauditum prælium, pugnatur a nostris fortissime, vincitur hostis; sed cum nostrorũ sanguine supra mensuram multo. Hostis ita fugatur, vt tamen omnem prædam secum tulerit, in itinere Siciliam & Tarentum, Apuliamq; vastarit. Lotharius a patre in Italiam repulsus, irascitur, quoscunque putauit patri studere, occidere, patris præfectos interficere, ecclesias expoliare (quod patri molestissimum iudicauit) legatos a patre missos contemnere, illis minari, Geruicam sororem ducis Bernhardi viuam in vase claudi, & in flumen Ararim proiici iussit. Imperatorem hæc filij insania & impietas vehementer male habuit; quare Ludouico & Pipino filiis in gratiam receptis, contra Lotharium copias ducit, vbi vtriusq; patris & filij exercitus essent in castris non longo interuallo distantibus, Lotharius facile perspicit sibi omnia esse in toto imperio infesta, amici adulatores incipiebant eum deserere, multi deficere, quod diffidebant causæ & viribus Lotharij. Inops igitur consilij Lotharius, incipit cauere ne amplius irritet parentem, mittit ad eum qui tentent animum eius, an vlla gratia sit speranda. Qui erant missi, nescio quid retulerint, filius ipse supplex patrem accedit, culpam grauemq; pœnam meritum fatetur; sed per viscera Christi, per viscera paterna misericordiam rogat, &c. Pius pietatis memor verbis corripit & cõfutat verbis filium, in gratiam recipit, Sacramento sibi deuinctum in Italiæ regnum remittit. Non diu post hanc cum filiis concordiam Imperatoris, Pipinus Aquitaniæ rex obit diem suum: quo mortuo, Aquitania de rege subrogando ad Imperatorem legatos mittit; sed Imperator maioribus auocatur, vt in ea de rege re nihil agere possit. Ludouicus enim filius rex Bauariæ magnis coactis copiis Germaniam inuadebat, huic occurrens pater, morbo corripitur grauissimo apud Moguntiam: in quo morbo per quadraginta dies scribunt nihil comedisse neque bibisse, nisi quotidie sacramentum panis & vini, corpus & sanguinem Domini Iesu. Lotharius filius ex Italia vocatus adfuit ægroto, quem benedixit pater, imperium totum commisit ei, data illi in manus corona imperiali aurea & ense quo vsus fuerat in præliis. Commendat illi Iuditham, &, vt permittat eam relicta hæreditate in pace frui. cum Carolo fratre pacem seruare imperat. Ludouico filio Bauarorum regi ignoscit. Rogat Lotharium, vt inter fratres concordiam conciliet & alat; religionem, & honorem gloriamque Dei in primo loco semper habeat, cogitet semper hanc horam quæ illi iam assit, & illi aduentare. Extremis horis nihil curabat terrena, passionem Christi meditabatur, orabat perpetuo, obdormiuit sui imperij anno 26, regio ritu magnificentissime in ecclesia Metensi sepultus est. Anno Domini 841, post Ludouici Pij mortem suscepit imperij fasces Lotharius, filius eius primogenitus. Statim a morte patris ingens dissensio orta est inter filios de regno Francorum. Fratribus enim eadem sententia manebat 841

contra Carolum Caluum fratrem, quæ erat cum patrem in custodiam captum coniecerunt. Lotharius patris iussu, voluntate extrema, & precibus nihil erat immutatus, discordias aluit fratrum, non cogitabat nouissimam patris horam, quam vt memoria perpetuo haberet, pater moriturus admonuit. Tantum potest ambitio, tantum dominandi cæca libido, tantum in filiis huius mundi potest ille qui tentat & obcæcat mentes hominum. & in hac cæcitate stultitiaq; detinet plerosque, donec carne infirmati oculi illis aperiantur, vt videant vanitatem huius mundi, elemẽtorum corruptionem. vident autem omnes cum resoluitur hoc tabernaculum corporis nostri.

DE GERMANIS
LIBER VNDECIMVS.

PIpinus rex, de quo paulo ante, Aquitaniæ rex, filius Ludouici Pij, mortuus, reliquit filium nomine Pipinum, qui venit de Aquitania, Lotharius ex Italia reuertitur, vterque cum copiis non mediocribus, voluerunt omnino contra Carolum Caluum regnum Francorum diuidere in tres partes, ex autoritate testamenti aui sui Caroli Magni, non arbitros admittere, qui inter eos iudicent, sed cogere volunt. Ex aduersa parte Carolus & Ludouicus coniuncti, sua mordicus retinere, nihil prorsus propter pacem fratribus cedere volunt. Vtrisque pro iudice est voluntas. Dum ita alteri alteris vltro citroq; legatis missis arrogãter imperãt, & vicissim respondent, vtrinque exercitus crescunt, odia augentur, quare pugna inopinata cõmittitur in agro Altissiodorensi. Magis pertinaciter & acriter vix est vnquam pugnatum, stragesq; facta est maior inter fratres, quam inter maiores eorum & hostes. quæ tamen cædes quam multæ & magnæ fuerint, audiuimus. Carolus & Ludouicus victores, sed sine mensura sanguinis suorum. Lotharius cum iis qui illi ex cruentissimo prælio reliqui erant, Aquisgranum ex fuga se recipit: hic intromissus, munit vrbem, sed frustrã: sine mora enim fratres hostes sequuti, ex Aquisgrano deturbatus Viennam confugit, sperans ad ferendam obsidionem eam firmiorem, quam Aquisgranum. Fratres dum terror illius recens, dum nullum spacium cogitandi de reparandis viribus, dum victo nullus amicus qui audeat propter victorem illum iuuare, statuunt persequi; dum autem eum properantes sequuntur in itinere, veniunt multi ad eos ex multis regionibus, qui se interponunt, placare iram fratrum nituntur, veniunt & Pontificis Sergij legati, quorum erat vnus Archiepiscopus Rauen. cui nomen erat Georgius, cuius casum operæpreciũ erit vna aut altera litera indicasse. Hic Archiepiscopus antea quoq; componendi pacem gratia a Pontifice legatus cum esset apud Lotharium, forte fortuna die quo prælium committendum erat, Lothariusq; in fugam esset actus a fratribus, episcopus iuxta impedimenta Lotharij euentum prælij expectans, fugiente Lothario, amisit fere trecentos equites (tot enim comitatus venerat) vix elapsus est ex hostium manu. Legati igitur multa excogitant quæ ad sedandos & conciliandos animos fratrum videbantur facere. Lotharium ante semper intractabiliorem nunc fortuna humiliorem reddiderat, quæ res ad pacem faciendam momenti attulit plurimum. Nec parum fecit ad consensum fratrum, quod omnium vires attritæ erant per illam discordiam; omnes enim vbiq; facultates in milites & apparatum belli cõsumpserant. Post multas igitur conditiones & media proposita, illa placuerunt, Vt Carolus esset rex Galliæ, haberetque sibi subiectas omnes regiones quæ ab Oceano vsque ad Mosam sunt; Ludouicus rex Germaniæ vocaretur, haberetq; sub se Germaniam, Pannoniam, Boemiam, Morauiam, Sclauorum regna, Bauariam, Franciam Germaniæ, Thuringiam, Frisiam, Saxoniam, Sueuiam, quæ dicebatur, ni fallor, Alemania; Lotharius Imperatoris nomen solus fratrum haberet, vt pater Ludouicus ordinauerat, gentesque subiectas teneret, Romanos, Italos, eosque Gallos qui habitant in Narbonensi prouincia, & qui Belgæ nominantur, a Rheno vsque ad Mosam, quę Galliæ pars a Lothario Lotharingia est a posteris vocata. Sed Pipinus nepos eorum ex fratre Pipino, sortitus est regnum patris sui, Aquitaniam. His ita confirmatis iuramentis & sacramentis, modis-

modisque omnibus qui requiruntur ad huiusmodi,quisq; recipit se in suum regnum, sed prius fœdere facto,vt cuiuslibet hostis esset communis omnium,&c. Anno post natiuitatem Domini 843, Lotharius filium suum (in quem instituendum literis,præceptis salutaribus philosophiæ & religione, non tantum operæ collocauit, quantum progenitores eius in suos.) qui illi primogenitus fuerat, consortem imperij in frequenti principum conuentu facit, & mittit Romam comitatum maximis copiis. Adolescens indulgenter, molliter & male educatus,superbiens inflatus titulis,non cogitans se hominem, in itinere inter amicos & subiectos omnia cædibus implet, pulcherrima ædificia incendit, euertit vrbes. Cum autem Romæ appropinquasset,illiq; vniuersus sacerdotum chorus obuius venisset, canendo,*Benedictus qui venit in nomine Domini,osanna in excelsis*: obuiam etiam ciues Romani in ordine primi pueri,mox adolescentes,quos iuuenilis ætas sequebatur,deinceps reliquæ ætates vsque ad decrepitos senes. Sicque comitantur eum vsque ad Basilicam sancti Petri,ibi expectat Pontifex eum,mutuoque oscvlo dato,vna eunt ad argenteas portas quæ clausæ erant. Conuertit se Pontifex ad adolescentem, inquiens, Iam ex te scire cupio quo ad nos animo veneris defendendi ne Rempubl. an perturbandi, sæuiendi an benefaciendi. si animus est tibi tueri leges bonas & maiorum sapientissima instituta, patebunt fores,& ingredieris; sin est tibi alia mens pronior ad malefaciendum, limen hoc ne tangas,ensem ostendens positum supra ianuam, dicit, Viden' gladium omnium scelerum vltorem? Pontifex prudenter sic cum adolescente egit, qui nullos ante præceptores habuit, a quibus liberaliter aliquid discere posset; sed in sinu adulatorum educatus erat,id quod non ignorabat Pontifex. Simul omnia quæ perpetrarat scelera in itinere, audierant Romæ: quare male ominati sunt de eius imperio. Adolescens Pontifici respondet, Officium se facturum boni principis, vestigia sequuturum maiorum suorum. ne quid vereatur,sed bono sit animo,iubet. Aperiuntur igitur fores, ingressi genibus flexis orãt ante altare. Paucis post diebus in frequenti ecclesia Pontifex Ludouicum oleo sancto inungit, coronat, regem Italorum appellat. Coronatus rex petit, vt Romanus senatus sibi ceu suo regi iusiurandum præstent, quod illi negatum est; sed Lothario se dixerunt ceu Imperatori iuraturos. Rursum hoc tempore Saraceni Siciliam & Tarentum opprimunt, Crotoniatem sinum in Italia capiunt, Saba rege Maurorum duce. Hostibus occurrit Theophilus,Imperator in Oriente,cum Venetorum classe nauium 60:sed classis partim perit, partim in hostium potestatem peruenit. Theophilus suis fere omnibus amissis vincitur,fuga ipse vitam suam vix seruauit. Saraceni victoria elati,Illyricum & Ragusium & Anconam diripiunt, & magna parte incendio cõsumunt: toto mari libere grassantur: ecce coortis tempestatibus ita afflictantur naues fluctibus, vt ad vnum omnes perierint. Nortmanni eodem tempore(intelligentes nimirum fructatim diuisum imperium per discordes fratres) Aquitaniam vastãt,post hanc Hieram insulam, moxque longius progressi in Gallias,Burdegalam,Santonas,Lutetiam, Turonium, Nouiomagum, Aurelianos,Pictauos miseris modis afflixerunt. ex Aquitania incolis expulsis, sibi hanc sedem elegerunt. Eodem tempore Carolus Caluus in Anglia gessit bellum, propter quod Nortmannis occurrere non vacauit illi,quod alioqui percupiebat: sed bellum illud Anglię ex animi sententia confecit,nisi quod Anglis ad seditionem præter alias gentes tum procliuis, fidere non ausus fuit. Quare in componendis rebus longiore mora opus erat. Anno Domini 853,defertur ad Lotharium fama, Leonem Pontificem conari transferre imperium a Germanis regibúsve Francorum ad Imperatores Constantinop. quare cum potenti militum manu Romam contendit. Leo excipit Imperatorẽ cum omni reuerentia,ac se purgat ita vt nullum scrupulum Lothario relinqueret. Delatores diligenter conquiruntur,supplicium; de illis sumitur. Itaq; discedit a Pontifice Lotharius sine vlla simultate aut suspicione. Mox post illam purgationem cõiunctis viribus Pontifex, & Augusti Lotharius & filius eius Ludouicus contra Saracenos ducunt exercitum,& vincunt. Anno a natiuitate Domini 855,Lotharius filiis suis,quorum tres fuere,regna diuidit,Ludouico primogenito Imperatoris nomen soli relinquit,& Latiũ,vrbisq; Romanæ ius; Carolo filio natũ minimo Prouinciã Narbonensem possidendã dat; Lothario suo filio secũdo Lotharingiã regendã attribuit. In hunc modũ omnib. ex animi sententia ordinatis,re-

853

855

cordatus eorum quæ illi pater moriens prædicauerat, vanitati mundi bona cœlestia anteponens, vitam cœlibem elegit, monasticam amplectitur in Premensi monasterio. Ludouicus solus imperij habenas annis 21 regit. Hoc Ludouico imperante, totam Galliam locustæ implebant, sex pedibus & sex alis, duobus durissimis dentibus, gregatim volantes, omnes fructus terræ depascentes, & deuastantes vsque ad Oceanum, in quo submersæ & æstu maris ad littus reiectæ, computruerunt. Maxima mox est fames secuta, & crudeliter sæuiens pestis, vt vix tertia pars hominum in Galliis superstes manserit. Hac tempestate Lotharij filiorum duo tantum in viuis erant, Carolo vita defuncto, qui in Burgundia regnauit, & Prouincia. Duo igitur fratres eius superstites partiti eius regnum, Lotharius Burgundiam, Ludouicus Prouinciam accipit. Lotharius vxore Theoberga repudiata, sine iusta causa aliam duxit consensu quorundam episcoporum (qui pompam mundi stultam maioris faciebant, quam ecclesiasticas ad bonos mores & populum in religione continendum, institutas) vel potius adulatorum. Quibus tamen alij boni patres episcopi prælatique se opposuerunt, & patrocinantes veritati & institutioni Dei, vehementer restiterunt adulatoribus legumq; diuinarum contemptoribus. Lotharius intelligens a bonis omnibus sibi contradici, leues quosdam sibi assentiri, pudore & timore inductus, Galdradam quam duxerat secundis nuptiis repudiauit, priorem nempe Theobergam, sed cum non conueniret illi cum illa, non diu fert eam: iterumque reiecta, pellicem, contemnens religionem & bonos sanctitate insignes viros qui illum libere admonebant. Sed deprauatus animus correctione nulla emendari potuit, carnis illecebris & illusionibus Satanæ irretitus. Ne autem silentio præteream quid Ludouicus, de quo supra, rex Germaniæ egerit interea temporis, vir virtute militari cum quibusuis maioribus suis cõferendus, idq; testantur eius egregie gesta contra varios hostes. Duxit copias Germanorum magnas aduersus irrequietam & rapinis intentam gentem Sclauos, qui magno exercitu contra erant parati. Cum igitur vtriq; Germani & Sclaui in æquo planoque campo castra muniuissent (nam eo animo vterque exercitus descenderat in planitiem, vt consererent manus; sed neutris visum erat tempestiuum pugnare, nec erat integrum receptui canere) neutriq; haberent vel aquã vel quod ederent, necessario factũ est, vt aquatum, frumentatum, & pabulatũ irent in eadem loca. erat autem in vicinia nihil horũ: quare quotidie equites & pedites ex vtroq; exercitu peribant. Germani quanq; fere semper superiores redibãt cum spoliis: tamen non sine iactura multorũ vincebant, sæpe etiã vincebantur: neque enim potuit fieri in tam frequentibus præliis, vt non aliquando victi discederent. Ob quotidianas igitur cædes cõmotus Ludouicus, educit suos e castris, hostem ad prælium iustum prouocans; sed hostes attenuati quotidianis illis pugnis in frumentationibus & aquationib. in castris perseueranter se cõtinent. Ludouicus causam detrectandi prælii intelligit. deliberat ergo velit ne ita producere bellum, & paulatim hostẽ consumere, an castra quę altis latisq; fossis erant circumdata, oppugnare, vtrunq; non sine suorum sanguine copioso fieri videt: ecce nunciatur hosti auxilia venire, quæ res salutaris consilij occasionem dedit. Videns enim paucitatem quæ reliqua erat ex tot pugnis in castris hostium, diuidit suum exercitum in quatuor partes, quatuorq; locis circum castra hostium singulas iubet singula munire castra. quibus factis fossis, coniungit quatuor illa castra, vt hostis sine difficultate e castris egredi non posset, nec se aduenientibus suis coniungere: itaq; munit vallis & fossis Ludouicus, vt a paucis defendi possent. Ita incluso hostis nullam habet spem reliquam, quam aduentura auxilia, qui aperiant eis viam. carent aqua, carent cibo & pabulo & ligno hostes; Germani nullo impediente omnia necessaria (quanquam e longinquo petenda erant) conuehunt, vt in mensem sufficiant, si forte hostis veniat numerosior propter quem non liceat egredi, vt habeant satis, donec illi vel ad deditionem compellantur qui erant inclusi (nam satis sciebant vltra octo dies inediam perferre non posse.) vel in certam cogantur erumpere mortem sine discrimine, propter Germanorum munitiones. Hostes ergo cum expectata auxilia tardius venirent (neque enim nunciarant suis tantopere præsenti saluatore opus esse) postera luce mane supplices extendunt brachia abiectis armis, petunt vitam sibi donari, quidlibet facturos quod imperetur, pollicentur. Ludouicus conditionibus omnibus quæ sibi placuerunt, præscriptis, Sclauisque iurare coactis, inermes dimisit:

misit: Principem tamen eorum luminibus priuasse legitur, vt inutilis ad seditiones & tumultus excitãdos redderetur, homo ferox & impius animo. Non possum mihi temperare quin narrem somnium, a magnis autoribus etiam pro historia scriptum, iocos enim seriis miscere semel, nemo tam morosus est, vt puto, qui offendatur. Scribunt igitur quidam autores, alioqui non nullius fidei, Ludouico Germanorum regi patrem suum Ludouicum Pium apparuisse in somniis, rogasse & adiurasse, vt eriperet eum a pœnis illis & tormentis infernalibus, quibus agitatus sit hactenus sine vlla requie. Propterea Ludouicum hunc regem nomine patris sui multa bona feciisse opera, & eleemosynas in multa passim monasteria distribuisse. Hoc genus somnia quantum fidei mereantur, quamque ex scriptura probari possint, in hoc opere non est discutiendi locus. Vt ad Carolum Caluum redeam. Hic postquam deuicit Britannos, itaque eos in suam potestatem redegit, vt rex Angliæ factus sit; postquam ergo omnia ita disposuit in Anglia, vt cauerit, quantum per humanam prouidentiam fieri potest, omnes seditionis causas & ansas, instituit contraire Nortmannis. Illis igitur Andegauiam vrbem obsidentibus, & longe lateque circa eam omnia vastantibus, ocyssime expeditionem in eos parat. Ecce, iam ad profectionem omnibus comparatis, incidunt quæ eum retinent. Carolomannus enim filius eius ex vxore priore, sacris initiatus, sed male feriatus iuuenis, collecta flagitiosorum nebulonum turba, perturbat & affligit quacunque rapit eum insania, omnia. Pater igitur solicitus vt corrigat filium, primoq; captum in carcerem duci iubet, cumque certa de se præbet indicia nullam spem resipiscentiæ eius esse, sacra, more quo solet fieri, adimuntur illi, luminibus priuatur, ne liberatus forte aliquid mali facinoris perpetret, in monasterio Corbiensi, in custodia seruandum tradit: ex quo tamen cæcus auxilio, ductu monachorum quorundam euasit, confugitq; ad Ludouicum. Alius filius Calui, Carolus nomine, mutato habitu, vt nõ agnosci posset, militem temerarius adolescens prouocat, experiri cupiens eius animi robur, & suum ostendere; miles prouocatus adolescentem interficit. Præter illos fuit illi alius filius, nomine Ludouicus Balbus. Interea dum propter filios impeditur a proposita expeditione, Nortmanni vrbe Andegauia potiti sunt. Quare posthabitis omnibus rebus, maturat profectionem Caluus contra Nortmannos, hostes inuenit intra Andegauiæ muros quibus confidebant. Obsidione igitur ab omnibus partibus includit hostem in vrbe, adiuuantibus Anglis. hostes videntes vrbem & ante eam hostem ita circumuallatum, vt eruptionibus infestari non posset, se autem egredi nullo modo posse, desperantes igitur, ad Carolum mittunt, qui pacem petant conditionibus non quas ipsi meruerint, sed quibus æquum sit hominem cum homine, optimum principem iræ dominum cum supplicibus victis agere. Carolus obsides imperat, pacem pro suo arbitrio præscribit. Est optio data Nortmannis a Caluo, vt qui velint Christianam religionem profiteri, illi in regno suo viuerent liberi, iureq; vterentur communi ciuium; qui vero non vellent, quam primum se in suam patriam, sterilem & incultam terram reciperent. Maxima pars Christianam religionem professa, mansit in Galliis: reliqui petierunt patrium cœlum. Huius belli cum Nortmannis Calui tempore Saraceni magna multitudine Samnium, quæ hodie regio Beneuentanorum vocitatur, omnino attriuerunt. Quos contra Ludouicus arma comparat, nec segnius Lotharius copias suas cogit, coniunctique aduersus hostem eunt, quem mari & terra victum illis regionibus expellunt, præda spoliatum, maioreque parte cæsum. Ea igitur omnia illic restituta per religionem & ius, ducibus & præsidiis aduersus repentinas hostium incursiones muniuerunt, & in sua verba iurare magistratus constitutos iusserunt. Non multo post Beneuentanus dux, non contentus sua sorte, altioraque quærens quæ plerunque cum periculo sunt coniuncta, nouas molitur res, vicinos populos sibi libertatis promissione adiungit. Imperator seditionem audiens, & conatus contra imperium, armatas aduersus eum mittit copias. Confœderati hoc audientes eum deserunt, despondet ipse animum, ad Imperatorem legatos mittit, mitigat exasperatum animum Imperatoris oratione & preciosis muneribus, recepto in fidem Duce Beneuentano Andalisio (nam illi hoc erat nomen) ducit exercitum contra Andalisij socios, Campaniam ingressus vbique satisfactione accepta, minimum, quantum per tantas copias licuit, damni dedit. Capuæ appropinquãti Imperatori processit obuiam epi-

ſcopus cum clero vniuerſo eius eccleſiæ, procidentesque omnes ad pedes eius gratiam poſtularunt, quam conſecuti ſunt. Græcos leues, qui ſeditionis illius autores fuerant, omnes ex Campania & Apulia expulit, ſtatuit ne aut illi aut alij Græci vnquam in poſterum reciperentur in eas regiones, quod propter leuitatem dicebantur ſemper nouis rebus ſtudere: quod hominum genus tranquillitati & paci hominum altrici eſt inimiciſſimum. Andaliſius immemor beneficij ab Imperatore accepti (ſub melle obli-
ta lingua cor doloſum texerat) inſidiis Imperatorem aggreſſus eum interficere nefando latrocinio voluit: ſed, apud Dominum nondum fuit decretum vt moreretur: quare ſeruatus comprehendere perfidum latronem magno ſtudio nititur. Andaliſius omnibus facultatibus ſuis, quæ venerunt in manus Imperatoris, relictis, fuga vitam inuenit. Poſt aliquot menſes ferebatur hic Andaliſius in Sardinia eſſe. Ludouicus hic Imperator natus ex Germania & ex Germanis (ne quis nos a propoſito longe aberrare putet cum ſcribimus tot in aliis nationibus geſta) & Pontifex Rom. Nicolaus vna ſtatuerunt, ne vllus ſecularium (ſic enim loquuntur) principum, etiam Imperatorum, conuentibus vel conciliis clericorum interſit, quacunque de re agatur, Clerici vero ſecularium perſonarum conuentibus intereſſe poſſint & debeant: ſi vero controuerſia aut negotium de fide religioneque ſit, ſeculares poſſe intereſſe decretum eſt: religionem enim communem omnibus Chriſtianis eſſe, referreque vt omnibus notiſſima ſit. De hoc textu 96. diſt. c. Vbinam. In eadem diſtinct. plura ſunt ſcripta de Ludouico hoc. Mortuo Nicolao Pontifice, eligitur Adrianus 2. Propter Pontificem eligendum miſit ſuos Romam legatos cum ſeriis mandatis (nam ſtudebat ſingulariter cuipiam, quem cupiebat ad pontificatum euehere. Sed hoc curia Romana intelligens, cauendum putauit ne ſit Pontifex nimium Cæſaris amicus: quare conueniunt propter electionem ſæpe, non vocatis Imperatoriis nunciis; & ſi quando vocant, parum ad rem pertinentia tractant: creatur ita Pontifex legatis Imperatoris nō admiſſis. Quod vbi factum audiuerunt a Cæſare miſſi, vehementer cōmoti aſtutia & temeritate hominum: quamobrem conqueruntur læſam maieſtatem, contemptum illum non ferendum. Romani nihil habuerunt quod prætexerent: ne tamen nihil dicerent, dicunt illum virum tantum vitæ probitate excellere omnes, tamque carum eſſe vniuerſo populo, vt a multitudine quæ regi non potuerit, ſit omnium votis petitus & electus antequam vocari potuerint legati Cæſariani. Quam frigidiſſimam excuſationem ad Ludouicum ferunt, primo enarrantes ordine quo dolo quibusque artibus res ſit acta. Etſi ergo Imperatorem male habuit, diſſimulare tamen certas propter cauſas viſum eſt ei. Vt ergo ſe purgaret, ne putaretur infenſus Adriano electo Pontifici, propterea quod ille alium voluit (nam hoc erat per totam Romam cognitum) ſcribit Romam prolixe, laudatque eos quod ſincere, nullo reſpectu vano, elegiſſent virum probatiſſimum & pontificia ſede digniſſimum. Recte Dominum ita diſpoſuiſſe, a quo hæc fiant, cuius ordinationi nemo reſiſtere poſſit. Suos non potuiſſe ſcire quis magis idoneus eſſet ad pontificatum, fortaſſe quod ſui legati ſua ſuffragia indigniori (quod non ita familiariter conuixiſſent, & omnes cognitos habuiſſent) dediſſent. Præſtare vt per ciues eligantur ad huiuſmodi ſumma munera, quibus perſonæ, quibus per conſuetudinem ſint cognitæ. Salutatque ſimul Adrianum Pontificem, & gratulatur illi. Primo anno pontificatus Adriani ſecundi, Lotharius rex, quem ante propter ſine cauſa repudiatam vxorem excommunicauerat Nicolaus Papa, venit Romam, purgat ſe, & poſt ſatisfactionem in teſtimonium innocentiæ ſuæ communicat menſæ Domini; communicabant vero etiam cum eo eius aulici primores; qui participarant cum eo omnes ante annum periere. Lotharius poſt illam participationem menſæ Domini ſemper triſtior eſt conſpectus, & ad ſuos rediturus in itinere moritur. De eius morte variant hiſtoriæ; ſed ſi quis diligentius animaduertat, nulla eſt controuerſia. Qui enim dicunt in itinere redeuntem ex bello quod geſtum eſt eo tempore cum Saracenis, nihil aliud dicunt, quam illi qui dicunt iter e Roma facientem periiſſe. nam ex Saracenico bello veniens Romam petiuit, cum eſſet non longe a recta deflectendum. Vt ſubinde ingrediamur Germaniam, Rege Ludouico in Germania, fuerunt quidam Sueuiæ principes, ex Caroli Magni proſapia, qui morum & vitæ ſanctimonia veteribus ſanctis patribus comparari poſſe viſi ſunt: quorum vnus Wighardus nomine, ædificauit

cauit mõnaſterium ſancti Benedicti Lucernæ, vbi nunc præpoſitura illa diues eſt; primuſq; abbas in eo monaſterio inculpate cum fratribus ſuis vixit: quorum vitæ exemplum longe plus valuit in corrigendis hominum animis, quam aliorum bene ſonantia verba, prolixę conciones. Dietlandus dux Sueuorum, monaſterium eremitarum ingreſſus, abbasq; in eo ſanctiſſime cum ſuis vixit, multum doctrina & exemplo profuit. Sanctus Huldrichus, Sueuiæ princeps, monaſterium ad lacum Thuricenſem fundauit. Manſem Sueuorum rex monaſterium Manſmunſter fundaſſe ſcribitur. Fuerunt multi alij in Germania primo loco nati, qui faſtu huius ſtulti mundi contempto, ſe ad vitam monaſticã, vbi vigiliis, orationib. meditanda cruce Domini exercerent ad pietatem, & alios docerent & commouerent ad caritatem veramq; lucem & gaudiũ quod eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Anno a natiuitate Chriſti 850, fames vix vnquam audita afflixit Germaniam. Fertur in hiſtoriis & bonæ fidei hiſtoriis, quod quidam a Rheno, in quæ loca præ cæteris famés maior premebat, cum vxore & puero filio petiturus Thuringiam, vbi paulo remiſſior erat caritas, cum eſſet in ſilua, & puer præ fame deficeret, & ipſi parentes, incepit cum vxore de mactando & comedendo puero tractare. vxore ad tantum facinus non conniuente, nihilominus rapiens & tenens puerum ſtricto gladio, iamiam percuſſurus, ecce vidit duos lupos ceruam captam dilaniare, accurrens igitur & lupis abactis carnes ceruæ accipit, quibus cum filio ſaluo & vxore veſcitur. Quod ſi factum eſt (id quod ego nec negare nec affirmare auſim) nónne memorabile eſt exemplum quam mirabiliter Deus cum hominibus agat. Poſt hanc caritatem anno 8, vel (vt aliqui volunt) ſeptimo, terrę motus maximi per Germaniam in diuerſis locis fuerunt, ita vt multę montibus altis impoſitæ arces corruerint, & in illis ſuperbi ſtulteq; inflati viri & mulieres perierint. Moguntię collapſum eſt, conculſis fundamentis, eo anno templũ S. Albani. A Chriſti natiuitate anno 876, Ludouicus Imperator vita hac defunctus eſt: cuius morte audita, Carolus Caluus comparat copias, Romam longiſſimis itineribus contendit, exceptus a Pont. Ioanne pro more, hoc eſt magna pompa, creatur omnibus ceremoniis quibus conſueuerat fieri, Imperator, Italiæ imperat magno ſupercilio glorioſus: ſed frater eius Germanorum rex non laturus eum ſine vllo iure imperium ſibi ſoli aſſerere, copias conſcribit, profectionem parat in Italiam. At Carolus dum in Germania quæ ad bellum neceſſaria ſunt, parantur, Italiæ rebus vtcunque ex tempore ordinatis, in Gallias reuertitur, vt illic compararet milites quibus fratri ſe opponeret. Reuerſus in Galliam totus fuit immutatus habitu corporis & animi moribus, inaniter inſolito veſtiũ genere ſe oſtentans, & a ſuo nomine imperat nomina noua imponere ciuitatibus. Carolopolin vrbem Compẽdium vocat. Ad Germaniæ regem mittit legatos cum ſuperbiſſimis minis, prædicari eos iubet ſuam potentiam & omnium orbis terrę regum amicitiam, & parata non ſolum auxilia, ſed & paratam obedientiam. Venturum in Germaniam cum tanta multitudine, vt exhauſtis fluminibus omnia ſicco tranſire poſſit pede. Iamq; nunc ſe miſereri patrię ſuæ Germaniæ, cum animo proſpiciat ſuperatas calamitates. Ludouicus nihil inanibus fratris ſui, non amplius Germani hominis, ſed vaniſſimi Græci (nam ſic veſtitus erat) minis mouetur, quę deſunt reliqua ad expeditionem diligenter comparat: ſed inopinato morbo correptus Francofordiæ moritur. A morte patris, filij quos tres habuit, diuidunt regnum paternum in tres partes: Ludouico Franciam quam vocant Orientalem, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem de regno Lotharij dederunt, & appellatus eſt rex Oſtrofranciæ. Bauaria, Pãnonia, Carinthia, Sclauorum regio, Boemia, Morauia, ſunt attributæ Carolomanno; & vocarunt illum regem Bauariæ. Alemaniam quæ nunc Sueuia nominatur, & partem regni Lotharij ſortitus eſt Carolus. Diuiſo in hunc modum Ludouici regis Germanorum, regno, Carolus Caluus ratus diuiſa debiliora quam cum vnita cõiunctáve fuerunt, bellum parat in nepotes, nullam plane cauſam belli habens: ſed frater eius rex Germanorum exercitum ſufficientem contra Carolum habuit. Ergo ſuperbus homo nihil curans conſanguineam neceſſitudinem, nihil expendens quid iuſtum, quid non, cum exercitu Germaniam inuaſurus Coloniam peruenit. Duo fratres (quod ſciebat Caluus) erant aliis diſtenti occupationibus, tamen iuſſerunt conſcribi copias quas ſi opus eſſet, fratri mitterent. Ludouicus igitur fortis animi & bonæ indolis iuuenis, rex Oſtrofranciæ, mittit ad Caluum patruum

850 876

ſuum legatos, qui de pace agerent, eumq; admonerent modeſte quo pacto res earúmque cauſæ haberent. Pacem ſe malle cum iactura ſuarum facultatum, quam bellum cum iactura hominum vitæ & facultatum. fore bellum tale vt ad victorem quoq; plus mali peruenturum ſit quam boni. præſtare vt coniunctis viribus contra Turcas militent. Caluus inflatus ſpiritu ſuperbo nihil audit de pace, contemptim reſpondet. Ludouicus interea aucto exercitu, ſimulat nihil minus ſe velle quam pugnare, nec eſſe ita paratum, vt cum tanto Thraſone audeat congredi. Caluus nihil timens aliquid iuuenem tentaturum, abſentibus maxime natu maioribus fratribus. nam ſatis exploratum habet eos adhuc imparatos eſſe, omnia igitur negligẽter adminiſtrat, exercitum ducit ceu nullum haberet hoſtem. Hęc intelligens Ludouicus, bene rem gerendi ſibi datam anſam videt: apud Andrenacum igitur aggreditur hoſtem nihil tale expectantẽ, Germani pugnant fortiter, vincunt, cum magna ignominia Caluus glorioſus rex fugit a facie quem tantopere deſpexerat, Ludouici nepotis. Multi ex proceribus Calui in hac pugna deſiderati ſunt. Huius regis tempore, Flãdria inculta neglectaq; iacuit, ferarum domus; in ea igitur ædificauit vicos quoſdã, & cultores paſtoresq; induxit, præfectum dedit illis Balduinum nomine, virum audacem, qui regis ſui filiam Iudith, abſente rege, rapuit, & pro vxore ea vſus eſt. Rex iraſcitur grauiter: ſed in aula habuit amicos (an facinoris conſcij fuerint, neſcitur) apud regem primæ autoritatis, qui primum conſiliis retinent regem; ne in primo furore hominem conficiat, poſtea cum viſus eſt regis animus capax rationum, agunt etiam cauſam Balduini apud regem, virum ſtrenuum, & ad magna natum, magni vſus in bello eſſe poſſe. Horum oratione placatus animus Caroli Balduino ignoſcit, vxorem filiam cõcedit, Flandriam loco dotis dat, Comitem Flandriæ appellat. Hic Balduinus per totam vitam ſuam fuit in excolenda & ornanda Flandria; nec ignauius eam excoluit Arnulphus filius Balduini, qui ſucceſſit patri. Hic ingenioſus fuit in ordinandis rebus publicis, & ad augendam hominum frequentiam multa excogitauit: quę etſi vtilia eſſent gubernatoribus vrbium & regionum (quorum multi imprudentia ſua minuunt frequentiam hominum, quæ regionis vrbiumq; decus eſt, & fere maximus prouentus) tamen hæc edocere propoſiti noſtri nunc non eſt. Imperante hoc Carolo Caluo, Campaniam totam miſere deuaſtant Saraceni, freti inteſtinis Chriſtianorum principum diſſidiis. Tota Italia rege deſtituta & Imperatore, vocat Caluum: ſed ille non vt res exigebat, properat, prius creat regem, Boſonem, fratrem vxoris ſuæ, & dat illi regnum Prouinciam. deinde Romam proficiſcitur, cum Saraceni iam nauibus oneratis præda ex Italia receperant ſe ad ſuos. Duo filij Ludouici regis Germanorum in Italiam patruum ſuum Caluum ſequuntur cum copiis Germanorum: nam conatus eius impij illos peſſime habebant. Eo vero animo erant, non ceſſaturos niſi aut ipſi eſſent victi & in nihilum redacti, aut patruo vita & imperium eſſet ademptum. Tantopere erant cõmoti iniuria, & ſcelerate hoſtili animo erga ſui fratris filios. Carolus audiens Romæ aduentum nepotum cum Germanorum electiſſima manu, Romam relinquit, anguſtias clauſurus qua veniebant, morbo correptus nõ periculoſo, neq; graui, in quo vſus eſt medico Iudæo Sedechia, qui perhibetur illi dediſſe venenatam potionem, ignorantiáne (vt ſępe per imperitos medicinæ profeſſores fit) an ex compoſito, ignoratur. Caluus mortuus eſt, cadauer conditur aromatibus, vt eo ferant quo ipſe voluerat: putredinem vectores ferre nõ valentes, mandant humi Vercellis. inde poſt aliquot annos alio eſt tralatum. Cauſam hic autores habent quidam quæ mihi non probabilis videtur. Imperatore Caluo mortuo, de imperio fuit cõtentio magna. Fuerunt enim multi principum Romę & aliis locis, qui cupiebant Carolum, Sueuorum regem, qui cum copiis ſuis aduerſus Caluum in Italiam venerat, ſocio expeditionis fratre Carolomanno: Pontifex vero reſtitit illi, cupiens Ludouicũ Balbum Calui filium, nec non alij proceres cum Pontifice vna ſentiebant. Pars tamen quæ ſtudebat Carolo Sueuorum regi, erat fortior. Pontifex ergo captus, in cuſtodiam ducitur: ſed non diu poſt quorundam opera liberatus, ad Ludouicum Balbum confugit, cum quo aliquãdiu habitauit, deinde diademate coronauit eum, & Imperatorẽ appellat. & apud eum pontificia vtitur functione, & multa eccleſiaſtica diſſidia tollit, & diſcordias componit. Poſtea apud Trecas vrbem, ſynodum cogit, in qua ad fidem Chriſtianam pertinentia ſunt multa inſtituta, & in Flandria, vt nunc dictum eſt, quæ culta iam erat,

& ha-

& habitatoribus referta, episcopus est ordinatus, qui rudem eruditet ad religionem & pietatem populum. Qui a simplici & nondum ad malitiam exercitato populo cum timore & reuerentia acceptus est, & cum deuotione animi secuti sunt doctrinam eius. operaque secuta sunt auditionem. Porro in his turbis, Saraceni tempus semper obseruantes, Italiam inuadunt, diripiunt magnam eius partem. pręter cætera autem montis Cassini monasterium miserrimis modis tractauerunt: quare reuocant Pontificem, vocant Cæsarem, quærunt territi Romæ & in tota Italia auxilium. Pontifex cum Caroli copiis & aliorum principum manu in Italiam veniēs, recreauit totum Latium: breuiq; expelluntur hostes omnes ex Italia. Post hæc omnia Ioannes Pontifex animaduertens plus præsidij in Sueuorum rege Carolo, quam in Balbo, & Carolum hunc amicis Romæ abundare: quamobrem creat eum Cæsarem, appellatque Carolum tertium: Balbi imperatorium nomen vertitur in risum, nec scribitur in albo Imperatorum. His temporibus fuerunt comitia Furonæ, vbi certis conditionibus pacem fecerunt inter se Ludouicus Balbus, & Ludouicus filius Ludouici regis Germanorum. Paucis post mensibus Balbus, quemadmodum fit, iam se quieturum, iam se in portu nauigare, ocio iam felici & dulci fruiturum post tot pericula, tot mala & labores, dicens, in morbum lethalem incidit, & in vrbe Compendio obit. Dominandi insana libido principum incredibiliter afflixit regnum quod Balbo subiectum fuerat. Vxoris Balbi defuncti vita frater, Boso, vir nihil humile in animo versans, paruisque non contentus, practica, vt ita dicam, multiplici regno insidiatus est. Principes vbi eius cōatus olfecerunt, restiterunt, & Germaniæ regibus oportere dari regnum, vnanimiter dixerunt. Vota omnium principum concordantium videns Boso, consequendi regni spem deponit omnem. Sed Germanici reges mortui eodem tempore sunt. Ne Boso reginæ frater tyrannidem rursum affectaret, principes sedulo cauendum putabant. Balbus mortuus filios duos reliquerat, Ludouicum, & Carolomannum, natos ex concubina. Hos quanquam illegitimos, faciunt vna reges. Hi reges creati, cum Nortmannis Galliam infestantibus pugnant, & eos vincunt nobili prælio. quæ res illis magnum nomen, & fauorem totius Galliæ peperit. Victoria illa quoque prædicata & grata fuit apud Germanos. nam & hos infestari Nortmanni incipiebant. Sed iterū collectis viribus Nortmanni in Galliam grassati sunt eodem anno quo a fratribus regibus sunt profligati: cum quibus iterum congressuri fratres, parant se. Cum essent iam parata omnia, hostemque alacres peterent, Ludouicus moritur. Boso autem videns nothum Carolomannum bello implicitum & pene fatigatum, denuo solicitat in regno omnes qui videbantur aliqua pollere autoritate, sed frustra; non mediocriter tamen turbat Carolomannum cum Nortmannis difficile bellum gerentem. Carolus Sueuorum rex & Augustus, audiens Nortmannorum iniurias & iniustos conatus, & Carolomannum in magnis difficultatibus constitutum esse, ex Germania mittit in Nortmannos copias, quarum virtute Nortmanni victi sunt. Sed ne aliquid de industria dissimulare videar, non desunt autores qui dicunt, Nortmannos hac tempestate nullo modo potuisse repelli, & victores frequentibus minoribus prælis discessisse, & Principes Gallię pacem petiisse, Frisiamque Nortmannorum duci dedisse. alios duces adductos, vt discederent, auri magno pondere, & ita victos auro, non ferro ex Gallia Nortmannos profectos. Adhæc Nortmannis Carolomannus annuum tribuit tributum: sed non diu post illud inhonestum fœdus Carolomannus vixit. Cuius mortem vbi audiuerunt Nortmanni, arma recipiunt, hostili animo Galliam petunt, Parisios obsidentes, circa eam passim omnia perdunt. Tota igitur Gallia non habet quo respiciat, vndeve expectet salutē, quam ab Imperatore Crasso. Cōcordibus ergo votis eum optant, rogāt vt veniat, opemque in extremo periculo constitutis ferat, se illi commendant deuouentque totos. Imperator miseratus statum Galliæ, videns eos a se solo pendere, & quid incommodi simul & turpitudinis sit eos deserere; rursum quāta vtilitas & gloria sit, eos seruare, magnis in Germania copiis conscriptis, imperato etiam certo militum numero ciuitatibus in Italia, ita temporibus profectionem ordinauit, vt simul eodem tempore ex Germania & Italia copiæ conueniant in ea loca in quibus hostis erat. Idque diligenter obseruatum est. Conueniunt copiæ non longe a Lutetia quæ ab hoste obsessa & ita pressa erat, vt a deditione parum abfuerit. Iamiamque actum de ea erat, nisi Impe-

ratoris aduentu recreata ſpiritum recepiſſet. Hoſtes potentem & numeroſum aduerſariorum exercitum videntes, ſuos vt obſidendi ratio exigebat, diſpoſitos ſeparatim per partes, collectius continent in alio caſtrorum genere. ſoluitur igitur arcta illa obſidio. Imperator (præſcripta certa ad hoc hora) iubet omnes, qui ferre arma poſſint, in hoſtem erumpere, eadem hora ſe cum ſuis adfuturum, ſignificat ex ſummo magiſtratu paucis, qui multitudinem iubent paratam ad conſtitutam horam adeſſe oportere, cumque iam acie inſtructa eſſent ituri in hoſtem, multitudini conſilium & iuſſu Imperatoris exponunt, victoriam eſſe certam, affuturum Imperatorem cum Germanorum electiſſimis. Adhortantur eos, vt in conſpectu Imperatoris ſuam oſtendant virtutem. Venit hora, vtrinque ruunt in hoſtem, ſanguinolenta fit pugna, Imperator ſuperat, vt cedere cogantur hoſtes, ſed non franguntur prorſus: recipiunt enim ſe non procul ab eo loco in munitiora loca. Inceptum eſt agi de pace, Cæſar & omnes principes pacem cupientes, potius aeceperunt paulo iniquiores conditiones, quam fortuna poſtulare viſa ſit. Conceſſa eſt igitur habitanda Nortmannis ea regio quæ vltra Sequanam eſt. noſtra ætate adhuc ea vocatur Nortmannia. ad ſeptentriones habitant illi, idque nominis impoſitio non inepta complectitur: *Nort* enim ſeptentrionem eorum lingua vernacula ſignificat, *Man* virum. Et Germani vocant ventum aquilonem a ſeptentrione flantem *Nortwind*, hoc eſt ſeptentrionalis ventus.

DE GERMANIS
LIBER DVODECIMVS.

888 POST Domini natiuitatem 888, Imperatore Craſſo mente capto ex intemperie cerebri, alium Principes Imperatorem appellauerunt, nempe Arnulphum. Craſſus poſtquam incepit inſanire, aut ſaltem non omnino eſſe mentis compos, tantum vnum annum vixit. Eſt humi mandatus cum omni regali & imperiali reuerentia & honore. Minori tamen planctu, propterea quod animo nihil valebat, inutilisque imperio erat factus. Hic Arnulphus vir quidē industrius & animo magnus, ſatisque prudēs, propter quas dotes meruit eam apud principes exiſtimationem, vt electus ſit Imperator, neque vero opibus & facultatibus valuit ſatis. Erat enim is imperij ſtatus, vt niſi aliæ eſſent facultates, imperium non ſufficeret ad tuendam dignitatem Imperatoris & hoſtibus reſiſtendum, omnino nomen imperij magis erat gloriæ quam rei. Quas ob res Arnulphus hic nec Gallias nec alia loca, vt volebat, & rerum ſtatus exigebat, tutari poterat. Galliæ ergo optimates deliberant qua ratione ſibi conſulant, & de rege creando tractant. Ludouicus Balbus præter filios ex concubina duos de quibus paulo ante, reliquit vxorem reginam grauidam; peperitque poſt mariti mortem filium, qui nominatus eſt Carolus Simplex, qui iam natu decem annorum erat regni paterni hæres. Igitur optimates puerum regem creant, tutoremque præficiunt puero Odonem, comitem Pariſienſem. Hic puerum ſtuduit regno vtilem reddere, bene inſtituendo. Vbi nouem annos nomine pueri regnum iuſte & cum laude gubernauit, moritur; ante mortem vero adoleſcentem regem commendat regni optimatibus. Adoleſcens ſuſcepto regno Britannorum regis filiam, nomine Edinam, vxorem duxit. Quidam tradunt tutorem Odonem cum Carolo Simplice magnas poſtremis annis habuiſſe ſimultates: nam Carolo iam ætate maturo Odonem noluiſſe cedere. Odonem autem adoleſcenti quātumuis bonæ ſpei iuueni facile reſtitiſſe, quoniam Odoni totum regnum fauiſſet, ob ſingulares eius dotes in bello & pacis tempore eximias. Nortmannos qui eo regnante ſæpe Galliam vexauerunt, feliciter & fortiter ſæpe victos, ſuæ ipſius vitæ periculo repulit; ſed ſemper contra eos vſus cum Francis Orientalibus, tum Germanis aliis. Carolus Simplex etiam eorum furori ſæpe reſtitit. Et vt firmior eſſet pax, magisque Gallia quieſceret liberata ab eorum incurſionibus, Rolloni Nortmannorum principi filiam vxorem dedit; ſed prius ſuſcepit Chriſtianam religionem Nortmannus. Porro Robertus Odonis frater, Princeps Aquitaniæ arma parat aduerſus regem Simplicem, volēs ſibi regni partem nomine fratris deberi,

beri, vrbes quasdam expugnatas sibi iurare cogit. Vbi audiuit regem in armis esse, nolens suos bello affligi contra regem, cum copiis instructis proficiscitur: sed rex longe numero & virtute militum superior, excipit eum prælio, occiditur dux Robertus. Rex iam omnia tranquilla putans, quibuslibet confidit: quare iter forte facientem illac hospitio blande excipit eum Herebertus apud Peronem, cepitque impius hospes Simplicem regem hospitem. Edina Regina ad Eduardum patrem in Angliam fugit cum filio paruulo Ludouico. In Gallia capto rege miscetur cœlum terræ, plena sunt omnia tumultibus. Procerum multi regnum affectant, quilibet se iudicat dignïorem qui alios gubernet. Qua discordia freti Saraceni iam non fines vltimos Galliæ bello tentant, sed interiora fere omnia vastant. Rex igitur malis auspiciis & sero creatus est Richardus Burgundiæ ducis filius, non satis enim exercitatus & peritus fuit in militari disciplina. Qua facultate tamen in primis opus erat, propter Saracenorum crudelitatem qui tum quoque Burgundiam depopulabantur. Porro Richardus & Carolus Simplex capti eodem tempore moriuntur. Regnum iterum destitutum est gubernatore in magnis fluctibus & tempestatibus. Post longas contentiones, proceres in Anglia Edinam vxorem Simplicis defuncti vita, & filium eius Ludouicum reuocãt, regnum, paternam hæreditatem, offerunt, venienti obuiam procedentes gratulantur, regem salutant, se suasque fortunas illi committunt. Magnis & variis hic iuuenis rex petitus est insidiis, ex quibus omnibus seruatus est & ereptus Germanorum, vt narrant historiæ, opera & fide. Sed ne quis existimet nos oblitos propositi, professos scilicet de Germanis scripturos: immorari vero in aliarum nationum rebus præter decorum. Horum omnium quæ hactenus tradidimus, Germani fuerunt longe maxima pars, & Principes quos narrauimus, plerique omnes originem duxerunt ex Germanis. Propius tamen nunc redimus ad Germanorum res gestas. Arnulphus, de quo paulo ante, Imperator appellatus in infelici imperij tempore. Maharenses, ex Morauia gens, initio imperij huius Germaniam afflixere miserabiliter. Causa eius belli eis fuit, quod Ludouicus Germanię rex Germanorum copiis superatos maxima clade affecerat. quare Principum dissensiones audientes, venerant se vlturos. Illis igitur Arnulphus se opposuit; sed quantũ profecerit, satis arguunt fœdera cum illis facta. Data est enim illis Boemia in qua liberi habitarent. Nec erat vlli cordatiori obscurum quantum mali & discriminis esset Germanis talem habere vicinum, sed danda fuit, ita ferebat res. Ex Boemia igitur breui post tempore egressi, Germaniã vastarunt. Arnulphus contra eos ducit suos: sed aliquoties ita præliatũ est, vt Arnulphus auxiliares copias aduocarit ex Vngaria: Vngari magna multitudine in Germaniam venientes non multo minus dederunt quam hostes, damni. Vicerunt quidam hostẽ pugna cum maximis quæ vnquam fuerunt, conferenda. Ex Germania igitur profligatis Maharẽsibus, Vngari promissam pecuniam improbe exegerunt ab Imperatore. quam cum non haberet, promissis effecit vt repeterent patriam. Cum autem dies soluendi adest, non habet Imperator vt satisfaciat. Qua causa Vngari Germaniam vsque ad Frisiam depopulati sunt. Germani vero recordati suæ pristinæ virtutis, & ob trucidatos liberos, senio defectos parentes, & vxores, commoti, cum furore arripiunt vno animo omnes arma, hostium exercitum pene deleuerunt totum. His temporibus tota Europa tumultuata est intestinis seditionibus bellisque. Arnulphus Cæsar in Galliis bello magno implicitus, & in eo miram fortunæ instabilitatem expertus est. Ædificia igne consumuntur, subuertuntur arces & vrbes, magna omnium rerum penuria sequitur, fame vulgus perit. Germania quoque fame laborat, bellis, quæ iam diximus, exhausta. In Latio factiones multæ omnia confundunt. Guido dux Spoletanus solicitat quasdam vrbes in suas partes, quasdam terret, quas scilicet corrumpere nequit vanis promissis. Berengarius Princeps Foroiulij Guidoni se opponit, cum ciuitatibus artibus eisdem agit quibus Guido. Præter illas fuerunt factiones pernicioſæ, quas enarrare longum esset. Sic tota Italia perturbata maximis affecta est malis. Berengarius superior Guidonem vincit, fœdus victor cum Imperatore facit. Arnulphus paulo post Italiam cum exercitu petit, a Pontifice rogatus, quem factiones fere oppressérant. In Italia de omnibus supplicium sumit Imperator, qui aduersi fuerunt Pontifici. Bergamum, vbi hostium quidam Pontificis erant, obsessum, vique expugnatum est ab eo: cuius ciuitatis comitem

laqueo ſuſpendit. Per totã Italiam aut fugatis, aut e medio ſublatis inimicis Papę & ſeditionum autoribus, ſtatu pacatiore reddito Italicarum rerum, Romam accedit, fores apertas ſibi fore exiſtimans. Sed quanquam vocatus a Pontifice ſit, tamen quoniam factionum multæ erant partes, illa quæ aduerſa erat Papæ, tanta potentia in Repub. pollebat, vt vrbis portas clauſerint, & aditus omnes muniuerint, illis qui a Pontificia ſede non diſceſſerant, & Pontifice repugnantibus. Intra mœnia igitur vrbis tumultus, cædes, dolus, nemo ab alio tutus. Partium alia ſperare, alia deſperare, alia meditari fugam, alia tractare quomodo velit vti victoria: omnes parturire dolos & labores, conſultare, vigilare, inſidiari. In his turbis & diſcriminibus Pontificij prævalent, vrbs aperitur, Imperator ingreditur, excipitur a Pontifice Formoſo honorifice. Qui ſibi conſcij ſunt aliquid aut feciſſe aut dixiſſe, fugiunt ex vrbe. Multi tamen ob etiam ſuſpiciones leues crudelibus pœnis afficiuntur. Volebant enim Pontifex & Cæſar exempla ſtatuere, ne in poſterum aliquis auderet contra Pontificem aliquid moliri. Guidonis facultates quas in Italia habuit maximas, afflixit, & fere totas contriuit. Referam & quod de vxore Guidonis ſcribitur. Hæc mulier obſeſſa in quadam vrbe, nacta proditorem ex Arnulphi Imperatoris familiaribus, per quem ſomniferum lethaleque venenum potu dedit Imperatori qui ante vrbem in tabernaculis erat. quo veneno hauſto tam alto ſomno eſt oppreſſus, vt toto triduo non potuerit excitari. decoxit tamen, naturæ in Imperatore vis, vt mortuus non ſit, vel potius, Deus diutius volens illum in hac vita habere, ſeruauit: alioqui mortis genere hinc illi decedendum fuit. Arnulphus hac potione corpore & animo ignauior factus, Italiæ propter veneficia infenſus, ſuam Germaniam repetit. Nec multo poſt tempore Arnulphus pediculorum multitudine ex corpore eius naſcente conſumptus eſt, nec potuerunt vlla arte pediculi tolli. ſublatis enim genitis, ex ſubiecta corrupta corporis materia alij naſcebantur; his ablatis, ex ſeminario in putredine relicto alij iterum proueniebant, ſemperque ita numerus auctior eſt redditus. Itaque toto fere corpore conſumpto magni doloris morte excedit ex hoc ſeculo. In monaſterio Diui Emerani Ratiſponæ ſepultus eſt. Mortis tempore pollebat potentia & opibus: ſed tempore quo imperij adminiſtrationem accepit, non ſatis ad imperij dignitatem tuendam diues fuit. Filium legitimum Arnulphi a morte patris ſtatim Principes fecerunt Imperatorem; erat autem nomen illi Ludouicus. Primo eius imperij anno, Vngari Germaniam (propter patrem mortuum: nam viuente Arnulpho nihil aliquot annis tentarant contra Germanos) inuadentes, vaſtantq; vſque in Bauariam. Quidam volunt quod ingentibus copiis totum Noricum agrum vaſtarint; & in Sueuia aliquoties incolarũ virtute præliis ſanguinolentiſſimis victi & repulſi, tamen ad extremum ſuperaſſe Sueuos, eorumque regionem crudeliter incendio & ferro depopulatos vſque ad ipſum Danubij fontem peruenisſe, qui eſt caput ſiluę Hercyniæ. Quod tamen verum non eſſe arbitror. neque enim in eo loco iſtis temporibus erant Germanorum res, & Vngarorum virtus tanta, vt eo vſque credendum ſit Vngaros peruenisſe. Ludouicus Imperator iuuenis, magnis vndiq; copiis coactis obuiam properat; neq; enim in initio imperij ſui voluit ferre ſuos, & præter alias nationes ſui imperij caros deuaſtari. Vbi venit ad Lycum fluuium cupidius, vt ſunt iuueniles animi concitatiores, cum hoſte dimicandum quam primum quęrit. Vngari ſæpius acie inſtructa animum eius ad pugnandum cupidum intelligentes, in quendam depreſſiorem locum arbuſtisq; ſilueſtrem inſidias ponunt, cum reliqua exercitus parte expedita committunt prælium cum Imperatore. pugnant fortiter Cæſariani, hoſtis paulatim cedit, ſe quantum poteſt fieri, defendens recedendo, noſtri nihil ſuſpicantes periculi ſequuntur cedentem & in inſidias ducentem hoſtem. vbi ad locum inſidiarum ventum eſt, prorumpunt ab omni parte inſidiæ. Germani & ſi non potuerunt non commoueri re inopinata, tamen pugnarunt ita, vt diu anceps fuerit prælij euentus; ſed qui in inſidiis fuerunt nimium ſuo impetu perruperãt aciem Cæſaris; quare tandem fugere coacti ſunt. Poſt hanc fugam ita ſunt hoſtium animi ſublati, vt totam Germaniam in ſua manu eſſe putarint. Imperator vt pacem conſequi poſſet, dedit priuatim occulte hoſtiũ ducibus magnam pecuniam, publice magnã etiam dedit, maiorem ſe daturum promiſit. annuum quoque tributum hoſtibus pollicitus eſt. Ægreq; inducti ſunt vt redierint domum. Ludouicus duxit vxorem Lutgardam filiam

Otho-

Othonis ducis Saxonum. Dum regnauit hic Ludouicus, octo Pontifices mortui sunt, regnauit vero solum duodecim annos. Non multo post prælium iam dictum, Vngari contra pacta non contenti tributo annuo quod bona fide numerabatur quotannis a Ludouico, repetunt, maioribus viribus quam ante aggrediuntur Germaniam. Cum quibus in Bauaria Germani bis congressi, bis superatos in Vngariam repulerunt. In postrema eorum fuga quidam volebant illos persequi vsque in Vngariam, & illic cum illis ducere bellum: sed consilium non placuit omnibus: plerique enim maluerunt domi quiescere, quam hostem tam atrocis animis sequi. Sed id euenit quod ij prędixerãt, qui eos persequendos censebant: Redibant enim tertio, & superatis multis Germaniæ partibus omnia impleuerunt sanguine. Primum versus septentrionem Thuringiam, Saxoniam miserrimis modis tractauerunt. deinde conuersi rursus in Sueuiam eandem crudelitatem in ea exercuerunt, sed multis per omnes eas regiones amissis. Erat vero illis liberum per Bauariam captam iter: quare occisis succedebant semper alij, confluxerunt enim semper sine intermissione alij. Ex Sueuia vertuntur in Rauracorum agrum, vbi Basileam (quæ vrbs feliciſſime crescebat) vastatam & direptam incendunt; sed discedentibus hostibus, ignis extinctus est, neque multum dedit damni. Alsatiam quoque totam diripiunt. Inde progressi in Lotharingiam peruenerunt, in cuius agris nullum ædificium erectum passi sunt, omnia solo æquant. Eodem furore penitius in Gallias intrauerunt, & non remissiore crudelitate debacchati sunt per omnia fere loca Galliæ. redeuntes ibant per ea Germaniæ loca, quæ præterierant antea, & ceu furiis agitati nulli neque ætati neque sexui parcunt: cum maxima præda, sed infinito suorum numero amisso, in Vngariam redierunt. Nec Italia ab Vngarorum iniuriis tuta fuit: vastarunt enim & illam totam, nullum angulum prætermiserunt, quem non afflixerunt. In Italia tamen non est illis datum grassari sine memorabilibus præliis. Itali aduenientibus Vngaris territi vehementer sunt, quoniam audierant quid in Germania, quid in Gallia feciſſent: & dicebãtur humanis carnibus vesci. Quare in tanta tempestate quærebant iam quem imperatorem facerent gubernandi peritissimum, non ex fauore, sed ex iudicio. Berengarius Foroiulienſis dux eligitur, quoniam præter cæteros fortis & felix in bellis visus est. Hic igitur belli Dux & Imperator electus, quam maximas copias cogit, hosti Vngaro obuiam it: & quia hostes videbantur fatigati, & hostem nondum expectare, imparatos opprimere volens, aggreditur eos: sed numero & virtute militum inferior, postquam vna atque altera hora pugnatum est, fugatus exercitum pene totum amisit. Post hoc prælium Italia multo quam antea magis conterrita est. Vngari victoria insolentiores, & cæde suorum ira iracundiores redditi sunt. Taruisium obsidione circumdederunt, & expugnauerunt, & direptum desolatum reliquerunt. deinde ciuitatem Venetorum nouam incenderunt, Equilium, Clodiamque diripuerunt, & sic furibundi pergentes vbique grassantur. Tandem dato magno pondere auri & argenti a Berengario (quod vbique ex omnibus ciuitatibus & epiſcopis & a Pontifice collegerat) Italia excedentes, reuertuntur vnde venerant. Porro Ludouicus eius nominis tertius Imperator (quamuis eo tempore plures in Italia regnarunt: sed non sunt agniti pro Imperatoribus in pleriſque imperialibus regionibus, quare nec nos istos in numero Imperatorum recensebimus) non laturus Berengarium in Italia imperare, & Imperatoris nomine appellari, coactis copiis in Italiam properat, omnibus rebus posthabitis: habuisset enim multo magis necessaria ad statum regni sui conseruandi, si non magis respexisset titulorum gloriam, quam suorum subditorum tranquillam vitam. Germanorum aduentu audito Berengarius, quantum licet fieri per infaustam pugnam nuper habitam cum Vngaris, exercitum comparat. Magnæ fuerunt Berengarij difficultates, exhaustus pecunia (omnem enim dederat hostibus Vngaris) territus miles quo consueuerat vti, Italus, & propter rem improspere gestam cum Vngaris a multis male audiebat, apud multos fauorem & æstimationem perdiderat: homo in his angustiis omnibus nondum animo victus est. Confidit etiam cum nihil habeat in quo speret: neque enim milite suo confidere potuit. Ludouico igitur aduenienti obuiam procedit, vt Italiæ non videatur fractus. Quam primum enim timoris & desperationis signum si præbuisset, hostique cedere, & non congredi audere visus esset, ciuitatum pleræque desciuissent ad for-

tiores partes. Itali enim ſemper eo ſe inclinarunt vbi maiorem fortunam maioremq; potentiam vident: etſi omnes homines cum inſtabili fortuna mutantur. Niſi hoc ſic habuiſſet, Berengario longe conſultius erat, munire vrbes, omnia ex agris præripere hoſti venturo, in munitiores vrbes conuehere, præſidia in vrbes diſponere, ſe intra mœnia continere, ita ducendo bellum Ludouicum fatigare. ſed hanc timoris ſignificationem vitandam cenſuit propter quas dixi, cauſas. Quamobrem alacritatem ſimulare, ſpargere in vulgus, eſſe Ludouicū imbellem virum, quibuſlibet hoſtibus tributarium factum, nihil ad hoc eſſe periculi, ſimulare ſe non modo pugnam non detrectare, ſed etiam nihil æque cupere. Nihilo minus quantum potuit, locis cauit ne eſſet dimicandum: videbat enim ſuos inutiles pugnæ. Poſtquam vero in conſpectum hoſtium venerunt Itali, ita metu confuſi ſunt & exanimati, ſicut ſolent eſſe qui in iudicio damnati ducuntur ad ſupplicium. Etſi igitur facile præuidet, qua fuit in militaribus rebus prudentia & experientia, ſi congrediatur, quis ſit futurus euentus rei: tamen pertinax in homine animus tentare voluit rem in qua certam ſciebat perniciem. Congreſſis igitur in prælium copiis, primam coitionem non ferens Berengarius fugatus eſt. Poſt prælium ſtatim ciuitates inceperunt deficere ad Ludouicum, excluditur Berengarius, Ludouicus intromittitur. Berengarius etiam poſt illam fugam, & Italiæ defectionem, animam non deſpondet, alia via aggredi hoſtem meditatur, parturit dolos, virtute ſuorum fracta. Ludouicus victor videns Italiam totam ſuam eſſe, ab omnibus enim ciuitatibus iam mittebantur legati, claues quacunque ibat, veniebant obuiam, nullus erat aduerſarius timendus: quare non admodum ſolicitus remiſit curas. Ergo cum Veronę eſſet, a quibuſdam familiarium ſuorum, qui acceperant a Berengario pecuniam, proditus eſt. Nam proditores illi intromiſerunt Berengarium in vrbem nocturno tempore: ab illo captus eſt ea nocte, luminibusq; priuatus Ludouicus, & dimiſſus. Sed ſunt autores qui putant ita priuatum oculis, vt mori eum neceſſe fuerit: nam Berengarium ita videri voluiſſe contemnere poteſtatem eius: & probabile eſt quod dicunt illi. Neque enim veriſimile eſt liberum luminibus ademptis voluiſſe dimittere talem regem. Statim igitur poſt ereptos oculos mortuus eſt. Regnum hoſt huius mortem obtinuit Berengarius in Italia. Anno poſt obitum Ludouici Imperatoris (qui fuit annus a nati-
913. uitate Chriſti 913) contentio de imperio magnorum bellorum in Europa fuit cauſa. Alium in Galliis, alium in Italia, alium apud Germanos volebant Imperatorem. Franci occidentales, id eſt Galli, prædicabant id quod verum erat, genus Caroli Magni non inueniri in Germania, eius generis apud Gallos eſſe reliquias. Supererat enim Ludouicus nomine, filius Boſonis, qui genitus erat ex filia Imperatoris Ludouici ſecūdi, quem Imperatorem multæ magnæ ciuitates & Principes præcipue in Gallia, volebant. Germani contra noluerunt qui eſſet alienis moribus & animo a Germania, qui non eſſet educatus in Germania. Quare elegerunt vnanimiter fere omnes Ludouicum nepotem Ludouici tertij, ducem Francorum in Germania, & Princeps quoque legitur fuiſſe Lotharingiæ. Hunc electum appellant regem & Imperatorem: ſed Itali Berengarium ſuum Imperatorem appellabant, negabant Germano coronam imperialem. Ex his diſſenſionibus grauia bella orta, afflixerunt miſere populum, qui ſub Imperatorum tutela felicem & tranquillam vitā debebat agere. Ergo Ludouico ea via qua dixi, mortuo, Franci & Saxones Othonem Saxoniæ Principem cupiebant Imperatorem: ſed Otho ſenio confectus oblatum imperium recuſans, ſuaſit vt potius Conradum eligerent, quem iam dixi electum. Otho tamen ſemper ſe adfuturum communi paci, & imperij dignitati iuriq́ue ad imperium Germanorum, promiſit. Huius Conradi imperij anno ſecundo quidam principum in regno eius meditari cœperunt res nouas contra Imperatorem, quos ille ſingulari ſapientia compreſſit, & ſine armorum tumultu in leges ſuas perduxit. Vnus tantum illorum nempe Princeps Bauariæ non fidens illi, conſcius ſui animi & propoſiti contra illum, fugit cum tota familia ſua ad Vngaros, quos non ceſſauit excitare in Conradum Imperatorem, nec nihil effecit, ſed plus ſuis conſiliis nocuit Vngaris, quam Germanis. magno enim prælio eodem anno a Germanis ſuperati ſunt, & innumerabili multitudine occiſa, cum ignominia fugiunt in patriam. Sequenti deinde anno iterum redeunt, iterumq; repulſi; & multis occiſis, ad ſuos reuerſi, ſequente vere rurſum maioribus copiis quam prius Germaniam inuadunt, & primo

qui-

quidem impetu non potuerunt retineri, ſed longius progreſſi collectis omnibus Germaniæ viribus, victi fugati ſunt. Poſt hoc prælium ſequentibus annis proximis quibuſdam non reuerſi ſunt. Erat hoc tempore dux Saxonum, nomine Henricus, Othonis filius iuuenis maximi animi, & in militaribus virtutibus peritiſſimus, qui aliquoties ſpecimen ſuæ præſtantiæ dederat in præliis cum Vngaris: nam eo tempore vicinas regiones cladibus afficiebant. Hũc Conradus ob has dotes, ob quas diligẽdus erat omnibus, odit inhumaniter. Cuius iuuenis pater Otho de Conrado optime meritus fuerat, cuique debebat nomen Imperatoris, vt eſt iam auditum. Et cum Conradus intelligeret quid eſſent omnes homines iudicaturi de ingratitudine ſua, ſi palam cum illo armis rem ageret, de dolo & inſidiis cogitauit. Ad hanc rem neminem iudicauit aptiorem Hattone epiſcopo Moguntino, quem in inſidiis fabricandis mille artificem ſciebat, & audentem & paratum ad quoduis facinus. Cum illo ergo cõmunicat Conradus conſilia ſua. Hatto pollicetur nefandam operam, facile ſe poſſe addit (nam in ea arte erat iam exercitatus) Occaſione igitur quæſita, Hatto inuitat Henricum, magnum, neſcio quid, inquiens ſe habere quod cum illo communicet. Aduenientem Henricum ficto vultu læto excipit Hatto latro, in conuiuio donat illi auream torquem, quæ venenato auro erat facta, ita vt qui ſemel in collum iniiceret, veneni vis penetraret per veſtes etiam ad cordis penetralia, & breui necaret, nec nihil manibus tractando nocuit. Hatto igitur allata per famulum, manibus medicamine præparatis, in collum iniecturus erat lethale donum Henrico, qui per quendam admonitus clanculum, recuſauit. Poſtea ille qui admonuerat Henricum ſoli exponit omnia, & Comitem Albertum tali torque eſſe ſublatum per hunc epiſcopum. Hattoni ergo roganti cur tantopere ſuum munuſculum renueret, reſpondiſſe ſcribitur Henricus, ſibi non eſſe durius collum, quam Comiti Alberto. Latrocinio illo ergo Henricus ſupra modum iratus, cognouerat autem poſt Conradi odio ſubornatum hunc proditorem. Quamobrem proxima quæque Saxoniæ ſuæ, quæ ad Conradum pertinebant, inuadit, & ſuæ ditioni adiicit, nec finem graſſandi facit vllum. Hatto ſe (propter proditionem ſuam manifeſtatam, & propter quæ ſequebantur mala) mœrore & triſtitia conficit, animiq; ægritudine moritur. Quidam multa ſcribunt quomodo Satan non modo animam eius, ſed & corpus a morte tractarit, quæ ego neſciens an omnia vera ſint, taceo. Rex in tota fere Germania (nam omnibus erat nota beneficentia Othonis patris Henrici erga Conradum) peſſime audiebat propter ingratitudinem & proditionem; omnia vero bene dicere de Henrico omnes, iuſtam cauſam habere, merito latrocinium illud vlciſci, mala quæ accipiebant ab Henrici exercitu magis aſcribere Conrado, quam Henrico. Nullum autem occupandi aliena finem faciente Henrico, Conradus copiis conquiſitis fratrem ſuum Eberardum primum, non ad recipienda quæ occupauerat Saxonum dux, ſed ad Saxoniam depopulandam, vt reuocaret cum exercitu Henricum ad ſuos defendendos. Eberardus inflatus regiis & imperialibus fratris ſui titulis, non aliter agit rem atque cum hypodidaſcalus iuſſus eſt a ludimagiſtro punire puerum. Cum peruenit ad oppidum Heresberg minis ſuperbeq; dictis oppugnat. Saxones eum excipiunt magna multitudine, pugnatur vtrinq; primo impetu fortiter, ſed a parte Eberardi non ſatis pertinaciter; verterunt enim mox poſt primam coitionem tergum, & maxime parte exercitus amiſſa, reliqui fuga ſibi conſuluerunt. Nec poſt illam cladem non mediocrem demiſit Conradus ſuperbiam, adhucque contemptor hoſtis, copiis reparatis & auctis, mittit legatos ad Henricum cum minis, qui Henricum terreant, vt ſponte petat gratiam, & ſe dedat, fortaſſe inuenturum miſericordiam apud Imperatorem. Legati ad Henricum vbi venerunt, quid facturus ſit, niſi ſe vltro dedat, Imperator ſe eius miſereri, ſuadent vt gratiam petat, ſpem miſericordiæ conſequendæ faciunt. Henricus cum non haberet numero parem exercitum, non diffidit tamen ſuis copiis. Aderat cum Henricus cum legatis ageret, vir magno animo Dietmarus Saxo, qui legatis præſentibus magna voce aſſeueranter dixit, Triginta legiones quas voluiſti copias, paratæ ſunt quocunque voles die, ergo minis ne moueare Conradi. Hoc dixit, vt audirent legati & omnes comites famuli legatorum. Legati cum vident Henricum Saxonem ceu immobile ſaxum nihil mutari mandatis & minis ſui Imperatoris, redeunt ad Conradum, referunt quæ egerint, quæque a quodam viro graui de legionibus au-

dierant.quæ etiam per famulos in vulgus totius exercitus, & per legatos inter primates diuulgata ſunt:quo nuncio mirabiliter territus eſt totus exercitus regius, & ideo in ipſa nocte Franci,relicto Conrado,conferunt ſe domum: neque vlla ratione copiæ contineri potuerunt:itaq; & Conradus caſtris relictis coactus eſt redire vnde venerat. Tantas copias Dietmarus vno ficto verbo vicit. Nunc accedemus ad de Henrico primo hiſtorias,in quibus ſi quid erit cuipiam nõ ſatis credibile, meam liberatam volo fidem, nam autores ſequar,quibus maxime credendum iudico: velimq́ neminem tam iniquum eſſe,vt etiam plurima vera reiiciat,propter quidpiam adfictum. Poſt hanc e caſtris mirandam fugam Conradus in grauem morbum incidit,deſperataq; valetudine, & ex morbo humiliatus, reſipuit, antea, valente carne, obcæcatus per ſuperbiam animus erat. Quare omnes regni proceres cõuocauit,præter ducem Saxoniæ Henricum, hancq; orationem habuit ad illos, Videtis amici conditionis noſtræ miſeriam, iam ego nudus ex hac vita migrabo,quemadmodum & ingreſſus ſum nudus. Propterea obteſtor vos omnes vt cogitetis iam,quæ ego iam cogito, quæq; omnes olim cogitabimus: neque enim effugiet veſtrum hanc horam quiſquam,acceleratisq; omnes huc. Quare ita geratis vos, vt poſſitis reſpondere rationem expoſtulaturo, vt poſſitis inimico reſiſtere, ne detis illi quod contra vos habeat calumniator ille. Quærite pacem, quærite ſubditorum vtilitatem,communem cõcordiam ſectemini. Videtis ſuperbiam vanam eſſe, vanitatem eſſe quæ nos prima putamus. Ne igitur ſtultiſſima ambitione ſeducamini: & his tam malis temporibus eligite non ex fauore, ſed iudicio, prudentiſſimum, rerum omnium peritiſſimum, & quæ pacis & quæ belli ſunt, iuſtiſſimumque; talem ego expertus ſum Henricum ducem Saxoniæ,quo cum bella, vt ſcitis, geſſi. Principes qui aderant,mirati,quod hoſtem ſuum,quem angue peius oderat, iam ita prædicet,& Imperatorem velit. Cęterum pedibus omnes ibant in eius ſententiam deligendo Henricum: quoniam tempora talem requirebant virum. Eberhardus frater regis ſolus omnium iniquiore ferebat animo. nec mirum: nam ipſe præ cæteris ſperauerat imperium fratris ſui. Illam triſtitiam animaduertens Conradus in hanc ſententiam affatur eum, Quid tu triſtior es? Num quod minus laboris & oneris cupio tibi imponere? Beatior eris ſi nihil ſupra vires tuas aſſumpſeris. Num tibi exempli ſatis ſum? Si mihi hæc vita eſſet iterum viuenda tot annis quot vixi, turbas & illas curarum moleſtias ſi poſſem effugere, magni boni loco ducerem, latentem vitam in ocio, non ignauiter ocioſo omnibus regnorum potentatibus præferrem. Non quod te ocioſum ſine vlla rerum adminiſtratione velim eſſe,tantum tibi concedemus,quantum ſatis eſſe putamus viribus tuis. Vides animos,fortunam, felicitatem, ſucceſſus Henrici quem fata poſcunt Imperatorem. quare acceptis diademate, ſceptro, & gladio regali,ad Henricumq; perlatis, æternam pacem & amicitiam inito cum eo viro,qui ferendis oneribus tantis ſufficiet. Eberardus nouiſſimæ voluntati fratris conſentit, videt enim omnes concordibus animis Henricum velle regem & Imperatorem. Paucis poſt obdormit, Conradus& regalibus exequiis ſepelitur. Eberardus quod frater iuſſit de Henrico, effectum dat, fert ad eum quæ iuſſit,pacem & amicitiam init. Habitis ſtatim principum comitiis apud Fridesſlare oppidum,cõſentientibus omnium ſuffragiis Henricus eſt rex Germaniæ creatus. regnauit annos 18. Hunc Henricum teſtantur hiſtoriæ originem generis habuiſſe a Carolo Magno, fuiſſe enim matrem eius ſororem vltimi regis ex proſapia Caroli. Vehementer rure delectatus eſt hic vir, ſicut cõſueuerunt ſemper omnibus ſeculis nobiliora ingenia omnia. Aucupio quoque animum ſæpe relaxauit, hinc cognominatus eſt Henricus Auceps. Hunc propter animi dotes,militares virtutes, & Germanorum virtutem,quæ illis neceſſaria ſæpe fuit, Romani Pontifices Imperatorem agnouerunt. Et conſtitutiones eccleſiaſtici iuris abunde teſtãtur, qualem erga religionem & ſedem Romanã habuerit animum. Quoniam de Germania ſcripturos in titulo promiſimus & hic Cæſar Germanorum non vulgare decus e Saxonum prima nobilitate ortus eſt, Saxoniam delineabimus, & pauca de inſtitutis vetuſtis eorũ dicemus. Ab Oriente Saxones habent Schleſios & Pruthenos: a meridie Francos Germaniæ,& Bauaros: a ſeptentrione Danos: ab Occidente Viſeram fluuium. Intra hos fines ſiti ſunt Thuringi, Pomeranii,Miſnenſes & Brandenburgenſes,quæ appellationes, apud vetuſtiores non ſunt:cadunt enim ceu folia magis quam aliud genus vocabulorum,nomina locorum,

&

& mutantur. Caroli Magni tempore ad religionem Christianam conuersos, traditum est. Vsi sunt autem legibus ex quibus facile est videre a quopiam institutos qui philosophos in Græcia audierunt. multa enim Platonis legibus cõueniebant. Distributi fuerunt in nobiles, liberos & seruos. Nobiles defendebant ab hostium incursionibus reliquam multitudinem, & iudicabant controuersias, custodiebant leges, impotentiorem ab iniuriis potentioris defendebant. Multitudo ciuium liberorũ vectigalia, & annuum tributum dabãt. Æqualitas erat in matrimonio instituta. Et ex qua familia, quo tempore ętatis contrahendum esset, constitutum fuit, pulchreq; Platonis respondebãt hæc omnia placitis. Hæc arbitror ab iis instituta qui militatum abierant in Græciam, & ex illis quenpiam præstantis ingenij illic didicisse, reuersumq; in patriam docuisse. In religione cultuq; deorum barbariores fuerunt. Quibusdam enim diebus humanis hostiis sacrificabant Mercurio, & illos qui mactandi erant, homines venerabantur ceu deos, omnesq; certatim aliquid muneris in diuinam hostiam conferebant. Deos suos humanis formis non fingebãt, piaculum inexpiabile habebatur imagini mortalis animalis assimilare deos immortales. Neq; in templa, vt aliæ gentes, collocabãt, nam maiores esse iudicabant, eorum scilicet deos, quam vt sub tectis ab homine factis habitẽt. At nemora & syluæ fuerunt illis domus deorum, & nominibus deorum appellabant syluas, ceu nos templa. Equorum hinnitum, auium volatum & vocem religiosissime obseruabant, & omnia consilia, omnes actiones functionesq; vitæ ad auspiciorum illorum rationem instituebant. Solem præterea, Lunam & alia quæ notata erant illis sidera abeuntia religiose valedicebant: venientia cum lętis gratulationibus excipiebant, ceremoniis ad hæc solennibus ordinatis. Ingentis magnitudinis arboris truncum in aperto campo erectum venerabantur, vocabant lingua vernacula *Yedermans sul*, quod latine est omnium communis columna. Quãto negotio a Carolis sint victi, & mutare instituta religionis coacti, & quoties desciuerint contra initum fœdus cum Imperatoribus, & quare a natali solo sint translati per Gallias & Germaniam, antea satis dictum est. Nunc tempestiuum est redire ad Henricum Saxonem, Othonis filium, quem genuit illi soror Ludouici tertij, si hęc scribentibus credimus. Henricus ante adeptum regnum habuit vxorem Mechtildam, ex qua filiam habuit nomine Gerburgam, quæ vxor facta est ducis Lotharingiæ, quo mortuo, nupsit regi Galliarum Ludouico. Hæc Mechtilda genuit filium Henrico vel potius orbi terrarũ toti, Othonem Magnum de quo in sequentibus dicetur. Post hunc Othonem genuit alium filium nomine Henricum. Post hunc tertium peperit, qui nominatus est Bruno: Hic factus est episcopus Colonienſis ecclesiæ. Henricus regni administratione susceptа de pace fouẽda & facienda cogitauit: sed eam sine armis non posse parari, propter Vngarorum iniurias. Quare comparatis copiis, aduersus Vngaros profectus est, & ex tota Pannonia eos eiecit, & finesregni muniuit, ne essent hostium incursionibus obnoxij. Primum omnium in regni sui initio studuit Germaniam vnanimem reddere, sciens concordantem Germaniam omnibus hostibus fortiorem. Nec magni illi laboris fuit concordiam illa facere. Vnus enim Burcardus Sueuorum dux nonnullas ob causas nonnihil rebellauit, quem beneuolentia & animi comitate placauit. Verum pacata Germania, & iam vnanimiter regem agnoscente Henricum, iterum exoritur ex Vngaria tempestas: Arnoldus enim ille dux Bauariæ qui Vngariam a Conrado Imperatore fugatus erat, redit cum validissima Vngarorum manu in Bauariam. Imperator igitur coacto exercitu occurrit illi, & adiuuantibus etiam Imperatoris partes Bauaris, ad deditionem compulit. Hoc bello ex animi sententia confecto (vsus in omnibus consilio Huldrichi Augustensis episcopi, viri vitæ sanctimonia veraque sapientia quæ a Deo est, insignis) ob causas iustas cum copiis Germanicis petit Lotharingiam. Vbi transgressum Rhenum audiuerunt Galli cum exercitu, territi, de pace impetranda & facienda quoquo modo cogitant: mittunt legatos, mittunt munera, offerunt vrbium claues. Rex Galliarum Carolus petit cum eo facere æternum fœdus. Quamobrem obuiam venit illi apud Bunnam, Lotharingiæ vrbem, & appellans eum Imperatorem, dona offert. Lotharingiam, præterque eam quicquid inter Rhenum & Mosam est, Burgundiam reddit Carolus Henrico. Nam nomine imperij ad se pertinebant hæc, & propterea vt recuperaret, venerat. Reuertitur igitur in Germaniam non prius quam illi populi

omnes in eius leges & nomen iurarint. Dum hæc agit in Galliis Henricus, Vngari Italiam miſerrime vaſtant: & ſatis graſſati per Italiam, Germaniam quoque intuadunt, & depopulantur multa loca Germaniæ: ſed tot ex illis occiduntur quotidie, vt ad paucitatem redacti, conuerſiq́ue ad patriam ſint, nolentes redire. In ipſo reditu captus eſt a Germanis Vngarorum Princeps, Imperatoriq́; Henrico adductus eſt. Vngari poſtularunt vt Henricus captum dimitteret, magnam auri vim offerentes pro illo, adeo carus fuit illis. Apud Henricum vilius fuit pace aurum. Pacem igitur poſtulauit, quæ inter eos facta eſt. Fine horum tumultuũ facto, Henricus operam dat, vt & ſint qui rura colant, & qui vrbes inhabitent, & qui ſe ad futura bella in diſciplinis militaribus exerceãt. Duxit quoq; copias in Sclauos vel Hunellos, vt quidam vocant, cum quibus ſæpe congreſſus, variam belli fortunam expertus eſt: neque enim ex ſedibus ſuis facile cedit vlla gens. fatigauit tamen eos frequentibus præliis, & producendo bellum, vt in oppido Brennenburgum continere ſe ſint coacti. Quam cum vidit Imperator inexpugnabilem, propter aquas, parauit lignorum maximam copiam, & reliqua quæ ad frigus arcendum neceſſaria ſunt, & expectata hyeme, caſtra poſuit ſuper glaciem ab ea parte vrbis a qua minime propter aquæ altitudinem ſibi timebat, vbique erat hoſti expoſitiſſima, caſtris in glacie poſitis. Quare breui cepit eam a qua pendebat tota circa eam regio. idcirco cum vrbe venerunt ea omnia in poteſtatem Henrici. Diſpoſitis ſecundum ſuas leges, pro arbitrio rebus Brennẽburgi, in Dalmatiam exercitum ducit, occupataq́; regione tota vſque ad oppidum Grana, hanc exercitu circundat, poſtulans primo adueniens vt vltro ſe dedant, iuſtiſſimis conditionibus omnia ſe acturum, nulli ſe nociturum quod ad vitam & quod ad facultates attinet, ſpondet. Oppidani pertinaciores quam illis bonum erat, confidebant propugnaculis & propugnatoribus quos habebant in vrbe, ſuperbius reſpondent, & tela in Germanos mittunt, & noctu ſemel atque iterum in caſtra erumpunt, & non paucos vulnerant, quoſdam etiam occidunt. Quibus rebus irritatior redditus eſt animus Imperatoris. quare edicit militi expugnaturo vrbem, vt omnes puberes vtriuſque ſexus interficiant, pueris & puellis parcant, prædamq́; vrbis facultates concedit militibus. Hic quoque habitatoribus comparatis, & rebus ordinatis, vertit ſigna contra Boëmos, quos victos (eorum vrbibus expugnatis, captoq́; rege) tributarios fecit. Poſt hæc geſta Henricus cum magna laude ad ſuos venit, dimittitq́; exercitum. Paucis poſt menſibus, Vngari veniunt, petunt, quæ promiſerat illis cum pacem fecerunt, munera. Henricus Imperator tot ſucceſſibus, & tanta ad regnum ſuum acceſſione confidentior factus, non reſpondet illis, nec ad ſe admittit vt audiat. Legati incenſi ira, incendunt omnes Vngaros, & comparatis maximis copiis, ſine mora properant in Saxoniam, quos cum viderent ad ſua tuenda paratos, & ſicubi neceſſitas aut vſus requireret, etiam ad pugnam accinctos, prætereuntes igitur Saxoniam, in Thuringiam magnis itineribus per ſyluas veniunt, & vno impetu peruaſtant eam, & abducunt viros & mulieres corpore valentes, illis vſuri in vecturis & aratris. Porro cum primum nunciatum eſt Henrico Vngaros eſſe in armis, magna multitudine aduenire, aduerſa forte valetudine graui laborauit: pręſenti tamen animo, iubet cogere copias, & morbi maturationem iubet medicos accelerare. Medicis timentibus ne ægritudo animi grauiorem efficeret morbum, inquit vir robuſtus animo, quin iam remitto curas, quo tota vis naturæ cum morbo pugnet: eſt enim mihi quam primum opus valetudine. Et vehementer diſſuadentibus medicis, adhuc morbo laborans ad exercitum fertur, cum quo hoſti obuiam properat quam poteſt celerrime, nam ſæuiebant crudeliter. Vbi appropinquauit Henricus exercitui hoſtili, ſuos ad prælium animans, in hanc ſententiam locutus eſt, Videtis, fortiſſimi milites, veſtram patriam, veſtros quibus alemini agros, veſtros focos, parentes, vxores, prolem veſtram, leges & religionem ab impio & immiſericordi hoſti vaſtari, & crudeliter in conſpectu noſtro perdi. Videtis hoſtem in conſpectu veſtro (qui longe viribus corporis & animi maioribus noſtris, & nobis quoque ſemper ceſſit) territum, circumſpicere fugam, qui deabſentibus vobis, vt ex captiuis cognouimus, contemptiſſime locutus eſt. Quare memores noſtrorum maiorum fortitudinis, quam experti ſunt omnes exteræ nationes in ſuis regionibus, ne patiamur hoſtem in media Germania graſſari. Sunt res noſtræ iam eiuſmodi, vt aut vincendum, aut prodenda hoſti patria & omnia noſtra. Nec erit in fuga

vlla

vlla ſalus,& ſi qui fuga poſſent elabi, grauiora morte,exilium,& in exilio fames, & ſeruitus eſſent perpetienda. Victoriam, quæ facilis erit (modo fortiter ſuſtinuerimus primam coitionem) conſequentur pax,ſumma omnium qui hic ſunt, gloria, & præda ex hoſte magna, duplexque victoribus numerabimus, inquit, ſtipendium. Quare virtutem patrum noſtrorũ æmulati, & implorantes Deum qui pugnabit pro nobis iuſtiſſimam cauſam habentibus, contra diuini & humani iuris contemptores. Inuocantes igitur poſt hanc Henrici orationem Dominum Deum , alacres prælium committunt. Pugnatur pertinaciter primo impetu ab vtraque parte, ſed hoſtes vertunt tergum, fugæque ſeſe committunt. Trucidatur infinitus eorum numerus , impedimenta eorum & omnia quæ abiecerant arma , venerunt in Germanorum poteſtatem : plurimi quoque capti ſunt Vngarorum. Exercitus eorum eſt diſſipatus, vt conuenire non potuerint vſque in Vngariam. Hoc memorabile prælium in triclinio arcis Mersburg Henricus iuſſit depingi, vt ſæpius memoria eius occurrens animi voluptatem ex eo ſæpe acciperet. Porro munera & tributum quod Vngaris dabat ante prælium, pauperibus poſtea dari inſtituit. Nec minor prælio gloria eſt ſecuta, pro meritisque digna eſt illi habita gratia ab omnibus: Imperatorem,ſeruatorem,patremque patrię omnes vno vocabant ore. Fama facti peruenit ad omnes extremas nationes terræ. legati cum muneribus a longinquis regionibus veniunt, & amicitiam petunt, obſequiumque ſuum offerunt. Non multo poſt hæc tempora, Nortmanni Daniq; mari & terra deprędantur Friſiam,quorum conatus repreſſit,eosque domuit,vt domi poſtea diu manſerint, potius victum quærentes piſcando, paſcendo, agrosque colendo, quam cum vitæ diſcrimine rapiendo. Abroditos quoque pugna ſuperauit: nec cum ſupplicantibus pacem prius facere voluit,quam Chriſtianam religionem agnoſcerent. Religionis enim ante omnia rationem habuit,ad quam puer a præceptoribus ſuis ſaluberrime inſtitutus fuerat, a quibus doctus erat,nulli Principum Dei religionisq; irriſorum aut contemptorum nõ imminere certum interitum malum, ſi nõ corporis (quod tamen ſæpe videmus accidere) at certæ animæ: cuius perditio quanto horribilior ſit, quam corporis, didicerant illi Principes recte inſtituti. Anno Domini 923, eſt in 923
eccleſiam Auguſtenſem vocatus ad munus epiſcopi, Huldrichus,vir vitæ morumque puritate præclarus: fuit autem ex primi loci nobilitate a Kiburgo arce & Dillingen. In epiſcopatus autem munere eccleſię fideliter miniſtrauit circiter quinquaginta annos. Hoc tempore ocio & alma pace fruitur Germania, nullo iam hoſte eum laceſſere audente,omnia quæ hominibus & voluptati & neceſſaria ſunt viliſſima,aureumque plane tempus. In Italia omnia tumultuantur,omnia inteſtinis laborant odiis,& ſeditionibus & incurſionibus vexantur. In Aſia perturbantur magis etiam. Saraceni claſſibus obſident Conſtantinopolim multis partibus. In Germania rident omnia. Numerantur a ſcriptoribus prodigia quæ præſagia fuiſſe volunt mortis Henrici, quæ conſulto prætereo. Vocabatur a factionum partibus in Italiam Henricus, frequentibus literis & legationibus: volens autem bonus Princeps ei imperij parti conſulere,parat expeditionem,quanquam videret in ea maximas difficultates. In parando in lethalem ægritudinem incidit,& moritur: Othonem Magnum cognomento regni hæredem conſtituit.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-TERTIVS.

ANno eodem frequens Principum conuentus Aquiſgrani,in quo eſt cõmunibus vna omnium voce electus rex & Imperator Otho Magnus,Henrici primogenitus filius,& ſtatim poſt electionem vnctus ab epiſcopo Moguntino Hildeberto,cui magnam bibliothecę partem Fuldẽſis monaſterij deberi putant: fuit enim in eo monaſterio ante epiſcopatum monachus,vitę integritate & literis eximius. Poſt vnctionem appellatus eſt rex & Romanorum Imperator. Veniunt ad eum legati a Conſtantinopolitanis, a Romanis, ex Hiſpania, breuiter ab omnibus

orbis partibus, gratia fœderis & amicitiæ cum eo faciendæ. In Imperij eius anno primo Boislaus, vir sanguineus, referens omnibus coloribus Cain, occidit fratrem suum Wenceslaum Principem Boëmiæ, virum spectatæ sanctitatis. Cuius rei improbitate commotus Imperator, qui in animum induxerat officio suo, quantum posset fieri, satisfacere, & iustos & subiectos tueri, iniustos & superbos debellare, mittit igitur aduersus impium fratricidam copias, in vltionem sanguinis innoxij: sed latronis peccata nondum erant omnia completa, nondum finis eius aderat: quare Othonis exercitus sæpe pugnando varium martem expertus est. Interea nunquam cessauit Boislaus tyrānus bonos supprimere & occidere, malos primo loco habere & euehere. Otho pio zelo motus, non fatigatur: post annum enim quartum decimū demum victum Boislaum mancipium suum facit. Per eadem tempora etiam ducibus Bauariæ, fratribus discordantibus, iustam & æquam causam habentibus patrocinatus est, iniustis & contemptoribus legum punitis. Hanc eius iustitiam improbi iniquissimo ferebant animo, qui quiduis in quoslibet licere maluissent, vt est ingenium impiorum & corruptorum animorum: ex quorum numero fuit comes Palatinus Eberardus, qui ob iniurias quasdam aliis innocentibus illatas, ab Imperatore fuit ignominia notatus; quam superbus homo non ferens, nominis suis maculam bello diluere conatur. Ergo solicitat variis modis & rationibus, quoscunque vel morum ingenijq; similitudo, quæ ad amicitiam coniungendam est efficacissima, vel sanguinis cognatio illi iunxerat. Habebat autem cōsanguineos & aliqua affinitatis necessitudine deuinctos plurimos: multo vero plures illi amici fuerunt propter morum similitudinem: maiorem enim nemo negare potest esse peruersorum multitudinem hominum, quam rectorum. Mali igitur plurimi fauebant causæ eius. Et commouit Gisilbertum Lotharingiæ ducem, cui erat vxor soror Imperatoris Othonis. Ij ergo cum aliis quibusdam coniunctis copiis, primum adoriuntur fratrem Othonis, Henricum, ducem Bauariæ, & in loco deprehensum non munito obsidentes capiunt, & abducunt in arces suas munitissimas in custodiam. Hæc celeritate freti fecerunt. Sed cum primum rei fama ad Imperatorem deuenit, resistendum venienti malo, ne cresceret in peius, occurrendum quam primum iudicauit. Capit igitur vi arcem, in qua frater erat captus, quem in suum locum restituit. Venerunt autem plerique factionis autores in manus Imperatoris, quos iugulauit, Eberardum mittit in exilium: quem paulo post in gratiam receptum reuocauit, & restituit non solum iustus, sed & benignus Imperator. Eberardus Palatinus non mutatus damnatione & exilio, neque Imperatoris gratia & restitutione, incipit statim rursus parere laborem & dolorem, insidias meditari, excitare seditionem aduersus Imperatorem, affectibus obcæcatus; nec veretur potentiam Imperatoris, nec diligit eius bonitatem. Quid huiusmodi hominibus accidat, satis est seculorum omnium exemplis declaratum. Nihil igitur intentatum relinquit, Lotharingiæ ducem iterum in suam sententiam inductum, seditionis socium accepit: cuius opera vsus est apud Henricum Saxoniæ ducem, fratrem Othonis Magni. Semper enim erant occultæ simultates inter fratres. nam Henricus persuasus erat, sibi omne ius deberi imperij, qui natus erat patre iam Imperatore appellato, cum Otho Magnus natus sit illi antequam regnum adeptus fuerit. quamobrem captabat occasionem omnem sui iuris persequendi: sed hactenus fortior & felicior frater fuerat, quam vt aliquid ausus fuerit tentare. Quapropter qui circumspiciebat vltro omnia, vbi posset ansam peruēniendi ad paternam hæreditatem arripere, facile inducitur ab illis duobus. Credebat vero potissimum duci Lotharingiæ, qui habebat sororem horum fratrum, Othonis & Henrici. Ij ergo tres coniuncti videntur sibi totus orbis esse, tantum suas vires & potentiam consiliaque, non etiam aduersarij quid contra habeant, expendunt. putant iam totius mundi oculos in se conuersos. sperant plures accessuros: propterea in Galliam, Italiam, vrbemque Romam mittunt literas, plurima adfingunt; veris maiora scribunt omnia, suas copias, suas opes facultatésve & socios plures habere se, mentiri non verentur: & causas rebellionis falsas fingunt. & per illa mendacia expectatione Gallias, Italiam, & Romanum Pontif. suspendunt. in Germania quoq; iam inueniebantur qui euentum incipiebant timere: & alius aliud ominabatur. Factiosi enim sua quam turgidissime ostentabant, quo intentos in potentiam & vires Imperatoris in se conuerterent, aut saltem

auer-

auerterent ab Imperat. Hanc quoq; ob cauſam feſtinant occupari aliquid, & ante exſpectatum in caſtris eſſe, quo ſpem ſuis facerent. ad ripam igitur Rheni alteram, quædam capiunt, & exultant ceu victores. ferebaturque fama velox Romam, iam pene e Germania pulſum Imper. Otho creſcenti malo obuiam properat. Cum venit ad alteram hoſti oppoſitam Rheni ripam, pars alacrior vel potius nimium temeraria dicto non audientium militum Rhenum tranſeunt, hoſtium multitudini oblati occiduntur omnes. Imper. nauium copiam non habet, quibus exercitum ſtatim tranſmittat, non ſine maximo animi dolore trucidari ſuos conſpicit. Eberardus & factionis alij ſcribunt in longinquas regiones paſſim, prælio a ſe victum Othonem, eius exercitum deletum, ipſum non auſum fuiſſe tranſgredi Rhenum, alioqui etiam iam aut occiſum aut captum, fractum eſſe viribus & animo. Hæc ſparguntur per Gallias & Italiam, ferturq; fama Conſtantinopolim vſque: ſed Imperator mirabili celeritate comparat quæ neceſſaria erant ad exercitum tranſmittendum. Tranſmiſſo exercitu hoſtem aggreſſus fugat, vix elabitur, multis vulneribus acceptis Henricus. Fama præuenit Henricum in Saxoniam (Henricus enim in itinere medendis vulneribus occupatus, longiorem traxerat moram) alij occiſum in prælio, alij ex vulneribus mortuum poſt pugnam, dicebant. quare omnes Henrici ciuitates & arces deſciuerunt ad Imperatorem, præter duo oppidula Mersburgum & Schidigen. Henricus de ſuorum defectione in itinere certior factus, properat domum, quanquam nondum conualuerat, venitque in arcem ſuam Mersburgi cum paucis comitibus. Imperator eo properat, obſidet fratrem, ad deditionem facile compulit: gratiam a fratre petit. Imperator abhorrens a fraterno ſanguine donans illi vitam, & verbis confutatum in exilium mittit: nam non confidit illi qui fraternum fœdus ſemel violauerat. Henricus etſi nihil habet, & eum amici omnes fere deſerunt, de vltione cogitat. quare adit Giſilbertum ducem Lotharingiæ, cuius auxilio arma contra fratrem iterum ſumit, & illis denuo Eberardus ſe iungit. Erat etiam Fridericus Moguntinus epiſcopus Henrico belli ſocius, ſed clam: Imperator enim eo viro in conſiliis vtebatur, & fidebat illi plurimum: nihilque mali de viro ſpirituali vitam profeſſo venit Imperatori in mentem. Hic igitur Epiſcopus ſe ad Imperatorem confert, illos læſæ maieſtatis reos puniendos, bello perſequendos eſſe docet. Inter alia ſuadet Imperatori, vt caſtellum Briſacum, ad Rheni ripam in Germania ſitum, expugnet, quod erat tum comitum Palatinorum, eratque ſub poteſtate Eberardi. Imperator archiepiſcopi conſilio obſequitur, caſtellum expugnaturus venit: Epiſcopus qui auxilia promiſerat, cum ſuis quoque adeſt. Poſitis circum caſtellum caſtris, epiſcopus conatur variis viis prodere Imperatorem: ſed aliter viſum eſt Domino, omnes eius cogitationes irritæ fiunt. Non ſemel a prudentibus bonis amicis admonetur Imperator, recedat ab hac obſidione, multa ſibi diſplicere ſuſpectaque eſſe. Nam Imperator omnia agebat ex conſiliis proditoris. quæ multis bonis ac prudentibus diſplicuerunt: & mirabantur conſiliorum Imperatoris rationem. Parturiente archiepiſcopo ſuam proditionem, Eberardus cum Giſilberto tranſeunt Rhenum, & vaſtant omnia quæ ad Othonis ditionem pertinebant. Proditoris autoritate detinetur rex in obſidione, ne ſuccurrat ſuis: neque audiebat quenquam alium. Tandem Vto & Conradus, cognomento Sapiens, proceres ex Sueuia, non ferentes diutius Germaniam ita ab hoſtibus affligi, ſuas copias accipiunt, Eberardum & Giſilbertum aſſecuti, vincunt, copiis eorum fere deletis. Cadit Eberhardus pugnans, Giſilbertus fugiens in Rheno eſt ſubmerſus. In eo prælio fuiſſe Argentinenſes cum Eberardo, cladeque maxima affecti dicuntur. fuere & alij multi ex principibus viris & claris ciuitatibus ſocij factionis & cladis Eberardi. Venit Lotharingia poſt Giſilberti mortem in poteſtatem Imperatoris, & quæ fuerunt Eberardi, titulo iuris belli Imperator occupat. Archiepiſcopus ille proditurus regem, vbi videt ſua conſilia non ſuccedere, ſed omnia præter animi ſui ſententiam fieri: &, qui illi maximus ſcrupulus fuit, ex captiuis veritus cogniturum Imperatorem, quod eſſet ſocius Eberardi, & quid moliretur, ab Imperatore cum omnibus ſuis recedit, & ad Henricum qui prælio non interfuerat, concedit: nam Henricus in militibus conſcribendis & apparatu belli inſtruendo erat occupatus. Sperat igitur Epiſcopus apud Henricum ſe inuenturum copias ſatis magnas, quibus ſe tueri poſſint: ſed Henricus poſt caſum Giſilberti & Eberardi, animo conſternatus, & ſpe omni

sublata, deliberat velitne fugere, & in exilio non modo contemptus & ignobilis, sed in extrema inopia viuere, an potius precatores sibi parare. Maluit vero experiri fratris animum prius quam abiret in exilium. Sciens autem apud fratrem Imperatorem abbates & episcopos plurimum valere, quare rogatus aliquot abbates & episcopos mittit ad fratrem, qui impetrarunt illi gratiam. Imperator fertur illum durius obiurgasse, & perfidiam eius illi exposuisse, vt suffusus rubore agnoscere Henricus dixerit, se non mereri veniam. Ignouit ei Imperator, sed præ manibus illi dedit non tantum vt aliquid nouarum rerum moliri potuerit, neq; enim primum confidit illi. Postquam vero vidit eum humiliatum vere esse, addit illi plura. tandem cum perspectam habet satis fidem eius, præficit illum ducatui Boioariorum. Pontifex Moguntinus, ille bonus vir, confusus in se, nescit quo se vertat, agitat eum iudicium Domini. Venit Moguntiam, sed ciues noluerunt eum recipere, quoniam Imperatoris hostem esse cognouerunt. Errat igitur, vbique excluditur, sparso vbique rumore de eius nefando proposito. Quare proditor proditur Imperatori, & captus in Saxoniam ductus, custoditur. Imperator tam humanum & beneuolum animum habuit, vt illum qui tam nequiter illius imperio & vitæ insidiatus erat, non solum superstitem esse passus sit, sed breui in pristinum locum restituerit. Post hæc apud Germanos gesta, Ludouicus rex Galliæ, variis agitatur seditionibus & rebellione suorum. mittit ad Imperatorem, petitque ab eo auxilia. Imperator magnis ex Italia, maioribus ex Germania copiis coactis, in Galliam ducit, tumultus sedat, rebelles compescit, hostium plurimos occidit, multos capit, omnes vincit, Galliarum res pro animi sui voluntate sapienter disponit, magna laude in Germaniam suam reuertitur, in qua emendanda corrigit, & pro meritis, animive dotibus quemque ciuitatibus & regionibus præficit. Diligens in primis fuit, vt religioni suus maneat honos. Id fieri aliter non posse, quam vt personæ ecclesiis ministrantes quam probatissimis sint moribus, & præstent aliis hominibus præstantia ingeniorum & animorum probitate, vt eos suspicientes, æmulari omnes cupiant. Ob hanc causam statuit ne quis in monasteria accipiatur aut improbæ mentis, aut abiectæ indolis, sed qui apti sint ad bene instituendam iuuentutem morum sanctimonia ingenijque cultu. Non diu post negocia quæ fuerunt Othoni in Galliis, quibusdam potentioribus in Italia omnia diuina & humana, cœlum & terram confundentibus, Agapetus secundus Pontifex Romanæ ecclesiæ, legationem mittit ad Othonem, cuius laus pacis & belli tempore iam per totum fere orbem clara erat, petit vt labentibus in Italia rebus succurrat, Berengarij superbiam intolerandam esse. Hoc petunt & alij Italiæ Principes. Otho motus autoritate Romanæ sedis, cupiens leges & religionem in Italia esse saluas, conscripto exercitu, contendit recta in Italiam (quanquam denuo Vngari inciperent in Germanos mouere signa) Longobardos primum subiugauit. Berengarius de ciuitate in ciuitatem fugiens, tandem toto relicto regno, consulit vitæ suæ. Id multo magis faciunt alij proceres Italiæ Berengario inferiores. Otho in fidem suam toto Italiæ regno suscepto, iniustis suppressis, iustis erectis, custodes legum, causarum iudices constituit, religionem quibus potest viribus, tuetur. Adelheidam reginam, vxorem Lotharij, Italiæ regis, Papiæ in carcerem duxerat Berengarius, quam Otho liberatam vxorem duxit; & pro maiestate imperatoria Ticini celebrat nuptias, post quas in Italia pro virili omnibus ordinatis, & præsidiis constitutis per ciuitates, reuertitur cum vxore in Germaniam, non sine magna gloria: nam magnas res breui tempore confecerat. Ludolphus filius Imperatoris, tristior ob patris nuptias, non dissimulare potuit, quod moleste matrimonium eius ferret, nam dicteriis in patrem senem nouum nuptum lusit, & iracundus a facie patris in Saxoniam se contulit. Incipit meditari bellum, & quos putat habere causam aduersus patrem stimulat, inter reliquos Conradum Francum, generum Othonis, virum bellicis laudibus clarissimum, sibi adiungit. Imperator pater celerius resistendum temerariis conatibus censens, collecto peditatu & equitatu, primum conatur vrbes eorum expugnare, id quod facile fit: omnes enim vrbes, quas filius & gener Othonis habuit, non tam Ludolphum & Conradum, quam Othonem patrem, Dominum agnoscebant. quare sine negocio omnia eorum venerunt in potestatē Imperatoris: gener & filius cū suo exercitu decreuerunt expectare patrē Moguntiæ, sperantes patrem confisum copiis, in oppugnando

vrbem

vrbem temere ſuos ad mœnia adducturum, & facile a ſe repelli poſſe ſine ſuorum diſcrimine: paternarum vero copiarum magna ſtrage, ſic (inquam) congredi præſtare ducebant, quam aperto marte loco æquo pugnam committere. Nec eorum rationes fefellerunt eos: Imperator enim qui ſine vlla difficultate occupauerat omnia eorum præter hanc vrbem, accedit non ceu ad oppugnandam vrbem, in qua totus exercitus propugnatorum ſit, ſed ceu pater ad filium reprehendendum, ſæpe muris deiectis per arietes & alia machinarum genera, intrare vrbem conatus, ſæpe reiectus, militibus qui cadebant foſſas implentibus: quoque plures cadunt, hoc irritatior Otho (ſolent enim hæc vehementer commouere bonos duces a quocunque hoſte fiant, multo vero magis patrem, ſi filius hæc audeat contra ſuũ genitorem) incautius reducit milites, & prædam vrbis & ampliora ſtipendia promittit, ſi capiatur. Duos menſes perpetuos ita laborat obſidendo & oppugnando. Porro cum Lutolphus videret patrem tam conſtanter vrgere propoſitum, de pace agendum ſtatuit: non tamen ſerio, ſed tantum vt patris animum experiretur qualis eſſet. Inter autem agendum de pace, expertus eſt animum patris erga ſe ita commotum, vt placari poſſe nullam videret ſpem. Poſt illas inducias quæ factæ erant gratia de pace agendi, quidam deſciuerunt ab Imperatore ad hoſtes, ſuaſu ducum Bauariæ, quorum regnum Otho dederat ſuo fratri Henrico, quod grauiter ferebant Bauarorum duces, & relicta Moguntia, properarunt ad Ratiſponam vrbem Henrici, in qua erant theſauri & vxor liberiq; eius, & expugnarunt ex improuiſo aduenientes, potiti præda magna, vxorem Henrici cum liberis nudos dimiſerũt. Otho Imperator Moguntiæ diſpoſitis rebus, Ratiſponam cum copiis petit, hoſtes in eam inuecta annona ex vicinis agris muniunt vrbem. Imperator non aliter diu fruſtra laborat in obſidione quam antea Moguntiæ: tamen conſtituit non diſcedere, niſi vrbe recepta. circumſepſit autem eam milite, vt neque egrediendi, neque ingrediendi vllum eſſet ſpacium. Vrbani poſt diuturnam obſidionem cœperunt omnium rerum penuria laborare, & contra Principes ſuos ſeditioſa propter famem loqui. Quare belli duces coacti ſunt de pace agere, induciæ paucorum dierum conſtitutæ ſunt, agitur de conditionibus pacis: ſed Imperator nullas pro meritis ſatis dignas pœnas in filium ſuum ſtatui poſſe dixit, & duriores conditiones præſcripſit, quã vt accipere potuerint. Redeunt ergo in vrbem legati pace non impetrata. Poſt hanc de pace tractationem, vrbem parte infirmiore oppugnare nititur (quoniam ex exploratoribus cognouerat diſſenſiones eſſe inter vrbanos: vulgus enim famem diutius non velle ferre) in ea oppugnatione occubuere multi fortes viri. Arnoldus Boioariorum dux, qui Ratiſponam capiendi autor fuerat, telis confoſſus cecidit. In illa oppugnatione nihil effecit. Vrbani iterum mittunt de pace ad Imperatorem: ſed Imperator ceu immobilis lapis nullis ſupplicationibus moueri poteſt, donec epiſcopi quidam & Principes alij placarunt animum, iniuriis infinitis a filio illatis merito iratum. Facta eſt igitur pax, vel potius tantum iuduciæ vſque ad conſtitutum diem. Poſt hæc Imperator reuertitur ad ſuos; Henricus Ratiſponam recipit: ſed prima nocte incenſa eſt a neſcio quibus nebulonibus, & pluſquam media pars incendio conſumpta eſt. Paucis poſt diebus, conſilio quorundam virorum prudentum, Lutolphus ſupplex accedit ad patrem, & ad ſolum ante pedes eius proſternitur cum lacrymis, obteſtatur patrem vt ignoſcat, Se agnoſcere, inquit, magnitudinem peccatorum ſuorum: tamen auſum accedere ad eum qui ſciat ſe etiam patrem habere in cœlis, a quo etiam miſericordiam ſperet: & cætera locutus eſt ita, vt patri & omnibus qui aderant, moueret lachrymas. Apud paternum animum inuenit gratiam, & vſque ad finem vitæ in fide permanſiſſe tradunt. Porro Conradus Imperatoris gener (de quo ante) cum hæc non ſucceſſiſſent, alia via peiore tentauit Imperatori nocere. Ad Hungaros enim profectus eſt, & illis ſpem prædæ conſequendæ fecit: qui propter inuidiam facile perſuaſi, alioqui omnem occaſionem captantes, imo ſine omni occaſione ſæpe Germaniam inuadere ſoliti, conſcribunt copias, quas cum Conrado in Bauariam ducunt. Eodem tempore ab alia parte Sclaui Germaniam infeſtabant. Otho igitur Imperator primum miſſis aduerſus Sclauos copiis, ipſe obuiam Hungaris it, peruenit Auguſtam vſque: ibi de hoſtium conſiliis & exercitus magnitudine per exploratores cognouit quantum potuit. Conradus gener opera cognatorum ſuorum ex Boëmia & Bauaria & Francia Orientali coëgit non contemnendas copias, quas in ca-

ſtris non procul ab Auguſta habuit ſecum. Erat autem hic Conradus vir non ſolum audacis, ſed etiam perſpicacis animi, & in bellicis præcipue laudibus præſtans, propter quas naturæ dotes elegerat Otho eum generum. Cum igitur certior eſt factus Imperatoris copias appropinquare, receſſit, & iubet Hungaros propius ad ſe mouere caſtra, neque enim conſultum putabat numero longe inferiorem pugnare, cum ſocias copias Hungarorum adiungi poſſe videret. Imperator contendit aduerſus hoſtem omnia diripientem: cumque eſſet alter exercitus alteri in conſpectu, acies vtrique inſtruere, & loca apta ſibi occupare, certatim adhortari ad fortiter pugnandum, in odium & inuidiam aduerſarium adducere, victoribus magna promittere, fugientibus turpitudinem & periculum, & alia incommoda ob oculos ponere. Otho ab vna parte habebat Lycum fluuium, quem tranſiſſe putabat omnes hoſtium copias, ad huius fluminis ripam impedimenta omnia ponit, & aciei extremum agmen, nihil periculi ab hac parte veritus, quanquam eo loco flumen in latitudinem diffuſum minus altum erat, quam aliis locis: itaque vertit a fluuio aciem ſuam aduerſus hoſtes, admonuitque ſuos, cogitarent fugæ locum non eſſe, omninoque aut oportere vincere, aut ſuffocari in aqua, de induſtria autem eos in eum adduxiſſe locum diſſimulauit. Hungari & Conradus ſuas inſtructas copias continent intra foſſam quam ex tempore fecerant; Othoni ſua propius ſigna admouenti, copiam non faciunt pugnandi, niſi voluiſſet foſſam tranſgredi, quod non ſine magno diſcrimine fieri potuiſſet. Cunctandi autem hæc erat cauſa: poſtquam Conradus animaduertit ſoceri ſui Imperatoris rationes, ſtatim mittit expeditos equites circiter quingentos cum totidem peditibus clam per arbuſta quæ ad ripam fluminis erant, per longiores viarum ambages, vt tranſgreſſi fluuium, obſeruarent tempus prælij, iterumque per flumen impetum facerent in extremum agmen Othonis. Aduentus autem eorum ſignum expectabant, quod erat ex alta arbore fumus non magnus, ne aduerſarij a tergo aliquid ſuſpicarentur periculi. Cum ergo ſignum viderunt, ſine mora reddiderunt ſignum viciſſim, & eduxerunt extra foſſam exercitum, committitur pugna. Primum impetum Germanorum Hungari non ferunt, Germanisque iam ceu victoribus exultantibus, ecce illi ex inſidiis in extremum agmen ruunt, & ordines perturbant. Re noua perterriti Germani, tota acies confunditur, vtrinque occubuere multi, acerrime a meridie vſque in noctem pugnatur, noxque diremit pugnam. Per totam noctem Imperator ſuos recolligit, reficere cibo corpora iubet, conſolatur, parum ſupereſſe laboris perſuadere conatur. Luce poſtera exorta, inſtructis copiis, adoritur hoſtem diſperſum, ſtatimque fugatum aut occidit aut capit, minor pars elabitur. Porro mane Conradus videns victos Hungaros, vertit arma ſua in ſocios ſuos fugientes, & ita pugnando ſtatuit præſtare mori, quam aut peruenire in Imperatoris manus, aut Hungaros fugiẽtes ſequi, quibus fuerat illius memorabilis cladis autor: qui ſine dubio quopiam crudeli ſuppliciorum genere illum affeciſſent. Quare non prius ceſſauit currendo & occidendo, donec cadens laſſitudine, æſtu, & vulneribus expirarit. Ita in hoc prælio ſunt Vngari tractati a Germanis, vt poſtea nunquam induci potuerint, vt Germaniam hoſtiliter ingrederentur. omnis enim eorum nobilitas hic eſt deleta. Tres principes, quos vocabãt regulos, viui capti ſunt: quos Otho quidem ſeruare voluit, ſed aliis exercitus Principibus viſum eſt aliter cum illis agendum. Nam operæprecium putabant eos quam crudeliſſime necare, vt exemplo territi, non facile redirent; idque factum eſt. Alij ſcriptores aliud mortis genus habent, iis qui ſcribunt laqueo ſuſpenſos, credo. Imperator conſecutus victoriam, ſine ſuperbia gratias agit Deo cui adſcribendum omnia nouit, decreuitque per omnes eccleſias gratiarum actiones omnipotenti Deo. Partem exercitus mittit aduerſus Sclauos, partem dimittit. Hoc tempore cruces ſanguineæ in veſtibus hominum denſe cohæſerunt, & corruperunt veſtes. Vngaris ad modum quem dixi, victis, nec minus Sclauis, & Principibus Galliarum & Germaniæ omnia ex voluntate & ſententia Imperatoris, Othonis primi, gerentibus, Italia tyrannide Berengarij preſſa, ad Othonem in Germaniam mittit legatos qui opẽ orent aduerſus tyrannum qui in eccleſiaſticos vbiq;, etiam Romanam ſedem, aliasq; quas vocant, ſeculares Reſpub. intolerandam tyrannidem exercuit. mittunt autem non vulgares legatos, ſed maximos Principes ſuos, epiſcopoſque aliquot præſtantiores. mittunt omnes inſigniores Italiæ ciuitates ſuos legatos, mit-

tit

tit Pontifex ipſe ſuos. nihil omittunt quo videbatur Otho moueri poſſe. Otho præſentibus legatis epiſcopis, in celebriq́ue aliorum procerum conuentu, Othonem filium ſuum, nondum octauum annum ingreſſum, regem ſolenniter creat Aquiſgrani: vngiturq́; puer in regem ab archiepiſcopo legato Pontificis, appellaturq́; mox Imperator Otho 2. Poſt hæc acta Imperator collectis copiis in Italiam mouit caſtra, perduxitq́ue copias ad Papiam vſque: quæ ciuitas gauiſa eſt quod venit liberaturus a tyrannide Italiam, ſimulat quidem ſe inuitam capi, ſed nullum ex exercitu Othonis tangit, ſtatimq́; altero die intromittit Othonem cum nobilioribus aliis, & iurat in verba eius. Ab hac diſcedens, reliquas ſimiliter ſine negotio ciuitates capit. Videns Berengarius Othonis potentiam, & ſuorum alienationem defectionemq́;, in munitiſſimam arcem ſe cum filio ſuo, conſorte regni Alberto, recepit, & indies munitionibus adiecit alias: nam ſibi mali conſcius, ſupra modum pauore confuſus erat. Otho in itinere ſine ſanguine humano totam Italiam ſibi ſubdidit, & tandem Romam venit, vbi exceptus eſt honorificentiſſime ab vtriſque ſpiritualibus ſcilicet (vt vulgariter loquar) & ſecularibus; & a Ioanne duodecimo Papa vngitur, & coronatur, appellatur Romanorum Imperator: tamen ante vnctionem & coronationem, vel, vt quidam autores tradunt, etiam ante ingreſſum Romæ, iurauit Pontifici, ſe imprimis Romanam apoſtolicam ſedem, & totam eccleſiam, poſthabitis omnibus, defenſurum, & auctum, & in magno dignoq́; honore habiturum totum clerum, nihil ex Pontificum placitis mutaturum, nihil illis oneris impoſiturum, quicquid in Italia aut alibi eſſet eccleſiæ Romanæ, non modo non ſibi vſurum, ſed etiam ab aliorum iniuriis vendicaturum: idq́ue iuramentum eadem forma & ſententia daturum cuicunque committeret Italiæ adminiſtrationem. Id eſt ſcriptum in cap. Tibi Domino, 63 diſtinct. Dum hæc Imperator Romæ agit, Berengarius mittit filium ſuum Albertum in inſulam Corſicam cum magno theſauro. Ipſe conſtituit latere in monte ſancti Leonis, in quo loco fiduciam habuit etiam propter munitiones. Imperator diutius paulo ceſſauit Romæ, cupiens Ioannem Pontificem corrigere, vt digne officio viueret, relicta peſſima in omni genere ſcelerum vita: ſed nihil profecit, quinimo Pontifex alienatus eſt ab Imperatore, & iunxit ſe partibus Berengarij, cum quo ei morum ſimilitudine magis cõueniebat. Quare poſtquam Imperator deſperauit de emendatione vitæ Pontificis, quærit Berengarium, quem vbi cognouit filium miſiſſe ad Pontificem, & amicum ſociumq́; belli illi factum Pontificem, Romam redit, Pontifex ſe pleriſq; ſciens odioſum, ob corruptiſſimã vitam; ſimul certior factus ab amicis quibuſdam, quam irato animo eſſet in eum Imperator: quem enim odio habuiſſet ſemper ob vitam omnis generis vitiis inquinatam, nunc multo magis odiſſe, quod ſe peſſimis tyrannis adiunxerit, aduerſus quos Pontifex vocauerat Othonem. Quamobrem vbi Põtifex de reditu Imperatoris cum exercitu audiuit, territus, parat fugam, dimittit filium Berengarij Albertum in Corſicam inſulam vbi antea fuerat. & antequam Romam reliquit, omnes proceres quos ſuſpicabatur Othonis rebus ſtudere, palam trucidauit, aut per dolum ſuſtulit e medio. Inter quos fuiſſe morãtur duo cardinales. His perpetratis, ſubduxit ſe, latitare volẽs. Imperator vbi Romam venit, exceptus eſt, & ſenatus vna cum populo Romano rogarunt eum, vt reſpiceret eccleſiæ miſerum ſtatum, vt poſſit alius creari Pontifex, vir vitæ innocentia ſede illa dignus. Imperator quam minimis motibus ſemper omnia agere cupiens, reuocare ſtatuit Ioannem illum, ſperans poſt illam fugam & exilium, & gratiam veniámve mutaturum vitam. Scribitur igitur illi, mittuntur nuncij: ſed Papa Ioãnes ad inſaniam redactus, nemini fidit, in quadam arce in inacceſſis ſaxis ſita habitat inter ſcorta cum quodam ſimilis farinæ homine, ad quem e Roma grauis ære venerat. Hanc ocioſam ludendo, ſcortando, bibendo vitam maluit, quam ſummum eccleſiæ epiſcopatum. Otho vbi audiuit hominis voluntatem & voluptatem, iubet vt ipſi Romani eligant ad pontificatum virum quempiam eruditione & morum probitate præſtantem. Nam ea modeſtia erat Otho, vt nulli vnquam aliquid de ſuo iure aut autoritate detraxerit, & ſibi arrogarit. Romani igitur cum clero, elegerũt Leonem octauum. Hunc Imperator confirmauit, exiſtimans virum bonum eſſe. Leo multa de ſe pollicetur, blandiſſime affatur & tractat Cæſarẽ. Ita Romanæ vrbis & eccleſię rebus compoſitis, pergit perſequi Berẽgarium, quem cum filio & vxore capit, nã ex Corſica inſula forte venerat filius ad

patrem Berengarium,& eius vxorem misit in Franciam Orientalem, vt ibi priuati degerent in exilio (neque enim vllum erat periculum, ne homo ignotus in ignota regione, cuius linguam non callebat, aliquid noui moliretur, quantumuis animosus & ingeniosus ad seditiones) Filium Berengarij misit Constantinopolim. Interea temporis Ioannis Papæ consanguinei & amici effecerunt, vt Romani iterum ad Ioannem mitterent, & illi pontificatum offerrent. Ioannes iam plenus priuatæ vitæ, sed non luxus, libenter oblatum papatum recipit: igitur Leonem deponunt, hic recipitur. Leo proficiscitur ad Imperatorem, queritur de iniuria sibi illata a Romanis, accusat eos grauissime, quod bene monentem ferre non potuerint, & qui nimium fauerit Cæsari; Cæsaris hostem receptum propter odium in Cæsarem, & aliquid iamdudum contra Imperatorem parturire. tantum odium cepisse eos Germanorum, vt quiduis velint potius experiri, quam diutius imperium in Latio ferre. Otho Leonis querimonias iustas credens (omnia enim quæ ab eo dicebantur, apte cohærebant, & probabilia erant) ira commotus, sine longiore deliberatione ad vrbem properat. Dum hæc ad Cæsarem a Leone Pontifice perferuntur, & dum Romam ducit exercitum Cæsar, Ioannes Pontifex Maximus nuperrime restitutus, in adulterio deprehensus, occiditur. Romani obuiam Cæsari mittunt, excusant se, vicissimque accusant Leonem: petebant quendam Benedictum confirmari ab eo. Otho se negat facturum, arguit eos inconstantiæ, docet quantum mali in tota Romana ecclesia hæc adferant, quantum religioni officiant: imperat vt recipiant Leonem quem ipsi elegerant paulo ante. Multas obiiciebant causas ex quibus non esset Leo hic recipiendus: sed postquam hoc fixum in animo Imperatoris videbant, promiserunt se facturos, sperantes discessurum sic cum exercitu: Otho vero nimium negotium vrgebat, se præsente restitui voluit. Romani obstinati recusant se facturos quod superiore die promiserant, & Benedictum creant Pontificem vno ferme consensu, paucis Cæsaris amicis exceptis, qui tamen nec mutire audebant; qui clam quotidie Othoni scribentes, exasperabāt aduersus Romanos animum eius magis. Cæsar quæ sunt circa vrbem & suburbana omnia hostiliter vastat, obsidione tam diuturna premit vrbem, vt ingens multitudo fame perierit. Scribunt autores incredibilia de caritate & penuria in Vrbe, modium furfuris triginta venîsse ducatis. In extrema tandem necessitate aperiunt portas, captumque dederunt Cæsari Papam Benedictum, & omnia imperata eius facturos promittunt, veniam suppliciter orant, Leonem recipiunt. Otho nihil fidendum illis sciebat; quare statuit omnino Romæ manendum, donec omnia constitutionibus, & personis sibi & Leoni amicis muniret, eius rei gratia Romæ moratus est aliquandiu. Romani dum Romæ est, quærunt viam interficiendi Imperatorem. Cumque peruenissent eorum insidiæ ad Imperatorem, multos capite plexit, quosdam in exilium misit, nonnullos captos reliquit Pontifici. Imperauit obsidum magnum numerum. Leo adhuc præsente Othone fecit in gratiam eius quicquid gratum illi esse posse putabat. Etiam post discessum eius in frequenti synodo Romæ coacta statuit, vt Imperatori esset eligendi Pontificem potestas, translata ea autoritate a populo Romano. Cuius rei testimonium est text. distinct. 63 cap. In synodo. Hoc autem mortuo Papa, Romani immemores constitutionis illius, creant Pontificem Ioannem 13: paulóque post rursum deponunt seditione cruentissima. Pontificij currunt ad Othonem, a quo solo auxilium sperabant. Otho audita re, sine mora petit cum exercitu Romam. Eo vbi peruenit, exceptus est reuerentia ficta, & gratulatione fucata supra fidem magna. Otho ingressus Vrbem statim altero die partium causas audiuit, autorum magistratuum alios alio supplicij genere affecit, quosdam iugulauit, quosdam in carcerem coniecit, consules secum in Germaniam abduxit. Non longo post tempore Othonis Imperatoris filio Othoni despondetur Theophania, Nicephori Constantinopolitani Imperatoris filia. Circa idem tempus Saraceni Italiam diripiunt, aduersus quos mittitur Othonis Magni filius Otho cum Germanorum copiis. Saraceni victi ita sunt ab Othone iuniore, vt tamen maiorem partem prædæ secum nauibus abduxerint. Græci socij in eo bello Saracenorum fuerunt, quare Otho superatis Saracenis vertit arma in Græcos, quibus aliquot pręliis victis, eripuit illis Calabriam, & Apuliam. His gestis, Ioannes Papa huius nominis 13 Othonem 2 appellat Imperatorem, illi imposita prius

corona

corona imperiali. Anno a natiuitate Christi 974, Otho Magnus moritur in Saxonia, 974
& sepelitur in ecclesia quam ipse suis impensis ædificauerat Magdeburgi, regni eius anno 36. Qualis fuerit hic Imper. ex superioribus facile colligitur. Pacis amātissimum, (quam duco maximam laudem in Principe fuisse) testes sunt omnes de eo historiæ; nec vnq̄ vsque vllum bellum susc epit alia quam pacis causa. Iurisperitos vbicunq; potuit eos habere, in cognoscendis causis adhibuit; quod, cum probi sunt, quantum emolumenti adferat ad hanc vitam feliciter degendam, nemo sanæ mentis ignorat. Ingeniorum meliorum amator vehemens fuit. argenti auriq́ue venas apud Saxones primus inuenit, & ex illis apertis magnum cepit fructum. Qualis religione fuerit, testantur multa monasteria ædificata ab eo, & ecclesiæ episcopales ab eo constructæ, & magnis reditibus dotatæ: ex quibus sunt Magdeburgensis ecclesia, Brandenburgensis, Mersburgensis, Cicensis, & Misnensis. In Dania quoque ordinatis ecclesiis episcopalibus, subiecit eas episcopo Hambergensi. Vt semel dicam, religionem honoremq́ue Dei antepositisse omnibus aliis rebus, testantur facta eius omnia. Eo regnante, peruenerunt multi ad fidem Christianam, neque aliud æque illi curæ fuit, atque vt Christianam propagaret religionem. S. Huldrichus episcopus scribitur anno post Othonem obdormiuisse in Domino.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-QVARTVS.

A Patris morte, Otho 2 eligitur vno omniū fere Principum cōsensu, a patre & Pontifice iam ante Augustus appellatus, & coronatus. His annis Pragensis episcopus Adelbertus, reliquit episcopalem sedem & delicias (in quibus consueuerunt hoc genus homines quidā consumere vitam) & prædicando functus est episcopi munere, per Vngariam prædicauit, & vbiq; episcopos exemplis & doctrina admonuit sui officij: & in Prusiā profectus, sequēs vestigia Christi & apostolorum, odio habitus est a mundo qui odit crucem Christi veramq́; humilitatē, pręcipue in prædicantibus verbū Dei in nomine Domini. Tandem idem illi accidit, q̄ iis quorū imitabatur exemplū, nempe pro nouatore & seductore occisus est. qui post bonū certamen lætus testimoniū veritati perhibuit aduersus hunc superbū mundū. Primo anno imperij Othonis 2, dux Bauarorum Henricus, filius Henrici fratris Othonis Magni, aduersus Othonem conatur excitare seditionem, omnia tentat, copias incipit cogere. Quod vbi peruenit ad Imperatorem, conatui eius stulto occurrit, & domuit eum. Eodem anno Lotharius rex Galliæ cum magnis copiis venit in Lotharingiam, quam Carolus Magnus armis ereptam Gallię regibus, adiunxerat suo imperio. Lotharingia autē recuperata, & adiecta Franciæ imperio, pergit Lotharius in spem vocatus Aquisgrani capiendi: cum autē intelligeret eam spem vanam fuisse, agros in illis regionibus inhumanissime vastat, magnam prædam adeptus; audiens Othonem cum Germanorū exercitu aduolare, redit Lutetiam Parisiorū. Otho videns suæ fidei concreditos tam miseris modis afflictos, tot ædificia exusta, depopulatos late agros, hostē cum tāta pręda abiisse, omnino persequendū hostem, & retalionē reddere decreuit. Quam obrem hostem sequendo Parisios vsque, in itinere omnia quę erant regum Gallorum, depopulatus est. Parisios vbi peruenit, hostem in harenas prouocauit, sed frustra; suburbia incendit & omnia in adiacentib. agris contriuit. Postquam autem vidit hostem intra mœnia se cōtinere, nullaq́; esset spes capiēdæ vrbis, & simul audiuit de Constantinopolitanorum aduersus imperium suum proposito, reducit exercitum, cui extremum agmen carpentes hostes, nō mediocriter nocuerunt. nec pauci submersi sunt in Axona fluuio. Hæc illi in reditu incommoda acciderunt. Vbi venit Aquisgranū, conuenerunt omnes regni eius proceres, exercitum auctiorem accessione nouorum militum reddiderūt, in Italiamq́; festināter ducunt, prius tamē cum Lothario, Galliæ rege, pace facta, receptaq́; Lotharingia. Iam Basilius & Constantinus Constantinopolitani Imper. cum sociis Saracenis, quibus cum paulo ante fecerat fœdus, Barum vrbem vi

expugnatam diripuerunt, ciuiũ quoſdam captos in Græciam miſerũt, quoſdã occiderunt; pauci hoſtilibus manibus elapſi ſunt. Quo exemplo crudelitatis territi vicinæ ciuitates, vltro ſe dediderunt. Itaq; totam Apuliam & Calabriã occuparunt. Otho quantum potuit, feſtinauit, venitq; Romã, imperauitq; ſingulis Italiæ ciuitatibus certũ numerum armatorũ, tumultuarieq; delectu habito, per Italiam profectus eſt cum ingentibus copiis aduerſus hoſtiles copias. Vbi peruenit in Apuliã, Græci & Saraceni primos venire videntes Rom. & reliquos Italos (nam hos præmiſerat) ſtatim venientes adorti ſunt, ſperantes hos ſocios victos, reliquos etiam Germ. pugnæ minus aptos fore: non tantum autem propterea ſine cunctatione aggreſſi ſunt illos, ne totus exercitus colligeretur, ſed quod molliores Italos ſciebant, & minus bellicoſos. Nec iudiciũ illud illos fefellit, nam ſtatim poſt cõmiſſum prælium Romani & reliqua Italorũ turba, abiectis ſignis, fugerunt. Qua multitudinis tantæ fuga, reliquus exercitus nõ potuit non turbari. Quo factum eſt vt & reliquæ copiæ Othonis verterint tergum. Præſtitiſſet ſine dubio, abſq; milite Italo cum Ger. Otho. bellum hoc geſſiſſe: ſed ſic fata volebant. Otho fuſo exercitu, fugiens, a nautis aut natans, aut in parua ſcapha nauigans (nam variant autores) capitur, ignotus tamẽ. Profuit vero illi quod nautarum linguam adprime callebat. tandem tamen a quodam mercatore Sclauo agnitus eſt: ſed illi negociatori promiſit magna Imperator, ne proderet, ſed pro virili adiuuaret eum. nam in naui erat ſolis ſæpe colloquẽdi copia. Cum igitur venirent in vrbem Roſam vbi erat forte Epiſcopus Metenſis Theodericus, expectans belli euentum, hunc epiſcopum accedit mercator, iubet vt eum redimat, nam non magno ęſtimari, & nautas lucro inhiari. Epiſcopus exiguam quandam æris ſummam pro Imperatore numerat nautis. Hac ratione liberatus Otho, quum primum ad ſuos venit, cogit exercitum ex ſola Germania, vt animaduertat in Italos præcipue Romanos & Beneuentanos qui degeneres animo fugæ fecerant initium. Ducit ergo exercitum in Beneuentanos, quorum vrbem expugnatam incendit. ab aliis deinde Italis abſtinuit: euomuerat enim magnam partem iræ in Beneuentanos. quod reliquum erat, effudit in Romanos. Nam Beneuentanis ſubuerſis, petit Romam, & inuitauit Romæ omnes Principes vtriuſque ordinis ſacri, & (ſic enim loquuntur) ſecularis, in ipſoq; conuiuio necare in conſpectu conuiuarum iuſſit omnes qui fuerant turpiſſimæ fugæ autores. Sic enim turpitudinem fugæ aliis adſcribendam declarare voluit. Propter hanc in illos qui fugerant tam turpiter, animaduerſionem, cognominatus eſt Sanguinarius. Illud fugæ dedecus tam male habuit virũ, vt poſt hanc cladem nunq; læta fronte conſpectus ſit. Et mœrore triſtitiaq; animi confectus, nõ longo poſt tẽpore moritur. Sæpe ſuam infelicitatẽ cum gemitu queſtus fertur, quod non reſpondere datũ illi ſit maiorũ ſuorum factis. Mortuus eſt autem imperij ſui anno 10. Suſpicio etiam eſt veneno a Romanis ſublatum. Quidam autorum ſcriptum reliquerunt, in illa pugna Othonis cum Græcis & Saracenis, occubuiſſe multos Principes, epiſcopos & alios proceres, ex Germania quoſdam nominãt, Henricum epiſcopum Auguſtenſem, Wernherum abbatem Fuldenſis monaſterij, & alios multos nu-
948 merant. Anno poſt natiuitatem Chriſti 948, Othone 2 Imper. vita defuncto, Principes quorum erat eligere Imperatorẽ, diſcordabant, aliis eligentibus Henricum Boioariorum ducẽ, nepotem Othonis primi, aliis volentibus Othonis 2 filium, Othonẽ nomine, natum annos 12. Dum ita lis pẽdet, nulli volunt aliis cedere. Henricus capit puerum Othonẽ, & appellat ſe, principibus quibuſdam adiuuantibus Auguſtum: ſed multos hoc facto iniuſto & tyrannico a ſe alienauit, qui antea illi ſtuduerũt, iam quoq; accedunt ad illos qui Othonis 2 filium voluerunt. Quare illi principes coniunctis copiis vi repetierunt puerũ, bonam de ſe ſpem prębentẽ; & adductũ Aquiſgranũ in frequenti Principũ conuentu vnxerunt in regẽ: & mox appellatus eſt Otho 3. Suſcepto imperio, maiora conatur & efficit q̃ ætas illa conſueuit. Habuit enim ſtatim multos qui rebellabant, contra quos tanta fortuna vſus eſt & victoriis tam frequentibus, vt miraculum mundi vocatus ſit. Itali non agnoſcere voluerunt hunc Imper. elegerunt alium, nomine Creſcentium Nomentanũ, qui Romæ tantam exercuit in omnes tyrãnidem, præcipue in eccleſiaſticos, vt Papa fugere coactus ſit in Hetruriam. Pontifex & omnes prælati Romani ſcribebant ad Othonem, petebant auxilium, admonentes eum quid maiores fecerint eccleſiæ boni, & quod propterea Deus ſecundarit vias eorũ. Appellant

lant eum Imperatorẽ, vt ſemel dicã, nihil omittunt quod facere putãt ad cõmouẽdum Othonem. Creſcentius vero Germanũ aduentum veritus (præcipue quod eum nõ latebat, quo animo eſſet Italia, quod ſcilicet tota Othonem peteret, mittit ad Pontificem quos putat maxime apud eum autoritate & fide valere, per eos rogat eũ vt redeat Romam, promittit illi amicitiam, obedientiam, & contra quoslibet aduerſarios patrocinium. hæc iuramento & ſacramẽto confirmaturum. Præterea enumerat incommoda quæ ex Germanorum aduentu ſint futura, in memoriã multa exempla quæ peregrini exercitus fecerunt in Italia, reuocat. Pontificij omnes rogant vt redeat. Papa impietatem militum, & bellorum mala timet, redit, effundit ſe Creſcentius & vniuerſa ciuitas Romana illi obuiam, excipiturq; magna gratulatione & reuerentia omniũ. Otho Galliarum & Germaniæ rebus aliquandiu occupatus, quibus vtcunque diſpoſitis, Italiam petit, vbiq; excipitur reuerenter. Romam vbi venit, Creſcentius & Pontifex prodeunt obuiam, exhibentes omnem honorem, & rogant, vt in Italia pacem faciat, ſed ad arbitrium partium quæ Romæ erant. Effeceruntq; apud Othonem, vt ſimul Italiam totam pacatam atque adeo obtemperantem Romanis redderet, & quam primum cum exercitu excederet Roma, quod illis gratiſſimum & vtiliſſimum erat. Nam volens Romanis gratificari, ſtatim vertit ſigna in Capuanos & Beneuentanos, quibus non conuenerat cum Romanis, illos adegit ad conditiones quas Romani volebant. Hoc tempore creatur Pontifex Romanæ eccleſiæ Germanus, filius Othonis, ducis Sueuiæ, cognatus Othonis 3, nomine Bruno: qui Papa factus, eſt nominatus Gregorius quintus. Othonem 3 hic Pontifex coronauit, & Auguſtum appellauit. Quibus rebus Romæ magna pompa factis, Otho Germaniam repetit. Poſt Imperatoris diſceſſum Romani iniquo animo ferunt, Germanum barbarum (vt ipſi vocant) hominem in Pontificem electũ, moliuntur in illũ multa clam, & palam quoq; minantur. Quibus rebus factum eſt, vt ſe clam ſubduxerit ex Vrbe: profectuſque in Hetruriam, mittit ad Othonem Cęſarem, conſanguineum ſuum, & ſperat Romanos vltro ſe reuocaturos, vt Ioannem Pontificem ante eum reuocabant: ſed nemo venit ad eum e Roma, qui vocet, quinimo ne in Hetruria quidem tutum ſe intelligit. Quare ſuæ ſaluti conſulturus, repetit patrium cœlum Germaniam, Othoniq́ue omnia exponit, Romanorum iniurias, & Italorum cum in Germanos omnes, tum potiſſimum in Imperatores odium quantum poteſt, exaggerat. Romani Creſcentium rurſum aduerſus Cæſaris voluntatem conſulem faciunt, & Pontificem alium creant Græcum, hominem non indoctum, nomine Ioannem. Mirum eſt non exemplis tot ſuperioribus ſapere mortales, vt abſtineant a ſeditionibus & defectionibus huiuſmodi, quas conſequi fere ſemper ſolent maximæ calamitates. Otho nomine Pontificis & conſanguinei vehementer excandeſcens, cogit exercitum, quo cum vbi vrbi appropinquauit, clauduntur portæ, muniuntur & firmantur loca quæ hoſti potiſſimum expoſita videbantur. Otho obſidens Vrbem paucis diebus capit, populi Romani magna parte eum adiuuante. Conſul Creſcentius & Ioannes Pontifex fugiunt in arcẽ Adriani. Illam conatur expugnare Otho: propugnatores vero arcis fortiter ſe defendunt primo, tandem cum nullam ſpem viderent illorum qui erant in arce, maior pars veniam ſperabat apud Othonem: quare aperuerunt arcem, ſupplices ad Imperatorem veniunt, vt ignoſcat petunt, Creſcentius fuga ſalutem quærens, captus eſt, & prius circumductus aſello, membris truncatus, deinde ſuſpenſus eſt ante Vrbem. Ioannes etiam captus, luminibus priuatus eſt. Reſtituitur in locum ſuum Gregorius 5, qui expulſus ante annum reſtitutus eſt. Huius Othonis tempore electores Principes ſunt inſtituti. Otho enim 3 non habens hæredem filium, decreuit in frequentibus comitiis Principum, vt in poſterum perpetuo Francofurti eligatur Imperator. Conſtitutis tribus electoribus archiepiſcopis, Moguntinenſi, Colonienſi, Treuerenſi, his addidit quatuor alios Principes ſeculares, quos vocant, nempe regem Boemiæ, qui & archipincerna imperij debeat eſſe; Marchionem Brandenburgenſem, quem voluit eſſe camerarium; Ducem Saxoniæ, qui eſſet marifcalcus; & Palatinum comitem Rheni, qui dapifer eſſet. Hos electores ſeptem conſtituit, penes quos eſſet omne ius & poteſtas eligendi Cæſarem. Huic Othonis conſtitutioni, Gregorius Pontifex addidit aliam, volens patriæ dignitati conſulere. Sanciuit enim, vt ſoli Germani eligant, & non alium eligant, quam Germanis parent-

tibus natum. Statuit quoque idem Pontifex, vt post electionem primum appelletur tantum Romanorum rex: coronatus vero & vnctus, benedictioneque accepta a Romano Pont.tum demum appelletur Imper. Augustus. Post Gregorij Pontificis mortem, Othonis aliquando pueri præceptor, Siluester ad pontificatus ascendit fastigium, ita per gradus opera suorum discipulorum ascendit. fuit enim & Roberti regis Franciæ præceptor. Huius pontificatus anno primo, venit Otho Romam, illic ordinabat imperij ecclesiæque statum, ferebat pro conditione temporis leges, causas grauioris momenti cognouit. Romani iniquo animo (vt semper antea quoq; factitare consueuerant) ferunt hominem Germanum in vrbe Roma, omnium gẽtium aliquando domina, iura pro animi arbitrio dare & mutare, conspirantque propterea contra Othonem. Primum per insidias magnum militum eius numerum occidunt, deinde properant ad obsidendum Imperatorem in palatio. Et cum iam esset in extremo periculo constitutus, venit summus eius & fidelis amicus, Hugo, Italiæ Marchio, & Henricus dux Boioariæ, &(quanquam scirent satis Romanos a proposito non posse auocari: tamen vt sic mora interposita, & spacio accedendi Imperatorem dato, gratia colloquendi & tractandi de conditionibus pacis, aliqua occasio elabendi forte offerretur) petunt a Romanis, vt de conditionibus pacis agi concedatur, se media habere quibus sperent pacem fieri posse. Romani etsi quoque sciebant nullas cõditiones se accepturos (nam iam actum esse de Othone, captumque esse iudicabant) tamen ne dici possent furere, audiendos censebant. Dum igitur res tractatur, adeunt præfati Principes seorsum ad vtrosque. Sub hoc prætextu colloquendi de fœderis conditionibus subduxit se Otho cum Siluestro Pontifice, Hugone & Henrico adiuuantibus. Fertur Hugo Romanum senatum rogasse, vt debeat Othoni consulere quod optimum putet illi esse, velle & Romanis consulere quod putet optimum, nam vtrisque consultum se optare) Romanos respondisse, hoc ipsi adeo per illos licere, vt non bonum virum iudicent, nisi hoc faciat, cuius maxime causa Romam venerit. deinde abiisse, commutasse vestes cum Othone, & idem famulos Hugonis cum famulis Othonis fecisse, & sic euasisse Imperatorem. Hugonem Romanis iratis respondisse, nullum melius consilium se habuisse, cum senserit propositum Romanorum. Otho elapsus e manibus Romanorum opera & industria Principum quos dixi, reparato exercitu vlturus Romanos, in itinere hausto veneno, moritur. Quis exhibuerit, certant autores. est qui scribat, Crescentij vxorem misisse, amatoriumque fuisse. quod mihi non fit verisimile: Romanorum scelere clam per quempiam illi datum credo. Corpus delatum in Germaniam, sepultum est partim Augustæ, partim Aquisgrani; Augustæ intestina, Aquisgrani reliquum. Ante & post huius Othonis mortem prodigia per Germaniam visa enumerantur multa, terræ motus, cometes, ardentes in aere faculæ interdiu. Post vita defunctum Othonem, Principes electores per Gregorium Pontificem Romanæ ecclesiæ instituti, quemadmodum est supra dictum, iuxta pontificiam cõstitutionem Francofurti conueniunt, & eligunt Imperatorem ducem Bauariæ, comitem Bambergensem. Hic primus ex legibus constitutis a Gregorio quinto electus est, nullo successionis respectu. Porro de huius maiorum genealogia, & ducũ Bauatorum apud plures autores scribitur, quam vt hic repetenda sint. Hic Henricus appellatus est ab electoribus imperij, Henricus secundus: sed Itali quem Germani crearant Henricum Aucupem, parentem Othonis Magni, non connumerabant inter Imperatores; hunc ergo primum vocant. Sed opponi aduersus eos potest textus ille, Constitutio & est palea. 63 distinct. Hæc constitutio enim dicitur primi Henrici cum Romanis Pontificibus. Henricus coronatus & vnctus in regem est ab archiepiscopo Moguntino, nomine Willegiso. Galliæ reges & Principes primis annis eius imperij plurimum illi fecerunt negotij; sed Imperator ita cum illis sæpe pugnauit feliciter, vt illa bella magnam existimationem & gloriam peperierint illi. quare factũ est, vt aliæ postea nationes exemplo Gallorum doctæ, minus rebellarint. Vix enim est aliud quod magis stabiliat & quietum statum faciat, ac tueatur regnum, quam bona de Principe existimatio. Gallia sedata singulari felicitate & virtute, exercitũ victorem ducit in rebelles Boemos & Sclauos, cum quibus sæpius congressus, semper victor discedit, admodum exiguam suorum iacturam passus. Prælio vero præter alia maiore postremo victi, pacem petunt, iugumq; admittunt.

tunt. Subiugatis Boemis & eorum Principe Bodislao, apud illos iura & leges in rebus prophanis ac ſacris ordinauit. Ex illa expeditione expeditus in Germania diſponit quę prius per bellorũ occupationes non potuit. Eodem tempore Babenbergenſem epiſcopatum inſtituit, & ditauit: eodemq; loco bina ędificauit monaſteria, in quibus orando, ieiunando & vigilando ſancti educarentur viri. Fuit Hērico Imperatori frater, epiſcopus Auguſtenſis eccleſiæ, vir non ſatis officio reſpondens: hic Henricum fratrem odio & inuidia proſecutus eſt vehementiſſime, nullo alio nomine, quam propter ratam eius pietatem & egregia feliciaque geſta. Imperator iuxta Chriſti doctrinam non reddidit illi malum pro malo, ſed pro iniuriis illatis non ceſſauit illi benefacere, coacer-
10 uans prunas ſuper caput dicentis in corde ſuo, nō eſt Deus. Henricus improbis, vt ſcribitur, precibus principum impulſus, ducit vxorem Kunigundē, filiam Sigisfridi comitis Palatini. Kunigundis genus alij aliud faciunt, magnaque diſſenſio eſt inter autores. Non deſunt qui originem eius a Carolo Magno ducunt, qui facile refelli poſſe mihi videntur. Qui multa de hac re cupit, legat Chronica Norinbergenſia. Henricus ſecundus, decimo imperij ſui anno Italiam cum Germanorum copiis ingreſſus, eam pacauit, diſcordiarum, & ſeditionum cauſis ſublatis, quantum potuit fieri. Romæ honorifice & reuerenter exceptus eſt, corona imperiali a Pontifice Benedicto accepta, & iuramento Pontifici præſtito, ducit exercitum contra Saracenos qui Italiam miſere vexa-
20 bant, Capuam autem tum occupabant, ad illos illuc contendit, & virtute Germanorum militum victos illinc expulit. Illis profligatis, Sabagonum, ducem Conſtantinopolitanum, qui Saracenos iuuabat, & incitabat aduerſus Romanum imperium, perſequi ſtatuit per omnes difficultates. Nouam vrbem hic Sabagonus ædificauit ad fines Apulię in loco munito, & vnde commodiſſime Italiam hoſtes infeſtare poſſent. Eo loco propter eandem cauſam Hannibal caſtra muniuit. Hanc vrbem oppugnat Henricus menſibus quatuor perpetuis, cumque iam peterent oppidani pacem, deſperatis rebus, deditionem vltro offerrent ſatis ſeruilem, ſed nollet Henricus, niſi duce Sabagono tradito in manus ſuas, ecce tantus æſtus & feruor ſolis incidit, vt Henricus & alij Germani non aſſueti caloribus illis, ſoluere obſidionem coacti ſint, quare oblatas ab
30 oppidanis deditionis conditiones cum obſidibus accepit, Romamque reuertitur, magnam militum multitudinem non tolerate tales calores valentes, perdidit ea æſtate. Vinum enim nimium vinoſum non extinguebat, ſed magis incendebat inflammata & exiccata corpora. Aqua bona deerat, paluſtrem turbidamq; quamlibet obuiam ingurgitabant. Multa quæ tunc temporis in inſomniis viderit, narrant ſcriptores, quorum cum fides ſit pleriſque ſuſpecta, & qui cupiet legere talia, apud multos nimium plura inueniat, prætereunda mihi duxi. Hoc verum eſſe nemo dubitet, Imperatorem hunc timuiſſe Deum, in orationibus, vigiliis, ieiuniis, & ſacris, quæ vocātur officiis frequentem fuiſſe; ſed an hæc quæ traduntur miracula, egerit cum ipſo Deus, non auſim affirmare. Vnum miraculum referam, quod accipimus accidiſſe tempore Henrici: In ec-
40 cleſia quadam Saxoniæ, celebrante ſacerdote miſſam in vigilia natiuitatis Domini, 18 viri, 15 vero mulieres in cœmeterio ſaltarunt, impeditus eorum ſtrepitu in ſacris occupatus ſacerdos imprecatus eſt illis, vt ita choreas ducant per totum annum, id factum eſſe ſcribunt Vincentius, & Ioannes de Columna. Tunc primum illam ſaltationem quæ noſtra ætate multos vtriuſque ſexus homines afflixit, ortam affirmare quidam non dubitant. Mihi non videtur veriſimile. Henrico ſecundo ab eccleſiaſticis
50 merito debentur magnæ laudes; quare non miror, ſi gratitudine animi ducti, quędam veris adfinguntur: quanquam ſi pium & paternum erga ſuos animum, & benefaciendi propenſam voluntatem, operaque ipſa reſpicias, verorum ſatis habent, quibus eum prædicent, & ad aſtra ferant. Cum forte Argentinæ eſſet aliquando, ceremoniaq; & preces ſacerdotum illi arriderent, conſors eorum regulæ, vt ſic loquamur, factus eſt: ſed inſtituta pro ſacerdote viro probæ vitæ præbenda, qui regis in ſacris eſſet vicarius, ipſe diſceſſit, auocatus publicis imperij negotiis. Ea præbenda Argentinæ ad noſtram vſque ætatē vocata eſt regalis. Eccleſia maior Baſilienſis inſigni opere eſt ab eo reſtaurata, non ſine maximis impenſis. Cum enim magna terræ (quæ ſoluta eſt ſabulo tota) moles minaretur templi ruinam, imo ædificium labefactatum iam rueret in Rhenum (eſt enim edito loco ad ripam Rheni ſitum) Cęſar Henricus tam amœni loci, & templi

ad diuinos honores ædificati ruinam animaduertens, suis impẽsis aggeri ruenti oppo-
suit murum materia & opere insignem & fortem, cuius fundamenta in Rheno iacta
sunt: remouitq; totã templi molem a ripa passus 14. Quod hoc opus Basileæ ciuitati fe-
cit, maximam causam fuisse, non est dubium, quod ea ciuitas bene merita fuerat de eo
in bellis quæ in Galliis, Boemia, & Italia cum Saracenis gesserat. Euecta in altum erat
hoc tempore in Sueuia familia quędam Guelfonũ, quę referebat genus suum ad Tro-
ianos, huius munimenta conspiciuntur, in aliquot ecclesiis & monasteriis, nempe *Alt-*
torff & ad Vineta, vocant *Weingarten*: in his enim quidam illorum sepulti sunt. Ho-
1165 rum quidam Tubingam obsedit anno post natiuitatem Christi 1165, coniunctis so-
ciis episcopis August. Spiren. & Wormat. Bertoldo duce de Zeringen, Marchione de
Veltenburgo, Hermanno de Baden Marchione, & cæteris aliis, qui fugati sunt o-
mnes ab oppidanis & Hugone Palatino, multi capti, plurimi occisi sunt. Fuit memo-
rabile & sanguinolentum prælium. Henricus vxorem suam non attigerat; ipsa vi-
cissim castitatem seruare cupiens, consenserat sponso; ita ambo degebant vitam cœli-
bem. Satan, qui nunquam quieuit, neque quiescit, neque quiescet ante consummatio-
nem, suspectam Imperatori reddidit reginam Kunigundem nomine adulterij (cum
quodam enim equite aurato rem habere conabatur malas cogitationes suggerẽs dia-
bolus, persuadere Henrico) Henricus incusat eam, quur simulet & profiteatur castita-
tem coram hominibus, grauius iudicium eam manere, Dominum qui corda & ocu-
los fecit, omnia videre, etiãsi fallat homines. Castissima virgo pudico & modesto vultu
constanter negat, & se gaudere, inquit, quod Dominũ testem habeat, cuius testimonio
ipsa sit contenta: nam repositam in corde suo certam fiduciam, manifestam fore suam
innocentiam cum Domino tempestiuum fuerit visum. Vt autẽ Henrico hic scrupulus
quem Satan illi iniecerat, eximeretur, cõuenit inter eos, vt regina ambularet super fer-
rum candens (vomerem candentem scribunt fuisse) quæ postquam inuocauit nomen
Domini, vt propter gloriã suam probaret innocentiã ancillæ suæ, læta, sed modestissi-
ma fronte, nudis pedibus ferrum igne iamiam extractum & adhuc rubẽs calcat toties,
quoties voluerunt ij qui aderant testes miraculi quod Deus cũ virgine sua ancilla ope-
ratus est. Qui scribunt ex impulsu Sathanæ hoc excogitatum ab Henrico, vt cogeret
vxorem suam quam nunq̃ cognouerat, nec cum illa cõsuetudinẽ se habiturum decre-
uit, non sequitur quod illi inferunt (pene dixerim calumniatores) esse satis iudicij Hen-
ricum tyrannũ potius fuisse, quam sanctum virum. Quur nõ cogitant, quibus quantis-
que tentationibus sancti Dei a Satana sint tentati, & non raro inducti nonnihil? Con-
cedo enim iam argumẽti gratia (nam ego nihil ausim asserere) tentatorem suggessisse
Henrico siue per hominem quempiam siue sine medio, vt in hunc modum probaret
suæ sponsæ castitatem. In his, vt in omnibus hoc genus rebus, nemo nisi spiritualis cui
scriptura diuina est cognita, recte iudicat: quare meum iudicium non interponam. Illis
temporibus grãdines in Germania tam latę cecidere, vt caritatis magnæ causa fuerint,
contra verbũ vulgo iactatum, *Grando nulla caritatem facit*. Henricus Cæsar multo ante
præuidens sui corporis resolutionẽ instare, conuocat ergo Principes, & prędicit se con
tra ius & sanctionem pontificiam de eligendo Imperatore non facturũ, plenamq; po-
testatem quãtum in se sit, relinquere electoribus principibus, qui quem putent guber-
nandi peritissimum & vtilissimum præsentibus temporibus, eligere possint: sperare se
tamen neminẽ grauius laturum, aut in malam interpretaturũ partem, si dicat, quis ipsi
videatur imperio vtilior. In hanc sententiam præfatus modestissime, nominat Conra-
dum Sueuum natione, & ex matre regię stirpis, additq; causas, quare illum imperio iu-
dicet idoneum, bello enim & pace se eius integritatem, pietatem, & animi inuictũ ro-
bur perspexisse. obdormiuit paulo post hanc orationẽ Henricus, & sepultus est Baben-
bergæ. Principes pedibus eunt in sententiam Cæsaris, eligitur Conradus; sed non vna-
nimiter; erat enim quidam Boioariorum dux opibus & autoritate præpollens, voca-
batur Cuno, qui Conradum despiciendo, & largiendo munera, & aliis malis artibus
ambiebat imperiũ. Et putatur a quibusdã nõ multum abfuisse, nullaq; alia res eum im-
pediuit magis quam quod fastu turgidior, contemptim nimium vbiq; loquebatur de
Conrado, qui ab omnibus vir magnus & bonus habebatur. Conradus vxorem habuit
de vetustissima Carolorum stirpe: quæ genuit illi Henricum, qui patri successit, appel-
latusq;

latusq; est Henricus 3. Libenter hic Conradus habitauit Limpurgi, quæ fuit arx inter Nemetes & Vangiones. Postea arcem illam mutauit in monasterium; inter Nemetes & Vãgiones situm est, nomẽ adhuc antiquũ obtinet: etsi a Comite de Lyningen, Emichione, exustum sit monasterium. Non diu post susceptum a Conrado imperium Bodislaus dux Poloniæ, spreta Conradi autoritate, seipsum regem appellauit, & tributum quod debebat Conrado ex fœdere, negauit. Quem maiestatis imperialis cõtemptum iniquissime ferens Conradus, cogere copias incipit: interea moritur Bodislaus, duos filios relinquens, nominibus Misiconem & Othonem, ambos strenuos ex strenuo patre: quorum alter, Otho scilicet nolens Conrado rebellare, periculosum nimirum existimans, a fratre regno eiicitur: quare fugit ad Imperatorem, apud quem multa pro se contra Misiconem germanum fratrem dicit, currentemq; Conradum cõcitat magis. Coactis igitur copiis in Poloniam profectus, assumpto Othone Misiconis germano, quærit hostem rebellem, militibus prohibens, ne quem ex plebe nõ armata tangerent, & manus abstinerent ab omnium facultatibus, esse enim hoc regnum magis Othonis qui esset in exercitu secum, quam Misiconis. Misico suorum animos magis inclinari ad fratris partes (siue quod Imperatorem timebãt, siue quod meliorẽ de se prębebat Otho spem) videns, desperat, cedit, in Boemiam fugit (nam illius rex Waldrichus erat hostis Imperatoris) sed hospes exceptus, a rege hospite tutus non fuit; Waldrichus enim Misiconem quem supplicem susceperat, coniectũ in vincula mittere ad Conradum, exulemq; ducem qui se fidei eius cõmiserat, perfidus proditor tradere hosti decreuit. Hoc clam Boemus per literas significat Conrado, sperans hoc nefando munere gratiam Imperatoris redempturum. Conradus detestatus regis impietatem, clam admonet, vt se credat si velit esse saluus, simul regis illi mittit literas. Misico proditoris animo cognito, bonitatemq; & magnanimitatem Imperatoris videns, subducit se ex Boemia, & vltro supplex venit ad Conradum, illiq; offert tributi ius quod debitum pater negarat dare, imperio se obsequuturum pollicetur, veniam temeritatis iuuenilis rogat. Impetrat veniam, componuntur æquis partibus fratres, Polonia imperio tributaria manst. Conradus filio suo Henrico rege appellato, & rebus Germaniæ pacatis, Romam petit magnis comitatus copiis, gratia imperialem coronam accipiendi, in itinere Mediolani suburbia incendit prouocatus; & iamiam erat expugnata vrbs, nisi propter beatum Ambrosium abstinuisset. Vbi vrbi appropinquauit, obuiam procedunt omnes omnium ordinum, habuitq; in suo comitatu aliquot potentes reges. Est autem mox coronatus, & appellatus Cæsar Augustus a Pontifice Ioanne 20. Cum autem Romæ paruo tempore moratus esset, Romani militum licentiam grauius ferentes, clam conspirant, incautos opprimere conantur, electa ad hoc temporis & loci opportunitate. Cum igitur omnia essent constituta, insidiæ suis locis dispositæ, horaque aggrediendi adesset, magno impetu Germanos nihil periculi timentes adoriuntur: sed Germanus miles præsenti animo & virtute arma arripit, vrbanum hostem repressit. multi sunt vtrinque cæsi. Non in contemnendo discrimine fuit totus exercitus Imperatoris, & per hoc Imperator ipse. In animo enim Romani habuerunt totum exercitum delere; & consiliorum rationes non erant vanæ, tot insidiarum dolis erant instructæ, & tam apte omnia erant diuisa locis, & temporibus. Porro qui de hoc Conrado cognoscere volet qua pietate, quaque seueritate fuerit, legat eius constitutiones seu decreta. Scribuntur multa de eo a Vincentio, a Gallo, Gotfrido Viterbiensi, Martino, Hermanno, quæ ex narrationis serie non conueniente, temporibusque & personis non congruentibus facile iudicari possunt, verane, an ficta sint. Mirum inueniri ingenia, quæ huiusmodi nihil ad instituendos mores facientibus fabulis gaudeant. Sub idem tempus quo Conradus in Italia coronatur, Dux Sueuiæ Ernestus priuignus Imperatoris, molitur in Germania res aduersus Conradum nouas, confisus fortitudine militum quos Sueuia producere consueuit, & quorundam nobilium amicitia, coactis ergo copiis diripere finitimos sibi, Imperatori subiectos cepit, & quædam non satis munita occupauit. Conradus comparato exercitu opponere se illi cogitur antequam vires acquireret; hostis autem fuit victu facilis, quoniam maior pars Sueuiæ Imperatori studebat, nec habere per facultatum tenuitatem poterat satis robustum exercitum; quare dissipatus est exercitus, dux aliquandiu errans per siluarum late-

bras, tandem etiam occisus est. Hermanno fratri Ernesti amico imperij Sueuiæ ducatum Conradus dedit. Conrado imperante, fuerunt in ecclesia hæreses quædam: præter reliquas fuit in Gallia episcopus, qui allatas e cœlo epistolas prædicauit, quæ pacem & aurea secula essent facturæ in terra, argumentum earum esse, Vt arma omnes commutarent in instrumenta ad operas necessaria, ablata bona nullus repeteret, iniurias quaslibet quilibet ferret, ieiunarent omnes pueri quoque & senio defecti quibusdam diebus certis quos nominauit, sabbatho a pinguedine abstinerent omnes. hæc seruanda omnibus hominibus præcipiendum. Huic homini credebant multi. episcopis omnibus, etiam Romano hæc per literas significauit. Contra illum autem multi pugnabant, potissimum vero Gerardus Cameracensis illi restitit, affirmans, Natura ita se res humanas habere (nec aliter consistere vllam Rempublicam posse) vt sint iudices magistratúsve, milites & agricolæ, horum nullos sine alterius adiumento perdurare posse. Scripsitque hic Gerardus plura aduersus dictam hęresim. Tandem Pontifice Romano curante, sublata est hæc opinio. Postquam Roma rediit in Germaniam Conradus, Itali seditionem concitarunt contra eos qui res Imperatoris procurabant. Imperator igitur collectis in Germania viribus, Italiam repetit. Itali Vngaros & Sclauos socios sibi iungunt, impares enim satis experti sunt se esse Germanis. Conradus igitur in Italiam festinantius venit, Sclauis & Vngaris cessantibus, Brixiam & Mediolanum capit, traduntúrque illic Cæsari conspirationis autores, qua satisfactione contentus, non grauius tractat illas ciuitates. Vbi Cremonam peruenit, obuiam fit illi Pontifex Maximus, vt placet animum exasperatum Germani Cæsaris, & ne Romam veniat omnino, aut saltem non tam hostili animo. Compositis ex animi sententia rebus in Italia, vertit signa in Vngaros & Sclauos qui erant in itinere, vt Italiam contra Imperatorem iuuarent. Imperator locis opportunis præsidia & insidias ponit, cauet ne quis ex suo exercitu præcurrat, & nunciet illis aduentum suum. Vngari & Sclaui sine omni metu ibant, hostem in Italia expectaturi; Conradus erumpit ex insidiis quatuor partibus, hostes oneribus pressos, sine ordine iter facientes sine suorum sanguine in fugam agit, magnamque multitudinem occidit & capit. Hoc Conradi factum omni hominum memoria dignum miror tam ieiune literis commissum. Hoc quoque tempore per suos duces legatos, Othonem Celticum, Burgundiæ ducem, victum, prælio occidit, Burgundiam imperio subiicit. Magna post hæc Conradi fuit apud omnes gentes existimatio, solaque nominis autoritate plurimum in mortalium rebus potuit. Quare imperij rebus compositis, Romam profectus est, quia audierat Pontificem vexari quorundam iniquitate & malitia: & Græcos Normannosque de regno Apuliæ contendere: quos pacauit paucis verbis. iussit enim, vt ab armis discederent, & viris bonis arbitris rem pacifice cõponerent, Romanum quoque Pontificem sola autoritate & minis ab iniuriis inimicorum liberauit. Omnibus igitur succedentibus ex voto sine omni labore, ociose vrbes Italiæ & regiones visitat animi gratia, & per longas ambages maris Adriatici redit in Germaniam. Iamq; totus quietus, nihil videns periculi, laboris & magni negotij, dixit, Iam quietam degam vitam, iam ocioso licebit in amœnis oblectari hortis, venationibus, &c. Ecce (quod solet plerunq; illis hominibus euenire, qui iam sibi exhaustos labores omnes putant, ocióque frui incipiunt) corripitur a lethali morbo, quem paucis diebus mors consequitur. Mortuus est Traiecti, sepultus vero Spiræ, vbi ædificauit templum insigne opus. Post Conradi obitum quosdam electorum male habuit, quod Henricum contra legum constitutionem declarat Imperatorem ante mortem: quanquam alias fatebantur eum Imperio dignum videri. Tamen cum intelligerent patrem tantæ autoritatis fuisse, & filium optari ab omnibus, non poterant alium præter illum eligere. Succedit igi-
1040 tur patri, anno post natiuitatem Christi 1040. statimque primo imperij anno cum Boemis gessit bellum toto semestri tempore, & in angustiis & siluis multos Germanos amisit, infelix bello visus est in principio. hyeme enim aspera reducere cogitur exercitum non modo re infecta, sed magno militum numero amisso. Hoc non sine maxima animi ægritudine tulit: quamobrem primo vere reparatis & auctis copiis, alia via alioque conatu hostes aggreditur, priore enim æstate didicerat quid opus esset ad hoc bellum conficiendũ. Hostes similẽ belli rationem existimabant, quæ præcedente

anno

anno fuerat, ad hancque omnia sua parauerant, id quod futurum præuidit Henricus, & accedens ad hostes, simulat idem sibi esse propositum: aliter autem eos aggrediens, perturbat omnes eorum rationes, vincit prælio, capit ducem eorum, eo eos adegit, vt supplices pacem petierint. per conditiones igitur dux est liberatus, & Boemia tributaria imperio facta. Fuit celebris Treueris synodus, in qua multa de pace communi Christianorum egit Henricus Imperator. omnibus omnia in se delicta condonauit, vt paci consuleret. facta est pax per totum fere imperium. Duxit vxorem tertio imperij anno, Agnetem nomine, virginem moribus & forma mirabiliter præstantem, & nobilem; erat enim filia ducis Pictauiensis, qui ex prima nobilitate fuit. Celebrauit nuptias frugaliter, iudicauit enim magis Dominum Deum actus suos matrimoniumque fortunaturũ, si impensas quas exigunt magnificæ illæ stultæ mundi pompæ, iuberet in pauperes elargiri. Paulo post nuptias Godefridus, Lotharingiæ dux, aduersus imperium molitur seditionem. omnibus rationibus solicitans omnes quibus vllo modo causas opinatur fingi posse contra Imperatorem aut imperium. sua enim referre magnopere existimauit minus potentem esse Imperatorem. Iamq; non contemnendã societatem adeptus erat, cum Henricus cognouit eius cogitationes, multi adferebant eius dicta & conatus, maioraq; veris fingebant. Imperator dissimulat se male habere, simulat se omnia contemnere, aliud agere, meliora de hoc duce sperare. Quamprimum vero omnibus Principibus scribit, conuocatque Spiram omnes ceu comitia celebraturus, nec de suo proposito quicquã cuiquam dixit. Quæ ex Lotharingia perferuntur, rapit interpretando in meliorem partem. Venit autem ad conuentum magis armatus, numerosioreq; comitatu; iubet etiam alios imperij principes adducere plures, & armis instructiores. Et ne quis aliquid suspicari posset, etiam iis qui summi erant amici & socij periculorum ipsius Godefridi nunciat, vt comitatiores armatis veniant, nullã addens causam, nisi vt viderent exteri legati, qui venturi essent ex Græcia, quantis armorũ viribus pollerent, cum pacis tempore sic armatos conspicerent. Et quo magis excluderet omnem suspicionem, abbatum, monachorum & episcoporum imbellem (tunc temporis) turbam venire imperat, ceu de religionis negocio multa tractaturus. Conuenit magna equitum, & peditum non parua multitudo. Dux Lotharingiæ comitiarum finem statuit expectare, motus excitatos sedat, exuit se armis, sociis venturis (quos expectabat multos: neq; enim parua res erat, Nortmanni & Galliarum multi proceres conspirarant) renunciat euentũ huius conuentus expectãdum, nihil timens, quam fortassis excommunicationem. Primo igitur consessu expectari Græcos oratores dixit, nihil interea agi posse: sed seorsum vnoquoque principe vocato, propositum suum exponit, & voluntatem singulorum explorat. Sequenti die conuocatis omnibus qui parati cum eo erant quo vellet proficisci, diligẽtiæ suæ rationem reddit (nam multi putabant superuacuum fuisse tanto apparatu ad opprimendum inermem Lotharingiæ ducem) enarrat magnitudinem conatuum eius, & multitudinem sociorum confœderatorum eius: nunc vero intelligere eum exutum armis, nihil opus fuisse tanta cura. Ingrediuntur autem omnes collectim in Lotharingiam, ducem Godefridum captum sempiterno carceri tradit Imperator. Circa hæc tempora erant Romæ tres Pontifices eodem tempore, eorumque nullus eo nomine dignus erat (erant enim omnibus vitiis inquinatissimi) Molestè tulit Henricus tales haberi capita ecclèsię Christi: quam ob causam Romam cum copiis proficiscitur, eo vbi venit, certatim Pontifices muneribus & promissis deuincere Imperatorem conantur. Henricus sciens esse malos viros, nihil adulationibus, nihil donis promissisque mouetur, omnes deponit, pontificatum tribuit Suigero episcopo Babenbergensi, nominatque eum Clementem secundum; qui assumpto pontificatu, coronauit Henricum. Deinde ordinauit Imperator Romæ omnia. Et monet vt caueant, ne postea sic electione sua turbent ecclesiam. Porro eodem tempore Saraceni magnam Italiæ partem vastauerant, aduersus quos ducit Imperator exercitum, in Campaniaque cum eis pugnauit feliciter: modico enim suorum sanguine superauit & fugauit, ita vt vniuersa præda, quam maximam in Italia corraserant, venerit in potestatem Germanorum. Ita rebus magna gloria & felicissimis successibus in Italiã gestis & dispositis, repetit cum valente exercitu in Germaniam. Vbi venit in Germaniam, recta ducit copiarum partem in rebellem Fri-

1048 siam,quam breui obsequentē reddidit. Anno Domini 1048, moritur papa Germanus Clemens:euehiturq; statim a morte huius Boppo Bauarus,qui nominatus est Damasus 2. Hunc Romæ habuisse milites Germanos, armisq; eorum introductū vi,cum electus esset alius ab iis qui id ius habent. Huius pontificatus non mense vno durauit, defunctus est enim vita ex morbo qui veneni suspicionem medicinę peritis præbebat. Romani cum ante mēsem suam electionem irritam fuisse considerarent, Germanósque milites creasse Pontificem, miserunt legatos ad Imperatorem, oratum, vt virum bonum, & sanctimonia vitæ summo pontificatu dignum ecclesiæ quæreret (Sperabant vero Romani Henricum responsurum quod sæpe alias alij Imperatores responderunt, nempe vt eligerent probatissimum ipsi, quibus esset penitior personarum cognitio, & iudicium melius spiritualium rerum exactius) Imperator oblatam plenā eligendi potestatem (contra Romanorum expectationem) arripit libenter, sineq; mora nominat Brunonem inculpatæ vitæ, aperti simplicisq; ingenij hominem, episcopum Tulensem. Qui missus Romam papali habitu, in itinere abbas Cluniacensis, & Hildebrandus quidam facundia insignis monachus, persuaserunt illi, vt deposuerit vestem pontificiam. Dixerunt enim, Henricum non habere ex iure neque diuino neq; humano potestatem eligendi Pontificem; iusseruntq; eum cogitare quid proximo Pontifici Germano accidisset, qui quoq; per milites Germanos contra sancta sanctorū pontificum decreta sit Pontifex factus. vix enim vixisse dies viginti sex in pōtificatu. Breuiter homo simplex & non impius, est inductus, vt abiecto pōtificali habitu, ingressus sit Romam vestitu priuati hominis, & ex ore eius auditū est quod dixit, Se non quærere ocium, & vt vitam in deliciis agat, neq; titillari se vana gloria mundi, quam inanem & nullam cognoscat, sed seruire Domino Deo suo & Christo Seruatori suo, non alia causa Imperatoris autoritatē tam prompte secutum. Quare se paratum esse (addidit, *Gloria & gratia sit Deo meo*) cedere diuinæ voluntati, cuius seruus cupiat esse, etiam quolibet periculo, qualibetq; sui nominis ignominia, modo benedicatur & glorificetur ille qui solus est laudādus, cuiq; soli debetur omnis honor & laus in sempiterna secula. Quę verba magnopere oblectarunt Hildebrandū monachum: quare apud abbatem suum primo, deinde apud episcopos aliquot, adiuuāte abbate, de huius viri sanctimonia multa prædicat, efficitq; per illos quos induxerat in suam sententiā, vt a clero populoq; Rom. vnanimiter electus sit ad pontificatus munus: vocatusq; est Leo nonus. Hildebrādum ob morū & animi similitudinem adeo amauit, vt Romæ retētum cardinalē crearit, nihilq; sine eius consilio fecerit, planeq; vnus animus vnaq; sententia in duobus corporibus extitit. Hic Pontifex post quintū papatus annum est mortuus. Non diu post hęc, rex Vngarorum Aba, Austriam & Bauariam depopulatus est, occisis multis, magnam prædam, innumerabilemq; multitudinem captiuorum abduxit. In Vngariam vbi reuersus est, munit loca quibus fidebat, socios quærit, delectum habet militum: nam facile scire poterat, non sic laturum Imperatorē. Eapropter Imperator consensu & auxilio omnium imperij Principū contractis copiis, Vngariam petit. Inter Vngaros magnę erant seditiones: multi enim regem clanculum odiebant & mordebant; veniente autem exercitu Germanorum, palam illi maledicere incipiebant: quamobrem erat magna ansa oblata Cæsari Vngariam occupandi totam, nisi alia grauioris momenti eum auocassent. Idcirco cum veniissent illi fines Vngarorum iam ingresso obuiam legati, & pacem peterent, facturos quicquid iuberet, modo salua sua libertate & legibus in quibus viuerent, fœdus qualecunque fecit, & magnis Germaniæ ciuitatum & principum impensis frustra consumptis, reducit copias in Gallias, quæ erant in armis. Porro Vngarorum tyrannus Aba post Imperatoris discessum incepit crudelissime sæuire in eos qui aliquid vel dixerant vel fecerant contra se. Quod quidam conspirantes aduersus Abam tyrannum literis significarunt Henrico, petebantque vt veniret, Abam odio haberi ab omnibus Vngariæ, regem vt det, rogant, multa tyrannica facta Abæ enumerant. Inter reliqua scelera quæ perpetrauerat, hoc erat vnum. Inuitauerat ex toto Vngariæ regno viros circiter quinquaginta primæ nobilitatis, & qui ab omnibus optime audiebant nomine prudentiæ & iustitiæ (quales tyranni minime ferunt) simulauitque consilio eorum vsurum: vbi autem conuenerunt, iussit omnes obtruncari. Quibus rebus commotus Cæsar, cum magnis copiis proficiscitur in Vngariam

riam: cui non minorem multitudinem Aba opponit. dumq; aliquod dies vterque captaret tempus locumque pugnæ sibi commodiorem, tãdem descenderunt in æquum campum, vbi primum diu æquo marte per equites quos plurimos habuere in vtraque parte, pugnatum est: vbi vero manus conferere inceperunt peditatus, ecce repentina tempestas exoritur, turboque vehementis venti puluerem plurimum iniicit in Vngarorum oculos, quæ res fecit vt Henricus victor vicerit. In eo prælio periere viginti sex milia, ex quibus vix tria milia fuerunt ex exercitu Henrici. Aba rex ex prælio euasit hostium manus: sed in villa latitans, a suis quos iniuriis maximis affecerat, occiditur. Vngaria vniuersa confluit ad pedes Imperatoris, supplex implorat veniam, petitq; pacem. Quibus Henricus modeste & perbenigne respondet, & summam æquitatem beneuolentiamque ostendit. Regem Petrum quem Aba regno vi eiecerat, restituit, & simultates quæ erant inter Petrum regem & quosdam Vngariæ proceres, tollit; regiq; præscribit viuendi & gubernandi leges, ita vt non magis rex quam præfectus Imperatoris in Vngaria hic Petrus dici possit. Hic Petrus inhumanius violentiusq; in Vngaros quosdam, leues tantum ob suspiciones, animaduertit: quare accidit illi quod plerisque solet euenire qui imperant violentia nimia. Vngari enim conspiratione facta contra regem sumunt arma, ducibus Andrea & Leuenta fratribus, ex nobili genere fortibus viris: quibus ducibus omnes episcopos totumque clerum occiderunt in Vngaria, & professione Christiani nominis abiecta, in variis abominandis superstitionibus vixerunt. regem Petrum in pugna fortiter dimicantem capiunt, & luminibus priuatum ducunt in Albam, ibi mortuus est ex dolore vulneris & animi angustia. Rege superato, dux Andreas coronatur ab Vngaris, appellaturque rex. Henricus magna comparata classe, nauigat in Vngariam, nauibus vehens omnem belli apparatum & commeatum. Obsidens munitissimum castrum Pescha (quod ad Danubij ripam situm est, habetque subterraneum meatum ad fluuium) silente nocte sub aqua natans quidam omnes Cæsaris naues perforauit, submersæque sunt, & perit commeatus & belli apparatus, multitudoque militum non parua. Hæc iactura tantum debilitauit Cęsarem, vt soluere obsidionem, & in Germaniam redire coactus sit. In patriam reuerso Cæsare, decernitur synodus, dies & locus constituitur: sed eam quidam sibi mali conscij impedire conati sunt. Prævalent tandem boni qui rebus ecclesiæ consultum optabant. Habita igitur est Moguntiæ. in ea fuit Papa Leo de quo supra, & Imperator ipse. Quædam de personis ecclesiasticis alendis, quales esse debeant, & de ecclesiæ ritibus sunt in ea synodo instituta. Hac synodo finita, Henricus denuo conscribit exercitum, & in Vngaros ducit, vsusque per omnia secunda fortuna, victor disponit res Vngariæ ex sua voluntate, & consilio Leonis Pontificis, quem vna cum Imperatore in eam expeditionem profectum post Moguntinum concilium, accipimus. Post in Germania Pontifex cum Imperatore multa passim ordinauit in ecclesiis, priuilegiaque vterque dedit ciuitatibus & ecclesiis multis. Eo anno natus est Henricus quartus. Pontifex ex Germania discessurus, Wormatiæ rem sacram fecit in Cæsaris præsentia & magno Principum conuentu; & benedictione apostolica valedixit Germaniæ. Henricus cum Pontifice validam manum Germanorum selectissimorum militum misit Romam, quibus illic factiosorum inordinatos motus comprimeret. Vbi attigit Italiam, nunciatur Leoni Pontifici in itinere, Gisulphum Nortmannorum comitem, Beneuentum vrbem vi expugnasse, suoque regno adiecisse: quam vrbem Henricus secundus donauerat Pontifici Romano. Cum enim cuperet ecclesiam Babenbergensem in cathedralem prouehi, recusauit Pontifex Romanus, qui tum erat Benedictus octauus, nisi ecclesia Babenbergensis Pontifici Romano daret quotannis centum argenti marcas, & equum feretratum album, quo tributum Romanus Pontifex remisit pro accepta Beneuento vrbe. Hanc ergo vrbem Romanæ sedi, postquam audiuit captam, Leo celeriter nunciat Cæsari: sed fidens Germanorum militum manu, quos secum habebat, non expectat Cæsaris auxilium aut responsum, sed ducit suos (quos tam bene armatos & alacres videns, putabat inuictos) quantumuis hosti numero impares, aduersus Gisulphum, confisusque magis autoritate apostolica, pontificiisque benedictionibus, quam arte militari, ipse Leo Pontifex regit suas copias: igitur cum hoste imprudentius congreditur, & capitur a Gisulpho Nortmannorũ comite, qui breui post honorifice reue-

renterque tractatum dimisit Pontificem, comitesque Romam vsque dedit, timens nimirum Henricum. Magna illis temporibus fames Germaniam afflixit, & alias finitimas nationes; quam sequente anno omnium rerum affluentia consecuta est; eiusque anni autumno crudelis sæuiit pestis.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-
QVINTVS.

EO anno mortuus est Henricus, & regio more Spiræ præsentibus proceribus sepultus est. Ante obitum vero filium suum Henricum regem appellauit, Romano Pontifice & omnibus Principibus consentientibus. Ergo puer quinque annorum regnare cœpit; nominatusq; est Henricus quartus. Pater illi moriens commendauit matrem, mulierem prudentem, & timentem Deum, admonuitq; vt consiliis eius vteretur etiam in magnis imperij rebus. Primo pie obsecutus patris voluntati, vsus est matris consiliis; & bene successerunt omnia: sed breui per adulatores & malos nebulones seductus mollis puerilis animus, matrẽ contemnens secutus est eos qui suadebant quicquid illi arridere videbant. Quidam igitur mali adulatores puerum in se conuerterunt, ita vt ratum habuerit quicquid statuerunt. Itaque sua facta & conatus sub pueri prætextu defenderunt; multisq; bonis deiectis, malos euexerunt: multa de imperij iure rapuerunt, multa confirmarunt iniusta. Puer puerilia magis curans, omnia maiora concedebat. facilior erat ad donandum magnas ciuitates, & remittenda tributa, quam ad amittendam quampiam coloribus variegatam sonoram auiculam. omnia literis, & sigillo, nomineque imperatorio corroborabantur. effrænata licentia vbique erat in omni scelerum genere. Postquam vero Imperator adoleuit, creuitque cum ætate iudicium, incepit odisse adulatores per quos erat seductus: nam superstites quidam adhuc erant. Multa reuocauit quæ rerum imperitus confirmauerat. nec impune abiissent qui ætate eius abusi erant, nisi mors pleroſque abripuisset, & reliqui propter extremam senectutem termino suo proximi fuissent. Diffluentem licentiam pessimorum morum compressit, leges bonas & iustitiam exultantem reuocauit quantum licuit. Porro aulici licentia peccandi diuturna corrupti, & malis moribus nobiles assueti, odisse Imperatorem incipiunt, cogitant de alio eligendo, conspirant, calumniis falsis traducunt Imperatorem. Saxones primi contra eum arma sumunt, ex improuiso eum opprimere conati: sed Deo omnium gubernatori optimo aliter visum est. Henricus enim eorum manus euadit, mira celeritate exercitum contrahit, congressus cum illis æquo campo facile sibi mali conscios fugat, diripit regionem eorum autorum, arces ex rupibus altis deiicit, incẽdit castra & vrbes. Pertinaces diu sic passi sunt grassari, neque petierunt gratiam, quanquam se cernerent victos: quare omnes ex patria sua eiecti sunt, in exilio iussu Imperatoris capti sunt: tamen plerique breui liberati rursum coniurant contra Henricum, statuuntque inter se prius mori, quam aut cedere ex sua patria, aut se dare Imperatori. Adiunguntur vero illis quidam ex Longobardis, & ex Sueuis, non pauci etiam ex Francis Orientalibus, & Bauari nonnulli, qui omnes non potuerunt accommodare vitam suam bonis legibus. Coniurant ergo, in Cæsarem ducunt suas copias. Cum autem vident eum instructum potenti animo, ad excipiendum hostem paratum, suis copiis non fidunt: quare mittunt Romam legatos ad Pontificem Gregorium septimum cum mandatis mendacibus, accusant eum grauissime, quicquid detestandorum nefandorumque scelerum fingi potest, illi obiiciunt. Obtestantur igitur eum per omnia sacra, vt sua autoritate iuuet quo alius Imperator eligatur, qui sapientia & grauitate dignus sit tanto imperio. Hunc esse dedecus & maculam non Imperatorum modo, sed hominum omnium, propter abominanda scelera, quæ ipsi nominare non verebãtur, nos nominibus suis appellare prohibet pudor. Pontifex excommunicat Imperatorem, imperat Principibus vt nihil cum illo commertij habeant, absoluit omnes Principes & imperio subiectos populos a iureiurando, nunciatq; principibus imperij vt sint bono animo, se breui in Germania affu-

futurum, interim quieſcant. Henricus Imperator vbi hæc cognouit, obſeruauit in itinere Pontificem, obuiusq; illi exponit vnde ſint illæ lachrymæ, nempe quod homines nimia licentia perditi, recte monentem & ſalutares leges ferre non poſſint; ſuam innocentiam probat. Papa abſoluit eum. Interea temporis electores imperij elegerant Sueuorum ducem Rudolphum in Imperatorem. qui cum vſurpaſſet nomen Imperatoris, mox armis ab Henrico petitus eſt. Rudolphus fugit in Saxoniam, vt illic vires colligeret omnium ſecum ſentientium. Nec dubium eſt, electum hunc Rudolphum conſentiente Pontifice Romano, quia in itinere Papa eum metu abſoluiſſe dicitur: veniebat enim valida militum manu obuiam Pontifici, vt ſi non verbis poſſet, armis extorqueret abſolutionem. Henricus, fugiente Rudolpho, occupat omnia quæ erāt in Sueuia & Bauaria hoſtiū ſuorum. Rudolphus collectis ſuæ factionis vniuerſis viribus, obſidet Herbipolin; Cæſar cum ſuis copiis eodem contendit. Erant exercitus multitudine fere pares. Principes qui erant ex factione Rudolphi, per inſidias multos ſubornarant, qui ad Henricum ſe contulerunt, & militarunt cum eo. vbi igitur ventum eſt ad pugnam illi ſubintroducti quidam verterunt tergum, quidā verterunt arma in proximum quemque, horum proditorum periurorum multi erant in equitatu: idcirco equitatus prius quam peditatus in fugam actus eſt. nec diu confuſi & perturbati pedites, conſiſtere potuere. Henricus Imperator vulneratus euaſit cum equitibus. Rudolphus potitur victoria & vrbe. Henricus animi conſtantis & infracti vir reparatis copiis, repetit Herbipolin, eiectisque præſidiis, recipit eam. Recepta vrbe ſine mora proficiſcitur in Saxoniā, cui opponit ſe Rudolphus non abiecti animi homo. Multis pręliis multoque Germanorum ſanguine productum eſt per totam æſtatem bellum in Saxonia, poſtremo maiore reliquis prælio ſuperauit Henricus. Amputata eſt Rudolpho pertinacius pugnanti in eo prælio manus dextera; quam oſtendiſſe ferunt vbi fuga elapſus eſt, epiſcopo ſuo, cuius impulſu rebellarat Cæſari; & obiurgaſſe epiſcopū propter impium & malū conſilium, & dixiſſe, Hæc eſt manus qua ego periuraui Henrico domino meo; ex animoque pœnituiſſe eum. Ex eo vulnere & animi dolore mortuus eſt Rudolphus. Porro nec poſt mortem Rudolphi petiere Saxones pacem aut gratiam, ſed peruicaces alium eligunt, & nominant regem Romanorum, Hermānum nomine, armorum peritia & robore animi ſimul & corporis præſtantiſſimum virum, ſed paulo poſt electionem e Saxonia expulerunt, cauſæ non ſunt, quod ſciam, proditæ ab hiſtoriographis. Hic fugit ad Treuerenſem epiſcopum, a quo exceptus eſt propter militares virtutes. Exploraturus quam animoſe quidam in arce vellent hoſtem repellere propugnando, cum opus eſſet, aſſumptis aliquot ſociis, ceu expugnaturus accurrit ad caſtri portas, ibi ictu lapidis qui ex arce miſſus eſt a muliere, perit. Saxones in propoſito perſiſtunt donec ad extrem raritatem ſunt redacti. Autores rebellionis qui non fuga conſuluerunt ſibi, omnes occiſi ſunt. Pontifex Romanus multis viis palā & clam Henrici res impedire conatus eſt per aliquot hos annos, ſæpe eum excommunicauit, ſæpe abſoluit. Fama enim exierat de hoc Henrico eum eſſe parum æquum ſacerdotum generi, & factis multis contra eccleſiaſticos teſtatus eſt. Qualis in eum Papa fuerit, hæc verba Bullæ in Germaniam contra eum miſſæ teſtantur abunde, quæ ſic habent, Henricus qui cornua & calcem contra eccleſiam Dei nimium ſuperbe erexit facta coniuratione cum multis Romanæ ſedis inimicis in Italia, Gallia & Germania; qui fractus potius quam ad ſanitatem reductus, ad me in ciſalpinam perueniens, abſolutionem anathematis ſuppliciter quæſiuit, hunc ego quem ad pœnitentiam veniſſe crediderat in gratiam recepi. huic tantummodo communionem reddidi, non tamen in regnum ex quo eum in Romana ſynodo merito depuleram reſtitui, nec vectigalibus regni, vt ad fidem redirent conceſſi. Hoc ideo feci, vt ſi redire in gratiā cum finitimus ſuis quos ſemper vexauerat, differret, reddereque res cum eccleſiaſticas, tum perſonas ex fœdere abnueret, cogi ad officium execrationibus & armis poſſet. Hac opportunitate adiuti quidam Germaniæ epiſcopi & Principes ab hac fera diu vexati, in locū Henrici ſuis flagitiis e regno cadentis, ducem Rudolphum deligunt, qui regia modeſtia & integritate vſus ſtatim nuncios ad me miſit, a quibus intelligerem ſe coactum regni gubernacula ſuſcipere, non eſſe tamen adeo regnandi cupidum vt non malit nobis, quam regnum pollicentibus obtemperare. Futurum ſe in Dei poteſtate ſemper ac noſtra.

Idq; vt arbitraremur nos facturum, filios obsides pollicitus est. Stomachari tum Henricus cœpit, & nos primo quidem precari vt Rudolphum ab occupatione regni execrationibus propelleremus. Dixi me velle videre cui ius competeret, & eo missurum nuncios, qui rem omnem resciscerent. Vetuit Henricus quo minus res a legatis nostris decerneretur, multosq; tum seculares, tum ecclesiasticos interfecit, ecclesias diripuit, & prophanauit, hanc ob rem fidens in Dei iudicio & misericordia, fultus etiam autoritate nostra, ipsum Henricum eiusq; fautores vinculo anathematis colligo, atque iterum regiam ei potestatem adimo, interdicoq; Christianis omnibus illo iuramento absolutis, quo fides regibus dari solet, ne Henrico vlla in re obtemperent, Rudolphum quem Germaniæ proceres delegerant, suscipiant, &c. Paulo post in eadem bulla subiungit, Agite igitur Principes, & quod dixi, vestra autoritate interposita confirmate, &c. Post pauca sequitur in Bulla, Hoc autem iudicium cito in Henricum exercete, vt intelligant omnes iniquitatis filij, non fortuitu, sed vestra opera eum regno cedere. Velim insuper vt a Domino gratiam consequatur, vestris monitis ad pœnitentiam inductus. Actum Romæ Nonis Martiis. Fuerunt præterea aliæ discordiarum causæ inter hunc Henricum & Pontificem Romanum. Nam Imperator beneficia & prælaturas ecclesiarum contulit, quibus placuit, non expectata apostolica e Roma autoritate. quod permoleste tulit Pontifex, aduersus iura ecclesiastica hæc fieri dictitans. Sæpe admonuit Henricum vt ab illa intoleranda ecclesiæ præsumptione desisteret, ecclesiæ suum ius relinqueret, non poneret manus in cœlum. Cum vero pertinaciter Henricus in proposito pergeret, omnes apostolicas e Roma siue per literas, siue per legatos venientes admonitiones contemneret, cogit Papa Romæ frequentissimam synodum episcoporum & reliquorum prælatorum ecclesiasticorum. In quo concilio multa de potestate Papæ sunt statuta & confirmata, vt seruentur perpetuo apud omnes Christianũ nomen profitentes. Henricus denuo ceu hostis persecutorq; ecclesiæ excommunicatus est. Hæc synodus anathematizauit eas quoque ecclesiasticas personas quæ de manu alicuius secularis (sic enim loquuntur) personæ acciperẽt, aut vnquam accepturæ essent inuesturam, vt est scriptum quæst. 16 cap. 7, quod incipit, Si quis deinceps. Quo loco paulo inferius scribitur, Si quis Imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum vel quælibet secularium personarum inuesturam episcopatuum, vel alicuius ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se esse obstrictum sciat, &c. quæ in bulla scribuntur. In hac quoque synodo excommunicati sunt simoniaci & fornicatores sacerdotes omnes, & prohibitum plebi ne ad scortatorum sacra accedat, & vxores sacerdotibus ademptæ. Hoc ita habere testatur breue apostolicum ad Constantiensem ecclesiam scriptum, quod ita ad verbum sonat, GREGORIVS episcopus seruus seruorum Dei, clericis & laicis maioribus atque minoribus in Constant. diœcesi constitutis salutem & benedictionem. Misimus fratri nostro episcopo vestro Othoni literas exhortatorias per quas pro nostri necessitate officij apostolica autoritate iniunximus illi, vt simoniacam hæresim de ecclesia sua penitus excluderet, & castitatem clericorum studiose prædicãdam susciperet: sed episcopus vester neque beati Petri reuerentia præcepti, neque officij sui sollicitudine attractus, vt nobis relatum est, quæ paterne suaseramus perficere curauit, & vt non solum inobedientiæ, verumetiam rebellionis offensam contraheret, quemadmodum accepimus, palam clericis suis iussioni nostrę, imo verius beati Petri omnino contraria permisit, ita vt qui mulierculas habuerant, retinerent; & qui non habebant, illicita temeritate subintroducerent. Quod vt audiuimus, molestę ferentes, alteram ei scripsimus epistolam indignationis nostræ motus ostendentes; quinetiam ipsum ad synodum Romanam aduocauimus, vt rationes reddat, & inobedientiæ causas, si rationabiles fuerint, in audientia totius conuentus exponat. Hæc ideo filij carissimi vobis nota facimus, vt saluti vestræ consulamus: si enim fronte aperta episcopus vester repugnans & contumax esse studuerit, indignum est vt præsit, &c. Quapropter omnibus sicut prædiximus, Deo & beato Petro obedientibus apostolica autoritate præcipimus, si in obduratione sua persistere voluerit, nullam ei obedientiæ reuerentiam exhibeatis, neq; id animæ vestræ perniciem esse puretis. nam si præceptis apostolicis voluerit esse contrarius, ab omni illius subiectionis iugo beati Petri autoritate vos absoluimus, ita vt si etiam sacramenti obligatione quilibet ei fuerit ob-

obſtrictus, quam diu Deo ac Sed. Ap. rebellis extiterit, nulla illi fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Sunt autores qui dicunt epiſcopum illum Conſtantienſem omnino infenſos habuiſſe ſcortatores, patrocinatumque coniugio ſacerdotum. Romam inuitatum non veniſſe ad ſynodum, timuiſſe enim ne ſententia ſua locum non habuiſſet. Sunt præterea alia multa pontificum decreta contra fornicationem pro caſtitate ſeruanda ſacerdotibus. Et propter hanc cauſam congregata eſt ſynodus Erdfurdiæ ab epiſcopo Moguntino, cuius ſacerdotes abhorrebant ab hac pontificia cõſtitutione (plerique enim habebant vxores, aut ſenes iam aliquando habuerunt) & contra afferebant ex euangelio & Paulo, naturalique Dei inſtitutione. Et plane erat epiſcopus eiuſdem ſententiæ: ſed magis diſſimulare metu pontificiæ autoritatis coactus eſt; nam idem quod Conſtantiam ſcripſerat etiam Moguntinæ eccleſiæ Papa. In primo ſynodi conſeſſu proponebatur breue apoſtolicum, quod imperabat imperioſiſſime, vt omnes ſacerdotes aut coniugium, aut ſacerdotium relinquerent, hocque ſine omni tergiuerſatione facerent, ſine mora: alioqui non ſolum excommunicationis ſententiam latam obſtinate inobedientes expectarent, ſed etiam animabus Satanæ traditis, corpora ſuppliciis afficienda ſeculari poteſtati traditurum dominũ Papam. Sacerdotes omnes vno conſenſu reſpondebant, ſe ſua omnia ſubiicere iudicio eccleſię, nec ab ea vnquam diſſenſuros, modo non aperte contra Domini inſtitutionem faciat. coniugium cui eſſent diuina inſtitutione fideque data obſtricti, deſerere aut abiurare non poſſe. nec minus poſt fidem datam ſacerdotio ſe miniſterio altaris abdicare poſſe. Et multa pro coniugio aduerſus coactum cœlibatum adducebant, & quo quiſque vir melior, aut ſacerdos ſanctior, hoc pluribus vehementius repugnabat. Epiſcopus dicit ſe cogi apoſtolica Romanæ ſedis authoritate ad hanc exactionem. nec quenquam ſperare debere, quod argumenta ſupplicationesque aliquid hic mutare poſſint. Romæ eſſe hoc decretum in ſacroſancta Pontificis, cardinalium, & epiſcoporum ſynodo frequentiſſima. Poſt epiſcopi reſponſionem & excuſationem, ſacerdotes inter ſe conſultauerunt. Inter varias ſententias prævalebat illorum qui cenſebant, vt ſpacium conſultandi peterent, quod ſi illud negaretur, nihilominus domum quiſque rediret, nec reſponderent vxoresne, an altaris miniſterium deſerere vellent. Epiſcopum ſententiam execrabilem non promulgare auſurum, cum ipſi vnanimes concordesve ſint, prius Romam argumenta ſua miſſurum, ſaltem rem ita differri poſſe ſine periculo: Epiſcopus cum videret omnes vnius animi vniusque vocis eſſe, non audet contra mutire, timet enim propius periculum magis quam remotum, quod a Pontifice expectandum erat; nam ſacerdotes potuiſſent eum cathedra epiſcopali deturbare. Quare iubet vt quieti ſint, nihil in vulgus ſpargant, aliquidve in Pontificem Romanũ ſeditioſe dicant: ſe cum aliis epiſcopis conaturum D. Papam ab huius ſententiæ auſteritate abducere. Sic ſoluta eſt hæc ſynodus. Anno Domini 1074. Negocium ita dilatũ eſt in annum 1074
ſequentem. Frequentes Bullæ, frequentes nuncij e Roma veniebant eo anno, quibus ira Pontificis in non obtemperantes ſacerdotes ſignificabatur, & minabantur epiſcopo & clero Moguntino anathemata & execrationes. Quare ſtatim poſt annum ſynodus eccleſiæ Moguntinenſis diœceſis eſt congregata in vrbe Moguntia. Aduenichant etiam alij eccleſiaſtici prælati, inter quos erat Curienſis epiſcopus, qui linguæ facundia vir potens erat; veniebant autem, vt cauerent ſchiſma eccleſiæ, quod præuidebant futurum ex ſacerdotum Moguntinæ eccleſiæ contentione cum Romano Pontifice: aderat etiam apoſtolicus ex Roma legatus cum bullis pontificiis, quæ continebant horrendas minas, niſi ſtatim abſque vlla diſputatione & tergiuerſatione aut vxores repudiarent, aut ſe miniſterio altaris abdicarent. Hoc cum epiſcopus vrgeret Moguntinus (contra tamen ſuam voluntatem & conſcientiam, quod non ſemel tantum faſſus eſt) vrgeret epiſcopus Curienſis & alij qui aderant, vt inducerent ad obedientiam clerum eccleſiæ Moguntinenſis, quidam audacioris ſpiritus (quanquam prohibitum erat mandato domini Papæ, & viua voce legati apoſtolici Romani) contra ſententiam Romanæ ſedis, multis magna voce diſſerebant: nonnulli, pauci tamen, vel timentes famem, ſi eſſent ſacerdotia relinquenda, vel alioqui non amantes vxores, libenter vxores concubinis commutantes, reſponderunt ſe eccleſiaſticis conſtitutionibus ſacroſanctæ ſynodi obtemperaturos. Ho-

rum quidam poſtea clam vſi ſunt vxoribus ſuis, retinuereque ſic vxores & ſacerdotia: ij vero qui ſuas vxores non amabant, vel cum ancillis ſuis, vel cum adulteris mulieribus, quas multas ipſi fecerunt, vel cum vulgari immunda meretricum turba conſuetudinem habuerunt loco vxorum. Ii autem, qui contra præſtitam fidem vxoribus, & aduerſus Dei conſtitutionem, putabant ſalua conſcientia Dei præcepto deſpecto, hominum conſtitutionibus obſequi non licere, nihil aliud reſponderunt, quam ſententias ex ſcriptura, & diſputando moleſti apoſtolico legato fuerunt, qui occluſerat aures ſuas ad eorum argumenta. Itaque mandatum eſt illis, vt relictis ſuis, quibus præerant eccleſiis, alio ſe conferrent, ne turbarent eos, qui in eorum locum eſſent mittendi: ſi quis aliter faceret, excommunicationem animæ ſimul & corporis interitum præſentiſſimum expectaret. Sed ſacerdotum illius eccleſiæ maior pars (neſcio qua fiducia) obdurata, domum reuerſa apud plebem, ſuam cauſam ex ſuggeſtu contra Pontificem Romanum egerunt, & quod diu alius ab alio audierat de matrimonio ex bibliis, ſinguli plebem ſuam docebant, refellentes opinionem domini Papæ, quam odioſiſſimis nominibus appellabant. Hæcque prædicarant quum primum veniebant domum, per aliquot dies, continuis quatuor aut quinque horis. nam ſciebant illis non diu locum fore concionandi, niſi populum pararent, vt nouam e Roma venientem opinionem non admitterent. Nec pontificij non intelligebant periculum; quare excommunicationibus fulminabant, publicantes latam ſententiam ab apoſtolica ſede profectam. Parochi autem vbique occuparant ſua doctrina animos vulgi, nihilque mouebantur bullis Rom. nihil minis, nihil execrationibus. quod vbi animaduerterunt pontificij, aliquot præſtantiores diuerſæ partis captos interfecerunt, hoc exemplo alios deterrere volentes: ſed longe aliter accidit, quam ipſi opinabantur, ſupplicio enim affectis, quos ipſi bonos & Deum timentes viros, veritatemque defendentes iudicabant, inceperunt omnem poteſtatem & autoritatem Romanæ ſedis contemnere, male de ea loqui, & quicquid Pontifici Romano intelligebant placere, illis ſuſpectum erat, conſpirabantque multi cum eis etiam ſub aliis epiſcopatibus, donec tanta multitudo non ſolum in Germania, ſed etiam in Gallia in eam contra Romanum Pontificem ſententiam adducta ſit, vt impune vbique & facerent & dicerent contra ſedem apoſtolicam Romæ: nam erant etiam Principes in ea factione. Henricus conniuebat ad hæc, imo grata illi erant, quam minimam enim optabat autoritatem Pontificis, a quo excommunicatus erat: quæ diſſenſio Imperatorum & Pontificis in cauſa fuit, vt diutius & latius ſparſum ſit dogma illorum, qui diſſentire auſi ſunt a Pontifice. & ſynodo Romæ rite congregata, ritus eccleſiarum mutabant, ſacerdotes non vxoratos obſeruabant, deprehenſos in ſcortatione ſententiis ex bibliis & Pontificum conſtitutionibus confutabant, & accuſabant palam coram populo, conferre iubebant ſcortatorem meretricis ſatanæque membrum, & maritum caſte viuentem & liberos iuxta Dei inſtitutionem educantem. Breuiter erat magna illo tempore in eccleſia occidentali turbatio, cœlum miſcebatur terræ. Atque hæc diſcordia fecit, vt multi orientali eccleſiæ acceſſerint. Dominus abſque dubio iudicabit hypocritam & iuſtum, retribuetque vnicuique iuxta opera ſua: noſtræ modeſtiæ & anguſti captus eſt interim ſententiam ſuſpendere, & orare ſimplici humilique corde Dominum, ne cæcitatem & errores immittat in populum ſuum, propter peccata. Id quod ſæpe factitaſſe legimus. His temporibus multa in Germania prodigia acciderunt: Conſtantiæ peperit mulier puerum, bina capita, quatuor manus, totidemq; pedes habentem. Terræmotus in multis extitere locis, &c.

Henricus igitur partibus Pontifici Romano aduerſis fauebat, & arte & conſilio aderat: Conradus vero exequebatur vi Pontificis placita. Henricus fluctuanti & perturbatæ eccleſiæ conſulere volens, cogit concilium Brixiæ, quæ eſt vrbs Norica, conuocat autem omnes epiſcopos & abbates ſecum ſentientes aduerſus Gregorium Pontificem. In eo concilio abſentem Gregorium a ſede apoſtolica depellebant ſuis decretis vt eccleſiæ turbatorem & veſanum monachum (nam monachus ante pontificatum fuerat) in eius locum eligebant archiepiſcopum Rauennatem Guibertum nomine. Recenſebo autem eius decreti verba quæ ſic habent, Quia Gregorium illum conſtat non a Deo electum, ſed a ſe ipſo in fraude & pecunia impudentiſſime erectum, qui eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani imperij perturbat regnum, qui

regi

regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordes ſeminat diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter coniuges diuortia (loquitur hic de ſacerdotum coniugio) & quicquid quiete inter pie viuentes ſtare videbatur, concuſſit, Nos authore Deo congregati in vnum, legatis ac literis freti epiſcoporum decem & nouem, die ſancto Pentecoſtes, Brixiæ congregatorum, contra eundem Gregorium procaciſſimum, ſacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, catholicam & apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum diſcipulum, diuinationum ac ſomniorum cultorem manifeſtum, necromanticum, pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, iudicauimus canonice deponendum & expellendum, niſi ab ipſa ſede, his auditis, deſcenderit, in perpetuum condemnandum. Acta autem ſunt hæc ſeptimo Calend. Iulij, indictione tertia. Porro in eadem ſynodo mutarunt nouo Pontifici nomen, vt mos eſt, & eum appellarunt Clementem (erat enim inter Imperator. & Pontificem Gregorium magna inimicitia) Hoc decretum per nuncium Romam miſſum eſt, & ſane incredibiliter terruit Gregorium totamque Romanam curiam: erat ſpes tamen magna in Rudolpho. Statim poſt hoc concilium bellum illud contra Rudolphum per Henricum eſt geſtum, in quo vulneratus perit Rudolphus, vt iam ante dictum eſt. Hoc nuncium ergo breui ſecutum eſt Romam illud de decreto. Maior ergo pauor mentes Pontificis & Romanorum concuſſit. Et acceſſit aliud quod non leuius animos pontificiorum afflixit. Henricus enim filius Imperatoris Henrici quarti, quem pater cum Germanorum copiis in Italiam miſerat, vt amicos ſociósve retineret in officio, & hoſtibus ſicubi opus eſſet, reſiſteret, & ſi videretur, etiam inuaderet, non paruo prælio vicit hoſtes, qui ære Pontificis merebant. Facile verbis conſequi non eſt, quam poſt illa incommoda Pontifex & omnes qui ſenſerant cum eo, aduerſus Imperatorem animo deiecti fuerint: proſpiciebant enim iamiam Henricum cum ſuo Papa adfuturum, & vlturum ſe. Paucis poſt diebus nunciabatur Romæ aduenire Henricum cum infinitæ multitudinis copiis. Romani igitur munire portas, muros, conuehere commeatum, delectum habere militum, ſolicitare & excitare quoſcunque potuerunt, in Cæſarem. Vngaris multa promittere vt inuadant Germaniam, apud Gallos nihil intentatum relinquere, &c. Henricus venit ad mœnia Romana eo die poſt annum, quo decretum fuit illud Brixiæ contra Gregorium, nempe die Pentecoſtes; obſidione igitur vrbem conatur premere; ſed videns omnia tam diligenter prouiſa, vt a timidis fieri conſueuit, vt nulla omnino ſpes capiendi eam eſſet inpræſentiarum, cum ſuo clemente Pontifice Rauennam profectus eſt. Anno proximo poſt rurſum venit ad Vrbem inuadendam, paratior ad producendam obſidionem, qua diuturna ad vltimam famem eos adegit. Inceperant in Vrbe qui Imperatori Henrico fauebant, palam illius partes defendere, deſciuerunt multi ad eum ex Vrbe & reliqua Italia quæ Papæ erat. Diſcordantibus igitur intra mœnia animis, paucisque fideliter ſuum locum defendentibus, vi expugnauit. Populus Imperatori acclamauit, ſeſe illi commendauit, in illius laudem & gloriam cecinit. Pontifex videns ſe a populo deſertum, rimam fugæ nullam eſſe, cum cardinalibus in caſtrum ſancti Angeli confugit. Caſtrum militibus ab omni parte circundatur, nullumque ſpacium egrediendi aut ingrediendi relinquitur. Cum vero Pontifex diutius ſuſtinuiſſet obſidionem, Romanis committit Henricus vt diligenter cuſtodiant, & omnibus viribus ad deditionem nitantur eum adigere, ipſe ad reliquas ciuitates pontificias in Italia expugnandum cum exercitu Roma diſcedit. Pleriſque igitur ex ſententia ſua ſubiugatis (quoniam facile ſe dabant, poſtquam audierant quo loco eſſent res ſedis Romanæ) Romam redit, cum quibuſdam ſuis Pontifex fuga elapſus eſt, conniuentibus Romanis. Romani ergo dediderunt ſe Henrico qui cum ſuo Pontifice, epiſcopo Rauennate, magna pompa & fucata Romanorum lætitia intrauit Romam. Clamabat omnis populus eccleſiaſticus & ſecularis, *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.* Statimque poſt glorioſiſſimum introitum, conſecratus eſt ex more Pontifex, per cardinales & epiſcopos, mox a Pontifice inthronizato (vti enim liceat ſtylo Romanæ curiæ) coronatus, & Imperator Auguſtiſſimus appellatus eſt Henricus quartus. Hoc loco diſſenſerunt authores, ſed ſuperſtitioſius excute-

re nobis, opinor, non eſt neceſſe, cum ad Romanam ſedem magis quam Germaniam, pertineant. Hæc dum Romæ acta ſunt, in Germania & Galliis diſcordia maxima fuit in eccleſia. quare Cæſare in Germaniam reuerſo, concilium Moguntiæ habitum eſt, in quo Henricus multitudinem ſequens acceſſit eis qui ſacerdotum coniugium ſublatum volebant. Quare reſiſtentes ei opinioni condemnati ſunt. In hac Moguntina ſynodo pax in Germania eſt conſtituta. Saxones quoque volentes imperio obtemperaturos ſe, promiſerunt, Cæſaremque agnouerunt Henricum. Multi viri bene animati & expectantes ſalutem animarum ſuarum in his turbationibus & contentionibus ſe e mundi vanitate eo tempore in monaſteria contulerunt, in quibus fuerunt Principes quidam viri. Quamobrem monaſteria quędam tunc ſunt fundata. monaſterium quoque S. Georgij in Hercynia ſilua tunc eſt cœptum ædificari. Item monaſterium ad duplicem aquam Germanice *Zwifalten*, & alia. Loquimur autem de ætate annorum a
1083 natiuitate Domini 1083, & 1084, &c. Circa idem tempus Henricus 4 Sueuiam in-
1084 humaniter afflixit, quod ſibi elegerant regem dum ipſe abeſſet in Italia; Auguſtam vrbem vero præcipua clade affecit: cuius exemplo reliquæ territæ vrbes obtemperabant Imperatori; nec quiſquã res moliri nouas audebat. Hoc tempore Friderico duci Sueuiæ Imperator dedit vxorem filiam ſuam Hagnem, ex qua Henrico genuit duos nepotes, nominibus Fridericum, & Conradum, qui poſtea Imperator factus eſt. Hæc Hagnes mortuo primo marito Friderico, nupſit Marchioni Auſtrio Luipoldo, eúmque parentem fecit quatuor filijs, & filiabus tribus. Peperit enim illi filios Luipoldum ducem Bauariæ, Conradum archiepiſcopum Salſoburgenſem, & Henricum ducem Auſtriæ. Henricum ferunt rurſum cum Germanorum copiis Italiam ingreſſum, & ſeditionum quæ plurimæ Rempublic. imperij turbabant, autores puniuiſſe, & Saracenorum graſſantium in maritimis locis Italiæ ferociam compeſcuiſſe. Poſt reditum vrbem Auguſtam obſeſſam & afflictam ante, nunc proditione capit. Anno eodem
1089 qui fuit 1089, Rutenorum regis filiam duxit vxorem. Hoc tempore Pontifex Romanus in ſynodo frequenti contra Henricum decernit multa (nam Clemens quem Henricus Pontificem fecerat, mortuus erat) quæ non laturus Imperator, conſcribit exercitum; & in Galliis magni motus & mortalibus multis exitiales. Qua diſcordia principum fretus Turca, ſuum propagat imperium, Chriſtianorum magnam multitudinem trucidat, & abducit in ſeruitutem quolibet mortis genere duriorem. Eodem tempore quoque miſere ab hoſtibus fidei afflicti ſunt qui Hieroſolymis erant Chriſtiani. Pontifex igitur (qui tum erat Vrbanus ſecundus) ſtudet in gratiam redire cum Imperatore, conciliatque alios Principes, docet periculorum a Turca magnitudinem & præſentiam. Decernitur igitur expeditio in Turcam qualis antea nunquam fuerat. Aliæ nationes aliis itineribus ibant, Germani, de quibus loquimur in præſenti opere, ducuntur per Gualterum Sueuiæ ducem, deſcendentes per Vngariam, in Bulgariam primo, deinde Conſtantinopolim veniunt. Conſtantinopoli ſtatuit Gualterus expectare ſocios ex reliquis nationibus, qui erant ingens exercitus. Conſtantinopolitani omnem humanitatem oſtendebant noſtris militibus, ducibus munera dabant. Poſt paucos dies, veniunt copiæ ex Galliis, Hiſpaniis, & Italia. Coniunctis igitur omnibus vna viribus nauigant per Helleſpontum in Bithyniam, quæ in Aſia eſt. Commeatus abunde ſequebatur a Conſtantinopoli, vſique ſunt ventis ſecundis. In Aſia caſtrametati ſunt, intellexerunt enim hoſtem non longe abeſſe, & primis quidem diebus cauti pabulatum & frumentatum a caſtris receſſerunt non longe, paulatim longius abierunt & plures, minoríque cura: cum ſic per menſem totum (nam commorati ſunt eo in loco duos menſes) nullum viderent hoſtem, ſemperque impune præda onuſti venirent, auſi ſunt tandem per decem miliaria ſine metu pererrare regiones illas, armenta & greges ad exercitum agebant. Poſtremo circiter tria millia Germanorum peditum, & duo milia equitum longius progreſſi, a duce Turcarum Solimano (qui ita ex dolo hactenus graſſari paſſus fuerat, eos vt negligentes redderet) circumuenti & omnes ad vnum trucidati ſunt. Qua clade audita, vulgus in caſtris furere, arripere arma, magiſtratus monentes caute & prudenter, non temere agendũ, furore nihil effici, ratione opus eſſe, non audire. Quare fræna remittere duces coacti, inſtructa acie peditum viginti quinque millium, equitum quatuor millium, aduerſus

sus hostém contendunt. Solimanus infinita multitudine venientes excipit, pugnatur diu a nostris acerrime, sed nimia multitudine circumfusi, fere omnes occisi sunt. Occubuerunt multi nobiles in eo prælio, inter quos Gualterus, Sueuus dux, occisus est. Hæc negligentiam & inobedientiam mala consecuta sunt. Circa hæc tempora Godescalus presbyter teutonicus cum 15 millium copiis Iudæos per Germaniam passim cogebat profiteri Christum, aut occidebat. Incepit autem in Francia Orientali. Postea in Vngaria cœperunt Iudæos quoque persequi, rexque Vngarorum persuasus pium opus hos facere, non restitit. Cum igitur illi Godescali milites onusti essent præda, & superbirent in diuitiis quas Iudæis rapuerant, quotidie ebrij, & petulantes, nullúmque modum tenentes, etiam iniuria afficientes alios non tantum Iudæos, rapiebant enim maritis vxores per vim, stuprabant virgines ciuium. Quod cum rex videt, irascitur, cogit copias, illos comessando, potando, ludendoque occupatos trucidat fere omnes, & Iudæorum facultatibus potitus ipse. Hic finis fecit vt Godescalus malus hypocrita iudicatus sit a plerisque. Quod huic sub prætextu religionis successerant rapinæ, paulo post alij insurrexerunt eodem rapiendi proposito, autor eius factionis erat Emicho comes de Lyningen, homo factiosus, & rapinis assuetus. Primum quoque tantum Iudæorum hostes volebant videri, sed quid in animo habuerint, postea est cognitum. Reliquias ergo Iudæorum per Germaniam misere afflixerunt: vbi vero ad fines peruenerunt Vngarorum, ad locum *Zaborth*, inuenerunt iter quo transeundum fuit, clausum, idque imperante rege fuit factum. Emicho multitudine confisus, ponte facto per transire flumen conatur vi, præsidia regia adoritur, munitiones oppugnat. In tantam fiduciam erant adducti, vt inceperint tractare, quomodo vellent regnum inter se diuidere, quis in regem eligendus sit. Et dum ita inter se consultant, disputant, & contendunt, ecce Vngari ex improuiso erumpunt, & plurimos ex eis occidunt, quosdam capiunt, pauci fugæ debebant vitam. Vt autem redeã ad expeditionem contra Turcas susceptam. Vbi audiuit Constantinopolitanus Princeps nostrorum cladem, Solimani vero prosperitatem, multa agere cœpit contra nostros, illis qui præcesserant, quos diximus in Asia castrametatos, & fere 20 milia amisisse, præripuit commeatum, sequentes impediebat, Hugonem fortem heroa, fratrem regis Franciæ, per insidias & dolum captum in vincula coniecerat, Solimanum hoc modo sibi conciliare voluit. Sed fortissimi viri ex Galliis & Germania cum copiis secuti, vbi cognouerunt Hugonem ducem exercitus Gallorum captum, celerrime miserunt nuncios ad Imperatorem, qui peterent, vt quos sine omni iure in vinculis teneret, dimitteret. Id Imperatore negante, sine cunctatione omnem circa Constantinopolim regionem diripuerunt, ita plebi, vt solet fieri, delicium Imperatoris sui deuorandum fuit. Tandem etiam sibi timere incipiens in vrbe, dimisit Hugonem & quos cum eo in custodia habebat. Nec dum hic Alexius (hoc Imperatori nomen erat) cessauit moliri quicquid aduersus nostros facere putauit. Id non ferentes nostri multas ciuitates ditioni eius subiectas occuparunt, iura, leges, & incolas mutabant. Vbi Alexius nostrorum potentiam & alacritatem videt, & præsens suum discrimen, petit pacem, opem suam contra hostes pollicetur, magna munera nostrorum ducibus mittit. Nostri vtendum in præsentiarum homine hoc iudicabant, quanquam non ignorabant fraudulentum & versutum hominem esse, omnia ex falso animo facere, &c. Conuenerunt ergo in Bithynia omnes copiæ, quæ numeratæ, inuenta sunt peditum millia sexcenta, equitum centum millia. Ij vniuersi primum vrbem Niceam populi frequentia, opibus, munitionibusque incomparabilem, obsidione circumdederunt. Solimanus Turcarum Princeps coacto vix credibilis multitudinis exercitu, celeritate mira longis itineribus confectis, aduenit auxilium laturus vrbi laboranti. Prælium est commissum, a matutino tempore vsque in noctem est pugnatum, Turcæ verterũt tergum, in fuga occisi sunt plures quam in prælio, riui sanguine fluebant, ducenta milia desiderata eo prælio fuerunt, sed multo maior numerus Turcarum occisorum fuit. Post pugnam vrbs expugnata & direpta a nostris est. Solimani vxor & liberi in ea fuerunt, & periere. Solimanus vir fortis ira succensus ob pulcherrimam vrbem, vxorem, liberosque amissos, videns se collectis illis ob virtutem eorum non esse parem, obseruat occasionem tempúsve quo diuisos aggrediatur. Nec eius consilium & expectatio vana fuerunt. Nostri enim post

tantam ſtragem Solimanum non timentes, diſiuncti per aliquot miliaria copias ducebant. Quoſdam igitur qui longius proceſſerant a ſociis, Solimanus aggreſſus inopinato fugat interficitq; multos. Quod vbi ad noſtros peruenit, ſtatim coniuncti in hoſtem feruntur, & vincunt. Solimanus fuga vix tutatus eſt vitam ſuam in eo prælio. Ex noſtris maxime Germanis periere multi acutis febribus. Progreſſi hinc in Piſidiam peruenerunt, omnia in itinere ſubiicientes. poſtq; longas itinerum maris & terræ ambages Antiochiam peruenerunt, quam vrbem obſederunt menſibus octo; quo tempore multa incommoda paſſi ſunt, oppidani enim dolis & artibus multis inſtructiſſimi plurima damna noſtris intulerunt, ſæpe intempeſta nocte, facta eruptione, nõ ſine multa noſtrorum cæde repulſi in vrbem ſunt. Ex vicinia omnia ante noſtrorum aduentum erant in vrbem vecta: eoque homines ſe contulerant cum ſuis facultatibus omnibus. Hinc factum eſt vt noſter exercitus magna laborarit fame. Cumq; iam de obſidione ſoluenda cogitaſſent, nulla ſpe capiendæ vrbis apparente, diſceptatio inter exercitus Principes eſt orta, aliis volentibus obſidionẽ producere, aliis cum nullam ſpem viderent, nolentibus manere. Fuit in exercitu Boëmundus Tarentinorum Princeps, qui ſpem per proditionem expugnandæ vrbis fecit, idcirco manſerunt, & vt Boëmundus dixerat, tradita eſt a quodam proditore, qui in turrim noſtros admiſit ſilente nocte, vigilibusque occiſis ex illa in alias proditore duce ſunt ducti. tandemque aperuerũt portam totum intromiſerunt exercitum, qui graſſatus eſt ſane nimium inhumaniter in omnes, non vt oportuit habito reſpectu ſexus & ætatis. omnes domus & plateæ implebantur cadaueribus. magna vis auri, argenti, precioſarumq; aliarum rerum eſt inuenta, militum plerique ſunt diuites facti ex præda opulentiſſimæ vrbis. Porro non ignoro de hac re longe aliter Blondum & Platinam ſcribere. Nam illi ſcribũt, cum res eſſent in ancipiti diſcrimine, quendam in vrbe primas tenentem, Pyrrhum nomine, plurimũ apud omnes ciues gratia & autoritate pollentem, petiiſſe videre & alloqui Boëmundum heroa, cuius geſtorũ fama ad illum Antiochenum ciuem peruenerat. Id, inquit Blondus, per inducias contigiſſe illi; conueniſſe, per interpretes collocutos; tantopereq; illum Pyrrhũ raptum in amorem Boëmundi ob animi dotes quas in verbis & moribus eius perſpexerat, vt promiſerit, ſe effecturum vt Antiocheni ciues tradãt vrbem Boëmundo, modo ille ſolus gubernare velit eam, & id velint reliqui exercitus principes concedere. Id relatum ad Principes, conceſſum eſſe, vrbem ita ab illo Pyrrho traditam, ſcribunt. edictoque cautum eſſe apud milites, ne ciues læderent, in Turcas & Saracenos (qui armati erant in vrbe, vt propugnando defenderent eam) ſæuitum eſt. Turcarũ magna multitudo confugit in arcem, vbi viderunt hoſtem in vrbem intromiſſum. Quare ſtatuerunt arcem expugnandam omnibus modis eſſe, antequã diſcederẽt Antiochia, quamuis videretur ea arx humanis viribus inexpugnabilis: erat enim ſita in altiſſimo monte rupibus, naturali ſaxo duriſſimo inacceſſa. Hanc arcem temerario impetu expugnare nituntur, putant enim metu perculſos nihil animi habere, qui conſuluerant. Dum igitur rem non poſſibilem conantur, multi cadunt lapidum telorumq; iactu, & Boëmundus ipſe fortius nimiumque temere pugnans, vulneratur grauiter ſagitta, & ex eo vulnere decubuit per aliquot dies. Dum ita in arce oppugnanda laboratur per aliquot dies, nunciatur nouus venire Turcarum exercitus, quibus præerat Corbana, Princeps militiæ regis Perſarum. Noſtri nuncio hoc accepto, illis obuiam procedere communi concilio decernunt: ſed antequam potuerit acies ordinari, ad mœnia adſunt, cinguntque vrbem, in arcem admittuntur a ſociis. Ex arce ſperabant ſe expugnare vrbem poſſe, quare ex arce eruptionem in vrbem faciunt, pugnatur ante arcem in vrbe acriter, compelluntur Turcæ fugere in arcem; multi vtrinque occubuere in ea pugna. Poſt hanc ſubitam eruptionem noſtri munitionibus arcem clauſerunt. Intercipiebatur vbique mari & terra commeatus, nihilq; inferri in vrbem poterat (erat enim circumfuſa hoſtibus) Propterea tãta fames exorta eſt in vrbe, vt aſinos, equos, canes & mures comedere coacti ſint, peritque magna multitudo inedia. Quibus difficultatibus moti, omnes vnanimiter in vrbe cenſebant egrediendum ex vrbe, prælioque commiſſo experiri fortunam, ſatius eſſe fortiter pugnantes cum laude mori, quam fame tabeſcere & conſumi. Erumpunt, hoſtes acie inſtructa non inſtrenue excipiunt noſtros, pugnatur dubio marte aliquandiu, tandem Turcæ vertuntur in fugam. Centum milia

Tur-

Turcarum eo prælio occubuisse, concordantes scribunt autores. Hac potiti victoria, in castris inuenerunt omnium rerum abundantiam, miraque annonæ vilitas est eam victoriam consecuta: nam vel ea sufficere poterant, quæ inuenta sunt in castris hostium: sunt autem præterea quoque omnes viæ quæ ab hostibus occlusæ erant, apertæ, &, quemadmodum secundam fortunam solent sequi amici, multi miserunt legatos fœdus societatemque cum eis facere petentes. Post hoc prælium in arce quoque territi de deditione inceperunt cogitare. Arcis præfectus sciens se nullum locum post deditionem habiturum apud Turcam, & fortassis alioqui non magnopere abhorruit a Christiano nomine, quare arcem nostris tradidit, ea lege, vt qui recusarent nomen Christianum, cum suis facultatibus incolumes sinerent abire liberos quo vellent; qui vero Christianam vellent profiteri religionem, concederetur ius libere inter Christianos viuere, & eorum legibus vti non aliter atque si essent ex Christianis parentibus orti. Hoc modo venit & arx in potestatem Christianorum. Boëmundus Princeps Antiochiæ constituitur, sed ita vt exercitum cum suis copiis sequatur vsque ad finem expeditionis susceptæ. Venerunt Antiochiam legati a rege Ægyptiorum, fœdus & pacem cum nostris vt facerent, contra Turcam auxilium pollicentur. Nam a Turcis Ægyptij multa erant passi. Fœdere iuncti, mittuntur ad regem Ægyptiorum cum legatis Germani proceritate staturæ præstantissimi ex toto exercitu; qui cum Babyloniam venerunt ad regem, Ægyptij & rex mirari non satis poterant hominum nostrorum staturam, corporis habitum, armaturam, incessum, vultus, quæ omnia animos præstantissimos præ se ferebant. Rex Ægyptiorum comparat copias, & illos Germanos secum accipiens, ad Hierusalem, quam Turca tenebat, ducit, obsidet vrbem, minatur totum exercitum qui Antiochiam ceperit, fœdere sibi iunctum, hos se adducturum, ostentat Germanorum præstantia corpora, tales esse omnes in exercitu trecentorum millium, inquit. Hierosolymitani perterrefacti his minis (nam fama ad eos peruenerat quo modo Antiochiam occupassent illi ex Europa) tradunt vrbem regi. qua recepta eam circumuallauit, omnique genere munitionum firmauit, vt eam nostri non expugnare possent. Ita nostros decepit rex ille & eos qui habitabant Hierosolymis: nam illi stupefacti nostri exercitus famæ magnitudine, non metu regis vrbem dediderunt. Antiochiæ post illa in vrbe & extra vrbē prælia, crudelissime sæuit pestis, quare quam primum eduxerunt exercitum, prius tamen rebus in vrbe ad religionem Christianam coordinatis. Iter propositum prosequentes, versus Hierusalem copias ducunt, in via fere omnes ciuitates tributarias faciunt. Interim rex Ægyptiorum arte qua dixi, potitus vrbe, parat se ad ferendam obsidionem & oppugnationem. Eiicit ex vrbe omnes Christianos & ipsum patriarcham spoliatos omnibus facultatibus. Quare Iunio mense quinto anni 1099, copiæ nostræ ante vrbem Hierosolymam peruenerunt. Quæ, sicut 1099
etiam ex sacris scripturis licet videre, in monte est ædificata inter valles & montes sita, quare fit vt hosti difficilimus sit accessus. Accedit alia incommoditas obsidentium eam, quod scilicet intra mœnia aquæ satis habent, extra paucas modicæ aquæ profundas, quæ ruricolis vix sufficiunt ad arcendam sitim. Amnis Siloë perexiguus ex monte Sion descendit in conuallem Iosaphat; sed per vrbem transit antequam ad exercitum perueniat, quo fit vt cum lauet vrbem tam populosam, pestifer reddatur, stercoran-disq; agris vrbi subiectis aptior, quam animalium corporibus potu reficiendis, & præter sordium colluuiem quæ semper purgatur illo flumine, etiam oppidani cum vident hostes ea aqua opus habere, veneno inficiunt. Sunt quoque qui dicunt torrentem esse, qui æstate sæpe exiccetur. Nostri igitur in ea obsidione aquæ penuria laborarunt maxima. Quare intelligentes se in obsidione durare diu non posse, constituunt maturare oppugnationem, idcirco cum primum totus exercitus conuenit ad vrbem, iusserunt vnum atque alterum diem exercitum, refocillare cibo & quiete corpora, interea Principes muros, situm & reliqua perpendunt, quibusque partibus visa est exposita expugnationi, magis in iis locis aggrediuntur vniuersi eodem tempore. Hierosolymitani acerrime defendunt muros, nostrosq; repellunt, ita triginta dies quotidie oppugnando certant non sine vulneribus & cæde, die trigesimo primo variis tormentis quibus turbabāt e muris propugnatores, variis machinarum generibus quibus muros deiiciebant, & variis pontibus quibus transibant fossas, & transcendebant mœnia, freti, occu-

parunt vrbem per vim, in quam admissi omnia militari furore omnia prosternebant, non muliebri sexui, non puerili ætati, non infantibus parcentes, trucidabant omnes. Feruntur supra decem millia qui confugerant ad templi altare obtruncati. Post hanc horrendam cædem, sancta loca quæsiuerunt & visitarunt. Hoc loco miracula multa recensent magni etiam autores, quæ quanquam plerisque fabulæ videantur; tamen paucis attingere visum est. In ciuitate sancta (scribunt) multis apparuerunt multi qui in itinere de Christianorum exercitu perierant. Et eo die quo capta est vrbs, episcopus quidam qui Antiochiæ mortuus erat, fulgentibus aureo colore vestibus cum aureo baculo super murum vrbis stans apparuit, & læta fronte nostros adhortatus fertur. Ita loca sancta etiam sepulti per vias quibus iuerunt, visitasse dicuntur. Hoc anno ter est Hierosolyma capta & vastata, prius enim Saraceni ceperant ex manu Ægyptiorum regis, qui qua fraude rursum ceperit, dictum est. Nostri Gotfredum Lotharingiæ ducem regem Hierosolymæ faciunt: hic enim præstantibus factis meritus videbatur in ea expeditione, præter alios, regnum. Instituitur præterea patriarcha, instituuntur sacerdotum collegia ad ritum Romanæ ecclesiæ primo.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-SEXTVS.

SEd redeundum in Germaniam ne prorsus obliti videamur prouinciæ susceptæ. Henricus quartus his temporibus Ratisponæ degit: vbi Iudæis qui erant ab illis de quibus supra est dictum, ad baptismum coacti, iterum iudaizare permisit; & facultates quas Iudæis rapuerãt sub specie religionis quidam, ab illis exegit, multiq; etiam suas facultates dare cogebantur. nam inuidi, vt solet fieri, plura rapuisse dicebant. Accusabantur etiam per calumniam quidam ditiores, facileq; calumniæ credebantur, & condemnabantur a pecuniæ inhiantibus. Sequenti anno Aquisgranum concessit, & sententiam voluntatémve suam, qua Conradum maiorem natu filium sibi voluit succedere in imperio, mutauit, & Henricũ filium minorem natu regem pronũciauit. Conradus enim rebellarat, sed iustas ob causas, patri suo. Hanc erga se patris voluntatẽ intelligens Conradus, excusauit se apud imperij Principes, causis redditis cur a patre iuste dissenserit. Hæc tamen omnia modestissime de patre dixit. Nomen regis nihilominus fere per decem annos, si recte tempora rebus gestis conferens, colligo, obtinuit, & magnis Rerumpub. commodis in Italia imperauit. Nam vir est habitus timens Deum, omnia posthabuit publicæ vtilitati, clemens & comis erga omnes. Historiarum diligens lector, vehemens antiquitatis amator. Patrem iuxta præceptum Dei honorauit, nec de patre male loquentes audiuit, quicquid statuerit in eum pater iratus, nominauit patrem Imperatorem, & se seruũ eius. Propter hanc animi modestiam & pietatem regno Italiæ vtilis & carus fuit. Immatura morte vero multorũ magno dolore abreptus est. Veneno sublatum credunt quidam. Tempestiuũ est vt reuertamur Hierosolymam, vt cognoscamus quid illic Christiani, quorum potissima pars Germani fuerunt, egerint, quisq; finis expeditionis fuerit. Gotfredus igitur Hierosolymæ rex consensu totius exercitus constitutus, regnare feliciter cœpit, opera virtuteq; exercitus omnia finitima sibi subiecit. Porro Babyloniæ Ægyptiorumq; rex coactis & instructis magnis copiis, aduersus nostros venit, Hierosolymam recepturus; cui nostrorum copiæ collectæ in vnum, obuiam in loca opportuna processerunt, in vrbe relicto sufficienti præsidio. Rex Ægyptius, nomine Calipha, homo erat superbus & arrogans, & propterea non valde prudens, vsque ad mœnia vrbis non putauit expectandum hostem, imo in hoc erat quomodo posset elicere hostem extra mœnia. Quamobrem sine ordinibus diuisim, sineque excubiis ducebat exercitum. Nostri adhibita diligenti locorum & temporum ratione, & oratione ad Omnipotẽtem, optime sapientissimeq; cuncta gubernantem, habita, hostem oneribus pressum, ex itinere fatigatum, arma ad pugnã necessaria imposita iumẽtis habentẽ, & nihil

tale

tale expectãtem adoriuntur,& fere ſine omni ſuorum ſanguine hoſtium occidunt circiter quinquaginta millia. Reliquos diſſipatos in fugã agunt. Noſtri igitur triumphantes,lætiq; potiti victoria Deo dant gloriam,orantque,vt & in poſterum a malo liberet populum ſuum, & nomen ſuum glorificet. Cumq; poſt hoc prælium iterum maxima pugna,in qua hoſtium millia centũ deſiderata ſunt,ſuperaſſent,eſſentq; late longeq; in circuitu Hieruſalem omnia ſubiecta Gotfredo regi,maiori parti exercitus ex Galliis & Germania placuit domum redire. Poſt quorum diſceſſum Gotfredus vir prudentiſſimus,non ocio ignauo dedit ſe,ſed indefeſſo ſtudio quicquid ad imperij robur & conſtantiam facere viſum eſt, procurauit peruigil,aliis dormientibus, ipſe conſultauit de regno ſtabiliendo, meditatusq; eſt legem Domini ſedulo. Primam vero inſtituendæ rite religionis rationem habuit, ſine qua nullum vnquam imperium durabile fuit,aut erit. Conſtituit per ciuitates paſſim epiſcopos qui populum docerent, & in ſacris regerent. Quibus omnibus ſapienter inſtitutis, Gotfredus obdormit in Domino. Poſt quem regni Hieroſolymitani eligitur in regem vna omnium voce Balduinus, frater Gotfredi,qui in ea expeditione fortiter factis, & animi modeſtia,& prudẽtia fratri per omnia comparari potuit. Qui rex a Pontifice Romano per legatum apoſtolicum,vnctus & coronatus eſt. Hic Balduinus ſtuduit acceptum regnum dilatare: quare Aſſur & Cæſaream expugnauit non ſine magna virtutis laude. Factus eſt breui omnibus hoſtibus terribilis, & multi ad eum reges & ciuitates mittebant munera,amicitiam eius expetentes. Auo & matre Germani fuerunt ij duo reges. Cum domum redierunt illi quos dixi,ex Hieruſalem, & retulerunt mirabilia quæ cum illis Dominus fecerat,creſcebatq; per multorum ora fama rei,ſicut ſolent adfingi multa, innumerabilem multitudinem inuaſit cupiditas viſitandi loca ſancta, & contra infideles pugnandi: quare altera eſt decreta in Saracenos expeditio,in qua militum Germanorum viginti millia fuerunt. Huius expeditionis fortunas deſcribere lõgius eſſet. Illis igitur relictis,ad propiora propoſita redeamus. Henricus filius quarti, qui a patre Aquiſgrani rex,& viuente patre,conſors imperij eſt factus,quorundam conſiliis ſeductus aduerſus patrem molitur res nouas, & patrem impie infamat, hæreticum nominans, & inimicum eccleſiæ veræ. Multi in imperio Principes eccleſiaſtici & ſeculares ſe illi coniunxerunt, breuiq; tempore potens eſt effectus. alij aliis ex cauſis ſe illi iunxerunt,plurimi quod iuuenem diutius durare poſſe iudicabant,quam ſenem alterum iam pedem in ſepulchro,vt dicitur vulgo,habentem. Henricus iunior cogit ſynodum generalem in Northuſen villa regia, vbi magna ex parte intellexit qui illi eſſent audientes. In hac ſynodo multa in eccleſiaſticis ceremoniis inſtituta & confirmata ſunt; Simoniacam hæreſim condemnarunt. Eſt quoq; in hoc patrum cõuentu hæreſis Nicolaitarum condemnata. Henricus quintus (ſic enim eſt appellatus hic) ſe,ſuum iudiciũ, & conſilia ſua omnia ſubiecit ſedis pontificiæ dignitati. Nihilq; æque in patre deſiderare,quam reuerentiam debitam Romanæ ſedi,teſtatus in concilio. Qua re ſane plurimum cauſam ſuam iuuit aduerſus patrem. Hac ſynodo finita, Henricus quintus epiſcopum Moguntinenſem a patre expulſum conatur reſtituere; copiis igitur hoſtiliter Moguntiam,vbi erat pater filium hoſtẽ expectans, petit. Ad muros vrbis vbi venit,multi Principes interpoſuerunt ſe,omnia tentantes, ſed nulla quibus componerent pacem, media potuerunt inuenire,filio nihil aliud petente(per ſimulationem,putant,quo ſcilicet pontificum & omnium aliorum eccleſiaſticorum fauorem ſibi conciliaret) quam vt pater obediret eccleſiæ, & gloriam debitam Romanæ ſedi præberet. Patre nihil minus facere volente; verum alia maiora pollicente,non hæreditarium ius imperij confirmaturum,imperium cum filio diuiſurum,potiores partes filio relicturum. Hæc igitur cum filius recuſaſſet, nihil eſt effectum. Cum autem videt ſe in præſentia patris nihil auſurum,reſiſtentibus omnibus Principibus, & impium iudicantibus; nihil etiam potuiſſe credo, patre præſidiis vrbem tenente firmis. Quam ob cauſam recta illinc diſcedens, Herbipolenſem epiſcopum patris ſummum amicum e ſede epiſcopali deturbat,ex ſuis familiaribus alium ſubſtituit. Poſt hoc factum alio properat, ſuos præficit in eccleſiaſticis perſonis & ſecularibus, vt patrem debilitet, ſe ipſum potentiorem reddat. Venit ad Noricos qui a parte patris ſtabant, Noribergã obſedit,& vi expugnauit. Quidam,quod credo,putant proditione captam. Apud Noricos rebus ordinatis, Ratiſponam venit,ob-

sidionem parat,minatur illis exitium nisi se sua sponte dedant. Patrem accusat odiosis nominibus, diuina iura perturbantem, ecclesiæ reuerentiam conculcantem,&c. Econtra se excusat patrem illum relinquendum, odioque prosequendum propter Christum,iuxta euangelistas.Ratisponam scribit pater se adfuturum satis tempestiue, refellit obiecta inobedientis filij. Simul iubet vt in vrbe armati expectent,vt cum veniat & cum hoste congrediatur,ipsi erumpant,præsentes forti animo adsint,nihil esse periculi,non debere eos respicere successus eius, hactenus se illi non restitisse. Pollicetur præterea Ratisponensibus magna,si in fide perseuerauerint, vt vno verbo expediam hanc Ratisponæ obsidionem. Venit pater cum copiis,erumpunt contra expectationem Ratisponenses,fugatur cum suis filius,in vrbem admittitur pater. Henricus filius post illam fugam veritus nominis iacturam,iusto prælio cum patre decernere statuit, quare lacessit eum quantum potuit; erat frequens inter eos duellum. Patris & filij castra oppositа paucis passibus distabant,multi ex gregariis militibus & nobilibus in duellis cadebant quotidie. Principes denuo de pace agebant,sed frustra. Multo maiores erant filij copiæ quam patris. Item plures socios & obtemperantes habuit,desciuerunt quoque a patre multi ex nobilitate prima, scientes filium fore Imperatorem post mortem patris vtcunque res caderet, reconciliare ergo filio cupiebant. Pater ergo cum dies pugnæ adueniſſet, videns suorum animum a pugna alienum(palam enim clamabant se nolle dimicare) simulans se aciem instruere (nam filius nihil æque exoptauit,quam patrem captum habere, propterea obseruauit eum multis modis)& ita clanculum cum pauciſſimis se subduxit ex exercitu. Postquam pater sic copiis exutus fuit,filius Spiram properauit,nam illic erant thesauri magni patris qui semper studiosior pecuniæ fuit. Filius potitus pecunia paterna, omnia vbique sibi sine labore subiicit,veniunt quotidie qui se excusant, quod patris autoritatem secuti sint,fide enim illi fuisse obstrictos,nunquam durum patris animum probasse, sæpe admonuisse vt voluptatem ex prudentissimo & fortissimo filio capiat potius quam dolorem,&c. Porro paulo post conuenit, quod quidam boni Principes procurarant, inter Henricos patrem & filium,vt conuenirent Bingæ, propter pacem componendam. quo vbi peruenerunt,videt pater episcoporum quorum autoritatem sequebatur filius,in se animum irritatum. Quare quo differret rem,nihilque contra propositum cogeretur facere(inconstantiæ notam enim bonus sex timuit) petit vt Moguntiæ iterum alio die conueniant,interim se deliberaturum. Quod facile est concessum(neque enim suspicabatur quisquam aliquid doli.) Antequam autem veniret cõstitutus dies, in quandam arcem se recepit, ibiq; latuit(neque enim suam libertatem aut vitam fidei episcoporum committere) Sic enim scribunt quidam scriptores, quæ vera sint nec ne declarabit patris epistola, quam mox subiiciemus,in qua intelligemus patrem a filio captum Moguntiæ. Itaque filij perfidiam reticere quibusdam visum est. Veniunt Moguntiam multi seculares quos vocant Principes, plures ecclesiastici veniunt ad diem quem petierat Henricus quartus,expectant patrem regis: tandem intellexerunt consilium eius,propterea scilicet petiisse alium diem, vt interim abscondere se posset,ne cogeretur reuocare suam sententiam de Romanæ sedis potestate & iure. Quare in eo conuentu antea excommunicatus,iterum anathemati,quo efficacior reddatur excommunicatio,subiicitur,& quicunque illi consentiunt,aut illum sub tectum admittunt. Erant autem qui consulebant seni,vt traderet imperium filio, quod volens iam ante feciſſet. Quare Imperator prodit,omnia imperij insignia filio tradit,commẽdat eum principibus. Quod ad hæresim attinet,sic excusauit,se quieturum,vacaturum orationi,iussis valere mundi curis,suis opinionibus nemini nociturum. Sed paulo post pœnituit patrem,quod totum imperium in manus dederat filij,erant enim quidem sententiæ eiusdem de religione,& fortassis nimiam filij potentiam imminutam cupiebant: ij ergo Henricum quartum excitabant,qui quieti se dederat. Nec erat contemnenda potentia quam pater iterum consecutus erat, Episcopus Leodiensis, Henricus dux Lotharingiæ,& ciuitates quædam Colonia, Iuliacum, Bunna, &c. Dux igitur Lotharingiæ copiis contractis, regia præsidia ad Mosam disposita trucidat & capit dum Henricus quintus Aquisgrani celebrat cœnam Domini. Quare mox Henricus quintus ducem Lotharingiæ in frequenti Principum conuentu condemnat,maiestatis reum, hostẽ reipub.

pronun-

pronuncians. decernitur communi omnium consensu contra eum bellum. Interea temporis Coloniæ rebus ordinatis, & vrbe munita, recepit se Leodiũ Henricus quartus, illinc literas ad verbũ tales mittit filio & Principibus, HENRICVS Dei gratia Roman. Imperator Augustus, episcopis, ducibus, marchionibus, comitibus, cæterisq; regni principibus, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere. Conqueror Deo Omnipotenti, & dominæ sanctæ Mariæ, & beato Petro principi apostolorum, patrono nostro, & vobis Principibus, omnibus quę habemus, contra diuinum & humanum ius ad infamiam & vituperium regni expoliati sumus, ita vt nihil penitus præter solam vitam nobis relictum sit, vbi cum ferme omnes essetis magna ex parte cõtristati, proh dolor, nihil nobis vestra contulit tristitia, qui de vobis sibi satisfaceret, voluntas inimicorum nostrorum odiosa. Et quia cum consilio & rogatu filij nostri fide & securitate vitæ & honoris ab eo primum accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiam in præsentia legati Romani & Principum tenderemus, vt eorum dispositione ageremus tam de statu ecclesiæ & honore regni, quam de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate & obedientia nos contra datam fidem capere, & vsque ad periculum mortis fere perducere. Non ausi sumus ita nos illi credere, vt iniuriis & contumeliis nos pro voluntate sua sicut prius, valeat tractare; quapropter multum rogamus vos, & obnixe precamur, vt pro amore Dei & honore regni, ac honestate vestra dignemini studere quomodo de iniuria in manibus vestris nobis illata per vos possimus recuperare iustitiam. Nos quoque pro consilio vestro & aliorum qui nos odio non habent religiosorum virorum, parati sumus tam filio nostro, si in aliquo eum offenderimus, quam alicui in regno libenter emendare. Præterea, sicut domino Papæ in præsentia legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita & nunc parati sumus, ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam sincero corde & deuotione exhibere, & tam consilio vestro, quam spiritualis patris nostri Hugonis Cluniacensis abbatis, aliorumque religiosorum virorum de statu ecclesiæ & statu regni quantum in nobis est, disponere. Cum igitur ad hæc omnia parati sumus, rogamus vos, & obnixe precamur, vt pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cum secundum præfatam sententiam nulla ei aduersum nos residua sit occasio, ammodo desistat nos & fideles nostros persequi, & quiete ac pacifice viuere permittat, vt supra dicta cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per autoritatem Romanæ ecclesiæ, cui nos committimus & honorem regni, ne super nos & super fideles nostros veniatis, quia manifestum est eum non diuinæ legis zelo, vel Roman. ecclesiæ dilectione, sed cupidine regni hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra aliáve interuentio ad præsens non prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem & sanctam vniuersalem Romanam sedem & ecclesiam. Ex hac epistola liquet ipsum non post Moguntinum conuentum secessisse metu, vt diximus quosdam scribere, qui Henrici quinti impietatem erga patrem dissimularunt, sed contra fidem a filio captum patrem. Ad has patris querelas sic respondit filius, quæ tamen prius passim publicari fecit. Verba adscribam. Post inueteratam per annos circiter quadraginta dissensionem imperij Romani, quæ tam diuinas quam humanas pene leges obtinet literæ, nimis inuitus collaudauit, regalia reddidit, filij curam cum regno nostræ fidei lachrymando commisit, de reliquo nullam se regni pompam, sed animæ suæ potius medelam vlterius affectaturum spopondit: at nunc ecce pristinis se reddens tergiuersationibus, præiudicium se passum per orbem terrarum conqueritur, Gallorum, Anglorum, Danorum, cæterarumque finitimarum gentium gladios cordibus nostris infigere meditatur, super illatis etiam iniuriis recuperare sibi iustitiã precatur,

consiliis quoque nostris ammodo promptum obedire se pollicetur; re autem vera solitis argumentis castra hæc Domini dispergere, Christi exercitum exarmare conatur, &, vt in propatulo est, vineam Domini, quæ iam sero floreſcere cœpit, tam per se singularem vtique feram, denuo depascere, quam per lupos, illos nimirum qui sibi adhærent pestilentes homines demoliri, ac per sacrilegia sacerdotum Belial anathemati recidiuo reddere, quasi (quod dictu nephas est) Christum iam iterum in ecclesia sua resurgentem in omnium cordibus crucifigere meditatur. Quapropter placet tam regi, quam vniuersis regni Principibus, vt senior idem, ne vlla sibi pateat aduersum nos iusta querela, quacunque velit securitate, quacunque maluerit statione, coram præsente senatu simul & populo causam suam agat, iustitiam suscipiat, & reddat, vt ab ortu schismatis omnibus seditionum causis, ac si nil inde fuerit diffinitum, vndique discussis, tam filio quam patri sua iustitia respondeat: ecclesiæ vero regniq́ue status non vt ipse more suo proponit post longas inducias, sed in præsentiarum his controuersiis sublatis, vacillare desinat. Cum his literis misit legatos episcopos, qui coram arguerẽt. Legati vix ab ira senis liberati sunt, adeo grauiter hæc tulit. Rescribit igitur ad hæc Principibus de filio suo odiosissime, nempe esse hypocritam, nihil studio religionis facere, sed iuuenili stulta ambitione, & rerum imperitia iam adhuc nihil videre quid iustum, quidq́ue iniquum sit. Futurum vt idem velit & sentiat filius, quæ iam pater (quod postea euenit, quod iam audiemus) ipsum filium persequuturum malos suos consultores, adulatores illos qui iam per deuia seducant eum. Rogat simul, si qui sint cordatiores, ex bona conscientia libere iudicent, neminem timeant, quam eum qui occultas iudicaturus sit cogitationes: se satis sibi conscium, nulla causa tantopere resistere quorundam fastui & dominandi libidini, quam propter imperij dignitatem & commoda publica; & cætera in hanc sententiam rescripsit. Quibus respondet filius & alij Principes, Senem esse delirum menteq́ue captum, obcæcatum scilicet hæresi. Cur non de salute animæ suæ cogitet, cui iam moriendum sit; cur non pœnitentiam agat, & redeat ad matrem sanctam ecclesiam. Quam, docent, graue iudicium sit habiturus qui toties Satanæ sit traditus, qui imperium ita conturbarit, religionem, bonas leges, sanctorumq́ue conciliorum decreta subuerterit, iura ecclesiæ violarit. Huiusmodi multa literis & legationibus ad eum mittuntur. Hæc vero cum ad senem perlata sunt, commouerunt eum vehementissime. Nam cum sint senes morosi non aliter atque ægroti (est enim senectus morbus) etiam in iis quæ bono animo illis fiunt, multa sinistre interpretantur, & animi dolore torquentur. Senex ergo furere incepit in legatos qui hæc ad eum pertulerunt, & tanto dolore animi affectus est, vt aliquot diebus non comederit. Henricus quintus ducit exercitum in Lotharingiam, illamq́ue belli iure sibi subiicit. Senis mors ob animi mœrorem maturata est: obiit enim in his turbis Leodij, & sepultus est illic in monasterio. Post mortem senis filius Coloniam recipit auxilio episcopi eius vrbis. recipit & reliqua quoque omnia in gratiam. Leodienses noluit recipere, nisi effossum genitoris sui cadauer abiicerent in locum quem piam, vbi solent mortua pecora locari. Tanta erat non religio hominis, sed vel in patrem odium, vel simulatio qua ecclesiasticis inseruire voluit videri. Leodienses vt absoluerentur ab excommunicatione, excommunicatum cadauer effossum extra vrbem ruri sepelierunt. Sed postea est rursus effossum cadauer, Spiram est translatum. Quidam scriptorum mirantur hunc Henricum quartum tantopere odio prosecutum Romanos Pontifices, cum alioqui fuerit bonus Princeps, & Deum timuerit, quod testantur eius opera: multas enim eleemosynas dedit, fueritq́ue insigniter prudens, & veritatis cognoscendæ studiosissimus. Quæ autem causa odij & excommunicationis pontificum in Henricum fuerit, si quis cognoscere petit, legat Carionem, qui causas reddit. Anno Do-

1108 mini 1108, mortuo Henrico quarto, Henricus quintus Aquisgrani in frequenti Principum conuentu appellatur Imperator, quanquam ante a patre bis declaratus fuerit rex, &, vt dictum est, imperauerat. Post comitia illa Aquisgrani, iterum sequenti anno iterum Francofurdiæ conueniunt Principes & Imperator, deliberantq́ue de bello suscipiendo contra Polonos, qui tributum Imperatori debitum dare recusabant, regemq́; sibi elegerant, ipsiq́; coronam imposuerant. qui tum Imperatoris erat summus contemptus. Quare conscripto exercitu, in eos proficiscitur. Rex ante Imperatoris aduen-

aduentum in castris est, pugnatur aliquoties multo vtrorumque sanguine, ad extremum vero vicit Imperator, milite Germano fretus, & potentia sua. Polonis igitur in fidem receptis, tributoq; veteri aucto, propter belli expẽsas, reuertitur in patriam, comitia statim a reditu celebrat Ratisponæ, vbi cum Principibus confert suum consilium de profectione suscipienda in Italiam. Approbantibus institutũ eius Principibus, comparat exercitum magnum, de peditatus multitudine nihil certi accipio, magnum fuisse scribitur; equitatus vero fuit millium 3000 ex Germania quib. vbi venit in Italiam, 3000
adiuncti sunt plures alij. In Italia omnes ciuitates & proceres obuiam veniunt, reueren
ter excipientes munera offerunt, Aretio excepto, nam illi primum insidiis & dolo cir-
cumuenire Imperatorem conati sunt: sed non successit. deinde palam restitere, multis
Italis clanculum adiuuantibus. Quamobrem propugnacula eorum expugnauit pri-
mum, deinde vrbem cepit, & diripiendam dedit militibus, exemplum statuens, ne quę
alia ciuitas talem rebellionem tentaret. Deinde profectus est Sutrum, vbi legati pon-
tificij obuij veniunt Cæsari, excipiunt Cæsarem nomine Paschalis Pontificis, & apo-
stolicam benedictionem illi paratam esse, modo ecclesiæ priuilegia vetera confirma-
ret, & exemplo præcessorum suorum augeret. & multa alia de iure Cæsaris & Pontifi-
cum sunt tractata. Henricus omnia iusta se facturum, nec latum vnguem a patrum de-
cretis discessurum, promittit: sed hoc etiam velle a pontificiis exigere, vt nihil amplius
aliúdve conentur, quam acceperint a maioribus. Se fore legum custodem, id esse of-
ficium suum, non habiturum personarum respectum, nullum qui a legibus institutio-
nibúsve maiorum discesserit, se passurum. Quæ responsio Henrici quinti terruit pon-
tificios, nam patre viuente in omnibus se fore subditum Romanæ sedi prædicarat sæ-
pe, propterea quę cum patre bella gerere voluit videri, quod pater nimia libertate in
exigendis officiis ecclesiasticorum vteretur. mirabantur igitur nouas voces, & otis li-
bertatem insolitam. Multis autem vtrinque commutatis, tandem conuenerunt con-
ditionibus & legibus certis. His constitutis, & literis iuramentisque confirmatis, pro-
ficiscitur Imperator Romam, cui omnes hominum Romæ degentium ordines pro-
cedunt ordine obuiam cum reliquiis, cantu & gratulatione excipiunt Henricum, de-
ducuntque eum vsque in beati Petri Basilicam, vbi Papa missam celebrat; postquam
sumpsit Papa sacramentum, vertit se ad Cæsarem, ei quoque ministrat panem, corpus
Domini, in testimonium fœderis, factæque pacis perpetuo seruandæ. Dum Cæsar su-
mit sacramentum de manu Papæ, ecce ecclesiasticorum quidam Principes, quos ma-
le habebant Cæsaris minæ de conseruandis patrum constitutionibus, in templo per
armatos seditionem tumultumque excitant, corporis Henrici custodes suis locis de-
turbantes, eum capere nituntur. Cæsar suis ipsius manibus vim repellens, vix euasit.
Cęsar ad exercitum vbi venit, colligit suos, succensus ira supra modum, ad vrbis portas
properat, non clauduntur portę (neq; enim sperabant resisti tanto exercitui Germano-
rum posse) Omnes excusabant se, inuitis magistratibus factũ asserebant, omnes qui rei
illius seditionis essent, pollicentur se dignis suppliciis affecturos, vel Imperatori tradi-
turos. Sed Henricus persuaderi non potuit, furit in vrbe in omnes, magnam ciuium &
clericorum multitudinẽ trucidat, Papam captum tenet custoditum, extorquet ex eo
confirmationem omnium quæ optauit, & extorquet coronam benedictionemque
quæ conferri consueuerant Imperatori a Pontifice Rom. extorquet iuramenta, sigilla,
bullas, & constitutiones. Postea liber factus Papa, coronam Romæ imponit Henrico
quinto. Sed ne iterum vulpes incideret in laqueum, custodes corporis plures, instruc-
tiores, diligentius obseruantes dominum, & propiores habuit. Præterea ante tem-
plum equitatum iussit expectare. Vbi autem res finita est feliciter, omnes cecinere, *Glo-
ria in excelsis Deo.* Accepta corona & apostolica benedictione, Romæ omnia compo-
suit ratione qua potissimum fides & pax perdurare iudicauit, omnia iuramentis inter-
positis roborauit. Vbi Romæ imperium satis pro virili confirmauit, ad reliquas Latij
ciuitates cum copiis profectus, similibus rationibus, quibus Romæ, omnia dispositi.
Cogebaturque Italia tota iurare se neque conaturos aliquid contra Imperatorem,
neque aliquid molientibus re aut consiliis adfuturos, sed contra, imperij dignita-
tem defensuros facultatum iactura & vitæ, si opus sit, periculo. Omnes quod petiit
fecerunt. His hoc modo stabilitis, incolumis cum incolumi exercitu (præter pau-

cos amissos in seditione Romæ, de qua iam diximus, & quosdam ex morbis mortuos) in Germaniam venit. Porro vix Italia egressus, & in Germaniam reuersus Cæsar, excommunicatur a Pontifice & collegio episcoporum & cardinalium: neq; enim arbitrabantur se teneri iure per vim extorti iuramenti, neque inimicis ecclesiæ fidem seruandam iudicabant. De qua re in vita Paschalis plura scribuntur. Hæc contra Cæsarem excommunicationis lata sententia, ecclesiasticos fere omnes, multosque seculares Principes alienauit ab Imperatore. Turbantur non mediocriter imperij res; plurimumque negotij est exhibitum Henrico. Multi conspirant aduersus eum. Quibus ex causis Moguntiam conuocat imperij Principes, vt se excuset, respondeatque accusatoribus, & sicubi erret, mutet sententiam. Sed Principum nulli veniebant, præter vnum atque alterum episcopum, quibus quoque non conueniebat cum Romano Pontifice. Henricus vehementer doluit, simul ira succensus iterum ad omnes nuncios mittit, vt veniant, suam innocentiam cognoscant. Paratum si quis ostendat se non recte sentire, mutare sententiam. nihil aliud se quærere, quam imperij constantem & felicem statum, &c. sed nihil efficit, nulli veniunt. Quod vbi intellexerunt Moguntini, quos adhuc viuente patre, vehementer afflixerat, eorumque agrum, propterea quod patris partes fouebant, vastarat, putabãt sibi occasionem datam vlciscendi se, quoniam videbant eum destitutum præsidiis, & omnes imperij Principes inimicos habere: quare arma arripiunt, & eum obsident inclusum in aula sua; cum penitus esset in manu Moguntinensium, minati sunt ei nisi omnia quæ petant, largiatur, concedat, & confirmet, moriendum illi cum omnibus suis esse. Itaque cogebatur facere quicquid illi volebant. Inter reliqua postulabant episcopum suum Adelbertum, quem iam in tertium annum captiuum tenebat, restitui in locum suum. Idque mox facere coactus est. Postquam vero votis eorum satisfactum est, & iureiurando confirmata a Cæsare sunt illis omnia, soluerunt obsidionem. Cæsar igitur hinc abiens, quocunque venerat amicos nullos inueniebat. Conspirarant episcopi & Principes cum
1116 Paschali Pontifice. Anno Domini 1116, omnes ecclesiastici & seculares maiores in imperio magistratus conuenerunt Coloniæ, vt de Henrico quinto capiendo, aut saltem deponendo deliberarent. Aderat quoque Romanæ sedis legatus cum excommunicationum fulminibus in Henricum. Imperator suo nomine mittit ad comitia Episcopum Herbipolensem cum mandatis huiusmodi; Imperatorem paratum accusatoribus respondere, iudicibus Principibus, non decere causa non audita vllum condemnare, & Satanæ tradere. Libenter cessurum si erret, & satisfacturum ex sententia imperij Principum. Imperatorem hactenus omnia feciisse, & a quibusdam dissensisse propter imperij Remp. Hoc genus cum episcopus, vir facundus, multa dixisset, & humiliter petiisset vt audiretur, etiamsi putent certum esse quod iniustam causam habeat, propterea quod imperitis & ignaris rerum suspectum esse possit, si audierint inauditum (præsertim cum cupiat pro se dicere, & rationem factorum reddere) condemnatum, nihil effecit, imo ipse quoque in discrimen non solum famæ, sed etiam vitæ venit. Serio enim cum mandata exposuisset, serio cum Imperatore sentire contra Romanam sedem est iudicatus. nihilque aliud responderunt episcopo legati Cæsaris quam, ipsum eodem loco habituros, & excommunicaturos nisi desinat hæretico impio, filio diaboli, Henrico, patrocinari. Episcopus metu se excusat, bona fide ex Henrici, non sua dixisse sententia. hoc officium legati fuisse. promisitque eum vitaturum ceu hæreticum, nec cum eo posthac quicquam commertij habiturum. Rediit igitur Herbipolin episcopus, Cæsari nihil responsi afferens, & vitaturus Henricum nec accessit ad eum, vt satisfaceret pontificiis. Cæsar irasci, mala fide legatione functum dicere, cogere vt omnia dicat. Episcopus rem narrat ordine, quo pacto pene venerit in discrimen vitæ. Quibus auditis, cogit episcopum, vt non solum secum comedat, sed etiam coram illo missam celebret, quod erat magnum piaculum. Episcopus quum primum potuit, se subduxit, & iterum ad concilium Coloniæ reuersus, quid illi acciderit, exponit, absolutionemque est consecutus. Quam ob causam Cæsar vehementi ira commotus est, idcirco ducatum Franciæ Orientalis, qui erat episcopi Herbipolensis, dat Conrado Sueuorum duci, filio sororis suæ. Henricus igitur Imperator vbique ab omnibus excluditur, ab omnibus contemnitur, omnes eum vitant, ceu membrum putri-

putridum. Quare iterum Romã proficiſcitur, ſuppliciter admitti ad oſcula pedum Pontificis, gratiamque & miſericordiam petit, ceu ſeruus qui grauiter deliquit, a domino ſuo. pollicetur Imperator ſe facturum quicquid imperauerit Pontifex. Mirum eſt quam iniqua petierint pontificij a Cæſare ſic humiliato: nihil enim illi reliquerunt, quam ſolum nomen. Magni erant in Germania tumultus, dum Cæſar fuit in Italia. Factioſorum collecta multitudo vaſtabat multa monaſteria, & alia ſacerdotum collegia. Legibus nullus erat locus, qui potuit plus, plura ſibi arrogabat. eratque plane miſer Germaniæ hoc tempore ſtatus, populo in varias & diſcordantes partes diuiſo. Cum autem tam iniqua a Cæſare exigeret Papa, nihilq; ſupplicando proficeret Cæſar, confugit ad vim armorum, iratusque omnia diripienda militi concedit. Potitus vrbe, eiicit Papam, aliumque in eius locum ſubſtituit. Interea epiſcopi & Principes in Germania moliuntur aduerſus Henricum quicquid poſſunt, multos qui erant a parte Cæſaris alienabant ab eo variis modis. Saxones excitant, vt contra Imperatorem armis ſumptis, cogerent quoque qui nolebant rebellare. Henricus igitur vtcunque compoſitis in Latio rebus, quam celerrime redit in Germaniam, ducitque copias in Saxones, quibus cum congreſſus vicit eos pugna cruenta, componitque res, vt potuit difficultate & infelicitate ſtatus rerum Germanicarum, rurſumque in Italiam proficiſcitur. Pontifex hoſtis Cæſaris interea dum Imperator abfuit, coniunxerat ſibi ſocios, inter quos præcipui erant dux Apuliæ, & dux Campaniæ. Sed Henricus fugato Papa ex Roma, abſolutionem accipit a Pontifice quem ipſe elegerat, & nominauerat Gregorium octauum. Hoc Pontifice confirmato, & Romanorum fidei commendato, per Italiam pœnas ſumpſit de omnibus ciuitatibus quæ aduerſæ parti adhærebant, totoque Latio pacato & ſubiecto ſibi & Pontifici ſuo, reuertitur in Germaniam. Non diu poſt, Henricus quintus Moguntiam obſidione circumſeptam premit, vt neque inferri neque efferri quicquam potuerit, tum per Rhenum, tum per terram. Moguntino epiſcopo & vrbi auxilium laturi Saxones cogebant copias. Vbi hoc ſignificatum eſt Henrico, conſcribit plures milites in Alſatio & apud Rauracorum Baſileam. principes Germaniæ vtroſque ad pacem hortati ſunt, & Henrico perſuaſerunt, vt rem totam componendam crederet imperij Principibus, arbitris. Conuentus Principum generalis Herbipoli habendus eſt decretus; in eo conuentu communis pax eſt conſtituta, vt quicquid in his Germaniæ ſeditionibus & partium motibus eſſet ademptum vel eccleſiaſticis, vel ſecularibus, id cuique redderetur: ſi qua contentio de iure incideret, vt illa ſine mora iudicaretur apud iudices quos conſtituebant Principes, legeque grauem pœnam ſtatuebãt temere litiganti: raptores & factionum autores vbicunque in imperio deprehenderentur, a magiſtratibus quam primum e medio tollendos decernebant: quod vero attinet ad excommunicationem, Romanæ ſedi relinquebant Principes: in hoc conuentu redierunt Germaniæ Principes cum Imperatore in gratiam; Cæſar enim ſatis expertus ſe ſolum aduerſus tot non poſſe perſequi ſuam ſententiam, cedit, maluitque de iure ſuo concedere, quam omnia miſcere, & multum ſanguinem effundere, quod videbat neceſſario futurũ, ſi vellet perſeuerare in ſuo propoſito, quod vtile & ſalutare alioqui iudicabat imperio. Wormatiæ ſtatim poſt hunc conuentum fuit alius, de ſtabilienda pace inter Principes, concordia enim poſt tot factionum calamitates omnibus cordi fuit; ibi a pontificiis legatis quorum autoritati & poteſtati ſubiecit ſe propter pacem, eſt abſolutus, & in ſinũ Romanæ eccleſiæ receptus Henricus quintus cum omnibus qui cum ipſo excommunicati erant: quid autem conceſſerit Romanæ ſedi, per hæc verba Imperatoris intelligimus, quæ ad literam ſic habent, Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & domini Papæ Calliſti (nam hic receptus a Rom. erat, & Gregorius octauus eiectus, quem Imperator fecerat Papam) & pro remedio animæ meæ dimitto Deo & ſanctis eius apoſtolis Petro & Paulo, ſanctaque catholicæ eccleſiæ, omnem inueſturam per annulum & baculum, & concedo in omnibus eccleſiis fieri electionem & liberam conſecrationem, poſſeſſiones, & regalia beati Petri, quæ a principio huius diſcordiæ vſque ad diem hodiernum, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ eccleſię reſtituo; quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter, iuuabo, poſſeſſiones etiam omnium aliarum ec-

cleſiarum & principum, & aliorum tam clericorum quam laicorum conſilio Principum, quas habeo, reddam; quas nõ habeo, vt reddantur, fideliter iuuabo. & do veram pacem Calliſto ſanctęq; Rom. eccleſiæ, & omnib. qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus ſancta Rom. eccleſia auxiliũ poſtulauerit, fideliter iuuabo. Illam reſignationis formam Calliſtus accepit, ſed manu Imperatoris ſubſcriptam & ſigillo confirmatam. Contra vero Pont. ſe quoque obligauit Cæſari in hac forma; Ego Calliſtus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Hẽrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo electionem epiſcoporũ & abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſq; ſimonia & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & comprouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas, electus autẽ regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quę ad Rom. eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex iis iure tibi debet, faciat, ex aliis vero partibus imperij cõſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrũ a te recipiat; de quibus vero niſi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum auxilium præſtabo, doq; tibi veram pacem & omnib. qui in parte tua ſunt, vel fuerunt
1122 tempore huius diſcordiæ. Data anno 1122, nono Calend. Octob. Hæ obligationes Imperatoris & Pontificis in maxima populi corona ante vrbem Wormatiæ, in campo iuxta Rhenum lectæ ſunt, & paribus datæ. hoc autem factum eſt, vt quam plurimi eſſent teſtes. Poſt hunc alterum cõuentum habuit Babenbergæ, vbi de muneribus Pontifici Rom. mittendis eſt actum. Nam Imperator declarare voluit animum ſuum erga Roman. Pont. quare legatos Romanos regalibus muneribus donatos dimiſit. Poſt hæc Otho epiſcopus Babenbergenſis eccleſię, vir non vulgariter religioni deditus, miſit Pomeranorum genti vicarium ſuum, virum pietate & facundia præſtãtem, vt apud illos apoſtolatu fungeretur, nam adhuc nihil de Chriſto audierant. hoc prædicante Chriſtianam religionem aſſumpſerunt, & operibus fidem teſtati ſunt. Othone Friſingenſi teſte, Vangiones hoc tempore defecerunt ab Imperatore, & eius ſuburbanam villam, in qua ſæpe ſe oblectare ſolebat, deſtruxerunt, & expulerunt quos ſciebant Cæſari ſtudere. quæq; circa vrbem & in vrbe habebat, ſibi vendicauerunt. Quam ob cauſam Cæſar contractis copiis, vrbem eorum obſedit, & cum per proditorem quempiam ſciret horam, qua ciues erupturi eſſent, ſuos clam ita diſponit, vt obſtructis portis milite, reditus fugientibus non pateret, quare magna ciuium cædes fit, plurimi capiuntur, pauciſſimi elabuntur fuga, capti alij, alij membris mutilati, plurimi oculis orbati dimittuntur in vrbem, quo ſpectaculo ciues in magiſtratus defectionis autores, ſæuire inceperunt, itaque diſcordia in vrbe orta, & clade magna accepta, petunt pacem, quam conſecuti ſunt, magna pecunia data, nec ſine libertatis mediocri iactura. Poſt hanc vrbem ſubiugatam, Imperator vrbes in Rheni ripis ſitas inferioris Germaniæ, in ordinem redegit. qua re confecta omnino ex animi ſententia apud vrbem Traiectum Pentecoſten celebraturus in morbum lethalem incidit, vbi ſenſit nullam ſpem vitæ relictam, conuocat ſuos proceres & Mechtildem vxorem ſuam, quid velit de facultatibus ſuis poſt mortem fieri indicat, teſtamenta conſtituit, de imperij rebus conſulit: inſignia regia & coronam imperialem dedit conſeruanda diligenter in arce munitiſſima Hamerſtein. quę poſtquam omnia compos rationis ijs quibus plurimum
1125 fidei habuit, commiſit, functus fato eſt, anno Domini 1125, Imperij anno 15. Spiræ delatum cadauer regali pompa ſepultum eſt.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-
SEPTIMVS.

HEnricus quintus nullam reliquit prolem; fuerunt illi ex ſorore Hagna nepotes, Fridericus dux Sueuiæ, & Conradus dux Franciæ Orientalis. Poſt huius igitur Imperatoris mortem, ſine cunctatione Principes imperij conueniunt Moguntiæ, ibi cum multi malis artibus ambirent imperium, incorrupta Principum electorum integritas quatuor regni optimates

deſignat

designat (teste Gotfredo Viterbiensi) Fridericum scilicet ducem Sueuorum, Lotharium ducem Saxoniæ, Luitpoldum Marchionem Austriæ, & Carolum Flandriæ comitem. Ex his quatuor designatis quem potissimum eligerent, aliquot dies deliberarunt; tandem tamen Lotharius concordi sententia electus est, vir humanitatis amator, fortisque animo. Multos male habuit, quod non de progenie Henrici quinti quispiam electus erat, præcipue vero, qui erant de illius genere, contemptum grauiter ferebant. Quare Lotharius ab illis sibi periculum fore facile intelligens, nihil omisit, quicquid ad minuendos eos facere putauit. Fridericus & Conradus Henrici quinti nepotes multa contra Lotharium machinati sunt: & aliis quoque causas fiduciamque rebellandi dederunt. Quapropter Lotharius timens illos, primum non armis debellandos, sed excommunicationibus deterrendos censuit, idcirco excommunicati sunt ab Honorio Papa: illi nihil mutati excommunicatione, quin potius magis irritati, contrahunt copias; Conradus creatur a Friderico fratre & aliis quibusdam rex. factus rex statim cum copiis magnis versus Romam vertit signa, in itinere omnia suo nomini subiicit. Mediolani ab episcopo coronatus est corona ferrea. Multa liberalitate vsus est in itinere, omnia recepturum sperauit, vbi subiiceret sibi Italiam. Cum in Italia impensis (eduxit enim secum magnum exercitum) & largitionibus quam facultates ferebant maioribus exhaustus totus esset, & simul audiret Lotharium Imperatorem Sueuiam & Franconiam hostiliter vastare, in Germaniam redit, cõiuncturus se cum fratre Friderico: verum vbi attigit patriam, desperatis rebus suis, cum Lothario fœdus facit, depositaque regia appellatione, suis contentus vixit. Vlmam vix expugnare potuit Lotharius, tanta constantia & fide ciues vrbem defenderunt, obsedisse eam diu accipimus, suburbia incẽdisse, tandem arietibus aliisque machinarum generibus muros diruisse, & multitudine militum obruisse oppidanorum paucitatem. Verum post mortem Lotharij Conradus Imperator eam vrbem, propter singularem virtutem & constantiam, amans, magnificentius ædificari iussit, quam antea fuerat, priuilegiis & agri latitudine, villis, monasteriis eam egregie donauit & ornauit. Quæ omnia hodie possident Vlmenses feliciter aucta, & in maius prouecta. Nec mirum tam prospere crescere, & tam diu durare quæ tam laudabilem originem habuerunt. Anno Domini 1141, Henricus Austriæ dux magnum exercitum per Germaniam conscripsit, & aduersum Vngarorum regem Geisam duxit. 1141 Rex Geisa aduentu Germanorum cognito, omnes in Vngaria qui bello per ætatem corporisve vires idonei videbantur, ex iis elegit circiter octo millia quos iudicauit robore corporis & animi virtute præstantissimos, reliquis quoque in certas partes diuisis, misitque per longas viarum ambages qui a tergo hostem proficiscentem impedirent, vltimum agmen carpendo; misit & ad latus partem qui quoque constituta hora aggrederentur hostem, quam per signum indicaturum se prædixit, ipse rex cum reliquo exercitu in planitie expectat hostem, factis in campo cæcis fossis, & acutissimis ferramentis impleuit eas fossas. Tot insidiis in hostem instructis, iussit domi manere ecclesiarum ministros omnes, & orando Deum propitium reddere patriæ, ne concederet hosti diripiendas miserorum facultates, adessetque sua cupientibus tueri, non aliena rapere. Idque clerus sedulo die noctuque fecit. Illi igitur qui erant missi ad deuorandum hostem appropinquantem, cum venerunt in eum locum ad quem missi erant, hostem sequuntur, carpuntque ex impedimentis quædam, & eos qui aliqua causa impediti ab exercitu procul aberant. neque potuerunt consequi Germanos, qui expeditis itineribus plurimum anteceserant, multo nimirum profecti longioribus itineribus, quam rex ituros iudicabat. Sed cum ventum esset ad flumen quoddam quod erat transitu difficile propter impeditas ripas magis quam aquæ altitudinem, consecuti sunt Vngari Germanos, sed equitatu tantum: neque enim pedites aderant. Cum Henrici copiarum pars transiisset, pars adhuc hæreret in citeriore ripa, equitatus vero Henrici longius processisset, Vngari equites magnam multitudinem interfecerunt. Neque enim opponere se hostibus potuerunt oneribus graues oppressi ex improuiso. Itaque qui non fuga elapsi sunt, occisi aut capti sunt omnes, & magna pars commeatus venit in potestatem Vngarorum. Misit ad illos qui erant post hostem missi, rex nuncios, iussitque ad flumen castra munire, vt si, qui ex Germania sequerentur, im-

pedirent. nam fama erat, multo maiorem multitudinem primis auxilio missam venire: sed nemo veniebat, nec tamen inutile erat consilium de castris a tergo hostium muniendis: nam cõmeatum qui ex Germania sequebatur, intercipiebãt. Rex igitur Henricum in castris sub dio positis expectat, habens insidias a latere absconditas. Vbi appropinquauit cum Germanis Henricus, opponit castra Vngaris. Rex statuit se continere in castris, cunctandoque tardius hostem potius sine suorum sanguine, quam cito non sine suorum cæde vincere. sciebat enim, hostes neque habere neque posse sequi commeatum. Cum igitur Henricus videret, se in magnis difficultatibus constitutum, diligenter circumspicit, an regis castra expugnari possint: cumque videt nullam spem, educit suos, acieque instructa conatur procedere ad diripiendos agros hostiles; sed rex id quoque præuiderat futurum, fossis cæcis factis in ea agri regione per quam suspicabatur profecturum hostem. quare vbi ventum est ad cęcas fossas, mittit equitatum rex suum, qui hostem abeuntem adoriantur, quo magis properet, & in fossas incidat, idq; accidit. Nam Vngaris equitibus appropinquantibus, arctius coniungunt se, aliusque alium trudit, & semper ad progrediendum propellit: quisque enim dum cauere vult in tanta multitudine, ne ipse primus equitibus expositus sit, incredibile est quantum promouerit exercitus: neque enim consistere cum vult, potest, ita frustra clamant qui in primo agmine in fossas detruduntur. Equitum vero quoque primum impetum non sufferentes magis in fossas incidunt, ex quibus se expedire non potentes, a suis prosternuntur. Hoc cum rex in castris animaduerteret, educit omnes quos secum habuit, & Henricum in fugam agit, multis Germanorum millibus occisis. Henricus cum paucis reuertitur in Austriam suam. Galliæ ecclesia illis temporibus multa habebat cum Germanorum dissentientia, Innocentius Pontifex Roma expulsus, ritus & ceremonias earum composuit, fretus Principum fauore. Quod Innocentij ecclesiæ pacificandæ studium, & religionis amor omnes Principes ei beneuolos reddidit, estque illi Lotharius restitutionem pollicitus. Quare Lotharius, Principibus ecclesiasticis & secularibus adiuuantibus, magnas contrahens copias iter in Italiam parat, vt restituat Innocentium in pontificatum. In itinere nusquam propter vllam causam moratus, cito cum Pontifice venit Lotharius Romam, exceptique (quia habuerunt magnum Germanorum exercitum) honorifice sunt a Romanis, latuit enim nescio vbi antipapa. Romæ igitur omnibus ordinatis, Lotharioq; glorioſissime a Pontifice Innocentio corona imperiali exornato, paratur reditus in Germaniam. in itinere igitur omnia in Latio pro sua voluntate ordinat Cæsar, & redit in Germaniam: Babenbergęque sua familia viuit, illicq; causas grauiores omnes imperij iudicat, & componit discordantia. Babenbergam ad Lotharium venisse tradunt beatum Bernhardum Claræuallensem, vt reconciliaret illi Fridericum & Conradum, Hẽrici quinti nepotes, quos Imperator in gratiam recepit, motus precibus sancti viri Bernhardi. Itaque per Germaniam pace florente, nullis palam discordantibus, parat expeditionem in Polonos qui rebellabant, & tributum debitum dare recusabant. Poloni vero bellum timentes, Imperatori obuiam mittunt ducem suum cum magnis muneribus, quem occurrentem in Saxonia ad se admittere noluit, nisi tributum prius persolueret, quod duodecim annis non soluebant, debebant autem singulis annis quingentas libras. præterea iurarent se obtemperaturos imperio in perpetuum. Hæc omnia dux fecit, & præterea dona dedit magna. atque in hunc modum pacem fecit cum Polonis. Et in eadem expeditione regem Daciæ imperio subiecit sola nominis autoritate. Et ab Vngarorum rege munera maxima eodem tempore Imperator accepit. Hæc dum ad septentrionem a Cæsare geruntur, Romæ antipapa rursum erigit se aduersus Innocentium, fiuntq; vehementes Romæ motus, populo in factiones diuiso. Innocentius mittit legatos in Germaniam ad Lotharium, exponit rem ordine quid Romæ a discessu eius actũ sit, rogat per communem pacem ecclesiæ, vt quam primum rebus consulat, in Italiam quam ocyssime volet: indies enim aduersariorum vires crescere, eosq; in vulgus spargere de Cæsare mendacia, esse occupatum in Germania, Principes bellum aduersus eum parare, nihil præsidij reliquum in eo esse: destitutum enim vbiq; amicis & sociis. Hæc vbi Lotharius audiuit, selectissimorũ militum copias parat, maiores illis quas antea in Italiam duxerat, ducit eas per vallẽ Tridentinam in Italiã. in itinere Cremonenses &

ſes & Mediolanenſes occurrunt Cæſari obuiam, petunt vtrique a Cæſare contra alteros auxilium. Nam diu inter ſe bellum geſſerunt, Imperator auditis vtriſque, & cauſa percognita, Cremonenſes condemnauit, & imperauit, vt impenſas, & omnia damna Mediolanenſibus reſtituant. Legati vbi hanc Imperatoris Germani contra ſe ſententiam domum retulerunt, Cremonenſes vrbem munire, præſidia vbi opus videbatur, diſponere, itaque ſe Lothario opponere conantur. Imperator eorum agros & caſtella depopulatus, vrbem præterit, veniitque Papiam, cuius vrbis ciues magna pecunia gratiam Imperatoris emerunt, iuraruntque in leges eius. Æmilienſes & Bononienſes quoque occurrunt, oblatis muneribus gratiam & pacem petunt; peragrauit totam Italiam omnes ciuitates in deditionem accipiens. In Campania & Apulia non mediocriter laborauit, cum Rogerio præliis aliquot dimicans, & eum ſuperans, & fugientem vſque in Calabriam parte exercitus perſequens. Omnia autem vbique ſubdit ſibi Lotharius, & eccleſiæ reſtituit quæ Rogerius rapuerat. Apuliam viro forti ſummo amico ſuo Rainaldo tradit Cæſar, vltra mare fugato Rogerio. Antipapa interea temporis moritur, Romanique vno ore, corde autem minime, Innocentium agnoſcebant Pontificem. Quare Imperator, Italia imperio ſubiecta, & Pontifice in locum reſtituto, in Germaniam reuertitur. Ecce in itinere non procul a Tridento lethaliter ægrotare cœpit, & in ruſtico tugurio in monte hęrente moritur, anno regni ſui duodecimo. Cuius morte audita Itali factionibus & ſeditionibus, magno Italiæ malo, omnia confundunt. Rogerius rurſum contractis in Sicilia copiis, Apuliam recipere conatur, ſed victus a Rainaldo (cui Lotharius Germanos milites diſcedens reliquerat) fugit in Siciliam. Sed non diu poſt Rainaldo vita defuncto, Rogerius reuerſus Apuliam recepit omnibus nobilibus Apuliæ vel occiſis vel in exilium electis, hinc ſeipſum Siciliæ regem nominauit. & a Pontifice Innocentio exigit belli impenſas, præterea multa mala illi facit. Anno Domini 1138, excęſſit e viuis Lotharius, a cuius morte ſtatim Conradus dux Sueuorum, in conuentu principum eligitur ad imperium, apud Confluentiam; omnes principes in hoc eligendo vnanimes fuerunt, præter Saxones & Henricum Bauariæ ducem, cui cognomen fuit Superbus; Henricus enim dux Bauariæ cum haberet imperialia inſignia, quæ moriens Lotharius illi potiſſimum commiſerat, quoniam gener erat Lotharij, ſibi imperium iuſtius deberi arbitrabatur: reſiſtebat igitur & contradicebat illi electioni. Conradus igitur Babenbergæ comitia celebrauit prima imperij ſui, ad quæ Saxones venerunt, & mortui Lotharij vxor cum eis, petieruntque quędam ab Imperatore, nomine viduæ. quæ Saxonibus & viduæ Conradus, quia æqua videbantur, conceſſit. hoc modo gratiam & pacem Saxones conſecuti ſunt. Boioariorum dux Henricus illa comitia deſpiciens non venit quanquam vocatus, & expectabantur ab eo imperiales faſces. Poſt hunc conuentum, alium indixit Ratiſponæ celebrandum, præcipue propter Henricum Bauarum rebellem. Vocatus igitur eſt Ratiſponam additis minis niſi veniat. Henricus Principum conſenſum, & ſimul Saxonum cum Conrado concordiam & reconciliationem intelligens, imperialia inſignia Ratiſponam mittit, nimirum coronam, lanceam, & crucem. Simul mittit ſuos oratores, ſed tam apte dicere non potuere, vt potuerint Henrico placare Imperatorem: quem Conradi in ſe animum animaduertens Henricus, cognomento Superbus, in Germania nihil videns quod contra Imperatorem pro ſe faciat, vertit ſe in Vngariam & Italiam: quare ad Rogerium mittit legatos, & adhortatur clam, vt ſtrenue pergat; Rogerius nihil egens ſtimulo (ſatis enim ſponte currebat) multos iam amicos imperij, inter quos erat Robertus dux Capuæ, ex Italia expulerat, qui omnes ad Conradum venientes auxilium petebant. Sed Conradus veritus ne Superbus aliquid in Germania noui moliretur, non auſus eſt excedere Germania, quæ quomodo in eum eſſet affecta, nondum plene ſcire poterat. Conrado enim perſuaſum erat, nouo Principi nihil eſſe contemnendum quantumuis leue. Innocentius cum diu Imperatorem fruſtra expectaſſet, Romæ & per reliquam Italiam collectis copiis, proficiſcitur in Apuliam aduerſus Rogerij furores: ſed cum non ſatis peritos militarium rerum duces, & exercitum ex quibuslibet obuiis leuibus ocioſis nebulonibus haberet, prælio victus eſt, & Papa cum cardinalibus & epiſcopis qui expeditionem eam ſequebantur, captus eſt a Rogerio. Porro rex Rogerius vbi cognouit Papę & cardinalium ingenium non-

1138

nihil, liberos dimisit, & reuerenter comitatos Romã deduxit. Qua in eos beneficentia & liberalitate consecutus est id quod sperarat, nempe Pontifex communi cardinalium consensu eum in regem vnxit, & coronauit, appellauitque eum regem Siciliæ. Rogerius igitur vt stabile esset regnum suum, Conrado negotium vbicunque fieri posset, faciendum iudicauit. Quare Guelfonem & Henricum, duces Bauariæ, adiutos pecunia contra Cõradum concitauit. Rex quoque Vngarorum Conradum Imp. minus potentem optans, omnemque occasionem eum minuendi captans, postquam audiuit Bauarorum duces eius hostes esse, adhortatus est eos, clamque pecuniam & rei militaris fortissimos viros misit illis, simul consilia eum aggrediendi dat. (Rex enim ille Vngarorum erat vir incomparabili prudentia in bellicis rebus) & simul pollicetur maiora auxilia, si bellum serio & forti constantique animo gerant. Rogerius interea non cessat in Italia suum regnum propagare latius, & stabilire omnibus modis. Et ciuitates optimatesque Italiæ de imperio partim blandimentis, partim donis, partim minis abducere & absterrere. Etiam apud Innocentium Pontificem effecit Rogerius, vt Imperatorem Conradum multis rationibus impediret. Conradus hæc intelligens, hostium consilia non contemnenda iudicauit, sed quam primum contra eundum. Comparatis igitur copiis maximis, ducit contra Guelfonem, qui cum suis copiis erat in minori Rhetia, non longe a castro Flochberg. Conradus magnam militum multitudinem habuit ex Sueuia, & ex illis agris qui nunc sunt Heluetiorum, & ex Hercynia silua. Dux Bauariæ Italos & Bauaros in suo habuit exercitu. Vterque ergo confisus virtute suorum militum, congrediuntur. Sed Guelfonis acies impetu Conradi perturbata est statim post coitionem primam. Quare in pedes se coniicientes, dissipati fugiunt in montes. Ipse quoque Guelfo montium siluestrium latebris vitã debuit. Magna multitudo capta est in eo prælio ex Italis & Bauaris. Guelfo iterum breue post tempus suas recollegit copias, aduersus quem Conradus mittit filium suum Henricum iuuenem bellicis laudibus cum quouis veterum conferendum. Hic Henricus cum hoste conflixit non procul ab oppido Winsperg, eumque vicit & fugauit. Hoc oppidum post prælium obsidione ad deditionem redactum, concessit Henricus Conradi filius (alij Conradum ipsum in obsidendo oppido adfuisse scribunt) matronis & virginibus, propter gratiam, fauorem & amorem erga muliebrem sexum, vt quæcunque humeris portare possent, liceret efferre, quæ neglecto muliebri mundo & precioſiore suppellectili, maritos suos humeris impositos extulerunt secum. Et hæc industria coniugalisque amor Principi totique exercitui admirationi & voluptati fuit. His bellis confectis, & ducibus Bauarorum fractis, Conradus cogit Herbipoli comitia Principum, vbi Henrici ducatum aliis tradit, proscripto Henrico. Henricus ad amicos suos in Saxoniam se contulit, & exposuit eis fortunas suas. Quorum auxilio vehementer afflixit eos quibus Cæsar dederat ducatum Bauariæ; & cum iam esset recuperandæ ditionis spes, morbo corripitur Henricus, paucisque diebus ægrotus obit. Post mortem patris filius cui quoque nomen erat Henricus, bellum, Saxonibus adiuuantibus, a patre inceptum prosequitur. Adfuitque quoque Guelpho patruus illi: sed post multam cædem, ob paupertatem a proposito coacti sunt desistere. Multa his temporibus scribuntur apparuisse in Germania passim, acies armatorum instructæ, gladij in aere, armati per aera non aliter atque per terram gradientes, missas celebrantes sacerdotes, & ministrantes angeli, & cætera. Quæ cum a vero abhorreant, mulierc ularumque deliramenta seu fabulæ, quibus pueri terreri solent, sint, non dicam. Vt ad Imperatorem Conradum redeamus. Hic Conradus Germaniam patriam suam impensissime dilexit, multis egregiis ædificiis exornauit. Norinbergam vrbem non Germaniæ modo, sed etiam totius Europæ, imo orbis terrarum ornamentum, hic Conradus auxit ædificiis, institutis & priuilegiis) debetque illa ciuitas magnam sui partem huic Imperatori. Monasteriumque illic ad sanctum Ægidium fundauit, viasque circa eam vrbem vndique latrociniis obsessam, tutas reddidit.

1126 Anno a natiuitate Domini 1126, die Mercurij in hebdomada festi Pentecostes per totam fere Germaniam pruinæ frigore perierunt arborei fructus, & fruges, vites, cum fertilissimum omnia pollicerentur annum. Frumentariæ fruges erant in flore, tenerrimus in vitibus abundabat humor: quibus causis est factum, vt expositissima frigori fuerint.

fuerint. Post gelu hoc mox 16 Calend. Iulij imbres secuti sunt tanti, vt aluei torrentum & fluminum capere aquam non potuerint, & exundatione frumentum & pabulum plurimum perierit. totaq; ea æstas pluuiosa fuit. quæ causa fuit vt apes pene omnes per Germaniam perierint. Autumno proximo varia morborum genera secuta sunt. Circa vel ante hæc tempora Bernam & Friburgum in minori Burgundia ædificauit dux Sueuiæ Bertoldus de Zeringen, qui ædificauit etiam arcem Brisaci, ex qua Burgundiam bello diuturno afflixit. Leguntur igitur in porta hi versus insculpti,

Hanc dux Bertoldus portam struxisse notatur,
Ex qua propria fraude Burgundia depopulatur.

Quanquam quo tempore hic Bertoldus vixerit non concordes scribunt, nec ego ausim quicquam asserere. Hic Bertoldus cum parua equitum manu sæpe incursionem in Burgundiam fecit, retulitq; magnam prædam. Belli causa erat, quod duci Burgundiæ commiserat filium instituendum in militari disciplina, quem dux Burgundiæ tractauit contumeliosius. Bertoldus igitur reuocat filium domum, & copiis in Bernẽsium Friburgensiumq; agro conscriptis, ducit eas in Burgundiam, cui dux Burgundiæ se opponit. Cumq; vtrinque aliquandiu leuioribus præliis pugnassent, tandem Bertoldus, cum in ea regionis parte illi omnia essent infesta, Brisacum se recepit, illius munitionibus fretus, bellum diu gerit cum Burgundionibus. Hanc familiam de Zeringen peruetustam, amplam & diuitem fuisse testantur vetera eius monumenta quæ adhuc hodie visuntur per Germaniam. Ruthardus de Zeringen, Alsatiæ Princeps, fundauit monasterium Gengenbach, & alia magna quædam monasteria, & donarũt ecclesias multas per Alsatiam non vulgaribus muneribus. Bezelinus & Gebiso fratres ex familia illa, inceperunt & perfecerunt monasterium monialiũ in Sultzberg, vbi sepulti sunt. Gebhardus ex ea familia episcopus Constantiens. fundauit monasterium sancti Petri Constantiæ. Sunt alia multa virorum & mulierum huius familiæ nomina, quæ multis locis passim per ecclesias leguntur lapidibus monumentorum inscripta. Testanturque inscriptiones illæ plusquam octingentos hanc familiam durauisse. quod ratũ est, propterea mihi visum est notabile. Oportet enim bonæ constitutionis corporis fuisse illam familiam, quæ tam diu durare potuit: bonamque constitutionem boni quoque mores secuti sunt necessario; sicut necesse est malã corporis temperiem malos etiam animi mores sequi. Etsi non ignorem esse benedictionem Domini: sed Dominus solet per huiusmodi media benedicere. His temporibus fuit conuentus Principum ecclesiasticorum & secularium Moguntiæ, in quo est tractatum de doctrina & morum probitate viris probatis in monasteria constituendis, qui iuuentutem nobilium potissimum (quos bene institutos & humanitate imbutos, vtile est multis) moribus & disciplinis instituerent. Nec fere ex nobilibus quisquam erat qui non in monasteriis educaretur. Hinc virgines castæ & modestissimæ nuptui dabantur in timore Domini educatæ. Turcæ & Saraceni in Asia Christianos afflixerunt miserrime. Quos miseratus Ludouicus rex Galliarum, conscribit copias, comparatque omnia bello necessaria, & in Asiam nauigat. anno Domini 1146. Conradus quoque Romanorum rex a Pontifice & Principibus reliquis rogatus & adhortatus est ad eam expeditionem suas vires præcipue ex Germania conferat. Quare comparatis exercitu & apparatu omni ad tam longinquam expeditionem necessariis, verno tempore per Bauariam & Austriam, & Vngarorum fines profectus est, in magnis æstatis caloribus peruenit Constantinopolim cum toto exercitu incolumi, præter paucos æstus impatientiores in itinere aut mortuos, aut ægrotantes relictos. Hic est cum omnibus suis omni honore exceptus ab Imperatore Constantinopolitano Emanuele, quo cum multa de imperio, multáque de Turcis contulit, & adiutus ab eo commeatu, nauibus & nautis in Syriam per mare venit secundis ventis. Postea Iconeum, quæ est Lycaoniæ Metropolis, appli- 1146
cuit. hactenus quocunque venerunt, vsi sunt felicibus successibus, & omni humanitate excepti sunt a regionum incolis. Imperator Constantinopolitanus viarum duces dederat nostris, qui nostros per deuia duxerunt, ab Iconio semper pollicentes breui venturos in regionem omni genere frugum & pabulorum plenam, nostri sequebantur longis itineribus, cumque pene omnem consumpsissent commeatum, nocte clam ex castris subduxerunt se duces. Qua causa ignoratur, suane malitia,

an mãdato Emanuelis ſui domini, an pecunia corrupti a Saracenis, an propterea quod ex ignorantia ſeduxerint ſe & noſtros: & cum noſtros viderent nullum habere commeatum, idcircoq; iraſci timuerint ſibi, dubium eſt, quanquam tam bonos viros fuiſſe narrant, vt totus exercitus fere nihil peius ſuſpicatus ſit, quam quod ignorantia errarint, & nullum finem ſciuiſſe viæ. Luce igitur orta, duces nuſquam apparent, Imperator conuocat Principes, conſultant quid in tanta difficultate faciendum ſit, pars cenſebat progrediendum, alij conſulunt redeundum. Quod fieri non potuit, aut enim breuius inueniendum iter ad homines, vbi inueniant alimenta ſibi & iumentis, aut moriendum: tam longo itineri enim ad redeundum quæ habebant alimenta reliqua non ſufficiebant. Vicit igitur ſententia eorum qui iudicabant quam primum iter arripiendum, & procedendum, forte enim breuius iter eſſe. Cum igitur aliquantulum proceſſiſſent, illis qui in primo agmine fuerũt, obuiam Turcarum equites veniebant, qui noſtros laceſſebant freti celeritate ſuorum equorum. Noſtri gaudebant ſe videre homines, quanquam hoſtes eſſent, ſic enim aliqua ſpes aliquo modo apparebat fame conſumptis. Igitur hoſtes ſecuti fugientes ceu fideles itineris duces, conſpexerunt magnarum copiarum hoſtilium aciem aduerſus ſe venire. quare noſtri fame debilitati, quam primum mori aut victores hoſtium caſtris potiri cupiebant. Inſtruunt igitur vtcunque aciem in locorum magna iniquitate, & quanquam viderent propter famem ſe non diu poſſe prælij labores ferre. Ventum eſt igitur ad pugnam, diuq; pugnarunt vtrique fortiter. iamque hoſtes aliquot paſſus ceſſerunt; noſtri vero fame deficientes non ſatis inſtanter inſecuti ſunt: quamobrem rurſum conſtiterunt hoſtes, & debilitatis noſtrorum viribus, opprimuntur multitudine Turcarum. nec tamen fugæ ſe commiſerunt, ſed omnino defecti omni corporis robore, animi tamen vigore pugnantes, cadunt. Vbi Conradus Imper. videt omnes trucidari, nullamq; ſpem victoriæ prorſus relictam, hortatur vt paulatim pedem referant, ſed nihilominus hoſtem repellant cedentes, vt non totus exercitus deleatur. Supererat autem vix media exercitus pars. Hoſtes inſecuti ſunt eos fere miliare, in editum locum ſic paulatim peruenerũt noſtri, vnde facile hoſtem repulerunt, loci freti opportunitate. Circa crepuſculum igitur muniunt leuiter locum, nam bene non poterant, deerant enim vires, & deerant inſtrumenta ad fodiendum. Ea nocte equos aliquot mactarunt & comederunt, quibus vehemẽter opus habuiſſent ad vehendos vulneratos & alioqui debiles. Per totam eam noctem clamarunt ad Dominum Deum, vt non in finem relinqueret populum ſuum. Peruenerunt autem ſequentibus diebus non procul a Nicea vbi quidam cibos inuenerunt. Subſequentem igitur conſtituunt expectare Ludouicum regem Gallorum, nam breui aduenturum ſperabant. Rex igitur Galliarum Conſtantinopoli non minori honore quam Cõradus eſt exceptus, & deductus ab Emanuele Imperatore Græcorum. Vbi in Bithyniam peruenit, rumor ad illum perfertur Imperatorem Conradum exercitum ſuum pene totum amiſiſſe. Hic Ludouicus rex exanimatus eſt dolore pariter & metu (nam non minus confidebat Conradi copiis quam ſuis) conatur cauere ne hæc fama in exercitum ſuum perueniat; ſed nullis vinculis potuit continere fama malum ocyſſime creſcens. Vbi exercitus Gallorum de clade Conradi audiuerunt, ſtatim animi deiecti ſunt. Multis vero de reditu in patriam conſultantibus, rex properare, & ſe cum Conradi reliquiis coniungere ſtatuit. Igitur Ludouicus paucis poſt diebus peruenit ad caſtra Imperatoris. Germani, viſis Gallis, reſpirant; Galli vero exercitus Germanorum calamitate ob oculos poſita, ſpiritus amittunt. Imperator & rex Ludouicus diligenter conſiliis communibus deliberant quid faciendum ſit, poſtq; longas diſputationes tandem conſtituunt Epheſum vna proficiſci; quo vbi peruenerunt, Imperator ſiue faſtum Gallorum non ferre volens, ſiue propter paucitatem ſuorum, ſiue quod parum cenſuit regiis copiis territis confidendum, cum ſuis recta reuertitur Conſtantinopolim. Vbi oppreſſus hyeme manere aliquot menſes cogitur, neq; enim per hybernum cœlum ventis turbatum nauigare poterant. Rex vero Galliarum Epheſum relinquens, peruenit ad Venandrum flumen, quod tranſire noſtros prohibebant Turcæ, quare ad fluminis illius vada hæſit per aliquot dies exercitus regius: verum quotidie alacriores reddebãtur Chriſtiani, & cupiebant vltroq; poſtulabant milites hoſtem aggredi. Nam ripæ fluminis non erant eiuſmodi, vt magnopere aut noſtros impedirent, aut hoſtes iuuarent.

Ludo-

Ludouicus igitur clam per deuia mittit, qui alio loco conentur transire, qui repulsi ab hostibus redeunt ad exercitum, & affirmant propter paucitatem non potuisse se pertransire; quod si plures fuissent paulo, nullam difficultatem fuisse in transitu. Quare cum rex videret in longitudinem aliquot miliarium præsidiis hostium ripas munitas, diuidit exercitum in aliquot partes, quas simulat se in diuersis locis transmittere velle, quo hostes minus perseuerarent coniuncti in vno loco. Discedunt igitur nostri, tanquam quidam ascendentes in superioribus locis, quidam descendentes in inferioribus locis velint pertransire flumen: hostes igitur nihil aliud consilij subesse putantes, cum & antea idem facere conati fuerunt nostri, dimittunt in omnes partes suos; nostri autem vt præceptum illis a rege erat, velocissime reuertuntur, & regem transeuntem sequuntur. & plane sic omnia ordinata erant, vt non discessisse, sed præcedentibus tantum primum locum dedisse videri possent, nam vna acies facta est, antequam primi ad hostes venerint. Hostes vero quo iussi a ducibus fuerant ire, profecti, expectant hostem. Tandem sero sine ordine concurrunt, cum primi iam essent cæsi, vel fugerent. Estq; hoc Ludouici consilio factum vt sine suorum magna iactura infinitam hostium multitudinem occiderit, & magnam prædam adeptus, lætus cum hilari exercitu longius pergit. Magnus terror ab hoc prælio inuasit omnes earum regionum inhabitatores. Omnia igitur sine negocio capiunt, magnam omnium rerum copiam vbique inueniunt. Sed dum illi gestientes victores indulgent genio, hostes colligunt magno studio vires, & occasionem opportunitatémue captant, qua vlciscantur se, & focos & aras tueantur. Nostris igitur iter facientibus per montem sine ordine, hostes a latere in vertice montis irruentes in nostros diuidunt illos, qui præcesserant ab illis qui sequebantur. itaque hostes, nostris paucis in summitate montis facile victis, facile ex superioribus locis, in nostros sub oneribus pressos tela & lapides mittunt. Pugna fit magna, Christianis diuisis vtrinque in hostes impetum facientibus, Turcis magnos lapides deuoluentibus. Magnus nostrorum numerus cadit. nox dirimit pugnam. Silente nocte nostri qui in extremo agmine fuerant, reuertuntur rursum ad montis radices, & circuitu itineris longo iungunt se illis qui superarant montem. Magnam cladem in prælio acceperunt Galli, & cõmeatus qui sequebatur, sequi non poterat. quare fames non parua afflixit exercitum. Tandem post longa itinera & magnas difficultates Satiliam peruenerunt, quæ vrbs est subiecta Imperatori Constantinopolitano. A ciuibus eius vrbis nostri adiuti nauigãt ad portum S. Symeonis, vbi aliquot dies moratus est, vt fessos recrearet, & vulneratis adhiberet curam. In eo portu occurrit regi Francorum Raimundus, Antiochiæ rex, cum donis, & reuerẽter exceptum ducit secum Antiochiam. Petitque Raimundus a rege Ludouico, vt aliquot vrbes adiicere suo principatui posset virtute Gallorum; sed negat Ludouicus vllam causam tam magnam esse quæ eum reuocare a proposito posset, Hierosolymam enim omnino se profecturum. Quare Antiochia discedens, Hierusalem petit Ludouicus cum exercitu. De his omnibus quæ acciderunt regi Gallorum post discessum suum, audiuit Conradus Imperator, qui hybernarat, vt diximus, Constantinopoli: quare hyeme transacta, constituit petere potius Hierosolymam ciuitatem Dei, quam domum cum ignominia redire. Quamobrem nauigat recto cursu ad portum Aconensem & postea, vt in longissimo itinere breui situ, Hierosolymam peruenit. effundit autem Imperatori Conrado se obuiam vniuersa ciuitas Hierusalem. Rex, clerus, populusq; deinceps ibant; & introductus est in sanctã ciuitatem. Pauculis post diebus nunciatur aduenire Ludouicus rex; cui obuiam miserunt patriarcham cum clero. Rex in ciuitate mansit: hocq; factum est vt declararetur Conradus Ludouico maior. Introduxerunt ergo magnifice regẽ Gallorum. Vbi igitur loca sancta visitarunt rex & Imperator, duce rege Hierosolymitano & patriarcha, conuenerunt de rebus regni Hierosolymitani consulturi, quo stabilirent quæ infirmiora videbãtur, & adiicerent alia. Communi autem consilio statuunt, Damascum vrbem obsidere, quæ vrbs potentia sua multũ Hierosolymitanis nocuit. Ea vrbs est sita in planitie, habetq; exilẽ agrum; sed cultura industriaq; fit fertilissimus. Neq; enim tam infelicis ingenij terra reperitur vlla, quæ non fructũ suum proferat si colatur, & seratur seminibus quæ non recusat natura soli. Copiis igitur iunctis, tres reges Hierosolymitanus, Imperator, & Galliarũ rex, ad Damascũ iter faciunt per montẽ Libanũ. vbiq;

ad vrbis Damascenæ mœnia veniunt, muniunt castra multis locis, quo includant oppidanos. Cum primum nostri accesserunt, Turcæ ante vrbẽ in hortis maceriis & densis arboribus munitis se continebant, nostros hinc repellere conantes, ne propius ad ciuitatem castra admouerent. & sane non nullius negocij fuit illinc deturbare, & intra mœnia cogere: sagittis enim in nostros iaculantes damnum dederunt non paruum; sed nostrorum virtus hortos, oppidanis in vrbem compulsis, occupauit. Iis igitur muniendis dũ nostri occupantur, eruptione facta Turcæ in nostros magno impetu ruunt; sed multis occisis in vrbem repellunt. Sed breui post tempore iterum erumpentes repulsi sunt. Postquam vero in ea parte vrbem videbant inexpugnabilem, altera vrbis pars credita est minus firma: quare per flumen nostri traduxerunt exercitum. Quod vbi factum est, ex loci natura potuerunt oppidani nostros prohibere (occupatis prioribus nostrorum statiuis) ab aquatione & commeatu. Quam ob rem frustra aliquoties conati expugnare vrbem, tandem sitim & famem diutius ferre non potentes, necessario obsidionem soluunt, & Hierusalem repetunt. Conradus igitur quam primum vtile esse iudicans redire ad imperium, veritus ne longior absentia aliquid domi mali pareret. quare comparatis nouis quibusdam & veteribus reparatis nauigiis, credit se itineri nomine Domini. Non multo post sequitur eum Ludouicus rex; sed in itinere incidit in classem Saracenorum, & ab illis capitur. Eodem forte tempore Rogerius de quo supra, Saracenos mari & terra superauit: regem Tunesij eo anno vicit, & illi pacem concessit, propter promissum ingens tributum. cumque Rogerius per maria vbique classe victor liber vagaretur, incidit disponente maris, terræ, & cœli Domino, in classem Turcarum, quæ habebat captum Ludouicum regem Gallorum. nauali igitur pugna commissa est, vincit Rogerius, classis tota hostium venit in manus Rogerij, regem Ludouicum viuum liberat magno cum gaudio. Atque hoc modo redit tandem post multa discrimina & multos labores domum Ludouicus rex. Conrado vero in eo reditu, quod sciam, nihil grauius accidit. In Germaniam vbi venit, curauit diligenter ea quæ ad religionem & communem pacem spectant, discordias hominum ambitiosorum stultas composuit, ecclesias ornauit, & fundauit nouas. Sed hæc frustra fieri*, nisi sint in ecclesiis personæ vitæ sanctitate insignes, quibus nihil cordi quam oratio & gloria Dei sit, quiq; fastum huius mundi vanitatem esse intelligant. Non diu vero post reditum in Germaniam, cœpit laborare morbo Conradus, quo quotidie ingrauescente tandem obiit diem, & regalibus adhibitis ritibus sepultus est in monasterio Lorch in Sueuia. Inscriptio sepulchri adhuc illic legitur. Mortuus est anno imperij decimoquinto.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-
OCTAVVS.

STatim post Conradi mortem, multis imperium ambientibus, & innouare multa cupiẽtibus, electores Principes Francofordię conueniunt, & eligunt post multam deliberationem Sueuiæ ducem, Conradi tertij nepotem ex fratre Friderico, Fridericum primum, qui cognominatus est Barbarossa. Et quanquam multi anhelarent ad imperium, donisq; Romæ & in Germania clanculum agerent; tamen hic concordibus omnium Principum suffragiis est electus. Post electionem Aquisgrani coronam imperialem accepit, in conuentu vtriusque status, secularis & ecclesiastici, Principum plurimorum ex Italia, Gallia & Germania. Et vndique ex longioribus nationibus statim legationes cum muneribus venerunt multæ. Erant tempore electionis huius Principis in Germania omnia vilia: vino ad extinguendam calcem vtebantur bono: frumenti non minor erat copia. In hacque rerum copia pax erat, nec vsquam grassabatur pestis. Eo tempore in collegiis monachorum & monialium iuuentus educabatur ad bonam frugem. Quanquam aliorum Principum formã non describere soleam, breuis cupiens esse; tamen non possum mihi temperare,

perare, vt non huius viri corporis formam attingam, pauciſſimis tamen. Corpore mediocris habitus & ſtaturæ fuit, fronte hilari, ſereno vultu, oculis ſplendētibus; ſeueritatem coniunctam cum comitate in facie tota præ ſe tulit. Libet hic aſcribere, quoniam nō inelegantes mihi vidētur, verſus Guntheri Ligurini, de hoc Imperatore ſic canētis,

Nobilitate viget, claroq; hinc ſanguine reges,
Inde duces contingit auos, facundia dulcis,
Forma nitens, animusq; ſagax, manus impigra, ſollers
Conſiliis, belloq; ferox, & pace modeſtus.
Mente ſenex, ætate puer, prudentia rerum,
Certus amor, robuſta fides, conſtantia mentis,
Nec frangenda malis, nec ſuſtollenda ſecundis,
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, ferus indomitusq; ſuperbis,
Supplicibus facilis, iuſtis pius, aſper iniquis,
Fortis ad inſtantes caſus, prudensq; futuri,
Præteritiq; memor, ſociis bonus, impius hoſti.

Huic Imperatori quantum debeat Germania, prædicari ſatis non poteſt. Vtinam quibus rerum habenæ regendæ commiſſæ ſunt, exempla illa ob oculos haberent die noctęq;. Statim poſt acceptam coronam, Mersburgi Danorum rex regiam coronam de manu Cæſaris accepit, & imperio iurauit ſe futurū fidelem. Multos conuentus in multis locis celebrauit, in quibus omnibus nulli rei ſtudere eſt inuentus vnquam, quā publicis commodis ſtudere. Quare initio imperij ſtatim meruit nomē patris patriæ. Gallia diſſidebat vehementer, ſed Fridericus Imperator eam compoſuit. Erat magna diſſenſio inter Henricum ducem Saxoniæ, & Henricum Luipoldi Marchionis Auſtriæ frattrem. Vterque enim Noricum ducatum ſibi arrogabat: vterque allegauit ius & cauſas, in ſpeciem ſaltem probabiles. Hanc litem Cæſar dirimere cupiens, magnopere laborauit. In ſuperioribus eſt dictum, qua cauſa Conradus Imperator Henricum Superbum repulerit a ducatu Bauariæ. Eum autem ducatum Luipoldo Marchionis Auſtriæ filio contulit. Hic Luipoldus admodum adoleſcens mortuus, reliquit ducatum Henrico fratri ſuo. Hæc fuit cauſa magnorum motuum in regionibus Norici ducatus, Sueuiæ & Bauariæ: cęſiq; ſunt multi eam ob cauſam. Fridericus Imperator multa tentauit, quibus componeret rem, ſed diu nihil proficere potuit: ita odio occalluerant pertinaces animi. Tandem adhibitis Germaniæ Principibus omnibus, hac ratione pacem inter eos ſtatuit: Ducatū Boioariorum Henrico de Saxonia reddidit. nam hęreditario iure ad eum pertinebat, quem parentes & auus eius poſſederant. Henrici vero Auſtriaci animum alio modo placare conatur. Cum enim ante Marchionis titulum tantummodo haberet, appellat eum Auſtriæ ducem. quare hic Henricus, nomine Marchionis in ducis titulos mutato, alter Henricus vero ducatu Bauariæ cōtentus, deponit iram. Hac diſcordia prudenter per Imperatoris induſtriam ſedata, Guelfo frater Henrici ducis Saxoniæ palam coram Principibus conqueritur, ſe iniuſte negligi, & ſuis facultatibus priuatum. Cui patrocinatur dux Bauariæ Henricus, germanus frater eius. Fridericus rex Rom. cupiens & hunc placare, contulit illi Marchiam Tuſciæ, ducatum Spoleti, & principatum Sardiniæ. Hi fratres Guelfo, & Henricus dux Bauariæ, fuerunt auunculi Imperatoris Friderici; quæ conſanguinitas cauſa fuit potiſſima propenſi ad eos iuuandos animi. Hoc enim peculiare hic Princeps habuit, quod omnibus viribus & ſtudio ſuos euexit, & beneficiis affecit; ſed (quod laudabile eſt) non quoquo modo. nam nuſquam iniuſte deprehenditur, quenquam ex ſuis iuuaſſe per oppreſſionem aliorum. Erat illi frater Conradus, quem Palatinum comitem Rheni fecit, vita defuncto Hermanno comite Palatino, hærede nullo relicto, ad quem iure peruenirent Palatinatus. Hic Conradus Imperatoris frater Heidelbergam oppidum & arcem ædificando ampliauit & decorauit, ante eum enim nihil illic erat nomine memorabili dignum. Libenter enim eo loco habitauit. Collegium ſacerdotum in Neuuenburg iuxta Heidelbergam mutauit in monaſterium monialium, & annuos reditus auxit. Cauſa mutationis hæc fuit: In oppido voluit doceri & inſtitui pueros, aliaq; habebat virorū monaſteria, in quibus inſtituebātur pueri ingenui. Hoc autem voluit eſſe ſcholam puella-

rum ingenuarum, vbi in pudicitia ad timorem Domini, & ſanctam maritorum poſt nuptias obedientiam, puellæ inſtituebantur. Credidit enim ſeculum quod tum erat, & aliquot quæ poſt antéque erant, nullam magis ſalutarem rem vnquam inſtitutam, quam tales ad vtrumque ſexum ludi inſtituti, hoc eſt monaſteria, ex quibus prodibunt tot caſtæ ad maritos virgines, quæ factæ matronæ ſuam prolem educabant, ad modum quo ipſæ erant educatæ, aut domi, aut in monaſteria traditam. Ex illis ſcholis prodibant iuuenes, modeſtia & timore Domini, humanitateque præditi. Neque erat vllus nobilium, qui ſuos non tradiderit inſtituendos in has ſcholas, vbi erant præceptores, vacantes lectioni & orationi & ieiuniis. Quam aliam cauſam putas eſſe tam bonorum Principum & modeſtiſſimæ nobilitatis, qui fuerunt per aliquot ſecula? Nemo fere a Carolo Magno Principum fuit, qui nõ in monaſteriis educatus ſit a puero. Confer priores Nerones ad illos Principes, de quibus partim iam dictũ eſt, partim dicemus in ſequentibus. Et ſi vllum ſeculum eſſet futurum (quod omen Deus auertat) quod inſtitutionem illam ſanctam iuuentutis & religionem contemneret; ſuo magno malo & infelicitate eſſet viſurum inhumanitatem & impietatẽ omnium hominum, a maximo vſq; ad minimum; & nulla eſſet viciſſitudinaria affectio humanitatis futura: quale ſeculum videntur minari futurum ſacræ literæ, cum prædicunt charitatem nullam aliquando in hominum cordibus futuram. Quare qui timent Dominum, & non exuerunt omnem humanitatem, huiuſmodi ſcholas augeant, ſuis facultatibus in eas collatis. Vt ſint vero boni in eis viri qui ſeruiant Domino, quibus religionis verum ſtudium, amor proximi, bona literarum ſtudia cordi ſint; curandum eſſe non nego, & Dominum orandum, vt tales mittat. Et in ſuperioribus dictũ eſt, Principes optimos hoc ſummo ſemper ſtudio curaſſe. Erat Friderico Imperatori vxor filia Marchionis de Vogſperg, quam ille conſanguinitatis nomine, teſte Abbate Vrſpergenſi, habere nõ potuit: quare repudiauit eam. An fuerint aliæ (quod quidam putant) cauſæ, neſcio. Duxit poſt diuortium aliam, filiam Rainaldi Burgundiæ comitis, quæ peperit illi Henricum, Fridericum, Conradum, Philippum, & Othonem. Fridericus, in Germania omnibus diſpoſitis feliciter, paceq; inter omnes firmata, cõſcribit exercitum; comparatiſq; omnibus ad profectionem neceſſariis, verſus Italiam mouet caſtra. Vbi cum copiis Italiam attigit, veniunt illi obuiam Mediolanenſes; petunt priuilegia quædam; petuntq; Cumæ & Laudæ dominium; magnam pecuniam promittunt; & cauſas quur petant addunt. Sed cum apud Imperatorem æquum & iuſtum eſſet pecunia precioſius; non potuit induci, vt adimeret iſtis, illis adderet. Mediolanenſes igitur non ferebant æquo animo, quod negauit illis id quod petebant. Volentes autem ab vrbe ſua quam longiſſime Imperatorem cum exercitu iter facere, per difficilia deuia circũduxerunt eum per tres continuos dies. Tandẽ intellecto eorũ conſilio, & fortaſſis aliquid peius metuens, recta petit, contra Mediolanenſium conſilium & voluntatem, Mediolanum: Cumque vrbi appropinquaſſet, pro iuſto precio exercitui neceſſaria petit: quod cum negarent, iratus Cæſar Roſatum, caſtrum eorum egregium, quod habebat ſupra quingentos in præſidio armatos, capit, & incendio conſumit totum, & omnem agri eorum regionem peruaſtat, vſque ad vrbis portas. Nec mediocris timor in vrbe fuit, ne expugnaret vrbem: multas præter dictum caſtrũ eorum arces deiecit: nominatim vero Gailardam, Trecam, & Minimam deſtruunt ferro & igne. Perque Padum flumen exercitu traducto, Curam vaſtant vrbem, Aſtam incendunt, Dertonem obſident & capiunt, vrbem præſidiis & loci natura munitiſſimam. Papienſes aliorum iactura damnoque docti, Imperatori obuiam veniunt, & ſe ſuaque omnia commendant, cum magna reuerentia coronatum in vrbem ducunt. aliquot dies illic commoratus, officiis eorum oblectatus eſt. Diſcedens illinc per Longobardiam, Romaniam, Tuſciam, & Sutrium, Romæ appropinquauit. Ibi Pontifex Romanus cum ſuis cardinalibus, epiſcopis totoque clero occurrit Imperatori, offerens illi primum coronationem, imperialemque conſecrationem. Deinde agit cauſam ſuam aduerſus Romanos, qui intulerant illi iniurias. deq; rebus eccleſiaſticis & Repub. Romana multa collocuti, perueniunt Romã. In Baſilica diui Petri imponit imperialem coronam Friderico Pontifex, in magna hominum frequentia. Romani vero conati ſunt exercitum Germanicum Imperatoris ex improuiſo opprimere. quare per totam Adriani erumpunt magna violentia & impetu in Germanos:

nos: quibus parati Germani opponunt se,& occisa magna eorum multitudine,magna etiam capta, fugant. Qui conatus Romanorum postquam male cessit, pacem petiere & gratiam ab Imperatore & Pontifice, quam assecuti sunt: & redditi sunt illis capti. Omnibus igitur Romæ dispositis, & Pontifici subiectis, Fridericus Germaniam petere constituit, sed per aliam Italiæ viam domum profectus est, in quibus scilicet Italiæ regionibus erant adhuc rebelles. Spoletum igitur, vrbem rebellantem & multa seditiose contra maiestatem Cæsaream conantem,cepit vi, & solo æquauit. quo exemplo reliquarum multæ territæ, sponte veniunt, obtemperaturas se imperio promittunt, quæ omnes gratiam Imperatoris consecutæ sunt. Tam enim facilis & benignus in subiectos & officium facientes, quam seuerus in superbos & seditiosos fuit. Vbi venit vsque ad montis Falerni angustias, difficilia transitu itinera, exercitus pars trãsierat montem. Albericus Veronæ Princeps occupat clausuras montis, & præcludit viam Imperatori; petitq; pecuniam ab Imperatore; alioqui minatur, non passurum transire eum per montem. Etsi maior exercitus pars mõtem superarat, & Imperatori coniungi non potuit; tamen Imperator, vir magni animi, non modo pecuniam dare recusauit, sed nec dignitatis suæ putauit, latronem per legatos alloqui. Quare Othonem Palatinum de Witilispach cum lectissimis expeditis militibus mittit per alias vias difficilimas, ductoribus locorum gnaris, qui per prærupta montis reptando supra hostes conscenderunt:& in inferiore mõtis parte expectabat Fridericus Cęsar. Illi igitur Germani in vertice montis cum magno clamore & animo inuadunt latrones,& magnam earum partem præcipitant; partim trucidatos, partim viuos quosdam capiunt. Fugientes cursunt in manus Imperatoris. Itaque expedito itinere, pergit Imperator in Germaniam per Tridẽtinam vallem. In Germania excipitur magno omnium gaudio, ignibus vbique in campis, collibus & montibus incensis. Veniunt ex longinquis nationibus legati cum muneribus amicitiam & pacem ementes. Imperator nihil aliud agit, quam vt fiat inter Christianos concordia, & sibi quam plurimos beneficiis deuinciat. Boëmorum ducem ob singulares boni Principis dotes coronat in regem. Polonorum dux, fœdus & fidem Imperatori non seruans, vincitur, & sub iugum mittitur, cogiturq; tributum dare maius, quam antea vnquam. Hæc dum in Germania a Cæsare fiunt; Italia tumultuatur, & seditionibus laborat supra modum. Roma vrbs & Pontifices hostiliter intestinis odiis inter se vitam misere agunt. Adrianus Pontifex Fridericum exitialiter odire incipit,quod non ad nutum eius in Italiam cum copiis Germanorum venit; quas querelas iniquiore tulit Fridericus animo, incepitque non leuiter potestatem pontificiam contemnere. Nullum legatum apostolicum ferebat in Germania, nisi a se vocatum. Sacerdotia ipse incipiebat conferre, quæ iuris pontificum Romanorum erant. Neque vllum ex Germania Romam ire patiebatur sub forma appellationis. Hoc testantur literæ Papæ & Imperatoris, quæ sic habent,

Adrianus episcopus, seruus seruorum Dei, Friderico Romanorum Imperatori salutem & apostolicam benedictionem. Lex diuina sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit,ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili,super prudentia tua nõ mediocriter admiramur,qui beato Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ non quantam deberes reuerentiam,exhibere videris. In literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ,notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis a te promissa & iurata? quomodo eam obserues, cum ab his qui Dei sunt & filij excelsi omnes, episcopis videlicet homagium requiris,fidelitatem exigis,& manus eorum sacratas manibus tuis innectis,& manifeste nobis factus contrarius, cardinalib. a latere nostro directis non solum ecclesias,sed & ciuitates regni tui,claudis. Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum a nobis coronam & consecrationem merueris,dum inconcessa captas,ne concessa perdas,nobilitati tuæ timemus,&c. Ad hanc Pontificis Romani epistolã ita respondit Imperator, Fridericus Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus Adriano ecclesiæ catholicæ Pontifici,omnibus illis adhærere quæ cœpit Iesus facere & docere. Lex iustitiæ vnicuique quod suum est, restituit. non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, a qui-

bus, videlicet progenitoribus nostris, & regni dignitatẽ susceпimus & coronam. Nunquid tempore Constantini Siluester regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed eius pietatis concessione libertas concessa est ecclesiæ, pax restituta: & quicquid regalis papatus vester habere dignoscitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Romano Pontifici scribimus, iure & ex antiquo nomen præponimus, & ad iustitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem, quæ Dei sunt, per adoptionem & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? cum ille noster & vester institutor ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum nobis dedit, vt ita faciatis. Docet vos, dicens, *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Aut igitur regalia nobis dimittant, aut, si hæc vtilia iudicauerint, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari persoluant. Cardinalibus vtique vestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates; quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecunię raptores; non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cum autem viderimus eos, quales requirit ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate; necessariis eos stipendiis & commeatu sustentare nõ differemus. Humilitatis autem quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam incurritis, cum huiusmodi quæstiones, religioni non multum cõferentes, secularibus personis proponitis. Prouideat itaq; paternitas vestra, ne, dum talia mouet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. non enim non possumus respõdere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam vsque ad sedem Petri reptasse videmus, paci ecclesiæ bene semper prouidentes. Bene semper valete. Hæ sunt scriptæ literæ a Pontifice & Imperatore, quæ extant cum alibi, tum in cœnobio Hirsaugiensi diœcesis Spirensis. Dum in hunc modum Imperator & Pontifex odiose commutant verba, episcopus Laudensis in quadam causa appellauit Romam, aduersus Imperatoris edictum. Cum vero ipse episcopus esset in itinere Romam versus, ab Imperatoris equitibus viarum custodibus verberatur, capitur, in custodiam ducitur & seruatur. Quod vbi Romæ nunciatum est, Pontifex rei indignitate incredibiliter motus, mittit ad Imperatorem quam primum legatos, cardinalem & cancellarium suum, viros morum seueritate & facundia præstantes. Qui, vbi peruenerunt ad Imperatorem, qui tamen forte Vesontij erat, literas Papæ obtulerunt Cæsari, quæ erant vehementer libere & mordaciter scriptæ & obiurgatoriæ, ita vt mirum in modum offenderint Imperatorem. Inter reliqua multa scriptum in illis fuit hoc, Quia quamuis nobis non ex æquo responderis, non tamen nos pœniteret, si maiora, quã acceperis de manibus nostris, beneficia susceпisses, &c. Nec minus mendacia & dura in mandatis habebant legati, quæ bona fide ex Pontificis iussu Imperatori in os dixerunt omnia. Nec vero aliud minus patienter tulit, quam quod in literis & oratione legatorum viua sæpe repetebatur, Pontifici Fridericum imperialem coronam & imperium ipsum debere. Quare cum vnus legatorum contentiose ad Imperatorem dixisset, Si ergo Imperator ab apostolico non habet imperium, a quo habet? Quibus verbis omnes aulæ Cæsareæ proceres ita succẽsi sunt supra modum, præcipue Otho Palatinus de Witlispach, qui gladium Imperialem manibus tenebat. euaginato enim gladio legatum qui hæc dixerat, petiturus: & a Friderico vix cohibitus est. Respondit legatis Cæsar fere in hanc sententiam, quam videmus in superius scripta epistola. Admonuit eos officij apostolici, exempli Christi. Quid interfit inter regem, administratorem Reipublicæ rerum terrenarum & huius vitæ; & ministrum ecclesiæ mysteriorumque religionis, multis exponit. Apostolici legati iniuriis affectos se queruntur; de sua potestate ex iure diuino & humano multa differunt, quo loco, quoque honore Deus suos excipi & haberi præceperit, quam autoritatem inter homines illis dederit. De clauibus multa, multa item de inferno & purgatorio; admonent præterea exemplorum Imperatorum veterum, quomodo reuerenter ecclesiasticos tractarint, quibus eos ornarint & donarint, qua felicitate & successu propterea vsi sint. Imperator iussis tacere, abeuntibus præcipit imperiose, vt via regia Romam reuertantur, ne quæstum in itinere faciant: si aliter compertum fuerit, non impune habituros.

rus. Legati Romam recta petunt: vbi illuc peruenerunt; Romano Pontifici enarrant iram & blasphemias(sic enim vocabant)Imperatoris; iniurias sibi illatas & vim factam queruntur, vix se mortem euasisse,nullum subulcum inhumanius ab vllo agrestissimo villico tractatum vnquam. Pontifex zelo accendi, meditari vltionem, cogitare de excommunicatione & anathemate cœpit: quamobrem frequentem episcoporum & cardinalium synodum cogit. Multa in ea synodo tractantur contra Cæsarem, sed discordant sententiæ.quidam exempla proferebant,quod Pontifices Romani Imperatores coegerint iuxta suas leges & voluntatem viuere: quidam cõtra proferebant exempla, quod Imperatores vrbes & Italiam diripuerint, & omnia miscuerint pro arbitrio, Pontificesque in exilium miserint.Itaque variantibus sententiis,in ea synodo statutum est nihil. Imperator quoque,conuocatis Germaniæ Principibus, queritur, quod Papa Romanus nimium sibi arroget, cupiatq; Imperatorem obedire,ceu mancipium,pontificiis constitutionibus quibuslibet; apud Principes multa disputat de functionibus ministrorum ecclesiæ, de pace ecclesiæ, & quid pariat bonos hominum mores. Principes Germaniæ videntes, quem tandem finem hæc tragœdia sit habitura, nisi quam primum principum Friderici & Adriani animos irritatos placent; quamobrem episcopum Babenbergensem cum aliis magnis viris ad Pontificem mittunt cum literis & mandatis mitioribus, & ad sedandas iras accommodatis. Quibus nihil Pontifex motus est, pertinaciterque in sua perseuerauit sententia. Quod vbi Imperatori renunciatum est; extemplo cum selectissimis copiis,non magnis autem,mittit in Italiam Othonem Palatinum, qui res in Italia disponat: seipsum cum itisto exercitu subsequuturum minatur Italiæ, nisi omnes ciuitates obtemperent Othoni. Quod vbi Pontifex intellexit, & totus cardinalium ordo; timor inuasit eos, maxime cum viderent, Italiæ ciuitates audientes esse Cæsari. Quare habito consilio, mittunt ad Cæsarem legatos episcopos & cardinales,qui de concordia agant,quique nihil aliud loquantur aut faciant, quam quod ad pacem faciat. Seorsum vero quosdam Principes Germaniæ rogat per legatos & literas Pontifex, vt se interponant, Imperatoris iram extinguant. Post illa Augustæ est constitutus conuentus Principum, vbi conuenerunt ecclesiastici & seculares Principes, quorum opera reconciliati sunt duo orbis capita, Adrianus & Fridericus. Hæc pax omnibus bonæ mentis Principibus gratissima fuit. nam quantum mali hinc timendum fuit, nemo paulo cordatior non intelligere poterat. Postquam vero in gratiam redierunt Imperator & Papa; Italia cœpit tumultuari intestinis odiis,discordiis & bellis. Et Mediolanenses adhuc memores malorum, quæ illis Imperator in prima in Italiam expeditione fecerat, rebellare cœperunt, & alios sibi iunxerunt rebellionis socios, qui erant Lombardiæ ciuitates quædam,opibus & viribus pollentes. Cumam & Laudam, quæ erant fidei Imperatoris commissæ, destruxerunt; & alia quædam, quæ Cæsar in eorum agro incendiis & ferro ante deuastauerat, omnia reparant; & Cremonenses qui obtemperabant Imperatori, nec abduci ab imperio poterant,multis modis affligunt Longobardi & Mediolanenses. Quæ cum tolerabilia nullo modo Imperator iudicaret; contrahit ingentes copias, quas in Italiam duxit: ad aduentum eius tota est territa Italia. Primum Brixienses ad deditionem compulsi sunt. Pergens postea castrametatus est iuxta flumen Adduam, vbi ab altera ripa Longobardæ & Mediolanenses hostes conuitiis Imperatorem lacessserunt, verbis ad terrendos animos ingeniose confictis,vt irritarint neminem ex toto exercitu magis quam Imperatorem, Ceruum ducem inter Leones; Leones hoc duce nihil egregie facturos; Ceruum sibi cauere loco,prodituru propediem exercitum. Imperator ipse flumen cum selectioribus paucis transiuit,lignea crate ex arboribus quibuslibet obuiis facta,& cum hostibus conserens manus,statim fugauit,qui se recipiunt in castrum proximum:quos Fridericus cum paucis secutus est vsque ad arcem in quam confugerant; signumque dedit exercitui,vt totus sequeretur,id quod factum est. Illi in castro obsessi, desperatis rebus suis, mittunt supplices ad Cæsarem nuncium qui oret, vt vitam donet omnibus qui in castro essent, & capiat castrum. Cæsar nihil illis promittere voluit. Quare coacti sunt se dare ad gratiam, vt loquuntur vulgo. Cæsar captis ducibus in castro,& militibus exutis omni militari habitu, cum pueris & mulieribus passus est nudos abire. Castrum militibus diripiendum concessit, & exurendum. Cæsar hinc discedens venit

Melegantium. Illic moratus duos dies, expectauit fruſtra Mediolanenſium nuncios, qui pacem peterent. Quare ſine cunctatione longiore, collecto & aucto militibus Italis exercitu, properat Mediolanum. Veniunt magna multitudine armatorum obuiam Cæſari hoſtiliter. Cumque inter foſſas, quæ erant inter Cæſarem & Mediolanenſes, conſtitiſſent, expectarentque Cæſaris tranſitum, qui erat difficilis, & non ſine certo diſcrimine copiarum Imperatoris, propter altitudinem & latitudinem; Cæſar per aliam viam mittit partem exercitus. neque enim longa valde erat foſſa. Interea iubet in proximis agris faſciculos facere ex arbuſtis, quibus milites complerent foſſam. Adſunt igitur qui miſſi fuerunt alia via, ſimul parati iniiciuntur faſciculi: & ſic duabus partibus adoriuntur hoſtem, qui primum impetum non ferens, fugit ad vrbis mœnia: quos Cremonenſes inſecuti ſunt longius quam Germani. Quos cum Mediolanenſes conſpexerunt ſolos, iterum ineunt cum illis equeſtre prælium, quod anceps permanſit, donec Imperator adcurrit, & Germanorum virtute intra mœnia cogit. Suburbia omnia incenderunt. Imperator vrbem obſidione circundat. Erat extra mœnia turris alta ad præſidium ciuitatis. quæ vbi in poteſtatem Cæſaris venit; vrbani deſperarunt de rebus ſuis; quare miſericordiam petunt a Cæſare. Nuncij qui venerunt ſupplices ad Imperatorem ex vrbe, inter reliqua quæ modeſtiſſime & humilime locuti ſunt, dixerunt, ſe agnoſcere læſæ maieſtatis crimen, non ignorare, ſe videri impudentes qui ſperent gratiam; tamen auſos ſe fuiſſe tentare, quod de animi lenitate Cæſaris omnes tam magnifica prædicent; fore maiorem laudem qui tam male meritis ignoſcere potuerit; nihil eſſe quod magnopere laudibus ferri ad aſtra poſſit, ſi quis leuiter delinquentibus culpam condonet. Seorſum vero locuti ſunt cum Principibus, qui erant cum Cæſare Friderico autoritate pollentes in ea expeditione, ſcilicet cum rege Boëmorum, Lupoldo Auſtriæ duce, Othone Palatino, Rainaldo Bambergenſi epiſcopo, & cum reliquis viris quos putarunt apud Cæſarem valere gratia & autoritate. Illorum quibuſdam munera clam dederunt. ij ergo apud Cæſarem inuenerunt Mediolanenſibus gratiam. Iuſſa eſt igitur vniuerſa vrbis multitudo inermis ad Cæſarem exire, & ſe ad pedes Cæſaris proſternere. Itaque fecerunt, & eſt illis vita donata. Nam Cæſarin animo habebat, omnes ad arma habiles occidere. Facta eſt igitur pax. Mediolanum ſubiugatum eſt. obſides dederunt. Longobardæ omnes veniunt poſt Mediolanenſium deditionem; miſericordiam petunt, Imperatori obedientiam promittentes. Imperator totam Italiam ſubditam in ſe ſolum reſpicere videns, legibus cauendum putauit, ne poſt hac tam leuibus cauſis rebellarent. Quare Principibus conuocatis ſupplicium genera ſtatuit in violatores pacis, & cõtemptores ſummorum magiſtratuum. Conſtituit quoque pecuniariam mulctam in eos qui violarent fœdus: nempe vrbes mediocres ſingulæ centum marcas auri perſoluerent; maiores ducentas; Marchio quinquaginta; Comes quadraginta; & ſic vſque ad tres marcas pro cuiuſque dignitate & facultatibus; qui tres marcas auri non haberent, pro magnitudine rebellionis aut mori, aut verberibus cædi & mitti in exilium deberent. Iudices quoque per ſingulas vrbes conſtituit. Scribitur a Friſingenſi (qui eo tempore vixit, & præſentem in Italia apud Fridericum fuiſſe eſt probabile) Imperatorem magna diligẽtia a iuriſperitis quæſiuiſſe quid iuris in ciuitates Italiæ Imperator haberet. Nam contra ius & æquum nihil voluit prudens ſciẽnsve facere, perſuaſus nihil iniuſti durabile eſſe poſſe. Omnes iureperiti & Principes eccleſiaſtici ſecularesque qui aderant, vna concordi ſententia adiudicarunt Imperatori omnia regalia, quæ ſunt monetæ, telonia, vectigalia, nauigia, officiorum dignitatúmve confirmationes, iudicum, conſulum, omniumque magiſtratuum creationem, exactiones præterea, quocunque tempore & quotieſcunque neceſſariæ ſunt ad imperium defendendum, aut tuendum, aut augendum. Has leges & conſtitutiones per Italiam promulgandas commiſit Imperator cancellario Rainaldo, & Othoni Palatino, & quibuſdam aliis: qui comitati forti militum manu hæc per ciuitates ſingulas ordine denunciant, & ſeruanda imperant. Vbi Mediolanum venerunt; conuocatis ciuibus, vt fecerunt in aliis ciuitatibus, conſtitutiones imperiales promulgant. Ciues, his inauditis apud eos auditis, reclamãt, & præconem interpellantes, non patiuntur dicere; eiiciunt ex vrbe legatos; mox contra Imperatorem multa faciunt: quod fuit plurimarum calamitatum cauſa. Nam Pontifex eam Mediolanenſium

sium rebellionem fouit, & illud de iure suo. Postquam Imperator decretum promulgauit per Italiam. & multæ præter Mediolanum vrbes rebellare, nouaque optare visæ sunt, omnesque alienatæ prorsus sunt. Pontifex rursum quoque discedit ab Imperatoris amicitia; vocat eum iniustissimum tyrannum, sæuum, & inflatum; legatos Cæsaris Romam ingredi prohibet, nisi cum velit ipse cum suis cardinalibus, vicem rependere volens. nam & Imperator in priore simultate in Germaniam non admittebat apostolicos legatos, nisi quum placuit. Minatur Pontifex, nisi desistat ab illis in Italia exactionibus, & imperiosa tyrannide, se toti orbi declaraturum, non Imperatorem esse Fridericum, sed prædatorem. Imperator veritus periculum, ne Papa cum Constantinopolitano principe fœdus iniret, præsertim hoc tempore, cum nouo imperiose decreto Italia exasperata esset; excusat se apud Pontificem verbis quam leuissimis, pacem non esse rumpendam; quid hinc mali prouenturum sit enarrat; se paratum mutare, si erret, sententiam; sapientum iudicio se commissurum causam suam. Hæc omnia Papa recusat, nec potest placari. quod cum intellexit Imperator, non est arbitratus ex sua dignitate esse, plura offerre. Quamobrem seditionem Mediolanẽsium comprimendam esse iudicauit, ne illi diutius impuniti aliis darent exemplum & fiduciã rebellandi. Cumas cum exercitu proficiscitur, eiusq; ciues in pristinum statum a quo a Mediolanensibus erant deturbati, restituit. Supra vrbem Cumarum arcem munitissimam ædificat, in illam præsidium militum Germanorum imposuit. Quam primum vero Imperator discedit ad alia quædam conficienda, prius quam aggrederetur vrbem Mediolanum, Mediolanenses ingeniose fabricatis machinis tormentorumque variis generibus, arcem confregerunt ædificatam apud Cumas, præsidium militũ Teutonicorum captum in custodia seruant. Quod factum Mediolanensium animos multis addidit, vt ausi sint aperte rebellare: quare festinanter Imperator in Mediolanenses ducit copias, det vrbem Fridericus cum maiore parte exercitus, reliquam partem contra alias rebelles vrbes mittit. Contra Cremenses quibus se adiunxerant multi Longobardæ & alij ex vicinia, misit Rupertum ducem primi loci in toto exercitu, Basilienſem cum militibus Basilienſibus, quos hic Fridericus multos in exercitu habuit, quosq; propter ratam virtutem singulariter dilexit. Hic Rupertus Basilienſis vbi venit cum signis Cremas, quæ sunt validissimum oppidum, occurrunt illi obuiam cum maiore multitudine amatorum, quam expectarant Germani, in loco æquo concurritur, primo vtrinque acerrime pugnatur, multi cadunt, oppidani tandẽ vertuntur in fugam; qui fugientium non peruenerunt recto cursu intra mœnia, capti sunt omnes, aut occisi. Aliquot diebus obsident oppidum, & expugnare nituntur frustra, tam paucis nullum ad oppugnationem apparatum habentibus impossibile erat expugnare tam firmam vrbem cum munitissima arce. Quare reuocati ab Imperatore, ad exercitum redierunt. Ad munitionem igitur Mediolanensium Imperator tempus terens, nec capiendæ vrbis spem manens habens, simulat discessum, receditq; in proximam siluam; mittit vero Papienses contra Mediolanenses solos, qui vbi congressi sunt cum exercitu, ex insidiis erumpit Cæsar, Mediolanensium magnam multitudinem occidit, magnam quoq; capit. Nec tamen post hoc prælium humiliati sunt Mediolanenses. Non ignoro quosdam scribere, quod & verisimilius est, Cæsarem cum maiore parte exercitus alio profectum, partem quandam exercitus posuisse in insidias. Imperator obsidionem tandem vrbis Mediolani soluere est coactus. Quare Cremas cum toto exercitu repetit. Primum colloquio res acta est. Imperator iura imperialia quę promulgata erant, & propter quæ Cremenses in armis erant, exigit; Cremenses munitionibus suis & castro firmissimo confidentes, negant quicquam talium daturos se, nec debere argumentis disputant. Addit etiam illis animum, quod Mediolanum cogi nondum potuerat, & quod iam olim Lotharius Imper. cum Germanis frustra diu in obsidione laborauerat. Imperator Fridericus eorum cõfidentiam animaduertens, magnis conatibus oppidum expugnare nititur. Altissimam ligneam turrim erexit, arietes, machinarum alias species muris inietcit, fossas succisis arboribus ac terra impleuit. Obsides quos ab illis antea ad confirmationem pacis acceperat, qui erant ciuitatis Principum filij, ad crates ligneas quæ turri erant appensæ, alligauit, in cõspectum propugnatorum, & hoc modo turrim ad arcem

propellit; nec potuit vllum telum in turrim Germanorum mitti, vt non tangeret vades qui omnes erant eorum liberi. Sic enim ſperauit Imperator ſe admoturũ turrim quocunq; vellęt: nec enim vllũ putauit tam inhumanũ impiúmve eſſe, qui poſſit ferre ſuos liberos in conſpectu ſuo trucidari. Sed oppidani indurati telis de caſtro miſſis, & aliis inſtrumentorũ generibus in ligneã turrim miſſis, ferro & igne crudeliter, contemnentes naturæ leges, ſuos interfecerunt. Cremenſes volentes par pari referre, quoſdam captiuos Germanos in edito loco ſupra muros erectis patibulis ſuſpenderunt. Germani poſtquã hoc viderunt, ſuſpenderunt multos captiuos quoq; in conſpectu oppidanorũ. Tandem tantis operibus ad oppugnationẽ factis, & muris deiectis in magna vrbis parte, & conquaſſatis turribus mœniorum, Cremenſes deſpondent animum, ſupplices rogant ea quę pacis ſunt, omnia facturos pollicentur, vitã modo donet Imperator omnibus qui in vrbe ſint. Imperator quantumuis exaſperarant illum, tamen timens Dominum miſericordes & mites beatos prędicantem, donat omnibus vitam, ea tamen conditione, vt tantum vna ſimplici veſte induti, cum paruulis exirent, relictis rebus omnibus in arce & vrbe. Miſerabile erat ſpectaculum, nudos viros, nudas matronas cũ paruulis ſic de ſuis penatibus, & facultatibus abire. Imperator vrbẽ militibus diripiendam dedit, & caſtrum direptum incendi iuſſit, & funditus tolli. Hæc dum gerit per Italiam Cæſar, Romæ fit maxima contra Imperatorem conſpiratio, in qua ſe aſtrinxerunt iuramentis & ſacramentis Papa Adrianus, cardinales & Siciliæ rex Guilielmus & multæ ciuitates Italiæ. Excommunicatur igitur Imperator Fridericus cum omnibus ſentientibus cum eo ſociis. Accidit autem cum Adrianus Pontifex excommunicationẽ promulgarat apud Anagniam vrbem, & multa in Imperatorem diceret, conſiliumq; cum eccleſiaſticorum Principibus caperet de alio Imperatore eligendo, procederetq; refrigerandi gratia cum familiaribus ſuis, venit ad fontem, ex quo auidius bibit, hauſitque muſcam, quæ gutturi eius inhæſit ita, vt nullis medicorũ artibus extrahi potuerit; mortuusq; eſt non ſine magno dolore. Abbas Vrſpergenſis hæc ſcripſit ante nos, ne quis de fide noſtra dubitet. Nam alij aliter ſcribunt, quæ mihi non probabilia ſunt. Vita defuncto Adriano mortis genere quo dixi, coniurata illa factio cardinalium, regis Siciliæ & ciuitatum Latij ad pontificatum euexit Rolandum Cancellarium Imperatoris inimiciſſimum hoſtem. Romanus vero populus ſuis magnis malis qtæ propter rebelliones ſępe paſſus eſt a Germanis Imperatoribus, eligit cardinalem Octauianum conſentientibus quibuſdam epiſcopis & cardinalibus: ſed factio quæ elegit Rolandum, fortior erat. quare electionem promulgant, appellaruntq; eum Alexandrum tertium; qui tamen propter multitudinem populi Romani ab vrbe ſecedere cogitur: neque enim Romani volebant vt propter eum iram in Vrbem euomeret. Alexandro ab vrbe expulſo, Victor (nam ſic vocabant Octauianum) occupat ſedem pontificiam pauculos dies. Alexander contulerat ſe ad regem Siciliæ, apud quem magna cardinalium & epiſcoporum ciuitatumque conuentus eſt celebratus, in quo conuentu Alexander inthronizatus, ita enim loquuntur, eſt. Alexander videns ſibi opus eſſe ad poſſidendum pontificatum Imperatoris autoritate & fauore, quare legatos ad eum mittit, qui Cæſarem orationum vi ſibi concilient, deque communi pace tractent, polliceanturq; Imperatori Pontificem imperij dignitatem cõmendatam habiturum. Fridericus vtrunq; Pontificem iubet ad ſe Papiam venire, amborumque cauſa per prudentes & ſapientes cognita, iuſte in re ſancta iudicetur. Alexander non fidens Friderico, cuius tam aperte hoſtis ſemper fuerat, Anagniam ſe confert. Fridericus grauiter tulit quod aut abhorrebat a iudicio ſapientum & piorum virorum, aut fidei eius non credebat Alexander, miſit ad eum legatos Imperator, & imperat illi vt veniat ad Papienſem ſynodum. In illa legatione nominat Imperator eum non Papam, ſed cardinalem. Quæ res commouit non mediocriter Alexandrum: quare ſuperbius reſpondet Imperatori, dicens, Romanum Pontificem a nemine iudicari debere. Victor vero vocatus ab Imperatore, Papiam venit, quem ſynodus Papienſis vno omnium conſenſu Papam declarat, & Cæſar Papam ſalutat, & equum eius, ex maiorum more, per vrbem deduxit. Hunc Victorem Fridericus mittit in Germaniam, vbi ab omnibus Pontifex Maximus ſalutatus & habitus eſt. Quas ob cauſas Alexander Fridericum cum ſuo Pontifice excommunicat; Fridericus vero a ſuo Pontifice abſolutus non curat anathema Alexandri.

Ale-

Alexander ſibi etiam iunxerat Philippum regem Francorum. Romanis vero diſſidentibus ab Alexandro, quod metuebant Imperatorem, Roma diſcedit in Galliam ſe conferens, concilioque in Claromonte habito, anathemata mittit in Imperatorem & Octauianum ſeu Victorem: quæ fulmina Fridericus nihil veritus, domat in Italia paſſim rebelles vrbes, ſuo Pontifici Victori iurare cogit vrbes eccleſię Romanę ſubiectas. Bellum non facile his temporibus gerit Imperator in Italia, magnæ cum aduerſariis pugnæ committuntur, in quibus tamen pleriſque Germani victores diſcedunt, non tamen ſine ſuorum ſanguine multo: Capit multas vrbes per Latium, ex quibus quaſdam diripiendas militibus tradit. Mediolanenſes ſuperbiunt, ſuam vrbem inuictam putantes, nihil omittunt quod iudicari poteſt Imperatorem irritare: quamobrem circumuallauit Mediolanum, & ſemel in animo fixum habet non ſoluere obſidionem ſe velle, niſi vrbs veniat in poteſtatem ſuam, eam obſidionem aliquod annis duraſſe ſcribunt, multos conflictus ante vrbem cum vrbanis habuere Germani, multa in ea obſidione Mediolanēſes pertulerunt: nullum animal tam immundum habetur, quod non comederint. Ad extremum venit Mediolanum in manus Imperatoris. ſed quomodo certant autores, alij inedia ad deditionem compulſos, alij per vim captam, alij per Iudæos proditam, volunt, alij ſcribunt in vrbe ciues inteſtina ſeditione ſeipſos ita inuicem confeciſſe, vt ad raritatem redacti ſint, cui nulla reliqua ſpes reſiſtendi potuerit eſſe. Quacunque via & ratione capta ſit, conſtat in manus Imperatoris peruenisſe, direptamque a milite Germano, innumerabilesque homines, mares & fœminas, omnis generis ætatis in Germaniam tranſmiſſos. Imperator, poſtquam milites omnia in vrbe conuaſarunt, funditus euertit mœnia, & omnia ædificia: vbi vrbs ſolo eſt æquata, circumducere aratrum, & ſal ſeminari iuſſit; quod ſignum erat perpetuæ condemnationis. Placentinis & Brixienſibus quoque imperauit muros ſuos demoliri, & foſſas implere, nullamque in poſterum munitionem facere, ne deſciſcerent, vt ſæpe factitarant ante, & aliis idem imperauit ciuitatibus, quæcunque nomine perfidiæ ſuſpectæ erant. His ita in Italia multis laboribus, diſcriminibus, & longo tempore geſtis, Fridericus Imperator audit in Germania exortos motus bellorum, magnas cædes fieri, obſideri vrbes & caſtra; quare reuertitur, præſidiis in Italia relictis. Vbi venit in Germaniam, conuentus celebrat, partium cauſas cognoſcit, iudicat, componit, nec potuit primo anno ſedare; tanta odia erant. Eo tempore Boemi magnam Germaniæ partem diripuere freti partibus factionum, quidam enim ad illos confugerant & eduxerant: Cæſar tamen magno animo ſuam interponit vbiq; autoritatem; & ſi adhuc vnum annum ceſſaſſet in Italia, miſerrime fuiſſet afflictatus Germaniæ ſtatus, quem felicem & pacificum diſcedens reliquerat. Quumprimum autem Imperator compeſcit quorundam in Germania furores, conuertit animum ad componendam pacem inter eccleſiaſticos. nam videbat magnam pietatis & religionis iacturam diſſidium illud duorum Paparum parere: quamobrem vt ſchiſma illud tolleretur, mittit legatos ad Franciæ regem Philippum, apud quem Alexander Papa erat, habebant legati Cæſaris in mandatis, vt admonerent regem Galliarum, quanta mala euenirent ex diſcordia illa Pontificum: paratum Imperatorem, ſuum Victorem mittere ad ſynodum eccleſiæ generalem, quod etiam petat a Philippo, vt idem faciat, quo conſiderata vtriuſque electione, & vita, alter cedat, alter ad ſedem pontificiam confirmetur vna omnium ſententia. Promittit ſe venturum Rex Philippus, conſtituunt tempus & locum, nempe Diuionem. Imperator ad conſtitutum diem venit, & iuxta flumen Sauum, qui Gallos a Germanis diuidit, caſtrametatus eſt, qui locus non procul a Diuione diſtat. Conuenerant aliquot potentes reges, Principes & ciuitates. Habebat ſecum Imperator ſuum Victorem Papam. Alexander non eſſe poſſe legitimum concilium quod non ipſe hoc verus Papa indixiſſet, affirmat; quare ſe venturum recuſat ad talem ſynodum. Rex Philippus, vt fidem non ſeruaſſe dici non poſſet Diuionem venit, & ea hora qua ingreſſus eſt, rurſum egreditur. Quam fraudem vbi audiuit Fridericus & alij Principes, non ſine ſtomacho recedunt. Fridericus ſuum Papam cum copiis Germanorum in Italiam præmittit, comparatis ad expeditionem neceſſariis, ſtatim conſecuturum promittens. In eo itinere paulo poſt moritur Victor in vrbe Luca. Imperator ſine mora alium creat Pontificem Guidonem Cremenſem. Appellant

eum Paſchalem, illi obediunt fere omnes Germaniæ Principes eccleſiaſtici & alij, Italiæ quoque ciuitatum & epiſcoporum maior pars: qui vero in Italia contra Imperatorem coniurarant, conſcribunt copias, ex Galliis etiam in Italiam conducunt militum magnum numerum. Nam Germanos conducere milites conati ſunt, ſed fruſtra: omnes enim viæ præcluſæ illis erant. Coniuratioq; noua multarum ciuitatum in Italia facta eſt, in qua fuerunt etiam Veneti; tantaque potentia hoſtium Cæſaris facta eſt, vt & Romani metuere Cæſarem deſierint, & paſſi ſint reuocare Alexandrum Papam. ex Lutetia igitur Pariſiorum Romam venit comitatus rege Guilielmo Siculo, & multis aliis Principibus. Putatur Romanis addidiſſe animum Philippus rex Gallorum, cuius potentiam reſpexerunt potius quam Pontificis cauſam. Eo quoque tempore factio Italorum hoſtium Imperatoris omnes in Latio qui in fide erga Cæſarem Fridericum manſerunt, afflixerunt, & perfidia Imperatoris ex caſtris & vrbibus eiecerunt, & trucidarunt quoſdam, quoſdam captos in carcerem coniecerunt. Quæ cum viderent Ciſalpinæ Galliæ populi ſpem concipiunt libertatis, arma ſumunt ſeditioſe aduerſus dominum ſuum Fridericum Imperatorem. His malis motus Fridericus, maiore quam vnquam antea manu contracta, in Italiam per alpes redit. Vbi venit in Italiam, alia ratione ducendi bellum opus eſſe iudicauit, quam qua vſus fuerat in prima expeditione in Latium. Quam ſeueriſſime igitur prohibet militibus, ne quis aliquid raperet, néve quis cuipiam moleſtus eſſet, ſed omnia bona fide & iuſto precio ſoluerent. Etiam in eorum agris nulli moleſtus fuit qui coniurationis primi autores fuerunt. In Brixiana regione diligentiſſime cauit, ne quem læderet. Ipſos quoque Veronenſes & Cremenſes (qui nihil omiſerant quod vllo modo aduerſum Cæſarem facere exiſtimari potuit) ſe adeuntes benigniſſime & blandiſſime allocutus eſt, nec cum quoquam expoſtulauit quicquam. Bononiæ etiam pluſquam Mitionem egit. Alexander Romæ in ſummo honore habebatur, conuitia iaciebant in Paſchalem non Romæ ſolum, ſed in tota Hetruria. Cæſar igitur vi ſuam facit Hetruriam; Romæ habebat magnam ciuium partem adhuc fauentem ſibi. Quidam etiamſi non fauebant, tamen, quia ſuperiorum temporum pericula timentes, nihil contra Cæſarem audebant vel facere vel dicere. Alexander largitionibus multos ſibi iunxerat, & pene vniuerſam eccleſiæ pecuniam in vrbis defenſionem expoſuit, quotidieque conciones ad populum habuit, in quibus animare aduerſus Imperatorem conatus eſt Romanos, Cæſaris impietatem exaggerans: barbariem Germanorum multis modis accuſans. Fridericus Anconam rebellem ad deditionem cogit, moxque ad mœnia vrbis Romæ admouet exercitum, Baſilicam beati Petri capit. Pontifex fugit in ędes Fregepanum; in vrbe magna diſcordia eſt aliis Imperatorem admittere, aliis excludere volentibus. Imperator mittit ſuos in vrbem oratores qui populum oratione in ſuas partes adducant, qui exponant quam nihil Cæſar iniqui cupiat, nihil illum quærere quam communem pacem, commodáque Reipub. petereque Imperatorem, vt populus Romanus audita cauſa & diſcuſſa vtriuſque Papæ, ipſe iudicet & iuuet æquiorem cauſam, quique ex illis melior ſit vir, & ſummi pontificatus loco dignior, confirmetur, vt vnum ſit ſanum caput eccleſiæ: neque diutius calumniator cauſam habeat calumniandi & male loquendi de ſancta Petri ſede, & religione Romanæ eccleſiæ. Si æquos iudices in hac cauſa ſe oſtenderent Romani, pollicetur per legatos, ſe patrem Romanorum futurum, vrbis Romanæ dignitatem auƈturum pro virili, eccleſiæ omnia redditurum; quinimo ad ea quæ haberet, additurum. Populus nihil iniqui petere Imperatorem videns, & ſibi pacem offerre iudiciumque in pontificum cauſa, gauiſus eſt non mediocriter, & gratias egit Cæſari: viciſſimque modeſtiſſime multa iudicio & autoritati Imperatoris tribuit, obedientiam iuſtam promittens. Quod vbi vidit Alexander, in ſilente nocte cum paucis Roma decedit, naui Caietam delatus, hinc petit Beneuentum. Scribit regi Gallorum & regi Siciliæ, Conſtantinopolitano quoque Principi, omnibusque Principibus & ciuitatibus quas contra Imperatorem eſſe cognoſcit. Imperator paucis diebus Romæ commoratus, peſte crudeliter graſſante, diſcedere cogitur: nam quotidie magnum numerum militum abripiebat peſtis. quantam multitudinem gregariorum militum ſuſtulerit peſtis, poſſumus colligere ex epiſcopis & aliis principibus viris quos peſtilentiæ præſens venenum interemit. Perierunt epiſcopi, Colonienſis, Spirenſis (qui maxi-

mæ

mę apud Imperatorem erat autoritatis: eius enim consilia in agendis rebus sequebatur Fridericus non aliter atq; oracula ex tripode Apollinis) Ratisponensis, Pragensis, Verdensis, Leodiensis. Præter alios viros exercitus Principes periere dux Sueuiæ, nomine Fridericus, filius Conradi regis; Guelfo dux Berengarius, comes de Sultzbach, Henrices comes de Tubingen. Propter hanc pestis crudelem sæuitiam Imperator quam primum cum copiis mutat cœlum; sed militum vulgus in itinere sine numero cadunt, biberant enim Romæ veneno infectum aera, & infecti per contagionem alios infecerunt. Quibus ex causis diu est laboratum antequam exercitus liberatus omnino sit a peste. In Tuscia Romanorumq; agro castra muniuit omnia Germanorum præsidiis, & nouas ædificauit arces. In monte Radicophano altissimum ædificauit castrum, ex quo vrbi Romæ plurimum nocere potuit. vias muniuit, vrbes muris & vallis circumdedit. milites Germanos præfecit ciuitatib. passim per Italiam. Quod Itali grauiter tulerunt; neque enim putabant ferendum hominem aratorem aut pastorem cultissimæ Italorum genti dominari. Hoc tempore egit Imperator Constantinopolitanus cum Pontifice Alexandro, vt ecclesiæ Orientalis ritus concordes redderentur ecclesiæ Occidentali, subiectionemq; ecclesiæ Græcorum Romano Pont. promittit, ea conditione, vt Alexander coronam imperialem, qua iure esset per anathema priuatus Fridericus, Romani Imperatoris Constantinopolitano redderet. Vnum enim imperium fuisse, & magnorum motuum & bellorum causam fuisse diuisionē illam imperij, quæ per dissensionem nullo consilio sit facta. Aliaque multa apud Alexandrum addunt legati Græci, quibus inducant Papam, vt Emanuelem Græcorum Principem appellet Imperatorem Romanorum. Alexander cupiebat quidem depositum Germanum Fridericum, sed satis habebat exploratum quam impossibile esset. Quare etsi nullā spem haberet hoc posse fieri: tamen spem facit Græcis, nam magnam vim pecuniæ attulerant, & plus expectabat, qua opus erat Alexandro in ducendo bellum contra Imperatorem Fridericum. Respondet vero Alexander legatis, se celebraturum breui synodum, in qua res tam magna agenda sit, interim se deliberaturum, & acturum causam Constantinopolitani contra Germanum. Paschalis interea temporis moritur Romæ in sede pontificia, & sepelitur in basilica diui Petri. Post huius mortem statim ex consilio & autoritate Friderici Cæsaris eligitur Ioannes Sarmiensis Cardinalis, ex Pannonia natus; creatumque Pontificem vocant Callistum. Hic excommunicat Alexandrum cum omnibus ei adhærentibus. Alexander vicissim excommunicat Callistum cum Imperatore Friderico & omnibus obedientibus illi. Imperator semper omnem mouit lapidem quo pacem in ecclesia faceret; ita tamen ne cum nota existimationis suæ fieret, si improbis nimium cederet. Quare episcopum Babenbergensem virum religiosum, in verbis, vultu, & moribus præ se pietatem ferentem, amicum Alexandri, mittit ad Alexandrum Imperator, vt illi offerat conditiones pacis Alexandro satis honestas: quasque non recusasset, nisi suspicatus fuisset subesse tam liberalibus conditionibus dolum. Natio enim plerunque alia, nescio quomodo, alij non satis fidere solet, & quisque magis credit suæ nationis hominibus quam alienę. Hoc autem potissimum erat quod suspectum habebat Alexander in oblata illa pace a Cæsare, quod excludebat a pace Longobardos, quorum amicitia maxime fidebat Alexander. Putabat enim Papa propterea Longobardos excludi, vt disiunctos facilius vincere posset. Idcirco episcopum virum bonum remittit ad Imperatorem, nihil aliud respōdens, quam perliberaliter Imperatorem quidem offerre sibi pacem, sed non esse suæ fidei deserere fideles suos socios, Longobardos æquum esse habere communem pacem quibus cum habuerit communia pericula & belli incommoda. Post hæc Alexander Romanos, Imperatorem Constantinop. omnes Latij ciuitates, Regem Galliæ, regemque Siciliæ sollicitat ad arma vno tempore capienda aduersus Imperatorem Fridericum; & mittit quoque clam literas in Germaniam, si quo modo bellum etiam illic posset suscitari, & non omnino nihil effecit. multum enim tranquillitati imperij obstitit. Imperator audiens ex morte Principum quorundam in Germania orituras discordias, propterea que sua præsentia opus vehementer esse, præfert patriæ Germaniæ res Italicis, domumque reuertitur, ibique causas cognouit & iudicauit, pacem composuit, ducatus distribuens ex æquo iure, qua iustitia placauit inimicissimos inter

se animos, & magna illi donata sunt. Rudolphus comes de Pfullendorff omnia prædia sua Imperatori hæreditario iure reliquit. Imperator ne videretur ingratus, Alberto comiti de Habspurg (qui Rudolphi comitis de Pfullendorff filiam vxorem habebat) dedit Turicensem comitatum, & adiacentia Seckingensis ecclesiæ cum prædiis conquisitis. Præterea multa alia dono vel hæreditario iure accepit Imperator. His ordinatis, Burgundiam cum copiis ingreditur, & in potestatem suam redegit, nam iure illi debebatur. Præter hæc alia multa ad eum iure redierunt bona. Rex Boemorum Vladislaus cum in Italia fortiter in exercitu Cęsaris gessisset multa in præliis & vrbium castrorumque expugnationibus, donatur ab Imperatore Leone rubeo bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris. quod insigne regium concessum magni æstimatum est beneficij, magnæque gloriæ loco; Candelabrum etiam Solomonis, quod ex Mediolano attulerat ex spoliis, Pragæ collocat in ecclesiam sancti Viti. Sunt scriptores historici qui scribunt hoc tempore a Friderico Imperatore monasterium sancti Fidis in Schlestat fundatum: atque etiam monasterium sanctæ Walpurgis iuxta Hagenau: quanquam in his monasteriis inueniatur non Imperatoris nomen, sed ducis Sueuiæ Friderici; ita verisimile est antequam ad imperium peruenerit, hæc fundasse, nam legitur in prima statim adolescentia hic Fridericus religioni deditus fuisse, magnopereque excoluisse scholas huiusmodi institutas ad bene instituendam vtriusque sexus iuuentutem, qua-
1170 lia monasteria fuerunt. Anno Domini 1170, Gualfagus Angleriæ comes (qui in manu sua fere solus habebat Mediolanum antequam caperetur a Cæsare, quique captus expugnato Mediolano, vt dictum est, cum aliis multis in Germaniam missus est) ex carcere euasit, compedibus fractis, delituit aliquandiu in siluestribus locis, deinde in rustico habitu per alpes Mediolanum venit. Ibique conuocatis ciuibus (pollebat enim hic vir rara facundia nec vulgari prudentia) Mediolanensibus, qui in auguriis ruri humilibusque casis dispersi habitabant a vastatione de qua dictum est, adiuuante eum Pontifice Alexandro, sociisque ciuitatibus, &, vt quidam scribunt, Imperatore Constantinopolitano, vrbem restaurauit, & mœnibus muniuit. Hoc Gualfago duce Mediolanenses restituti, aduersus Cæsarem denuo conspirant cum omnibus in Italia rebellibus hostibus imperij, qui coniunctis in vnum viribus, omnes iudices & præfectos a Cæsare per diuersa oppida in Latio constitutos eiiciunt cum omnibus qui iudicati sunt amici fautoresve Cæsaris; quosdam eorum suspendentes, quosdam mutilatos aliquo membro, viuos nudosque dimiserunt, alios alio supplicij genere affecerunt. Irritati sic Germanorum militum insolentia, qua multis annis in Italia vsi erant. Nemo enim ignorat militum impietatem, qua fuisse exasperatos mirum non est. Huius factionis caput fuit Alexander Pontifex, quem cum vidissent ciuitates, quæ prudenter semper cauebant a seditionibus huiusmodi, esse autorem huius conspirationis seu fœderis, desciuerunt, conspiraruntque cum Alexandri factione; nec verebantur contra iuramenta præstita Imperatori quiduis facere. Pontifex enim absoluebat, & hostibus ecclesiæ Romanę fidem non seruandam, iam antea a Romanis Pontificibus erat constitutum. Confœderati illi (sic enim modesto nomine vocare liceat) ædificarunt vrbem quandam, quam funditus exciderat in prioribus bellis Cæsar Fridericus, & a nomine Alexandri Pontificis vocabant Alexãdriam. Eam vrbem ædificauerunt in loco vnde eas vrbes quæ perdurarant in fide, Cæsaris amicas possent infestare. Nam multis modis Alexandria incommodabat Papiensibus, Certonẽsibus ac Montisferratensibus, quos fere solos amicos reliquos habebat in toto Latio. Cæsariani illi in Latio eam vrbem vocabant per risum Paleam. Hæc in Germania Cæsar vbi audiuit, contrahit copias, cum omni apparatu bellico ducit in Italiam, per mõtem Cinisium, concedente hoc iter Marchione Montisferrati, qui erat amicitia & fœdere iunctus Cæsari. Et primo venit ad oppidum Secusam, quod cum Longobardis conspirauerat contra fidem Cæsari debitam. Hoc oppidum per vim expugnatum & direptum, totum æquat solo, omnibus armatis qui non fuga elapsi sunt, aut trucidatis aut captis. Hoc exemplum edere placuit in hoc oppido ad terrendam Italiam. Astenses appropinquanti obuiam veniunt, veniam precantes, & se quantum causa sinebat, excusantes: qui vbi magistratum ad Imperatoris iussum mutarunt, & obsides dederunt, pacem consecuti sunt. Mox Alexandriæ nouæ vrbi in Pontificis hostis Imperatoris honorem,

Cæsa-

Cæſaris ignominiam ædificatæ, admouet exercitum, in animo fixum immotumque habens eam radicitus e ſolo eruere. Hanc vrbem foſſis & muris bene munitam cum obſediſſet quatuor perpetuos menſes, Octobri menſe frigida pluuia ita continuata eſt, vt flumina alueos exeuntia nullum locum circa vrbem ſiccum reliquerint, vbi exercitus eſſe poſſit, & alioqui pluuiarum frigus maxime per noctes militum vulgus ferre non potuerunt. Quare ſoluta obſeſſione, ad hybernandum per vicina loca collocat exercitum. Per hyemem reparant muros Alexandrini, quos Cæſar multis locis deiecerat, ſociæ ciuitates & Pontifex Alexander omnia in eam vehunt per Padum & Tanarum fluuios, quæ ad obſidionem perferendam neceſſaria ſunt, annonam, tormenta bellica, machinas quibus vtantur contra muris iniectos arietes, militum præſidia, & cætera. Primo vere ad vrbem obſidendam redit Imperator, ex hybernis exercitu reducto. nihil intentatum relinquit, extruit ligneas turres, foſſata ligno, lapidibus, & terra complet, ſub muris cuniculos agit. Oppidani aliquoties nocte, aliquoties interdiu erumpunt, & a Germanis repelluntur, non tam abſque vtrinque cæde. In hunc modum in obſidione laborante Friderico, dux Henricus de Saxonia, Imperatoris nepos, cum ſuis qui erant magna exercitus pars, diſcedit, dicens Deum excommunicatis reſiſtere, Deum propugnare & defendere vrbem in ſanctiſſimi pontificis honorem ædificatam. Pecunia autem credebatur hic Henricus corruptus: nam auarior vir erat. Cuius diſceſſio vehementer perturbauit animum Friderici, nam totus reliquus exercitus intentus erat non parum in illum Henricum, & eos quos ſecum habebat. Quare iterum obſidionem ſoluit, & receſſit Papiam. Secutusque Imperator Henricum diſcedentem vſque ad lacum Cumanum cum magna animi demiſſione, & præter decorum conſuetudinem; ſuam ſupplex rogauit vt maneret, & in tanta neceſſitate non deſereret patruum, imo, inquit, patrem ſuum. Scriburque quod voluerit ſe ad pedes Henrici demittere. quod recuſante duce, familiarium eius vnus, nomine Iordanus, dicit, Permitte domine, vt corona imperialis veniat ad pedes tuos, veniet & ad caput tuum. Henricus dux Saxonię præuidens Imperatorem ipſi rependere conaturum vbi in Germaniam illi ſit ventum, quare in Sueuia conſpirationē contra Imperatorem facit cum multis aliis tum potiſſimum cum Zolorenſibus & Weringenſib. comitibus. In Saxonia quoq; quoſdam a Cęſare alienos facit. Accuſat Imperatorē per totam Germaniam grauiſſime cōtemptorē religionis eſſe, idcirco infelicem in omnib. factis ſuis videri. Irato animo facere omnia, rationem in eo nullam eſſe, affectibus turbari, & regi ceu iumentū a furioſo domino. Hoc genus calumniis multorum animos ab Imper. alienos fecit. Imperator vero in Italia audiens hoſtes copias maximas contrahere (qui erant multi & potentes, nempe tota fere Italia, rex Siciliæ, Pontifex Alexāder, rex Galliarum, pecunia Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, qui nondum ſpem imperij Occidentis conſequendi depoſuerat) exercitū reducit in Germaniam, per montem Iouis per difficillima itinera: nam reliquæ viæ erant ab hoſtibus obſeſſæ. In eo reditu fideliter adiutus dicitur a Taurinenſibus & Nouarienſibus, alioqui infinitæ inſidiæ erant illi vbique inſtructæ, vt per totum iter reditus, indutus fuerit habitu ſerui, & curarit equos. Vbi in Germaniam venit, conuentu Principum conuocato, cauſam ſuam contra deſertorem Henricum agit. Accuſat eum proditionis, & læſæ maieſtatis crimine reum facit. Dux ſæpe citatus non venit ad comitia, defendens ſe quadam lege quam ipſe cōfinxerat: dicebat enim quod Imperator ducem condemnare non poſſet, vel eum priuare ditione ſua, niſi intra ducis ditionem hoc decerneret, adhibitis etiam iudicibus ex condemnandi Principis ditione. Contra reſpondebat Imperator, Poſſe ad tribunal Cæſaris vocari Principem, conuentu iuſto Principum coacto rite, in quemcunque locum in finibus imperij. Qua ex lege, cum non venire vellet Henricus reſponſurus Imperatoris obiectis, condemnatus eſt vnanimi ſententia omnium Principum qui ſynodo præſentes aderant. Quare eius ditiones & facultates omnes aliis dedit Imper. ducatum Noricum tribuit Othoni Palatino de Witliſpach, viro in armis incomparabili, hic auxilio ſuorum fratrum ducem Saxoniæ Henricum, ex Norico ducatu eiecit, & in ſuam poteſtatem redegit; Ducatum vero Saxoniæ dedit Bernhardo de Anhalt, viro in militaribus rebus præſtantiſſimo. Hic Imperatoris auxilio & epiſcopi Colonienſis Moguntinique atque Lantgrauij de Turingia contractis copiis

signa vertit in Saxoniam. Dux Henricus se continebat in castris præsidiis firmissimis munitis, sic bellum ducere statuit: in vna enim arce expugnanda laborandum esse aliquot mensibus putauit Bernhardo. Sed breui expugnauit fere viginti arces, & oppida quædam cepit, & submouerunt ex ducatu suo Henricum vsq; ad Brunschuig. Quam vrbem ad finem vitę ipse eiusq; progenies in multa secula tenuere. Adhuc in vetus hoc genus referunt suum. Aliis alias eius possessiones distribuit Imperator. Anno Domi-
1174 ni 1174, miserabiliter dissensionibus & factionum partibus laborauit ecclesia, magnaque dabatur occasio calumniandi hostibus religionis, quod multis religiosis viris & bonis Principibus graue latu fuit. quare propter communem ecclesiæ pacem, conati sunt Alexandrum Romanum Pont. & Fridericum Imper. componere. Et primo his intercessoribus induciæ sunt factæ inter partes, Longobardæ, Veneti, & Pontifex Rom. & reliqui confœderatorum visi sunt ex animo petere pacem. Fridericum cum suis pacem petere nemo dubitabat. Sępissime enim, omnib. posthabitis rebus, conatus erat pacem facere. Quare ad pacem faciendã dictus est dies Papiæ. Illuc conuenerunt plurimi vtriusq; factionis legati. Tres e Roma cardinales; legati regis Sicilię; regis Franciæ oratores; Longobardæ & aliarum ciuitatum oratores; ex Germania Imperatoris legati, principes quidam viri. Petierunt ab Imper. pontificij conditiones fœderis, quibus ecclesia Rom. sua iura & priuilegia in omnibus nationibus recuperaret, etiam in Germania. Longobardi similiter & alij confœderati præscribebant longe alium subiectionis modum, quam Fridericus exigebat, consuetudinem allegantes & priuilegia, quę a Carolo Magno, Ludouico, & Lothario durassent; neq; volebãt quicquam innouatum seruare, aut aliud vllum iugũ imponi sibi. Fridericus contra volebat, ea iura esse Imperatori, de quibus dictum est supra. Neque enim se ignauum pecus, cui seruiliter insistendum sit vestigiis præscriptis, inquit, quod est abiectissimorum mancipiorum. Quin magis licuit Imperatorib. superiorum temporum statuere, & leges ferre, quam Friderico, addebant, aliaque in hanc sententiam multa legati Cæsariani. Quibus causis factum est, vt inimicioribus animis discesserint, quam conuenerint. Post enim solutum conuentum statim vtrinque comparant copias. Alexander vrbem a suo nomine appellatam Alexandriam, munit turribus nouis & fossatis: quoque populatiorem & ornatiorem reddat, episcopum illuc constituit; Papiam vicinam Pallij dignitate priuat; nihil ad eam ornandam faciens omittit. Mediolanenses & Longobardi omnes Papiensium, Comensium, & reliquorum qui pauci fuerunt, in Italia Imperatoris amicorum, agros vastant. Comparantur Romæ a Pontifice, & in Sicilia, per totumque Latium, quæ ad excipiendum hostiliter Imperatorem necessaria putantur, militum copiæ, vrbium munitiones, commeatus, pecunia, &c. Imperator ad expeditionem in Italiam interea temporis se pararat, cõtractis nouis copiis: quibus in Italiam ductis, vbi Comum venit, confœderati occurrunt (nam Mediolani coniuncti fuerunt omnes) inter Comum & Mediolanum. Primum equestre prælium paucorum commissum est, in quo vtrinq; equites qui interfuerunt, pene omnes interempti sunt, adeo pertinaciter pugnarunt. Mox eodem die, atque adeo eadem hora, commissa est pugna amborum exercituum, qui magni fuerunt. Primo impetu Germani e loco submouerunt hostem. In oculis enim Imperatoris pugnantes, quisque alij laudem præripere volebat. In illo vero concitato aciei cursu & ardore animorum, signifer Imperatoris ruit, & intulit in medios hostes aquilam, quæ in hostium potestatem venit, confosso signifero. Atrocissime pugnantibus vtrinque dubio Marte diu, Fridericus Imperator nimium temere in hostes se coniicit, & magnam dum cædem hostium facit, equus suffossus cadit cum Imperatore. Quod vbi Germani viderunt, crediderunt occubuisse Imperatorem, cœperuntque pedem referre, pugnantes primo, deinde mox verterunt tergum, cum aquila signum esset amissum, & Imperator putaretur occisus. In ea fuga Germanorum magna multitudo in flumine Ticino est suffocata: nec pauci, ignari viarum, in hostium manus cucurrerunt, qui aut cæsi aut capti sunt. Etiam quatuor post prælium dies fama erat, Fridericum occubuisse. Quare vxor eius, & familiares ecclesiasticæ personæ, quos Cæsar Comi reliquerat, iturus in prælium, mutatis vestibus tristi luctu iusta funere regio meditabantur. Sed quinto post prælium die Fridericus habitu & comitatu imperatorio Papiæ est visus, priusquam nemo eum superstiti-

perſtitem eſſe audiret. Neque vlla erat vxori aliisque ſpes eum viuere, cum tot oculati teſtes affirmarẽt, ſe vidiſſe illum cadere; & addebatur (vt ſolet fieri) occiſum eſſe a multis viſum. Ergo qui ſatagebant proſequi funus, hoc audientes ad eum Papiam volant. Imperator poſt infauſtam illam pugnam magnam paſſus eſt ſociorum & amicorum iacturam: multique acceſſerunt ad hoſtes eius: & præcipue eccleſiaſtici epiſcopi atque archiepiſcopi deſciuerunt ab eo, dixeruntque illi in faciem, hæc eum pati propter hæreſim, cum excommunicato Deum eſſe non poſſe, luere Germanos Friderici contra eccleſiam impietatem & perſecutionem: addideruntque, niſi Romano Papæ Alexandro obtemperet pacemque det, alium Imperatorem ab electoribus ſe poſtulaturos, qui eccleſiam colat; neque enim bene agi poſſe cum eo Imperatore qui in cœlum ſpuat. His malis afflictus, & minis huiuſmodi plurimis deterritus, Fridericus, quærit viam & rationem, quo honeſte minimaque cum exiſtimationis iactura pacem cum Pontifice faciat. Ad omnes igitur religioni deditos viros, qui nec Pontificis nec Cæſaris partibus ſe addixerant, ſed ſimplici oculo in Dominum intenti pacem curant, quæ eſt in Deo vera, mundi vanitates pedibus conculcantes, mittit nuncios; poſtulat vt Pontificem ad ea quæ pacis æqua ſunt, adducant. Ex quibus religioſis viris erant quidam Abbates & Epiſcopi, qui propter vitæ ſanctimoniam magnæ erant fidei & autoritatis apud omnes Principes cordatiores. Horum igitur opera & ſtudio conueniunt partes Venetiis. Erant in hac re legati nomine Cæſaris, archiepiſcopi Magdeburgenſis & Moguntinus. de loco conueniendi diu eſt diſceptatum; aliis alia loca ſuſpecta erant: tandem omnes Venetias veniunt. Sed Imperatorem excludunt, donec iureiurando promittit, patrum maiorum decreta ſe ſeruaturum, & ex illis pacem facturum, quod Imperator recepit ſe facturum: quamobrem pacem pontificij conſecuti ſunt qualem optabant. Hæc acta eſſe volunt anno Domini 1177. In huius temporis geſtis valde variant ſcriptores, nec me extricare poſſum ex variis eorum opinionibus. Hoc quibuſdam videtur verum, poſt conuentum Venetiis celebratum (ſiue non ſit illic pax confirmata, ſiue confirmata non ſit ſeruata) Fridericum animum recepiſſe, magnis Germanorum copiis coactis Romam vſque per vim veniſſe, totam per Italiam in itinere hoſtes perterruiſſe; Romanos, inuito & prohibente Pontifice, portas Cæſari aperuiſſe; pontificem vix in ſerui ſordido habitu elapſum Venetias profugiſſe, & Venetiis in monaſterium diuæ virginis de charitate profectum, hortulanum in eo monaſterio egiſſe; poſt aliquot menſes a quodam agnitum, qui ſtatim ad Principem Venetiarum acceſſit, illique dixit, adeſſe Pontificem Romanum ſeruireque in dicto monaſterio. Dux igitur ille confeſtim congregatis ſenioribus accedit magno apparatu in monaſterium: ibi Pontificem runcare olera inuenit auguſtiſſimus ſenatus, ducuntque eum cum magna ſolennitate ad diui Marci eccleſiam. In eo templo Alexander in pontificali veſte, abiectis ſeruilibus pannis, Principem, ſenatum & omnem populum benedicit, liberaliſſimeque concedit indulgentias. Imperator Fridericus vbi audiuit Alexandrum Venetiis eſſe, & loco ſummi Pontificis coli, mittit Othonem filium ſuum cum armata claſſe Venetias, vt repoſcat Pontificem. Otho primum patris mandata per nuncios in vrbem mittit: ſed Veneti recuſant, daturos ſe Pontificem, eccleſiæ legitimæ creatum caput, in manus hoſtis. Otho bellum indicit vt pater præceperat. Veneti claſſes ſuas aduerſus illum mittunt, ſuperatum & captum vinctumque Othonem in vrbem ducunt ad Pontificem. Pontifex & Veneti agunt cum Othone de pace. Otho patri chariſſimus filius, nihil non potuit apud Fridericum patrem. Vocat igitur patrem Venetias Otho ad ſe liberandum, & faciendam pacem. Imperator approbat pacis conditiones quæ Pontifici placuerunt, adhortante & ita volente filio Othone. Reddit igitur illi quicquid Romanæ eccleſiæ fuit; iureiurando promittit nuſquam in imperio Pontificem aut eius legatos impediturum; breuiter promittit Fridericus, patienter ſine rebellione laturum quicquid iniungeret pontificia ſanctitas. Iſtis igitur fœderis conditionibus vbi conuenerunt Papa & Cæſar, mox ad ianuam diui Marci vna acceſſere; & ibi coram vniuerſo populo imperat Imperatori Pontifex, vt ſe humi proſternat, & veniam clara voce roget. Imperator procidit ad pedes Papæ, Papa Cæſaris collum pede in terram premit, inquiens: Scriptum eſt, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

1177

Reſpondit Fridericus: Non tibi Alexander, ſed beato Petro cui te dicis ſuccedere, pareo. Ad hæc Pontifex ait: Et mihi & Petro. Hæc tanta vocis contentione ſunt dicta, vt nemo qui viderit aut audierit, non facile perſpexerit, odia in cordibus repoſita adhuc fuiſſe. Pax igitur hoc modo ſecundum quoſdam ſcriptores eſt facta. Sed quidam ſcriptorum ita ſunt partium pars, vt inclinent animum ſuum totum in factionem, in cuius verba ipſi iurarunt, quo fit, vt hic certo aſſerere nihil auſim. Blondus hic ſcribit, Poſtquam Imperator proſtratus Pontifici pedes exoſculatus eſt, acceſſerunt ambo Papa & Cæſar ad maius eius templi altare, ibiq́ue ſe mutuo amplexu exoſculati ſunt. Imperator in hunc modum humiliatus a Pontifice, triſtior Venetiis diſcedit. Alexander vero volens Venetis animi gratitudinem oſtendere duci & ſenatui priuilegia concedit non vulgaria. Concedit illis portare funale candidum, quod antea licebat ſoli Romano Pontifici portare; item plumbo literas obſignare conceſſit illis; Duci eorum gallerum conceſſit; item in theatro Romani Pontificis tertiam ſedem dedit Principi Venetorum; in feſto Aſcenſionis Domini donauit Venetos plenaria omnium peccatorum remiſſione in templo ſancti Marci, quæ indulgentiæ perpetuo in eo loco durare debent; item vexilla aliquot ſerica coloribus eleganter variegata duci eorum dono dedit; dedit quoque Principi illorum cereum album inſignis magnitudinis. Hæc Sebaſtiano duci Venetorum qui tum erat, ſupra fidem grata fuerunt. Erat enim vir, apud quem Romana ſedes erat religioſa & ſancta. Veneti abeuntem Pontificem magno comitatu & ſumptibus maximis comitantur, propter hæc quæ dixi, cœleſtia dona. Comitatur etiam eum rex Siciliæ Romam vſque. Hic rex non ſequitur eum propter indulgentias & bullas, ſed terrena magis curans, propter potentiam & largitiones, &, vt autoritate Pontificia ſtabiliat regnum ſuum. Romam vbi venit Pontifex, imperioſiorem longe oſtendit erga Romanos animum. nam ſubiugarat Venetiis, vt audiuimus, Imperatorem ipſum. Primum igitur cupiens Romæ habere omnem poteſtatem, agere cœpit de abrogandis conſulibus; quod in totum ſemel fieri non erat poſſibile ſine magno populi motu. Quare ita inter eos conuenit, vt conſules Pontifici iurarent ſe ſedi pontificiæ fore fideles, & audientes per omnia, nihilq́ue contra ſententiam Pontificis facturos; nec eligerentur ad conſulatum, niſi placerent Pontifici. Sic quidem re fuerunt conſules abrogati (quid enim aliud erant quam ſerui Pontificis?) nomine autem manſerunt. Vno poſt menſe Calliſtus, quem Pontificem Cæſariani creauerant, ad pedes Pontificis Alexandri proſtratus petit veniam; pœnitentiam acturum ſe pollicetur; ab Alexandro abſoluitur. Sed a Germania rerum geſtarum ordo me nimium ſeducit; venio igitur ad Fridericum & alia Germanorum propria.

1181 Anno poſt natiuitatem Domini 1181, maiora ſolitis comitia Moguntiæ celebrauit Fridericus. Aderant Principes Principumq́ue legati ex multis nationibus; aderant quoque legati ex Hieruſalem & Conſtantinopoli. Eſt in hoc conuentu conſultatum inter Principes de pace eccleſiæ, bello in Turcos. Fridericus iam laboribus & ſenio defatigatus incipiebat de otio cogitare, iactatus per infinita pericula iam annos triginta. Quare filiis regna diuiſit: Henricum Imperatorem deſignauit, Othonem Burgundiæ ducem facit, Friderico Sueuiæ ducatum tribuit. Sed minor natu Conradus, mortuo Ftiderico, dux factus eſt poſtea Sueuorum: minimus natu Philippus, mortuo Henrico, appellatus eſt poſtea Cæſar Auguſtus. Hos enim habuit Fridericus Imperator filios. Fuerunt hoc tempore in Germania anni aliquot fertilitate felices, ſed ſecuta eſt copiam fructuum peſtis quæ ſuſtulit ſupra mediam partem homines per Germaniam. Poſt conuentum Moguntinum Conſtantiam profectus eſt Fridericus cum imperij proceribus; vocauit illuc Longobardos, vt cum illis ageret de iure Imperatoris in eos, quid ſingulæ ciuitates illi deberent. Et priuilegia ciuitatibus conceſſa confirmataq́ue ſunt, conſtitutaq́ue eſt inter eos pax, quæ debebat durare perpetuo. Hanc Conſtantiæ pacem vocant, de qua in iuriſperitorum libris eſt ſcriptum. Si quis plura cupit, videat Baldum de hac pace Conſtantienſi. Sic incipit: *Imperialis Clementiæ manſueta ſerenitas*, & cætera. Illic etiam conſcripta ſunt nomina ciuitatum, quæ fœdus hoc iurauerunt, quod iuramentum ita ad verbum habet, In nomine Domini iuro ego N. quod ammodo ero fidelis domino Imperato-

peratori Friderico, & eius filio Henrico; non ero in consilio vel facto, quod ipsi perdant vitam vel membrum, aut mente seu coronam Imperij vel regni sui, seu capiantur; vel si sciuero aliquem fecisse, vel facere volentem, per me vel per alium domino Imperatori vel regi vel nuncio eius sine fraude manifestabo, & eum adiuuabo. Insuper pacem domini Imperatoris Friderici, & filij eius regis Henrici, & suę partis, factam cum societate Lombardiæ, sicut scriptum est, & inde sine fraude infra 15 dies post, & iurata bono intellectu, & sigillo domini Imperatoris sigillata, obseruabo, bona fide & sine fraude. Et hoc iurare faciam omnes masculos mecum habitantes, a 16 annis & supra, vsque ad 60, infra 15 dies postquam iuratum habuero, exceptis seruis; & qui per me iurare noluerint, infra tertium diem Imperatori vel regi vel suis nunciis per breue manifestabo. Hæc iurarunt ciuitatum legati nomine suorum ciuium in conuentu Constantiensi.

DE GERMANIS
LIBER DECIMVS-
NONVS.

ANno Domini 1186, fuit cœlum hyemis clementissimum in Germania: floruerunt in Ianuario præcoces arbores omnes, & vitium oculi promoti conspiciebantur longitudine spitamæ. in Februario poma quantitate nucis iuglandis conspiciebantur. Frumenta florebant. Aues excludebãt oua. nec vllum frigus in eo anno secutum est, quod nocuerit fructibus. In Maio metebatur frumentum in regionibus, in quibus solet alias in fine Iulij demeti. Coctæque erant vuæ in principio Augusti: optimum & multum vinum & frumentum eo anno proueniebat. Anno vero qui sequebatur, principium brumæ non erat inclemens, sed Martio incepit frigus intolerabile animantibus & plantis, quod durauit per Aprilem & per medium Maium. Vini caritas rarissima est secuta, periere enim frigore vites. Et frumenti quædam genera pruinis perierunt. Hoc tempore in noua vrbe Mediolano nuptiæ sunt factæ splendidissimæ, multis Principibus Germaniæ præsentibus: aderat quoque Fridericus senex Imperator, nam filius eius Henricus duxerat filiam Rogerij Siculi. Post nuptias Henricus, iuuenis natus annos viginti, præficitur Lombardiæ, & reliquis in Italia ciuitatibus multis: qui pro ætatis ratione satis grauiter omnia administrauit. Pater cum suis proceribus in patriam Germaniam reuertitur. Non longo post nuptias tempore, frater Constantiæ vxoris Henrici, Guilielmus nomine, rex Siciliæ, obit diem suum sine hærede legitimo, deditque dotis loco ducatum Apuliæ, & regnum Siciliæ Henrico fratrio suo. Quæ ditio quomodo superioribus temporibus ablata imperio erat, supra est dictum. Anno sequenti, vbi rediit in Germaniam Fridericus Imperator, magnum Principum conuentum apud Norinbergam celebrauit, propter propagandam almam pacem. Hæc igitur decreta sunt in eo conuentu: Quicunque in ditione alicuius intenderit aliquid; proscriptus denuncietur, & eum episcopus excommunicet, & nisi satisfecerit pœnitentiamque agat, vniuerso iure honoréque priuatus habeatur, omnique præbendali iure carebit perpetuo. Item si in raisa alicuius domini quispiam incendium fecerit, dominus cuius est raisa (liceat enim mihi verbis vti quæ tum in vsu erant) iurabit super reliquias, quod non faciat cum scientia, mandato vel voluntate sua; reum autem abiiciet a se, & nunquam resumet, alioqui damnum resarciet. Si talis incendiarius in castrum domini, dum agitatur, fugerit, non tenetur eum tradere persequentibus, sed iuuabit, vt vel in siluam aut alium locum abeat, dummodo tamen dominus eius consanguineus, vel vasallus fuerit, alias eum persequentibus repręsentet, vel in eadem culpa sit. Est præterea ab Imperatore & Principibus constitutum in illis comitiis, vt quicunque alij damnum facere, aut eum lædere intendit, tribus ad minus ante diebus per certum nuncium denunciet. Sancimus, inquit Imperator, vt quicunque treugas alicui dederit, nisi aliud actum sit, contradicere ante terminum statutum nequaquam possit; quod si fecerit, violator

1186

fidei cenſendus erit. Item qui nuncium aliquem, eo quod contradicturus mittitur, læſerit; fidem ſuam violauit, & de cætero omni honore carebit. De filiis quoque, inquit, ſacerdotum ruſticorum ſtatuimus, ne cingulum militare aliquatenus aſſumant. Statuit etiam, ſi quis vineta aut pomaria vel vnam fructiferam arborem exciderit, vt eidem pœnæ cum incendiariis ſubiiciatur. Statutum eſt in eiſdem comitiis, qui ruſticum aliquod inſtrumentum ad arandum aut alias ad colendam terram neceſſarium furatus fuerit, grauius puniatur, quam alia furta. In agris enim relinqui ſæpe neceſſe eſt, nec patiuntur rationes ruſticorum ſemper domum intra parietes includere. Hoc genus multa conſtituta ſunt tum per Fridericum Norinbergæ; quorum quædam in ſpeciem videntur non admodum digna quæ legibus imperatoriis aſcribantur. Sed nihil tam humile quod non magnopere vitæ mortalium ſit vtile atque etiam neceſſarium. Hoc tempore nuncium triſtiſſimum de cladibus Chriſtianorum qui Hieroſolymis habitabant, in Occidentem peruenit. Quare Fridericus & Principes alij, pia animi affectione commoti, diſcernunt bellum; communi concordiáque animo accingunt ſe ad expeditionem Hieroſolymitanam, vlturi fratres qui ab infidelibus nefanda & crudeliſſima, quæ nemo fando conſequi poſſet, patiebantur. Cumque iam iter arriperent Galli, Itali, Hiſpani, & Angli, exorta eſt inter eos diſſenſio tanta, vt geſſerint inter ſe ſanguinolenta bella; quorum cauſa & euentus mihi dicenda non ſunt, cum nihil horum in Germania geſtum ſit, neque vlli Germani interfuerint. Imperator autem cum filio ſuo Friderico, Bertoldo Morauiæ duce, epiſcopo Herbipolenſi, archiepiſcopo Tarentaſiano, epiſcopo Monaſterienſi, epiſcopo Patauienſi, epiſcopo Olisburgenſi, epiſcopo Miſnenſi, Hermanno Marchione Badenſi, & aliis multis fortibus & piis viris, per Vngariam, Bulgariam, & Thraciam Conſtantinopolin peruenit: vbi cum Imperatore Græcorum fœdus fecit; deinde recta per Helleſpontum in Aſiam eſt profectus, hactenus proſpero vſus itinere. Sed poſtquam venit in Aſiam, aliam induit fortuna faciem. Sultanus enim qui Iconij multos ſub ſe habebat Turcas, venientibus noſtris omnia humanitatis officia pollicebatur, omnia ad victum neceſſaria exercitui ſe daturum recipiebat. Imperator credebat, & minus diligenter procurabat commeatum, omnia parata apud Sultanum eſſe putans. Sultanus interim rationibus & viribus omnibus colligebat cereales fruges, abſcondebatque intra munitiones ſuas: ſimul auxit copias ſuas, vndique congregatis Turcis, in eamque neceſſitatem induxit Fridericum, vt coactus ſit propter commeatum cum hoſte confligere locis iniquiſſimis. Anguſtias enim viarum occupauit omnium, qua tranſeundum erat Hieroſolymam verſus, & vnde cibus erat petendus. Nec leuiter nocuit hæc res noſtris. Vicerunt quidem tandem & illas difficultates, non tamen ſine ſanguine. Expugnauit enim Fridericus, manu commiſſa cum Turcis, has munitiones, & expediuit, deiectis præſidiis Turcicis, viarum obſtructiones, cladémque fide maiorem acceperunt Turcæ. Non ſolum autem aperuit vias, ſed omnia in illis regionibus depopulatus eſt: commeatus omnis in Germanorum peruenit manus. Vi captam Philomelium vrbem diripuit. His tam fortiter geſtis, terruit regiones eas fere omnes, per quas tranſeundum erat: quam ob cauſam poſtea per Armeniam minorem non ſolum impedientibus nullis hoſtibus, fecit iter, ſed in Cilicia a Principe Armeniorum eſt ſuſceptus reuerenter, & cum omnibus honoribus Imperatore dignis. Illic igitur aliquot dies conſedit, vt refocillaret fatigatas ex itineribus copias. Ipſe vero Imperator Fridericus, delectatus ſemper venationibus, cupiens ſcire beſtiarum illius terræ ingenium; dum auidius feras ſequitur, nimium incaluit. Quare dum lauandi & refrigerandi cauſa æſtuans, præcipitauit ſe nimis temere in rapide fluentem amnem qua erat altiſſimus, vorticis violentia tractus ſub aquam & abſorptus ſuffocatusque eſt, cuſtodibus corporis plurimis conſpicientibus, & ne-
1190 quicquam iuuare conantibus. Hoc accidit anno a natiuitate Chriſti 1190, imperij vero 28. Quantus in armis, in pace, quam diligens legum cuſtos, veræ probitatis amator, olor vero hypocritarum fuerit hic Fridericus, abunde facta eius teſtantur, quæ a multis conſcripta reperiuntur. Scriptorum quidam tamen eius quædam facta & dicta rapiunt in peiorem partem, propter inuidiam & peruerſum in rebus iudicium: quorum error facile deprehenditur ab omnibus, qui non carent omnino mente.

te. Postquam periit modo quo dixi, in vndis Fridericus Imperator, Fridericus filius, boni iuuenis officio functus, acciuit viros sapientes ad se, quorum consilio, prudentia exercitum regeret: duxitque copias Antiochiam, vbi abundanter inuenerunt omnia ad victum necessaria. Quam rerum omnium copiam tanta consecuta est pestis, vt pene totus consumptus sit exercitus. Huius pestis causam physici alij aliam iudicant fuisse. Quidam plenitudinem saturitatémve immodicam post famem (nam tantæ multitudinis exercitus non potuit per tot itinera non aliquando egere) quidam aeris intemperiem, & anni tempus, cœlumq; natura calidius (nam quam naturę animantium omnium, & etiam plantarum difficulter ferant mutationes, præsertim magnas & repentinas, norunt non solum philosophi, sed rustici pastoresq;) quidam vero venenum immixtum vino & farinæ arbitrantur causam fuisse tam repentini interitus tanti exercitus. Exercitu per pestem ita perdito, cogitur Fridericus dux mutare omnium suorum consiliorum rationes omnes. Proposuerat expugnare in itinere hostium castra & vrbes; casus vero & fata eum retrahunt ad amicas & socias vrbes. Quare Tyrum nauigat cum reliquiis copiarum, secum vehens corpus chari genitoris aromatibus conditum. Tyri corpore patris regalibus ceremoniis magnificentissime sepulto, procedit. Nunciatur autem nostris, Sultanum obuiam venire cum armatorum manu non exigua. Quanquam autem ad paucitatem essent redactę Germanorum copiæ; tamen ne addant hosti animos, fortiter aduersus hostem tendunt, & se ad pugnam parant. Sed Sultanus iam antea expertus, quales Germani in prælio essent, se intra vrbes munitas recipit, illic expectaturus hostem. Nostri Acam, firmam & opibus pollentem vrbem, obsident diu, & multa ferunt ante vrbem. oppidani enim, contempta nostrorum paucitate, sæpe eruptionibus factis nostris non mediocriter nocuerunt. Tandemq; eo deuenerat res, vt nostri magis obsiderentur ab oppidanis, quam ipsi eos obsiderent, donec venit rex Galliarum Philippus, & rex Angliæ cum copiis nostris ad nostros. Tum enim conati sunt variis tormentorum & machinarum generibus, infinitaq; multitudine militum, expugnare vrbem; nec vllam requiem concedebant propugnatoribus murorum; ita sine intermissione vrgebant oppugnationem. In qua contentione, oppidanis pertinaciter nostros repellentibus, cecidere multi Principum exercitus nostri; inter quos erat & Fridericus, filius Imperatoris, dux Sueuię; Comes Theobaldus Franciæ Senescallus; comes Clarimontis, & multi alij clari viri. Qua cæde ita sunt nostri exasperati, vt omnino proposuerint ante deditionem vrbis aut consumptis viribus exercitus non soluere obsidionem. Idcirco secundo demum anno, fame Acam vrbem premente, & muris magna ex parte deiectis, inceperunt pacem petere. Primo tamen nullas conditiones grauiores, quæ solent victis imponi, recipere volebant; ad extremum nostrorum perseuerantia victi acceperunt quas nostri prędscribebant deditionis conditiones. Reges post Acam captam, & Sueuiæ ducem occisum, dominandi libidine & de principatu contentione se debilitarunt, hostes prævalentes reddiderunt. Inuidebat enim alij alius, & impediebat alter alterius conatus: eoq; deuenerat res, vt magis cuperēt hostium successus, quam sociorum. Quare Philippus redit domum in Galliam; Ricardus vero Anglorum rex solus, etsi videbat hostem discessu regis Galliarum insolentiorem, sperans omnem laudem, gloriam & principatum ad se solum pertinere, magno conatu maxima aggreditur: in itinere sæpe pugnauit cū hoste, & quanquam grauiter telo vulneratus erat, tamen semper prælis omnibus interfuit. Compulitq; vsque ad Hierusalem Sultanum, quem rex secutus venit in Bethlehem, in quo loco castra muniuit, cognouitque per exploratores, magnam camelorum & mulorum multitudinem commeatum ex Ægypto portare Hierosolymam. Ricardus rex misit expeditum iuuentutis robur noctu clam ad intercipiendum commeatum: quod sane feliciter succesſit. Omnes enim camelos & mulos oneratos commeatu omnis generis cum agonibus in castra perduxerunt qui missi erant iuuenes. Ricardo non videbatur tempestiuum esse, ad mœnia admouere exercitum propter hyemem instantem: differre igitur constituit in proximum ver obsidionem. Hybernatum igitur dimittere exercitum decreuit. Ecce nuncij ex Europa noui & tristes, qui certiorem Ricardum reddunt regem Galliarum Nortmanniam affligere; fratremq; eius Ioannem regnum Angliæ affectare, quare Ricardus conditiones non honestas nec vtiles cum Sultano fa-

cit, reliquit enim illi omnia præter Tyrum & Ptolemaidem & quædam parua caſtella. Fœdere facto properat domum per Thraciam & Vngariam, vbi venit in Germaniam, in ditione Lupoldi ducis Auſtriæ, cum quo habebat ſimultates, comitantibus ſe ſeruiuit, & inter vltimos ſeruos verſatus eſt, ne agnoſceretur. In quodam ergo diuerſorio iuxta Viẽnam aſſabat ſuis manibus carnes, digito geſtans regalem annulum, quem quidam ex familiaribus ducis Auſtriæ agnouit, nam erat miles qui in obſeſſione Acæ fuerat, quare mox domino ſuo Viennæ tum degenti nunciat. Dux Auſtriæ, vt ille indicarat, inuenit regem in diuerſorio, captum cuſtodiæ diligenter mancipat, datam occaſionem vlciſcendi ſe vehementer gaudet; nam male illi fecerat. Capta enim vrbe Aca, in cuius obſeſſione nulla non pericula, nullosque non labores Lupoldus dux Auſtriæ ſubierat; rex Angliæ contempto Lupoldo ſigna ſua per vrbem erexit, & cum erecta videret vexilla ducis Auſtriæ, præcepit conculcari, præterea prædam inter ſuos diſtribuit, nihil relinquens Germanis qui erant copiæ Auſtrię ducis, cum tamen communia pericula multa maioraque multo perpeſſi ſint, vt qui primi in obſidione fuerint, primamque coitionem ſuſtinuerint, cum adhuc ciuium Acę vires integræ eſſent, quas fregerant Germani magna ex parte ante aduentum Anglorum. Hæ fuerunt inimicitiarum cauſæ. Porro Pontifex Romanus vbi audiuit regem Angliæ reuertentem ex expeditione laborioſiſſima captum, tenerique in vinculis, ducem Auſtriæ execrauit, iniquiſſimoque animo omnes tulerunt qui cauſam ignorarunt. Plauſibilis enim erat expeditio apud omnes Chriſtianos, maximeque admirabantur & diligebant eos, quod ſumptis armis aduerſus Turcam in longinquas regiones ibant. Dux vero reddidit cauſas, quibus motus illum ceperit. Henricus Imperator tum egit Wormatiæ, illuc iubet ad ſe duci captum regem, ibi Henricus audiuit cauſam Lupoldi & Ricardi; liberatus eſt rex, dato magno auri pondere Imperatori & Lupoldo. Nam præda quæ Acæ Lupoldo prærepta vi erat a rege, magni æſtimabatur. Rex cum non haberet aurum ſufficiens ad ſe liberandum, eccleſiaſticum ornatum accepit. Quo ſermonis ordine cum Friderico ex Germania ad in Aſia & Hieroſolymis res geſtas venerimus, quoque ductu rurſus redierimus in Germaniam, vides. non igitur erit noſtri inſtituti longius immorari in rebus Hieroſolymitanis, quanquam poſtea mirabilia auditu inter Chriſtianos & Sultanum facta ſint. Poſt nuptias magnas geſſit in Italia Henricus, Romano Pontifici obtemperantes fecit qui non obediebant, ciuitates rebellantes ſub iugum egit; Campaniam quæ nimium ſuperbe deſpexerat Imperatorem, in vltimam ſeruitutem redegit; Neapolim maximis præſidiis munitam tres menſes obſedit, circaque eam omnia diripuit: ſed peſtis crudeliſſime inuaſit exercitum. coactus igitur cœlum mutare, ſoluit obſidionem. Dum autem in obſidione occupatur Henricus, vxor eius quam nuper duxerat, a quibuſdam Apuliæ Principibus capitur. Pontifex eos qui captam tenebant, excommunicat, & ditionem eorum cuilibet occupanti concedit. Raptores anathematis fulmine territi, remittunt Henrico vxorem. Imperator minatus illis vltionem (nam inpræſentiarum non vacabat) propter neceſſaria regni negocia in Germaniam reuertitur. nam cum multa alia in Germania corrigenda erant, tum præcipue in Sueuia quidã mouere non mouẽda tentarant. nam quomodo Acam oppugnans fortiter Fridericus occubuerit, dictum eſt. idcirco quum primum in Germaniam venit, conuocatis proceribus fratri ſuo Conrado ducatum Sueuiæ dedit, & admonuit eum, vt perſuaderet ſibi crudelitate non ſtabile eſſe poſſe regnum, ſed humanitate & iuſtitia, præcipue apud homines altiore ingenio præditos, quales eſſent omnes Germani, potiſſimum vero Sueuos. Adhortatus quoque eum eſt, vt operam daret quam chariſſimus ſubditis eſſe, quoque ſublimiore loco poſitus ſit, hoc modeſtiorem oportere eſſe. & vt ſtudeat quam pauciſſimos lædere, quantum ſcilicet iuſtitia ſalua fieri poteſt, plurimis autem prodeſſe, iuuareque mortales diuinum eſſe quiddam, nocere Satanæ proprium. Hæc & huiuſmodi multa inculcauit Conrado homini agreſti & ferociſſimo. Archiepiſcopus Colonienſis multa, abſente Cæſare & occupato in Italia, conatus eſt contra Cæſarem facere, & quoſdam alios in ſuam adduxerat rebellionem. Quos contra Henricus vbi primum incepit parare bellum, mittunt ad eum rebelles legatos, excuſant ſe quantum licuit, & rogant pacem, facturoſque recipiunt ſe quæcunque tolerabilia imperet. Ab Imperatore recipiuntur in gratiam.

Germa-

Germania pacata tota, legibus & religione in ea florentibus, custodibusque religionis & legum cõstitutis, contrahit copias, & ducibus Bertoldo a Kunsperg misit in Italiam, per quam totam excepti sunt a ciuitatibus honorifice, donec venerunt in Apuliam, ad quam peruastandam miserat Imperator ipsum exercitum, irascebatur enim Apuliæ propter temeritatem & præsumptionem suique contemptum, vt qui ausi fuerant præcedente anno vxorem eius capere. Quare Apuliæ vrbes vi captas quasdam diripuere, quasdam vrbes & castella in deditionem acceperunt. Totam Apuliam occupatã muniuerunt præsidiis Germanorum militum, qui insolentius imperiosiusque tractarunt eas vrbes in quibus erant; qua causa vix dum Italiæ finibus egressus erat exercitus, conspirarunt incolæ contra Teutonicos milites qui in præsidiis erant, quorũ partem manciparunt durissimæ seruituti, partem eiecerunt, partem etiam occiderunt. Quæ res vbi ad Imper. perlata est, denuo cõscriptum exercitum in Italiam ducit, & omnes qui præsidia eiecerant, puniuit acriter, quosdam in exilium misit, quosdam patibulo suspendit, alios aliis mortis generibus affecit. ciuitatum quæ præsidia Teutonica eiecerant, quasdam funditus diruit, trucidatis inhabitatoribus omnibus, deterrere volens ne id in posterum vnquam Germanis fieret. Hoc bello Apuliam & Campaniam totam redegit in prouinciam, cui præfecit fortissimos ex exercitu viros, reliquit eis præsidia armata Germanorum non inualida. Cum exercitu in Calabriam & Siciliam est profectus, quas regiones vi cepit. Vbi vero ad vrbem Catanensem appropinquauit, omnes qui in ciuitatibus & castellis passim regnarãt, collecti in vnum cum magno exercitu ciuium, artificum, pastorum, & aratorum turba vndique collecta, occurrunt Imperatori, & castra muniuerunt proxime ad Germanorum castra. Imperator eius gentis morem bellandi sciens, quod scilicet nocte concubia solerent impetum facere in hostes, castra ante noctem muniendi tempus sibi relictum non esse simulat, reliquitque magnam partem fossarum imperfectam, excubitores raros in illa castrorum regione collocat. Hostes id animaduertentes rati sibi datam occasionẽ bene gerendę rei, iuuentutis selectissimum robur statim post mediam noctem vt in castra Imperatoris ea parte irruant qua non erant perfecta. Aduenientibus igitur hostibus expectatis vigiles Germani cedunt, vt iussi fuerant, & hostes intromiserunt, quos expectans Imperator locis commodis circundatosq; trucidat omnes, paucis, qui capti tamen sunt, exceptis. Fuisse autem creditur tria milia, sed totius exercitus præstantissimi ad pugnandumque promptissimi. Cum primum illuxit, Henricus vrbi admouet exercitum, præteriens hostium castra; celeritateque mirabili machinarum & tormentorum variis generibus incipit murum deiicere, & fossata lapide, cespite lignoque complet. Quod vbi viderunt hostes in castris, educunt exercitum in apertam planitiem & Germanos ad pugnam prouocãt instructa acie. Imperator primum dubitat præstétne vrbem obsidione circumuallare & excludere ab vrbe hostes, an congredi melius sit. Vbi videt autem ob vrbis circuitus amplitudinem excludi non posse, statuit congredi. Quare suos ad virtutem cohortatus est, & inter reliqua demonstrauit claris argumentis aut moriendum aut vincendum, nullam spem salutis in fuga esse posse, ostenditque victu faciles esse colluuiem hominum qui nunquam prælio interfuerint, non assuetos armorum conspectu exanimari. Vbi videt animos suorum erectos, & pugnam optare, certa victoriæ spe concepta, aduersus hostes contendit magno animo, statim sine Germanorum cæde perturbatis ordinibus, primo concursu ad vrbem fugiunt (nam animi in vrbe ante congressum erãt sine dubio) exercitus Germanorum fugientes persecutus cum eis irruunt in vrbem, & primo furore occisi sunt in vrbe omnes vtriusque sexus, nulla etiam habita ætatis ratione, captis vrbis primatibus & episcopo qui multa perpetrarat contra Cæsarem, incendit vrbem, nec passus est extingui ignem, donec omnia exusta in cinerem redacta sunt. Huic bello quidam volunt ipsum Henricum non interfuisse, sed per legatos gessisse, quorum primum faciunt Henricum de *Kalend* Marscalcum Imperatoris. Hoc constat inter omnes bellum illud gestum nomine Henrici, & Henricum tum in Italia fuisse, præliis autem interfuisse negant quidam. Quidam Italorum virtutem maiorem esse Imperatoris videntes, quam vt superari posset, dolo eum interficere statuunt, multi in eius necem coniurant. quod vbi cognouit Imperator, sedulo dissimulauit, nec vultu, nec verbis vllam illis significationem iræ suspicionisque dedit. Principum fre-

quentibus conuocationibus habitis, ſemper vnum aut duos coniuratorum adhibuit, & dimiſit vt reliquos; ſicque in conſuetudinem ducti ſunt conuentus illi, vt poſtremo omnibus coniuratis conuocatis nihil ſiniſtri in mentem venerit. Quos correptos, in vinculaque coniectos, exquiſitis memorabilibusq; ſuppliciis affecit. Quoſdam enim cute viuos exuit, alios oculis priuauit, alios aliis membris mutilatos viuos in exilium ablegauit, alios lento incendio enecauit, quoſdam vectibus humo affixos longis & ingentibus doloribus mori coëgit. Vnum vero in primis miſerabili ſpectaculo extinxit, qui aliis potentior regnum affectabat; clauis enim ferreis per tempora transfixit, cauere iubens carnificem, ne neruoſo quopiam læſo vita finiretur breui. Itaque omnibus fere illius regionis ſubiugatis ciuitatibus, Henricus promouet ſigna ad vrbem Siciliæ Falernum, quæ opum & magnificentia aliis Siciliæ vrbibus palmam præripiebat. Fuerunt in ea theſauri regis, & primi loci nobilitas. Adueniens primum impetum fecit in regia viuaria, omnis generis animantium quæ ad menſam veniunt, refertiſſima. Mactarunt milites, & læti conſumunt regias voluptates. Oppidani territi pacem petunt, ciuitatem Imperatori totam tradunt: quare templa, ædificia publica, portas & turres, & hoc genus alia inſigniuit imperiali aquila, adiunctis ſuorum maiorum inſigniis; imperatque vt omnes ciuitatis plateas, & feneſtras parietesq; domuum frondibus odoriferis, ſericis pannis artificioſe contextis, impleri, vias gramine viridi ſterni, odores incendi, per ordinem ciues vtriuſque ſexus cum muſicis inſtrumentis procedere. Primo loco puellæ, mox matronæ, deinde pueri, deinceps aliæ ætates ordine ibant. Sic voluit imperiali pompa excipi. Poſt hanc pompam ſecundum cuiuſque virtutem, largitus eſt munera militibus, ingentem enim argenti auriq; vim repererat in ea vrbe. redegitque Siciliam totam in prouinciam, ex qua magnos annuos prouentus accepit. Vt autem totũ ſeminarium rebellionis e medio tolleret, nobiles omnes captiuos in Germaniam miſit. Filium regis propter hanc cauſam, ne ad regnum animum adiiceret, oculis priuari, & duci ad Rhetos, ibique in caſtro Amiſo cuſtodiæ perpetuę mancipari iuſſit. Regis Siciliæ vxorem matrimonio iunxit Philippo fratri ſuo, cuius ſtrenua & fideli opera in bellis illis vſus erat. Hæc mulier, nomine Irene, filia Conſtantinopolitani Imperatoris, pudicitiam ſeruare in votis habuit; ſed ob formam & genus animumque Philippus ad eam adiecerat animum: quare coacta eſt vi ad nuptias ſecundas cũ hoſte. Multa queſta eſt de rerum humanarum fragilitate & inconſtantia; ſed quo magis philoſophiæ præceptis animum muliebrem imbutum vidit Philippus, hoc magis rapitur in amorem eius, & ſecum in Germaniam ductam, Auguſtæ præſentibus multis Principibus magnificentiſſimis apparatibus nuptias celebrauit. Cum autem negociis publicis ab ea abeſſe cogebatur, in munito & amœnitatis præcipuæ caſtro eã habuit inter multas matronas & puellas nobiles. Apuliæ reginam, Sibyllam, cum filia eius miſit in monaſterium mulierum Hohenburg, quod eſt in Alſatia. Et hoc modo quicquid putauit facere vllo modo ad rebellionem, ſuſtulit. Vades quoque ſecum duxit ex Apulia duos primos comites, & epiſcopum Salernitanum. Ingenium enim cognitum habuit illius gentis ad res nouas promptum & rebellionem procliue. Quanquam vero diligenter omnia prouidiſſet, ne vllam cauſam aut materiam rebellandi relinqueret in illis regionibus; tamen in Apulia ſunt inuenti, qui nullo reſpectu habito captorum & obſidum, rebellarunt, Cæſaris ſtatutis contradicentes & contrafacientes. Quamobrem ira ſuccenſus Imperator obſides quos apud ſe in cuſtodia habebat in Germania, luminibus priuat, & ſine mora celeriter mittit legatum cum copiis in Apuliam, rebellesq; captos, variis & crudelibus ſuppliciis affecit, vt exemplo alij deterrerentur. Vixit aliquot annis cum vxore ſua Irene ſuauẽ vitam Henricus in ocio. Et Germania creſcebat nouis pagis & vrbibus hominumque fœcunditate. Hoc tempore Conradus Sueuiæ dux Bertoldo de Zeringen indixit bellum, & cum contractas copias duceret aduerſus eum, in vrbe Durlach mortuus eſt. Imperator poſt mortem Conradi, ducem Sueuiæ facit Philippum fratrem ſuum. Per id tempus apud Principes electores effecit Henricus, vt Fridericum filium ſuum natu trium annorum eligerent in regem, & iurarunt puello ceu regi, electioque fere omnium Principum literis obſignatis eſt confirmata. Imperator Siciliam, Apuliam, totamque Italiam magnis exactionibus preſſit, & prohibiturus rebelliones, multos vario genere mortis occidit. Ab eccleſiaſticis idem exegit quod ab

aliis

aliis poſtulabat: nec abſtinuit manus ab initiatis ſacris ordinibus, ſed quoſlibet ob quã-
uis leuem ſuſpicionem ſupplicio affecit. Semel enim decreuerat prohibere ſeditiones.
Qui igitur nihil palam audebant, clam apud Romanum Pontificem accuſabant eum,
querebanturque de ſuorum morte, quos innocentes fuiſſe probare conabantur. Qua-
re Pontifex eum anathemate percuſſit, prius admonitum. Henrico autem bona verba
dãte, & ſe mutaturum pollicente, ſi quid factorum eius parum Principem bonum de-
ceret. Pontifex eum abſoluit, & in gratiam receptũ cohortatur ad expeditionem Hie-
roſolymitanam & contra Turcas qui & ante multa Chriſtianorum tenebant, & quo-
tidie occupabant. Regni Hieroſolymitani recipiendi ſpem facit, Deum fortunaturum
vias, ſe benedicturum, & pro ſua poteſtate ab apoſtolo B. Petro ſibi relicta, indulgen-
tias liberali plenaq; manu daturum omnibus iis qui vna ituri eſſent. Præterea promit-
tit ſe operam daturum vt ſimul eãt reliqui Chriſtiani nominis Principes. Probat etiam
Papa facilem futuram profectionem Hieroſolymam vſque, cum aliis argumentis, tum
& quod Conſtantinopolitanus Princeps non ſolum amicus, ſed etiam ſocius belli fu-
turus ſit. Et quod Sultanus nuper exceſſerat e vita, & Sultano etiam viuente in proxima
expeditione Hieroſolyma fuiſſet recepta, poſt Acam captam, & Sultanũ toties victum,
ſi ille malus Satan non frigidam ſuffudiſſet inter regem Galliæ & regẽ Angliæ, interq;
hunc & ducem Auſtriæ. Quæ Pontificis verba ſic habere nõ ignorauit Henricus. Nam
ex multorum qui in ea fuerant expeditione, ore omnia cognorat, quomodo Sultanus
deſponderit animum, cogitaritque de reddenda Hieruſalem, quomodoque diſcordia
inter Principes acciderit, quæque cauſa diſcedendi regibus & reliquis exercitus duci-
bus fuerit. Henricus igitur omnino ſtatuit illud bellum ſuſcipiendum, maxime cum
in Germania ocioſorum militum abundaret copia: ſed cum multæ eſſent cauſæ quæ
eum domi detinebant, nomine ſuo miſit archiepiſcopum Moguntinum, & ducem Sa
xonię, & alios multos viros natalium ſplendore & bellicis laudibus magnos, inter quos
primi fuerunt Conradus Cancellarius Imperatoris, Lupoldus dux Auſtriæ, Herman-
nus Lantgrauius de Thuringia, dux Brabantiæ, epiſcopi Ratiſponenſis, Patauienſis,
Halberſtadienſis, Conradus Marchio, & alij comites & nobiles viri, quos enumerare
nihil opus eſt. Hi ergo omnes religionis amore, ſuas maximas & pulcherrimas poſſeſ-
ſiones, ſuas vxores charamque prolem reliquerunt. Magni profecto & ſuſpiciendi
animi fuerunt. Hæc animorum ſublimitas debetur rectæ puerorum inſtitutioni: fue-
runt enim omnes non in ſtabulis equorum, & in voluptatibus carnis, ſed in monaſte-
riis, ſcholis Chriſtianæ Reipublicæ ſaluberrimis, a ſanctis patribus in orationibus, ieiu-
niis & ſalutaribus euangelicæ doctrinæ præceptis inſtituti & educati. Duces igitur,
quos dixi, ducunt magnas Germanorum copias per recta itinera, & ſecundauit Do-
minus iter eorum vſq; ad Hieruſalem, quam petebant. Quæ in itinere eis acciderint,
quid vnanimes bellicoſiſſimi viri geſſerint, antequam per tot itinerum pericula & dif-
ficultates Hieroſolymam venerint, enarrari pro rei magnitudine multis voluminibus
vix poſſet. Platina & Blondo autoribus vrbem Iopen & Berytum recuperauerunt vi
expugnatas, & ad Hieruſalem caſtra moturis nunciatur Imperatorem Henricum mor
tuum, cuius auſpiciis in ea militia erant. quare omnes vnanimiter repetunt patriam
recta & breuiſſima via. Poſt illum vero repentinum abitum exercitus, receperunt ho-
ſtes Berytum & Iopen, & crudelibus modis ſæuierunt in Chriſtianos illic relictos, vr-
besque incenderunt. Henricus Imperator Meſſanæ in ægritudinem inciderat, dum
ille Germanorum exercitus fuit in expeditione Hieroſolymitana, & obiit diem ſuum
præſentibus multis viris Principibus, vxoreque ſua, & filio paruo Friderico, qui rex
& Imperator ab electoribus erat paulo ante, vt dictum eſt, appellatus, hunc ægrotus
per legatos Romano Pontifici, qui tum erat Innocentius tertius, commendat. Com-
mendat vero eum præcipue fratri ſuo Philippo cui Sueuię ducatum dederat: nam eius
fidem & probitatem exploratam ſe habere putabat. decumbens igitur in lecto, adhor-
tatur præſentem fratrem, vt pueri bene inſtituendi præcipuam curam gerat, & regno-
rum adminiſtrationem eidem Philippo committit, donec puer maturus fiat ætate. Iu-
bet autem inſtituendum tradi bonis & probitatis ſpectatæ præceptoribus, & exerceri
quotidie ad robur animi ſimul & corporis, quod neceſſarium omnino eſt Imperatori,
officio ſuo fungenti. Erat enim Henricus vir perſpicaci animo & generoſo, corporis

habitu ita gracili, vt non recte possis dicere tenuem fuisse, facies illi qui tenuior fuit reliquis partibus corporis, exercere venationibus equos & pedes se solebat frequenter, libentius ruri in arcibus habitauit, quam in vrbibus, sæpe in hortis eleganter arboribus per ordinem consitis ambulare visus est vno aut altero comite. Post mortem Imperatoris curam imperij dux Sueuiæ Philippus, Henrici Germanus frater, suscipit, nomine puelli Friderici; & administrante omnia Philippo, appellatus est a multis rex & Imperator: nec recusauit nomen. postea cum viderent Principes multi distrahi quæ erant imperij propria in Latio & Sicilia, nec satis autoritatis esse tutori, quidam Principum elegerunt Philippum in regem, & quo maiore autoritate polleret, Moguntię a Tarentasiensi episcopo est in regem vnctus & coronatus. Quæ vnctio & coronæ impositio male habuit Pontificem Roman. & alios multos episcopos. Propterea archiepiscopus Colonienſ. & alij quidam ecclesiasticorum & secularium Principum conueniunt Aquisgrani, & Othonem ducis Saxonum filium in regem Romanorum eligunt & coronant, accedente etiam calculo Papæ. Habebat vterque Imperatorum Otho & Philippus a sua parte potentes & multos Principes. Ricardus rex Britanniæ studebat Othoni, item comes Flandriæ, Papa ipse, Archiepiscopus qui illi coronam solenniter imposuerat, item ab illius partibus stabant dux Limpurgæ, & Liuoniæ, item comes Palatinus Rheni & Lantgrauius Thuringiæ. Philippo autē fauebat rex Galliarum, & omnes qui non sunt enumerati inter Othonis amicos. Innocentius igitur in synodo Romæ cum cardinalibus suis habita, reprobam electionem Philippi statuit, quod decretum per apostolicos legatos misit in Germaniam, significās, quid concilio patrum in Spiritu congregatorum visum sit, mandauitque autoritate apostolica, vt omnes obediant Othoni, promulgata excommunicatione in Philippum & omnes ei adhærentes. Sed Germanorum pauci, nisi qui alioqui adhærebant Othoni, bullis pontificiis deterriti, a proposito desistebant. Conatus enim papales & Othonis vbi videt Philippus, se excusat vbique sua ipsius præsentia aut per legatos, quid Pontifex Romanus timeat exponit, simul copias conscribit. Nec Otho segnius se ex aduerso parat ad bellum. Philippus Sueuorum copias aduersus hostem ducit, opponit se Otho, multa cæde res est acta, vterq; Germanos habuit, sed virtute militum præualuit Philippus, eos enim in suo exercitu habuit qui in montibus Heluetiæ nati erant, & Sueuos, omnesq; a Rheni origine vsque ad Argentinam, qui etiam nostra ætate fortissimi milites habētur. Superatus igitur est multis præliis Otho, & cum per totam Germaniam solus haberetur rex, fractis Othone & sociis eius, constituit diligenter fideles vbique præfectos apud Germanos, ipse cum robusta manu arripit in Italiam iter, ne Pontifici vacaret excommunicationibus victoriam suam perturbare, voluit Italiæ & Pontifici negocium facere, Latijq; res componere, ita vt responderent legibus & iuri veterum Imperatorum (Non ignoro hæc apud abbatem Vrspringensem aliter scripta, mihi expendenti eius temporis statum, hæc visa sunt probabilia; si quis vero aliter sentit nihil impedio) cum igitur iam copiæ essent partim accinctæ, partim in itinere, certior redditur de quorundam Principum conuentibus, vt alium Imperatorem eligerent. Et Bertoldus dux Zeringensis magnis largitionibus effecit, vt ipse sit electus & appellatus rex. Philippus grauiter hoc tulit, quare cum omnibus qui fauebant illi principibus comitia in Mülhusen celebrauit, vbi queritur de leuitate & inconstantia quorundam, qui tam leuibus causis adducerētur ad alium Imper. eligendum. Aderant Sueui, Saxones, Boëmi, Boioarij, & multi Rheni Principes & ciuitates qui coniurarunt cum Philippo contra quoscunque vellet. Collectisq; copiis, aduersarios vexabant non mediocriter, implebatur Germania rapinis & cædibus, partes vbique contendebant bello, nullus locus apud German. paci relictus erant: vbique bella erat. Dux vero de Zeringen ad postremum pecunia exhaustus, cum Philippo redit in gratiam, & agnoscit Philippum regem. Colonienſis & Moguntinenſ. archiepiscopi & comes de Lyningen, & alij qui contra Philippum elegerant Bertoldum ducem, cupientes alium habere Imper. (sperabant autem aliquid se efficere posse, quod idem volebant Papa, & rex Angliæ Ricardus) mittunt ad Othonem, qui tum apud regem Ricardum erat, vocant eum, spem imperij consequendi faciunt. Coloniam igitur Otho vocatus venit, conueniunt multi factionis eiusdem, eligitur Otho in regem, approbauit Pontifex electionē, execrauit vero & maledixit Phi-

lip-

lippum. Vterque præparat se aduersus alterum coactis copiis, festinat vterque Aquisgranum alteri præripere cupiens. Philippus præuenit Othonem, capit vrbem, iurant illi ciues, præsidiis munit eam. Ad alia sub manum suam redigenda properat Philippus. Otho cum suis suorumque sociorum copiis venit quoq; postquam discessit cum exercitu Philippus, obsidet oppidum, cumq; præsidia non essent satis numerosa ad defendendam vrbem, ad deditionem adacti sunt, sed saluis omnibus etiam militibus qui in vrbe erant. Capta vrbe, episcopus Colonien. autoritate apostol. coronam imperialem imponit Othoni. Cæterum vniuersa curia Imperialis & omnes officiales scribęq; imperij sequebantur Philippum. nec non complurimi Principes vtriusque ordinis secularis, ecclesiastici. Quam ob causam magnæ simultates, magnæ concertationes in Repub. imperiali, & ecclesiastica sunt exortæ. In Galliis & Germania, cuius temporis gesta confusa video, ita vt multa ignorentur, vbi aut per quem sint facta: multa enim regi Galliæ Philippo ascribuntur, quæ rex Romanorum Philippus fecit. decepti autores nimirum nominis Philippi communione: nam vbi audiebant scriptúm ve inueniebant, rex Philippus, errarunt facile. Hoc autem non est dubium inter episcopos quosdam & Pontificem Rom. magnas simultates, inimicitias, odia, & lites fuisse, non sine magno ecclesiæ scandalo. Nam adhærentes Philippo anathemate pontificio percussi nihilominus sacras functiones omnes obibant: Philippus vero omnes crudeliter persecutus est & afflixit qui Othonis socij erant, depopulatus est agrum bono & multo vino nobilem Alsatiæ, deuastauit incendio, & cædibus omnia complens, arces humo æquans, regionis magistratum & nobiles captos in vincula coniiciens, præter reliqua castra non procul ab Argentorato castrum, Haldenburg nomine, euertit. Item arcem in Rubiaco vetustissimo Germaniæ oppido radicitus sustulit: Castrum etiam in Aphich funditus euertit, magnam prædā secum abstulit. Proximo post anno statim post hyemem reparatis copiis Argentinā vrbem obsidet, agrum primum depopulatus est, deinde suburbana ædificia quæ egregia & multa ante mœnia erant, exussit. Vrbani scientes se non posse diu obsidionē ferre, dediderunt se, æquis conditionib. iurant illi ciues; episcopus quoq; eius vrbis redit in gratiā cum Imperatore, magis suis præsentibus facultatibus timens, quam excōmunicationum minas. Porro cū varia fortuna vsi sint in multis præliis Otho & Philippus, mutarintq; quoq; eorum se amici pro successuum ratione & fortunæ mutatione, non habito iuramenti pręstiti & fidei respectu, sicq; varij euentus arguebant multorum leuitatem: sępius tamen victor discessit Philippus, sed vtrinq; multi occumbebant fortes milites. & erat omnibus modis miserandus Germaniæ status, multæ viduæ, multi reddebantur tot præliis pupilli, caritas annonæ magna sequebatur, tot passim agris per Germaniam vastatis, & frumento & reliquis victui necessariis in vrbes & arces abreptis & conseruatis ad obsidiones, si vsus veniret, perferendas. nam sæpe propter suspicionē belli futuri annonæ caritas consuecuit fieri. Post Alsatiam & Argentinam sub iugum suum redactas Philippo accessit amicorū multitudo, & multæ vltro ciuitates dediderunt se. magnū enim pepererat sibi nomen deuictis tot arcibus & oppidis, præcipue vero Argentorato vrbe. Othonem non mediocriter commouerunt hæc, quare ne plures desciscerent, omnibus viribus insequitur Philippum, vt suspenderet expectatione socios qui quotidie deficiebant ab eo. Philippus vbi primū audiuit subsequi Othonem, vertit signa in eum, & occurrit illi alacriter, nihil æque cupiens quam prælio decernere. Otho vero non secutus est eum quod pugnam cuperet, sed vt suos amicos in officio retineret; quare vbi Philippum cum suis obuiam contendere audiuit, retulit pedem, & reuersus in Saxoniam alia ratione opus esse bellandi aduersus Philippum videt. mittit ergo legatos Romam, exponit Pontifici quomodo in Germania a se & a Romano Pontifice desciscant multi, etiam ecclesiastici, causas alias confingit. nam ex vsu eius nō erat vera, nempe quod fere omnibus præliis superiorem videt Germania Philippum. Pontifex Rom. conuocato concilio suorū cardinaliū Romę, repetit anathemate Philippum, Othonē confirmat imperatorem q; appellat. quam ob causam cardinalium vnum mittit Coloniam, vt publicaret excōmunicationem in Philippum & omnes ei adhærentes: Item publicatis bullis mandauit sub excōmunicationis pœna, vt Othonē omnes pro Imper. haberent, & vitarent Philippum ceu membrū mortuū a corpore ecclesiæ recisum. Hic legatus multos, præsertim ecclesiasticos,

proceres a iuramentis quibus Philippo obstricti erant, absoluit. Philippus magnopere excandescens in Pontificem Rom. sacerdotia ecclesiæ pro suo arbitrio quibus volebat contribuit nihil Pontificis autoritatem moratus, munit omnia sua quam potest firmissime, & milites conscribit quoscunque vsquã bonos inuenit, suarum partium Principes omnes Bambergæ conuocat, in frequenti ecclesiasticorũ & secularium conuentu multa pro se aduersus Othonem dicit, extenuat verbis autoritatem pontificiam, & quam inique pro affectuum libidine iudicet & statuat in causa sua declarat. Eodem tempore suis partibus adhærentes Otho vocat ad Traiectum vrbem, accusat apud illos Philippum, suam causam agit, gloriatur de legitima electione, quã approbarit sanctissimus dominus Papa, reiectum ex libro viuentium Philippum & omnes illi adhærentes exaggerat. Fuerũt hæc causa magnæ in ecclesia perturbationis. Hoc tempore, quod
1203 fuit anno post natiuitatẽ Christi 1203, Philippus suas copias ducit in Turingiam contra Hermannum Lantgrauium, quod Papæ anathema veritus partes pontificis defendendas susceperat, & quod iuuaret Sifridum Moguntinum archiepiscopum contra Philippum. nam hic Sifridus coniunctissimus erat Othoni, ecclesiasticis eum iuuabat bonis quam poterat maxime. Lantgrauius Turingiæ Othocarum Boëmiæ regem & Palatinum, qui cum Othone contra Philippum sentiebant, inuocat vt ferant illi auxiliares manus. Boëmorum rex magna suorum manu occurrit obuiam Philippo ab alia parte. cum suis copiis quoque comes Palatinus venit ab Othone adiutus. Maiores copias contra se venire quam putabat vbi videt Philippus, seque nimium numero inferiorem, statuit suos intra munitiones continere. quare exercitum in vrbem Erdefurt ducit, illic expectans hostem. Lantgrauius cum sociorum auxiliaribus copiis ad vrbem properat, obsidione totam vrbem circundat, sperans se eum illic inclusum tenere & capere. quamobrem ad Othonem mittit, scribit se tenere captum in vrbe, petitque vt militum adhuc aliquot millia mittat; nam manus suas Philippum effugere non posse, aut captum aut occisum se missurum Othoni promittit. Iamque incipiebant gloriari victum & cum toto exercitu captum: has pœnas dare dicebant impietatis, inobedientiæ, contemptæque ecclesiæ. Hæc fama per totam volitabat Germaniam, incipiebantque rursum aduerso vento impelli in partem diuersam arundines de quibus dixi, hoc est inconstantes homines, qui quolibet vento in quamlibet partem mutantur animis. Philippus hoc periculum animaduertens, quam primũ fugiendum quoquo modo videt antequam augerentur copiæ. propterea media nocte cum paucis suorum elapsus, venit ad Marchionem Misnensem, eique aureos pollicetur montes, qui illum pro tenuitate facultatum suarum iuuit. cum paucis igitur properat liberaturus suos, sed facile ab hostibus repulsus est: illi vero in vrbe aliquoties eruptionibus factis magnam hostium cædem fecerunt, & fortiter propugnabant mœnia. Vbi Otho certior factus est Philippum fuga sibi consuluisse, suos reuocat, & Lantgrauius impensas longioris obsidionis timens, soluit obsidionem. Venit eo tempore Otho rex cum multis militum legionibus Mersburgum, eoque conuocauit omnes suos confœderatos & subditos magistratus. Veniebant quoque qui deficientes a Philippo petebant amicitiam Othonis, causam defectionis suæ reddebant, scilicet quod Pontifex Rom. excommunicarit Philippum & omnes qui eum sequerentur, & quod mandarit Papa, vt omnes relinquerent eum. sed nulla erat plerisque alia causa deficiendi quam quod videbatur Otho superior. In illis comitiis apostolicus legatus, episcopus, denuo Othonem coronauit, & benedixit illi in frequentissima populi concione & magno strepitu & pompa.

Philippus interea comparat copias, suos vbique bono esse animo & bene sperare iubet, iterumque in Turingiam mouet signa, primumque adoritur oppidulum Wizense, paucisque diebus capit, & totam illam regionem, præter vnam atque alteram arcem, in fidem accepit: Nunciatur illi Boëmiæ regem rursum aduenire. Philippus obuiam illi ducit suas copias. Boëmi ad iter paratiores quam ad prælium, celeriter ibant, quibus cum nunciatur hostem aduenire, adest quoque Philippus cum iis eadem hora fere qui nunciabant regi Boëmorum aduolare hostes. itaque dum aciem instruit Boëmus, irruit Philippus in eos. statim perturbatis ordinibus tergum verterunt, in qua fuga Boëmorum multitudo non exigua est occisa: qui fuga euaserunt, domum dissipati venerunt magna cum ignominia. Philippus ex eo prælio incredibilia habuit commo-

da;

da; qui enim induxerant in animum audire Pontificem Rom. præcipientem vitare anathemate percussum Philippum, mutarunt sententiam, Philippo mittunt auxilia: quædam ciuitatum clam mittebant subsidium. verebantur enim excõmunicationem. Philippus omnes pagos, villas, arces, oppida cepit, & igne & ferro sustulit omnia ædificia: quique paulo ante dicebatur victus, in hostis manu, iam victor hostem affligit pro sua libidine. Thuringiæ comes Hermannus vbi certior est factus tristissimo nuncio, quod rex Boemorum, in quem omnem collocauerat spem, tanto prælio superatus sit, desponder animum, videt se illius iræ resistere non posse, mittit ad Philippum de pace & deditione, se paratum per omnia æqua illi parere significat. Fit pax inter eos, in gratiam recipitur, aliosque qui desciuerant aut primum nunc accedebant sine superbia & exprobratione suscepit. Coloniæ quoque episcopus qui defecerat, reconciliatus est illi. Philippus nocte dieque properabat (dum recens fama de victoria sua vigeret in ore auribusque hominum) ad occupanda quæ aduersarium suum Othonem sequebantur, & in fidem sine iniuria accipiebat omnes qui se dabant. Adolphus archiepiscopus Colonien sis promisit Philippo se effecturum, vt suis partibus accederent dux Lotharingiæ, & dux Brabantiæ, quod magnopere cupiebat Philippus: videbatur enim Otho totus fractus si hoc fieret. Quare episcopo dedit non vulgarem pecuniæ vim partim vt ipse seruaret sibi, partim vt largitionibus animos illorum Principum eorúmque procerum tentaret, & ab Othone auocaret. Episcopus, bonus vir, parui æstimauit iusiurandum Othoni factum, aut excommunicationis latam sententiam, primum auro aulicorum familiarium illorum Principũ corda deuincit Philippo, deinde mentes quoque capit Principum auri vi, quæ magna & potens est in rebus mortalium. Hi duo Principes vbi accesserunt, Othone relicto, ad Philippum, plurimis aliis idem faciendi causa fuerunt, quibus nulla munera data sunt, imo ipsi Philippo dederunt: sic ut comparatum est inique, vt ditioribus semper aliquid addatur. Philippi igitur rebus sic se habentibus, fit Aquisgrani magnus principum & ciuitatum conuentus, aderant etiam duces Lotharingiæ & Brabantiæ. In eo renouantur fœdera, iuramentis & literis confirmantur, de alio subrogando Pontifice Rom. si ille nolit mutare sententiam, deliberatur. Coronaturque in illis comitiis iterum Philippus, appellaturque rex Romanorum & Imperator semper Augustus. Multi ecclesiastici abbates & in aliis dignitatibus constituti cogebantur obtemperare non sine conscientia carnificina. Rege Philippo excommunicato, quidam ex eis, qui nimirum religioni magis dediti erãt, potius proponebant quiduis ferre, quam animæ detrimentum pati. Nam persuasum erat, certo recta ad inferos descendere animas eorum qui in excommunicatione mortui essent. Propterea Colonienses ciues suum episcopum vocabant apostatam, & iniquissimo ferebant animo quod contra iuramentum Othoni præstitum, & contra sacrosanctam Romanam sedem beati Petri coniunxerat se Philippo. Volebant enim potius quodlibet discrimen subire, quam contra Romanæ ecclesiæ obedientiam facere. Quare petebant a Pontifice Rom. vt Adolphum archiepiscopum suum a cathedra episcopali deturbaret. Accusabantq; eum leuitatis & perfidiæ nomine grauiter. Hoc vero grauissimum iudicabant, quod ipse coronauerat suis manibus Philippum. Quam ob causam legatus apostolicus qui tum nomine Pontificis Rom. legatione in Germaniam fungebatur, episcopum Adolphum deposuit, & consecrauit in archiepiscopum Colonien sem, auro ditissimum, Bunnæ præpositum, Brunonem nomine. Idem legatus eadem legatione etiam deposuerat Moguntinum episcopum, quem Philippus Imperator volebat, & alium substituit. Sed consecrati hi fuerunt episcopi, præterea nihil, dum Philippus superstes fuit. Nec enim vsus redituum, aut administratio muneris episcopalis illis concessa fuerunt. Sed præualuerunt viribus & auxiliorum copia episcopi regij, pontificij latere coacti sunt. In his dissensionum turbis multa monasteria (maiorum honestissima instituta & vtilissima) sunt direpta & diruta, multæ ecclesiæ spoliatæ, multi pauperes oppressi. Dum ita succedunt omnia ex sententia Philippo, Otho aduersarius eius laborat apud Saxones grauissimo morbo, & omnium pene amicorum auxilio destitutus, animi ægritudine non leuiore quam corporis detinetur. Nihil habet reliquum in quo possit confidere quam Pontificem Rom. ad quem mittit nuncios, & in Germania legatum supplicat, quotidieque nuncios appellat suam

prædicans in Romanam ſedem obſeruantiam. Spiram Philippus conuocat Principes Germaniæ, ibique decernitur bellum contra Colonienſes omnium Principum qui illic erant concordi ſententia. Quare coniunctas copias Imperator Philippus ducit aduerſus Colonienſes qui toti erant Rom. Papę deuoti. Aduenientem placare verbis Imperatorem conantur. Imperator poſtulat vt Adolpho epiſcopo ſatisfaciant, pro magnitudine iniuriarum quas illi intulerant, omnia ſua reſtituant, omni honore excipiant & venerentur vt archiepiſcopum ſuum, illiq́ue iurent. Quod cum ciues recuſarent, multaq́ue de ſua debita eccleſiæ obedientia diſſererent, Philippus omnia quæ ante mœnia ciues habebant militibus diripienda & vaſtanda obiicit. Nihil ante vrbem manſit integrum, omnia in cinerem redigebantur. Deinde exercitum propius muris admouendo arctius vrbem premere conatur, totam fere vrbem circumuallando magni laboris operibus. Sed paucis diebus capiendi nullam ſpem videns, ſoluens obſidionem, ad parua oppida Adolpho rebellantia capienda ducit copias, quæ capta iurarunt Adolpho fidelitatem, vt ſic loquar, formula ſermonis vſitata. Multa munita loca circa Coloniam hoc bello deſtruxit Imperator. Arces omnes epiſcopo Adolpho reddidit. Otho interea reſtitutus ſanitati, autoritate apoſtolica multas recipit vrbes, nam mandato autoritatis apoſtolicæ plerique credebant illi ſoli imperium deberi & Imperatoris appellationem. Quare cohortatur ſuos, Dominum eccleſiam ſuam non ſic peſſundari paſſurum, rationem breui futuram rerum. Impios, ceu puluerem a facie venti, coram Domino breui diſiiciendos & perdendos ſeruari. Quod vbi Colonienſes audiuerunt, reſuſcitatum ex morbo ſcilicet Othonem, & parare arma, poſt abitum Philippi pleraque omnia recuperant, eiectis & captis præſidiis Philippi & epiſcopi. Ipſe epiſcopus vix euaſit, venitq́; ad Imperatorem Philippum, illi omnia enarrat ordine. Quare Philippus ſine mora repetit Coloniam cum copiis, & recipit quæ ad eccleſiam Colonienſem pertinentia omnia, quæ extra vrbem fuerunt, & quantum fieri per magnitudinem vrbis exercitusq́ue ſui, vrbem circumuallat, mittitq́ue paſſim ad ſuos confœderatos, vt auxiliares manus mittant, nam totam vrbem cupiebat circundare; erat enim ipſe Otho rex cum ſuo epiſcopo Brunone in vrbe, conſecrarantq́ue epiſcopum Brunonem Sifridus Moguntinus epiſcopus, & duo ex Anglia miſſi epiſcopi. Ex Germanis enim epiſcoporum nullus audebat tentare, omnes enim metuebant Philippum. Augebatur igitur quotidie exercitus Philippi, iamq́ue Otho videbat ſe quotidie includi magis, augeriq́ue periculum, nec habere vllos ſociorum a quibus eſſet exercitus ſperandus, cuius opera ſolueretur obſidio. Quare cum videret diligentius, etiam nocte omnia itinera cuſtodita, vt nulla poſſit eſſe ſpes elabendi, niſi certo periculo, conſtituit cum ſuis erumpere per medios hoſtes diuiſos, per ambitum ciuitatis, eruptione facta prorumpit quidem fortiter per hoſtes, & occidit multos; ſed Philippi copiæ numero ſuperiores multo (quanquam vix ſexta copiarum pars eo loco eſſet) fugientem Othonem perſequuntur, & vix dimidia pars, qui comitabantur dominum, euaſit, alij enim capti ſunt, alij occiſi. Brunonem etiam in eo prælio cepit, & in vinculis duriter detinuit perpetuum annum. Colonienſes magis etiam muniunt vrbem, & diligentius diſponunt in muris propugnatores. Philippus vbi vidit elapſum Othonem, & capiendæ vrbis facultates ſibi non eſſe in præſentiarum, diſcedit, & obſeruat quid Otho parturiat. Colonienſes vero vbi extra mœnia nuſquam eſſent tuti, omnibus fere redactis in poteſtatem Philippi, & Otho vrbe non ſatis confiſus eſſet (quod imprimis ciues male habuit: neque enim tutorem ſatis commodū putabant, qui hoc modo obſeſſam vrbem relinqueret) Romani autem Pontificis ſpiritualia excommunicationum fulmina efficacia eſſe apud hoſtes videntes, mittunt ad ducem Brabantiæ, vt eius conſilio & opera reconcilientur Philippo Imperatori. Dux Brabantiæ ſuam operam pollicetur, veniunt igitur legati Colonienſium ad Imperat. Philippum Botpardiam, vbi cum multis Principibus & parte exercitus agebat. Primum petunt vt condonet tot eorum delicta, quę veniam mereantur vel ob hoc ſolum, quod ſic docti fuerint a ſuis religioſis, & propter cultum diuinum fecerint: ſed cum videant eccleſiæ maiorem partem per Germaniam & religioſos quoque viros a partibus Philippi ſtare, gratiam humiliter ſe petere inquiunt, & delictorum veniam, offerunt epiſcopo Adolpho omnia quæ habuit vnquam epiſcopus in vrbe iura. Cæſari item Philippo facturos plura quam ipſe

vel

vel ſuo vel imperij nomine vnquam poſtulaturus ſit, pollicentur. Philippus recipit eos in gratiam, nihil pœnæ grauioris propter rebellionem illis imponens. Quare cum legatis Colonienſium mittit quoque ſuos Philippus, qui Colonienſibus ciuibus pacis conditiones expoſuerunt, quas vbi vident non modo æquiſſimas. ſed etiam mire faciles, gratias agunt Philippo, & quæcunque poſtulat, iurant prompto animo. Philippus ergo in dignitatem archiepiſcopi, reclamante Pontifice Rom. reſtituit Adolphum, & quæcunque ad eccleſiam pertinuerant, reddidit, quædam alia armis capta eccleſiæ illi donauit. Otho autem deſperatis ſuis in Germania rebus, omnia Philippo obtinente, ad regem Angliæ ſe contulit, vt illic lateret, tragœdiæque finem expectaret, nihil minus tamen cum Pontifice conſilia confert, quid facto opus ſit, quærit. Philippus autem firmum & ſtabile conatur regnum reddere: propterea ad omnes ciuitates proficiſcitur, renouantur vbique iuramenta, per omnes ciuitates ſuæ liberalitatis & lenitatis ſpecimen exhibet. Amicos quam plurimos parat: nam in his bellis præcedentibus omnibus ſatis didicit, multo precioſiorem poſſeſſionem amicorum multorum, quam multæ pecuniæ. Quare filiam ſuam matrimonio iunxit regi Boemorum, aliam filiam minorem natu dedit vxorem filio ducis Brabantiæ. Opus enim fore aliquando amicis putauit: neque enim ſic quieturum Pontificem Rom. & Othonem ſperauit. Quæ hoc tempore in ſole viſa ſcribuntur, ſi quis cupit ſcire, legat in aliis. Philippus poſtquam in Germania res ſtabiliuit ſuas quantum potuit fieri firmiſſime, conuocatis Principibus exponit ſuam voluntatem faciendæ pacis eccleſiæ, propter vitanda ſcandala: multorum enim ſimplicium & bonorum mentes offendi ſciebat, & in conſcientia cruciari, quod excommunicati erant omnes adhærentes Imperatori Philippo. Idcirco decernunt in eo conuentu Principes, vt legati ad Romanum Pontificem mittantur de pace facienda, & vt explicent quantum malorum ortum ſit, & exoriri adhuc poſſit ex illa diſcordia. Miſſa autem eſt honeſtiſſima legatio ex doctis & ex Principibus viris. Hi vbi venerunt Romam, expoſuerunt multis mandata, docentque quantus religionis contemptus vulgo fieri ſoleat, vbi vident, Principes contemnere ea quæ religionis ſunt. Philippum autem eſſe iam eo loco, vt nullam aduerſariis reliquerit ſpem amari ab omnibus, boni Principis dotes cumulatim in eo eſſe. Et non eſſe Principem qui religionem maioris faciat, iam partium contentionibus coactum diſſentire inuitum a Romano Pontifice, quanquam non diſſentiat, ſed eum torquere quod ex Rom. Pontifice cum hoſte ſuo ſentiat. Hæc & alia multa vbi legati Germani expoſuerunt, nomine communis pacis, Papa priuatum ſuum negocium adfert, petunt ſi velit Philippus abſolui, & electionem ſuam probari per apoſtolicam autoritatem, vt filiam ſuam nepoti Pontificis matrimonio copulet. ſperarunt enim pontificij ex hoc coniugio magnam partem Italiæ ad ſe redituram. Hoc cum ſerio Romanus peteret Pontifex, polliceretur que operam ſuam & ſtudium erga Philippum Imperatorem, ſi hoc faceret. Item addebat Pontifex facile effecturum, vt Otho nihil poſthac amplius tentaret. Sed legati non parum offenſi, quod Pontifex tam aperte priuata publicis, carnalia ſpiritualibus anteponeret, reſponderunt, ſibi non licere in hac re quicquam agere, nec in mandatis ſuis habere; ſuadere autem vt Pontifex propter matrimonium hoc legatos ad Imperatorem mittat, ſe autem pro virili curaturos vt nuptiæ illæ fiant. Nunc autem propter eccleſiæ & imperij publicam pacem, & propter euitanda ſcandala Romam miſſos, de his rebus agendum eſſe. Pontifex eandem canit cantilenam, ſi filiam dederit, nihil non facturum eorum quæ petebant, imo longe plura promittebat, quam optare auſus fuiſſet Philippus. Quare Pontifex cum legatis Cæſaris ſuos etiam mittit legatos, illisque plenam poteſtatem dat omnia quæ petit Philippus concedendi, modo filia excommunicati Principis nubat nepoti Pontificis. Mittit autem legationem qua dignior nulla mitti potuiſſet. Erant legati Leo titul. ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinalis, epiſcopus Hoſtienſis, & epiſcopus Velturenſis. Qui vbi venerunt in Germaniam Auguſtæ Vindelicorum legati honorifice ſuſcepti ſunt a Philippo: ſed Philippus ex ſuis legatis quos Romam miſerat, cognouit, quam ob cauſam potiſſimum adeſſent, quid ſperarent: quare ſtatuit paululum rem producere, & ita pontificios alloqui comiter, vt in ſpem certam vocaret illos filiam nepoti Pontific. deſponſurum; etſi nihil de illa re adhuc tractatum erat: legati tamen facile cõiicere poterant, omnia per legatos ſuos

Imperatori expoſita. neque enim legati quid actum eſſet Romæ, dicere potuerunt, niſi illud de petitione Papæ dicerent. Ex Auguſta igitur Philippus Spiram ſecum ducit Pontificis legatos, Spiræ edito edicto publico, conuocat omnes Principes ad comitia in Northuſen; vbi natalem Domini celebrat, præſentibus legatis Pontificis. Admirabantur omnes Romanos cardinalem & epiſcopum intereſſe ſacris excommunicati Philippi. Sed Philippus propterea ita ſpe lactarat, & ſuſpenderat legatos, vt ſic viderent infirmiores (qui non ſine conſcientia commertium habebant cum Imperatore excommunicato, maxime in ſacris) nec autores excommunicationum ſemper curare illa fulgura magnopere. In comitiis igitur illis vbi legati expoſuerunt Papæ voluntatem de coniugio filiæ Imperatoris & nepotis ſui, ſimulque intelligerent Principes ex ore legatorum, quare id peteret Pontifex; nam dicebant nomine dotis ea fore ſatis, quæ in Italia poſſet Imperatoris nomine concedere, quæ alioqui non eſſent in manibus Philippi, Principes plerique cum Imperatore ridebant, & admirabantur, qua fronte auderent tam aperte ſua quærere. Quare nihil reſponderunt quod attinebat ad matrimonium illud, ſed dicebant, primum oportere mortalium rebus communibus conſulere, poſtquam illæ bene haberent & pacatæ eſſent, tum ad parua illa priuata deſcendendum. Legati pontificij vbi negare non audebant, hæc ſic habere, rubore ſuffuſi, de pace inter Othonem & Philippum cœperunt tractare, & ſi propoſuerant prius ſuam rem agere copulando illos quos dixi, nempe nepotem Papæ, & Philippi filiam. Principes igitur de componenda pace inter Othonem & Philippum multa excogitarunt. Tandem placuit omnibus hoc medium: Vt Philippus Othoni ſuam filiam in vxorem det, Otho non affectaret amplius ſuperſtite Philippo regnum; poſt mortem vero Philippi Otho regnaret. In his comitiis Bruno Colonienſis epiſcopus liberatur ex carcere, & cum pontificiis legatis Romam profectus eſt, ibique pallium & conſecrationem epiſcopi adeptus eſt; Adolphus vero, conſentiente Imperatore depoſitus eſt. Papa vbi contemptum ſe a Philippo videt, multa contra eum clam & palam machinatus eſt, de quibus nunc breuitati ſtudens nihil dicam, cum plura ſint quam vt paucis dici poſſint. Philippus aliqua ex parte ex turbis negociorum & bellorum extricatus ſtatuit genio indulgere per aliquot ſaltem dies, & curare corpus. Cum ergo eſſet Babenbergæ liberalius pranſus, & a prandio in cubiculum ſeceſſiſſet cum cancellario & dapifero ſuo, corpusque quieti dediſſet, Otho de Witliſpach comes Palatinus, qui ob multas cauſas odium gerebat in regem, feſtinanter ceu rem magnam nunciaturus accedit ianuam cubilis in quo rex dormiebat, grauiusque pulſat, agnitus ab iis qui intus erant, cum rege intromittitur, gladium celerrime educit, & in collum vibrat, abſcindens iugulares aliquot venas. nam quod non totum abſcidit caput, in cauſa fuit illorum duorum qui vna in cubiculo cum rege erant, clamor, illo enim & magnitudine facinoris perterritus latro titubauit manu, paruúmque idcirco vulnus inflixit; ſed lethale. Rigore & terrore obſtupuere cancellarius & dapifer. Tamen vir maximi ſpiritus dapifer, nomine Henricus de Walpurg, properat repagulis firmare fores cubilis, ſimulque clamat maxima voce, milites vocans. Sed latro confidentiſſimus & truculentiſſimus, vulnere in caput dapiferi obſtantis inflicto tam graui vt caderet, peſſulis & repagulis remotis, ſe e cubiculo eiecit, præcipitauitque ad equos qui parati expectabant latronem, itaque equos conſcendit, & aufugit antequam quiſquam ſcire ex illis duobus qui erant cum rege poterat, quid eſſet. Latrone ex palatio ſic ſe præcipitante, clamoreque cancellarij & dapiferi audito, concurritur ad cubile regis, qui volutatus in ſanguine ſuo exanimis iacet. O fata ineuitabilia! Philippus rex ita periit cum iam primum inciperet curare corpus. Perit gladio in cubiculo palatij ſui, quo tempore minus hoſtium habuit, quam vnquam antea, qui in præliis toties ſeruatus eſt. Regalibus ceremoniis eſt Babenbergæ ſepultus magno multorum luctu & lachrymis. Latrocinio autem tali occiſus eſt Phi-
1208 lippus anno Domini 1208, quo etiam anno pax eſt facta, de qua iam diximus. Multi amici Philippi clam conſpirarunt de vlciſcenda morte eius. Otho de Witliſpach poſt latrocinium illud continuit ſe apud Egbertum Babenbergenſem epiſcopum, & eius fratrem Henricum Marchionem. Quare qui conſtituerant vlciſci necem Henrici, etiam illis inſidiabantur. Henricus ergo Marchio de Aderſehe paucis poſt men-

mensibus occisus est in quadam rustica villa a Marescallo Philippi Imperatoris. Quid Philippus in vita egerit satis dictum est, quali corpore fuerit vno verbo expediam. Fuit corpore debiliore quam animo, nam sæpe ea conatus quæ per corporis infirmitatem non potuit efficere, a proposito destitit. Fuit enim animo ad maximas quasque res administrandas, bella suscipienda, & prælia ineunda promptissimo. Paulo graciliore corporis habitu fuit, facie dignitatem & animi sublimitatem præ se tulit. Exercitationibus supra modum delectatus est, rarus intra parietes, ruri assiduus. Statim post mortem Philippi conueniunt Francofordiæ Principes electores, & iuxta pacis conditiones in Northusen electus est ad Imperium Otho, dux Saxoniæ, qui ante tantopere laborauerat tot casibus & præliis aliquot annis, vt regnaret. Pontifex Rom. audita morte Philippi, & Othonis electione non mediocri gaudio affectus est: quare duos cardinales mittit ad eum in Germaniam ad gratulandum Othoni & Principibus gratias agendum, simul vt Romam inuitarent Othonem ad imperij coronam accipiendam. Legati igitur illi vbi venerunt in Germaniam, & Othoni pontificia mandata exposuerunt, per multas ciuitates ecclesiasque iter fecerunt, indulgentias & priuilegia, & peccatorum grauiorum absolutiones dispensarunt. Rex Otho post illa comitia constituit omnia itinera per Germaniam quæ eo tempore latronibus infesta erant a prædonibus & latronibus libera reddere. Quare imperauit vbique edicto publicato, in prædones & pacis turbatores animaduerti siue essent nobiles, siue non; neminique omnino parcere voluit. Hunc Othonem nimium familiaribus suis contra æquitatem studuisse scribunt autores. Secularia enim & ecclesiastica beneficia familiaribus suis contulit. neminemque fere circa se habuit, quam quos secum ex Saxonia & Anglia duxerat. Quidam hoc in bonam partem interpretantur, fuisse enim illos qui perseuerarūt cum illo in aduersis. Alienauit a se multos proceres nobiles & plebeios in iis Germaniæ partibus quibus maxime in bello vicere omnes Imperatores. Quod enim propter Philippum odium conceperat contra Sueuos, iam in eos euomere conatus est: nam hactenus fortuna aduersa illi negarat. Otho non diu post mortem Philippi Augustæ Principum conuentum celebrat, vbi comitem Palatinum Othonem de Witlispach & eius socios perpetrati latrocinij proscripsit, eorumque possessiones & facultates omnes partim imperio adiudicauit, partim ad alios transtulit. Voluitque videri grauiter ferre mortem soceri sui Philippi, & si scirent omnes, viuúmne an mortuum mallet, sed licebat impune optare viuum. Nec defuerunt qui crediderunt Othonem de Witlispach aliquid ab Othone rege beneficij speraſſe, ob occisum Philippum. Esto hic suum iudicium cuique liberum, Dominus solus corda nouit, nosque nimium sumus procliues ad iudicandum, vel potius calumniandum in huiusmodi rebus, neque enim est iudicare, sed calumniari si quis rem ignotam rapit in peiorem partem. Ad proximum post electionem comitia in Hagenau habuit, in quibus expeditio cum magno exercitu in Italiam decernitur. Iubenturque copiarum duces electi se quam primum parare. Ex Hagenau in Saxoniam proficiscitur gratia delectus militum habendi, & etiam causa illic Philippi nouam nuptam custodiendi, quam in vrbem Brunschuig cum honestis virginibus & matronis ducit, iubetque eam illic læta suum ex Italia reditum expectare. Conscribitur per Germaniam passim exercitus, Augustæ conueniunt cum copiis omnes vt imperatum erat. Per vallem Tridentinam iter facientes Veronam veniunt, vbi excipiuntur pacifice, & offeruntur illis omnia quæ potest dominus a subiectis sperare. Postea Bononiam vsque venit, illic statuit experiri totius Latij Principum animos, & omnia prius tentare verbis, quam armis. Quare Bononiam conuocat omnes Italiæ Principes & ciuitatum magistratus, cum eis pacem fœderaque facit, imperat quoque singulis pro facultatum mensura numerum certum equitum & peditum, contractisque Italicis copiis, magnificentissime peruenit Romam. Tota vrbs effusa venit cum omnium ordinum, ætatum & sexus hominibus Imperatori obuiam, aduentui gratulantur, musicis instrumentis variorum generum & vocibus canunt. Adest ipse Pontifex Innocentius, qui amplexus Imperatorem ducit ad Basilicam diui Petri, & magnificentia, qua maior excogitari non potuit, coronam Imperialem imponit illi, & benedictionis apostolicæ illum participem facit. Corona imperiali Othone donato, Innocentius postulat ab Othone iuramentum de patrimonio Petri defenden-

do,& ſanctæ eccleſiæ obedientiam præſtando. Othone hæſitante, neque tam prompto ad iuſiurandum vt Romani ſperabant, improbius autem Romanis exigentibus, oritur tumultus,ad arma concurritur, inter muros anguſtiæ impediebant Germanos, ex tectis & altioribus ædificiorũ tabulatis euoluuntur in Cæſarianos lapides, multi primæ nobilitatis, & familiariſſimi quiq; occumbunt. Multi grauiter vulnerantur. Otho cum Romanis expoſtulauit, & petiit ab eis reſarciri damna; ſed videt nihil in præſentiarum contra eos fieri poſſe; omnes enim munitiones occupatas tenebant. quare diſcedit Roma,&Mediolanum vſque profectus e Germania auxilia vocat,& Longobardorum multitudinem magnam conſcribit,& in ditionem ſedis Romanę ducit,nihilq; prætermittit non vaſtatum. Tuſciam & Romaniolam miſeris modis perdidit. Et Romæ parabant ſe ad obſidionem perferendam, nam quotidie nunciabatur cum exercitu aduenire. Poſt depopulatas eccleſię Rom. terras,Neapolitani regni prouincias,quæ tenebat Fridericus ſecundus,ingreditur,& ſibi omnia iurare cogit. Hęc quo animo tulerit Pontifex Rom. nihil opus eſt dicere. Cum vero Pontifici copiæ deeſſent, quibus reſiſteret Othoni, & minis nihil efficere poſſet, admonuerat enim eum per legatos vt eccleſiæ ſua redderet, mittit ad regem Galliæ, qui alioqui male volebat Othoni: ſemper enim ſenſerat cũ Philippo Imperatore contra Othonem, precibus & pollicitationibus eum inuitat ad ſubueniendum eccleſię, maiorum eis exempla commemorat regi, &c. Verum Otho nihil motus Pontificiis minis & conatibus, pergit occupare, vaſtare, diripienda militibus dare vrbes & caſtra pontificia. Quare Pontifex Othonem excommunicat, in Germaniam cum bullis mittens legatos, qui rebellionem contra eum excitẽt. Et poſtquam videt Papa Othonem anathematis fulmine non terreri, concilio Romæ habito epiſcoporum & cardinalium, eum ab imperio autoritate apoſtolica deponit, & pronunciauit excõmunicationis ſententiæ ſubiacere omnes qui illi faueant, ſtudeant, beneq; loquãtur. Abſoluit vero omnes a iuramẽtis pręſtitis, anathemaq; iubet eſſe quicunque vel nominaret eum Imperatorem aut regem. Otho animum Põtificis exaſperatum intelligens, magis omnia implet tumultibus per Italiam, ducitq; copias in Apuliam & Calabriam, hoſtiliter omnia vaſtat, caſtella militibus donat. Exigit magnam pecuniam a victis,& frumentum in munitiſſimas arces conuehit in vſum obſidendæ Romæ. Factaq; eſt breui incredibilis caritas omnium rerum per totum Latium. Nec paruus timor inuaſit Romam: vidit enim ſucceſſus eius & conatus. Pontifex in Germania defectionem ab illo excitare variis artibus tentat. Mittit cum mandatis & excommunicationum ſententiis legatos ſuos ad archiepiſcopum Moguntinum Sifridum, huicq; mandat vt latam in ſancta ſynodo ſententiam in Othonem diuulget per totam Germaniam, quod ſcilicet Otho deturbatus ab imperio ſit. Sifridus obedit autoritati pontificiæ,& promulgat vbicunque poteſt ſententiam Pontificis. Quod epiſcopi temerarium factum commouit ad iram Germaniæ Principes omnes fere; nam quod epiſcopus de excommunicatione dicebat, flocci non faciebant ipſorum multi. nam dum adhuc viueret Philippus, occalluerant ad illos terrores Romani Pontificis. Quare comitum ducumque quidam cum magna nobilium multitudine copiis armatis ditionem omnem eccleſiæ Moguntinę peruaſtant, ædificia exurunt, monaſteriis & templis non parcentes. Sifridus epiſcopus ſibi bene conſcius ſe ob nullam aliam cauſam promulgaſſe ſacroſanctæ ſynodi Romanæ ſententiam in Othonem, quam zelo & obedientia erga ſedem beati Petri, fugit in Thuringiam ad comitem Hermannum, apud quem latuit: nam is comes quoque bene cum Rom. eccleſia ſentiebat. Germaniæ Principes quidam vbi audiuerunt Imperatoris per Italiam facta, placuerunt, qui ſcilicet didicerant regnante Philippo contemnere arma quibus aduerſarij reſiſtebant; quidam vero factis Othonis reſiſtere parabant, alij aliam ob cauſam, ob excommunicationem multi quoque, qui timebant eccleſiæ pernicioſiſſimam diſcordiam & ſcandala peſſima. Othoni vbi hæc ſic habere in Germania ſignificatum eſt, quam primum in Germaniam feſtinandum cenſuit: quare rebus vtcunque in Italia diſpoſitis, ducit exercitum domum, nec contemnendam pecuniam ex Italia ſecum attulit. Inuenit vero Germaniam tumultuantem ſeditionibus, erat enim diuiſa in partes, aliis pontificiam poteſtatem deſpicientibus, aliis eam ſuſpicientibus & formidantibus. Anno igitur poſt na-

1212 tiuitatem Chriſti 1212, Otho reuerſus in Germaniam, menſe Maio, Norinbergam omnes

omnes Germaniæ Principes conuocat,illic Principibus commemorat Romanorum perfidiam, & multorum nobilium, fortium virorum, cædes ob oculos ponit,iniquas petitiones Pontificis & dolos exponit multis verbis. Adhortatur Principes,ne ſubmittant & deiiciant generoſos animos, vt mancipia Romanorum fiant. Addit præterreliqua,ſe paratum imperio cedere,ſi Principibus electoribus videatur inutilis,& meritus vt deponatur: nam Pontificem Romanum propterea ſibi iraſci,quod contra imperij dignitatem & vtilitatem non velit eum audire per omnia. Principum igitur iudicio ſuam cauſam ſubiicit,& imperij Rempubl.committit. Inſidiari enim Innocentium imperio & facultatibus Germanorum,imprimis Romanis moleſtum eſſe quod ius Imperatorem eligendi apud Germanos ſit. Quod ſublatum, inquit,eſſet, ſi Pontifex poſſet deponere Imperatorem pro ſua libidine, vt præſumpſit. Principes igitur cordatiores erant quam vt non viderent quid ſequeretur,quantáve eſſet eorum poteſtas Imperatorem eligendi, ſi ratam haberent ſententiam Papæ, deponendo ab imperio Othonem.Cumque in hanc ſententiam Imperator quoſdam confirmaſſet Principes, quoſdam alienatos reconciliaſſet,quoſdam ad maiorem iram in Pontificem concitaſſet, decretum eſt bellum contra Hermannum Turingiæ comitem, qui audiebat Pontificem Romanum, & propterea Sifridum Moguntinum epiſcopum fouebat. Quare celeriter copiis contractis,inuadit Hermanni ditionem, & primum arces Rodenburgum & Saltzingen munitiſſimas loci natura & operibus hominum. Agros quoque in illa regione vaſtauit totos. Oppidum Wizenſe incendit, ſed prius diripiendum obiectum militum furori. Scribunt autores tum primum machinam illam bellicam inuentam, quam Trybock Germani eius inuentores nominarunt.Inuentam autem certis argumentis colligitur, in iis Germaniæ locis vbi poſt inuentæ ſunt Bombardæ, nempe Norinbergæ. Turingiam igitur nimis crudeliter totam eo bello vaſtauit. Poſt hanc hoſtilem depopulationem Turingiæ in vrbe Northuſen Saxoniæ cum filia Philippi nuptias imperiali magnificentia celebrauit. Poſt nuptias quarto die noua nupta moritur. Suſpicabantur alij aliam mortis cauſam fuiſſe,quidam dicebant virginem non inuentam, quidam concubinas magis Imperatori placuiſſe, fuerunt qui putabant per pellices veneno ſublatam non conſcio Imperatore. Inimici & Pontificij palam dicebant per Imperatorem venenum illi datum.Dum hæc agit Otho cum ſuis, aduerſa pars quæ adhærebat Pontifici,cuique alias non placebant facta Othonis, erant autem præcipui aduerſariorum eius Sifridus Moguntinus archiepiſcopus,Boemiæ rex,epiſcopus Treuirenſis, item Hermannus comes Turingiæ, dux Auſtriæ, & alij quidam, qui conuenerunt, communique ſententia decreuerunt reuocare Fridericum Henrici Imperatoris filium,eumque appellant Imperatorem loco abrogati Othonis. Paſſim ad Principes & vrbes ſcribebant,& agebant adoleſcentis Friderici cauſam,admonentes eos iuramenti quod olim per totum imperium puero factum erat. Item quam liberali & generoſa indole puer ſit,quamque bene & modeſte educatus ſit, declarant. Quare ad eum legationem honeſtam mittunt, & ad ſuſcipiendum imperium vocant, ſpem faciunt Deum fortunaturum conatus eius contra hoſtem eccleſiæ, Othonem. Mittunt autem Anshelmum de Iuſtingen, & Henricum de Nyfen ſummos eloquentia, nobilitate & fortitudine viros. Qui vbi ad Fridericum adoleſcentem veniunt; exponunt illi omnia, quomodo abrogatus ſit Otho, expectari eum a maiore & meliore parte Germaniæ, odire bellicoſiſſimos Germanos Othonem. Pontificis poteſtatem & autoritatem illi probant, ſi forte dubitaret. Regem Franciæ quoque contra Othonem adfuturum, ſi opus ſit, omnibus neruis, pollicentur. Fridericus agit gratias pro voluntate in ſe Principibus, ſed rem periculoſam & magnam eſſe, deliberatione propterea opus eſſe. Dux etiam Brabantiæ multis ex cauſis infenſus fuit Othoni; quare copiis armatis Leodium obſidet, & per vim capit vrbem & multos ciues, epiſcopus fuga ſibi conſulit. Hac expugnatione Leodium eſt miſerrime a militibus direptum,nulla vllius loci eſt habita ratio, non monaſteriorum, non eccleſiarum.Eccleſiaſticæ perſonæ non aliter tractatæ ſunt, quam ſeculares. Alia quoque Othoni ſubiecta diripuit hic dux Brabantiæ, & animos addidit multis audendi rebellare Othoni.

Anno Domini 1212, fuit hæreſis in Alſatia, qua ſeducti erant nobiles & vulgus. 1212

Affirmabant quolibet die licere carnes comedere, in piſcium eſu immodico tam inesse luxum, quam in reliquis carnis generibus. Item male facere qui contrahere matrimonia prohiberent, cum Deus omnia crearit, & ſancta omnia ſint cum gratiarum actione accepta a fidelibus. Hi pertinaciter opinionem illam ſuam defendebant, & credebant multi illis, nec dubitabant blaſphemias dicere in ſanctiſſimum dominum Papam qui prohiberet eccleſiaſticis contrahere, & quibuſdam diebus a cibis corporum humanorum conſtitutioni idoneis. Quapropter Pontifex Romanus præcepit eiuſmodi homines e medio tollere. Suntque vno die circiter centum ab epiſcopo Argentinenſi combuſti. Multi carceribus mancipati, donec reuocauerunt palam profeſſi ſe errare. Fuerunt præterea multæ diſcordiæ in eccleſia, nec abſtinebant a ſacris faciendis quos excommunicauerat Papa. Iterum mittuntur legati ad Fridericum Siciliæ regem, iuuenem, vt ad ſuſcipienda imperij inſignia veniat: Fridericus vix tandem perſuadetur ad tantæ difficultatis rem. Quare copiis collectis pro facultate, comitantibus eum Germanicis legatis, Romam primum petit. ad Innocentium in hanc ſententiam orationem habuit, Se ſuas tenues facultates non ignorare, nec tam ſtupidum eſſe, vt non expenderit quid ferre humeri ſui poſſint, tamen, præſentibus legatis Germanorum teſtibus, vix inductum, vt conetur tantam rem. Potiſſimam autem cauſam quod conetur eſſe eccleſiæ infelicem ſtatum, qui bonus eſſe non poſſit, regnante hoſte eccleſiæ, homine Satanæ tradito. Fuiſſe autem quoque, addit, quod imperium illi iure debeatur. Quæ omnia etiam nullo dicente bene ſciebat Pontifex. Poſtremo huc venit omnis eius oratio, vt corona imperiali donet Pontifex eum, quo maiore autoritate in Germaniam veniat. Pontifex nondum coronandum iudicat, ſed mittit cum eo legatum cardinalem, vt mandet autoritate apoſtolica Principibus & ciuitatibus per Germaniam, vt ab Othone anathemate percuſſo, & ab imperio depoſito, recedant, & Friderico ſecundo obtemperent, qui olim puer ab eis electus ſit, & cui præſtiterint iuramentum, a quo nondum abſoluti ſint. Fridericus igitur Pontificis legato, & Germanicis legatis, copiisque Pontificis opera per Italiam auctis, per alpium difficiles (nam recta propter inſidias Othonis ire prohibebatur) vias venit in Rhetiam, illic a Curienſi epiſcopo & nobilibus cum magna reuerentia ſuſceptus, ductusque ad Conſtantiam vrbem eſt. Ibi conſedit per aliquot dies, & ex Sueuia copias cogit, procerumque Sueuorum auxilio ſelectiſſimi Germanorum milites ad eum magna copia veniunt Conſtantiam. Otho ne vires eius creſcerent, feſtinans cum exercitu Conſtantiam verſus tendit, vbi in Sueuiam venit, omnia fere ſibi infeſta reperit, pergit autem vſque in Vberlingen oppidum: ſed Fridericus copiis & amicis ſociisque ciuitatibus & Principibus multo præpollebat illi. Quotidieque deficiebant nobiles & gregarij milites ab Othone ad Fridericum. Germania enim bene ſperauit ſemper de hoc Friderico cum adhuc eſſet puer, & ſciebat ad eum imperium iure pertinere. Otho igitur videns ſe in Sueuia deſtitutum ſociis, omniaque inclinari ad Fridericum, deſcendit ad Briſacum vſque oppidum, ad ripam Rheni ſitum, illic omnia tentauit, vt augeret vires, ſed alienos reperit quos putauit nunquam a ſe ſeparari vlla fortuna poſſe. Quoslibet autem obuios milites conſcribit, qui Principi non obedientes, excurſus quotidianos ex oppido faciebant, atque viciniam Briſaci diripiebant. In oppido etiam ipſo manus non abſtinebant a facultatibus, vxoribus, virginibusque ciuium: oppidani igitur ad ſe intromiſſis vicinis, eiiciunt Othonem cum rapace colluuie militum extra vrbem. Otho in Saxoniam reuerſus eſt. Fridericus per vrbes in vtraque Rheni ripa ſitas deſcendit, vbique ſuſcipitur, ceu decet excipere Imperatorem vſque ad Hagenau, quod oppidum erat totum addictum Othoni, conſtitueruntque extrema omnia experiri potius quam deficere. Quare portis clauſis, negarunt Friderico aditum. Fridericus mox obſidione oppidulum circundat, & foſſis completis muros diruit, paucisque diebus ad deditionem compulit. Veniunt ergo ad eum ciues gratiam & pacem petunt, rogant ne eis fraudi ſit fides & conſtantia erga ſuum dominum, cui iurarint fidelitatem, idem poſthac facturos Friderico, promittunt. his in fidem igitur ſuſceptis, pergit, perque omnes ciuitates ceu rex & Imperator magnifice pro cuiuſque facultatibus excipitur. Vbi Moguntiam peruenit, comitia celebrauit, illuc confluunt multi quos non expectauit, deficiebant enim fere omnes paucis diebus. Argentinenſem epiſco-

episcopum auelli ab Othone posse sine armis nemo sperabat, venit vltro ad illa comitia,& Fridericum appellat Imperatorem. Veniunt episcopi Basilienſis, Constantienſis,Spirenſis, Herbipolenſis qui plerique credebantur fauere Othoni. Nam archiepiſcopum Moguntinum, & Treuirenſem adfuiſſe, nihil opus eſt dicere,quos ex profeſſo hoſtes fuiſſe Othonis iam ante ſatis dictū eſt. Adfuit comes Palatinus Rheni,Lantgrauius Turingiæ,rex Boemiæ,& alij multi,qui omnes Fridericum appellarunt Imperatorem ſemper Auguſtum. Finitis comitiis Moguntinenſibus recta Coloniam deſcendit, hinc feliciter peruenit Aquiſgranum; ibiq; eſt vnctus,& coronatus ab archiepiſcopo Moguntino. Porro Fridericus animaduertēs amicitiam regis Galliarum maximo vſui ſibi eſſe poſſe,quare mittit ad eum legatos,dies & locus conſtituitur,vbi fœdus inter reges fiat. Apud Vallicolorem autem conueniunt,rex mittit ſuum filium Ludouicum: nam ipſe propter valetudinem venire non poterat. Fœdus igitur eſt inter eos factum quamdiu ſuperſtites eſſent.Fridericus per Germaniam viſitat ciuitates potiſſimum eas quæ ſuſpectæ erant Othonis partibus fauere. Verum omnes ſubiugātur ſine negotio: neminem enim latere potuit actum eſſe de Othone. Quare Otho omni ſpe in Germania deſtitutus, coniunxit ſe Ioanni Anglorum regi,& Rainaldo Boloniæ comiti. Quibus oppoſuit ſe Philippus rex Galliæ, & ſuperauit multis præliis. Rex Angliæ enim facto fœdere cum comite Flandrenſi, nomine Ferdinando,magnam claſſem ad Granantingos Flandriæ vrbem duxit. Contra Ferdinandum ducit copias rex Galliæ, Brugas vrbem capit, mox Grandanum obſidet: ſed ante deditionem ſoluere obſidionem coactus eſt: rex enim Angliæ illi aliquot naues ceperat. Porro rege Galliæ occupato in Flandria, Otho copiis ſuis, quas collegerat vndecunque,illisque magis prædam quam obſonium pollicitus erat,comitatum Geldrenſem a Friderici partibus ſtantem vaſtauit,& diripiendum militi præbuit. Poſtea coniunxit ſe regi Angliæ, & Ferdinando comiti Flandrenſi, qui vna aduerſus Philippum Gallorum regem duxerunt copias. Philippus illis apud Tornacum occurrit, congreſſiq; in loco æquo,diu pugnarunt fortiter vtrinque: ſed longe multitudine ſuperior Galliarum rex vincit,fugatosque multos cædit & capit. Captus eſt etiam comes Ferdinandus,Otho euaſit fugitq; in Saxoniam. Vbi deſperatis omnibus rebus, mœrore animi confectus,incidit in morbum corporis, obiitque paucis diebus magnis doloribus corporis & animi affectus. Cladem illam vltimam Otho accepit: & mortuus eſt anno 1214. Quæ poſtea bella Gallus cum Anglis geſſerit,& ſi hic requirere locus videatur,vt dicantur,tamen, quoniam apud alios omnia ſunt commiſſa literis,& non propria Germaniæ,prætereo.Hic ergo huic libro ſit modus. 1214

DE GERMANIS

LIBER VIGESIMVS.

POſt deuictum & fato functum Othonem, Fridericus denuo Moguntiam conuocat imperij proceres eccleſiaſticos & ſeculares, ibi de communi pace facienda multa ſtatuuntur, & de reliquiis partium Othonis tollendis primum, deinde de expeditione ſuſcipienda in Turcas conſultatur. Item iterum Moguntinus epiſcopus magnificentiſſimis ceremoniis Fridericum coronat. Poſtea in Sueuiam aſcendit, & omnia diſponit diligenter, & iubet, vt parent ſe ad expeditionem contra Turcas: nam Imperator voto ſe ad eam expeditionem obligauerat, ſi vincere concederetur a Deo Domino exercituum. Ex Sueuia rurſum cum valida armatorum manu deſcendit ad Moſellanos,& Treuirenſes in fidem accepit,& omnia oppida & arces in illis regionibus ad deditionem autoritate nominis tantum coactas, in ſua iurare verba compulit. Vertit deinde ſigna in Lotharingiam, & Metenſes, Leodienſesque, omnesque iurare ſibi coegit. Poſtea copias per Moſam traiectas, ducit contra Henricum Brabantiæ ducem,qui ſemper ſtuduerat Othoni. Vbi aduentare audiuit dux Fridericum, feſtinat illi obuiam,ſup-

plexque pacem petit,animi gratitudinem, operam & obedientiam ſuam promptam in quibuſuis periculis promittens. Impetrauit autem quæcunque petiit ab Imperatore, dedit autem obſides aliquot nobiles, & filium ſuum. Hoc tempore Treuirorum archiepiſcopus Coloniam profectus eſt, vt illic ciues ad obtemperandum Imperatori induceret, & abſolueret ab excommunicatione, in qua cum Othone diu fuerant: nec enim vllis bullis mandatiſve vnquam potuerunt moueri, quo diſcederent ab Othone. Quare vbi archiepiſcopus mentes ciuium mutatas cum fortuna vidit, celebrauit miſſam in templo diui Petri coram omni populo, & abſoluit totam ciuitatem ab excommunicatione. Eodem die venit illuc Fridericus Imperator, eſtque cum magna reuerentia exceptus ab omni populo. Vbi autem ciues illi iurarunt, aſcendit in Sueuiam, ibique de expeditione in Turcas cum Principibus agit, milites deliguntur, omnia comparantur ad expeditionem neceſſaria. Offerunt autem ſe illi Principes ad militiam, Fridericus ſecundus Imperator, dux Morauiæ, dux Brabantiæ, dux de Lemburg, dux de Ancei, comes Iuliacenſis, comes de Tubingen, comes Lohenſis, Marchio de Baden, comes Montenſis, comes Sphanhemenſis, comes de Naſſau, comes Feldenſis, comes Hirſutus, comes Silueſtris, comes Synenſis, Epiſcopi Moguntinenſis, Leodienſis, Babenbergenſis, Herbipolenſis, Patauienſis, Argentinenſis, Eichſtatenſis, Conſtantienſis, Auguſtenſis, hi omnes relicturi omnia, pollicentur ſe Hieroſolymam vſque contra hoſtes ituros. In Galliis rex ſe quoque parat, & rex Angliæ. Sed in apparando anni prætereunt aliquot. Ad alia nos conferamus inſtituto noſtro propiora. Fridericus in Italiam profectionem parans, contrahit ingentem exercitum; rebellare enim per Latium audit multos. Vbi venit in Italiæ fines, obuiam veniunt, & omnia quæ pacis ſunt, optant omnes. nam vix alius Imperatorum ante eum exercitum numeroſiorem ex Germanis & paratiorem in Italiam duxit. Itaque primo aduentu coronatus eſt a Pontifice Romano, Honorio. Sed diutius in Italia commoratus, militum petulantiam & licentiam non ſatis compeſcens, odio tandem habitus eſt ab Italis. Conſpirant igitur quædam ciuitates in eum. Quare in Tuſcia exigens iura imperij, & leges ferens, multis inſidiis & dolis petitus eſt. Imprimis vero ignominioſe Bononienſes eum tractarunt. Multiplicibusque inſidiis & aſſiduis dolis ita diminutus eſt exercitus, vt inſignia imperialia in Sueuiam miſerit cuſtodienda, & filium octo annos natum commiſerit bene educandum & inſtituendum, vt decet Principem futurum; ipſe aut mori aut vlciſci ignominiam, qua per Italiam notabatur paſſim, iniurias ſibi illatas, inſidiasque quibus magnam partem exercitus perdiderat. Idcirco per Italiam vſque ad vrbem Romam omnia cum reliquo exercitu hoſtili vaſtatione proſternit. Compererat enim & Pontificem ſentire cum hoſtibus ſuis. Patrimonium ſancti Petri impie tractauit, vrbes diripuit, agros vaſtauit. Pro ſuo arbitrio epiſcopatus & omnia eccleſiaſtica beneficia contulit ſuis amicis, eiectis qui a Pontifice inſtituti erant. Quæcunque ex eccleſiis vndique ad Pontificem Romanum redibant, ipſe præripuit. Pontifex mittit ad eum legatos qui admoneant quomodo a Pontificibus Romanis ſit adiutus, quibus autoribus peruenerit ad imperium, nempe ab eccleſiæ obtemperantibus, reſiſtentibus imperij hoſtibus maxime. Hæc ille quo ſæpius in memoriam a pontificiis reuocantur, hoc Imperator magis ſæuit. Pontifex iterum iterumque adhortatur eum, minatur niſi reſipiſcat, & eccleſiæ ablata reddat, ſe anathemate percuſſurum, & ab imperio depoſiturum. Othonis recens exemplum ob oculos illi ponit. Hæc Fridericus omnia ſpernit, pergit in propoſito, affligit quantum & quos poteſt ex ſubditis Papæ. Quam ob rem Pontifex excommunicat eum, priuatque imperio in ſynodo patrum Romæ congregata, & omnium omnia iuramenta illi vt Imperatoria & regi præſtita, irrita pronunciat, contra facientes abſoluit, imperatque mandato apoſtolico, vt aut omnes ab eo diſcedant, aut cum ipſo anathema ſint. Hæc in eum euulgantur, & in Germaniam per legatos pontificios perferuntur, commouent multos: nam Honorius habebatur vir ſede pontificia dignus, hoc eſt nihil æque curans atque Rempublicam vniuerſalis eccleſiæ & pacem eius. Fridericus contra, minatur ſe propediem in vrbem Romam venturum, & purgaturum eccleſiam beati Petri, vt nemo illic ſit, niſi qui ſequatur veſtigia apoſtolorum. Porro vbi audiuit in Germania agi, vt alienentur animi ab eo, quantum poteſt per

angu-

angustiam temporis, res Italicas disponit, & in Germaniam properat, ne absentia sua defectioni locum vllum det. Vbi in Germaniam venit, conuentum Principum habuit Herbipoli, ibi se excusauit, & refutauit omnia quibus per Germaniam accusatus erat. Enarrauit enim ordine, quibus insidiis & dolis contra Germanos vsi sint Itali, in quæ discrimina venerit, & quæ damna ab illis passus sit. Apologia itaque placatis Principum animis, in eisdem comitiis a Principibus electoribus impetrauit, vt in Germanorum regem elegerint Henricum filium suum, admodum adhuc adolescentem. Paucis post diebus, conueniunt Principum multi Aquisgrani, ibique adolescens Henricus ab archiepiscopo Colonienſi vngitur & coronatur in regem. Imperator constabilitis rebus in Germania, & adolescente rege viris sapientibus commisso, reuertitur cum copiis in Italiam. In eam vbi venit, statuit primum leni amicoque animo omnia tentare. Prædixitque publice omnibus se patrio animo administraturum omnia, nisi qui nolint obtemperare æquis legibus. rogauitque Italos, vt potius experiri velint bonitatem & lenitatem, quam iram & sæuitiam suam. Eodem tempore Hierosolymitanus rex nomine Ioannes (amisso toto fere regno, iis quæ illi in Syria reliqua erant munitis per præsidia) venit Romam, gratia petendi auxiliares copias. Rex igitur ille Hierosolymitanus & Pontifex intelligentes vehementer opus esse sibi auxilio Imperatoris Friderici, eumque alioqui fouisse iam olim, se militatum iturum contra hostes fidei Hierusalem vsque. Quare mittunt ad eum legatum qui significent illi, quod rex Hierosolymorum petat, vt in gratiam cum Pontifice redeat, hoc enim statum ecclesiæ & hæc tempora quibus hostes fidei ita prosperentur, requirere. Fridericus pacis quoque amans & cupidus consentit; fit pax inter Imperatorem & Pontificem. Fridericus reddit ablata Ecclesiæ, & promittit se cum primum liceat ducturum copias aduersus hostes fidei, ad recuperandam Hierusalem. Item, Ioannes rex filiam suam in vxorem locat Friderico, eique dotis nomine dat ius suum in regnum Hierosolymitanum. Propterea Siciliæ reges vsque ad nostram memoriam titulum Hierosolymorum regni sibi vendicant, appellanturque Hierusalem reges. Romam igitur adducitur filia regis, Romæque celebrantur nuptiæ. Post nuptias, cum sponsa proficiscitur Imperator in Apuliam, ibi cum noua nupta nonnihil temporis triuit. Hæc dum a patre in Italia aguntur, filius Henricus rex in Germania Francofordiæ comitia Principum celebrauit, ad illum Principum conuentum veniunt quoque literæ Friderici, nunciantes venturum Fridericum in Germaniam, vt deliberet de regni Hierosolymitani recuperatione, in literis quoque scriptum erat, Fridericum Imperatorem esse regem Hierosolymorum, quo nimirum plures Germanorum incitarentur ad militiam illam. Eodem tempore misit etiam Honorius Pontifex cardinalem legatum in Germaniam, qui adhortaretur Germanos ad prompto animo susciendam expeditionem illam in terram sanctam. Hic cardinalis vbi venit in Germaniam, Coloniam conuocauit Principes Germaniæ, illicque eos cohortatus est ad honestissimam, vtilissimam & necessariam expeditionem susciendam. Collegit etiam hic cardinalis non paruam pecuniam in Germania ad vsum expeditionis in Turcas. Hoc tempore filius Friderici Henricus, rex Germanorum, duxit in vxorem filiam ducis Austriæ, nomine Margaretam, nuptiæque magnificentia plane regia sunt factæ in vrbe Norinberga. Eo anno inauditi rigoris hyems fuit, & longa non minus quam dura. Et hyemem magna fames est consecuta non solum per Germaniam, sed & Gallias. Hoc tempore multæ fuerunt in Germania seditiones, contemnebant enim quidam iuuentutem Henrici. Conuentusque multos habuit, sed parum profecit. Eo anno quo Fridericus & Principes alij multi erant accincti in expeditionem contra Turcas, vt in Germania, sic etiam in Italia excitauit Satan qui institutum honestissimum impedirent. In Italia enim contra Imperatorem conspirarunt Longobardi, quæ conspiratio multis annis durauit, animos conspirandi illis addiderat occupatio Cæsaris in expeditione paranda ad Hierosolymorum regnum capiendum. Conspiratio autem illa (quam illi vocarunt confœderationem) impediuit valde profectionem Hierosolymitanam. Rursumque expeditio ad Hierusalem recuperandam impediuit Imperatorem, quo minus conspirantes punire potuerit; erat enim Fridericus totus in hac expeditione paranda occupatus, id quod Longobardi non ignorabant. Imperator igitur

ad Honorium legatos mittit, eumq; rogat vt sua autoritate Longobardos reuocet in viam, si cupiat profectionem contra Saracenos maturari. Pontifex vero tam frigide negotium agit, vt magna suspicio facta multis sit, Pontifice socio aut etiam autore hanc conspirationem inceptam. Tamen tantopere gestiebat animus Imperatoris videre loca sancta Hierosolymitana, vt posthabuerit omnia expeditioni semel institutæ. Mittit ad Longobardos legatos qui eos a proposito promissis, & minis auocent, adhortentur autem contra Christianorum omnium hostes, vnde gloriam apud homines maximam, apud Deum vitam æternam consequi possint. Promittit quoque illorum militibus maius stipendium. Iubetq; magistratuum summorum animos tentare: sed frustra. accipiunt enim munera. tamen suorum rem agunt. Fridericus quoque mittit legatos ad Henricum filium regem, vt Aquisgranum Principes conuocet, quid in eo conuentu fieri velit, significat, nempe vt adhortetur Principes ad Hierosolymitanum bellum, illisq; demonstret quam gratum sit Imperatori facturus qui se prompte paratum offerat, diemque indicat, quem statui profectione cupiat. Filius exequitur patris iussum, conuocantur Principes, de bello contra infideles (ita enim loquebantur) sicut adhuc hodie, agitur. Fuerunt in illis Principum comitiis fere omnes Germaniæ Principes. Episcopus Colonienſis vxorem Henrici regis, filiam ducis Austriæ, in eo conuentu vnxit & coronauit, & in regalem sedem iuxta maritum collocauit, reginamq; appellauit. 1227 Hoc factum est anno 1227. Porro cum diutius cessaret Imperator, videreturq; de industria cessare, & causas differendi quærere, ne iter maturandum esset Hierosolymam, quod esset tot periculis & casibus plenum, Pontifex Romanus Gregorius nonus (nam obierat Honorius Papa) præcepit Friderico Imperatori, vt quemadmodum promiserat Pontifici Honorio & socero suo regi Hierosolymitano, Deoque vouerat, quam primum cum copiis in Asiam proficisceretur. minatusque est illi Pontifex anathematis pœnam, nisi profectionem maturet. Fridericus conscius promissi votive pollicetur se libenter primo quoque tempore iturum, adhortaturq; vicissim Pontificem vt admoneat reliquos per Christianum orbem passim huic expeditioni destinatos; id Pontifex prompte facit, vt omnes armati cruceque signati ad diem conueniant Brundusij præcipit, missis quaqua versum tabellariis. Dictus autem dies est primum veris tempus. Præterita bruma cum primo vere conueniunt ingentes copiæ ad Brundusium præcipue ex Germania, & Gallia; expectatur diu Fridericus Imperator: detinebatur enim morbo graui corporis, multi alias causas suspicabantur esse, alius aliam fingebat. Dum autem illic moram facerent tantæ copiæ, aeris nouitate tentantur, fortassis corruptus fuit aer ex fœtore qui consequi solet magnos exercitus. magna igitur multitudo moritur, etiam clarissimi duces, ex quibus fuit & Turingiæ Lantgrauius. Potissimum enim Germani assueti frigidiori cœlo, peribant: calidiorem enim aerem ferre nequibãt. Item fontium potu frigidissimorum vinisq; austeris domi vsi, illic nullam similem fontanam aquam, vinosissima & calidissima vina tantum, reperiebant. Tandem, magna parte exercitus per pestem abrepta, mense Augusto venit Fridericus, nec moratus ob pestilentem aerem cum omni classe Brundusio discedit, & Asiam recta petit: sed in medio cursu vertit classem, & reuertitur non sine ignominia: palam enim iam omnes clamabant formidolosum hominem, mollem, periurum, nunquam enim in animo habuisse proficisci contra hostes fidei, imperio dedecus esse. Pontifex Romanus vbi certior factus est, Fridericum copias ex medio cursu reduxisse, statim cõuocato patrũ concilio, communi concordiq; omnium sententia, iudicat eum excommunicatum autoritate latæ sententiæ excommunicationis prædecessoris sui Honorij. nam illi promiserat, se profecturum Hierosolymam cum exercitu. Quo autem omnibus certum esset eum excommunicatum, denuo ei anathema denunciat, quandiu non expediat expeditionem Hierosolymitanam. Et hanc sententiam in eum per legatos promulgat in Germania, Gallia, & Italia. Fridericus vbi intelligit, illam Romani Pontificis sententiam vbique locum inuenire, seque futilem haberi, & multis odiosum esse, periculumq; certum ex illo contemptu futurum tandẽ, vt deturbetur de imperio, anno proximo post, verno tempore nauigat cum Germanorum & Italorum multis legionibus in Syriam, Acam peruenit, ibi multis egit cum Sultano de pace. tandem inter eos ita conuenit, vt Sultanus Hierosolymam Imperatori reddat, templo Domini excepto, totumq;

tumq; regnum Hierosolymitanum restituat, exceptis arcibus quibusdam, nimirum illis quæ robur regni erant. Induciæ decem annis sunt etiam factæ inter Christianos & Saracenos. Quare Fridericus capit possessionem vrbis Hierusalem & regni illius. Constituto deinde patriarcha, coronatus est appellatusque Hierosolymitanus rex. Mittit autem in Europam legatos qui significarent Pontifici & Principibus quomodo coegerit Sultanum ad reddendam Hierosolymam. Pontifici vero pax illa cum Sultano non placuit; nec quicquam in ea stabile esse posse præuidit; robora enim regni tinebant hostes, vt cum primum dilapsus esset exercitus, facilia omnia essent receptu. Nec erat tam rerum imperitus Fridericus, vt hoc non videret, sed animus erat in Germania & Italia, satisque illi erat votis satisfeciſſe. Sic fit cum venatur aliquis inuitis canibus. Pontifex igitur grauius vbique accusat Fridericum quam vnquam antea, prædicitque, breui rediturum & Sultanum omnia recepturum. Effecitque, vt per imperium multi rebellarint Imperatori, & debita non reddiderint, præfectos eius eiecerint. Totum regnum Apuliæ armis coegit se subtrahere ab obedientia Imperatoris. Quod vbi nunciatum est Imperatori, celeriter magnis itineribus contendit in Apuliam, cum copiarum parte. Reliquit autem Hierosolymis Senescallum suum cum maiore exercitus parte, ne statim post discessum suum reciperet hostis fœdifragus omnia, male ipse audiret in Europa, & autoritatem nomenque perderet. Vbi autem peruenit in Apuliam, misit sine mora in Sueuiam ad cogendos milites & sibi adducendos: qui quum primum venerunt, Apuliæ regnum recepit, ignoscens omnibus qui armis coacti sunt ad defectionem: qui vero vltro defecerant, grauibus supplicijs affecit. Cum autem animum & facta Pontificis in se explorata haberet, ditionem ecclesiæ (quod patrimonium beati Petri vocant) scilicet ducatum Spoletanum, Marchiam, Anconitanam, Beneuentanam vrbem, & alia ecclesiastica bona inuadit, & capta diripit. Fridericus vero finem tragœdiæ periculosum videns, mittit ad Pontificem, pacem & veniam rogat. Pontifex exigit si velit absolui, & quiete imperio præesse, vt ecclesiæ omnia reddat, præterea ob illata damna soluat magnum auri pondus. quod a Friderico factum est. Quare absoluitur, & iterum Imperator, & rex Siciliæ appellatur. Tantum potuit vis auri. Nam Pontifex Romanus ob inhonestam pacem (vt ille dicebat) quam Fridericus cum Sultano fecerat, testatus est multis præsentibus nunquam absoluturum se Fridericum, nisi redeat in Syriam, & serio votis satisfaciat: Deum enim sic non falli, qui velit sibi ex toto corde seruiri. Non modo promissis non satis feciſſe, inquiebant, ante aurum acceptum, pontificij, sed etiam illa expeditione grauissimas pœnas meritum, quod tot bonos viros frustra fatigarit, multos perdiderit. Quas ob causas multo præstitisset ipsum domi manere, & cætera. Eisdem temporibus dux Moscouiæ & Polonorum venit Romam, petiitque a Pontifice, vt mitteret prodicarent eum non propter euangelium religionemque Christianam veniſſe, sed vt tyrannidem in se exercerent Christiani. Hanc ob causam Pruteni irati arripuerunt arma, & totam fere Poloniam depopulati sunt, & ex ea solitudinem vastissimam fecerunt. Nec his contenti crebris incursionibus, misere vexarunt postea diu Christianorum vicinas regiones, occisis non solum viris sed & mulieribus & infantibus. Abducuntque magnam multitudinem vtriusque sexus in seruitutem durissimam, labores scilicet & operas iumentorum. Sacerdotum & monachorum magnum numerum capiunt ad loco equorum & boum trahenda aratra. Templa, monasteriaque redigunt in cinerem. Polonorum dux, nomine Conradus, inuocat auxilium Pontificis Romani & aliorum Christianorum Principum. Belli tota moles a Pontifice Romano imponitur Teutonicorum ordini. Qui strenue negotium quantumuis difficile, susciipiunt. Primum ergo in Poloniam mittitur cum armata militum Germanorum manu Conradus de Lansperg; qui cum in Poloniam peruenerunt in hostium conspectum, adiunctis Polonis reliquo Germanorum exercitui, sine cunctatione & præcedente natura deliberatione cum hostibus temere congrediuntur, dumque maximis animis pugnatur, cadit vtrinque innumerabilis multitudo. Dux ipse Conradus de Lansperg vulneratus cadit, cadunt & alij duces. Quod vbi Poloni viderunt,

terga dederunt; Germani vero qui cum Conrado de Lanſperg venerant, confuſi quidem non mediocriter, nonnihil cum Polonis primum ceſſerunt: ſed tandem a fortibus qui inter eos erant plurimi, adhortati, de integro fecerunt in hoſtes impetum tantum, vt hoſtes cedere coacti ſint ex campo vbi prælium fuit, ita tamen Pruteni ceſſerunt, vt fugiſſe dici non poſſint. Poſtquam receſſerunt Pruteni, Germanis maior cura fuit vulneratos curare, quam inſequi hoſtes: iacebant enim duces eorum in ſolo lethaliter vulnerati: qui ſublati cum omnibus vulneratis curati ſunt. dux Conradus de Lanſperg valetudini bonæ reſtitutus eſt. Dux Polonorum, quo fideliores & paratiores haberet copias ordinis Teutonicorum, conceſſit quicquid poſſent a Prutenis recuperare ex iis quę tum bello capta obtinebant. Quare breui receperunt Colmenſium & Luboniæ regiones quas ſibi reſeruauit Magiſter ordinis Teutonicorum. Sub idem tempus quidam fratrum Teutonicorum venerunt ex Hieroſolymis viri militaribus dotibus cumulatiſſimi, quibus Pruſſiæ imperium eſt conceſſum ſi vincerent eos, nam erant vicinis ſuis Germanis magno oneri propter crebras excurſiones & rapinas. Itaque ij aſſumptis belli ſociis militibus Germanicis, profecti ſunt ad illos qui in Polonia erant fratres Teutonici ordinis, coniuncti Pruſſiam inuaſerunt, ceperunt, ad Chriſtianæ religionis profeſſionem compulerunt, multis poſtea iidem fratres Pruſſiam ædificiis exornarunt, & hactenus poſſederunt. Circa hæc tempora mare terminos ſuos egreſſum exundatione ſua perdidit pene totam Friſiam. Miracula multa & prodigia per hæc tempora ſcribuntur facta per Germaniam, & alias nationes, quorum quædam vera, quædam ficta puto, quæ apud multos alios eſt inuenire multis ſcripta, quidam enim immodice oblectantur hoc genus figmentis. Quanquam, vt dixi, non nego quædam vera eſſe. Poſt hæc omnia Fridericus ſecundus ob ſingulares virtutes ducum Auſtriæ, ducatum illum in regnum euexit, appellauitque eos duces reges. Cuius rei teſtimonium præbet epiſtola Friderici quæ ad verbum ſic ſonat, Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, &c. Fridericus duci Auſtriæ & Stiriæ, ſuo dilecto principi, & comiti Carniolæ, gratiam ſuam & omne bonum. De fulgore throni Cæſarei, velut de ſole radij, certæ prodeunt dignitates, vt primæ lucis integritas, minoris luminis non ſentiat detrimenta, tantoque magis imperiale ſceptrum extollitur, tanto cura regiminis a ſolicitudinibus releuatur, quãto tribunal ipſius dignires in circuitu circumſpicit regiones. Hac igitur conſideratione admoniti tuis, deuotiſſime Princeps noſter, ſupplicationibus inclinati, nec minus ad honoris ſacri imperij exaltationem reſpectum habentes, de infra ſcriptorum Principum noſtrorum conſilio, videlicet S. Ratiſponenſis epiſcopi, L. Wormatienſis epiſcopi, H. Bambergenſis epiſcopi, C. Brixienſis epiſcopi, S. abbatis Campedonenſis, C. abbatis Cluniacenſis. C. ducis Morauiæ, B. ducis Bauariæ, ducatus Auſtriæ & Stiriæ cum pertinentiis ſuis & terris quas hactenus habuerunt ad nomen & omen regium transferentes. Te hactenus prædictorum ducatuum ducem de poteſtatis noſtræ plenitudine & magnificentia principali promouemus in regem, eundem libertatibus, emunitatibus, & iuribus prædictumque regnum tuum præſentis epigrammatis autoritate dotantes etiam ad regiam dignitatem, vt ex honore, quem tibi libenter adiicimus, nihil honoris & iuris noſtro diademati aut imperio ſubtrahatur; quinimo, ſicut hactenus tanquam dux, princeps & fidelis noſter extiteris, ſic in poſterum perſiſtas, nihilque propterea iuri & honori imperij in prædictis regno & terris ſuis omnino depereat, hoc ſpecialiter expreſſo quod ſucceſſores tui non per electionem eligantur, ſed ſemper maiores natu ex generatione tua ex te & ex ſucceſſoribus tuis legitime deſcendentes, & ipſi regno ſuccedant, nullus ex eis coronam vel conſecrationem in prædicto regno de manu cuiuſquam ſuſcipiat, niſi a nobis & ſucceſſoribus noſtris tantum in Curia, aut alibi ex commiſſione a nobis facta. Alij vero hæredes minores natu non habeant aliud, niſi quod ex regis gratia poterunt obtinere. Illud etiam iuri regio coniungimus, vt ſi aliquis comes aut inferior de regno tuo contra te aut ſucceſſores tuos forſitan exceſſerint, ipſum per ſententiam Curiæ iudicare poteris, & cætera. etiam banno, vt moris eſt imperij Romani. Iſtis temporibus erat in Pomerania tyrannus, Chriſtianam quidem religionem profeſſus verbis, ſed corde inimiciſſimus Chriſtianis, hic Teutonicorum ordinis fratribus, qui Pruſſiam obtinebant bello captum, plurimum fecit

nego-

negotij, ſæpeque eos præliis ſuperauit hic Suandepoldus: nam hoc illi nomen erat tyranno, ſæpeque ita præualuit, vt penitus deſperarint de Pruſſia ſeruanda. Propterea ad Cæſarem, ad Pontificem Romanum, ad Principes alios mittunt frequentes nuncios, vt ſubueniant ſibi, alioqui cedendum hoſti omnium Chriſtianorum atrociſſimo. Mittuntur tandem eis auxiliares militum copiæ, mittiturq; legatus nomine Papæ epiſcopus Mutinenſis, qui Pruſſiam in quatuor diœceſes ſeu epiſcopatus diſtribuit, & populum in religione prædicando inſtruxit, resque eccleſiæ ordinauit ad ſimilitudinem aliarum Romanæ eccleſiæ ſubiectarum. Suandepoldus poſt hoc maioribus copiis venit, & hoſtiliore vaſtatione quam antea vnquam omnes has ordinationes conturbat, captos abducit multos homines, plurimos occidit. Teutonicorum autem ordo auctis ex Germania copiis fortiter reſiſtunt, & hoſtem in ſuis terris inuadunt nonnunquam, capiuntque quaſdam arces. Sic per aliquot annos ſe inuicem bellis perpetuis confecerunt huius ordinis fratres, & Suandepoldus tyrannus. tandem fratribus auxilio venerunt epiſcopus Mersburgenſis, Marchio Brandenburgenſis, comes de Suartzenburg, cum ſelectorum militum Germanorum exercitu, qui coniunctis viribus cum fratribus Teutonici ordinis, Suandepoldum ad deditionem compellunt, pacem igitur petit, obſides promittit. Mittitur ergo a Pontifice Romano illuc legatus, qui autoritate apoſtolica pacem firmaret, & conſtabiliret rem ordinis Teutonici. eſt igitur fœdus perpetuum confirmatum inter Suandepoldum, & fratres Teutonicos. Hæc dum in Pruſſia aguntur, in Sueuia agit Fridericus Cæſar, nec paruum ortum eſt diſſidium in Henricum filium, & Fridericum patrem; ſuper ea re habiti ſunt multi Principum conuentus. Tandem propter pacem, filius rex in Siciliam eſt miſſus, imo ductus; nam inuito animo patri ceſſit. Nec feciſſet, niſi decretum publice a Principibus prius fuiſſet. Filio autem gubernationem regiam in Sicilia cõmiſit. Eo anno poſt abitum filij, duxit Fridericus vxorem tertiam, regis Anglorum ſororem. & nuptiæ magnificentiſſimæ ſunt factæ in vrbe Wormatia. Poſt nuptias proximo anno cum copiis petit Italiam; Longobardorum enim conſpiratio indies vires acquirebat, incipiebatque copiis, viribus & opibus reliquam Italiam excellere, erant enim eo fœdere (vt honeſtiore vocabulo nominem) Brixia, Mantua, Mediolanum, maior Romaniolæ pars. Verona item, Padua, Vincentia, Taruiſium, & aliæ. Venetiæ quoque, quanquam clam contra Cæſarem illos iuuabant vbicunque poterant. Paucę ciuitates erant fideles Imperatori; plurimæ vero falſo animo pro fortunæ mutatione mutabant & ipſæ fauorem & mentem. Fridericus igitur vbi in Italiam peruenit, quorundam opera & conſilio Verona eſt recuperata. Verona recepta, Mantuam hoſtiliter inuadit: ſed intelligens ad eam obſidendam multum temporis, multumque impenſarum eſſe opus, quæ melius collocari poſſint in aliis capiendis. Quare agro Mantuano vaſtato, ædificiis omnibus incenſis, Mercariam Clarumque oppida expugnata, per vim diripit, & in cinerem redigit, inde ſine mora petit vicinam Cremonam, diuque obſeſſam capere non potuit, ſed maxima damna intulit illi. Quare relicta Cremona, caſtra mouet ad Vicentiam. Vicentini ciues petunt pacem. dum autem agitur de pace, proditur vrbs, intromiſſus exercitus diripit vrbem & incendit, nec hoc factum eſt ſine magna ciuium cæde. Mox in agrum vicinum Paduanum immittit copias, totumque eum agrum fœcunditate eximium depopulatur. Inde ad obſidendam feſtinat Taruiſium: ſed ita præſidio valido munita fuit vrbs, vt capere non potuerit. Agros omnium vaſtauit, nulli rei parcens. Hæc in hunc modum Friderico aduerſus rebelles vrbes gerente in Latio, Henricus rex Germanorum, filius Friderici, hoſtibus iungit ſe, fœdusque contra patrem cum Longobardis ferit, impulſu, vt creditur, quorundam Germanorum Principum: nam pollicitus erat Longobardis ſibi venturas ex Germania copias. Id Imperator timens, quam primum mittit Romam legatos, qui agant cum Pontifice, vt in Germaniam literas mittat, ne filium aduerſus patrem iuuent. Pontifex igitur accepta pecunia ab Imperatore, dat in Germaniam literas apoſtolicas, quibus mandat ſub excommunicationis lata ſententia, ne quis filio aduerſus patrem pareat. Ergo Henricus fruſtratus ſpe venturi ſibi exercitus ex Germania, deſtitutus præſidiis a patre capitur, regno abdicatur, duriſſimis verbis patris correptus in Apulia cuſtodiæ arctiſſimæ mancipatur, in qua cuſtodia moritur breui. Quidam crediderunt patris iuſſu necatum. Lon-

gobardi post captum Henricum vehementer humiliati sunt, nam crudelibus modis afflixit eos imperator. Quas igitur ciuitates ex rebellibus recepit in gratiam, præsidiis & magistratibus quorum fides illi spectata fuit, muniuit, quasdam penitus deleuit, quasdam capere non potuit. Quantum ergo per rerum statum, & conditionem temporum licuit, rebus per Italiam ordinatis, reuertitur in Germaniam, & arces multas in Austria deiecit ex montibus; nam prædones in illis habitabant, qui rapinis victitabant; nullumque iter erat tutum, propterea Reipub. præsens pestis erant hæc castra, incremento enim ciuitatum impedimentum maximum sunt. Proximo anno ante aduentum Cæsaris in Germaniam, Boemię rex & dux Bauarię, inuaserant hostiliter Austriam, consensu & iussu etiam Imperatoris; nam dux Austriacus, fouebat illos prædones. Quare post dirutas arces sæpe ad conuentus Principum citatus non venit, nuncios & literas Imperatoris contempsit, vel quod magis credendum est, iudicium timuit; neq; enim habuit quod accusatoribus responderet. Monasteria enim & ecclesiarum bona diripuerat & dilapidauerat in omni genere luxus, exactionibusq; non ferendis exhauserat subditos. Quam ob rem subditi eius per totum ducatum exceperunt Fridericum ceu liberatorem a sæuissima tyrannide. In Vienna capienda laborandum putabant quidam Friderico: sed sponte gratulantes aduentui, aperiunt illi omnes portas, commendauitque se vrbs Imperatoris fidei. Imperator, vt tyrannus minus eam conaretur recipere, veritus imperij vires, facit eam imperialem ciuitatem. quod testantur hæc verba Imperatoris; Volumus vt nunquam per concessionem alicuius beneficij vrbs Vienna de nostra & imperij transeat potestate, & vt habentur in Chronicis Australibus. Eo etiam tempore Conradus, filius Friderici secundi, electus est in regem Germanorum a Principibus, hoc petente patre Imperatore. Iterum postea Ratisponæ præsente patre electum in frequentissima Principum congregatione. Tertio mox post Nemeti electum esse, traditum est memoriæ. Interea dum hæc gesta sunt ab Imperatore in Italia & Germania, multum Imperatori iuris de regno Hierosolymitano est detractum præter æquitatem. quare Imperator & filius eius iam designatus rex mittunt Romam legatum archiepiscopum Rauennatem cum literis & mandatis, quod ius Imperatori debitum in regno Hierosolymitano sit magna ex parte illi ereptum, id petant rex & Imperator, vt illis reddatur, rogareque eos Romanum Pontificem, vt autoritate apostolica & potestate ecclesiastica illis restitui mandet. Id Gregorius diligenter se curaturum promittit. Erat enim eo tempore in tota Italia & per Germaniam tantæ potentiæ hic Imperator, vt Pontifex non putarit illi hoc negandum; voluit ergo facere quod optauit, modo omnem causam illi reuertendi in Italiam amputaret. Nam timebat ne tota Italia prorsus subiugata, adiiceret animum ad vrbem, Germaniæ rebus pacificatis & ordinatis ex sententia, ducit Fridericus copias in Italiam, reliquas vrbes Longobardicæ conspirationis domandi gratia. Hoc vbi primum resciuit Papa, conatus Imperatoris impedienda iudicauit quocunque modo fieri posset. Quare mittit illi obuiam legatum virum viribus linguæ potentem, qui longa & varia oratione suasit Cæsari, ne cum Longobardis bellum gerat; nec enim posse fieri sine magnis tumultibus totius Latij: debere autem Christiano Principi nihil antiquius esse, quam pax. Admonet etiam legatus Imperatorem, ne fœdus cum Longobardis a maioribus suis auo Friderico & Henrico patre constitutum & bona fide seruatum violet, alioqui male auditurum. Commemorat præterea legatus Pontificis quędam officia erga Imperatorem, rogatque, vt gratiam referat, & reuertatur in Germaniam. Pollicetur quoque legatus Pontificem curaturum vltro officium suum faciant rebelles vrbes. Hic legatus nihil effecit, rediitque ad dominum Papam, referens Imperatorem immobile saxum esse. Sine omni mora mittit Papa tres cardinales ad Imperatorem, qui in eandem sententiam, sed pluribus apud Imperatorem egerunt. Cumque nihil vllis rationibus commouere potuerunt Imperatorem, reuersi sunt ad Pontificem. Pontifex igitur nihil dubitauit Imperatorem copias non tam contra Longobardos, quam contra se adducere. Fridericus igitur propositum premens, castra mouet ad vrbem Clarummontem, quam expugnauit, diripuit, & incendio in puluerem redegit, sperauit petituros Brixianos territos pacem. Sed cum pertinaciam eorum videret, nec esset spes capiendi vrbem, Mediolanum cum exercitu petit.

Ibi

Ibi totum Longobardicum fœdus omnibus viribus congregatum erat, simulque pontificiæ vires, sed clam : quanquam sunt qui dicant legatum Papæ palam illic fuisse cum copiis. Ergo Imperatori veniunt obuiam, & vltro ad pugnam prouocant, nec mirum, erant enim multitudine Imperatore superiores, aut saltem pares. Congressi igitur non procul a Mediolano dimicauerunt vtrinque pertinaciter: post aliquot tamen horas victi sunt Longobardi magna eorum multitudine cæsa & capta. Capti autem sunt primi duces eorum exercitus, totus fere Mediolanensis magistratus captus est. Venetorum ducis filius quoque inter captiuos est inuentus. Longobardorum præcipua nobilitas qua vtebantur in bello, capta est. Captiuos omnes affecit crudelibus suppliciis Imperator ad deterrendos animos a rebellione. Filius ducis Venetorum suspenditur ex quadam turri in portu, semper frequentia hominum referto, vt conspiceretur a quam plurimis. Post hoc prælium Longobardorum ciuitates pleræque, missis legatis, suppliciter petunt veniam, quas acceptis obsidibus, conditionibusque deditionis pro voluntate præscriptis, in gratiam recipit. Bononia & Parma Brixiaque solæ non veniunt. Ad Brixiæ mœnia castra igitur Imperator mouit, eamque obsidet, postremo cum ea quoque conuenit certis conditionibus pacis; sed magna ex parte libertate eius salua, Imperatori enim aut diu illic erat non satis vtiliter tempus terendum, aut condonandum aliquid. Pontifex Romanus sciens vires & copias Longobardorum, ex vrbe discesserat, coniuncturus se illis; nam videbat hostilem Cæsaris erga se animum. vbi vero nunciatur illi de pugna & fuga Longobardorum, magna tristitia & animi dolore affectus, desperauit de Longobardorum rebus, vertit cursum rediturus Romam; sed clauduntur portæ, aditus negatur illi, siue quod fama de Imperatoris victoria Longobardici fœderis clade præuolauerat, terrueratque vrbem, vt caueret diligenter, ne quid contra Cæsarem ageret, siue quidam Romanorum a Cæsare pecunia corrupti fuerunt (quemadmodum Platina, Blondus, & Vrspringensis tradunt) per quos Pontifex excluſus est ab vrbe. Scribunt enim nobiles & potentes Romanos ciues de familia, quæ dicitur Fragepanes, eo tempore apud Cæsarem in castris fuisse, magnamque pecuniæ vim ab Imperatore accepisse, præterea Cæsarem illis pollicitum maximas in imperio dignitates, vt Friderico Romanorum animos conciliarent, & efficerent, vt Pontifex excluderetur aut eiiceretur ex vrbe. Id illos sedulo feciſſe, inquiunt scriptores, sed magnum Pontificis studiosorum numerum fuisse in vrbe. quo factum sit, vt per vim in vrbem perductus sit Pontifex, nec sine factionum partiúmve cædibus. Pontificem autem tradunt postquam in vrbem venit, nihil omisisse quod ad reconciliandam sibi plebem facere visum sit. Ecclesiæ thesauros in largitiones erogasse, distribuisse annonam, maiora promisisse. Seditionis autem autores relegauit aut necauit. Interim tamen non desiit circumspicere Papa quomodo Friderico negotium facesseret; existimans ergo ducem Venetorum filij sui tam ignominiosam mortem vlturum, Genuenses & Venetos discordantes ingeniose copulauit, vt altera alteri ex fœderis conditionibus necessario mittere cogeretur auxiliares manus belli tempore. Genuenses autem ignorabant Pontificem facere quo Veneti socios haberent belli, quod sperabat Pontifex futurum inter Cæsarem & Venetos. Post hæc quo Veneti alij audentiores redderentur contra Imperatorem, Pontifex Imperatorem excommunicat, & omnium omnia iuramenta quibus Imperatori obligantur, irrita facit. Hanc excommunicationis latam sententiam per legatos in Germania quoque promulgat, spe illic rebellionis excitandæ, qua reuocetur Fridericus domum. Sed Conradus filius rex Germanorum ea quæ in Germania sunt, administrat. Pontifex ergo Romanus Imperatoris erga se animum exploratum habens, cum Venetis fœdus contra Cæsarem facit, paratur a Venetis & Pontifice communibus impensis magna classis, & instruitur omnis generis armis, mittiturque in Siciliam. Hoc Pontifex ordinauit, vt Cæsar imminens iam cum exercitu Romæ auocaretur in Siciliam. Cæsari vbi significatum est, excommunicationem suam publicari, fœdus cum Venetis Pontificem iniuisse, classem armatam in Siciliam mitti, Genuenses Venetis copulatos Pontificis artibus, Pontificem apud omnes Christianos Principes accusare Fridericum, ceu hostē ecclesię, pacis turbatorem, diuinarum rerum contemptorem, hæc, inquam, cum primum nunciata sunt Friderico, incommota facie &

animo multa apud ſuos dixit de ſua innocentia, aduerſariorũ iniquitate & dolis, precatusq; eſt clariore voce Deum omniũ diſpoſitorem, vt adſit iuſtiorẽ cauſam habẽtibus. Iuſſitq; Petrum Vinẽſem oratorem facundiſſimũ, qui erat Imperatori ab epiſtolis, habere orationẽ publice audiente toto exercitu. In ea oratione magna eloquẽtia de Cæſaris Friderici 2 bona erga eccleſiam voluntate, de meritis erga Romanam ſedem; de ingratitudine, & conatibus Pontificis. Commemorauit orator prolixe in eo ſermone exempla Pontificum, quomodo tractarint Imperatores prædeceſſores ſuos. Cæſarem hactenus nihil conatum quod non fuerit iuſtum, quodq; non imperij adminiſtratio, officium eius, exegerit, &c. Itaque paratis omnium animis, nihilq; propter anathematis fulmina perturbatis, duxit copias in Venetos, agrum eorum vaſtauit, & cum multa præda Paduam reuertitur, illicque rebus ordinatis, ne cauſa aut locus eſſet deficiendi, Veronam petit, in ea ciuitate quoque componit res vt Paduæ, hinc caſtra mouẽs Parmam, inde Lucam, deinde Piſas venit. Marchiam interim Eccelino duce occuparat. Pontificiæ & Venetianæ interea copiæ damna Friderico intulerunt non contemnenda mari & terra. Pontifex per totum Chriſtianum orbem nõ deſinit publicare excommunicationem in Cæſarem & omnes illi fauentes, & Satanæ tradit omnes quicunque non quam primum diſcedant ab eo, libellis mordacibus per orbem miſſis, & in plurima exemplaria transfuſis Imperator & Pontifex ſe inuicem lacerant, cauſam agit quiſque ſuam, iniurias ſibi illatas amplificant, extenuant aut negant quas ipſi intulerunt. Fridericus queritur fœdus a Pontifice non ſeruatum. Item, quod ciuitatem Caſtellæ contra initum fœdus retinuerit. Quod cum eſſet in expeditione Hieroſolymitana, pacem in Italia turbarit, Siciliamq; inuaſerit. Quod Mutinam conatus ſit auertere contra ius imperij, & Placentiam alienarit, & quod conſpirauerit cum Longobardis contra imperij iura. Pluraq; alia per edita ſcripta queſtus eſt Fridericus de Pontifice Romano. Quæ omnia Gregorius Pontifex refellere conatus eſt in epiſtola ad regem Galliarum, quæ incipit, Aſcendit de mari beſtia, &c. Longum eſſet repetere vtriuſque cauſæ argumenta; quare apud alios legenda relinquo. Reiicit vero Papa alia in Cæſarem, quod vniuerſam turbet terram, regna ſubuertat, eccleſiaſticam poteſtatem cõtemptui habeat, eccleſias deprædetur, eccleſiaſticos ſpoliet. Quam paterne ab Honorio Pontifice excommunicatum iuſte, receperit in gregem fidelium, quoties eum admonuerit, Pontifex prædicat. Item addit Pontifex, Imperatorem fouere Saracenorum cauſam contra Chriſtianos, impedire enim expeditiones in eos, & prohibere in regno ne colligantur pecuniæ in vſum belli contra Turcas. Imperator autem hic reſpondebat, Se prohibere legatos pontificios colligere pecuniam nomine expeditionis in Turcas, nam eos collectam pecuniam in omni genere luxus dilapidare. Nominat ergo Pontifex Fridericum preambulum Antichriſti. Piſis igitur Cæſar agebat per aliquot menſes, exercitum recognouit, & auxit. Tum apud Piſas nomina factionibus ſunt impoſita, pontificios Guelfos, Cæſarianos Gibelinos. Creuitque odium magnopere factionum, eratque in tota Italia nullum oppidum in quo non eſſet hoc diſſidij malum, familiæ diuidebantur peſtifera iſtius factionis labe. Fridericus igitur videns in omnibus ciuitatibus vtraſque factionum partes, properat ad quam plurimas potuit vrbes, quas facile cepit, aduentu enim ſuo aduerſa factio territa, diſſimulauit, aut fuga ſibi conſuluit; Gibelini autem erexerunt criſtas, etiam in iis locis vbi ante aduentum Cæſaris ne mutire quidam audebant, ob multitudinem Guelforum. Feſtinatio igitur ſupra modum vtilis fuit rebus ſic ſe habentibus. Quæ autem vrbs ſe vltro non dabat, vi expugnatam diripiendam & incendendam obiiciebat militibus; variis ſuppliciis afficiebat pontificios, effodiebat aliis oculos, alios ſuſpendebat, alios multis cruciatibus aliis lacerari iuſſit. Volens ad memoriam exemplum poſt ſe relinquere, ne qui in poſterum præſumerent rebellare Cæſari. Genuenſes, vt dictum eſt ſupra, Venetis fœdere per Pontificem coniuncti, ex eius fœderis lege cogebantur ſequi Venetos. Piſani igitur armata claſſe inuadunt Genuenſes. Qui freti ſociis Venetis prælio nauali ſuperarunt Piſanos, multis occiſis, ceperunt claſſis eorum magnam partem nauium, reliquæ diſſipatæ cum magno dedecore redeunt Piſas. Cæterum Friderico proſperrime ſucceſſerunt omnia, quod celeritati debebat: nam ſi priores veniſſent Guelfi, id eſt pontificij ad vrbes, Cæſariani, quos nominabant Gibelinos, ſe

mouere

mouere ausi non fuissent. Sic enim habet se ingenium humanum in factionibus, cum sunt in eadem ciuitate, dum enim altera factionum pars videt alteram fortiorem, tacet, dissimulat, odium repostum in corde abscondit: vbi vero accedit aliquid quo diuersæ parti sperat prævalere posse, aperit se ira, mutationem fortunæ venisse gaudet, &c. Pontifex cum non haberet aliud quod opponeret furori Friderici, accepit capita apostolorum, & portionem sanctissimæ crucis, & in basilica beati Petri stans in edito loco præsenti populo Romano & clero ostendit lacrymans, & adhortatur populum oratione affectibus turbatissima aduersus Fridericum hostem principis apostolorum, filium Satanæ, sic enim vocabat, pollicetur præterea fortiter pugnaturis aduersus cahem hunc (vt eius verbis vtar) præmia vitæ æternæ, & omnium peccatorum plenariam remissionem. Hanc concionem Romæ habuit Pontifex, cum audiret Cæsarem appropinquare vrbi. Quare hac oratione ad populum habita, &, vt videbatur, animis incensis, iubet armari multitudinem, quam venienti Friderico obuiam ducit Pontifex. Sed Cæsar Romanos in vrbem repulit, multis occisis & captis, captorum alios aliis membris mutilatos in vrbem remisit. Clericis coronam in crucis formam vulnerauit per primam cutem vsque ad craneum, quibusdam per os cranei. Vbi vidit autem totam vrbem ita a Pontificis partibus stare, præter expectationem & opinionem suam, omnia circa vrbem vastat & incendio consumit. deinde vertit signa in Campaniam, inde petit Beneuentum, quam expugnatam direptamque incendit. mox oppidum ad deditionem cõpellit. In Siciliæ regno crudelius multo per idem tempus egit Philippus per legatos. Nam ecclesiastici sentiebant cum Pontifice, & ex autoritate mandati apostolici discedebant ab Imperatore. Quapropter eorum bona confiscauit, trucidauit multos episcopos, & perpetuis carceribus addixit. Pontifex mittit legatos per deuia in Germaniam (nam omnia itinera custodiebat Imperator) qui excommunicationibus & aliis artibus impugnent Imperatorem, datq; plenarias indulgentias arma contra Fridericum sumentibus. Fridericus rursum cum exercitu Romam petit. Cassinense monasterium ditissimum diripit, preciosam suppellectilem ornatumque ecclesiasticum aureum & argenteum conflat in monetam, quam numerauit postea militibus. Soram incendio consumpsit. Bona templariorum rapuit passim. Rauennam expugnauit & diripuit. Habebat apud se milites Germanos qui quiduis audebant & effectum dabant. Pontifex Romanus mittit legatos ad regem Galliarum & Angliæ, vt ferant auxilium ecclesiæ in extremo periculo constitutæ, mittit & ad alios Principes. Reges suadent Pontifici vt concilium indicat, vt abrogetur Fridericus. Pontifex igitur legatis & literis missis conuocat omnes per totam ecclesiam Romanam magistratus & principes ecclesiasticos & alios, celebraturus concilium apud Lateranum. Fridericus concilium contra se indictum audiens, aduenientibus ab omni parte claudit vias, eadem opera Romam obsidet, neque enim Romani longius procedere, neque alij ad illos venire poterant. Idcirco Entium filium suum in armis exercitatum & fortem iuuenem Pisas mittit, qui portus & mare in illis regionibus custodiret. Quo vbi peruenit Entius, per exploratores cognouit, nauibus Genuensium vehi per altum mare multos episcopos & cardinales. Quare Entius coniunctis sibi Pisanis cum armata classe Pisanorum aduersus illos progrediuntur. Patres rogarunt conductorem, vt cursum flecteret alio, neque dimicaret prælio. Sed dux classis in qua nauigabant cardinales vir elati animi, noluit videri Pisanos timere, adhortatur milites, iubet arma capere, præmia victoribus promittit, sed congressu primo statim Genuensium naues succumbunt, pauci fuga elabuntur, multi cadunt, multi capiuntur. Multi abbates, episcopi, & duo cardinales capti ad Imperatorem ducuntur, qui coniicere iussit eos in carceres, in quibus multi ex his mortui sunt. Prælatorum quidam submersi sunt in mari, inter quos fuit archiepiscopus Vesontinus. Archiepiscopus Rotomagens. cum abbatibus Cluniacensi, Clareuallensi, & Cistertiensi, liberati sunt, rege Gallorum pro eis intercedente. Pontifex propter hæc mala mœrore confectus, moritur, atque alius nomine Cęlestinus quartus creatur, qui misit ad Fridericum Fauentiam obsidentem, legatos qui de pace agant, sed Pontifex moritur ante responsum Friderici: decimo enim octauo die pontificatus sui mortuus est. Fauentiam tamdiu obsedit Imperator, donec grauissima fame coacta se dederit. Inde Bononiam aggreditur, ad deditionem compulsam cogit dare ma-

gnam pecuniam, & illinc transfert vniuersitatē Paduam. Postea omne patrimonium, id est ditionem Pontificis Romani in suam potestatem redigit. Fuit in milites perliberalis, prorsusq; effuse prodigus. quare exhaustus omni moneta argentea & aurea, monetam nouam ex corio fecit insignitam sua imagine, quam præcepit vbique accipere ab omnibus. militibusq; promisit breui auream pro ea daturum se. Et præcipit postea ditior factus Thesaurario suo vt militibus eam ferentibus numeraret postea argēteam aut auream. Innocentius quartus post Cælestinum Pontifex creatus, de pace sine mora magno studio cum Imperatore agere cœpit, sed cum quatuor totis mensibus nihil agi posset, conuenire placuit Castellanæ: sed Pontifex admonitus fuit ne iret, Fridericum enim in animo habere eum capere, eiusq; propositi Cæsaris cōscios esse multos Romanos ciues. Quare simulauit se iturum Castellanum ad Cæsaris colloquium, & præterea verbis spem fecit se assensurum ad cōditiones quas Cæsar petebat: sed cum paucis clam subduxit se, & naues conscendit quæ erant in portu apud Centumcellas, nauigatq; in Gallias ad regem Ludouicum, a quo maxima reuerentia exceptus est & tractatus, Lugdunumque deductus, anno Domini 1246, conuocauit generalem synodum. scribit igitur per totam Romanam ecclesiam omnibus principibus & prælatis cuiuscunque ordinis, vt Lugdunum veniant ad reseruandam ecclesiam & consulendam communi paci. Conueniunt plurimi, in ea synodo Ludouicus rex Galliæ offert se & regnum suum ad defensionem Romanæ sedis. Innocentius Pontifex autoritate apostolica citauit etiam Fridericum Imperatorem, vt personaliter veniret, & ad obiecta 1246 10 20 respōderet apud incorruptissimos iudices. Sed Imperator Lugduni timens, quod timuerat Pontifex apud Castellanam vrbem, noluit venire: misit autem suo nomine episcopum Argentinensem, & Hugonem magistrum ordinis Teutonicorum, & Petrum de Vineis, eruditione, facundia illis temporibus incomparabilem virum: qui in synodo excusarunt Imperatorem, quod per aduersam valetudinem venire non potuerit. Cæterum paratum omnia ecclesiæ reddere quæ occuparat, & serio cum omnibus Christianis Principibus bella gesturum contra Turcas, pollicebantur, contraque iura ecclesiæ nihil facturum, &c. hæc vt synodus crederet, habebant legati literas per bullam auream consignatas, quas ostendebant: sed Pontifex & concilium his non credebant, cum propter alia indicia, tum maxime quod captos cardinales aliosq; prælatos ecclesiasticos non dimittebat. Quare Papa in ipso cōcilio solenniter pronunciauit sententiam contra eum condemnationis & priuationis imperij ac regnorum eius. Fridericus certior, mox per legatos nuncio misso, factus de sententia illa Pontificis seu concilij, ad regem Galliæ scribit epistolam, sicq; exorditur, Et si causæ nostræ, in qua contendit probare sententiam de iure esse nullam, primo ex eo quia etsi Romanus Pontifex plenariam habeat in spiritualibus potestatem, vt peccatores quoslibet possit absoluere & ligare, nusquam tamen legi dicit, vt Papa, diuina vel humana lege concedente, possit transferre pro libito imperium, aut de regibus & Principibus in regnorum priuatione temporaliter iudicare. Mox in eadem epistola sequitur, Papam processisse cōtra se non per accusationis ordinem, cum nec accusator apparuerit, nec inscriptio præcesserit, nec per denunciationem legitimo denunciatore cessante, nec per inquisitionis modum, quoniam clamosa insinuatio non præcessit. Negat etiam Imperator crimina notoria inserta fuisse. Item in ea ad regem epistola asserit, iniquos testes contra se productos. Capuensem enim episcopum reprobare se iure, cuius fratrem proditionis crimine conuictum condemnarit ad suspendium. Vsus autem fuerat Pontifex Hispanis quibusdam testibus, quos, vt rerum Italicarum ignaros, quoque reiicit Imperator. Additque in epistola, Dato quod testes fuissent legitimi, tamen se neque præsentem fuisse, neque contumaciter absentem. Paulo post in epistola sequitur, Dato quod fuerim contumax, tamen non est legitima contumaciæ pœna, quod delatus aut accusatus contumax iudicio nullo discusso per diffinitiuam sententiam debeat declarari depositus. Et in eisdem literis dicit Imperator, causas tales in sententia expressas, a quibus omnibus incorruptibilis veritas & publica monumenta eum defendant. Censum vero neglectum fuisse per suos officiales, quem etiam crediderit probe solutum: nec fuerit requisitus a Papa. Post discordiam vero censum eundem consignatum prælatorum & publicarum personarum sigillis & apud sacras ædes depositum. Est in eadem epistola

30 40 50

la ſcriptum, magiſtrum ordinis Teuconicorum, & M. Petrum de Vineis vltimo pro omnimoda pacis conſummatione tractare miſſos, quos ſaltem per triduum ad multorum nobilium ac prælatorum inſtantiam præſtolari noluerit Pontifex ſummus. In fine autem epiſtolæ dicit, liquere quam iuſte dixerit Papa eum de catholica fide ſuſpectum, quam, teſte ſummo iudice, in omnibus & ſingulis articulis ſecundum vniuerſalis eccleſiæ diſciplinam credat firmiter, ac ſimpliciter confiteatur. Quare regem in calce literarum hortatur, vt contra Papam innocenti aſſiſtat. In hanc quoque ſententiam ſcripſit Imperator aliis Principibus, mittitq; paſſim legatos qui eadem viua voce agant. In Germania multi Principum diſceſſerunt ab Imperatore ſtatim poſt latam excommunicationis ſententiam. quare hæc de abrogato imperio magis locum habuit. Scripſit Papa ſtatim poſt latã ſententiam in concilio Lugdunenſi ad Principes electores, vt ſine cunctatione cõuenirent ad alium Imperatorem eligendum. Propterea Principes reueriti ſanctiſſimi Papę & ſacrę ſynodi autoritatem, conuenerunt ſine mora Francofurdiæ, & elegerunt Henricũ Lantgrauium Thuringiæ in regem. Conradus rex Germanorũ filius Friderici Imperatoris, patris repulſam indigniſſime ferens, collecto per Sueuiã exercitu, Francofurdiã ducit, Henricus occurrit illi iuxta Francofurdiam, conſerunt manus, fit atrociſſimũ prælium: tandẽ tamen Henricus ſuperior (ſic viſum Deo) fugat Conradum magna cũ ignominia. Habebat adhuc Fridericus in Germania, maxime in Sueuia, qui permanebant in fide, aduerſus quos ducit copias Henricus. Reutlingenſes primum aggreditur, qui grati (nam eorum vrbem muro Fridericus circũderat) in fide permanebant, & fortiter repulerunt hoſtem, qui aliquoties muros oppugnare conatus magnam multitudinem perdidit militum. Quare ſoluit obſidionem, & Vlmam petit quæ etiam in fide manebat, & propter iuſiurãdum quod Friderico fecerat, voluit quoduis periculum ſubire, quam contra fidem facere. Obſidendo Vlmã ſagitta ab oppidanis vulneratus grauiter eſt, quod vulnus ſtatim rata & lethalia ſymptomata ſecuta ſunt, & paucis diebus poſt vulnus acceptum, moritur. Quidam dicunt dyſenteria laborantem mortuum. Vtrunq; verum eſſe arbitror, nam dyſenteria ſymptoma potuit eſſe vulneris. Poſt huius mortem mox conueniunt Francofurdię Principes, eligunt Guilielmum comitem Hollandiæ. Qui poſt electionem, exercitum quem habuit Francofurdiæ, duxit contra Friſiones, a quibus ſuperatus prælio occiſus eſt. Imperator vero Fridericus poſt ſententiam latam Lugduni, conſanguineos Innocẽtij in Italia perſecutus eſt, domos eorum funditus ſuſtulit in vrbe Parma, & rura eorum vaſtauit, ædificia ruſtica incendit. Accepit poſtea maiores exercitus copias, easq; ducit verſus Lugdunum, oppreſſurus Papam, Italiam commiſit Entio filio, iubetq; ne exeat Parma: ſed filius patri non obtemperans, copias quas illi pater reliquerat in Brixianos duxit, Placentini & exules Parmenſes pontificij vbi intellexerunt Parmam præſidiis Cæſaris vacuam, inuadunt eam, & capiunt, multis ciuibus trucidatis qui a partibus Cæſaris ſtabant. Hæc ſignificãtur Friderico cum eſſet Taurini. Imperator igitur veritus ne & aliæ vrbes in Italia rebellarent, reuertitur cum exercitu ad Parmam, reuocato quoque filio Entio, obſedit Parmam præſidiis pontificiis munitam. Caſtra Fridericus muniuit, & in illis ædificauit domos, omniaq́ue ordinauit ſicut in vrbe, forum, tribunal, macellum, eccleſiam, nominauitque Victoriam. In animo autem habebat Parmam delere. Frequenter autem erumpebant Parmenſes in Victorinos (nam ſic nouæ vrbis ciues nominabantur) Imperator captos hoſtes fœminas & viros baliſtis mittebat in vrbem. Cum autem Fridericus duos iam annos vrbẽ obſediſſet, Germani & alij Friderici militem ad portarum vnam currunt conglobati, & eam confringere nituntur: id facturos oppidani præuiderant, & mirabantur quod non diu ante conati erant: quare diu hanc occaſionem expectarunt inſtructa acie, erumpunt, & circumuentis illis magnam partem occiderunt, magnam captam in vrbem duxerunt, reliqui, qui pauci fuerunt, vulneribus pleni, fuga elapſi ſunt. Eodem impetu inuadunt caſtra, vel, vt vocabant, Victoriam, nouam vrbem, capiuntque. Aberat Fridericus Imperator & magna pars exercitus deambulantes & laſciuientes per amœna nemora quæ non multum illinc diſtabant. Neque enim quicquam periculi Fridericus ab oppidanis eſſe tanto exercitui exiſtimabat, quam ob cauſam omnia negligentiſſime adminiſtrauit. Cum Parmenſibus nouam vrbem tenentibus concurrunt, fit atrox pugna: ſed Parmenſes iis qui erant

in noua vrbe, occisis, facile, freti fossis & vallis, repulerũt hostem, potissimum cum Parmenses haberent in manu sua omnia instrumenta machinasque quibus Fridericus in oppugnationibus vti consueuerat. Quare Parmenses victores Victoria nouo oppido potiti sunt, cum omnibus opibus, Imperatoris quoque coronam & signa militaria, omnemque regiam suppellectilem in vrbe Victoria inuenerunt. Fridericus amissa magna exercitus parte, Cremonam se confert, reparat exercitum. Parmenses Victoriam vrbem funditus tollunt. Recollectis viribus Imperator mouet castra ad mœnia Placentię, eam obsessam quidam domitam scribunt, quidam vrbem non subiugatam, sed suburbana ædificia exusta, & monasterium S. Columbæ demolitum. Inde Fridericus cum exercitu transiuit in Hetruriam, nullæ ciuitates in Hetruria sequebantur Pontificem præter Florentiam, quare admouet exercitum vrbi & castra munit, minatur Florentinis nisi dedant se, primum circa vrbem omnia vastaturum igneque consumpturum (habebant autem cultissima rura, villasq; magno ædificatas) deinde obsessurum vrbem vsque dum per vim capiat, aut ad deditionem compellatur. Florentini timentes suis possessionibus pulcherrimis & etiam vrbi, eiecerunt omnes pontificios, & fœdus cum Cæsare fecerunt. Interea Entius filius Imperatoris aduersus Bononienses & legatum Pontificis qui illic erat, ducit copias, occurrunt illi pontificij, congrediuntur, fit cruenta pugna, ad extremum Entius cum suis fugatur, capiuntur multi, etiam Entius, qui Bononiam ductus mittitur in ferream caueam, in qua sordidissimo victu nutritus miserrimam vitam post aliquot annos finiuit. Post captum filium Entium, eiusq; exercitum superatum, dilapsum, atque adeo deletum, in Apuliam confert se Fridericus nõ sine maximo animi dolore, vbi breui post obiit diem. Quo genere morbi lis est scriptoribus, alij animi ægritudine & mœrore confectum, febre, alij veneno, alij alia
1250 morte vita defunctum volunt. Mortuus est anno 1250: regnauit annis triginta. Hic quam variis casibus iactatus sit, satis est dictum. Vxores habuit tres, Mariam Aragonum regis filiam, Iolen Hierosolymitani regis filiam, & Mechtildem Anglicam: quarum Mechtilde fuit sine prole. Maria Henricum peperit illi. Conradum regem genuit Iole, vt quidam scribunt. sunt enim qui dicunt & Conradum ex Maria genitum. De gestis per hos aliquot annos vehementer scriptores diuersa scribunt, vt eorum vestigia sine lapsu sequi impossibile sit.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-PRIMVS.

POst Friderici tertij mortem Conradus rex filius Imperatoris, celeriter conscripto in Germania, præcipue vero in Sueuia, exercitu, properat in Italiam. Vbi in fines Italiæ peruenit, nihil mouendum in præsentiarum iudicat: recta igitur procedit in Siciliam & Apuliam per mare Venetorum adiutorio profectum ferunt, non multum refert qua venerit, nam in itinere nihil gessit memoriæ mandandum. Vbi in Siciliam & Apuliam venit, magno gaudio & honore ab omnibus ciuitatibus exceptus est, & salutatus rex, præter Neapolin & Capuam & paucas alias quæ ciuitates Pontificis partibus studentes rebellabant. Conradus igitur primum verbis cum Neapolitanis agit, iubet eos venire & causam dicere. quod cũ recusarent, crimine læsæ maiestatis reos condemnauit, cumq; post condemnationem non peterent gratiam, obsidione & oppugnationibus perpetuis octo mensibus fatigatam, & ad famem redactam, nullum auxilium sperantem, ad deditionem compulit, redactam in potestatem, muris, turribus & munitioribus domibus euersis, immunitam reddidit peruiamque cuilibet viatori etiam media nocte. Postea Capuam eodem modo, deiectis munitionibus, peruiam facit & aperit. Aquinum quoq; non ignobilis vrbs autoritatem potestatemve Pontificis verita a rege suo defecerat, nec primo aduentu Conradi gratiam petiit: quare obsessum & expugnatum incendio consumpsit. Quicunque suspecti erant fauere pontificiis partibus, illi ex regno a Conrado eiiciebantur,

ne

ne cum aduersitas veniret negocium suis facerent: sciebat enim quam non consistat regnum aut vrbs cum partibus diuisa est. Religiosos ergo plerosque putauit Papæ suo patri fauere, idcirco eos exterminauit, sacerdotia & episcopatus contulit iis quorum fidem erga se exploratam habebat. Constituit enim concordia & vnanimitate stabilire regnum suum. Eisdem temporibus Innocentius Papa, Hugonem tituli sanctæ Sabinæ cardinalem legatum nomine suo apostolico mittit ad Principes & omnes ciuitates Germaniæ, præcipiens vt abiurato & deserto Conrado, sequantur Guilielmum legitime electum. Minas addens excommunicationis nisi hoc faciant. Quum autem Conradus precipue in Sueuia haberet adhuc in fide perseuerantes, compositis in Apuliæ & Siciliæ regno rebus, vbique Germanicis præsidiis per vrbes & castella dispositis, cum reliquo exercitu in Germaniam festinat, primoque in Bauariam venit, illic ab Henrico duce honorifice excipitur, habebat enim Conradus sororem ducis Bauariæ. In Bauaria igitur eius ducis auxilio exercitum reparat: nam in Sicilia militum maiorem partem in præsidiis reliquerat. Conradus sine mora ditionem omnem episcopi Ratisponensis depopulatur, ciuitatemque ipsam capit, socio duce Bauarorum. In vrbe ciuibus pepercit, sed clerum & monachos miseris afflixit modis. Vsus est cathedrali ecclesia & monasterio sancti Emerani pro diuersoriis & stabulis equorum. Ecclesiarum bona rapuit omnia Conradus hic. Commorantem aliquot diebus Ratisponæ quidam ex ministris episcopi Ratisponensis statuit Cõradum clam interficere noctu dormientem: sed rex admonitus, mutauit cubile, & alium in suo lecto dormire per eam noctem, eumque per aliquot suos familiares vigilantes custodire, & rei euentum exspectare iussit, sed hic in lecto & sex reges familiares mane inuenti sunt occisi. Effugerit ne latro, nihil certi habeo. Rex irascitur, ciues se excusant, rogantque ne tantum scelus ipsis imputetur. Rex persuasus, a monachis hæc orta esse propter monasterium S. Emerani ante direptum, iam totum euertit; inuenitq; illic altare aureum pondo 67 marcarum puri puti auri, quod Henrici IIII temporibus conflatum erat. Guilielmus electus rex hoc audiens, contractis copiis celerrime occursurus Conrado, Ratisponam properat: sed Conradus apparatum & aduentum eius audiens, reducit copias suas in Apuliam, mox hostiliter aggreditur patrimonium B. Petri, agros & vrbes vastans, incidit in lethalem morbum, & Conradinum filium hæredem instituit testamento, deditq; illi tutores Germanos, quibus commisit regnum & filium regem, mortuus est in Apulia, sepultusq; in Fungia ciuitate. Circa hæc tempora rex Guilielmus cõuentum Coloniæ celebrauit, in quo præter alia tractauit de profectione sua Romam, ad accipiẽdam imperialem coronam. Porro dum Coloniæ Principes in comitiis occupantur, Frisones Holandiam depopulantur. Quibus Guilielmus occurrit, & dum per paludinosa loca cum paucis situm locorum (exercitu per aliam viam misso) & hostium castra speculari conatur, in palude impeditus, ab hostibus qui in proximis arbustis latebant, occiditur cum comitibus. anno Domini 1256, regni anno 7. Exercitus eius aliquot diebus expectauit regem, cumq; non veniret, suspicabantur alij id quod res erat, in hostes incidisse, alij dicebant desperatis rebus se subduxisse, aliis aliud in mentem venit. Itaq; exercitus dilapsus est, quidam salui domum redierunt, quidam viarum ignari in hostium manus inciderunt. Postea corpus eius exhumatum, Miltenburgum translatum est, & in monasterio illic sepultum est. Huius postea Guilielmi filius Holandiæ comes vltus est paternam mortem, multis annis in eorum agris omnia quotannis semel atq; iterum vastauit, multos Frisonum occidens & capiens. Cæso hoc Guilielmo, Pontifex mittit ad Germaniæ electores, vt alium eligant. Conueniunt ergo Francofurdiæ Principes, sed in eligendo Imperatore discordant, quidam enim Alphonsum regem Castellæ, quidam Ricardum Cornubiæ comitem volebãt Imperatorem. Nam electores Principes muneribus corrupti erant ab illis duobus. Archiepiscopus Colonienſis, Treuerensis, Palatinus Rheni, suffragia sua vendiderant Ricardo, qui Basileæ erat dum Principes Francofurdiæ in eligendo occupabantur. Alij electores reliqui Alphonsum eligebant, muneribus ab eo acceptis, vt scribitur, neque enim aliæ causæ videbantur. Ex illa dissensione infinita emanarunt miseris mortalibus mala, durauit interregnum diu, si recte confero tempora, fere sedecim annos. Tandem crescentibus indies malis & discordia, ecclesiam & omnes Respublic. perdentem Pontifex Apostolico mandato præce- 1256

pit electoribus sub pœna excommunicationis, vt eligerent Imperatorem, idque citò. Quare Principes cum neutri alteris vellent cedere, conuenerunt, in tertio, ambobus Alphonso & Ricardo repudiatis, elegerunt Rudolphum comitem de Habspurg. His temporibus arma vbique, leges fere nusquam dominabantur, quisque occupat quantum potuit per vim. Othocarus rex Boemiæ in Germaniam duxit copias, occupaturus Austriam, arrogabat enim sibi eius ducatus titulum nomine vxoris quæ erat Austriaca. Fridericus enim dux Austriæ sine hærede legitimo, regníue capace secessérat occisus a rege Vngarorum. Plures eo tempore contendebant iure sibi deberi Austriam, sed fortior non qui iustiorem habuit causam aliquandiu possedit. Totam igitur Austriam sibi subiecit Othocarus rex. Ducatum autem vxoris nomine possidens, repudiauit vxorem Austriacam, & aliam duxit, neptem regis Vngarorum. Hoc tempore ducis Bauariæ, qui nimium inebriatus quadam nocte vino extinxit animam, Othonis filius Ludouicus dux Bauariæ vxorem suam, nobilitate & forma eximiam mulierem adulterij crimine, sed falso, vt creditur, infamatam interfecit. Fuerunt his temporibus in ecclesia Romana schismata: quidam enim disputabant de ocio sacerdotum, multitudine sacerdotiorum, paupertate monachorum, & hoc genus multa in controuersiam vocabantur. Hoc tempore Conradinus filius Conradi copias in Germania conscribit imperium sibi vẽdicaturus, cui Pontifex resistit. Sic enim in quadam scribit epistola Pontifex, Nos volentes Conradini ambitum refrænare omnibus & singulis Principibus Alamaniæ vocem in electione Romani Imperatoris habentibus prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ac interdicti, ne eum eligant in Romanum regem, attento etiam quod non licet eligere quenquam pendenti electione duorum coram Romano Pontifice, quæ fuerat facta de rege Castellæ & Richardo Cornubiæ comite. Vbi hæc significata sunt Conradino, mirum in modum est cõmotus rei indignitate & iniquitate: scribitq; epistolam plenam querelis de Pontificum Romanorum iniuriis sibi illatis. Conradus enim pater eius rex Siciliæ, testamento filium Conradinum hæredem instituerat. Papa igitur Innocentius asserens se pueri Conradini baiulum; totumq; regnum occupauit sub illo prætextu, tutoribus a patre relictis reclamantibus. Vbique Pontifex consecutus est possessionem Conradini, tribuit eam suis nepotibus, consanguineis & familiaribus. Mortuo Innocentio, Alexander eisdem dolis & artibus contra adolescentem egit. Neque iustius Vrbanum postea secum egisse conqueritur. Vrbano autem defuncto vita, inclementissime Clementem se supprimere totum conatum, alium regem enim fecerat Clemens. Huiusmodi plurima Principibus Germaniæ de Pontificibus scribit, grauius vero accusans eum, qui tum viuebat, Clementem, & non parum quosdam Germanorum Principes commouit. Nam quæ dicebat erant eiusmodi quæ negari non poterant. Quare Conradinus cõiunxit sibi quoscunque potuit socios, nimium quibuslibet fidens. Cum igitur maxime opus fuisset eorum auxilio, defecerunt ab eo, ceu mali fontes qui non habent aquam cum maxime opus est in æstatis siccitate. Fretus tamen Germanorum militum virtute satis tolerabili fortuna vsus est aliquandiu aduersus hostes suos per Italiam; multas enim vrbes in potestatem redegit per vim. Insigni memorabiliq; prælio apud Aretium hostes vicit. Post quod prælium si vsus fuisset victoria prudenter, subiugasset totam Italiam. Iam enim mittebantur ab omnibus partibus Italiæ ad eum nuncij. Sed relictis omnibus Romam festinabat, cum vrbi appropinquasset, venerunt illi obuij senatus populusq; Romanus, & eum exceptum maximis honoribus Imperatorem salutant, & longo comitatu in Capitolium ducũt. Quomodo deinde rursum e Roma discesserit, & per varios casus iactatus fuerit, finemq; vitæ qualem habuerit, petere licebit ex aliis. Nos in viam redeamus. Diximus quomodo diu durante interregno, discordantibus Principibus electoribus, vt scribitur propter largitiones quas dabant qui ambiebant imperium, tandem vero electus sit Rudolphus de Habspurg in regem Romanorum, illis qui affectabant imperium reclamantibus, & minantibus eam electionem non ratam futuram. Ex quibus erat rex Boemiæ, qui in certam spem ductus erat se fore Imperatorem. Sed Principes nihil morati minas eorum, vocarunt Francofurdiam electum Rudolphum comitem de Habspurg, virum armis & animi bonitate nobilem. Vbi venit Francofurdiam cum sua vxore Anna, Principes eum comitati sunt Aquisgranum, vbi præsentibus

bus Principibus plurimis corona imperialis imponitur ipſi Rudolpho & Annæ vxori eius, filiæ comitis de Heigerlach. Antequam Aquiſgrano diſcederet, de pace Germaniæ & vniuerſæ eccleſiæ multa ſunt tractata: erant enim infinitæ diſſidiorum cauſæ, quas omnes ſummopere cupiebant Principes ſublatas. Eo tempore erat Lugduni ſynodus, in qua Pontifex Gregorius Papa electionem Rudolphi cõfirmauit, ea lege, vt veniret Romam ſequenti anno ad coronam vnctionemq; accipiẽdam. Quanquam hic diuerſa ſcribant autores, vt difficile ſit iudicare quem ex eis potiſſimum ſequamur. Primum omnium conſulere patriæ cupiens Rudolphus, poſt electionem & acceptam Aquiſgrani coronam, Norinbergam conuocauit omnes Germaniæ Principes & magiſtratus. In frequenti igitur Principum conſeſſu, Rudolphus teſtatus eſt animi ſui propenſam voluntatem ad euehendam Germaniam, imperium, & in primis eccleſiæ pacem. Quare laudem præmiaq; a ſe & ab omnipotente Deo accepturos omnes pollicetur quicunque diligenti ſtudio conatibus eius affuturi ſint. iubetque eccleſiaſticos præcipue, omnes magiſtratus cum ſuis ſubditis orare Deum omnium bonorum largitorem, vt fortunet & per rectas ſemitas dirigat vias ſuas. Othocarus rex Boemiæ, qui magno ſtudio, vt diximus, affectabat imperium, & dux Bauariæ Henricus non venerunt Norinbergam ad comitia. Non diu poſt conuentum illum Norinbergenſem, alium indixit Auguſtæ futurum. Auguſtam igitur Principes ad conſtitutum diem conueniunt, citant ducem Bauariæ, & regem Boemiæ ad cauſam dicendam, & rationem ſuæ inobedientiæ reddendam. Quod attinet ad Henricum ducem Saxoniæ, ſatis dignum Principe reſponſum dedit, illaq; inobedientia illi cõdonata eſt. Rex Boemiæ ſuos quoque miſit legatos & inter eos epiſcopum Secouienſem virum magnum animi fortitudine & facundia. Cumq; iuberet Imperator reddere legatos Boemos rationem rebellionis regis Othocari, principio epiſcopus, in denſa Principum corona, petit veniam dicendi & proponendi mandata regis ſui. Deinde exordiri incipit, ſuas inquiens dicendi facultates tenues eſſe, rem vero, quam ſuſceperit tractandam, maximam. quare omnem ſpem ſibi poſitam in ſapientia Principum, qui melius omnia intelligant, quam ipſe explicare poſſit. Se non ignorare quibuſdam incredibilia primo videri quæ dicturus ſit: ſed ſi ad finem vſque patientes aures præbuerint, clariſſime viſuros rem vt habeat. In hunc modum exorſus, proponit, electionem Rudolphi nihil valere. Hoc probat epiſcopus argumentis multis, ſed inualidis: concluditque, Cum ergo electio non valeat, illi non eſſe obediendum. Sophiſtam tradunt hunc epiſcopum fuiſſe, nam per totam orationem multa artificioſe collegit, vſusque paſſim dialecticis vocibus eſt. In fine vero orationis latine multa ad legatos apoſtolicos aliosque eccleſiaſticos prælatos dixiſſe ſcribitur. Rudolphus vero Imperator inquit ad illum, Epiſcope, nolo de me dicatis ſermone Latino, vt reſpondere ex aduerſo non poſſim, ſi habetis cauſam aduerſus clericos, vtamini Latino ſermone coram epiſcopo; Contra me vero vel alium quempiam noſtri ordinis proponatis more ſolito. nec Pontificem maximum fucata veſtra oratione in me concitetis. Iuſſitque aut Germanice loqui, aut tacere. Principes vero audiẽtes legatum Boemiæ regis Rudolphi electionem irritam dicere, in dubium vocare, ira exarſerunt, iuſſeruntq; e conſpectu ire hominem. Quare non ſine periculo epiſcopus ſe ſubduxit, quanquam ſaluum conductum habuerit a Rudolpho Imperatore. Rediit ergo epiſcopus ad regem ſuum, expoſuitq; illi indignationem Principum Germanorum, prædixitque illi cauendum eſſe, nam Principes impunem, ſi poſſint, non laturos illam rebellionem. Rex omnem admonitionem contemnens, maledictis abſentem proſcindit Rudolphum & reliquos imperij Principes. Rudolphus ſtatim finitis Auguſtanis illis comitiis, ex decreto Principum mittit ad regem Boemiæ legatum Henricum, Burggrauium Norinbergenſem, datque illi in mandatis, vt illi nunciet; Conſenſu omnium imperij Principum Imperatorem Rudolphum in conuentu Auguſtæ celebrato ſtatuiſſe, vt ſine omni tergiuerſatione & mora ducatum Auſtriæ & Stiriæ ducatum, item Carinthiam & Carniolam, & alia ad imperij ius pertinentia, Imperatori reſtituat. Burggrauius cum his mandatis profectus in Boemiã, regi Othocaro omnia exponit aperte, nihil diſſimulans. Othocarus deſpicit hæc Principum decreta, & reſpondet legato, Se nihil morari quid hic Rudolphus ſtatuat, Imperatorem enim non eſſe. additque eadem fere argumenta quæ eius legatus epiſcopus in conſeſſu Prin-

cipum imperij Augustę dixerat. Concludit tandem Othocarus, vt referat domino suo, se nunquam obediturum ei, si cupiat, posse belli fortunam experiri, se quidem malle in pace manere. Vbi hæc Rudolpho significata sunt, grauiter tulit, nec moratus fuisset, quin statim illi mouisset bellum: sed fuerunt quædam alia prius propter Germaniam pacandam efficienda. Marchio enim de Baden & comes Palatinus Ludouicus rebellabant Rudolpho, ex vsu enim eis fuisset, nullum Imperatorem haberi: nam tenebant multa per Sueuiam, Alsatiam & vtrasque ripas Rheni, & Franciam Orientalem, quæ ad imperium pertinebant, quæ occupabant nimirum dum interregnum durauit & temporibus quibus Imperatores a Pontificibus ita, vt diximus, vexati & depositi sunt. Hos igitur primum subiugauit Imperator, & coegit omnia quæ malo titulo possidebant, reddere imperio, ad pristinam iurisdictionem omnia reuocauit. Itaque per Germaniam rebus bene ordinatis, adiecit animum ad debellandum Othocarum regem, qui præter multa alia quibus belli causas præbuit, ducatus Austriæ, Carinthiæ, Stiriæ, principatum Carniolæ, portus Naonis fere triginta annos contra ius & æquum possederat, quique erat rebellis iudicatus, qui etiam quosdam nuncios ad se propter Rempublicam missos suspenderat contra ius gentium. quique conuitiis in Rudolphum iactis prouocarat ad arma. Quare per Germaniam exercitu coacto, primum ducit in Bauariam aduersus Othocaro adhærentem Henricum, qui, etsi ante aduentum Rudolphi missa illi fuerint præsidia Boemica, tamen a Rudolpho facile superatus est, Boemis partim captis, partim occisis, partim in Boemiam repulsis. Subiugato Henrico, Austriam inuadit Rudolphus, sed Austriaci (quanquam iuramentum præstitissent Othocaro, & illi obsides dedissent, Othocarusque missis auxiliaribus copiis cohortatus eos fuisset, vt permanerent in fide) excipiunt Rudolphum ceu dominum suum cum magna gratulatione & veneratione. Viennæ autem erant numerosa Boemorum præsidia, quare etsi ciues cupiebant Rudolphum, tamen non poterant intromittere, præualebat enim Boemus miles in vrbe. Igitur Rudolphus Viennam obsidione conatur cogere ad deditionem. eratque illi spes breui capiendæ vrbis: sciebat enim oppidanorum mentes. Multi enim confugerant ex vrbe ad eum, quos maluisset in vrbe habere, intra mœnia enim maiori vsui illi fuissent. Othocarus interea cum infinitæ multitudinis exercitu ex Boemia appropinquat Austriæ. Rex vero Vngariæ, cui eodem tempore erat bellum cum Othocaro rege, coniungit se cum copiis suis Rudolpho. Erant magnæ ab vtraque parte copiæ, quotidieque expectabatur pugnæ hora. Quidam vero spirituales in quibusdam monasteriis sancti & Deo deuoti viri accesserunt primum Rudolphum, rogaruntq; vt potius aliquid de suo iure concederet, quam tantum sanguinis humani effunderet, caritatis, amoris, pacisque autorem Dominum Deum prædicabant illi, quid nobis donarit hostibus suis, quo modo nos patienter ferat, quid requirat a nobis: quam pretiosa sit vita hominis, demonstrarunt, ita vt Rudolphus testatus sit, non velle congredi etiamsi sciret certam & glorioſam victoriam apud homines sibi futuram. Ij postea monachi accesserunt Othocarum, eumque eadem oratione demulcent, & mentis oculos illi aperiunt. Horum igitur sancta opera factum est, vt mediatoribus arbitris quibusdam conuenerint, Rudolphus & Othocarus. Tales autem fuerunt pacis conditiones; vt Boemia & Morauia rex Othocarus contentus esset, principatus vero alios, nempe Austriam, Carinthiam, Stiriam, Carniolam, portumque Naonis redderet iis quibus essent iustiores tituli. Othocarus quoque regnum suum Boemiæ & Morauiæ ex manibus Cæsaris Rudolphi ceu feudum cum iuramento flexis genibus accipere est coactus. Sunt quoque eodem tempore eademque fere opera reconciliati reges Vngariæ & Boemiæ, conditionibus æquis: reddidit enim alter alteri captiuos, vrbes, castraque sua, fœdereq; coiere ad multos annos. Viennam igitur post fœdus factum, Rudolphus ingreditur, & quod Fridericus olim de ea vrbe constituerat, quod supra diximus, id confirmat vt ratum perpetuo maneat. Othocarus rex habebat superbia & loquacitate, hoc est pessimis moribus, perditissimam vxorem, assidue regem maritum corripit, & contemnit opprobrans illi odiose, quod tantas prouincias principatusve hosti dederit, fortuna non omnino tentata, omni belli apparatu instructissimus, meticulosum eum vocans, non virum, iubet ipsum in gynæceo muliebres functiones obire, sibi dare arma, repetituram, quod ille præ

igna-

ignauo timore hosti concesserat. Hęc & hoc genus alia quotidie in aures inque faciem præsentibus familiaribus nobilibus contumelioſe prædicabat fastu turgida mulier. Maritus stultitia improbaque loquacitate vxoris tandem victus, non cogitat periculum, immemor iuramenti fœderisque, conuocatis qui illi erant a consiliis, proponit illis, se pœnitere quod tam inhonestas admiserit conditiones pacis, præstare mori, quam ita vitam in dedecore conseruare. Præterea in memoriam reuocat Germanos a Boemis aliquando victos, sibi omina auguria & omina polliceri succesſum: quare bellum renouandum sibi videri. Consiliarij vel potius adulatores omnes, voluntatem, non vtilitatem regis respicientes in consultationibus omnibus, probant recuperatos spiritus regios, & sibi dolere pacem, inquiunt, tam iniquam, minus iuris esse Rudolpho in principatus illos Carinthiæ, Austriæ, &c. quam regi Boemorum, asserunt. Hoc omnes maiore studio dicebant, quia reginæ sententiam & animum non ignorabant, quam magis dominam non solum aulæ, sed totius regni experti erant. Quare qui locum habere volebat in ea aula, obseruabat necessario reginam dominam regis. Decernitur igitur bellum, omnia necessaria parantur. Idcirco rex Boemicis copiis coactis mira velocitate passim per prędictos ducatus munitiora loca occupauit multa. Rudolphus animaduertens hominis conatus insanos (qui ex stultis mulieris consiliis proueniebant) parat copias, cum sociis & principibus agit de bello, regem Vngariæ, quo satis testaretur animum suum erga eum, iuuenem in filium adoptat. Eo anno Iuliacensis dux parans se ad expeditionem Boemicam, Aquisgrani exactionem a Rudolpho Imperatore impositam in vsum belli exigens a ciuibus ante ecclesiam cum filiis duobus & ducentis militibus comitantibus eum, trucidatur. Imperator ergo id facinus inultum in præsentiarum relinquens, occurrit cum copiis Othocaro obuiam, misere affligenti Austriacos, quod tam faciles fuerant ad excipiendum Rudolphum, & Othocarum deserendum. Conueniunt ergo in campo, qui vocatur Germanice *Niderſprung*, instructis aciebus concurrunt, fit acerrima pugna; ad postremum victi Boemi fugantur, magna vtrinque multitudine militum desiderata. Rex quoque Othocarus occubuit, qui post prælium exutus omnibus vestimentis est repertus, vectusque Viennam, apud fratres Franciscanos sepultus est. Hic fuit finis consiliorum mulieris, quæ videbatur sibi sapientior marito. Nam rex, vt diximus, improbis conuitiis vxoris loquacis & tumidę ad rebellandum contraque fidem faciendum impulsus fuit. Othocaro fuit filius nomine Wenzeslaus, qui patri in Boemiæ regno succesſit, desponsatáque est illi filia Rudolphi nomine Iutha. Post victum & occisum prælio Othocarum, traditus est filius eius gener Rudolphi Brandenburgensi Marchioni, apud quem bonis præceptis & moribus imbueretur. Nam regnum Boemicum cum filia illi tradidit Imperator. Post bellum cum Othocaro confectum, conuocauit Francofurdiam Principes imperij, ibi actum est de prædonum arcibus subuertendis, quas multas statim post comitia funditus sustulit Imperator. Eo anno Heduorum Princeps, quem vocant Admiraldum, rebellare conatus est Imperatori: quare coacta manu pro hostis robore in Burgundiam proficiscitur, & Admiraldum pugna victum cogit supplici-ter orare gratiam. Subiugatis Heduis & duce eorum, ducit copias in Alsatiam, nam & illic conspirarant quidam seditiosi. Qui vbi de aduentu Rudolphi certiores sunt facti, ipsi inter se intestino dissidio confecerunt. Imperator in ordinem & obedientiam illic omnia restituens, multos rebellionis conspirationisve autores capitali supplicio affecit. Eodem ferme tempore filius Rudolphi regis, Hartmannus, cum quibusdam suis familiaribus in Rheno flumine submersus periit, & delatus Basileam illic in cathedrali ecclesia sepultus est. Anno post proximo Rudolphus Imperator comitia celebrauit Francofurdiæ, in quibus multa de Germaniæ tranquillo statu constituendo sunt constituta. Eodem anno, annuente atque adeo iubente Imperatore, arces *Richenſtain* & *Schoneck* destructæ sunt, prædonesque qui ea latibula inhabitabant, deprehensi supplicio sunt affecti. His temporibus per Italiam Principes seculares, cum Pontifice Romano de multis contendebant. Pontifex vsus autoritate Rudolphi absentis effecit quicquid cupiebat. Erat enim singulare Rudolpho studium retinere Pontificis amicitiam. Pontifex præter reliqua consecutus est a Rudolpho, vt Romaniolam & exarchatum Rauennatem Pontifici restituerit. Pontifex multis benedictioni-

bus & indulgentiis animum Rudolphi sibi deuicit. Quæ alij dicunt Rudolpho preciosa existimata, alij dicunt simulasse sibi grata fuisse. 1281 Anno Domini 1281, Rudolphi vxor Anna in vrbe Vienna mortua est. Post huius mortem anno tertio duxit aliam vxorem, filiam ducis Burgundionum. Hoc tempore non vno loco per Germaniam terræmotus fuerunt, & venti maximi qui multa deiecerunt ædificia, partusque prodigiosos pepererũt mulieres & aliorum animalium fœminæ. Hoc etiam tempore Rudolphus misit in Italiam nomine suo vicarium qui Romæ & alibi per Italiam res ordinaret, & rebelles ad obedientiam cogeret: misit autem eum cum equitatu & peditatu Germanorum sufficientibus sustinere quantumuis magnas copias. Hi vbi in Latium peruenerunt, a plerisque ciuitatibus tanquam Imperator adesset, sunt excepti & honoribus affecti. Quasdam vero armorũ vi subiugarunt. Ex quibus Florentini erant, quos virtute militum breui domuit. Paceque per Italiam facta, vt rerum status permittebat, 1282 reuersus est vicarius cum copiis in Germaniam. Anno Domini 1282, comitia Augustæ celebrauit. Rudolphus cõuocatis omnibus Principibus imperij, præter alia quæ in illis comitiis constituit, Albertum filium suum ducem Austriæ fecit, omnibus principibus consentientibus. Paucis post mensibus eidem filio dedit ducatus Stiriæ, Carinthiæ, Naonis portus, & Carniolæ. Circa eadem tempora, cum per Germaniam in saxis laterent, multi prædones reliqui, quanquam ante multas eorum domos demolitus fuerat, Erdfurdiam conuocauit Principes, ibique communicato cum proceribus consilio, statuit omnes suspectas arces deiicere. Quare sine mora post conuentum solutum, octoginta fere arces diruit, prædonibus qui ad nobilem quampiam familiam referebant genus suum, decollatis, aliis eorum scilicet famulis laqueo suspensis. Sub idem tempus Honorius, quartus eius nominis, Papa fecit comitem Ianuensem, nomine Pinziuallam de Fliſco, vicarium generalem imperij, misitque eum in Germaniam ad Rudolphum Imperatorem cum mandatis, vt Rudolphus hunc vicarium confirmaret. Quod fecit in gratiam Pontificis Imperator, quanquam inuitus, male enim habebat eum quod Pontifex hoc ius in imperio sibi arrogabat, alium enim vicarium Rudolphus maluisset. Hic igitur imperij vicarius Pinziualla vbi in Italiam rediit, ingressus Tusciam vocauit ad se Senenses, Florentinos, Lucanos, Pistorienses, & alios aliarum ciuitatum populos, postulatq; ab eis iuramentum nomine Imperatoris. Ciuitates vna congregatæ deliberant quid facere velint; respondent igitur vicario, se nullo iure posse ad id iuramentum cogi, quare non iuraturos. Conspiraruntq; ciuitates cõmunem fortunam laturas se quicquid accideret. Vicarius ira commotus, non habens vero copias, quibus vi posset exigere quod postulabat, condemnauit propter inobedientiam singulas ciuitates certo pondere argenti, ciuitatum quarundam ciues in exilium mittendos statuit, omnes eorum facultates sibi nomine Imperatoris adiudicauit: verum nemo mulctam impositam numerabat, nemo in exilium missus ibat. Vbi tandem vidit se omnino cõtemni, inglorius in Germaniam venit ad Rudolphum, petitq; brachium imperiale, hoc est copias militum Germanorum vltionis cupidissimus: neque enim dici potest quam moleste contemptum ferant huiusmodi ingenia, quæ putant se in primo loco omnium rerum, cum non sint. Nec enim dubito hunc vicarium elatiore animo confirmatum vicarium in Italiam reuersum, quam Cęsar vllus vnquã fuerit. Nam primo statim aduentu imperiose omnia agebat. Rudolphus nõ grauiter tulit qui hunc vicarium suũ quem Pontifex Romanus constituerat, non audiebãt Italiæ ciuitates. Sperauit autem se ansam nactum adipiscendæ pecuniæ. Misit ergo Cancellariũ suum prudentẽ iuxta ac eloquentem virũ in Italiam, qui primum Hetruriæ populo diceret, se a pacis amante Principe Rudolpho missum, vt ea quæ pacis essent, ageret cũ ipsis; quod si recusarent, vellentq; potius vastationes hostiles, quam tranquilla lætaque omnia, vt quam primũ in Germaniam rediret. Exposuit igitur ciuitatibus rebellibus quã Imperatori hic contemptus nullo modo ferendus sit. Admonet exemplo aliarum ciuitatum quæ rebellarunt, quam stulte fecerunt, quanta sibi accersiuerint mala. Quare hortatur eos ad obediendum & faciendum libenter quod coactæ facturæ sint aliquando. paulatimque deducit orationem eo, quo ibat, nempe vt libertatem peterent ciuitates, effecit oratione sua callidissimus orator. Ciuitates igitur petũt vltro, quod Rudolphus hac legatione volebat, nempe vt pro libertate numerarent pecuniam. Pro libertate igitur

sua

ſua dederunt Florentini ſex millia nummum auri. Lucenſes duplo plus ſoluerunt. Aliæq; numerarunt pro facultatum ratione ſingulæ. Creauere ergo iſtæ ciuitates ab imperio liberæ magiſtratus ad conſuetudinem maiorum ſuorum. Verum non diu poſt, vbi viderunt Pontifices maiora poſſe ferre onera, imperij oneribus exoneratis, impoſuerunt cuilibet ciuitatum in Hetruria pro virium opúmve modulo. Quare Pontificibus, non ſibi, ſeipſas redemerunt. Graues igitur ære mulos agit ſecum ex Italia legatus Rudolphi. Quod Rudolpho fuit admodum gratum: nam pecuniæ ferunt ſtudioſiorem fuiſſe. Honorius Papa laborauit his temporibus magna diligentia apud omnes Principes, vt pararent expeditionem in Turcas. Eius rei gratia miſit legatos ſuos in Angliam, in Gallias, & alias nationes. In Germaniam miſit Cardinalem Tuſculanum, qui Herbipolin conuocauit ad ſynodum omnes magiſtratus eccleſiaſticos & ſeculares. Aderat quoque Imperator Rudolphus. Legatus apoſtolicus in eo concilio petiit quartam partem omnium prouentuum eccleſiaſticorum per quatuor annos. Non admodum iniquo ferebant animo ſeculares, quoniam ab eccleſiaſticis ſolum exigebat pecuniam pontificius legatus. Facile vero dici non poteſt quam moleſte tulerint eccleſiarum Pontifices exactiones illas, eoque magis quod melius ſciebant, quam ſeculares, in quam nefandum vſum ſolerent collationes illæ conferri Romæ, tamen epiſcopi, abbates, & alij prælati metuentes tacebant, excepto vno epiſcopo Tulenſi Franciſcani ordinis, qui in cathedrali eccleſia Herbipoli præſentibus omnibus ſecularibus & eccleſiaſticis longam orationem habuit, de iure humano & diuino, de officiis eccleſiaſticis, de bonis eccleſiarum, de vſu illorum bonorum. Effecitque ea oratione, vt eccleſiaſtici prælati omnes vno conſenſu negarint daturos, patrocinatique illis ſunt plerique ſecularium Principum, tantum didicerant ex vna concione Probi, nam hoc nomen erat epiſcopo Tulenſi. Cardinalis minatus eſt epiſcopo Tulenſi, non impunitam futuram eius temerariam linguam. Iubebant Germaniæ Principes Probum bono eſſe animo, neque enim ſe paſſuros vt quiſquam propter hanc rem vel digito vno attingat. Sed neſcio quibus Pontificis artibus factum ſit, vt hic Probus paulo poſt ab epiſcopatu deturbatus retruſus ſit ad fratres ſuos mendicantes. Poſtea cum Pontificij voluerunt pecuniam extorquere aliquo prætextu, quantumuis honeſti tituli, obſtruebant muneribus, ſacerdotioque aliquo, ora huiuſmodi virorum, quod aliquid autoritate aut linguæ viribus poterant. Hoc tempore Eberardus comes de Wirtenberg Rudolpho Imperatori rebellauit, admonitusque ſemel atque iterum, nihil mutauit. Quare Rudolphus ira commotus, coactis copiis hoſtiliter Eberardi comitatum aggreditur. Eberardus ſuis copiis decreuerat Imperatorem excipere, ſed vbi imparem ſe omnino numero intellexit, recepit ſe Stuckgardiam, illic expectaturus hoſtem. Rudolphus vrbem obſedit, variis machinis muros deiicit, oppugnat, ſed animoſiſſime comes Eberardus repellit hoſtem, frequentibus eruptionibus factis magnum numerum militum occidit. Verum Rudolphus opibus & copiis fretus, potuiſſet bellum producere diutius quã ferre quiuiſſet Eberardus: quod animaduertens archiepiſcopus Moguntinus, qui bene voluit Eberardo neſcio quibus nominibus, interponit ſe, primum accedit Imperatorem inquiens, Satis magnas pœnas dediſſe rebellionis Eberardum. Satis videre Eberardum ſe victum. Maiorem gloriam futuram Rudolphi, ſi ſuperet iram, & victo ignoſcat. Ita autem pollicetur futurum obſequentem Eberardum Imperatori, vt nemo non clare viſurus ſit, victum eſſe. Quod autem tam magno animo ſit Eberardus, vt flecti & humiliari non facile potuerit, nec ceſſerit mali primis aſſultibus, non propterea odium mereri, ſed magis ob virtutem amore dignum eſſe. Hoc genus argumentis victus eſt animus Imperatoris, & Eberardo plane placatus. Mediatore igitur archiepiſcopo fœderis conditionibus vtrique tolerabilibus conuenerunt, Rudolphus omnia Eberardo reſtituit, Comes Imperatori iuramentum fidelitatis præſtitit. Erat eodem tempore magna diſcordia inter comitem Wirtenbergenſem & ciues Eſlingenſes, quos Rudolphus reconciliauit. Anno proximo poſt hanc pacem iterum ſcribunt rebellaſſe Imperatori comitem Wirtenbergenſem: quantum vero ego intelligo priorem rebellionem fuiſſe opinor. Eberardus enim duos comites, ſcilicet Albertum de *Acheln*, & comitem de *Teck* armis inuaſit, propterea quod ciuitatibus Sueuiæ, quibus Eberardus per ea tempora hoſtis erat, auxilium fe-

rebant. Eberardus autem horum comitum agros, villas vastauit & incendit, subditos abduxit captiuos, quosdam occidit. Quibus rebus motus Rudolphus, ducit copias aduersus Eberardum, neque enim hoc ferre debuit. Erant enim ciuitates imperiales quibus indixerat bellum comes Wirtenbergensis. Vastauitque Imperator magnam partem comitatus Wirtenbergensis. Tandem tamen quorundam qui se interposuerunt opera, pax inter eos est facta, & sua sunt restituta partibus, scilicet Alberto comiti, & comiti de *Teck*, & Eberardo: nam illius quoque Imperator quædam occupauerat. Tertio rebellasse hunc Eberardum scribunt: Rudolphus enim munitum quendam locum in comitatu Wirtenbergensi, in quo comes plurimum collocauerat spei, demoliri præceperat. Quod Eberardus iniquissimo ferebat animo: neque enim vllam causam Imperator afferre poterat, quare faceret, quæ non hostilem animum erga comitem declararet. Intercesserunt quidam amici, qui composuerunt eos & impetrarunt vt permaneret integra munitio, erat autem cœmeterium. Nam tum in vicis & magnis pagis passim per Germaniam erant cœmeteria munita, in qua se inquilini recipiebant in hostilibus incursionibus, quæ tum frequentes erant. Habebant etiam villici sua fructuum repositoria singula singuli in illis cœmeteriis, vbi fruges erant tutæ ab hoste & igne: nam lapide fieri consueuerunt. Vt videmus vestigia adhuc in quibusdam Germaniæ pagis: quanquam vsus & consuetudo mutarit fere omnia. Porro etsi gratia Dei, nostro seculo propter hostium incursiones hæc ædificia necessaria nō fuerint hactenus: tamen propter fructuum frugumque custodiam operæpretium esset habere, vt magis negligentia credam abolita, quam iudicio. Videmus enim quotannis non vno loco per Germaniam in agris incendiis perire agricolarum labores, vel dona potius Dei, frumenti plena horrea. Singulari studio fuisse Rudolphum electum Imperatorem erga suos consanguineos; nam contulit in eos beneficia, comitatus, ducatus & omne genus dignitatum. Hoc tempore Burggrauius Norinburgensis moritur, nullo hærede legitimo relicto. Quare ius substituendi alium ad Imperatorem rediit. Burggrauiatum igitur sororis suę marito comiti de Zollem contulit. Ab illo comite legitimi hæredes manarunt vsq; ad Burggrauium Fridericum, qui in concilio Constantiensi Marchio Brandenburgensis est factus, a Cæsare Sigismūdo. Nec alius Burg-
1284 grauius postea substitutus est. Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, insignes doctrina & pietate viri in monasteriis adhuc per Germaniam passim inueniebantur, educaturque iuuentus ad pietatem & timorem Domini optime in scholis quæ erant monasteria. Doctrinæ & pietati erat honos & præmium apud potentatus, cauebaturq; diligenter ne ad ecclesiastica ministeria leues & improbi admitterentur homines. Hoc etiam tempore Alberto Magno, propter philosophiæ cognitionem non vulgarem, episcopatus Ratisponensis est datus. Hic Albertus Magnus, episcopus Ratisponensis, Coloniæ in frequentissima schola sacras literas & philosophiam est professus. Fuitque Thomas Aquinas Alberti Magni discipulus Coloniæ. Eisdem temporibus vixit Nicolaus de Lyra, Lutetiæque docuit sacras literas. Magna profecto ingenia, & exercitata, nec probo qui labores & industriam tantorum virorum ingrati omnino pedibus conculcanda iudicant, propterea quod verborum lenociniis fucata eorum scripta non sunt. Habent certe multa bona. Procedat in medium cui non obrepat somnus, & nos laudabimus eum solum inter mortales. Circa hæc tempora magnæ discordiarum causæ fuerunt inter episcopum Argentinensem, nomine Henricum de *Stahleck*, virum magis strenuum quam oporteat episcopum esse, & inter Argentinę vrbis ciues, quidam eos componere conati sunt diu frustra. Episcopus tandem cum omni clero vrbe exit, mandatque sub pœna amissionis sacerdotiorum & excommunicationis vt sequantur omnes, & ne quis Argentinensium pueros baptizet, aut alia sacramenta ministret. Super ea re scribit quoque Romam episcopus Argentinensis; & ciuitatis magistratus mittit etiam suos legatos, viros doctos quos semper ea ciuitas habuit & coluit, sicut adhuc hodie multos habet. Argentinenses inuenerunt sacerdotes qui, accepta pecunia, contra edictum episcopi, omnes ecclesiasticas functiones obierunt. Episcopus coactis copiis vrbem obsidet, omnia circa vrbem bona ciuium diripit. Ciues sæpe eruptionibus factis cum hostibus pugnarunt, aliasque propitium Martem habuerunt, alias vero inimicū. Vbi vero nihil potuit amplius in vrbem

inue-

inuehi, omniaque prætipiebat episcopus, ciues ira inflammati vno animo decreuerunt semel omnes erumpere in hostem, vt aut vincerent, quod sperabant, aut victi cederent episcopo, facerentque quæ postulabat. Quare cohortationibus mutuis fortiter animati cum præsidiis militum, quos non admodum multos secum habebant, ruunt, eruptione facta ab episcopo non prouisa in hostem, acerrima fit pugna. Episcopus ipse audacissime in loco periculoso pugnat, suos aperta voce cohortatur, vincentibus promittit aureos montes: sed post magnam stragem amplius suos continere non valens, vertentibus tergum omnibus, fugit & ipse, vixque fuga vitam seruauit. Desiderati sunt de copiis episcopi nobiles circiter septuaginta, ex quibus intelligi potest quantus numerus gregariorum militum occubuerit. Inter quos fuit vnus ex primæ nobilitatis de *Tierstain*, quæ arx miliari vno a Basilea vrbe distat. Item fuit quoque vnus de *Geroldseck*, frater episcopi. Quæ familia vetustissimæ & propter virtutem bellicam clarissimæ nobilitatis fuit, & adhuc durat, obtinetque antiquum ingenium & laudem. In hoc insigni prælio quod sempiternæ laudi Argentinensibus merito est (loquor enim ad animalis hominis sensum) septuaginta sex armati capti sunt, & in vrbem a ciuibus ducti. Post hanc cladem episcopus non submissior, sed iracundior appetentiorque vltionis factus est; quare longe hostiliore animo aggreditur Argentinenses, & longum esset enarrare damna quæ illis intulit. Vicissim ciues post victoriam audentiores, ab vrbe longius progrediuntur, & diripiunt quasdam ditiones episcopi. Magni nominis reges & duces conati sunt componere eos sæpe alias, sed præcipue post prælium, quod putabant episcopum descensurum ad tolerabiliores conditiones; sed intractabilior est post pugnam. Iratum igitur episcopum pertulerunt Argentinenses ciues, nec cesserunt illius furoribus, donec mortuo episcopo Henrico de *Geroldseck*, pax est composita inter clerum & vrbem. Nam ante episcopi mortem nullus fuit paci locus. Alius igitur constitutus episcopus cum clero in vrbem ingreditur, omnique studio operam dederunt & Argentinenses & episcopus, vt omnes odij reliquiæ, quæ solent durare diu post bella, tollerentur. Annis paucis post, totum Hierosolymitanum regnum amiserunt qui profitebantur religionem Christi. Sultanus enim rex Ægypti cum innumerabili multitudine venit tempore quo minime a nostris expectabatur, & quo minus instructi erant rebus ad bellum necessariis quam vnquam antea, sæpe enim Romam ad Imperatorem & Pontificem scripserant & petierant auxilium: sed non satis curæ erant longinqua nostris, alieniora nimirum existimantes quam re vera erant. Sultanus igitur victis Christianis in Syria, expugnauit vrbem Tyrum, direptamque incendit. Tripolim eximiæ magnitudinis vrbem funditus euertit, occisis omnis generis & ætatis inhabitatoribus Christiani nominis. Nobilesque vrbes Sidonem & Berytum, quæ Christianis in illis regionibus reliquæ erant, obsidione continua & diuturna fatigatas, tandem multitudine militum obrutas expugnauit, diripuit, & magnam earum partem exussit. Paruas præterea vrbes alias multas subegit, hominibusque quos non trucidauit, iumentorum loco vsus est. Pontifex Romanus ante & post has calamitates misit per totam Romanam ecclesiam legatos, qui Principes hortarentur, colligerent pecuniam ad expeditionem Hierosolymitanam: sed dum quisque priuata quærit, differtur negotium, pereunt tot homines, in contemptum veniunt Christiani Principes. Non possum loco hoc dissimulare, quod in hac re pessimum fuit, maximeque promouit rem Turcarum, nempe quod qui collegerant pecuniam per Gallias, Angliam, Hispaniam, Germaniam, totam breuiter Romanam ecclesiam sub prætextu belli in Saracenos, in nefandos vsus dilapidauerant; & quando optime agebatur, vix decima pars exponebatur in vsum in quem collatæ erant pecuniæ. Etiam Pontifices Romani hoc non semel questi sunt, nam fuerunt Pontifices qui ecclesiæ cupiebant consultum, & propterea hanc collectionem collegerunt per legatos, ex quibus inuenti sunt multi qui ventrem suum curauerunt, vermium escam, id bonis patribus multis omnibus retro seculis semper displicuit. Noua calamitas accidit in regno Hierosolymitano, nihil enim cum reliquum haberent Christiani, quam Ptolemaidem, de eius administratione orta est pernicioſissima contentio: eius enim dominium vendicabant sibi, Templarij, Hospitalarij, Teutonici ordinis fratres, patriarcha Hierosolymitanus, rex item Cypri, & Siciliæ rex. Pisani

quoque titulum, neſcio quo nomine, eius imperij ſibi arrogabant. Iis igitur propter reliquias regni, quod turpiter perdiderant, contendentibus, Sultani filius cum maximis copiis venit ad Ptolemaidem, omnemque eius viciniam deuaſtat, multos captos abducit, tandem propius accedit ad obſidendam vrbem. In qua rerum difficultate inceperunt iſtæ, de quibus dixi, contentiones de imperio Ptolemaidos quieſcere, iamque non de imperando cogitabant qui in vrbe erant, ſed de propugnanda & defendenda vrbe. Nemo volebat ſolus propugnare, vt ſolus regnaret. Concordes igitur facti ſunt, obſidente vrbem tam potente & numeroſo hoſte: erant enim ducenta millia armatorum, duce Sultani filio, in obſidione. Qui omnes acerrime impugnarunt dies noctesque mœnia vrbis. Vbi autem circiter tres menſes ſuſtinuerunt grauem obſidionem, eruptione in hoſtes facta, Chriſtiani occiderunt magnum hoſtium numerum, &, vnde poſſumus colligere quot occiderint, tria millia captorum in vrbem duxerunt, repuleruntque hoſtem ab vrbe plus quam mille paſſus. Poſt hunc ſucceſſum Satan rurſum occupat corda quorundam, incipit denuo lis de vrbis principatu oriri, inter eos quos ante dixi, & multo vehementior quam antea. Alij alios nitebantur eiicere ex vrbe. Quod vbi cognouit Sultani filius, qui deſperauerat de capienda vrbe, rurſum vocatur in ſpem. quare reuertitur, munit caſtra iuxta vrbis muros, iam ante pene deiectos, ſtatimque ſentiens non eam oppidanorum alacritatem in defendenda vrbe eſſe quæ fuerat prius, ſuſtinuerunt tamen per aliquot dies fortiter hoſtem (quiſque enim pro ſua ſalute pugnabat) ſed omnia frigidius agebantur, animis diſcordantibus. Quod vbi perſpicatiores rerumque æſtimatores peritiores animaduerterunt, ſubduxerunt ſe ex vrbe, quotidieque aucto deſertorum numero, ij qui remanſerunt, ad raritatem ſunt redacti, vt non amplius potuerint hoſtem repellere: quare ſecuti ſunt deſertores, & paulatim plures ſe ſubduxerunt, conſcenſis nauibus non bene inſtructis, & rectore perito carentibus, periere fere omnes naufragiis. Quare pauci manſerunt in vrbe qui nimirum naues non habebant, quibus fuga ſe ſeruarent; ij vero pauci hoſtis atrocitatem ſcientes, ſtatuerunt pugnando mori, ne viui in manus peruenirent crudeliſſimi & omnis humanitatis expertis hoſtis. Propterea irruunt in hoſtem, & maxima hoſtium cæde facta, cæduntur omnes ad vnum. Conuaſatis omnib. quæ transferri potuerunt, vrbem totam exuſſerunt, effoſſis etiam fundamentis, ne iterum facile ædificari poſſet.

1290 Hoc accediſſe memoriæ mandatum eſt anno 1290. Nihil amplius in illis regionibus tenebant Chriſtiani, quam inſulam Cyprum, & minorem Armeniam. His tot miſerandis Chriſtianorum cladibus auditis, Pontifex Romanus Nicolaus per eccleſiæ Romanæ omnes tertas miſit legatos, qui adhortarentur ad ſubueniendum fratrum calamitati. Indulgentias liberaliter promiſit aliquid in eam expeditionem conferentibus; vitam vero æternam certo promittebat omnibus qui cruce aſſumpta (nam cruce ſignari ſolebant milites) contra hoſtes illos fidei militatum irent. Nunquam plures fuiſſe inuentos præcedentibus annis in Germania, qui ſe armarint ad expeditionem illam, fertur; ſed cum omnes cuperent accinctique eſſent ad iter, nemo dabat obſonium ſeu viaticum: quare manendum fuit, voluiſſeque erat conſcientiis ſola-

1291 tium. Anno poſt natiuitatem Domini 1291, Rudolphus Imperator ægrotus portatur Spiram, comitantibus eum multis Principibus, vxore item ſua, & filia Boemiæ regina: ſed vbi Spiram peruenit vectione irritato morbo, paucis poſt horis moritur. Sepultusque eſt Spiræ in Eccleſia cathedrali magno honore & luctu. Hic caritate patriæ ductus, toto imperij tempore curauit Germaniæ res, Italiam ſæpe propoſuit accedere: ſed cum ſeditiones & factionum partes videret ſedari & componi nō poſſe ſine certo periculo, mutauit propoſitum, maxime cum cogitaret quid aliis Imperatoribus Germanis in Italia accidiſſet. Satis putauit ſi patriæ bene conſuleret, & ſuæ familiæ quam non mediocriter auxit: contulit enim in eam Auſtriæ ducatum principatuſque alios, de quibus ſupra ſatis eſt dictum. A prædonibus liberauit Germaniam, multis eorum arcibus demolitis. Viditque ante mortem Germaniæ ſtatum quietum & felicem, creſcentesque proſperrime vrbes. Illis temporibus caruit Romana eccleſia Papa duobus perpetuis annis, tanta erat quorundam in ordine cardinalium ambitio, & ita erant Romani in partes diuiſi; fuitque Italia per hæc tempora confuſiſſima bellis inteſtinis.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-
SECVNDVS.

POst mortem Rudolphi Principis, quem iure quidam patrem patriæ vocant, conuenerunt Principes electores, Francofurdię, concordiq́ue ſententia elegerunt Adolphum comitem de Naſſau, qui ſex annos regnauit magna laude: ita enim adminiſtrauit omnia, vt nuſquam notari potuerit ſua quærere, aut fauore ſuos euehere. Præfecit rebus adminiſtrandis quos dignos putauit, qui idoneis virtutis dotibus vtiles videbantur. Magnis laboribus & vitæ diſcrimine ſæpe dilatare imperium ſtuduit. Pecunia ſua coemiſſe ſcribitur ad imperium quaſdam vrbes. Columbariam Alſatiæ rebellantem obſeſſam, expugnauit, & imperio ſubiecit. Poſt electionem aliquot menſibus venit in Sueuiam ad vrbem imperialem Eſlingen, illucq́ue conuocauit omnes Sueuiæ ciuitates ac nobiles, cum illis certis conditionibus fœdus facit, ciuitatibus priuilegia conceſſit, quibus ſcilicet potentiores & ditiores redderentur. Omnes imperio eius ſubditi ſunt, præter comitem de Wirtenberg, qui cum eiuſdem ordinis eſſet, quo fuerat Imperator, contemnebat eum. fuerunt & aliæ odij cauſæ. Eo tempore rex Boemiæ Wenceſlaus & nobiles primatéſve regni Vngariæ, quod diu ſeditionum & bellorum tumultibus afflictatum erat, mittunt legatos regni proceres ad Othonem Bauariæ ducem, offeruntq́ue illi regnum, conditionibus certis præſcriptis. Otho ſtatim ſine cunctatione, ne aliquid inter os & offam incideret, comitatus equitatu bene inſtructo, proficiſcitur in Vngariam, excipiturq́ue magna quorundam gratulatione, ab epiſcopis Verſprimienſi & Canadienſi vngitur & coronatur: Budæq́ue regni negotia coronatus adminiſtrat, cauſas cognoſcit & iudicat. Sed non diu poſt a reliquiis factionum obſidetur, expugnatur, capitur, in vincula coniicitur, ex captiuitate opera quorundam elabitur, veniens ad ſuos in ducem recipitur. Hic Otho vltionis cupidus, quam primum in Germaniam venit, nihil non tentat quo poſſit in Vngariam redire, & pœnas ſumere de iis qui eum coniecerant in vincula. Pararatq́ue iam multa ad expeditionem neceſſaria, ſocios belli habebat, eratq́ue totus in cogendis copiis, ecce nunciatur illi, eiectos ex regno Vngariæ omnes qui eum ceperant (erat autem cum aliis quibuſdam Ladiſlaus Waiuoda) eſſeq́ue vno omnium Vngarorum conſenſu Carolum Siculum in regem electum, curante hoc per ſuos legatos Pontifice Romano. Quare Otho ſatis habens ſuos hoſtes eſſe vltos, quieuit. Anno Domini * Flandria, cum haberent ducem nomine Guidonem tota eſt vaſtata. Cui rex Angliæ Eduardus cupiens auxilium ferre, miſit nuncios ad Adolphum electum Romanorum Imperatorem, fœdereq́ue cum eo coit, miſitq́ue ſimul magnam vim pecuniæ in Germaniam rex Angliæ ad Adolphum, in ſtipendia Germanorum militum. Adolphus igitur mox coactis copiis mittit eas in Flandriam. Quæ temere ante aduentum regis Anglorum cum hoſte comite Artenſi qui magnum exercitum Gallorum ſimul etiam Germanorum militum ſecum habebat, congreſſi victi ſunt, & occiſi ſunt circiter tria millia in ea pugna. Comes Artenſis poſt prælium illud vrbes quaſdam & munitiones maritimas occupauit. Mox ab Adolpho Imperatore ſubmittuntur alij milites in locum eorum qui primo conflictu perierant. Venit quoque interea temporis Anglorum rex in Flandriam, coniunctisq́ue viribus Germani, Flandrenſes, & Angli, Brugas eiectis Gallis capiunt. Sed cum Anglus audiret regem Galliarum magno conatu & apparatu aduentare, Germanasq́ue copias propter paucitatem non magnopere firmas, Flandrenſium vero animos inutiles propter priores pugnas quibus aliquoties fugati fuerant, in Angliam cum copiis ſuis ſe recepit, deſertusq́ue relinquitur comes Flandriæ Pontifex Romanus his rebus cognitis, mittit Carolum regem Apuliæ in Gallias ad regem, vt pacem inter Gallum, & Anglum, ducemq́ue Flandriæ componeret. Carolus rex, Pontificis legatus magna reuerentia a Gallorum rege eſt exceptus. Inceptúmque eſt agi de pace; cumq́ue non ſtatim propter rei magnitudinem conuenire po-

terant, sunt inducię factæ ad biennium, ita tamen vt regis Galliarum essent Brugæ, & alia quædam occupata ex comitatu Flandriæ. Nam rex pro impensis multo plura postulabat. Eduardus rex Anglorum accepit in vxorem filiam regis Galliarum, nomine Isabelem, & his nuptiis est fœdus confirmatum. Albertus dux Austriæ Flandrensis belli tempore duxit copias aduersus Imperatorem. nam male habebat Albertū quod non ipse erat electus ad imperium. Dicebatur autem Albertus dux Austriæ adiutus pecunia a Gallo, quo bello Austriaco domi detentus non posset subuenire comiti Flandrensi. Nam nisi fuisset occupatus hoc bello Adolphus, sua ipsius persona in Flandriam cum potenti manu descendisset. Sic enim in animo habuerat, & regi Anglorum promiserat. Vterque igitur Adolphus & Albertus Germanicis copiis instructi multo cum sanguine bellum hoc gesserunt. Conuocatus est autem, duce Austriæ procurante, Moguntiæ conuentus Principum Germanorum, ibique communi sententia omnium fere ab imperio depositus est Adolphus, & in locum electus hostis eius Albertus dux Austriæ. Abrogationis causa fuit, quod a rege Angliæ acceperat centum millia marcarum argenti, vt auxilium ferret illi contra Gallos. Huius summæ partem debuisset in conscribendum exercitum impendere, partem inter Principes Germaniæ diuidere. Sed sibi fere totam seruauerat, nihil Principibus dederat, milites paucos sine stipendio miserat in Flandriam, spem magnam prædæ fecit militibus quam essent inuenturi in Flandria. Atque hac via destituit & prodidit, si quis recte existimet rem, regem Angliæ, & defraudauit Principes Germanos: quanquam illa pecunia vsus sit in Misnensi ducatu emendo, quem, vt sic dicam, incorporauit imperio. Quod illi excusationi apud quosdam est. Electo duce Austriæ Alberto, Adolphus abrogatus indignissime ferens repulsam, parat arma, nullis impensis parcens, statuit aut vlcisci, aut mori. Rex Angliæ iamdudum captans occasionem referendi talionem, iuuat pecunia Albertum contra Adolphum. Multi etiam alij iuuabant aperte Albertum. Conradus enim episcopus Argentinensis, Gerardus Moguntinensis. Albertus dux Austriæ, comes de Lynigen, comes de Zaibrucken, & alij multi erāt hostes Adolphi, & in mortem eius coniurarant. Cum igitur in castris essent ambo, quotidie propius accedebat alter ad alterum. Cumque ventum esset ambobus in latam planitiem, non procul a Wormatia, instructis aciebus congressi sunt numero valde impares, nam longe inferior erat militum multitudine Alberto Adolphus. Pertinacissimis animis pugnarunt ad octo fere horas. Tandem Adolpho cum toto fere exercitu occiso, reliqui pauci fuga salutem quærunt. Et hic scriptores variant, sed non admodum multum. Electus igitur Imperator, vt diximus, Albertus Austriæ dux ante occisum Adolphum denuo Francofurdiæ eligitur post obitum Adolphi, moxque post electionem descendit Aquisgranum, comitantibus enim multis Principibus, & vxore quoque sua, comite filia comitis de Tyrolis. Aquisgrani iuxta consuetudinem coronatus est cum vxore sua. Non diu post coronam acceptam, misit legatos Romam, vt peterent confirmationem a Bonifacio Pontifice. Sed negata est illi aliquoties confirmatio. Scribunt enim Papam respondisse, non dignum imperio qui occiderit Adolphum suum dominum, habentem coronam in capite ac spatham ad latus, clamantem, Ego sum Cæsar. Hic habitus & hæc vox debebat, inquit Bonifacius, deterrere Albertum, si homo fuisset. Diúque ergo cum Papa non vellet confirmare, ratámve habere electionem Alberti, muneribus tandem impetrauit fauorem pontificium, vt confirmarit illum. Nam ante impetrare voluit sine pecunia. Fuit enim prorsus ad rem adtentus hic Albertus, liberis volens amplum patrimonium relinquere. habuit autem numerosam prolem. Fuerunt illi filij sex: Rudolphus qui fuit Boemorum rex, Fridericus, Lupoldus, Henricus, Albertus, & Otho. Tres filias illi fuisse ferunt, quarum ætate prouectiorem matrimonio iunxit regi Vngariæ, erat autem illi nomen Hagnes. Elizabet nupsit Lotharingiæ duci. Minima natu desponsata est Marchioni Brandenburgensi Goldemaro. Studium igitur illi fuit, insanum pene dixerim, quam plurimum relinquere liberis.

1300 Anno post natiuitatem Domini 1300, Germani turmatim magna multitudine Romam petiuerunt, gratia visitandi sanctorum apostolorum limina, & consequendi indulgentias & benedictiones Pontificis Romani. Eo anno enim Bonifacius exemplo veteris Testamenti publicauit Iubileum, concessitq; pleniſſimam peccatorum omni-

omnium remissionem his qui limina apostolorum visitarent. Eum annum centesimo quoquo anno renouare præcepit. Quam ob rem ex omnibus nationibus, Romanæ ecclesiæ tanta hominum turba confluxit, vt Roma vrbs vix caperet eos. innumerabilisque illuc allata est pecunia. Iam erant finitæ induciæ inter comitem Flandriæ & regem Galliarum, quare rex contrahit copias, duce fratre suo germano mittit in Flandriam, hostiliter omnia in Flandria a Gallis diripiuntur, vastanturque omnia miseris modis, & capiuntur pleræque ciuitates maritimæ. Comes Flandrensis omnibus omnium præsidiis destitutus, recepit se cum suis in munitissimum principatus sui oppidum Gandauum. Mittit ad fratrem regis ducem exercitus, petit pacem. negotium venit ad colloquium, conuenerunt his conditionibus, vt regi certum numerum peditum & equitum mitteret quandocunque & contra quemcunque rex cuperet: numeraretque certam loco tributi pecuniam. vicissim rex restitueret comitem Flandriæ, omniaque redderet, exceptis quibusdam munitionibus, quas Gallus e sua manu dimittere noluit. Fœdere pacis ita facto, Gandauum, aperit comes Flandrię, regis Galliarum fratrem Carolum Valesianum (nam hoc nomen erat illi) ad se intromittit, amicum cum ipso habiturus colloquium: sed fœdifragus Valesianus intromissus, oppidum militibus diripiendum concedit, cum duobus filiis capit comitem Guidonem (sic enim vocabatur comes Flandriæ) & in Gallias ad regem mittit, occupatque totum comitatum Flandrensem. Constituto autem Flandriæ præfecto, nomine regis Galliarum, dimisso exercitu, reuertitur. Hic regis prefectus quotidianis exactionibus exhausit Flandriam; quare magna Flandriæ pars defecit a Gallis, ad Guilielmum quendam ex veteri familia comitum Flandrię, originem generis habentem, cui adolescens Guido comitis capti filius se adiungit, ij tumultuarie coactis copiis, Galliam Flandriæ vicinam vastant & diripiunt, multis prius per Flandriam occupatis, Gallis illinc eiectis. Quam ob rem sine mora rex Galliarum mittit in occursum comitem Artensem cum magnis copiis. Regius igitur exercitus castra muniuit apud oppidum Coltracum. Guilielmus & Guido intellexerunt se pugnam vitare omnino non posse, neque se quoquam in tuta loca cum exercitu suo recipere, viderunt simul suos milites, qui erant viginti millia, de fuga cogitare, cum hostium essent decem millia equitum, quinquaginta peditum, in his difficultatibus constitutis post longam consultationem visum est, suos in eum locum ducere, vt cogerentur ex desperatione pugnare, ducunt igitur quam primum suos in conspectum hostium in campum planissimum, inter Gallos & Flandrenses erant cæcæ fossæ, in quas rustici per elices aquam duxerant, vt per nimiam vliginem agrum serere possent, illas fossas sciebant Guido & Guilielmus transire non posse sine certo periculo tantum exercitum, præcipue tam grauem equitatum. Accedebat quod Gallis ignotæ istæ fossæ erant. Aciebus igitur vtrinque instructis, Guilielmus adhortatur suos ad virtutem, ostenditque quam nulla salus illis sit in fuga, cum a tergo hostis omnia teneat: nam de industria sic duxerant illos, & cum videant equitatum tam numerosum, qui facile fugientes consequetur. Quam ob rem aut moriendum omnibus aut vincendum, vincere autem facile dicit esse, nam Gallis esse quo fugiant paratum locum, neque illos pugnare pro focis & aris, item se compertum habere quosdam ex Gallorum militibus optare vincere Flandrenses, ne statim finiatur bellum, & alia quæ videbantur ad parandos animos valere, dixit. Iubetque simul pedetentim ire, videns hostilem equitatum fossis appropinquare, suos iubet præcedere paululum, vt Galli equites in eos impetum facere conentur, id ex animi sentētia Flandrensibus euenit: nam equitatus Gallicus totus quātus quantus erat impetu vno Flandrenses oppressurus, laxis equorum habenis, aduolat, perfringuntur a primis statim crates quibus fossæ tectæ superiecta terra erant, cadunt igitur equites cateruatim in fossas, quæ erant profundæ & amplissimæ, qui vltimi erant, casum videre non poterant, clamorem audientes putabant prælium commissum: quare alij alios tradunt in fossas, & cum ij qui in vltimis equitum turmis erant, respicere videbant eos qui fossas vitare volebant, cum conuitiis vi retrusserunt, donec perierit fere totus equitatus. Dum illi pugnant in hunc modum cum fossis, per aliam viam (nam erat eiusmodi, vt nullus transire posset) Guilielmus & Guido mittunt suum equitatum (erat autem circiter quatuor millia) qui reliquos qui non perierant in cæcis lacubus, exterritos fu-

gientes trucidauerunt, quoſdam ceperunt, ſecutusque eſt peditatus Flandrenſium equites, & cum equitibus ſuis adorti ſunt peditatum Gallicum, qui deſtituti omni ope equitatus ſui, putantesque virtute equitum Flandrenſium ſic oppreſſum & deletum, exanimati vertunt terga, & viginti millia perſequuntur quinquaginta millia hoſtium. In eo prælio plures ex Gallis cæſi ſunt, quam fuerint Flandrenſium. Poſt prælium extractum ex foſſis equitatum exuerunt, viuos homines inuentos, ſed nullum viuum equum ferunt. Guilielmus & Guido poſt tam omni memoria dignam victoriam, receperunt omnia in Flandria. Terruit hoc prælium regem, terruit totam Galliam. Flandria enim recepta, Guido & Guilielmus ceperunt expugnare vicinas Galliæ vrbes, & quæ videbantur prodeſſe ſibi, muniebant; quæ vero obeſſe, deſtruebant. Rex ergo Galliæ, reparat equitatum, & omnia ad bellum neceſſaria, maiore conatu quam antea. Carolum Valeſianum ſuum fratrem ſummum conſtituit exercitus Principem. Omnia affectibus dolore animi, & ira, pudoreque confuſus adminiſtrat, non ſatis expendit anni tempus, impenſas belli, hoſtis conſilia. Exercitum igitur ducit in Flandriam octoginta millium armatorum, & pro ſtipendio dat adulterinam monetam, quod milites ita alienauit ab eo, vt ſi cætera omnia illi fauiſſent, tamen nihil hoc milite effeciſſet laude dignum. Et quoniam Flandria tota eſt paludibus & vliginoſis agris plena, vt niſi exercitus eo veniat in æſtate, dum adhuc nubes pendent, nuſquam ire poteſt, minimeque equites. venit autem rex menſe Octobri geſturus bellum, cum diu in luto & paludibus hæſiſſet magnis ſumptibus, tandem, cum nihil prorſus recepiſſet, induciæ ſunt in annum factæ. His temporibus Bonifacius Papa multa contra Albertum excogitauit, quanquam eum confirmauerat. Nec enim vnquam fuit Pontifex hic æquus Alberto, propter occiſum dominum ſuum, nam putauit quiduis auſurum qui hoc auſus fuit. Regis igitur Gallorum germanum fratrem Valeſianum Romam vocat, eum Romanum Imperatorem facturus, reiecto Alberto. Qui vbi Romam venit, Pontifex concilio conuocato, exponit ſuum inſtitutum. Cardinales & epiſcopi aliquot melius ſcientes Germanorum ingenium, & ſtatum eius temporis in Alamania, quam Pontifex, diſſuadent, nullo modo fieri poſſe affirmantes, vt alius poſſit fieri Imperator, quam natus Germanus, illud ius bellicoſiſſimæ nationi extorqueri non poſſe. Quam ob rem Pontifex audiens Valeſianum Imperatorem fieri non poſſe, præfectum illum conſtituit ſuper patrimonium beati Petri. Habuit hic Carolus vxorem filiam Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani, qui ab imperio depulſus erat. rogat igitur Pontificem, vt Conſtantinopolitanum regnum ſocero ſuo liceret repetere, & vt Pontifex adiuuaret ipſum. Quod Pontifex ſe facturum promiſit. Miſerunt igitur Germanum quendam qui Romæ erat, nobilem inter milites in Germaniam, qui adduceret aliquot Germanorum milia Balduino, ſimul exploraret animos Germanorum erga Albertum. Germanus legatus ex Germania celeriter negocio confecto, cum militibus Germanis venit Romam. Pontifex quoque miſerat legatum in Gallias, vt auxiliares manus mitteret ſocero fratris ſui, addidit eſſe opus bonum & ſanctum; nam reſtituto Imperatore Conſtantinopolitano, ſtatim ſe exercitum miſſurum in Turcas. Et erat id propoſitum Pontifici. Sed rex Galliæ audito Pontificis legato, qui erat epiſcopus Ariminenſis, nihil reſpondit pro voluntate & propoſito Pontificis: quare legatus, quemadmodum in mandatis habebat, minatus eſt regi anathema, & a regno depoſitionem, fratremque regem futurum, quem iam nolit iuuare, nam non Balduinum, ſed fratrem & Chriſtianam eccleſiam vt iuuet, ſe petere. Rex epiſcopum in vincula iubet coniicere. Ex qua re magna inimicitia inter regem Galliarum & Pontificem eſt orta. Rex vbi intellexit Pontificis animum a ſe alienatum, qua erat parrheſia, vel, vt quidam vocant, arrogantia, ius eccleſiaſticum, quod Papæ erat, ſibi vendicabat, ſacerdotia & epiſcopatus conferebat quibus placuit, quos prælatos cognouerat Pontifici patrocinari, depoſuit, eorum prælaturas aliis conferens, diripuit etiam opulentiores epiſcopatus. Quibus rebus motus Pontifex, maxime vero quod impediebat expeditionem Conſtantinopolitanam, &, quæ ex illa ſecutura erat, Hieroſolymitanam, conuocat Romam concilium, etiam totius Galliæ prælatos eccleſiaſticos vocat ad vrbem: ſed Gallus ne quis Romam iret, prohibuit ſub pœna amiſſionis vitæ, aut ſaltem, ſi cui contingeret miſericordia, beneficij.

Qua

Qua regis temeritate Pontifex magis irritatus est, quare statim ad eum mittit legatum, per quem autoritate & iure apostolico præcipit illi, vt recognitionem regni sine mora faciat, alioqui in promptu esse fulmen anathematis in eum, & Galliam vniuersam interdicto se suppositurum. Nam in decretis pontificum habebatur regem Galliarum a Romano Pontifice oportere recognoscere regnum, in temporalibus quoque. Vbi hic legatus Lutetiam venit, rex iussit illi eripere bullas, literásve apostolicas, & legatum ex regno eiicere, & mãdare illi, vt pontificiis nunciet regem suspensurum omnes qui e Roma postea veniant. Hæc vbi Romæ legatus nunciauit, continuo congregatis patribus regem Gallorum excommunicat, & regnum eius cuilibet occupanti concedit, simul in Germaniam ad Principes scribit, quæ putauit regem odiosum facere & onerare inuidia. Excommunicat etiam omnes qui fauent illi, aut bene loquuntur. Rex Gallorum execrationes pontificias contemnit non esse pontificia sede dignum, esse hæreticum, simoniacum & omnibus vitiis contaminatum hominem; quare eius sententiam non morandam, sed iure a pontificatu deponendum. Hæc pessime habuerunt Bonifacium Papam, quare synodo congregata iterum accusat regem, in qua synodo Romę habita decernitur, Philippum regem Francię e regno deturbatum, & Albertum electum Imperatorem regem Gallorum patres eius synodi appellant, nam illam putabant aliquid contra Philippum posse, & etiam libenter occasionem arripere, nam alioqui erat magna simultas inter Albertum & Philippum. Absoluunturq; in ea synodo omnes iuramentis obstricti regi Gallorum, quinimo excommunicantur qui non relinquunt illum. Mittunt ex ea synodo in Germaniam legatos ad Albertum, qui eum exhortentur ad cogendas copias, & in Galliam ducendas, Romanum Pontificem quoque suas copias missurum per alpes in Galliam, vt vna coniuncti membrum ecclesiæ putrefactum abscindant. Magna erat ira Pontifici, nec minor ira Philippi regis. Albertus iram Pontificis intelligens non diu duraturam, negat se tantis impensis conscripturum exercitum, & in Galliam ducturum, nisi Pontifex regnum etiam hæredibus suis concedat & confirmet. Quod Pontifex noluit facere, ex quo Albertus facile colligit, Papam Germanis sic abuti decreuisse, donec iræ suæ satisfaciat. Rex Philippus Pontificios conatus videns, contra meditatur quid ipsi possit Pontifici rependere. Cognouit autem Pontificem Anagniæ esse, eo mittit quendam Italum, nomine Sarram, qui etiam vitam debebat Gallorum regi, vt qui illum captum a piratis redemerat, mittitque cum eo etiam alios familiares quibus rex fidebat, ij ergo acceptis ducentis militibus ex copiis Valesij ditionis pontificiæ præfecti, Anagniam silente nocte ingrediuntur, & Pontificem capiunt, Romamque ducunt, ibi moritur statim post mensem vnum. Quid eos impedierit quod non duxerint ad Philippum regem, certum non est, non habuisse in mandatis, vt si caperent eum, ad regem ducerent, fertur, & est probabile. Alij putant sanctitate pontificia deterritos; alij vero dicunt Anagninos ciues se opposuisse illis, & coactos aut dimittere, aut Romam ducere. Sunt qui asserant, propter morbum non ausos fuisse longius ducere, nam periculoso laborasse morbo. An vero Valesius regis frater conscius facinoris fuerit, ignoratur. Prudenter sane ob affectum temere in corde Pontificis exortum noluit se Albertus immiscerì, nam facile præuidebat nihil hic esse solidi, leuissimum esse ventum. Hoc tempore grauissima odia fuerunt inter Wenceslaum regem Boemię, & Imperatorem Albertum, nam Wenceslaus contempsit illum Imperatorem, & palam iactitabat, se recusasse imperium oblatum. Albertum sibi debere imperium. Fuit autem hic Wenceslaus vir prudens, & in militaribus rebus exercitatissimus, nec infelix in rebus expediendis pacis & belli tempore. Fuit educatus apud Marchionem Brandenburgensem, vbi bona natura per educationem est expolita. Tantæ fuit autoritatis & nominis, vt Poloni se illi spontanei volentesque subiecerint. Et Vngari vltro venerunt ad eum petentes filium eius nomine Wenceslaum in regem, quem pater misit magnifice comitatum: igitur in Alba Græca vnctus & coronatus est ab Episcopis regni. Albertus autem videns hunc Wenceslaum inimicum suum tantopore amari, & suscipi, nihil contra eum tentare ausus fuit. Alberti Imperatoris ætate Heluetij sunt primo existimati inuicti, nam multi illos bellis lacessebant, sed omnes cum ignominia fugati sunt: quanquam longe vetustiorem non ignorem originem eorum,

ſed hoc tempore primum eorum virtus & fortitudo nobilitata eſt. Scribitur ab autoribus de Suitenſium aduentu in illos montes, quos iam inhabitant, quod ætate Sigiberti Suedorum regis, & Chriſtophori comitis Auſtrofriſonum, fuerit in eorum regionibus nimia hominum multitudo, & vt ager ille alere non potuerit: quare fame coactos mutare ſolum, aliasque ſedes quærere. Tum igitur ſimul ex Suedis exiuere ſex millia virorum, ex Friſonibus mille & ducenti, qui omnes viribus & ætate ad arma habiles fuerunt, præter mulieres & pueros, quorum numerus longe fuit maior. Vbi ad Rhenum venerunt, a Gallis ne tranſirent, prohibiti ſunt. Galli colluuiem hominum imbellium putarunt, ſine caſtris munitis dormiebant, excubiis negligenter procuratis. Aduenì Suedi paupertate & egeſtate excitati diligentiſſime omnes temporis articulos obſeruarunt, quibus poſſent conſulere caris liberis, vxoribus, parentibus & ſibi. Igitur videntes negligentiam hoſtium, tempore, quo non expectabantur, hoſtem ſtertentem aggrediuntur, ſuperant, magnam multitudinem occidunt, & potiuntur præda non vulgari. Poſt hoc prælium terribiles facti ſunt hoſtibus ſuis. Mittuntur ad eos legati, quid velint, quid in animo habeant. Ipſi reſpondent, ſe nihil iniquum petere, neminem ex ſedibus ſuis velle expellere, eſſe in his regionibus deſerta loca, quæ cupiant ſibi dari, vt colant, hoc ius naturale eſſe, ſi quis hoc neget, hoſtem eſſe humani generis, qui quod ipſe frui non poſſit, aliis ne fruantur, eripiat. Se cupere quietam vitam in ruſticis operibus, non velle aliorum labores deuorare & rapere. Sunt igitur illis conceſſa deſerta loca illa, lacus, montes, valles, colles, fontes, quæ hodie poſſident reddita cultiſſima & fœcundiſſima. Antea videbantur, quod nulla erat cultura adhibita, inutilia prorſus, quæ hodie tot hominum millia alunt rura. Nullum eſt enim ſolum tam infelicis ingenij bene & prudenter cultum, quod non ſuperet naturali bonitate optimam terram cui nullus cultus eſt adhibitus. Non hoc dico, quod ager Heluеticus non ſit habilis ad omnia fere neceſſaria ferendum, ſi aeris & ſoli qualitas ſpectari debet ex corporum magnitudine & pulchritudine & in plantis & in animalibus, nemo poteſt negare Heluetiam præire feliciſſimis terris. Vbi proueniunt proceriores arbores, quæ ex Heluetiorum montibus vehuntur per Rhenum vſque in Oceanum, ex quibus nautæ malos faciunt? Vbi boues præſtantiores corporis magnitudine, & carnis ſuauitate naſcuntur? Vbi pomaria arborum amplitudine & fructuum bonitate feliciora? Frumenti certe granum longe in Heluetia præſtantius eſt, & candore & ſoliditate, quam in vllo loco quem ego ſciam. Horum vero corporis robur, forma, animorum virtus in bello, comitas & mutua caritatis affectio, & hoſpitalitas tam euidens eſt, vt hoſtes eis hic palmam concedant. Habuiſſe duces tres feruntur cum primum venerunt in deſertum hoc, quod iam paradiſus eſt, nominibus Remum, Suicerum, & Wadiſlaum. Remus & Suicerus occuparunt locum fracti montis, & valles montesque iuxta alpes, Italiam aſpicientes. Wadiſlaus valles & montes circa Ararim fluuium habitanda & colenda accepit. Non diu poſt graue bellum regi Gothorum cum Italis Romanisque fuit, qui ex illis Heluetiis ſecum aliquot millia in eam expeditionem duxit, qui præſtiterunt miram virtutem regi ſuo. Vbi enim Romam venerunt cum duce rege, obſederunt vrbem, & magnis ſudoribus expugnarunt eam, occiſis innumeris hoſtibus. Ita in multis expeditionibus ſic teſtati ſunt ſuam virtutem, vt diu poſt Pontifex Romanus eos ſuppliciter rogarit miſſis ad eos cardinalibus, vt ſubuenirent illi aduerſus Saracenos qui vrbi imminebant; & impetrauit ab eis, volebãt enim Deo ſeruire, & defendere eccleſiam. bonum certe propoſitum, & bona mens & animus. Capiunt arma, mittunt Romam expeditam & robore præſtantem iuuentutem, aduerſus Saracenos per duces cardinales ducuntur, vincunt omnem ducum expectationem & ſpem, hoſte enim ſuperato & ex Italia expulſo, rapinaque erepta quam Saraceni per Italiam conuaſerant, ſpolia omnia Romam pertulerunt, & contulerunt in ædificium Baſilicæ beati Petri. Cumque Pontifex iuſſit eos petere quod vellent, quod modo eſſet in ſuis facultatibus, ſe daturum promiſit. Boni viri religioni dediti nihil aliud petiere, quam benedictionem & indulgentias a Papa, quinimo & ſtipendia recuſarunt, pro eccleſia & Chriſtiana religione ſe bellum hoc cõfeciſſe, dicebant. Propterea donati magnis indulgentiis, venerunt cum magna laude domum. Anno proximo poſt, iterum ſcribunt Saracenos Italiam inuaſiſſe,

& per-

& peruenisse vsque in patrimonium beati Petri, quare denuo Pontificem Romanum misisse legatos ad Heluetios, & eorum manus inuocasse; facileque impetrasse, magna enim erat eorum in religione deuotio. Venientibus, cum hoste pugnantibus, & vincentibus, obtulit iterum beatissimus pater Pontifex eis optionem, Quicquid obtabitis, inquiens, acceptum feretis in spiritualibus; in carnalibus vero pro facultatum modo. Heluetij domi post prioris anni expeditionem didicerant quid esset optandum. Petierunt igitur immunitatem a tributis, & vt terra quam magnis sudoribus colendo habitabilem fecissent, nulli esset subiecta, sed vt concederetur viuendi libertas, iuxta suas leges quas haberent. Quod illis concessum est, quo iure adhuc hodie gaudent. Donauit quoque Pontifex abeuntes vexillo rubeo in quo faberrime picta erat imago crucifixi Christi: quod vexillum maioris precij æstimabant, quam ingentes aureos montes. Itaque cum benedictionibus & indulgentiis, magnaque cum gloria rediere domum. Propter ingentia Heluetiorum facta multa scribuntur de eorum origine, & variant scriptores: neque enim magnopere quæritur & laboratur, vnde ignaua gens prouenerit, sed quo quidque præstantius est, hoc magis inuestigari solet, quæ causę, qui euentus, quis finis eius sit, in omnibus naturalib. rebus. Quod de Carolo Magno scribunt, quomodo propter ferocitatem Saxones in illos montes relegarit, & vt illi viam apertam in Italiam conseruarent per valles & montes, vbi nunc est nobilis pagus Vrania; relinquo alij iudicandum quam a vero abhorreat. Nam si illi Saxones intractabiles, vt illi scribunt, feroces & rebelles fuerunt natura, vt relegandi fuerint, certe prudentissimus Imperator non eos custodes itinerum fecit, neque dedit illis sedes natura tam munitas, quibus freti potuissent excursionibus vicinam Germaniam & Galliam multis modis affligere. Illa stultitia non cadit in Carolum Magnum. Alias aliorum opiniones de eorum origine omitto. Ego non aliunde credo originem duxisse, quam ex Germanis, qui Gallos ex his montibus expulerunt, & quod ipsi de singulari robore animorum & corporum scribunt, non hoc ascribendum pro genitoribus arbitror, nec propterea necessum est ex alio mundo originem gentis petere, nam per tot ætates degenerassent iamdudum. Videmus enim omnia deorsum labi & degenerare semina, nisi aliud sit quod conseruet. Nonne videmus ignauorum hominum filios non raro indolis mentisque præstantissimæ: rursum virorum animi & ingenij viribus maximorum, filios ad omnes functiones siue animo siue corpore obeundas, prorsus ineptos, ignauos & asinos prorsus cernimus, idque sæpissime. Ita, vt non audiendi sint illi, qui dicunt, Ex bonis bonos, ex malis malos progigni, hoc enim pro regula haberi non debet. Heluetiorum robur naturale aeris puritati & exercitationi corporum ascribendum arbitror. Ea enim quæ Philosophi Physici scribunt, animorum & corporum qualitatem variari pro ratione aeris, alimenti, exercitatione, educatione, nemo sanus negabit. Nec sunt hic superstitiosi quidam refellendi, qui quicquam nec diuinarum nec humanarum rerum intelligunt, dicunt enim hæc omnia a Deo esse, veriissime enim dicunt, sed nihil dicunt, vt ipsi putant se dicere, contra eos qui rerum scrutantur causas, quæ omnes a Domino emanant. Sed reuertendum in viam, ne rapiar ab instituto. Vicini igitur nobiles paulatim simplicem & laboriosum populum fecerunt sibi obnoxium, iugumque imposuerunt. Iugi igitur altior natura impatiens, ad libertatem rursum aspirauit.

Accidit igitur circiter annum Domini 1300, quod comes de Habspurg habuit nobilem quendam in valle arcta Vraniæ arcis præfectum, hominem superbum & tyrannum, qui prorsus intolerabilis latuerat, cum aliis tyrannicis factis, tum potissimum quod libidine inexhausta nullam relinquebat paulo formosiorem virginem ac etiam matronam incorruptam, primo clam, tandem eo impudentiæ venit, vt etiam non dissimularit, potando inter nobiles vicinorum castrorum iactarit etiam. Cum igitur duorum Germanorum fratrum sororem virginem compressisset, occiderunt nobilem. Quod facinus cum comes Habspurgensis impunitum non vellet relinquere, conspirarunt etiam alij, tandem accessit tota vallis Vraniæ, & vno die nobilibus aliquot interfectis, duas, aut, vt quidam volunt, tres arces destruxerunt. Vnderualdenses statim quoque accesserunt, nec cunctati arces omnes illic deiecerunt. Rebelliones & seditionis causas reddiderunt nobilium intollerabilis tyrannis: nihil enim pro-

prium erat cuiquam, quicquid placebat nobilibus caſtrorum præfectis, in villis colonorum & paſtorum (nam plerique agebant paſtoritiam vitam, ſicut & adhuc hodie eſt videre) rapiebant ceu ſuum, nec impune quiſquam interrogare audebat cur facerent. Si quis habebat bouem pinguiorem,& nitidiorem aut aliud pecus,abducebant. ſi quis butyrum aut caſeos repoſuerat, abripiebant, & mittebant in Rhenanas vrbes, commutabantque vino, quo ſe implebant quotidie. ſi quis habebat vxorem aut filiam forma aliqua, inuitabant in arces, nec marito aut parenti licebat quicquam mali vel ſuſpicari, aut etiam rogare filiam coniugémve, quid in arce fecerint, cúrve tamdiu ceſſarint. Tantam tyrannidem gentem minime ſeruilem non tuliſſe, mirum non eſt. Fœdere igitur coire, primi Vre, Suitz, & Vnderualden (liceat enim perſpicuitatis gratia nominibus Germanicis vti) nec quicquam vel fecerunt, vel dixerunt eorum quæ ſeditioſi ſolent factitare, vbi ſuccedit primus inſaniæ impetus, nam laſciuiunt,gloriantur in malitia,iniurias inferunt quibuſlibet obuiis,quibus præualent, negligenter omnia adminiſtrant, periculoſiſſima tentantes, omnia tuta putant,diſcordant animis,inter ſeſe litigant,quiſque imperare vult. Itaque fit,vt facile & cito ab aduerſariis perdantur. Confœderati illi non ſic, nam poſtquam ſucceſſit primus conatus, magno cum timore & tremore Deo gratias agunt, cui dant gloriam,in ieiuniis & aſſiduis orationibus illum precantur humiliter, vt fortunet & dirigat vias ſuas. Caue nt ne quenquam inique agendo offendant, iniuriam patientes iuuant, victis ignoſcunt, omnia ſuſpecta habent, fortunæ mutationem & inſtabilitatem partim perpendunt; Vigilantiſſime etiam minima curant; nullum hoſtem quantumuis infirmum, contemnunt; Concordibus mentibus & conſiliis omnia faciunt; Nihil ducunt honeſta pace antiquius; Bellum nullum incipiunt, niſi ſalua pax manere non poſſit, viſique cogantur magnis cauſis honeſtiſſimóve titulo. Itaque tamdiu fœdus hoc manſit, & fœlicibus ſucceſſibus auctum eſt & euectum, vt hoc tempore potentiſſimo cuique regno conferri queat. Principes & omnes nobiles vicini ſtatim coactis copiis primordia illa Heluetiorum conabantur extinguere, antequam vim ignis conciperet maiorem. nam vehementer & non immerito timebant, ne exemplum alios quoque animaret ad ſimilia tentanda. Quam ob cauſam ceu rem facilem aggrediebantur hos tres pagos: Confœderati vero anguſtias in montibus & vallibus occuparunt, diligentiſſime & prudentiſſime ordinatis ita præſidiis,vt ſicubi maior vis incumberet, facile conuenire poſſent. Lapidum maximorum deuolutionem in hoſtes pueris & mulieribus committebant. Partitis inter ſe officiis tanta æquitate res periculoſas & maximas geſſerunt, vt poſt pugnas aut victos fugatosque hoſti nulli querelæ locus eſſet. Sæpe Principes plus in impugnandis illis pagis impenderunt operæ & pecuniæ, quam in magnis regnis expugnandis ſoleat expendi. Et,quæ ſumma eſt optimorum ducum laus, vicerunt hoſtes quam minimo ſuorum ſanguine, nec vnquam temere congreſſi leguntur, ſemper ſtudio illis fuit, vt aliquid haberent quo iuuarentur aduerſus hoſtem. Loca & tempora diligenter perpendebant, ſi quando feſtinandum cenſebant, in velocitateque aliquid commodi eſſe, nullo labore & vigiliis deterrebantur. Si quando magis cunctandum,non pigebat opportunitatem & occaſionem, quæ cum omnibus rebus plurimum habeat momenti, in bello præcipue regnat. Ingenioſiores Græcis & Romanis fuerunt
1305 ad fallendum hoſtem, ſemper tamen fide ſeruata. Anno Domini 1305, cum ſociis quibuſdam Principibus Lupoldus Auſtriacus dux magnum in Suitenſes confœderatos duxit exercitum. Vbi venit ad fines eorum, poſt deliberationem prolixam quam habuit cum ſociis belli, tandem placuit, vt ſimularent ea parte ſe ingreſſuros, qua maxime putabant ſe expectari, & relictis illic tumultu ſtrepituque & ignibus, quæ præberent caſtrorum ſpeciem, deflecterent in aliam viam tranſitu difficilem,ſed minus cuſtoditam. Putabantque boni Principes ſe magni aliquid inueniſſe, & pollicebantur ſibi victoriam certam. Ducunt exercitum, ac ſi vellent recta ire per vallem Suitenſium, & cum acceſſiſſent proprius, iubent fieri ignes, fumos, & tubis ſonare, & quanta cum celeritate fieri poteſt, ducunt exercitum ſatis expeditum & tranſcendere montes paratum,ad aliam viam qua ire conabantur,ſperantes illam præſidiis non munitam. Hæc hoſtium conſilia omnia præuidentes Suitenſes (nam ſic

nomi-

nominabantur confœderati) relictis ſenio defectis & minoribus natu, paucosq; admodum expeditos qui tumultu & fragore cædendis arboribus facerent fidem hoſti omnes illic congregatos. Cęterum taciturniores ſtatua manebant in concauis locis abſconditi in illa via per quam veniebat Lupoldus; cum veniebant in eum locum vbi opportuniſſimum erat Suitenſibus, ferro & ſaxis ex improuiſo irrumpunt in hoſtes qui in anguſtiis conſtituti, multitudineq́ue impediti omnino non poterant armis vti, cadebant magno numero, qui in extremo agmine erant fuga ſeruati ſunt, primi ſunt omnes capti & occiſi. Plures captos ferunt quam fuerint Suitenſium, plures etiam in ſtrage occubuiſſe. & in captis & occiſis fuerunt multi nobiles. Et illos qui præbebant caſtrorum ſpeciem qui ſecum habebant impedimenta, ceperunt Suitenſes eodem die. Captiuos humaniſſime tractabant, nec tamen niſi redemptos dimittebant, quos cognouerunt habere facultates aut amicos quibus poſſent redimi. Cognouerunt autem ex captiuis omnia. Poſtquam ediderunt illam memorabilem ſtragem Suitenſes, habuerunt aliquandiu pacem, & multi vicini videntes felicem eorum ſtatum, & in libertate modeſtum & temperantem, coniunxerunt ſe illis. Quod rurſum Principibus incepit moleſtum eſſe, & non tollerabile videri; quare denuo aduerſus illos copias decreuerunt ducere, & tribus partibus ipſos vrgere, vt diſſipati vires amitterent. Hoc inſtitutum Principum audientes Suitenſes, conſtituerunt excipere qui primi venirent quam ocyſſime, nam facile videbant non eodem die in omnibus partibus adfuturos: quare primi aduenerunt principio Aprilis, quos Suitenſes coniunctis omnibus viribus aggrediuntur, cum primum ingreſſi ſunt fines eorum, & maiore parte occiſa & capta, reliquos fugatos ad duo milliaria perſequuntur. Secundi qui ab alia parte debebant eos vrgere, veniunt fere totum poſt menſem, qui adeo meticuloſi ſunt reddi-ti poſtquam audiuerunt Auſtriacorum fugam (nam primi fuerant Auſtriaci) vt abiectis armis ſe multi ſubduxerint clam. Nec cuiquam dubium erat illos eſſe inutiles bello, tamen vt ſatis facerent decreto Principum, duces non reduxerunt domum, ſed ita copias continuere in caſtris quæ munitiſſima habebant, vt vulgo inter milites diceretur, hoc non eſſe volentium alios capere, ſed cauentium ne capiantur. Suitenſes ad colenda rura ſua rediere, & fœnificia, conſtitutis tamen vigilibus præſidiis locis ſuis. Illi in caſtris magno ſumptu ocioſi deſidebant. Poſtremo menſe Iulio venerunt tertij, qui diuerſa parte alia quapiam inuadere debebant, qui nihil quam reliqui territi erant ex primorum ſtrage & fuga. quare viſum eſt omnes coniungere, quo multitudine confiſi erigerentur animi. Sed vbi conuenerunt in vna caſtra, nihilo viſi ſunt erectiores animi. Duces autem cum cuperent experiri, quidnam præſtituri eſſent in neceſſitate, ſi confligendum eſſet cum hoſte, iubent claſſicum canere, aciem inſtruunt, adhortantur eos ad virtutem, ne ſpem in fugam ponant, ſe per exploratores certo ſcire hoſtes adfuturos, cum eſſet acies inſtructa, inuenta ſunt multa arma quæ milites abiecerant & profugerant; præterea vel inſanus potuiſſet ex vultu, geſtu, inceſſuq́ue videre timorem & animorum terrorem. Quamobrem dimiſerunt exercitum, & abierunt domum vnde venerant, ſicq́ue finitum eſt bellum quod magno apparatu & ſumptu ſuſceptum erat. Suitenſes miſſis legatis ad ducem Auſtriacum & alios Principes, petiere impenſas, iacturam quam paſſi erant negligendo rura, ſibi reſtitui, aut ſe proxima quæque direpturos. An aliquid extorſerint, non conſtat, probabile eſt autem illis pecuniam datam, nam pax eſt facta, & quieuerunt Suitenſes. Sed hoc loco ſatis ſit de Heluetiis. Anno poſt natiuitatem Chriſti 1303, Flandrenſes inuaſerunt Artenſem 1303
ditionem, & crudeliter omnia vaſtarunt, primo impetu nemo illis reſiſtebat; quare inſolentiores facti pergebant longius. Galli igitur animaduertentes eos in rapiendo & incendendis ædificiis occupatos, inſidiis eos circumuenerunt in locis Flandrenſibus iniquiſſimis, & commiſſo prælio ſuperatos fugauerunt, ſupra tria millia eorum occiderunt, & omnem prædam eripuerunt illis, ſecutiq́ue Galli in Flandriam retulerunt plus malorum quam acceperant. Eo tempore filius comitis Flandrenſium erat in Apulia, cum primum audiuit hæc de patria, omnibus rebus quibus in Apulia occupabatur, relictis, volauit in Flandriam. Aduentus eius ſuis gratiſſimus erat: intelligebant enim integritatem & caritatem animi eius erga patriam cum veniſſet, vt ſuccurreret afflictæ. Quam ob rem, illi committebant belli ſummam. Igitur co-

piis reparatis, & admonitis, vt fortiter pro patria pugnent, vitam nos debere patriæ, non esse hominem qui deserat patriam. propterea se ex Apulia per infesta itinera venisse, vt suum officium erga patriam faciat. Flandrenses receperunt animos, & incredibiliter excitati sunt oratione illa & exemplo Philippi, hoc enim nomen erat filio comitis. Nemo erat qui non turpissimum duceret patriam deserere. ergo vno animo denuo hostiliter ingressi sunt principatum Artensem, & depopulati sunt vsque ad mare, & postremo venerunt ad vrbem Tornacum, quam obsederunt, & constanter quotidie oppugnabant muros. Rex Franciæ mittit legatos ad Flandrenses Tornacum obsidentes, petit inducias. Quæ factæ sunt in annum vnum his conditionibus, vt comitem Guidonem, de quo in præcedentibus, liberum dimitteret vsque ad finitas inducias, & reliquos quoque captos vtrinque liberos sinerent viuere vsque ad inducia-
rum finem. Guido venit in comitatum suum, cumque omnes suaderent qualescunque conditiones pacis esse accipiendas, modo Guido liber maneret. Ad hæc Guido omnino consuluit, vt nullas iniquiores propter se acciperent conditiones pacis. Cariorem eis debere esse patriam, cui plus debeant quam ipsi. se iam alioqui morti proximum esse: esse enim ea ætate, vt nulla spes possit esse multo longioris vitæ. Cumque serio de conditionibus pacis ageretur, putaretque rex Gallorum omnino quiduis facturos Flandrenses modo Guidonem Principem suum seruarent, Guido vbi audiuit iniquissimas proponi a Gallis conditiones, inuitis Flandrensibus iuit in captiuitatem, breui post obdormiuit, eius corpus petentibus Flandrensibus est datum, & in Flandria delatum, & cum magno honore sepultum. Hoc tempore Wenceslaus adolescens (filius Wenceslai regis Boemiæ, qui inter sanctos relatus est, propter vitæ probitatem & religionis amorem) Boemiæ post patrem rex, tam malus quam bonus pater fuerat: ventri enim & Veneri totus erat deditus, a Germano equite ex Turingia, vel (vt quidam volunt) ex Germaniæ Francia, nato interficitur. Post huius mortem Boemi post longam consultationem, eligunt Henricum comitem Tyrolis & ducem Carinthiæ, qui vxorem habebat sororem Alberti Imperatoris. Fuerant autem magnæ diu ante simultates inter Albertum & hunc Henricum, propter hæreditatem & alias quasdam causas. Sæpeque res veniisset ad arma, nisi tot boni Principes interces sissent inter illos, nam erant ambo auariores. Albertus vbi intellexit Henricum sororis suæ Annæ (hoc enim nomine appellabatur) maritum in regem electum, statim mittit ad Boemos accusans & criminans eum, nescio quibus nominibus, & mittit etiam ad ipsum, minatur illi ne tam impudens arrogansve sit, vt seipsum dignum iudicet regno Boemiæ. Vbi minis nihil efficere potest, cogit copias per Germaniam, ducitque in Boemiam aduersus nouum regem, nec magno labore vincit, & ex regno deturbat, qui nondum vllas radices egerat. Electo igitur Henrico, facit regem Boemię Rudolphum filium suum. Cum autem videret Boemorum animos alieniores, propter per iniustam vim electum Henricum, quem Boemi concordibus suffragiis elegerunt; animaduerteret vero etiam Elizabet sancti Wenceslai regis senis vxorem relictam Boemis carissimam esse, copulat illam Rudolpho in matrimonium, quo Boemi æquiores redderentur nouo regi. Nec consilium vanum fuit, nam postquam illam Elizabet duxit vxorem, omnes Boemi agnouerunt eum regem, & quamprimum operam dant, vt coronetur in regem, & magnã de eo concipiunt spem: verum primo statim anno immatura morte præripitur. Post Rudolphi mortem magna inter Boemos oborta est concertatio, alij enim alium volebant regem; quidam aliquem Boemum volebant, propositis proceribus aliquot, præstare enim habere illic natum. Amorem enim patrij soli & cœli apud omnes homines valere, & propterea omnes bene institutæ Respublicæ, rectissime studium habent, vt præficiantur administrandis rebus aut apud se nati, aut qui fuerunt a primis annis illic. Nouos enim homines sæpe perturbasse felices Respublicas accipimus: neque enim curæ illis solet esse magnæ quid accidat. Aliorum quidam Fridericum Rudolphi fratrem, sic magis fore pacificum & tranquillum regni statum dicentes, quidam Henricum Carinthiæ & Tyrolis dominum, petierunt. Henricum quidem omnes elegissent, nisi multi a tumultibus abhorruissent, quantum enim vel leues Principum discordiæ mali afferant, experti erant: tamen ea pars quæ Henricum, inuito Imperatore, volebat, vicit; erant enim

belli-

bellicosiores, aut certe concitatioris animi; alij erant quietioris mentis & pacis amantes. his igitur iussis quiescere,& quiescere noluerunt,sed pergebant fouere Alberti partes occisi, mittunt ad Henricum, & petunt vt regnum suscipiat iterum. Promittunt simul se non cessuros,vt antea Alberto, e medio sublatos esse qui illi fauerint, eúmue timuerint,significant. Henricus vir strenuus & periculorum contemptor redit in Boemiã prioris casus exemplo nihil deterritus, vngitur & coronatur a regni episcopis Pragæ. Imperator Albertus cogit copias per Germaniã,profiscitur in Boemiam, rex Henricus cum Boemis occurrit illi obuiam, in castris continent vtrinque exercitus, committuntur leuiores pugnæ sæpe equestres & pedestres, vincunt sæpius Boemi, quo factum est vt Imperator magis voluerit ex castris per incursiones eos fatigare vastando & exurendo omnia, quam fortunam totam semel prælio committere. Et quanquam misere afflixit magnam partem Boemiæ: tamen Boemos ad deditionem compellere non potuit,adeo tenaciter adhærebant regi suo. Cum diu Albertus sic in castris produxisset bellum magno Boemorum incommodo,suo autem maximo sumptu & impensis,tandem homo ad rem attentior, non amplius volens sumptus ferre,reducit exercitum ex Boemia. Anno à natiuitate Christi, millesimo trecentesimo vndecimo, in 1311
Germania, sicut & aliis nationibus, Templariorum ordo est sublatus, & eorum bona direpta sunt a quibusdam quibus non debebantur. Quod Romanus Pontifex non æquo, vt par erat, ferebat animo: quare eorum facultates reddere mandabat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & adiucauit, eas ordini sancti Ioannis,vt illis vterentur in excipiendis peregrinis & expeditiones contra Turcas. Porro facultates Templariorum erant per quosdam malæ fidei homines dilapidatæ, aut saltem mutatæ & aliter collocatæ quam prius dum Templarij habebant. Hinc magnæ lites exortæ sunt, multum negocij Cæsari quoque factum est, vt restituerentur in vsum in quem erant collatæ a piis hominibus. vix enim extortæ sunt a quibusdam istæ facultates. Clemens Papa hoc anno scripsit Archiepiscopo Moguntino, vt publicaret latam Pontificis & ecclesiæ sententiam datam aduersus Templarios: nam erant in diœcesi Moguntina adhuc regni quidam Templarij in possessionibus suis. Quare archiepiscopus conuocauit omnem suum clerum Moguntiam,cumque sederet in domo capitulari,quam vocant,exponeretq; Pontificis mandata,simul quo modo,quibusque causis (quæ grauissimæ erant & prorsus nefandæ) Templarij vbique per Romanam ecclesiam essent damnati,& ex possessionibus suis eiecti & relegati, ecce intrat Hugo Waltgraff (quod sonat,si Latine dicas,siluestris comes) cum viginti confratribus Templariis,indutis habitu sui ordinis,hoc est albis palliis cum cruce rubea assuta,erant omnes sub palliis probe armati. Introeuntibus assurgit episcopus & alij qui aderant,iubet vt sedeant,& quid boni afferant, rogat episcopus. Sed Hugo comes stans minaciter incipit loqui in hanc sententiam,Domine archiepiscope,rumor est vulgo, nec puto vanus, vos hic conuenisse aduersus nos fratres qui nomina dedimus militiæ templi,consilium inituros quo pacto publicetis excommunicationem in nos Romæ editam & vobis missam. Nos huc venimus non vt vim iniuste faciamus cuiquam,sed vt nos ab iniuria defendamus. Quam ob rem petimus vt hanc appellationem (habebat autem literas in manu & cum his verbis dedit episcopo) quam nos aduersus hunc Clementem interposuimus,ad futurum sub proximo Papa concilium, hic iam velitis præsenti clero publicare. Nam causa nostra eiusmodi est, vt iustum & æquum iudicem non formidemus. Et male, vltore Deo, aliquando perdentur quicunque nostras facultates attigerunt. Episcopus toruo comitis Hugonis vultu minaciqúe voce, & præcipue tot armatis viris (nam erant præter Hugonem viginti nobiles Templarij commilitones confratrésue. facile est iudicare magnam multitudinem seruorum ficariorum fuisse) vehementer territus blande comiterq; respondit,Id se diligenter curaturum. Addit Hugo,At iam. Quare sine mora (Papa processu postposito) appellationem comitis & confratrum eius (quæ continebat prolixe causas argumentaq; defensionis Templariorum & aduersariorum iniquam sententiam esse multis probare nitebatur) legi & publicari iussit, vt Hugo volebat. Quid enim faceret episcopus cum inermi clero, contra tot armatos & iratos, paratosq; aut extorquere quod volebant, aut omnes occidere. Nam hoc enim fuisse illis propositum, postea cognitum est, quanquam episcopus & alij in congrega-

tione facile hunc animum illis esse, videLant per fenestras, hoc est oculos. Præter alia ficta quæ in appellatione erant, scripserant, fratres militię templi, qui ex mandato Pontificis essent combusti, crimina illis per falsos testes obiecta negasse, nec probari potuisse aliter quam per falsos testes, qui oderint eos ob virtutem. Neque enim apud malos bonis esse locum. Miraculo autem probatum eos innocentes fuisse; nam vestes cum ipsis iectas illæsas mansisse, nec omnino ignis vestigium concepisse. Hæc cum lecta essent præsentibus Hugone & fratribus eius, clerus admiratione miraculi suspensus erat, nam creduli quidam statim fidem adhibuerunt impudenti mendacio. Et episcopus credere visus est. Nam benignissime post appellationē lectam Templarios affatur, promisit eis suam operam, & rogauit vt sui mentionem facerent in precibus sancti ordinis militaris Templi. Dixit Archiepiscopus se aliquid boni pro eis scribere ad Pontificem & diligenter causam eorum acturum. Addunt hic quidam, quod ego referam, nihil refert etiamsi non credatur, episcopum non potuisse dormire, nec comedere, neque vllam aliam functionem obire antequam scripserit Pontifici, & legatum Romam miserit cancellarium suum in causa Templariorum. Et quendam diaconum familiarem episcopi, virum philosophiæ deditum, & vitæ probatæ, dixisse per iocum, præsente episcopo, Nullum testimonium esse innocentiæ hostes intactos mansisse in igne: sed hoc miraculo potius significatum sub puris vestibus, quæ fuerunt album pallium, latuisse impura corpora quæ exusta sint; sed vestibus crematis corpora ab igne illæsa testimoniū potuisse videri eorum innocentiæ. Hunc qui hæc dixerat, sacerdotem, doctum virum, ab episcopo irata facie iussum in malam crucem ire cū tam impia & peruersa cogitatione. Hæc veráne sint, nescio, certe episcopus diligenter Romam scripsit, & ita egit causam Templariorum, vt Pontifex nihil durius responderit, sed rescripsit vt diligenter adhibeat inquisitionem rerum quæ in appellatione continebantur. Archiepiscopus inquisitione facta ad mandatum Papæ, conuocauit omnes sibi subiectos sacerdotes & prælatos, præterea inuitauit illos quosdā vicinos episcopos, & in frequenti synodo omnem rem vt erat gesta, exponit ordine, absolutique sunt in ea synodo Moguntina Templarij illi qui erant sub episcopo Moguntino. Circa hæc tempora Ioannes dux fratruelis Alberti Imperatoris, qui in aula Alberti educatus erat, misit quosdam bonos amicos ad Imperatorem, qui illum docerent, qua ratione quoque iure arx & dominium de Kiburg ad Ioannem fratruelem suum pertineret, ipsius enim esse matris suæ nomine. Cum Imperator negaret, nec vllas causas adderet, quare sua hæc essent, petierunt amici illi, vt saltem pateretur aliqua parte Ioannem in hoc dominio hęrere, Imperator irasci nō solum Ioanni fratrueli, sed etiam iis quos miserat, amicis, quare verbis iratis confutatos dimisit. Hoc cum iterum atque tertio tentasset, nihilq; videret se effecturum vnquam apud hominem rei studiosiorem quam par est, malæ cogitationes immissæ sunt in iratum cor eius, nam coniunctis sibi sociis Baronibus Walthero de *Eschelbach*, Vlrico de Palma, & Rudolpho de *Wart*, incipit cum illis tractare de interficiendo Alberto. Consueuerat autem rex vbique cum vno atque altero colloqui equitans aut obambulans, nec habebat magnam sui corporis custodiam. Ita ergo cum vno seorsum milite quodam Albertum equitantem per sata, illi coniurati qui diu captauerant nefandi facinoris perpetrandi occasionem, accedunt, Imperator nihil tale suspicans salutat, rogat comiter, quomodo se res habeat. Vnus ex illis, ferunt Rudolphum fuisse, dixit loco resalutationis, Quamdiu cadauer istud equitare permittimus? statimq; cum dicto vno momento, Rudolphus gladio medium transfixit, Ioannes dux cultrum oblongiorem collo infixit. alter eodem momento caput medium dissecuit. Hoc illi accidit in eo loco sui agri vbi nusquam in toto mundo tutiorem se putarat. Sic agitur nobiscum, quando alia auxilia & refugia quærimus quam Dominum Deum. Hic suorum prædecessorum exemplo doctus, non voluit Italiam adire vitæ timēs suæ, multa vitauit ob vitæ discrimen. Timuit enim immodice mortem, quemadmodum solent, qui immodico amore pecuniæ detinentur. Nihil enim sublimius vident quam puluerem terrę, quem admirantur coactum in terrenam massam flauescentem, quam aurum vocant. Alberti igitur exemplo docemur Dominum nostrum refugium, & arcem fortitudinis esse oportere. Non diu ante huius Imperatoris mortem in Germanię firmissimo castro per latrocinium est a vigili suo nobilis Baro opibus pollens, trucidatus

tus cum omni familia, liberis & vxore. Est autem hic Albertus Romanorum electus Imperator interfectus loco quo est monasterium Kingsfeld fundatum, corpus eius Spiram est delatum, regali ritu sepultum est. Filij & alij Alberti consanguinei, præcipue tamen filij, audita miserrima genitoris sui morte, omnibus posthabitis, vnum hoc inceperunt agere, quo vlciscerentur patris mortem. Festinarunt igitur celeriter, primumque Rudolphum fugientem, & Romam ad pœnitentiam agendam euntem in itinere proditum comprehenderunt, & traxerunt in campum vbi pater erat occisus, ibi ad caudam equi ligatus Rudolphus, & miserabiliter distractus, rotæ impositus est. Baro de Palma obsessus in Altpuren, donec mortuus est tristitia & rerum penuria. Post mortem Baronis Lupoldus filius occisi Imperatoris Alberti in ea arce captos quinquaginta viros iussit decollari, inferias illas missurus parenti. Ioannes dux post multiplicem metamorphosin, in qua aliquando transfigurabat se in mercatorem, sæpius in mendicum, nonnunquam totum semestre tempus pascebat greges, aut armenta, aliquando agebat aratorem, dura enim egestas eum omnia docuerat. Postrema in forma mendici, quod opificium callebat melius quam alia, proditus est, & captus ab Imperatore Henrico, qui illum viuere permisit multas ob causas, primo quod satis pœnarum dedisse iudicabat, quod aliquot annos errarat in multa egestate & magnis laboribus, deinde, quod erat dux ex nobilissima familia natus. Postremo, quod maxime mouit Imperatorem quod illi vitam concessit, quod videbatur habuisse iustas iræ causas aduersus Albertum patruelem suum. Quare inclusit eum monasterio, illic pie fertur diu vixisse. Walteri vero castra occuparunt filij Alberti, Walterus fuga elapsus latens in pagis multis per Germaniam sordissimis, vestitus opilio, pauit greges annis continuis triginta quinque, tandem senex pastor in comitatu Wirtenbergensi moriturus, dixit astantibus quis esset. quare honorifice sepultus est. Ista fuere fata eorum qui occiderant Imperatorem Albertum.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-TERTIVS.

POst occisum Imperatorem Albertum imperij electores Francofurdiæ conuenerunt, de eligendo Imperatore multa controuertuntur. Rex enim Galliæ Philippus turbabat eos; quosdam enim ex Principibus pecunia corruperat (nam ambiebat imperium) & in certam spem ductus erat ab iis quibus munera dederat. Totis igitur viribus hoc agebat rex. Quare Pontificem Romanum tum Auinione agentem conatus est, clam introductis copiis in vrbem, vi cogere, vt coacta synodo suam autoritatem & ecclesiæ interponeret apud Principes electores, & ad illos legatum mitteret cum autoritate apostolica episcopum quem ipse rex iudicaturus erat. Sed hoc regis Philippi consilium est Pontifici proditum, quantumuis secrete id Philippus cum fidelissimis (putabat ipse) agebat. Hoc regis proposito cognito, Pontifex quam primum conuocatis cardinalibus suis qui erant illi a consiliis, rem, vt erat illi nunciata, enarrat. Patres qui Pontifici aderant in consilio, quam maxime dissuadēt ne Pontifex Gallum iuuet, nam illi omnes erant Gallorum regi iniqui ob iniquas petitiones. Quare vna omnes vna sententia primo decernunt Gallum omnibus modis impediendum ne fiat Imperator, ne ecclesia illi subiiciatur, néue ius vllum habeat in ecclesiæ rebus. Quod propterea magnopere timebant, quod in suo regno ecclesiarum facultates & ecclesiasticos irreuerentius sæpe tractauerat. deinde consultant qua via commodissime & maxime impediatur, decernuntque sine omni mora celeriter legatum in Germaniam mittendum, & Principibus electoribus significandum, vt sine cunctatione eligant Imperatorem, nisi velint imperium peruenire ad Gallos; & illis demonstrandum, quam hoc illis cauendum sit, quantam libertatis Germania passura sit iacturam, si fiat. Legati celeriter mittuntur, iubenturque festinare, antequam rex Auinionem veniat, & incipiat turbam quam parturiebat,

Et simul statuerunt communi consilio quem potissimum eligendum Principibus proponerent. Censuerunt autem nominandum comitem de Lucenburg religionis ecclesiæq; amantem, & strenuum cum moderatione in rebus agendis bello & pace, Cardinali Ostiensi qui in concilio aderat consuetudine longa familiariter notum. Illa omnia legati missi effectum dant, ad Principes perlata vbi sunt, intra pauculos dies conueniunt, concorditer Imperator eligitur Henricus comes Lucenburgi, appellaturque Imperator Romanorum septimus. Atq; ita ad votum & voluntatem Papæ hunc Principes elegerunt, propterea statuerat rex Galliarum cogere Pontificem ad se nominandum, sciebat enim eo tempore sic affectos Principes vt essent ratum habituri quicquid Pontifex olebat. Electio statim promulgata est per Germaniam, Galliam, & Italiam. Quod cum peruenisset ad regem Galliæ, immoderatissime ira doloreque animi conturbatus est. Iam enim parauerat se, profecturus Auinionem, & suos nũcios clam cum muneribus in Germania habebat, nullum Principum sciebat sibi posse præferri: quare quo spes certior erat, hoc magis doluit vbi se ea frustratum videt. Etsi igitur ignorabat sua Papæ consilia prodita, & propterea ita festinatum: tamen est summus Papæ inimicus factus, colligere enim multis coniecturis potuit sedem Romanam sibi æquam esse non posse, nam ita de ea meritus erat. Quam ob rem cogitare, loqui, facere contra Pontificem, maiora semper contra eum moliri cœpit. Omnino enim vindicare iniuriam statuebat. De imperio vero consequendo nulla illi spes relicta fuit, idcirco nihil negocij Imperatori aut Principibus fecit. Post electionem Henricus venit Aquisgranum cum sua vxore, ibique ambobus illis est corona imposita ab archiepiscopo Colonienſi. A coronatione Pontifex Clemens quintus statim confirmauit apostolica autoritate quicquid Principes in electione & coronatione fecerant. Simul Papa misit passim per Italiam & Germaniam legatos suo nomine cum mandatis, vt omnes sine tergiuersatione illum Imperatorem reciperent, alioqui excommunicationem in promptu paratam expectarent. Clemens enim quintus Pontifex omnino duxit sibi deuincendum hunc Imperatorem, vt ope eius posset vti aduersus Gallum, qui palam minabatur pontificiis, & erat in parando bello totus occupatus. Postquam coronam ab episcopo Colonienſi & a Pontifice confirmationem accepit, incepit cogere exercitus magnos (multæ enim ciuitates paratæ erant ad conferendam pecuniam, & multi Principes quoque, eratque ipse bene peculiatus) Parabat enim expeditionem in Italiam, in Boemiam, & contra rebelles comites Wirtenbergenses. Habuit primum magnum Spiræ conuentum, vt animos omnium Principum & ciuitatum erga se & imperium exploraret, & simul tentaturus ánne comitem Wirtenbergenſem Eduardum posset adducere, vt officium suum faceret, sine bello. quare vocauit illum Spiram, venit comes, sed ita comitatus, vt totus conuentus ab eo timeret periculum. Henricus electus Imperator, qui nihil priuati aduersus eum habebat, mansuete eum excepit, salutauitq; comiter, & primum solus cum ipso egit, conatus eum in viam reducere. In hanc sententiam orationem cum ipso habuit, sibi non propositũ esse laudem quærere in debellandis iis quorum auxilio communes hostes sint vincendi, nec grauius quicquam sibi esse quam quod timeat ne res ad arma veniat. Nec enim se ignorare quantum malorum bellum ciuile secum ferat, hostes communes roborari, & inimicis præberi gaudij materiam, & partibus odij seminaria relinqui in multos annos, nec nisi per lõgissimam ætatem eradicari posse inimicitiam hostilem ex animis partium, fieri idcirco vt deinde hostibus communibus resistere nõ possint, sed alij gaudeant propter odia & inuidiam aliorum cladibus, etiam si de communibus fortunis agatur. Id probat per multarum ciuitatum & gentium exempla. Simul dicit quo loco comitatus Wirtenbergenſis in imperio esse possit, si res suas in quiete agant, quanta item materia, occasio & facultas sit illis comitibus ad summam laudem & gloriam consequendam, habere enim sub se agricolas, exercitatosq; homines ex quibus præstantissimi milites fiant, quos si ducat in Saracenos aliquando secum, maximam laudem reportaturum (nam sciebant omnes Henricum proposuisse cum maximis copiis & conatibus proficisci in Turcas cum primum posset, omniaq; affirmabat se agere ad maturandam expeditionem illam in Turcas) pollicetur simul illi ampliſſima ex eo bello, & alias quoque suam operam & beneficentiam non desideraturum. Hęc vbi Henricus Imperator plurimis illi exposuit, tandem

dem dicit illi aperte, se non posse non defendere eas imperij ciuitates quas affligebat indies comes, nam nisi hoc faceret, se posse iudicari virum non bonum, qui suum officium negligeret. Nam suscipere prouinciam administrandam,& officio debito non fungi, proditoris esse, non Principis,dicebat. Admonet præterea vt potius iam secum in Italiam comitetur, se illum habiturum fratris loco. Fore sibi opus fortibus viris,remuneraturum beneficium. Fore materiam copiosam consequendi gloriam in Italia, & fortasse etiam benefaciendi amicis & eos augendi & ornandi. Postquam orationis finem fecit Henricus, respondet comes superbus, se contra ius nihil hactenus egisse, nemini iniuriam intulisse, se nemini obstrictum esse vt ceu mancipium ad alterius voluntatem viuat. Gratias agere se Henrico qui amet laudetque pacem tantopere, si velit, posse pacem seruare, neque enim se bellum incepturum cum Imperatore. Quam ob rem vtrum velit pacem aut bellum in manu Imperatoris esse, se malle quidem pacem, sed ita vt bellum nihil timeat,neque a bello tantopere abhorrere vt suum ius non persequi velit,aut seruire iis quibus non necessum sit,& alia hoc genus respondet Wirtenbergensis comes. Cæsar ex eius responso perfacile colligit, nihil verbis & lenitate animi,apud illum fieri posse. Proximo igitur die sedentibus Principibus omnibus Germaniæ,accusatio & defensio eius audita est. Aderant legati vicinarum ciuitatum, qui grauissime accusabant comitem. Ciues interfectos a suis ministris, abacta armenta, & greges sine omni causa, &c. omnia longum esset recensere. Comes,vir strenui animi, nihil negabat horum quæ obiiciebantur, sed iure fecisse,&, nisi vltro officium faciant, posthac magis suum ius armis persequuturum. Et hoc illis ingenue prædicere, vt caueant, ne cogatur facere, &c. Comes igitur domum rediit, eo quo venerat Spiram animo, nihil prorsus mutatus. Henricus apud Principes post abitum eius conqueritur de hominis corde immobili, nedum non pœnitente,& iniurias quas inferebat ciuitatibus enumerat,decernitur hostis imperij,& bellum aduersus eum statim parat Imperator, committitque negocium fortibus viris quos sciebat comiti infensos. Ipse vrget expeditionem in Italiam, copias magnas & selectas beneque armis instructas contrahit. Porro illi quibus erat Wirtenbergense bellum commissum,inuadunt ducatum,hostiliter oppugnant,expugnant,diripiunt,incendunt,captis & occisis multis. Comes Wirtenbergensis quoniam numero nimium erat impar, recepit se in munitiores arces & vrbes,illic constituit fatigare hostem. In impugnandis quibusdam multum est operis & laboris impensum,donec capta sint. Post multa parua prælia, & variam belli fortunam est fœdus factum. Eodem tempore antequam Henricus Germania excederet cũ copiis,filio suo dedit vxorem, & celebratis nuptiis misit cum exercitu in Boemiam, ad regnum occupandum, nondum finito bello Wirtenbergensi, & ipse arripuit cum exercitu iter in Italiam. Vbi Henrici filius fines Boemiæ attingit, occurrit illi obuiam cum Boemis Henricus comes Tyrolis & Carinthiæ,quem Boemi in regem elegerant. Vbi exercitus ambo Germanorum & Boemorum distabant passus mille quingentos, vterque castra munit, & per aliquot dies continent copias in castris. quotidie autẽ fiebant singulares pugnę,videbantur vtrinque pertinaces animi,fortuna varia erat,nunc hunc nunc illuc se inclinabat. Primis duobus aut tribus diebus sine dolo inibãt pugnas, & plane Germanica fortitudine & simplicitate, sæpiusq; altera pars capiebat, quã occidebat, alteram, & bene captiuos tractatos & potos cereuisiáue inebriatos commutabant, augeriq; videbatur potius amicitia illis pugnis,quam odium inter milites, statim post vnum atq; alterum ictum alter eorum qui congrediebãtur,alteri cedebat,dabatq; herbam, & ibat sub hoc prætextu ad compotandum, & videndis alienis castris oculos pascendos. Quod vbi Henricus,Boemorum rex animaduertit,faciles ad insidias struendas rationes sibi offerri videbat. Quare ex suis fortes & bonæ fidei viros misit vt se capi sinerent, & diligentius omnia in castris perspicerent, qua diligentia administrarentur singula,quando comederent, quando dormirent, quæ vigiliarũ excubiarumq; ratio esset. Hi ergo præbent se ligatis manibus captos ducendosque in castra hostium, vbi soluuntur, & poculis certant, simulant se leuissimos, expediunt pocula oblata omnia, interim tamen omnia obseruant, vt imperauerat rex, sequenti die mox mane dimittuntur. Regi obseruata nunciant. obseruauerant Francos, Saxones, Thuringos & Misnenses qui in primo erant agmine,noctu omnes inebriari, & dispersos solutis

membris ſtertere. Sueuos qui in extremo agmine non ita ſolui potando, ſed non multos eſſe & armis exui & colludere. Rex igitur mox iuſſit quendam ex captiuis Saxonibus interrogari, ſed quaſi aliud agendo, quamdiu illis eſſet manendum in primo agmine. Reſpondet Saxo, per ſortem eum locum contigiſſe ipſis ad medium menſem. Sortiri enim eos qui præcedant, quiq; ſequantur, ne qui ſe aut negligi aut contemni exiſtiment. Hæc vbi rex Henricus cognouit, iubet mitti bonos potatores in certamina illa quotidiana qui ſe captos præbeant, & potent, nec illi ſciebãt regis iuſſu ſe miſſos, & plures mittit. Vnum ex omnibus tantum rex ipſe mittit cui fidens rex omnia conſilia manifeſtat, iubetq; vt cum tempeſtiuum videatur ſubducat ſe, & celeriter nunciet, interea omnibus viis ab omni parte bene cuſtoditis, ne quis aliquid hoſtibus poſſit nunciare, Henricus iubet cibum omnes capere, bibere vſque ad alacritatem, citra vero ebrietatem, aciem inſtruit, adhortatur aduerſus hoſtes, qui venerunt, inquit, perdere veſtros labores, veſtram vitam & liberorum parentumq; veſtrorum, nihil eſſe periculi, modo feſtinent & ſtrenue cædant. Explorator adhuc Henrico verba faciente venit, & nunciat, armis exutos, & alios ebrios, dormire maiorem partem. Henricus rex feſtinat, reperit vt illi dixerat, non prius ſciunt venire hoſtem, quam cum vident ſuos cadere & iugulari, dormientes plurimi, plurimi ebrij, quorum neque manus, neque pedes, præ temulentia officium ſuum faciebãt, trucidantur, alij ſine ordine capiunt arma, ſed terrore non minus tremunt, quam temulenti. Erat magna ſtrages, vomitiones crudæ in ſanguine natabant. Quicunque enim temulentus grauiter vulneratur, vomit plerunque, cauſas referendas relinquamus medicis. Cedunt in globum collecti, vt non recte fugiſſe quiſquam dicere poſſit, quinimo conſtiterunt, donec hoſtes nocte incidentem in ſua caſtra redierint, & ſic in ſua caſtra ea nocte Germani ſunt reuerſi. Poſt hoc prælium Germani cautiores fuere, multisq; locis poſtea pugnatum eſt, ſæpiusq; vicerunt Germani. Tandem admouet filius Henrici exercitum mœnibus Pragę, quam vix poſt diuturnam obſeſſionem & frequentem oppugnationem cepit proditione fretus. Capta Praga ex Boemia recipit ſe Carinthiam, cedens Ioanni (ſic enim vocabatur) filio Henrici Imperatoris. Boemi Imperatoris vbique ſucceſſus audientes in regem filium vngunt & coronant, miniſtrante archiepiſcopo Moguntino. Eodem anno Henricus Imperator vt ſatisfaceret promiſſis quæ Pontifici Romano pollicitus erat, copias ex Germania magnas ducit in Italiam. Nam ea conditione erat electio eius a Pontifice confirmata, vt intra duos annos poſt confirmationem Italiam cum exercitu peteret, & primum hoſtes eccleſiæ & imperij in ordinem redigeret, & factionum autores, & motuum cauſas tolleret. Totum enim Latium tumultuabatur, inteſtinisq; bellis perniciosiſſime laborabat, non erat vlla ciuitas quæ non haberet bellum cũ quapiam vicina, ita inuicem ſe mordentes, conſumebantur. Præmittere autem Henrico viſum eſt legatos ad ciuitates Italicas, animos explorãdi gratia. Qui legati vbi peruenerunt ad Florentinos, & poſtulant vt venienti Imperatori exercituiq; eius diuerſoria præparent, & commeatum conuehant, & cum Aretinis pacem habeãt, nam hoſtiliter Aretinos tum vexabant. Si hoc faciant, habituros Imperatorem, amicum & tutorem; ſi non, ſetamen meliora ſperare, experturos quid eius Germana virtus poſſit. Suadentque oratores multis, vt potius experiri velint qualis amicus, quam qualis hoſtis ſit Cæſar. Florentini arrogantius reſpondent, ſuam ab imperio libertatem prædicant. Libenter quidem ſe habituros amicum Cæſarem & omnes orbis terrarum Principes, ſed libertate ſalua. Nimium potentem eſſe Cæſarem ſibi amicum, conſilium eſſe vt quiſque ſimilem ſui amicum ſibi adiungat, qui enim potentioris velit eſſe amicus, non commodis amicitiæ frui, ſed potius ſeruire. Quam ob rem iubent Cæſarem alios amicos quærere, & apud illos diuertere cum ſuo exercitu. Sibi non videri operæpretium amicum admittere cui ſit ſeruiendum. Legati poſtea ad Aretinos proficiſcentes, inuenerunt ad Aretium Florentinorum copias. Accedentes ergo ad exercitus Principes, ſuadent vt redeant domum, neque amplius vexent Aretinos, neque enim ſuos ſic deſerturum Imperatorem qui iam in itinere ſit. Quod ſi in eorum manu non ſit vt quando velint, domum reducant exercitum, petunt vt ſenatui populoq; Florentino periculum exponant, &c. Hi Florentini exercitus Principes multo ſuperbius & amarius reſpondebant quam qui in vrbe erant. Et ſpectantibus oratoribus imperatoriis Aretinorum villas incenderunt, & ciues

ciues captos occiderunt, quos alioqui liberos misissent. Tam confidentes Florentinos promissa ciuitatum & Principum quorundam reddebant. Imperator autem per Sabaudiam iter faciebat, iamque alpes trāsierat, adiuuantibus Marchione Montisferrati socero suo & comiti Sabaudiæ. Occurrunt illi obuiam ciuitatum legati & Principes, salutant, aduentui gratulantur, offerunt se & suas facultates in obsequiū illi. Vbi Mediolanum venit Guido, Turrianus cum factione Guelphorum, Gibelinis ex vrbe eiectis, portas claudit, excluſurus Imperatorē, sed discordia in ea factione orta, pars factionis periculum intelligens, redit cum Imperatore in gratiam, & opponit se in vrbe alteri parti, sicq; fit vt intromittatur in vrbem Henricus Imperator. Ingressus Mediolanum coronatur corona ferrea cum vxore sua, præsentibus omnibus Italiæ Principibus & plurimarum ciuitatum legatis, in ecclesia sancti Ambrosij. Post coronationem consultauit de statu rerum Italicarum, professus se nihil aliud quærere, quam vtilitatem mortalium communem. Venerunt multi exules qui aduersarij fuerant Imperatoris, humiliter veniam precantes, horum nulli negauit gratiam, omnes ad sua redire concessit. ignouit etiam factionum autoribus, & Guelphorum ducibus. Pecuniæ vim magnam conferebant per Italiam ciuitates, & obtulerunt Imperatori, nam quam diu collegerant Imperatori debitam pecuniam, repositam iam proferunt. Bene existimabant secum agi, quod non auare ad viuum exigebat rationes ad calculum, nam contentus ea quam dabant, erat. Nisi si qua prorsus fraudulenter agere deprehendebatur, reprehensam & æquitatis & debiti fideique admonitam iubebat reddere quæ debebat. Padua & Bononia aliaq; quædam non accedebant Imperatorem, nam erant in Florentina conspiratione, vt sic dicam, colligatæ. Nec officio suo fungebantur Cremenses & Cremonenses, nam eiecerant Gibelinos, nec veniebant veniam petentes. Quare Henricus aduersus eos mittit copias, Cremonenses agris, villis vrbique suæ timentes petunt pacem, & impetrant æquas conditiones pacis. Cremenses vero pertinaciter perseuerant in proposito, quare Cæsar agrum eorum vastat, & vrbem obsedit, mœnibus euersis capit vrbem. Quo exemplo Parmenses, qui quoq; rebellabant deterriti, mittunt ad Imperatorem, & veniam petunt, vicariumque Imperatoris obedienter recipiunt. Brixia suis munitionibus confisa, nihil officij confert in Imperatorem, nec quod iure debet, facit, imo alios contra Imperatorem commouet, iactat quoque conuitia in Imperatorem & Germanos, vocat eos barbaros. Nihil iniquius cōparatum esse dicit, quam quod barbari dominantur Latinis, nec hoc esse ferendum hominibus liberis & ingenuis, &c. Quare Imperator depopulatur eorum cultissima ante vrbem rura, villas omnes incendio consumit, mox admouet ad vrbem propius exercitum, & oppugnat omni machinarum genere; nec oppidani ignauiter defendunt mœnia: sed deiectis per arietes mœnibus, & fossis virgultis & cespite completis, nocte vna omnes confugerunt in vicinos montes, in quos præmiserant ante mulieres & pueros, reliquere vrbem hosti. Germani diripiunt vrbem, quibusdam locis incendunt, sed statim extinctum est incendium, vt non multum nocuerit. Brixianorum calamitates vbi audiuerunt Veronenses, Mantuani, Vincētini, Patauini, Taruisini, Veneti, statim ad Imperatorem legatos mittunt, imperata facturos promittunt. Placentini item belli calamitates timentes, Guelfos ex vrbe eiiciunt, & pacem ab Imperatore petunt, imperio facturos se promittunt, quicquid æquitas & iura iubeant. Præfectos itaque vbique constituit Imperator per vrbes. Mox deinde Genuam profectus, nam audiebat illic ciuium animos seduci a Ruperto Neapolitano rege, qui & Florentinis Lucensibusque miserat duo equitum millia in auxilium aduersus Imperatorem. Misitque legatos hic Robertus ad Henricum Genuam, qui fucatis verbis Henrico fidem facerent, Robertum fauere eius rebus, & paratum esse illi seruire quouis loco: sed Henricus vulpina illa ingenia bene notat, nihilque periculi erat illi ab huiusmodi falsis fictisque amicis. Cæterum Genuæ honorifice est tractatus, & ciues ad voluntatem eius omnia fecerunt. Cum pararet abitum, vxor eius grauida incidit in lethalem ægritudinem, paucisque diebus magnis doloribus afflicta, diem obit. quæ non sine mariti magno luctu sepulta est illic magnifice & honorifice. Imperator mœstus ac tristris ob carissimam vxorem, qui solatium itineris & laborum omnium, ereptam, iter institutum prosequitur, videbaturque sibi solus iam, in tanto exercitu. Peruenitque Pisas ciuitatem Imperatoribus deditissimam, vbi

nihil omittitur quod poteſt ad magnificentiam excogitari in excipiendo Henrico. Omnes ex vrbe ordine procedunt, obuiam puellæ, pueri, virgines, adoleſcentuli, matronæ & viri diuerſis cantionibus, variis inſtrumentis muſicis vtũtur, vocant eum in cantionibus patrem patriæ, ſaluatorem, ſeruatorem. Inter hæc triſtior ſemper viſus eſt, nam amiſerat dulciſſimam coniugem, dimidiam ſui partem, quam pariter his frui decuit, aut etiam amplius, nam muliebris ſexus magis his capitur. Nec tamen ita vxoris morte doluit, vt eſſe ſe virum meminiſſe deſierit. Nam in rebus adminiſtrandis, in reſpondendo legatis, in cauſis diſcernendis, nullum doloris veſtigium omnino apparuit. Venerunt enim dum Piſis eſſet, ad eum vndique legati magnis ex cauſis, quibus omnibus non minus prudenter quam iuſte reſpondit. Veniunt etiam Roma legati, vt inuitent & comitentur Romam, quare comitantibus eum legatis pontificiis, Viterbium peruenit, vbi quoque ante eius aduentum erant Guelphi; poſt eius vero aduentum adulabantur Gibelinis, & qui autores factionis in ea vrbe fuerant, fugiunt, alij tacent, alij vt fidem facerent ſe fauere Imperatori, Guelphis maledicunt, eosque perſequuntur, vt ſolent leues homines in mutatione rerum facere. Viterbio diſcedentibus, Romamque verſus iter facientibus, veniunt obuiam, qui nunciant in vrbe omnia ſeditionibus & armis turbulenta eſſe, certatim a partibus munitiones multa cæde occupari. Vrſinos, cum auxiliaribus Roberti regis Siciliæ copiis, Adriani molem, Capitolium, Ianiculum, omnesque tranſtiberinas munitiones, firmis præſidiis tenere, omninoque conſtituiſſe Roma excludere Henricum Imperatorem & Germanos: alteros vero Imperatoris fautores occupatos obtinere montes Cælium, Auentinum, & Quirinalem, aliaque breuiter omnia, præter quæ dicta ſunt, ab aduerſariis occupata. Inter has partes pugnabatur ſine intermiſſione de locis paſſim per vrbem. Hæc cum primum Imperator audiuit, celeriter præmittit ſuæ parti expeditas cohortes aliquot vt animarent & iuuarent ſuos in vrbe. Ipſe quoque feſtinat cum toto exercitu. Vbi venit, hoſtes animoſe opponunt ſe illi, vbicunque loci opportunitate putabant aliquid poſſe fieri a paucis aduerſus multos, tentabant fortunam, & non ſine plurimo ſanguine multæ committebantur pugnæ. Peruincunt tamen tandem Germani omnes difficultates, Romanis partis fauentis Imperatori adiuuantibus, Imperator per pontem Miluium & portam Flaminiam vrbem ingreſſus eſt, comitantibus eum multis proceribus Italiæ, & ciuitatum legatis. eſtque glorioſe acceptus a multitudine populi. Sed voluntatem animi Papæ expectatam non inuenit, nam Pontifex mutarat animum, vbi videbat regem Robertum & alios cum Vrſinis coniunctos, quorum multi erant ſummi Pontificis amici, neceſſitudinibusque variis deuincti. Cum igitur in Baſilicam beati Petri veniſſet, coronationemque expectaret, rumor fuit Pontificem cardinalibus interdixiſſe, ne coronam imponerent Imperatori. Quod primo Imperator non credebat, donec tandem tot concurrerint argumenta quæ fidem faciebant, vt aperte videret ſic Pontificem erga ſe animatum. Imperator de ea re miſit ad Papam nuncios, & egit cum eo expoſtulauitque multis. Vbi Papa intellexit magnum a Germanis periculum eſſe, niſi promiſſis ſatisfiat, quare coronatur & vngitur a cardinalibus, annuente Pontifice. Poſt coronationem Tibur profectus, ibi Vrſinos in gratiam recepit, & cum aduerſariis compoſuit, pacem vbicunque potuit inter partes reformauit, iniuriarum immemor. Poſtea Piſas reuerſus illic diutius manſit, quod in amiciſſima ciuitate tutiorem ſe putabat, quam in ſuſpectis, & furioſis factionibus vrbibus confuſis. Piſis igitur leges tulit de rebellium Imperatori pœnis, & qui ſint rebelles cenſendi. Item de ſupplicio reorum læſæ maieſtatis. Conuocauit etiam illuc Italiæ Principes paſſim, & tributum imperio debitum, imperauit, ſi qui non erant ſoluendo præteritorum tributorum, facilis remiſit de ſumma; ſed prædixit ſe nullo modo in poſterum laturum vt defraudetur imperium: neque enim ſuam ſe rem agere, ſed Rempublicam imperij. Piſas quibuſdam ædificiis exornauit, & priuilegiis donauit antequam diſcederet, propter ſingularem eorum fidem erga omnes Germanos Imperatores. Blondus & Platina aliter de Henrici Imperatoris huius in vrbe Roma geſtis ſcribunt, quos qui volet, poteſt legere. Imperator Piſis excedens, ducit exercitum Florentiam, vrbemque obſedit, & ędificauit arcem in imperiali monte vbi caſtra quoque militaria muniuit, in eo tunc monte filio Friderici regis Siciliæ deſponſata eſt filia Henrici Imperatoris. Poſt

ſpon-

ſponſalia iſta & arcem ædificatam, premere vrbem magis inſtituit obſidione, erant autem Guelphorum in vrbe, ſi credimus autoribus, centum millia, qui quotidie eruptionibus factis impugnabant, caſtra Cæſaris, & nonnunquam dimicabant tam atrociter, vt paucis diebus vrbanorum deſiderata ſint ſex millia, Cæſarianorum 1400. Vtrinque ferunt tandem deſperaſſe, Florẽtinos cogitaſſe de deditione, imperatorẽ arce in monte ſupra vrbem munita & præſidiis idoneis illic relictis, exercitum Piſas reduxiſſe. Piſas deinde citauit regem Apuliæ Rupertum, quanquam non ignorabat eum non venturum, cumq; neque ipſe veniret neque legatos ſuo nomine mitteret, iuridico ritu proceſſit aduerſus eum, condemnauitq; eum crimine læſæ maieſtatis, ac proditionis, hoſtemque iudicauit imperij; & regnum eius dedit cuilibet occupanti. Romamque ad Pontificem de ea re miſit legatos, & petit a Pontifice vt anathemate percutiat eum, quam primumque promulget latam excommunicationis ſententiam. Sed Pontifex moræ cauſas nectit, neque negat ſe facturum, neque aſſentitur, cumque vrgeret vehementius Imperator, detegit animum ſuum Pontifex erga Rupertum, Imperator videt facile ſe nullum excommunicationis fulmen extorquere poſſe aduerſus illum regem. Quam ob rem Imperator cum exercitu iter arripit in Apuliam, vocant eum vltro ciuitates, pleræque quæ audierant de condemnatione regis ſui, inprimis Neapolitanorum ciuium multi ad eum ſcribunt vt veniat. Nam rex imperioſius dominando fere omnibus dederat dudum ante cauſas odij in ſe, nec mirum quod oderunt plurimi hominem qui humanas & diuinas contemnebat leges. In itinere habuit obuium elegans & amplum caſtrum, quod vocatur Bonconuentum, in eo caſtro propter feſtum diem qui erat diuæ virgini ſacratus, per duos dies quieſcere, ibique ſacramentum corporis Chriſti ſumere. aberat autem eo tempore epiſcopus Tridentinus quo confeſſore, vt vocant, vtebatur: nam cum vicecancellario Romam miſerat ad Pontificem. Quare quidam monachus ordinis beati Dominici ſubornatus a Guelphis, qui in arce ea miſſam celebrabat, dedit Imperatori ſub ſpecie ſacramenti venenum. Imperatorem ſcribunt ſtatim præſens venenum ſenſiſſe, & intellexiſſe in ſacramento ſibi datum, adhibuiſſe remedia, ſed omnibus remediorum viribus veneni efficaciam præualuiſſe. Poſt miſſam a monacho abſolutam (nam ante finem miſſæ in ſacroſancto opere noluit impedire miniſtrum) fertur Imperator ad ſacrificum monachum dixiſſe, calicem vitæ inuertiſti mihi in mortem. Quare ô domine fuge celeriter. nam ſi noſtri familiares & amici tuum nefandum ſcelus ſcierint, & tu comprehenſus fueris, raro & miſerabili aliquo mortis genere morieris. Igitur fuga ſerua hanc vitam, & precare Dominum vt tibi ignoſcat, & age pœnitentiam, Dominus enim non vult mortem peccatoris, ſed vitam. Ego quidem, inquit, moriar iuxta voluntatem Domini; tu vas iræ Dei fuiſti, &c. Sic enim ſcribitur locutus ad ſcelus monachi. In eo loco ergo defunctus eſt Henricus Lucenburgenſis, Princeps optimus. Egreſſurus e Germania nullum armorum genus æque in Italia timuit atque venenum. Male poſt huius Imperatoris mortem audiuit totus Prædicatorum ordo, vt ſunt hominum iudicia peruerſa, ſolent enim ſtulte propter paucos malos totum ordinem plerunque condemnare. Nec enim non potuere boni patres in eo ordine eſſe, etiamſi aliquod ſceleſti nebulones inter eos tecti locum habent. Prædicatorum ordo propter hominum iudicia mala, a Pontifice Romano literas acceperunt, illum fratrem innocentem fuiſſe, ſic fertur, nihil hic aſſero. Corpus Imperatoris Piſas perlatum, illicque maximo luctu & magnificentia reuerentiaque plus quam regia ſepultum eſt. Proceſſerat in propoſita expeditione contra Rupertum Fridericus rex Siciliæ & occuparat, dum Bonconuenti Henricus moratur, Rhegium vrbem, ibique conſtituit Henricum expectare, quo coniunctis copiis totam caperent Apuliam. Nec difficultas vlla fuiſſet, ita inclinabant omnium animi ad imperium & præcipue hoc Imperatore, qui tam bene audiebat vbique, etiam apud imperij hoſtes, erant autem Friderico magnæ difficultates poſt mortem Imperatoris, nam quanquam oderant omnes fere Rupertum, tamen Fridericum quoque ciuitates quædã nolebant. Fridericus audita morte Imperatoris cum eſſet in vrbe Rhegio quam ceperat, ſtatim mittit ad primos duces poſt Imperatorem, petitq; ſibi, ſi ipſi nolint pergere, dari quinque aut ſex millia Germanorum, vt non turpiter & cum magno periculo cogatur ab incepto deſiſtere; duces exercitus dicũt ſe paratos in Germaniam redire,

cæterum liberum faciunt ſi qui velint auſpiciis Friderici regis militare, illi eſſe paratum ſtipendium iuſtum. Sunt ergo inuenti ſex millia qui manſerunt. Fridericus eas ciuitates ad ſe vocat, quæ Imperatori nunciarant vt veniret. Iam erat Rupertus ita paratus vt Imperatori ipſi ſe parem confideret, habebat etiam Guelphos ſocios. Cum intelligeret Fridericus vndique bellum contra ſe parari, eſſe in armis omnes eius regionis ciuitates, quas vocauerat ad ſe Italiæ ciuitates non venire, cum hoſte communicare conſilia, a Ruperto rege aſſiduis nunciis & literis ſolicitari, colligi & inuehi intra munitiones frumenta, putauit ſibi non ceſſandum: quare coacto exercitu de improuiſo in fines Ruperti penitius contendit, & antequam illi arma capere aut conſulere, aut profugere valerent, magnam pecoris multitudinem, magnamq; hominum cepit, depopulatis agris, vrbibus militibus diripiendas obiectis, in deditionem venire compulit, & factis quęcunque videntur ad pacem firmandam facere, pergit & omnibus neruis & viribus in bellum inſiſtit. Quare hoſtium conſilia quæ ſint animo perpendit & circumſpicit, vt ſua ex eorum ratione inſtitueret. Nunquam enim quiſquã res adminiſtrabit in bello recte, niſi hoſtis conſilia & rationes cum ſuis conferat. Certo igitur perſpectis hoſtium conſiliis, ſperat tam temerarios & imprudentes eſſe, vt ad pugnam in harenas deſcẽdant. ſciebat enim eos ſuis velle videri ſuperiores; & hoc ſtudio illis eſſe, certis argumentis collegerat. quam ob rem ſufficienti præſidio impedimentis relicto, aduerſus hoſtem ducit copias, & non longo interuallo intermiſſo, caſtrametatur. Erat inter Fridericum & hoſtes fluuius profundus & latus, altisq; ripis. Sciebat Fridericus autem ſe in caſtris ſuis habere qui omnia deferebãt ad hoſtes, quicquid in exercitu palam dicebat, hoc enim ſatis expertus erat. quare vt hoſtibus timoris ſui faceret ſuſpicionem, non modo caſtris muniendis conatus eſt, ſed palam ad omnes milites dixit, Quoniam hoſtium copiæ fortes & inſtructæ ſint, ſe non ſuorum militum vitam & ſuas fortunas prælio commiſſurum, ſed quam primum poſſit vel noctu hinc a conſpectu hoſtis diſceſſurum, donec augeantur ſuæ copiæ. Hæc omnia audientes qui fauebant hoſtibus, ſe clam ſubducunt, hoſtibusq; nunciant. Circa crepuſculum noctis ad ſe vocat omnes ordinibus præfectos, explicat illis rationem conſiliorum ſuorum, iubet vt parati ſint, ſi eueniat quod ſperet, & quo magis credant hoſtes ſe timeri, iubet ſuos magno ſtrepitu exire caſtris, vt videantur fugam parare, educitque auerſos ab hoſtium caſtris. Hæc vbi hoſtes vident, putant Fridericum fugere, nihilque amplius de timore eius dubitant, erumpunt ex caſtris hoſtes, ne Friderici copiæ fuga elabantur illis ex manibus, & prædam ſibi oblatam permittant abire. propterea per præruptas ripas ſe præcipitant ad flumen & tranſeunt, deinde per alteram fluminis ripam aſcendunt. Vbi Fridericus videt maiorem copiarum partem flumen tranſiſſe, & per prærupta loca magno labore, manibus & pedibus quadrupedes aſcendere, cohortatur milites inquiens, Habetis commilitones hoſtem in manibus veſtris, nunc veſtræ virtutis erit fortiter eos cædere, nam veſtrum decem centum hoſtes ſine diſcrimine & labore cædent. Impeditiſſimo loco enim eos videtis, modo ne ſinatis eos effugere ex manibus veſtris. Signa ſimul cum his dictis in hoſtem vertit, milites inhærentes in ripa hoſtes impetum faciunt. Illi contra expectationem quos perſequi & capere volebant, videntes in ſe tanto impetu venire, ſtatim terga dant, fugientium alij occiduntur, alij lapidibus obruuntur, magna pars in flumine ſuffocatur, nec exigua multitudo capitur. Victis hoc modo, poſtridie poſt ſtragem veniunt legati quorundam ciuitatum, ſe tradunt, rogant ne velit perdere eorum ſobolem & rura quibus alantur, iugum quoduis impoſitum ſe laturos promittunt. In gratiam recipit eos, ſed imperat obſides, imperat milites quibus opus erat ad reliqua quæ habebat in animo perficienda. Ruperto victo in hunc modum Papa componit eos fœderis conditionibus, quas prudens prætereo, nec enim eſt huius inſtituti aliena omnia perſtringere. Clemens quintus celebrauit Viennæ in
1311 Burgundia cõcilium anno milleſimo trecenteſimo vndecimo, in quo fuerunt omnes Germaniæ & Galliæ epiſcopi & abbates. Rex Galliæ autem autor erat conuocandi eius concilij, vt Bonifacij Pontificis memoriam obliteraret: conabatur enim probare eum non legitimum Pontificem fuiſſe, ſed hæreticum. Nam Bonifacius eum excommunicauerat. Sed epiſcopi & prelati alij ex Germania nolebãt cõſentire, ſciebant enim vnde eſſent iſtæ lachrymę, ex Gallis enim quidam adulabantur regi. Et Pontifex in hoc

erat

erat vt Bonifacius iudicaretur hæreticus. Sed concilium, hoc est concilij maior pars, declarauit Bonifacium catholicum Pontificem fuisse. Decretum tamen est in eo concilio, vt Bonifacij Pontificis execratio & iudicium de rege Gallorum, nec regi nec hæredibus eius nocerent. Gallus & si multo plura expectaret de eo concilio (nam Pontificem suarum partium esse sciebat, & aduersus mortuum Bonifacium quicquid optaret facturum, & sui regni prælatos ecclesiarum nihil ausuros sciebat) tamen tandem putabat secum bene actum, quod constitutum erat nihil illi debere nocere Pontificis Bonifacij sententiam. Nam vix obtinuere qui impensius regi fauebant, vt in hoc Germani prælati consentirent.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-
QVARTVS.

POst mortem Henrici Lucenburgensis, Imperatoris Romanorum, conuenerunt imperij electores Principes Francofurdiæ. Eratque magna inter eos de Imperatore eligendo dissensio, alij aliis causis, ad alium eligendum mouebantur. Fridericus, Albertus, & Lupoldus Austriaci Principes ambiebant imperium, habebant autem sibi studentes Rudolphum & Ludouicum duces Bauariæ. Vehementer vero resistebant Austriacis rex Boemiæ, episcopi Treuerensis, & Moguntinensis. Cum ij viderent futurum vt eligeretur Fridericus Austriacus, multa aduersus eum conati sunt, tandem cum nihil promouerent quem volebant ipsi, nec impedire Fridericum possent, Ludouicum ducem Bauariæ eligebant, quem prius a Friderico alienarant, adiunxerunt autem sibi & legatum Marchionis Brandenburgensis, vt etiam suffragium suum tulerit Bauaro, quanquam aliud a Principe suo in mandatis habuerat. Quare a rege Boemiæ, archiepiscopo Moguntinensi & Treuerensi, Marchionisque legato electus est Ludouicus dux Bauariæ. Fridericum Austriacum vero elegerunt, Palatinus Rheni, archiepiscopus Colonienſis, Ludolphus dux Bauarię Ludouici frater, & Rudolphus dux Saxoniæ. Erat magna discordia & simultas inter illos Principes, discedit vterque Francofurdia, Ludouicus Bauarus cum suis in Oppenheim, Fridericus Austriacus Heidelbergam se confert. Ibique hostilibus animis alter aduersus alterum parat bellum. Pollicitationibus & donis, amicos & socios comparant, potissimum vero Pontificem sibi conciliare student. Inuicem item struunt insidias. Heidelbergæ militem quendam subornarunt, vt iret in Oppenheim, abscondens paruam baliſtam sub chlamyde, & obseruata temporis opportunitate, sagitta veneno infecta interficerent Ludouicum. Sed aliter Deo visum est: monitus enim est a quodam ex Heidelberga. Venit igitur postridie post admonitionem miles Oppenheim, simulat se Ludouico fauere, cupere sub auspiciis eius militare, comprehensus sub pallio habuit baliſtam. Ludouicus iubet ex illo extorquere, quis iusserit, quid datum promissumue sit illi, omnia homo confitetur. Ludouicus hunc latronem diu secum duxit ligatum biga, partim loco spectaculi, partim ne aduersarij possent dicere fictum fuisse a Ludouico, vt Friderico inuidiam faceret, & innocentem supplicio affecisse. Postquam vero satis cognitum arbitratus est (nam omnibus per Germaniam hanc fraudem & flagitium notum voluit) tandem ad caudam equi imperauit ligare, & per ciuitatem trahere, & deinde rota membra frangere, postremo in quatuor partes secare. Ludouicus eo tempore post electionem Aquisgranum profectus est, illicque ab archiepiscopis Moguntinensi & Treuerensi vnctus & coronatus in regem Romanorum. Antequam electus fuerit in Imperatorem, hic Ludouicus fuit homo rerum negligens, & prodigalitate luxuque suum pene totum perdiderat patrimonium. nam aluit magnum hominum inutilium numerum, in largiendo facultatum nullam rationē habuit. Quare quum videret illi defuturum, censuit quærendam vxorem quæ amplam dotem afferret. Ea est enim compendiosa ad diuitias & opes via. In ducenda igitur vxore non respexit genus formámue, sed pecuniam; igitur duxit comitis cuiuspiam non admo-

dum nobilis, ſed pecuniosiſſimi filiam, quæ attulit ad Ludouicum ampliſſimam dotem. Verum ea obiit ſine prole: quare maior dotis pars reddenda fuit iis qui dederant. Hac mortua, duxit filiam ducis Poloniæ, quæ quoque non paruam ad eum dotem attulit. Hæc prima fecit illum parentem, genuit enim ex illo duos filios, nomine Ludouicum & Stephanum. hæc quoque vita breui defuncta eſt. Duxit non diu poſt huius vxoris mortem, aliam, filiam comitis Flandriæ. Ex hac genuit quatuor filios Guilielmum, Ludouicum Romanum, Albertum, & Othonem. Non ignoro alios aliter de his tradere, inter quos eſt Abbas de Spanheim. Mihi quæ dixi probabiliora videntur, cuique ſuum relinquo iudicium. Certum hoc eſt habuiſſe plures vxores & filios. Fridericus poſt coronationem coronatus eſt Bunnæ. Nam Aquiſgranum iurarat Ludouico fidelitatem. Inferior Germania vſque ad Argentinam iurauit Ludouico, neque Fridericum Imperatorem agnoſcere volebant inferioris Germaniæ ciuitates. Sueuiæ quoque magna pars & Franconiæ receperunt Ludouicum in regem. Vlma Fridericum regem agnouit. Præter Soludurum & Bernam, omnes imperiales Heluetiæ ciuitates Fridericum receperunt. Argentina quoque Fridericum Imperatorem agnouit. Qualis facies Germaniæ fuerit in ſchiſmate illo duorum electorum Imperatorum diſſentientibus ita Principibus & ciuitatibus, facile eſt coniectura aſſequi. Partes illæ, vt eſt natura humani ingenij, non poſſunt non mutuo ſe odire, ex quo odio vicinorum Principum & ciuitatum plurima eueniunt mortalibus incommoda, ſi etiam res, vt tandem conſueuit quoque fieri, non veniret ad arma: alij enim aliis quæ poſſunt, præripiunt, & ob odium inuidiamque impediunt alij aliorum commoda etiam abſque ſuo commodo, imo nonnunquam maximo ſuo incommodo. In hunc modum diuiſa Germania duobus Principibus, vbique bella exoriuntur, & bellorum rumores caritatem annonæ faciunt, nam Principes, & ciuitates timentes bellum, etiam aliquando nunquam futurum, conuehunt frumenta intra munitiones, dumque ita timent & ſperant, affectibusque animalibus ſeruiunt Principes, eſuriunt multi pauperes. Aliquanto igitur tempore neuter alteri mouet bellum, neuter enim voluit cauſa bellorum & malorum, quæ bellum neceſſario conſequuntur, videri. Tandem Fridericus videns aduerſarium ſuum potentiorem, & animos ad maiorem partem, vbi ſe tutiores iudicant, inclinari, fidens ſuorum virtute (qui erant ab Argentina vſque ad Solodurum, & a Lucerna Conſtantiam vſque, a Conſtantia vſque ad Vlmam. In quibus regionibus etiam noſtra ætate milites palmam ferunt. Nec fere vllus Princeps hodie aliquid feliciter in bello gerit, qui non habet ex illis aliquibus, quos dixi, locis copias) contrahit copias vt illas vrbes ſuis adiiceret quæ proximæ erant. Quam ob rem Eſlingen obſidet. Sed non ſatis ad expugnandas vrbes paratas, poſt vnum menſem obſidionem ſoluit, & quæ vidit illi defuiſſe in oppugnationibus, comparat, ſequentique anno rurſum ad obſidendam redit, & magnis conatibus & viribus impugnat: ſed oppidani etiam ſe interim parauerant, quoniam etiam in prima obſidione poterant diſcere quæ ſibi vſui eſſe poſſent in propugnationibus. Fridericus autem ſolum cogitarat quid ſibi defuiſſet ad capiendam vrbem, vt erat in priore obſidione, nec ſatis attulit virium quoniam ad munitiones & præſidia multa per id temporis, quo abfuit, interualum adiecerant. Cum igitur pertinaciter & fortiter ſine intermiſſione noctesque diesque impugnaret Eſlingenſes, emiſſo clanculum noctu nuncio, ſignificarunt Ludouico, niſi cito veniret cum exercitu, ſe obſidionem non poſſe ferre. Nec agi de ſola Eſlinga, ſi enim aliæ viderint nullam ſpem eſſe in auxilio Ludouici, ſponte ſua acceſſuros ad Fridericum. Conſtituunt illi diem ante quem ſi non veniat, ſe pacem perituros, & fœdus inituros cum Friderico. Ludouicus intelligens defectionis multarum ciuitatum periculum, etiamſi non admonuiſſent eum Eſlingenſes per nuncium, quanquam alias occupatiſſimus, coacto exercitu, acceptis quoque copiis ex Boemia a rege, feſtinat ad Eſlingam liberandam. Certior factus de aduentu eius Fridericus infeſtis ſignis & acie inſtructa illi obuiam it, & in loco æquo iuxta Necharum pugnam ineunt, vix vnquam vſquam pugnatum eſt pertinacioribus animis. Imperatores ipſi periculoſe pugnabant, milites in conſpectu Imperatorum fortiſſime dimicabant. Pugnatum ſerunt vſque in atram noctem, itaq; diſceſſum vt neuter iure victoriam ſibi arrogare potuerit: quanquã multo maior multitudo ex Ludouici copiis occubuerit, quã Friderici,

nec

nec ſic ex hoc prælio obſidione liberata Eſlinga, ſed poſt prælium viſum eſt Ludouico hoſtem auocare ab vrbis obſidione ad ſua defendenda, quod ſane ſalubre Ludouico conſilium fuit. Argentinenſes quoque deſciuerunt a Friderico ad Ludouicum, qui eis priuilegia noua dedit, & vetera confirmauit. Eo tempore videns fratrem ſuum laborare Lupoldus dux Auſtriæ, exercitu congregato proficiſcitur Spiram obſeſſurus. cui cum pararet occurrere Ludouicus, adiungit ſe cum ſuis copiis Fridericus. Quod vbi animaduertit Ludouicus, mutat ſententiam, neq; potuit adduci, vt cõgrederetur cum ambobus fratribus, dictitans, eſſe inuictum quiddam diuina naturæ lege quadam fratrum concordiam. Quare omnino conſtituit rem nullo modo committere prælio, aliisque vtebatur bellandi rationibus; nec tamen innotuit vulgo Ludouicum cum Friderico congredi non audere, nam hoc tam aſtute potuit diſſimulare etiam magno ſuo commodo, vt putarint Fridericum premi & prouocari. Semper enim tranſtulit bellum a ſuis ad Friderici ſubiectos. Duxit quoq; exercitum in Bauariã, aduerſus Rudolphum fratrem ſuum, quoniam, vt diximus, fouebat Friderici partes. Deſtinabat interea alio loco Fridericum, ne poſſet Rudolpho ſuccurrere. Cum igitur in Bauariam peruenisſet inexpectatus hoſtis, Rudolphum inuenit imparatum, & aduentu eius territæ vrbes & arces, cum nullum viderent præſens auxilium, dederunt ſe, eiectusq; eſt cum tota ſua familia Rudolphus. Confugit autem ad ducem Auſtriæ, ſpe ſuſpenſus eſt Fridericum breui eum reducturum in ſuum ducatum: ſed vana fuit ſpes, Friderico enim negotia grauiora & magis vrgentia inciderunt, ex quibus ante quam ſe extricauit Fridericus, defunctus eſt vita Rudolphus dux. Poſt mortem Rudolphi, reddidit Ludouicus ducatum vxori & liberis eius, ſed nihilominus manſit dominus Bauarorum. tutorem enim ſeipſum liberorum fratris ſui fecit. His temporibus multæ calamitates oppreſſerunt Germaniam, caritas, vt dixi, & per omnes vias latrocinia erant. Et paſſim exurebantur villæ ruſticæ & toti pagi. Cuius enim Principum populus pluribus malis afficiebatur, ab eo plures quotidie defecerant, propterea clam & palam certabant in inferendis iniuriis. Eo deuenerat tandem res, vt cum nuſquam vllum iter tutum eſſet ciuitates vicinæ per Germaniam conuenerint, & egerint de cuſtodiendis viis, & per milites pedites & equites ſuis ſtipendiis conductos, vias cuſtodierint, latronibus captis & ſuſpenſis, aut ſaltem abactis. Hanc ob cauſam tunc temporis, Argentina, Spira, Wormatia, Moguntia fœdere coierunt, & communibus impenſis conduxerunt equites & pedites, qui vias tectas reddiderunt & ſeruarunt. Nam negotiationes, quibus creſcunt ciuitates, iam totæ propter infeſta itinera ceſſabant. Quum primum audiuit Ludouicus eſſe Pontificem electum (nam vacarat ſedes Romana poſt mortem Clementis quinti, perpetuum biennium) mittit Romam legatos cum muneribus & promiſſis ampliſſimis, confirmationem petens a Ioanne 22 Pontifice maximo: Pontifex vero cauſis redditis, recuſauit. Quod vbi audiuit Fridericus negatum aduerſario, Pontificemque parum æquum Ludouico, ob delicta quædam, mittit ſtatim Romam legatos, ſubiiciens ſe & ſuum imperium ſanctę ſedi apoſtolicæ, iuraturumque pollicetur ſe nunquam a ſententia Pontificis diſceſſurum. Pontifex non negat illi confirmationem, ſed differt, neſcio quam ob cauſam. Rediere legati, bonam ſpem afferunt de confirmatione, ſed certi nihil. Tempore hoc, quod fuit annus milleſimus ducenteſimus nonageſimus quartus, fuit tanta ſiccitas per æſtatem, vt alioqui perennes fontes 1294
& flumina exaruerint. Fœni ſecuta eſt tanta caritas, vt magnam pecoris partem mactare paſſim coacti ſint. & in pleriſque locis ob paſcuorum inopiam ſtramina eis obiecerint. Nam exaruerant & folia in arboribus. Vinoſiſſimum eo anno creuit vinũ, & bonitatis eximiæ frumentum, nec ita carum factum eſt frumentum. Cauſa fuit terra bene caloribus ſolis fermentata, quæ in proximum ſequentem annum ampliſſimã pollicebatur ſpem. Neq; fefellit ea expectatio, nam proximum poſt annũ fœcundiſſimum ferunt fuiſſe, in eo anno multum vini effuſum eſt, quod vaſa non poterant capere; frumẽtum item plurimum perierat, quod metu bellorum ſeruatum erat, abiectaq; eſt eo anno in ſterquilinia magna frumenti copia, nouum enim reponebant. Adhuc autẽ per Germaniã erant ſeditiones, latrocinia, bella, miſereq; vexabatur multis modis Germania, nec erat qui opẽ ferret. Cum hoc intelligerẽt quidã cordati Principes & ciuitates, inter ſe fœdera fecerunt, vt coniuncti tranquillã agere poſſent vitã. Ludouico Bauaro

& Friderico Austriaco ita omnia tumultibus miscentibus, non solum Germania, sed & Italia, Gallia, aliæque nationes, seditionibus & factionibus turbantur, & grauibus bellis affliguntur; in primis vero Italia laborat variis seditionibus. Ioannes Papa etiam, cum videret Imperatores duos propter discordiã non modo non tantum posse, quantum vnus in imperio promouendo & defendendo valeret, sed etiam imperium discordia illorum dilabi, putauit occasionem se habere suos iuuandi & prouehendi ex imperij bonis. Quare quæcunque potuit sibi vendicare de imperio per Italiam, fecit. deditque exemplum aliis idem faciendi. Nam quemadmodum soleat vulgus de maioribus exemplum bene aut male faciendi sumere, neminem latet. Erant tamen in Latio Gibelini multi qui fœdere se coniunxerunt, fortiterque restiterunt aduersariis. Cum vero viderent se non posse pares esse diutius Guelphorum potentiæ & multitudini, miserunt in Germaniam ad Ludouicum legatos, vt ipse veniret, aut saltem auxiliares copias ex Germania mitteret, alioqui actum esse, nunciant, de imperio in Italia. Ludouicus respondet legatis se propediem venturum, nondum hostem prorsus deletum in Germania, studuit enim videri se extra periculum esse, & vehementer gaudebat, quod Gibelini Itali ad se venissent, existimabat enim se iam solum Imperatorem receptum per Italiam. Sed Gibelini propterea potius ad Ludouicum miserant legatos, quod sciebant simultates esse inter eum & Pontificem. Ludouicus misit cum legatis partem copiarum in auxilium Gibelinis, simulans se illis carere posse, nihil enim periculi a Friderico propter quod opus sit maioribus copiis. Sed quum primum abierunt legati, reparat exercitum: nam tum maxime necessariæ fuerunt illi magnæ copiæ, principes enim multi per Germaniam maxime ecclesiastici, vbi audiuerunt quod Pontifex Romanus confirmationem negarat Ludouico, & quas ob causas negarat Fridericum vero confirmare potius distulisse, quam recusasse Pontificem, inclinabant animos ad Fridericum, respicereque ad eum incipiebant quos Ludouicus putauit sibi fidelissimos esse. Nam ita tum habebat Germania, vt nulli dubium esset fore Imperatorem quem approbaturus esset Pontifex Romanus. In Italia Gibelini multas vrbes capiunt, opera Germanorum, & aliquot præliis victores discesserunt. Pontifex aduersus vrbes in fide erga imperium obdurantes, inter quas fuit Mediolanum, Placentia item, aliæque multæ, execrationibus fulminauit. Hoc bello quot vrbes obsessæ, quæ captę, quoties pugnatum, quoties Gibilini victi, quotiesque victores fuerint, longum esset enarrare, & non nostri instituti proprie, quanquam Germanus miles magna rerum tum in Italia gestarum pars fuerit. Cum Ioannes Pontifex animaduertit Gibelinos sæpius vincere, & expugnare munitas vrbes, fretos militibus Germanis a Ludouico missis, operæpretium & necessarium existimauit ad Fridericum mittere legatos, vt mittat sibi auxilium, promittitque per legatos se eum confirmaturum, si iam præsentem opem adferat aduersus hostes ecclesiæ, & vicissim se ipsi auxilio futurum aduersus hostes suos. addunt simul legati quam facilis via sit hæc ad superandum hostem suum Ludouicum, pontificia enim autoritate ex tota Germania facillime posse Papam, si velit, eiicere Ludouicum. Præmia insuper addit vitæ æternæ, plenariam nimirum indulgentiam omnium peccatorum. Et fratrem eius, qui erat sacris initiatus, pollicetur Pontifex se ad archiepiscopatum Moguntinum promoturum. Fridericus etsi non fideret pontificiis promissis, intelligeretque quicquid Papa faciebat, contra imperium esse, & iam se in necessitate vocari, alias Pontificem malle alium Imperatorem cui pontificia sedes magis curæ esset quam imperium, aut omnino nullum, nam non obscurum erat quantopere fouerat illud dissidium duorum Imperatorum, vt nullus esset Imperator: tamen omnino censuit mittendos, ne dominus in Italia factus Ludouicus aut cogeret hunc Papam Ioannem ad se confirmandum, aut hoc a pontificatu deturbato, alium substitueret, a quo confirmationis electionem suæ acciperet. Tota enim Germania intenta in Romanam sedem erat, plurimi namque expectabant confirmationem, interea neutri adhærere volebant. Tantæ Romanæ sedis autoritas & religio erat apud plerosque, vt non iudicarent, nec appellandum censerent Imperatorem, nisi prius vnctus & coronatus confirmatusq; esset per apostolicum aut per apostolicos legatos. Et si qui erant apud quos nõ tantam autoritatẽ habebat sedes Romana; tamen confirmationem expectabant, scientes fore Imperatorem

quem

quem Romanus Papa esset approbaturus; mallebat autem quisq; prudentior dare nomen suum Imperatori quem superiorem futurum videbat. Quare misit auxilia Pontifici. Erant præter peditatum, equitum duo millia. Simulq; petiit, vt excommunicationis sententiam in Ludouicum hostem suum per Germaniam promulgaret, sic enim futurum, vt breui possit maiores mittere copias. Gibelini vbi audiuerunt Fridericũ auxilia Germanorum misisse Pontifici, statim mittunt ad Fridericum legatos, qui illi exposuerunt dilucidissime quo pacto contra seipsum & imperium mitteret auxilia, nam milite Germano fretum Pontificem occupaturũ omnia in Latio quæ imperij sint. Esse enim in Longobardia multas ciuitates quæ in fide perseuerent, quas Romanus Pontifex debellaturus sit. Et ex Hetruria Gibelinos, id est fideles imperij eiecturos, sicq; omnes ciuitates & Principes imperiales iudicaturos, quod Fridericus imperium cupiat perditum, propterea q; vt hostem imperij auersuros. Et futurum, vt Italia tota subiiciatur Põtificis ditioni, vt neque Fridericus, neque alius quisquam ex posteris Germanis possit ire Romam illicq; coronari. Promittunt autem illi obedientiam debitam, vt iubeat exercitum quem Pontifici miserat, reuerti in Germaniam. Quare dubius animi, ignorat quid factu optimum sit Fridericus, obsequi ne Pontifici, vt consequatur confirmationem a qua pendebat totum imperium, an Reipublicæ consulere & reducere exercitum. Propter hanc rem conuocatis omnibus qui illi a consiliis erant, deliberauit cum ipsis. Cum igitur omnia discuterent diligenter, tandem placuit reuocare quam primum exercitum, ne Fridericus alienaret a se omnes imperij amicos, censereturque hostis imperij qui non cuperet administrare res imperij, sed perdere, prodere imperium. Quare scribit Fridericus ad fratrem suum Henricum (nam illum cum copiis miserat in eam expeditionem) iubetque eum in Germaniam redire, accepta occasione, quamcunque tempus, locus, res, personæve darent. Henricus igitur ne videretur a fratre reuocatus, alienaretque pontificios ab eo, petit quasdam vrbes ab eis si velint, vt vna ferat commune periculum in seruandis & recipiendis illis, se enim velle sibi peculium parare, sua nihil referre quod frater Pontifici cupiat seruire, & promiserit auxilium, se duce suisque magna ex parte stipendiis illos secum ex Germania veniisse, minatur ergo se reducturum copias, nisi concedant illi dominium vrbium insignium quas nominauit, quasque sciebat non daturos. Pontificij magna promittunt, vt maneat, stipendium duci & militibus pollicentur amplum. Dux ansa arrepta discedit, conantur illi obstruere viam reditus, sed perrumpit obstructiones, & facile fuit Gibelinis non obstantibus, illi enim sciebant abitus causas. Pontifex mittit ad Fridericum legatum, accusatque Henricum germanum eius, & queritur se deseri contra fidem. Fridericus, quia animaduertit se suspectum Papæ, mittit Romam oratores ocyssime, vt se excusaret, ne Pontifex iratus excommunicationibus in eum fulminaret. Et in gratiam Pontificis interposuit se, vt induciæ sint factæ inter Gibelinos & Guelphos, ne Pontifex per totam Ecclesiam quereretur se a Friderico proditum, nam fama erat, & probabilis omnino, Fridericum ita voluisse Pontificem perdere. Induciæ autem illæ non diu a partibus seruatæ sunt, Gibelini enim solum ex precibus Friderici consenserant, nam satis erat Friderico pacem semel esse factam post discessum suarum copiarum, vt amoueret a se proditionis & perfidiæ suspicionem, nihil mouebatur non esse seruatas, quemadmodum illi promiserant: imo Gibelinos non potuisse adduci, vt consentirent, nisi hac spe quod sciebant Guelphos, qui erant eorum animi impotentes, aliquid breui contra induciarum ius priores facere, vt in proposito liceret Gibelinis (qui secum multos Germanos habebant) pergere, dum fauerent omnia illis. Quid postea inter illos gestum sit, prudens prætereo, reuersus in Germaniam. Anno post natiuitatem Christi 1323, erant per Germaniam omnium animi suspensi, expectatione duorum Imperatorum. Præuidebantque multi non fore tranquillum statum, donec alter alterum magno quoque prælio superaret, & aut caperet, aut alioqui totum frangeret. Nam vt se res vtriusque habebant, sine multo sanguine non poterant cõponi, nisi Deus mirabiliter voluisset prohibere. Prædicto igitur anno, cum vterq; per totum ver & æstatẽ se præparasset aduersus alterũ, Fridericus & frater eius Hẽricus ad copias suas cõiunctis præsidiis ex Vngaria missis, inuadũt Bauariã hostiliter autumno, & primũ omnia quę in agris erãt, depopulãtur, & vrbiũ quasdã 1323

quæ in fide constanter obdurabant, aut expugnatas diripiunt, aut in deditionem acceptas grauissimis exactionibus totas exhauriunt: magnamque partem ducatus Bauarici breuissimo temporis spacio per hostilem vastationem perdunt. Vngari enim maxime cum omnes Germanos, tum præcipue vicinos suos Bauaros odio prosequebantur, vt fieri consueuit inter vicinas gentes, quæ bellum inter se aliquando gerere solent. Transmitti enim solet odium per longa annorum spacia ad posteros. Nisi ergo Ludouicus impiger strenue occurrisset illis, actum erat de tota Bauaria, celeritate igitur opus esse videns, & ne tota Bauaria perderetur, & ne Sueui coniungerent se Friderico ante congressum, festinat Ludouicus; habebat ergo suos quoque paratos, aderat illi rex Boemiæ magna cum multitudine Boemorum, aderat cum illo in castris reuerendissimus archiepiscopus Treuerensis, vir ad bellum natus. aderant item multi comites & Barones, cum his occurrit obuiam Friderico, cumque vterque exercitus distarent medium Germanicum miliare, seu circiter passuum duo millia, Fridericusque expectaret Ludolphum fratrem suum, ex Sueuia adducentem copias, in quibus, vt par erat, præcipuam ponebat spem. Ludouicus prouocare non desinit Austriacos, Fridericus nimium animi & iræ habens aduersus quorundam suorum prudentum virorum consilia, congredi statuit cessante adhuc in Sueuia fratre Lupoldo. In conspectum ducit Ludouico exercitum pugnandi cupidissimum, vtrinque adhortatis suis concurrunt aciebus instructis, fit atrocissima pugna, scribunt pugnatum duodecim continuas horas, nec facile est relatu a qua parte plures ceciderint. vtrinque fere quinque millia equitum occubuerunt. peditum occisorum numerum alij alium scribunt, magnum fuisse licet colligere ex equitibus desideratis. Austriacus numero fuit multum inferior, propterea quod nondum frater cum Sueuis venerat. Post solis occasum pugnantes fortiter capiuntur Fridericus electus Imperator & frater eius, duces Austriæ, multique cum eis proceres. Quos cum captos viderunt ad raritatem redacti milites, fuga salutem quærunt, pauci non vulnerati ex fugientibus fuerunt. Dux Sueuiæ Lupoldus cum electissimis & fortissimis ex Sueuia copiis iam ingressus erat iter bona spe plenus cum clades illa nunciatur ei, fratres eius ambos captos, exercitum pene totum extinctum, paucos per noctis tenebras elapsos. Quo nuncio homo nihil nisi optima & prosperrima sperans, quantopere perculsus sit, facilius cogitari quam dici potest. Quare magno animi dolore rediit domum. Copiarum alacritas repente commutata est in demissam tristitiam. reuersi igitur sunt domum. Post prælium, qui affuerant pugnæ, omnes vno ore, etiam hostes Friderici, ferebant, si affuissent Sueui, longe vicisset Fridericus. Sed fatis, vt diximus, placuit. Henricus dux Austriæ captus a rege Boemiæ abducitur in Boemiam. Ibique diligenti custodiæ mancipatur. Fridericus Imperator electus in castro Trinsneck in carcere perpetuum triennium seruatur. Lupoldus frater Friderici, omnia sua posthabuit fraternæ caritati, currit Romam ad Pontificem, illiq; exponit Ludouici animum erga Pontificem & ecclesiasticos homines, qualis tyrannus futurus sit, prædicat, vt Pontifex in tempore conatibus eius resistat, admonet, & deliberando de fratre multa cum Papa agit. Currit etiam mox in Gallias ad regem. Rex Galliæ siue miseratus Austriacorum grauissimos casus & clades, siue alioqui odio habens Ludouicum Imperatorem, siue inuidia adductus, omni studio conatur Austriacos iuuare, de ea re cum Pontifice tractat multa in rem ducum Austriæ contra Ludouicum. Quam ob rem Auinione in congregata episcoporum & cardinalium synodo non exigua, Pontifex excommunicationis sententiam fert aduersus Ludouicum Imperatorem, causasque addidit in Bulla aduersus Ludouicum, quod schismaticos & hæreticos iuuisset, & quotidie auxilio esset ecclesiæ rebellibus. Excommunicatos etiam pronunciat omnes qui non discedant ab ipso, quique in sacris illi ministrant, eos priuat dignitatis officio & sacerdotiis. Mittit ad omnes Germaniæ episcopos Bullæ in Ludouicum edita exemplaria, mandatque sub priuationis officij & episcopatum pœna, vt quam primum promulgeant excommunicationis latam sententiam in Ludouicum, & omnes qui eius partes fouere pergant. Ludouicus animaduertens Principes Germaniæ pleroſque audituros autoritatem ecclesiæ, præcipue ecclesiasticos, conuocatis, ante Bullæ promulgationem passim factam, Principibus, excusat se, causas odij pontificiorum nullas esse docet, quam quod imperium nitatur contra Papæ

pæ conatus tueri, quodque missa a se sint Gibelinis auxilia aduersus Guelphos imperij hostes. Itaque suum officium faciendo Papam a se alienasse. rogatque & adhortatur Principes, vt imperij dignitatem & suam libertatem velint defendere. Italos inuitos semper tulisse iugum Imperatorum Germanorum, declarat, exempla multorũ Pontificum & Imperatorum profert. In illis igitur comitiis vbi intelligit sanctiorem autoritatem pontificiam esse, altiusq; radices egisse in cordibus Principũm, quam vt conuelli queat, appellat ad concilium generale, & ad Pontificem male informatum melius informandum. misitque statim Romam legatos episcopos Germanos, quos potissimum arbitrabatur Pontifici caros, quibus in mandatis dedit, vt Pontifici promitterent non modo non aduersarium Ludouicum ecclesiæ fore, sed patronum & defensorem. Legati vbi peruenerunt ad Papam, exponunt mandata quæ habebant a Cæsare, excusant eum quantum fieri potest. promittunt multa bona Pontifici de hoc Ludouico. Papa respondet, quomodocunque res se habeat, non licere Imperatorem agere, & nomine hoc appellari, nisi sit prius post electionem cõfirmatus, statuitque illi diem ante quem debeat nomen & administrationem imperij deponere, & Romam venire ad excusandum se, & satisfaciendum pro delictis. Ludouico vero non est visum consilium esse, Romam primatum ire irato in se Pontifice, præsertim sine copiis armatis. Vbi ergo Ludouicus neque imperium abdicat, neque Romam adit, Pontifex fulminibus anathematum excommunicationumque aduersus Ludouicum, & illi adhærentes, procedit, vt eorum dictionibus vtar. Ludouicus appellauit. Isti processus Romanæ sedis erant tum efficaciſſimi: piaculum enim erat inexpiabile a Pontifice Romano dissentire. Fuerunt tamen inuenti qui sequebantur Ludouicum, nihil excommunicationem morati. Ludouicus habuit quosdam doctores vtriusque iuris, qui iudicabãt Pontificis sententiam inualidam, quod doctorum iudicium fecit, vt multi non defecerint. Est autem ex hac Pontificis & Ludouici electi Imperatoris discordia schisma per Romanam ecclesiam perniciosissimum ortum, quod durauit supra triginta annos. In Germania autem magis afflixit schisma hoc ecclesiam. Nec igitur tranquillitas secuta est post victum Fridericum, quam fere omnes sperabant: imo mentes & conscientiæ plurimorum magis sunt perturbatæ, maior quoque fuit rerum confusio. Lupoldus dux Austriæ interea non cessat omnem mouere lapidem, vt frater liberetur, accedit Pontificem, qui mittit legatos ad Gallorum regem, conaturque eum excitare ad arma capienda aduersus Ludouicum, cum legatis Pontificis it quoque Lupoldus ad regem Galliarum. Voluntatem Pontificis ei exponunt; magnam addunt occasionem gerendi res maximas illi offerri, sine magnis difficultatibus, Germaniam fere omnem defeciſſe a Ludouico excommunicato, plurimos fauere Friderico afflicto, Vngariam paratam ad auxilium ferendum; Ludouicum furiis malæ conscientiæ agitari, non esse difficile insanum hominum vincere, destitutum illorum præsidiis, quorum auxilio hactenus hostibus restiterit. Hoc genus multis conabantur commouere Gallum ad suscipiendum bellum contra Imperatorem, & ad liberandum Fridericum. Sed Galliarum rex non potuit induci, vt cum certo magnoque periculo in Germaniam duceret copias suas, audierat enim exempla superiorum temporum. Cum autem sæpe tractaretur de liberatione Friderici, Ludouicus post multorum interceſſiones & preces, respondet se liberum dimissurum, si reddat sibi & resignet insignia imperialia, quæ Lupoldus habebat, consensit captus Fridericus: sed Lupoldus resignare diu recusauit. Exit igitur fama, Lupoldum impedire fratrem ne liberetur, iniquiorem Lupoldum in Fridericum esse quam Ludouicum, quam de se opinionem vt amoueret Lupoldus, lanceam imperialem & alia imperij insignia tradidit arbitris mediatoribusve. Nec tamen Ludouicus liberum voluit dimittere Fridericum. Fictum enim erat hoc de insignibus imperialibus, vt onerarent Lupoldum inuidia. Lupoldus postquam multis viis tentauit fratrem liberare, nec nulla hactenus succeſſit; quare cum armis magis quam antea infestaret Ludouicum & incenderet multa, multos caperet, nec vsque tutus ab eo esset Imperator, insidiis vbique structis industria & solertia Lupoldi ingeniosissimi ad excogitandos dolos in hostem, Ludouicus dimisit Fridericum tandem, sed cum eo fœdere facto, ne vnquam ambiret imperium, néve caperet arma aduersus Imperatorem, aut iuuaret eius hostes, sacramento & iura-

mento religioſiſſime interpoſito. Ludolphus nihilominus pergit infeſtare Ludouico ſubiectos, fretus autoritate Papæ, nam omnes qui adhærebant illi agnoſcebant ve Imperatorem, erant anathemate percuſſi. Igitur etiam poſt liberatum fratrem omnia circa Spiram vaſtat hoſtiliter. paulo poſt tamen Argentinæ correptus febre, ex eaque inſaniens vita defunctus eſt. Multo minoris fiebat in Italia excommunicationis ſententia contra Ludouicum, quam in Germania, Gibellini enim nimium contemnebant Romanæ ſedis autoritatem. Nulli ergo in Italia ob anathema in Imperatorem, ab imperio deficiebant, ſed ſæuiebant etiam in patrimonium beati Petri, tantum abeſt vt timuerint execrationes pontificias. Quin vbi audiuerunt excommunicatum Ludouicum magis illum pro Imperatore habebant, magisque illi fidebant. Miſerunt igitur Gibelini literas in Germaniam ad Ludouicum, vocantque eum, vt totam Italiam imperio ſubiugatam pacatam reddat. Hoc facile fieri promittunt. Ludouicus Imperator, eos adhortatur ad perſeuerandum, breui ſe venturum ſpondet, laudatque eos nomine conſtantiæ & amoris ſtudiique erga imperium. præmia digna pollicetur. Vix dum diſceſſerant illi nuncij Gibelinorum, veniunt ex vrbe ipſa Roma legati miſſi a Senatu populoque Romano, rogantque Ludouicum Imperatorem, vt Romam proficiſcatur quam primum poſſit fieri. Aberat enim Ioannes Pontifex aliena a ſuo officio agens, & fruſtra ſæpe erat a Romanis vocatus. Incipiebat enim, vt ante ſæpe alias Roma factionibus tumultuari. Ludouicus non mediocri gaudio affectus eſt, quod ita Romam vocabatur, & quod per totam Italiam Gibelini occupata firmiſſima ferme omnia tenebant. Romanos legatos laudatos & non vulgariter muneribus donatos remiſit Romam. ſe venturum breui pollicetur, diemque indicat ad quem ſit expectandus. Promittit præterea omnibus pacem diligentibus pacificum ſe venturum, & cum copiis quibus poſſit ſuos defendere. Quare ſine mora conuocat Germaniæ Principes, adhortatur eos ad concordiam, oſtendit illis literas ſenatus populique Romani & aliarum ciuitatum Italiæ inſignium, iubetque eos hinc diſcere quanti debeant facere Romani Pontificis execrationes, cum hoc Itali in omni genere ſcientiarum, & in diuinis ſimul ac humanis legibus doctiſſimi, contra Pontificis decreta audeant, quibus magis credendum de Pontifice, vt apud quos quotidie viuit. Nec paucis Germanis proceribus addidit animos, vt auderent Ludouico excommunicato adhærere. Putabat enim Italos præcipue Romanos melius certiusq; poſſe iudicare de Romano Pontifice præſentes videntesq;, quam ſe abſentes & ex aliorū relatione audientes. Quapropter communi Principum conſenſu & ſententia ſtatuit tempus prōfectionis in Italiam, ſtatimq; compoſitis in Germania rebus, contrahit copias, comparatque alia ad expeditionem neceſſaria. Imprimis operam dat, vt quam plurimos bonos & exploratæ fidei amicos ſecum ducat, quibus in Italia opus videbat fore. Coactum exercitum per vallem Tridentinam ducit, vbi ſuperatis alpibus Tridentum peruenit, occurruntq; multarum ciuitatum legati, gratulantur aduentui, & certatim inuitant eum, & pollicentur quæ imperet ſe prompte facturos, copias promittunt, quibus vti poſſit aduerſus hoſtes. Nam quanquam magnas ſecum ducebat, tamen ob Guelphorum infinitam multitudinem, maioribus videbatur illi opus. Hoſtes enim vbi certiores facti ſunt de eius aduentu, collegerunt omnes ſuas vires, quæ contemnendæ non erant. Iubet igitur ſe arment pro viribus & facultatibus ſuis, & præſto ſint; ipſe vero ex Tridento per Brixiam Mediolanum duxit exercitum. Ibi manſit totum mēſem ob cauſas quaſdam, ſcilicet pecuniam colligendi, qua opus in ſtipendia militum habebat, & coronam accipiendi. In Pentecoſtes enim feſto ab archiepiſcopo Mediolanenſi corona ferrea coronatus eſt cum vxore ſua Margarita. Coronatus ad pecuniam cogendam adiecit animum. In colligenda pecunia cum quibuſdam parum liberaliter egiſſe quidam ſcribunt; Galeatium enim ducem Mediolanēſem propterea priuatum principatu, & in carcerem coniectum, & vrbis Rempub. conſtituto præſide, adiunctis illi qui eſſent a conſiliis aliquot ciuibus, adminiſtraſſe, ſic omnia vectigalia & tributum vniuerſum ad Ludouicum peruenisſe. Hoc factum fecit, vt Imperator per totam Italiam magnam bonæ exiſtimationis iacturam paſſus ſit, & multo plus nocuit illi quam profuit, multi enim ob hāc cauſam ab eo alienati ſunt, & qui acceſſuri erant, mutarunt propoſitum: nec mirū. Galeatius enim miſerat illi obuiā legatos, & Mediolani exceperat eū honorifice, omniaq; huma-

humanitatis officia in ipsum contulerat, & expectabat ab eo salutem auxiliumque aduersus hostes. Mediolano discedens venit Pisas, hinc sine mora Romam properabat, nam qui erant a parte Imperatoris indies vocabant eum, pontificia enim factio in vrbe valida erat, quotidie aliquid moliebatur insidiarum aduersus Gibelinos (sic enim appellabantur, vt dictum est) imperatori fauentes. Vrbi Ludouico appropinquante, per omnes vrbis plateas pugna & cædes erant. Pontificij enim conabantur Cæsarem excludere, & occupata tenebant munita quædam loca quæ non parum vsui poterant esse ad eum excludendum. Verum per portam quandam clam ad suos præmiserat Ludouicus cohortes aliquot Germanorum militum, quorum virtute freti Romani qui studebant Imperatori, superabant pontificios Guelphos. Quapropter omni in vrbe tumultu sedato procedunt Romani ordine obuiam Imperatori. Multi ex clero repente mutarunt sententiam, & a Pontifice ad Imperatorem senatumque Romanum defecerunt. postquam enim viderunt Imperatorem superiorem, & Pontificem ex vrbe fugere, vno momento didicerunt excommunicationem aduersus Imperatorem iniustam fuisse, nec deberi ratam haberi, Imperatorem recte appellasse ad futurum Papam. Est enim hominum genus quod sic ventis vela dare nouit. Ducitur Imperator in Basilicam beati Petri magno comitatu, & coronatur cum vxore sua. Post coronationem Romæ ordinat res turbatas factionum furoribus. Creat quoque Pontificem maximum, Petrum de Corbaria monachum Franciscanum, humillima familia natum, sed doctrina & vitæ sanctimonia virum probatum, vt videbatur, & ad administrationem rerum, præcipue ecclesiasticarum, idoneum, hunc appellant Nicolaum quintum. Creat hic Pontifex episcopos & cardinales ex Imperatoris sententia, & Ioannem 22 hostem Imperatoris excommunicat, & hæreticum declarat, additis causis valde probabilibus. Statim mittuntur bullę in Germaniam, quibus excommunicãtur omnes qui Ioannem 22 pro Pontifice habent, declarari per omnes ecclesias imperat Ludouicus hæreticum esse Pontificem illum Ioannem, conuictum hæreseos in sancta synodo Romæ legitime congregata, qui fuerunt noui episcopi & cardinales Nicolai quinti. Hoc multos qui semper abhorrebant ab eo metu excõmunicationis in Germania adiunxit Ludouico. Hæc autem schismata in ecclesia non sine maximo conscientiarum piarum scandalo fiebant. Et dici non potest quantus religionis cõtemptus hinc secutus sit: religionis contemptum vero nõ possunt non plurima mala consequi, nimirum agrestes inhumaniq; hominum mores, perfidia, omnis caritatis & mutuæ humanæ affectionis abolitio, stupra, iuuentutis leuitas, odia plus quam serpentina, auaritia, humiles & malæ cordium cogitationes, magistratuum omnisq; principatus contemptus & odium, breuiter lerna malorum, confusumq; chaos, quod nulla ratione imperióve gubernari potest. Ludouico Imperatore in vrbe morãte diutius, Margarita vxor eius parit puerum masculum, quem nominauit Imperator Ludouicum Romanum. Apuliæ rex Robertus multa contra imperium & Gibelinos egerat diu, dux Guelphorum, & impulsor ad omnia facinora & rebelliones contra Imperatorem, nec cessabat patrocinari & consulere Ioanni Pontifici qui Roma exulabat, suaq; autoritate multas ciuitates in rebellione perseuerantes continebat. Quare omnino putauit in illum copias ducendas; omnia igitur in vrbe disponit, & præsidiis munit, nihil enim tutum adhuc in vrbe erat, multi hostes sub amicorum specie latebant. Vbi præuolauit fama ad Robertum regem, Imperatorem, hostili animo venturum, decreuisseque eum (semper enim fama aliquid addit) exemplum in Roberto editurum, ne quis posthac tam facile rebellet. Rex Robertus sibi conscius factorum & consiliorum aduersus Cæsarem, fugam ex suo Apuliæ regno parat, conuasatis omnibus precioſioribus rebus quæ transferri possunt, paratis nauibus, obseruat quando venturus Cæsar moueat ex Roma castra Apuliam versus, signumq; sic nauigandi & fugiendi expectat. Neque enim exulante Pontifice, & Guelphis non audentibus hiscere per totam fere Italiam, vllam in suis armis fiduciam habere potuit. Sed cessando diutius ob otij amorem Imperator, dedit tempus & locum Roberto Guelphos per Italiam latentes, quiescẽtes, semimortuos resuscitandi. Neque enim ignauus dormitabat Robertus, sed ad spem & fiduciam magno studio reuocabat Guelphos. itaque factum est breui, Ludouico Romæ cessante, & ignauius per Italiam res administrante, vt Guelphi ita resuscitati fuerint, vt copiæ

Italorum quæ Ludouicum Imperatorem Romam ſecutæ erant, coactæ ſint domum redire ad ſua aduerſus Guelphos defendenda, quin & auxilia Germanorum quoque nonnullæ ciuitates petebant. Et Romæ ne denuo conuenientes arma reciperent, periculum erat, nam Pontifex qui excederat Roma non parum adhuc habebat virium. quare ocioſius ceſſando, amiſit magnam occaſionem optime gerēdi maximas res: ſi enim acceleraſſet, totum regnum, expulſo rege, Apuliæ erat in manu ſua, & vbi audiuiſſent Guelphi diſſimulantes & latentes regem ſuum ducémve, in quem omnes reſpiciebāt, ſuperatum & fugatum, omni ſpe abiecta penitus, animum adieciſſent ad aliam vitam, ad Imperatori obſequendum. Imperator Ludouicus ſerius ergo multo quam oportebat aduerſus Robertum eduxit copias, omnia enim in itinere infeſta erant reddita, quæ ante pauculos dies prorſus amica erant. Vbi igitur rei difficultatem videt, & apud ſe expendit pericula (ſciebat enim ſi parum aliquid non ſuccederet, vel etiam ſi vel falſus rumor Romam perueniret, Imperatorem aduerſi aliquid paſſum, ſtatim aduerſum Guelphorum factionem Romę ſopitam excitatum iri) reuertitur Romam, ibique quæ ad confirmandum ſtatum vrbis pertinere putabat, conſtitutis, Germaniam repetere decreuit, Romanis multa pollicetur, ſi manſerint in officio. Iuramentumque ſenatui populoque Romano præſtitit, ſe Romam reuerſurum, rebus per Germaniam ordinatis, & ſtabilitis quæ ad imperium pertinerent. Romani duos nobiliſſimos & potentiſſimos ciues cum comitatu vrbe Roma digno miſerunt cum Imperatore, quo citius rediret Romam, quique eſſent in Germania teſtimonio, quātopere Romani Ludouicum diligerent, & quanta apud eos valeret autoritate. Egreſſus ergo vrbe ſecum duxit ſuum Papam Nicolaum Piſas vſque, cum eo a Piſanis maxima reuerentia eſt exceptus. Pontifice Nicolao Piſis relicto, ipſe cum copiis abit in Germaniam, Italiam nō minus factionibus & bellorum tumultibus relinquens, quam inuenerat aduenies. Iam enim Caſtrutius qui Ludouicum ex Mediolano Romam fere cum duobus millibus equitibus ſecutus erat, amiſerat Piſtorium, ſic enim prævalebant Guelphi, vt multa occuparint antequam Cæſar Italia exceſſerit. Nicolaus Pontifex ab Imperatore Piſis relictus (ſiue proditus, vt probabile eſt, ſiue religioſa perſuaſione, vt quidam volunt, inductus, vt agnouerit errorem ſuum, & abſolutionem a Pontifice petierit) ducitur ad Ioannem Pontificem, qui Auinione erat: vbi pontificatum abiurauit, & errorem hæreſimque confeſſus eſt, carceri mancipatur perpetuo. quæ res Guelphis animos addidit maiores quam vnquam ante habuerant, & in Italia ſępe varia fortuna pugnatum eſt inter Guelphos & Gibelinos. & in Germania multi reſpicere inceperunt ad Pontificem Ioannem. Statim enim reuocationem eius & hæreſeos confeſſionem per totam Germaniam promulgauit per legatos, & excommunicauit omnes qui non mox reſipuerunt Pontificem Ioannem agnoſcendo, illique obediendo. Ioannes Pontifex, vt teſtaretur animi ſui ſtudium erga Chriſtianam eccleſiam, congregato concilio, decreuit bellum in Saracenos, conſentiente ſimul ad eam expeditionem Gallorum rege. Pontifex autem ad impenſas huius belli deputauit decimam partem fructuum eccleſiaſticorum bonorum per totam eccleſiam Romanam. Philippum vero regem Galliæ ducem expeditionis declarauit. Verum Ludouicus ex Germania decimam partem fructuum eccleſiaſticarum facultatum auferri noluit. Nec enim hoc licere Pontifici, aſſerebat, non conſulto Imperatore. Quare edixit ne quis aliquid daret. Porro quotidie vocabant Cæſariani in Italiam Ludouicum; ſed ob multas cauſas ex Germania ire non poterat. quare cum aliquid magni optaret deſignare Ioannes rex Boemiæ, petiit a Ludouico Imperatore, vt ſibi liceret in Italiam ducere copias, ſe bona fide curaturum res imperij pollicetur, nihilque præter voluntatem & iuſſum Imperatoris facturum. Imperator conſentit, ſed vt ſuo nomine omnia ageret, deditque illi Germanorum copias, quas cum Boemis coniunctas ducit per Alpes Tridentum, inde Brixiam, cuius ciuitatis ciues vehementer inter ſe diſſidebant: erant enim quidam Pontificij, quidam Cæſariani. Rex Boemiæ Cæſarianos pontificiis ſuperiores reddidit ſuo aduentu. Pacatis Brixianis caſtra mouit ad Parmam, quæ conditionibus æquis fecit fœdus cum rege nomine Imperatoris, & pecuniam ſimul & milites dedit. Inde profectus venit Rhegiū, quæ vltro ſe promittit facturā imperata. & cum illa igitur facta pace, vertit ſigna in Mutinam, quam quoq; Gibelini prævalētes in

vrbe,

vrbe, tradiderunt regi Boemorum. Et ſic in aliis multis Guelphi territi aduentu copiarum Germanicarum & Boemicarum, ceſſerunt etiam in iis vrbibus in quibus ante aduentum regis, Gibelini nec mutire audebant. Eo tempore Florentini obſidione premebant Lucam vrbem Cæſaris partibus fauentem; Lucenſes igitur ad Boemiæ regem mittunt legatos, quibus rex Boemiæ reſpondet ſe breui affuturum, & liberaturum Lucam, Florentinisque gratiam quam meriti ſint magno cum fœnore relaturum. Statim igitur, verbis prius quam armis rem tentare prudenter volens, ſcribit Florentinis ſerio, vt Lucenſibus omnia reddant quæ abſtulerant, & pro datis malis rependant iuſtam menſuram, obſidionemque ſine mora ſoluant, alioqui ſe cum omnibus ſuis copiis venturum. Florentini reſponderunt nunciis, ſe nemini priores intuliſſe iniuriam. malefactis & iniuriis Lucenſium ſe coactos hoc facere. Se ſuum ius perſequi velle; nec eſſe iuſtum, vt hoc prohibeat quiſquam. Cum primum hoc nunciatum eſt Ioanni regi, ſine cunctatione ſigna vertit in Florentinos, eorum agrum incepit depopulari: Florentini ſoluunt obſidionem, properant ad ſua defendenda. Ioannes vero ſatis tum habuit ſolutam obſidionem Lucæ vrbis, in aliud tempus differre ſtatuit vltionem in Florentinos. Studere enim incipit omnibus placere, neminem lædere, etiam ex Guelphis. Iamque profitebatur ſe pacificatorem Italiæ, vbique operam dedit, ne offenderet Pontificem Romanum. Quod vbi Cæſari Ludouico nunciatum eſt, grauiter tulit, ſcribit illi, vt bona fide agat, ſi velit ſaluam eccleſiam, ſaluum imperium, & ſaluum ſuum Boemicum regnum. Verebatur enim ne Pontifex coronaret regem Boemiæ in Imperatorem, multæ concurrebant cauſæ, quæ faciebant, vt non iniuria timuerit. Pontifex enim in nulla re amplius aduerſabatur Boemo, nec Pontifici Boemus, vnius ſententia & animi eſſe omnes videbant. Quare Gibelinis incepit Boemus ſuſpectus fieri, quantumuis prædicaret ſe vicarium Imperatoris, reuocarúntque pleræque ciuitates ſuos milites domum, & fœdus inter ſe inierunt, ſufficientes ſe confidebant ad tuendum ſtatum rerum ſuarum. Interea non ceſſabant Boemiæ regem accuſare apud Ludouicum, miſſis frequentibus nunciis in Germaniam. Rex Ioannes viciſſim ſe excuſabat, nec enim palam hactenus iuuerat pontificios, nec dum enim tempus eſſe videbat etiam ſi in animo habere videbatur, quod timebat Imperator. Sed poſt defectionem Gibelinorum, diſceſſerunt quoque ab eo multi Germani qui ſincere colebant Ludouicum: quare eius exercitus pars maior dilapſa eſt, vt omnino videretur reparandus. Per vrbes igitur Italicas quas in manu ſua habebat paucas copiis partitis & præſidio relictis, ipſe profectus eſt in Germaniam, excuſaturus ſe apud Imperatorem, & copias numeroſiores collecturus, qua cauſa miſerat legatum in Boemiam, qui & Boemos conſcriberet. Venit igitur in Germaniam ad Ludouicum, & qua erat facundia, appoſite & aſtute egit cauſam ſuam, dicebat ſuſpiciones illas omnes hinc exortas, quod multa ſimularit, multa diſſimularit, aliud in vulgus ſparſerit, aliud apud ſe ſtatuerit, nec enim boni & prudentis ducis eſſe ſua conſilia non poſſe tegere, nihil diſſimulare; præſertim cum Italis nihil poſſe agi niſi quis dolis & aſtutia vtatur. Exempla factorum ſuorum enumerat. In fine orationis adiecit, ſe præſidia nomine Imperatoris Mutinæ & Rhegij & in aliis vrbibus reliquiſſe, ſi non videatur Imperatori, vt redeat cum copiis in Italiam, quas petebat ſibi in Germania conſcribere permitti, ſe paratum dicit domum in Boemiam redire, & in aliis teſtari propenſam animi promptitudinem erga Imperatorem. Altius autem inſederant accuſationis aduerſus Ioannem regem argumenta in animo Imperatoris, quam vt eximi potuerint. Quare iuſſit eum quieſcere, nec permittere voluit ei milites in Germania contrahere, prohibuitque, ne in Italiam rediret; ſe enim dixit, iam in hoc eſſe totum, vt breui paret expeditionem Italicam. Hoc anno Imperator celebrauit Norinbergæ conuentum Principum, in quo egit de pace communi Germaniæ & imprimis eccleſiæ. Accuſauit grauiter ſuo ipſius ore Ioannem Pontificem, quam nihil curet ſpiritualia, totum eſſe in carnalibus rebus ſuffocatum docet, dolo malo agere omnia; ſuum vero contra prædicat, eſſe virum doctrina & ſanctimonia vitæ, apoſtolis perſimilem: propterea dignum ſummo pontificatu, illum eſſe verum paſtorem ouium; Ioannem Pontificem odio dignum perpetuo apud Deum & homines, qui talem perſequi non dubitet. Adhortatur igitur Principes, vt etiam atque etiam cauſas

inſpiciant, ne ſpecie & fuco patiantur ſe fallere. Poſt illa Norinbergenſia comitia Spiram rurſum conuocat Principes, & illic multa agit de Pontificis Romani ficta expeditione in Turcos, & exactionibus iniquis, & adhortatur, ne velint tantam vim pecuniarum conferre in vſus nefandos, nam confidenter prædixit, non vſuros pontificios ea pecunia ad debellandum Turcam. Sed adhortatur, vt omni ſtudio pro virili nitantur, vt verus Pontifex ex carcere liberetur, qui eccleſiæ recte præſit, tum pacificata eccleſia, ſe profecturum cum copiis Hieroſolymam, ſatis enim, inquit, vixiſſe ſe vbi viderit eccleſiam habere Pontificem cui curæ ſit animarum ſalus, lætumque ſe aut Hieroſolymam contra hoſtes fidei, aut ex hac vita migraturum ſi poſt ſe relinquat imperio & eccleſiæ tranquillitatem & ſtatum felicem. His verbis commouit Principum multos aduerſus Ioannem Pontificem. Spiræ cum eſſet Imperator, acceſſerunt ad eum Romani ciues (quos dixi propterea comitatos, vt citius Romam rediret) & petierunt abeundi copiam ſibi dari, quandoquidem ipſe reuerti vel non vellet, vel per occupationes non poſſit. Reuocari enim ſe a ſuis, Romæ enim omnia eſſe partium variis ſtudiis turbata. Quos Imperator egregiis caballis donatos dimiſit Romam, illisque comites Germanos equites dedit quingentos, & pedites totidem, quibus Roma aduerſus Guelphos vti poſſet: promiſitque ſe Romam reuerſurum quum primum ſe extricaret ex negotiis regni, quibus inuolutum videbant Romani. Præterea ad fidem conſtantiamque adhortatus eſt eos, ſuam fidem & beneficentiam Romanos non deſideraturos in ſe inquiens. Romam venerunt per multas difficultates & diſcrimina, inueneruntque Guelphos dominari in vrbe, vixque Cæſarianos ſpirare, vt ſic dicam. Anno Domini

1331 1331, peruenit ducatus Carinthiæ ad duces Auſtriæ. Quod Ioannes rex Boemiæ pergrauiter tulit, nam apud ſe ſtatuerat filium ſuum Ioannem ducatui Carinthiæ præficere, idque iure hæreditario: nam filius eius Ioannes habuit vxorem Margaritam, filiam Henrici ducis Carinthiæ. Ad hanc aſſerebant Boemi pertinere ducatum Carinthiæ. Henricus enim Carinthius ſine hærede maſculino obierat diem ſuum. Cauſam hanc in conuentu Principum Germaniæ rex Boemiæ multis egit, legum teſtimoniis, exemplis & rationibus aliis. Ex aduerſo Ludouicus Cæſar contendit, ſe, vt Imperatorem, poſſe ducatum qui careat legitimo hærede, aſcribere cui velit, & certas ob cauſas hunc ducatum ſe adiudicare domui Auſtriæ, hoc enim ad tranquillitatem imperij facere, fore enim Carinthios imperio obſequentiores, ſi dominentur eis Auſtriæ duces. Cum igitur alioqui magnæ multis ex cauſis eſſent ſimultates inter Imperatorem & Ioannem Boemię regem, cœpit rex iam non amplius clam, ſed palam dicere & facere contra Ludouicum. ne autem res ad maius bellum perueniret, interpoſuerunt ſe quidam proceres, quibus pax cordi erat, quique a bellua bello abhorrebant, rurſus conuenerunt Principes, & comitatus Tyrolis Ioanni filio regis Boemię ceſſit, qui quoque Henrici ſoceri eius fuit. Itaque res vtcunque compoſita eſt. Promiſit enim Boemiæ rex ſe contentum quietumque fore comitatu Tyrolis conceſſo Ioanni filio ſuo. Verum Margarita vxor filij regis Boemi fœmina inexhauſtæ libidinis, & audax (qua monſtroſius & peius in vita mortalium nihil eſt, præſertim ſi accedat, vt ſemper ſolet, loquacitas & faſtus) Ludouicum Marchionem Brandenburgenſem magis quam maritum ſuum amans, confictis mendaciis accuſauit maritum apud neſcio quos epiſcopos, quorum & pecuniæ opera conſecuta eſt apoſtolicas Romani Pontificis bullas quibus conceſſum eſt mulieri, vt per diuortium poſſet cui vellet nubere, abnegata prima matrimonij fide, quare nupſit Brandenburgenſi Marchioni, & ad eum dotis nomine attulit comitatū Tyrolis. A quo viro beſtia poſtea dicitur tractata, vt merita erat: neque enim nobilius ingenium adduci poteſt, vt tale mulieris monſtrum amet. Hic ergo Marchio nullū genuit hæredem ex illa, tradiditq; duci Auſtriæ Alberto comitatum Tyrolis. Hoc tempore moritur Auinione Ioannes 22 Pontifex, inexhauſtos relinquens theſauros quos ſub variis prætextibus collegerat. Anno poſt huius mortem poſt varia ſtudia & ſuffragia Imperatoris, regis Franciæ, aliorumq; Principum, electus eſt Benedictus duodecimus, obſcuris parentibus natus, ſed morū doctrinæq; pręſtantia nobilis vir. Hic aſſumpto pōtificatu, ſtatim miſit ad Imperatorem nuncios, rogatq; eum, vt animū & vires conuertat ad reſeruandā eccleſiam, nam per ſchiſmata dicta irrepſerant multę perſonę indignę quę alerētur ex eccleſię bonis. Amabat autē hic Pontifex

tifex eruditos viros, ipſe enim erat in monaſterio in libris educatus. Imperator reſpondet legatis, ſe gaudere, talis animi Pontificem eccleſiæ a Deo datum, ſe omnia poſthabiturum eccleſię & diuinæ religioni adhortatur, vt in honeſtiſſimo & ſanctiſſimo propoſito perſeueret, & precari ſe Deum, addit, vt quam longiſſimam vitam Dominus Deus concedat illi. Regem Galliarum male habuit, quod Pontifex Benedictus & Imperator ita communicabant conſilia, nam aſſuetus erat per vitam Ioannis 22 Pontificem ſolum habere amicum, quod ei non parum emolumenti attulerat, declaratus enim dux expeditionis Hieroſolymitanæ magnam pecuniam eo nomine acceperat; neque tamen vnquam regno exceſſerat. Præterea non parua ſpes erat illi facta a Pontifice Ioanne regni Italici conſequendi. Nam excommunicatus Imperator, & Pontifex quem Ludouicus Romæ crearat, in carcere mortuus erat, & Guelphi poſt Ludouici diſceſſum per Italiam præualebant Cæſarianis, magnam item habebat Ioannes Pontifex pecuniam, proponebantque vulgo per Romanam eccleſiam Hieroſolymitanam expeditionem, cæterum in animo habebant Italicam. Omnino enim hic Papa decreuerat Ludouicum Imperatorem perſequi collecta pecunia (quam ſcribunt millies quinquaginta quinque millia fuiſſe) nam bullis non magis quam ſaxum mouebatur. Miſit autem rex regem Galliarum ad Benedictum Pontificem, multaque petiit iniquiſſima. Quam ob rem iterum Pontifex mittit ad Ludouicum in Germaniam, petitque, vt ſubueniat ſibi quam primum, nam arma Gallum aduerſus ſe parare. Petierat autem inter reliqua, vt Pontifex eum præficeret Italiæ. Quare Ludouicus mittit legatos Romam, ſuum aduentum pollicetur, adhortatur ne cedat malis. Pontifex legatis multa dixit de infelici Italiæ ſtatu, & de ſcandalis paſſim per eccleſiam, quæ omnia iubet diligenter inculcari Ludouico Principi. Rex Galliarum & Rupertus Apuliæ rex Ludouico infenſiſſimi ſubornant abbates & alios ſpirituales patres, quibus Benedictus Pontifex maxime credebat, vt vir ſimplex perpetuo in literarum & religionis ſtudio verſatus. ij ergo Pontifici dicunt quæ commiſerant illis reges, & alienant Pontificis animum paulatim ab Imperatore. Vbi illi boni patres parauerunt viam in animo Pontificis aduerſus Ludouicum Imperatorem, mittunt præfati reges alios maioris nominis prelatos eccleſiaſticos ad Papam Benedictum, qui eum admoneant, vt ab Imperatore illo Satanæ tradito caueat, ne contemptor catholicæ eccleſiæ & hæreticorum defenſor & fautor videatur. Ad quos Benedictus multa de remittendo peccantibus aduerſus nos, diſputauit; ſemper autem habebant quod opponerent qui a regibus miſſi erant. Quanquam autem Pontificis animum mutarent: non tamen potuerunt inducere, vt damnaret excommunicaretve Ludouicum, aut iuſtam declararet Ioannis 22 ſententiam aduerſus eum. Conatus autem eſt, miſſis legatis, ad partes, componere factiones, & Principes Chriſtiani nominis. Primum autem regem Galliæ & Imperatorem, admonuit eos ſui officij, adhortaturque, vt coniunctis viribus incrementis Turcarum reſiſtant. Verum rex Galliæ iratus Pontifici quod non voluit ſtatim execrari Ludouicum, interdixit reditus & bona cardinalium in toto regno ſuo. Et conſilio pecuniaque iuuit in Italia hoſtes Imperatoris. Eodem tempore Ioannes rex Boemiæ & rex Vngariæ, dux item Bauariæ Henricus ad Pontificem ſcripſerunt alium Imperatorem eſſe eligendum, nam hunc hominem omnia in ſacris & prophanis rebus perturbare, ſacra diuinis, cœlum terræ miſcendo. His omnibus rebus Pontifex non voluit quicquam temere agere contra Ludouicum, quod erat probitati aſcribendum, non rerum peritiæ. Cum autem Ludouico ſignificatum eſſet, quomodo rex Apuliæ & rex Franciæ Pontificem iniquiorem feciſſent ei, & quid Boemus, Vngarúſque moliretur. Conuocatis Spiram Germaniæ Principibus expoſuit eis omnia de Gallo, & Ruberto, & quo pacto conentur Romanum Pontificem contra ſe commouere. Finitis comitiis, rurſum miſit Romam Imperator legatos, viros prudentes iuxta ac eloquentes, Gerlacum comitem de Naſſau, & epiſcopum Curienſem, qui Romæ perbenigne ſunt a Pontifice excepti, & aures facillimas præbuit Pōtifex illis per omnia quæ ab aduerſariis obiecta erant Ludouicum excuſantibus. Reſpondit Pontifex legatis, hæreſeos accuſatum Ludouicum, & hāc perſuaſionem alte inſediſſe in Principum & regum quorundam animis, quare eximendam poſt diligentem inquiſitionem. Benedictus enim Papa ſimplex vir neſciebat, quo animo Gallorum rex tantopere accu-

ſaret Imperatorem, putabat omnia zelo pietatis fieri ex ſuo aliorum iudicans animum. Rex Galliæ minabatur etiam Pontificem ſe habiturum pro hoſte catholicæ eccleſiæ, & tractaturum, ſicut Bonifacium aliquando tractaſſet, ſi Ludouicum Imperatorem non haberet pro excõmunicato & hæretico, neque enim, inquit rex Galliæ, bono ſpiritu duci eum qui ſanctam ſanctæ ſynodi eccleſiæq; ſententiam temnit, neq; talem in ſummo eccleſiæ pontificatu ferendum. Sunt quoque admoniti Romæ legati ex Germania, ne in manus regis Galliarum incidant, neque enim itinera tuta fore. Quam ob rem per viam qua nemo eos expectabat, ſunt a põtificiis perducti vſque in tutum iter. Rex Galliæ enim viam reditus obſeruabat, in ipſos legatos odium quod habebat in Cæſarem, euomere volens. Tam impotens ira eſt Principum non recte inſtitutorum. Vbi rediere ad Imperatorem legati, bonam voluntatem erga imperium Romanum Pontificis indicarunt, ſed grauius accuſatum a rege Gallorum Imperatorem, quam vt Pontifex temere hic credere poſſet, iamque hærere Pontificem neſcientem vtris credendum ſit, Cæſarianiſne an Gallis & Guelphis; eſſe enim Pontificem virum ſanctimonia vitæ ſingulari, qui cupiat officio ſuo fungi, & eccleſiæ conſulere. Minas quoq; Galliarum regis ei indicant. Hæc vbi audit Imperator, vehementiſſime ira ſuccenſus eſt, & celebratis mox comitiis primo iræ feruore voluit Galliam hoſtiliter ingredi, omnibus viribus collectis. Sed Principes longiore conſultatione opus eſſe ſtatuunt, in re tanta, non peſſimum conſultorem iram temere ſequendum. Alienum erat tempus, nec erat res in Germania pacata, Boemiæ rex hoſtili animo erat in Ludouicum, inimicus erat Vngariæ rex; hoſtis erat dux Bauariæ, erant in Germania Principes quorum animus qualis eſſet, ignorabat Ludouicus, quidam rebellem animum aperte oſtendebant, Sueuia tota vetus odium repoſtum gerebat. Nemo adhuc potuit ſcire quo animum ſuum inclinaturus eſſet Pontifex. Quare his ſic ſe habentibus, non cenſuerunt bellum ſuſcipiendum, donec alia occaſio & commoditas ſe offerret. Rex Angliæ paucis poſt menſibus deliberat cum quibuſdam ſociis Principibus ciuitatibus de repetendo ſuo iure regni Galliæ, ad illum enim pertinere affirmabat regnum Galliæ nomine matris ſuæ Iſabelæ, quæ Philippi regis Gallorum fuerat filia. Multi Principes, epiſcopi & ciuitates parati erant iuuare regem Angliæ, ſed ex eis quidam erant regis Galliæ vaſalli, quare abſque honoris iactura non poterant contra Gallum Anglo ferre auxilium. Quam ob rem rex Angliæ miſit ad Ludouicum Imperatorem legatos, ſuum conſilium, propoſitum, ſocios, facultates, & ius Gallici regni ei declarantes, & petentes ab eo, vt faceret Eduardum regem Angliæ vicarium imperij, vt ſaluo honore & nomine, dux Geldriæ, & Marchio Iuliacenſis aliiq; Principes eum in debellanda Gallia iuuare poſſint. Omnes enim fore ſubiectos imperij vicario, vt Ligios. Ludouicus ſibi occaſionem offerri vlciſcendi ſe aduerſus Gallum, adhortatur per legatos Anglum & alios eius ſocios, vt in honeſtiſſimo propoſito pergant, promittit non ſolum facturum ſe Anglum imperij vicarium, ſed etiam maximam partem belli futurum. Iubet igitur regem Angliæ ad ſe venire in caſtrum Rens ad ripam Rheni ſitum. In quo loco conſultauerunt, de tempore, loco & rationibus belli gerendi. Promittit rex Angliæ magnam vim pecuniæ miſſurum Francofurdiam ad Imperatorem, in ſtipendia militaria; viciſſim Imperator peditatum & equitatum magnum ſe miſſurum promittit, ad omnia tempus conſtituitur. Item rex Angliæ, Imperatori homagio facto, vicarius generalis imperij deputatur. Flandrenſes cum eſſent inimiciſſimo animo in regem Galliæ, propter bella, de quibus nonnihil ſupra dictum eſt, & magno vſui poſſent in hoc bello eſſe aduerſus regem Franciæ, negauerunt tamen operam ſuam. Nam ita in conditionibus pacis erant obſtricti, vt ſi vnquam facerent contra regem Franciæ, excommunicationis latæ ſententiæ pœnæ & multæ ducentorum millium florenorum ſubiacerent. Sed cum in literis quærerent elabendi viam, nihilque inueniretur ſcriptum, niſi ſi vnquam fecerint Flandrenſes contra regem Franciæ, quidam ingenio promptior, dixit, neminem optare debere literas illas aliter ſcriptas, Eduardum enim eſſe regem Franciæ, non Philippum de Valois, hoc enim erat nomen Galliarum regi. Quare rex Anglorum aſſumpſit titulum regis Franciæ, & ceu rex Gallorum Flandrenſibus imperauit milites. Nam & hoc erat in conditionib. pacis, vt ſicubi opus eſſet, mitterent militũ certum numerũ. Hac via effugiebant Flandrenſes excommunica-

munication oem & pœnam pecuniariam. Omnibus itaque cõstitutis, visum est Imperatori & Anglo primũ verbis agere, deinde indicere bellum. Imperator igitur ad regem Gallorum literas dat, in quibus citat eum ad tribunal curiæ suæ, ibiq; respõdeat Eduardo generali imperij vicario, regi Anglorum; & nisi veniat ad præscriptum diem, iustitiamque faciat Anglo, se paratum regem Angliæ iuuando officium suum facere. Et simul ad se venire imperat Gallo vt feuda quæ ab imperio habeat, recognoscat, & homagium Imperatori debitum faciat. Hæc scribit Ludouicus ad Gallum sciens ipsum nihil horum facturum, sed causam belli indicare voluit, vt rite procedendo bellum illi indicerent, seu, vt loquuntur, diffidarent ipsum. Pontificem Romanum permisisse aliquot episcopis vt ferrent auxiliares manus Anglo ad hoc bellum. Rex Galliæ respondit tabellionibus, Nihil inopinati adferri, se paratum hostem excipere, mirari se stultas & iniquas Imperatoris & Angli flagitationes. Vtrinque igitur contrahunt copias, Gallus ad Guelphos mittit in Italiam legatos qui doceant Guelphos, actum esse de illis, si Ludouico & Eduardo ex animi sententia succedat in Gallia. quare consilium esse, vt coniuncti resistant. Persuasi Guelphi, mittunt magnas ex Italia ad Gallum copias, Pontifex sedet quietus spectator tragœdiæ: inclinabat tamen animus eius ad alteram partem magis, quia videbatur illi iustiorem causam habere Eduardus, & in recenti memoria habebat quid contra Imperatorem apud se conatus esset Gallus. Rex Angliæ cum suis & sociorum Principum ciuitatumque omnibus copiis paratus expectat Imperatorem, qui pollicitus erat se in sua ipsius persona cum magno equitatu & peditatu venturum. Cumque diutius cessasset, respondit Imperator, serius Anglum promissam pecuniam misisse, quam inter eos conuenerit, remisitque pecuniam regi cum ipse exspectaret Imperatorem. Refrixerat autem ira Imperatoris in Gallum. Prætexuit Ludouicus etiam pœnitentiæ, quod pecunia non sufficiens esset ad exercitum qualem deceret habere Imperatorem, regem autem ampliorem promisisse. Scribunt quidam quod propterea non steterit promissis Imperator, quod post conuentum cum Anglo informatus sit ab aliquibus, quod neque deceat neque liceat Imperatorem ab vllo stipendium accipere. Quanquam autem Imperator non venit: tamen Anglus cum aliis sociis aduersus Gallum; Gallus rursus cum Italis Guelphis & suis aduersus Anglũ tendit. Cumque itinere vnius diei distarent exercitus, monialis soror regis Franciæ, vidua relicta comitis Hollandiæ, mulier insignis sanctitatis, impetrauit inter Anglum & Gallum, fratrem suum Germanum, inducias ad tres annos. Sed rex Angliæ in nullas conditiones consentire voluit, nisi prius Flandrensium pax esset facta cum Gallo. Flandrensibus reconciliatis, noluit exercitum reducere nisi prius sibi Aquitania esset restituta. reddidit igitur Eduardo Aquitaniam, & tamen bene secum actum putabat, quod erant factæ induciæ, tantas copias habebat Anglus. Deinde in Anglia & inferiori Germania passim, atque etiam per totam Germaniam, nec non in Italia apud multos pessime audiebat Ludouicus, quod fidem non seruasset Eduardo. Dicebant enim pecunia a Gallo corruptum, aureisque cathenis vinctum domi mansisse. Et sunt qui mandarunt literis tale quiddam de eo, inter quos est Iacobus Moguntinensis, qui hæc scribit. Rex Galliæ Philippus vt auerteret Ludouicum, misit solennes nuncios imperatrici filiæ sororis suæ, quæcunque ea fuit, vocans eam dominam Alamaniæ, petiuitque vt sibi Imperatorem pacificaret multa promittens. Qua re interueniente, hinc inde Principes oratores suos mittebant, tandem contracta est inter eos liga perpetua literis & iuramentis firmata. Iurauitque rex Franciæ quod Ludouicum cum apostolico vellet concordare: & sic deinceps Ludouicus per regnum Franciæ Imperator scriptus est & nominatus. Quo facto Ludouicus regem Angliæ absoluit a vicariatu imperij: & ex tunc ipse Ludouicus prosperitatem nunquam habuit, & rex Franciæ qui corporale præstiterat iuramentum, quod eum Papæ reconciliaret, nihil fecit. Habes Iacobi Moguntinensis verba. Item scribunt eiusdem classis autores, postea Ludouicum ad Gallum misisse legatos, promissi admonuisse, vt eum scilicet conciliaret Pontifici. Gallum non tam impudentem fuisse vt simpliciter negarit quod paulo ante promiserat; habuisse tamen in animo ita fidem Ludouico seruare, vt ipse seruarat Eduardo. Misisse igitur suos Gallus cum Imperatoris legatis ad Benedictum Pontificem, vt promissis satisfaceret, non vt pacem faceret inter Ludouicum & Benedictum. Apud

Pontificem cauſam Imperatoris ita egiſſe feruntur Galli, vt eam longe deteriorem fecerint. poſt enim exordium quo ſibi aures Papæ parabant, bona fide rem omnem narraſſe, quomodo bonus vir accepiſſet pecuniam, & quã gratũ regem Francię deſeruerit in periculis, in quæ ille induxerat regem Angliæ, planeque prodiderit, quantum in eo fuit, Anglum eiusque belli ſocios Gallo. quare regem Galliæ cupere referre gratiam quam promiſerit Imperatori. rogare igitur vt commendatum habeat, in gratiamque recipiat eum. Pontifex nulla accuſatione magis offendi & concitari contra Ludouicum potuiſſet, nec antea omnibus ſuis criminationibus & calumniis tantum efficere potuit in animo Pontificis, quantum hac commendatione. Erat enim Benedictus hic infenſiſſimus cum omnibus vitiis, tum potiſſimum proditores, periuros, fœdifragos, perfidosque odio proſequebatur. Antea namque quæ obiecerat Gallus Ludouico ex odio fieri credebat, quare paruam habuit illi fidem. Hæc vero vera eſſe res ipſa clamabat, & totus nouerat orbis. Nihil tamen amarius reſpondit Pontifex, quam Dominum perfidiam non impunitam abire permiſſurum. Hactenus propterea Domino diſponente, non potuiſſe ſe induci vt abſolueret Ludouicum hunc, quanquam ſemper propter ſummum in ſecularibus magiſtratum quem gereret, erga illum propenſum habuiſſet animum. Legati igitur Galli in Galliam, Germani in Germaniam reuerſi retulerunt dominis ſuis. Imperator animi dolore pœnitentia & ira cruciatur eo magis, quo minus vltionem ſperat, quoque magis ſibi conſcius eſt iram Pontificis & omnium hominum ſe meritum, quod ita deſtituerat regem Angliæ, & quantum in ipſo fuerat, perdiderat. neque audebat ſibi mali conſcius Gallo obiicere fidem non ſeruatam. Gallus vero in ſinu ridebat, triumphabat quod ita hoſtem ſuum fefellerat. Virtutis eſſe aſſerẽs hoſtem quocunq; dolo circũuenire. Cum autem excommunicatio Ludouici, quam aduerſus eum Pontifex Ioannes 22 promulgarat, iam rata magis haberetur, quam vnquam antea, Imperator inops conſilij vbique quærebat conſilium, conſulebat autem etiam monachos, qui apud Principes ob doctrinam & probitatem adhuc in precio erant. Conſulentibus igitur quibuſdã monachis ordinis diui Franciſci, conuocat Francofurdiam Principes, & illinc ex comitiis decretum ſub ſigillo ſuo edidit, & promulgauit contra proceſſus Ioannis 22 Pontificis, quod ad verbum ſic ſonat, Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Vniuerſis & ſingulis regibus Chriſtianorum, ac Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Presbyteris, quocunq; honoris præfulgeant culmine, & cæteris eccleſiarum prælatis, necnõ ſecularibus Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Iudicibus, Prouincialibus, ciuitatum terrarum Romano imperio ſubiectarum, & ipſarum cuilibet incolis & habitatoribus, ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, gratiam ſuam & omne bonum. Fidem catholicam, quam ſancta mater eccleſia tenet, firmiter credentes, fideliter confitentes, & ipſius eccleſiæ doctrinam in ſacris canonibus traditam ſequi volentes, quibuſdam allegationibus, impugnationibus & oppoſitionibus, quæ contra nos & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem autoritatem & dignitatem opponuntur, ne ſimplicium corda poſſint inficere, duximus in his ſcriptis reſpondendum. In primis contra nos & imperialem autoritatem, dignitatem, poteſtatem, & ius imperij allegatur, quod poteſtas & autoritas imperialis eſt a Papa, & electus in regem Roman. ex ſola electione non eſt nec dici poteſt verus Imperator, nec habet poteſtatem iuriſdictionis, & antequam inungatur, conſecretur & coronetur. Papa in temporalibus etiam habet plenitudinẽ poteſtatis, ad quod reſpondemus, hãc oppoſitionem ſacris canonibus, iuri ac rationi obuiare, ſicut expreſſe patet in c. cum ad verum, &c. Si Imperator 96 diſt. vbi habetur, quod nec Imperat. iura pontificatus, nec Pontifex iura imperij ſibi vſurpare debet. vbi gloſ. dicit quod iſtæ poteſtates ſunt diſtinctæ, & quod neutra dependet ab altera. Imperator enim non habet imperium a Papa, ſed a ſolo Deo 93 diſt. cap. legimus, vbi tex. quod exercitus facit Imperatorem. Et gloſſa ibi dicit, eum verum Imperatorem antequam Papa confirmatur. probatur idem in cap. Quoniam 10 diſt. quem textus ponit in lõgum. Infert quod Papa non habet vtrunque gladium: alioqui ſi imperium haberetur a Papa, in temporalibus ad Papam poſſet appellari, quod prohibet Alexander Papa, dicens, Illa temporalia

ralia habere ſuam iuriſdictionẽ de appel. Si duobus.cap. Cauſa hi qui fi.ſunt le.ibi gloſ. facit & tex. in c. quo iure. 8 diſtinct.cap. Nouit de iudi.Ex quibus concludit,quod poteſtas imperialis eſt immediate a Deo,& Imperator ex ſola electione antequam inungatur & coronetur,habet poteſtatem imperialem: nec Papa habet in temporalibus dictam poteſtatis plenitudinem. Secundo obiicitur nobis,quod Ioan. 22 per ſuos proceſſus caſſauit, ac mandauit electionem de nobis factam, & nos poſtea adminiſtrare non potuiſſe iura imperij, ſed adminiſtratio ad ipſum Papam pertinebat de iure. quæ omnia ſunt contra iura imperij,& contra iura& libertates eorum,ad quos vacante imperio pertinet electio,& contra iura ac libertates Principum Alamaniæ,& ſubditorum imperij, contra conſuetudines ab antiquo rationabiliter introductas. Inſuper proceſſus ſuos, bullas aut literas quas dicitur per mundum direxiſſe, in quibus aſſerit ſe totam Italiam ab imperio & regno Alamaniæ ſeparaſſe,inſinuans, quod Papa eſt dominus vniuerſalis, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, ad quæ omnia duximus reſpondenda. Quod dicti omnes ſui proceſſus,aſſertiones & literæ & circa prædicta geſta ſunt atque fuerunt nulli & nulla,nullius roboris vel momẽti, rationibus infra ſcriptis. Prima ratio,quod Papa quantumcunque legitimus,talem poteſtatem in temporalibus maxime ſuper iura imperij non habeat, clare determinãt iura ſupra alligata: vnde quicquid dictus Ioan. 22 fecit in prædictis, tãquam a non ſuo iudice factum,nullius fuit roboris vel momenti. 2.q. 1.c.in primis,de iud.ad ſi clerici,cum ſimil. Secunda ratio ex eo, quod dicti proceſſus, imo verius exceſſus,contra nos & in præiudicium enorme noſtri & illorum qui nos elegerunt, & aliorum Principum Alamaniæ, ac totius imperij,ex notorie falſis cauſis,& nullo iuris ordine ſeruato,nobili & aliis quorum intererat abſentibus,& nullo modo legitime citatis emanarunt. Sunt idcirco inualidi, nullius roboris vel momenti, 3.q.9.per totum,vbi dicitur,quod omnia quę contra abſentes in omni negocio aut loco aguntur, irrita erunt, nec aliquã obtinent firmitatem. Non obſtat autem ſi dicatur dictus Ioannes Auinione exiſtens cum ſua curia per literas quas dicitur ad fores eccleſiæ publicaſſe, abſentes citaſſe, quoniam talis citatio in ſimili negocio eſt nulla, ne dicenda legitima, rationibus infra ſcriptis. Prima,quia ſecundum iura,ad hoc vt citatio dicatur legitima, neceſſe eſt quod citandus perſonaliter citetur, ſi inuenitur, aut publicetur ad domum,alias contra ipſum non poteſt procedi, probatur 4.queſt.5.ca.quiſque de do.& cont.cauſam, de ele.non re. ex tuæ. cum vulgatis iuribus. Secunda ratio,quia adhoc vt citatio accerſat ad veniendũ,neceſſe eſt vt aſſignetur citato terminus & locus ad comparendum ſecurus,prout probatur c.ex parte de appel. 3.q.9.hortamur,vt lit.non cont.accedens. ff. de iudi. Si locum. Sed notorium eſt, quod dictus Ioannes tam nos quam noſtri imperij fideles & amicos odio capitali & etiam hoſtili exercitu perſecutus eſt. Ciuitas vero Auinienſ.& ipſe Papa ac dominus ciuitatis, nos & Romanum imperium habebat odio ex antiquo: quare deſiperet qui diceret talem citationem aliquo modo fuiſſe; canonica, imo irrita fuit & nulla. Tertia ratio,quia nullus in propria cauſa,debet eſſe iudex,vel ius ſibi dicere,23.q.4.inter querelas.c.ne quis in propria cauſa in rubro & nigro. Sed notorium eſt quod dictus Ioan. contendebat ſe etiam in temporalibus,& in nos ac in totum imperiũ habere plenitudinem poteſtatis. Et quod contra nos ac iura imperij vſurpare conabatur,& vt hoſtis perſequi curabat. Vnde & contra eum tanquam aduerſarium & hoſtem noſtrum & imperij pro defenſione noſtra & fidelium noſtrorum appellauimus ad futurum generale concilium,in loco tuto & ſecuro celebrandũ,igitur &c. Tertio obiicitur contra nos,quod dictus Ioan. 22 tam in nos quam in omnes ſequaces & fideles noſtros,habentes & reuerentes nos pro Imperatore vero & legitimo, & nobis tanquam Imperatori reuerentiam exhibentes,& in omnes admittentes nos ad diuina,ſeu participantes nobiſcum,&c. fulminauit execrationis ſententias & interdictum in vniuerſitatem. Et dicitur quod ſententia paſtoris ſiue ſit iuſta ſiue iniuſta,ſeruãda eſt & tenenda. Ad quæ reſpondemus,quod ſecundum ſacros canones ſententiæ & proceſſus huiuſmodi fuerunt & ſunt nulli & nullius momenti,quod probatur rationibus. Prima ratio, certum eſt quod cum prælatus eccleſiæ in ſuo mandato excedit formam & poteſtatem a ſacris canonibus ſibi traditam,in contrarium facientes non incurrunt ſentẽtias &c. probatur per c. Cum ad quorundã,de exceſ.præla. Nam ſacri canones & eccleſia prohibet ea &

non concedit Papæ ius imperij & poteſtatem in temporalibus. Sed Ioan. 22 ius & poteſtatem imperij ſibi vſurpare nitebatur, ergo, &c. Et hic eſt vnus ex caſibus in quibus execrationis ſententia non eſt aliquatenus timenda nec obſeruanda. Secunda ratio, certum eſt de iure, vbi error eſt expreſſus in ſententia vel mandato, ſentētia eſt ipſo iure nulla, puta, præcipit ſubdito vt non obediat ſuo ſuperiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra ſacram ſcripturam pro quo 11.q.3.Si is qui cum duobus. Et idem eſt vbicunque ſententia eſt ipſo iure nulla, probatur in c. p. tuas de ſen. exc. de procur. in noſtra præſentia cum ſi. Sed manifeſtū eſt quod dictus Ioan. mandauit vt non obediatur nobis, cui omnes ſubiecti imperio obedire & reuerentiam exhibere ſecundum diuina & humana iura debent. Et quod hoc fecit volendo ſibi ius imperij in temporalibus vſurpare, quod eſt contra Deum & omnem iuſtitiam. ergo, &c. Tertia ratio, manifeſtum quando ſententia execrationis vel interdicti fertur poſt appellationem legitimam, quod tunc eſt nulla, nec timenda nec obſeruanda, probatur de offic. dele. cum abbas. de ſen. ex. per tuas, & in glo. Sed manifeſtum eſt quod nos contra dictum Ioan. & proceſſus ſuos contra Deum & iuſtitiam in nos fulminatos, appellauimus. Ad futurum generale concilium, & ad ſanctam catholicam eccleſiam, quæ appellatio fuit ad ipſius Ioannis notitiam deducta, prout conſtat, legitime, & quod ipſe poſtea contra dictam appellationem promulgauit contra nos, fideles noſtros, & nobis conſilium fauorem aut auxilium præſtantes. ergo, &c. Nec obſtat ſi dicitur quod Papa non habet ſuperiorem, & ſic non poſſit ab ipſo appellari, quoniam manifeſtum eſt ſecundum doctrinam catholicam, quod Papa vbi de fide agitur, ſubeſt conciliis, 16 diſt. ſicut in text. & in glo. 25.q.2. ſunt quidam. 19. diſt. Anaſtaſius 40. diſt. Si Papa. Idem vbi de iure diuino agitur, concilium eſt ſupra Papam iuribus allegatis. Cum autem pro defenſione iuris imperij quod a iure diuino & fide catholica pēdet appellauerimus, ſequitur quod appellatio noſtra interpoſita fuit ad ſuperiorem, id eſt ad concilium generale contra aduerſantes nobis, & nos ac imperium & fidem catholicam quam ſancta Romana tenet eccleſia impugnantes. Quam ob rem de concilio & cōſenſu prælatorum omnium & Principum Alamaniæ in oppido noſtro Francofurt congregatorum denunciamus & decernimus proceſſus huiuſmodi nullos eſſe, & nullius roboris aut momenti. Ac vniuerſis & ſingulis ſub noſtro degentibus imperio, cuiuſcunque ſtatus & conditionis fuerint, diſtricte præcipimus & mādamus, quatenus nulla ſingularis perſona aut communitas dictas ſententias execrationis aut interdicti præſumant obſeruare. Quicunq; autem contra fecerint, eos omnibus Feudis quæ tenent ab imperio, & omnibus gratiis, priuilegiis, libertatibus, & emunitatibus priuamus. In quorum omnium teſtimonium preſentes literas fieri fecimus, & noſtra imperialis maieſtatis bulla iuſſimus communiri. Dat. in oppido Francofurt, præfatis prælatis ac Principibus ibidem nobis aſſiſtentibus, die 8 menſis Auguſti, anno Domini 1338, indictione 6, regni noſtri anno 24, imperij vero 11. Hoc decretum, vt vocant, ſcriptum & editum ex concilio quorundam fratrum Minorum, eſt ingens turbatio in eccleſia ſecuta. Pontifex enim e contra bullis horrendis, & multis fulminauit, quibus conſcientiæ miſerrime tortæ ſunt. Quidam eccleſiaſticorum adhærere Pontifici conabātur quos omnes prælatos & vulgum ſacerdotum a præbendis & dignitatibus deturbauit Cæſar. Monachi multi relinquebant monaſteria, ne incurrerent excommunicationis ſententiam. Quidam fortaſſe arripiebant hinc occaſionem vagandi. Statim poſt publicatum hunc, vt ſic dicam, proceſſum expulit ex Francofurdia prædicatores qui nolebant obſeruare contra Papam Imperatoris mandata. Mox ex reliquis omnibus eccleſiis eiecit prædicatores, qui Papæ adhærere pergebant. Plurimi Pontificis ſtudioſi ob reuerentiam quam habebāt erga Romanam ſedem, nolentes Imperatoris mandatum obſeruare Romam tum ex Germania profecti ſunt, ibiq; queſti ſunt de perſecutionibus quas ob religionis obſeruantiam perferrent. Cum autem maior pars non eſſet pecuniata, expectabant enim fruſtra opem ab illo propter quem exulabant, fame ſuadente & compellente in Germaniam reuerſi & gratiam rogantes a Cæſare recepti ſunt, quod clericorum genus tum acerrime Imperatoris cauſam egit aduerſus Papam. Ex illis Cæſar prudenter concionatores fecit. nam aliquandiu nihil aliud ad populum prædicabant, quam de Imperatore & Pontifice, probabant omnes declamantes ad populum, imperium eſſe

1338

im-

immediate a Deo; nẽc habere Papam quicquam iuris in imperium, quantum attinet ad carnalia, & recte Cæsarem appellasse ad futurum generale concilium, ceu ad superiorem magistratum; concilium enim esse maius quam vel Papa vel Imperator sit. Exoriebantur multa bella ex hac lite Pontificis & Imperatoris. Quidam enim Principes, qui alioqui Imperatoris erant inimici, per suas ecclesias omnibus festis diebus pontificiam excommunicationem in Ludouicum euulgabant. aduersus quos Cæsar copias vel ducebat ipse, vel mittebat. tumultibus implebatur Germania & cædibus. In Italia Papa omnia occupabat, & expulsis Gibelinis (sic enim adhuc eos vocabant) constituit præfectos aut suo nomine, aut donauit ciuitates quibus fidebat amicis, nec hoc sine magno motu Latij factum est. stabiliuit ergo Pontifex ita res suas in Italia, vt nihil amplius periculi esset a Cæsare, vt putabatur. In vrbe Metensi erat magnus Principũ conuentus hoc tempore, aderat etiam Huldrichus dux Wirtenbergensis, vir bello & pace præstantissimus, qui cum domum vellet reuerti in itinere captus est non procul a Bonfeld a nobili quopiam de Vinstingen, & ductus in arcem coactus est dare pro sua liberatione centies mille marcas argenti. Hoc tempore Pontifex ad expeditionem Hierosolymitanam collegit pecuniam per Galliam & Angliam, in Germaniam quoque eius rei gratia misit legatos: sed Ludouicus Imperator eos expulit, & quam in quibusdam locis coegerant pecuniam, eripuit illis. Romana ecclesia sic turbata, Turcæ magno cum apparatu & copiis hostiliter Christianos inuadunt, infinitamq; eorum multitudinem abducunt, & illis abutuntur inhumanissime, in nauigationibus & agrorum cultu, quique ex eis non valebant diutius vehementes obire functiones vel per senectutem, vel per morbum, occidebant, aut abiecti viui fame peribant. Quidã boni Principes misericordia & zelo moti libenter laborantibus succurrissent, sed maior pars ambitione, dominandi libidine, & mutuo odio perditi nihil afficiebantur propter aliorum afflictiones, sed ceu perpetuo victuri curabant sua, nullo proximi respectu habito. Et duo ecclesiæ capita Imperator & Papa quęrebant tempus & locum vt alter alterum posset supprimere. Post natiuitatem Christi anno 1342, Benedicto post septimum pontificatus sui annum mortuo, eligitur Clemens sextus, qui Iubileum annum celebrandum statuit quinquagesimo anno, cum Bonifacius decreuerit & publicarit obseruandum per Rom. ecclesiam anno 100, vt antea dictum est. Clemens hic dum adhuc esset cardinalis, regis Franciæ summus amicus; Ludouici vero inimicus fuit: quare statim post arreptum pontificatum, Ioannis 22 Pontificis execrationis sententiam in Ludouicum Imperatorem confirmat, & denuo excommunicat omnes qui illi adhærent, & non statim ab eo discedunt. Et mox conuertit se ad eiiciendos ex Italia Gibelinos, & prouehendos Guelphos, quoscunque intelligit vel vno verbo fauere Imperatori, proscribit, aut capit, quosdam occidit. Et Ludouicus animi & bilis abunde satis habens, contemnit Papam cum bullis suis, quas assiduas e Roma mittebat, confert sacerdotia, episcopatus omnesque ecclesiasticas dignitates ex suo arbitrio, & quicquid antea autoritate pontificia in ecclesia & collegiis, vniuersitatibusque fiebat, iam potestate imperiali confirmatur, abrogatur, mutatur & innouatur. Sed hæc non absq; scandalo & conscientiarum carnificina fiunt in ecclesia, factusque est prorsus ecclesiæ status miserrimus. Papa fulminibus terret mentes eorum qui adhærent Ludouico; Ludouicus non esse verum Pontificem vbique prædicat. Sed cum tandem vidit Ludouicus Pontificis amicitia & fauore esse sibi opus ad imperium administrandũ & retinendum, accidissentque res difficiliores, multo humilior redditus, mittit legatos ad Gallorum regem, petitq; ab eo vt iuxta promissum reconciliet sibi Põtificis gratiam, & absolutionem impetret. Rex Franciæ, quemadmodũ ante quoq;, sic & nunc agit causam Imperatoris apud Pontificem, & pro ludo habent sibi Imperatorem. Respondet igitur Gallus legatis, si Ludouicus petat gratiam & absolutionem vt subditum & pœnitentem decet, se aliquid impetraturum ab apostolico. Legati regis & Pontificis inimicum iniquumque animum ignorantes respondent, in Pontificis & regis manum & voluntatem ponere vt literas absolutionis & mãdatum ad formam quã velint faciant. Legatis enim erat potestas data faciẽdi quicquid placeret, & in mandatis habebãt, vt quocunque modo fieret operã darent, quo absolutionẽ & gratiã Papæ consequerentur. quare procuratores curiæ Pontificiæ petiere sibi præscribi formã placentẽ Papæ. Pontifex &

1342

rex conceperunt formam, penitus ſeruilem, turpem & intollerabilem, in quam nemo paulo altioris animi conſentiret, etiamſi eſſet carceri perpetuo mancipatus, aut ad ſupplicium ducendus. Mandatum (ſic enim vocant hoc genus literarum) exigebat, vt præſentes Cæſaris legati (qui erant propoſiti Auguſtenſis, & Bambergenſis eccleſiarum, & archicancellarius Imperatoris, nomine Henricus, auunculus Imperatoris Hunibertus) nomine domini ſui confiterentur omnes hæreſes & errores quibus criminabatur, & reſignarent imperium, non reſumendum niſi gratia Papæ, Ludouicum & liberos in manu Papæ ponerent. Item multa de imperio eccleſiæ patrimonióve beati Petri adiudicabat mandatum apoſtolicum illud, & alia de ſtatu imperij intolerabilia ſcripta erant in eo. Hæc in mandato contenta legati non ſolum ſigillis confirmarunt, ſed etiam nomine Imperatoris ſeruanda iurarunt. Eccleſiarum enim præpoſiti, quos dixi, ſuſpiciebant ceu numen Papam, eratque illis oraculi loco quicquid dicebat Pontifex. Vbi cum articulis illis in Germaniã rediere legati, Ludouicus nulli magis iratus fuit quam ſibi, qui aliquid boni a Gallo ſperaſſet, ſibi inimiciſſimo. nec habuit cauſam vllam adobiurgandos legatos, diſcedentibus enim commiſerat vt quibuſcunque poſſent conditionibus, conciliarent ſibi Papam. Miſit autem paſſim per Germaniam ad Principes exemplaria literarum quas e Roma attulerant, nullúſq; fere fuit Princeps Germaniæ, qui non vehementer commotus fuerit rei indignitate iniquiſſimisque Pontificis flagitationibus. Quorum ſententiam & animum vbi intellexit Imperator, cõuocat omnes Francofurdiam, & in hanc fere ſententiam eos allocutus eſt, Abunde opinor, ſocij & amici vobis teſtatus ſum, quam cupidus ſim pacis & tranquillitatis eccleſiæ, quid fecerim, quid paſſus ſim. Et omnium fere bellorum quæ hactenus geſſimus, finẽ fuiſſe potiſſimum pacem dignitatemq; eccleſiæ & imperij. Singulorum a nobis geſtorum cauſas, fines deſtinatáve recenſerem, niſi ſcirem vos quæ veſtra eſt prudentia, & ſapientia, omnia ſcire, & pro veſtro candore nihil in aliam partem rapere, quam factum eſt. Audiuiſtis quid Romanus Papa petat, ex quibus facile poteſtis intelligere voluntatem eius erga nos & imperium. Quanquam autem omnia ſint iniquiſſima, quæ exigunt a nobis pontificij: tamen propter eccleſiæ pacem, & vitanda ſcandala paratus ſum facere quicquid veſtra prudentia ſuadet, nec enim committam vt vſquam videar publica cõmoda poſthabuiſſe meis. Paratus ſum deponere imperium in manus Pontificis, etſi ſatis abunde probatum eſt iamdudum Papæ iuris in imperium & imperatorem nihil eſſe. Sed ſi aliter videtur vt reſiſtamus Pontificis iræ, & perſeueremus in propoſita appellatione, ſumus parati quidlibet pati, quoduis ſubire periculum propter imperij dignitatem. Et alia in hanc ſententiam dixiſſe apud autores reperio. Præſentum Principum multi & legati eorum irati propter iniquas Papæ poſtulationes, adhortati ſunt Imperatorem ne quid humilius quod non deceat Imperatorem, faciat. Præter vero reliquos vir prudens & facundus multarumque rerum vſu exercitatiſſimus Wickerus protonotarius archiepiſcopi Treuerenſis in frequenti Principum conſeſſu poſt multas variasq; ſententias ex omnium conſiliis & ſententiis ſummam collegit, quę omnibus placebat, quanquam alij plus, alij minus rogati dixerãt. Concludendo igitur breuiter hæc habuit verba, Sereniſſime domine Imperator, Principes electores, & alij imperij fideles recenſentes articulos reformationis veſtrę quos Papa requirit, ac in his reſidet, concorditer articulos illos decreuerunt in perniciem & deſtructionem imperij eſſe cõceptos, & quod nec vos, nec ipſi virtute iuramenti imperio præſtiti annuere valeatis. intenduntque oratores ſuos ad Papam mittere, nec non ad collegium cardinalium cum petitione quod deſiſtant. & ſi recuſarint, iam deliberauerunt, quod in Rens ſuper Rhenum conuenient vobiſcum deliberaturi qualiter huiuſmodi conatibus reſiſtatur. Hęc cum ita dixiſſet, rogauit, num hæc eſſet omnium ſententia. Cõcorditer reſpondere, ita eſſe, & omnes polliciti ſunt ſe propter vllum periculum aut timorem mutaturos propoſitum aut ſententiam, ſed imperij præſentem ſtatum defenſuros, quemadmodum deberent. Aderat etiam legatorum vnus in ſacris Bibliis non vulgariter inſtitutus, qui longa oratione conabatur eximere ſcrupulos quos quidam boni viri in conſcientia habebant, propter excommunicationem & Romanæ ſedis autoritatem. Multa hic dixit de officio miniſtrorum eccleſiæ, & de poteſtate eccleſiaſtica, quam etiam atque etiam commendauit Principibus reuerendam & tuendam. Nam niſi ſit, inquit, religio in ſuo

loco

loco & dignitate, Reſpub. nulla conſiſtere poteſt, ſed quæ ſit, & quomodo defendenda pluribus docet Principes, qui illi credebant non ſolum propter argumenta, & ſcripturæ teſtimonia, ſed etiam propter vitæ morumque eximiam probitatem. Quamobrem decretum eſt, vt legatio honeſta ad Pōtificem nomine Principum & Imperatoris mitteretur. Miſſi ſunt ergo ex ſecularibus & eccleſiaſticis viri animi fortitudine, facundia, nobilitate præſtantes: qui vbi peruenerunt ad Romanum Pontificem, expoſuerunt illi decretum Principum Germanorum in comitiis Francofurdienſibus, quod nullo modo facere vellet Imperator quæ peteret apoſtolicus: eſſe enim contra iuramentum imperio factum a Ludouico. Hæc Pontifex cum cardinalibus ſuis audiens, iam non amplius bullis cum Germanis agendum, ſed armis inclementer iudicauerunt. Quam ob rem quam primum regi Gallorum hæc omnia ſignificat Pontifex, & adhortatur vt eccleſiæ auxilium ferat, quo poſſit hanc belluam ex eccleſia eiicere iam antea ſæpe Satanæ traditam. Gallus communicat conſilia, pollicetur opem, apparat arma. Mittit & ad alios Principes paſſim per Romanam eccleſiam præcipue quos alioqui ſciebat Ludouico Imperatori infenſos, inter quos erat & Ioannes rex Boemiæ, quibus cum de bello tractat contra Imperatorem, & de alio ſubſtituēdo in locum Ludouici. Hoc tempore in Germania bella fuerunt, nec ſine multo ſanguine. Sueuia vehementer affligebatur, quæ res pontificias partes non parum iuuare videbatur. Comes Wirtenbergēſis diripuit & vaſtauit Mengen oppidulum. eidem comiti Wirtenbergenſi, cui erat nomen Eberardus, eodem tempore, cum propter alias cauſas, tum propter oppidum Ehingen, fuit bellum cum ducibus Auſtriæ. Qui vtrinque pertinaciſſimos gerebant animos, nec componi potuerunt niſi longo poſt tempore. Imperator enim interpoſuit ſe quidem, ſed non potuit libere ſuam ſententiam pronunciare, ne alteram partem a ſe alienaret, quod ſumme erat cauendum Imperatori, neceſſarij enim erant illi amici multi contra Papæ conatus. neque parum nocuiſſet Imperatoris rebus, ſi aut comes Wirtenbergenſis, aut duces Auſtriæ ab eo ad Papam deciſſent. Pontifex aluit, quantum potuit, diſcordiam illam, & cum rege Anglorum multa egit Pontifex vt iuuaret exterminare illum Ludouicum: ſed rex Anglorum petit a Pontifice vt ſua autoritate apoſtolicæ ſedis, reſtituat ſibi debitum regnum Galliæ, tum pollicetur ſe omnibus viribus Galliarum & Anglici regni auxilium laturum eccleſiæ. Pontifice autem nihil contra regem Galliæ ſummum ſuum amicum agente, rex Angliæ noluit quicquam contra Ludouicum Imperatorem agere, ne aliquid Gallo hoſti ſuo hinc accederet. Pontifex habebat multos iam conſpirantes & paratos ad bellum ſecum contra Imperatorem Ludouicum, ecce incidunt repente quæ propoſitum & conſilium Pontificis perturbant totum. Rex Apuliæ, qui pars pontificij belli non exigua erat futurus, ſtrangulatus eſt in vno lecto dormiens cum coniuge Ioanna ſceleris conſcia: nam maritum odiebat. Adeo a mala muliere cauendum eſt ſiue nimium ardeat ſiue odiat. Regi Galliæ fecit Anglus & Flandria negocium, vt non vacarit illi aliquid moliri contra Ludouicum. Ita cogitationes & conatus Pontificis contra Imperat. impediti ſunt. Hoc tempore peſtis graſſata eſt crudeliſſime per Italiam, Germaniam & Galliam, tertiam partem hominum periiſſe putant. Erat totus annus auſtrinus, cœlumque humidius, nullę tamen pluuiæ grauiores quæ refrigerari potuerint aerem. Arborei fructus copia magna, proueniebant, ſed cereales nō reſpondebant prorſus. Apulia poſt regis mortem eſt a fratre regis miſere vaſtata, & regina linguax mulier (deteſtandum malum) vix fuga elapſa meretricio queſtu egens, vix ſordidiſſimum victum quærere potuit. Pontifex Clemēs vbi bellum cauſis, quibus dixi, impeditum eſt, rurſum redit ad excommunicationis fulmina contra Ludouicum Imperatorem: crudelibus & monſtrificis verbis terrere conatur Germaniam, & innouat omnes Ioannis Papæ proceſſus contra Ludouicum. Mittit quoque apoſtolicos legatos ad Principes electores imperij, rogat eos per matrem ſanctam Romanā eccleſiam, vt deſerant ſchiſmaticum hæreticum Bauarum, & propter ſalutem tot animarum quæ quotidie pereant, alium Imperatorem eligant. Certum conſtituit illis diem infra quem eligere debeant alium, additque, ſi ceſſent & non obtemperent, ſe cum ſancta patrū ſynodo prouiſurum imperio per alium electum Imperatorem. Nam hunc diutius ſe non laturum. Crimina autem quibus Papa accuſabat Ludouicum erant hæc, Hæreſin primo loco

ponebat, hæreticum enim asserebat Pontifex Ludouicum, quod quædam de paupertate Christi & apostolorum aliter credidit, quam ecclesia Romana in vsu habuit. quæ opinio iam ante per Ioannem 22 erat damnata & hæretica iudicata. Item hæreseos crimen esse Papa scripsit, quod asseruit Ludouicus Imperatorem habere ius Papam creandi & rursum deponendi. Item qui sæpius citatus fuit, vt veniret ad Pontificem Romanum, aut concilium, contumaciter contempsisset, proptereáque excommunicatus, in execratione permansisset. & quod Ioannem de Landemo a Pontifice Romano condemnatum & iudicatum hæresiarcham, fouebat & in aula alebat. & quod pro arbitrio suo episcopos constituebat, & alia sacerdotia conferebat, & omnes clericos quos cognouit Pontificis sententiam sequi, a dignitate & officio deturbabat. matrimonia 10
dissiungebat, quod ius ad solum Papam pertinebat. Item inter consanguineos affinésque contrahere matrimonium permittebat, quod solius Papæ erat concedere. Recte autem hoc loco notatus fertur a Papa Imperator. nam, filio suo Ludouico dederat vxorem comitissam Tyrolis, adhuc priore marito superstite, Ioanne filio regis Boemiæ, quo libidinosa mulier contenta esse noluit. & mulier illa filio Imperatoris cui nupsit erat iuncta in consanguinitatis gradu prohibito. Præterea contra diuinam institutionem alia quædam in contrahendis & dirimendis matrimoniis fecerat. In bulla aduersus Ludouicum etiam pro causa execrationis recensetur, quod constituerat antipapam contra legitime creatum apostolicum. Multæ præterea causæ adduntur, periuria, fides violata, rapinæ, &c. Eadem legatio Clementis per literas pontificias depo- 20
suit ab episcopatu archiepiscopum Moguntinum, Henricum de Viernberg, & substituit Gerlacum filium comitis de Nassau. Ex qua re magna & cruenta discordia inter hos Henricum & Gerlacum est orta, & feliciter successit frequentius Gerlaco: quare quidam desciuerunt a Ludouico ad pontificios, inter quos fuerunt multi episcopi, dum se ad bellum parat Ludouicus, rex Franciæ multos in Germania pecunia corrupit. Multos redegit in gratiam cum Pontifice longa & odiosa discordia; terror conscientiarum quoque efficax fuit ad commouendos quosdam. quibus rebus comes Gerlacus de Nassau fretus conuocat autoritate apostolici Romanive mandati Principes ad Rens causa eligendi alium Imperatorem. Conueniunt archiepiscopi Lucēburgenses, Treuerenses, Colonienses, Moguntinenses & multi alij ecclesiastici prælati. Ve- 30
niunt quoque Rudolphus dux Saxoniæ, Ioannes rex Boemiæ, & alij. Interim Ludouicus parturit bellum in Bauaria, sed fatis resistentibus. Illi vero quos iam dixi in Rens, ex impulsu & autoritate Papæ, elegerunt alium Imperatorem, filium regis Boemiæ Carolum, Morauiæ Marchionem. Electus Carolus mox instituit Aquisgranum proficisci vt coronam ex more acciperet, sed oppositi illi Ludouicus copias, quibus prohibitus Aquisgranum non venit Carolus, sed in Boemia pater cogit numerosiores copias, & in Saxonia quoque contrahuntur, contra Ludouicum. Ad regem Galliæ etiam frequentes mittuntur legati, vt auxilium ferat contra Ludouicum. hoc agit & Pontifex apud Gallum & alios. Sed eodem tempore rex Angliæ ducit copias magnas 40
in Galliam, omnia diripit, incendit, funditus eruit, soloque æquat. Gallus regem Boemorum & filium eius Carolum electum Imperatorem, agentes tum forte Treueris, rogat vt veniant auxilium laturi, polliceturque statim post repulsum Angliæ regem, suas vires contra Ludouicum Bauarum. Boemorum rex, & Carolus filius eius Marchio Morauiæ cum omni sua manu ad regem Galliæ recta tendunt. Rex Angliæ quasdam Galliæ vrbes funditus sustulerat. Parisiam vrbem obsederat aliquandiu: cum vero nulla eam cogendi spes esset, & commeatus laboraret penuria, soluit obsidionem & mouit castra ad Ambigensium vrbem circa quam omnia vastauit, & obsidens eam, audit aduenire cum exercitu Philippum regem Galliæ, cum socio rege Boemorum, & Imperatore electo Carolo, Anglus educit ex munitionibus, quibus vrbem circumuallauerat, copias, occurrit obuiam Gallis & nouo Imperatori parentiq; eius Boe- 50
mo, Anglus instructa acie suos hortatur ad virtutē, præmia victoribus proposita ostendit. Idem hostes faciunt. Concurritur, acerrime pugnatur, magna fortium virorū multitudo cadit. Prælium a tertia diei hora durauit vsq; ad vesperā exortum, cum soli Galli eorumque socij fugiunt, ingenti multitudine cæsa. Occubuerunt Ioannes rex Boemiæ, itē rex Maioricarum, dux Lotharingiæ, Germanus frater regis Gallorū, vir nobi-

lissi-

liſſimus & clariſſimus Boemus de Roſenberg, comes Flandriæ, comes Naumenſis, comes de Saline, comes de Arois, comes de Momtpelgart, deſideratiq; ſunt plures alij viri Principes, comites & Barones. Rex ipſe Gallorum & Carolus electus Imperator fuga ſunt ſaluati. Rex Angliæ Eduardus victor pergit ad obſidendas vrbes & vaſtando agros paſſim per Galliam. Pontifex frequentibus legationibus inter Gallum & Anglum conabatur pacem facere, quod cum fruſtra diu tentaſſet, magno pondere auri & argenti dato, impetrauit Philippus inducias ab Eduardo. Induciis inter reges factis, eodem ſtatim anno Clemens Pontifex confirmauit Carolum, electionemq; eius pulcherrima bulla approbauit, poſtea Bunnæ coronatus eſt ab archiepiſcopo Colonienſi: nam Aquenſes & Colonienſes fidem ſeruabant Ludouico, illum excludebant. Spiram Ludouicus cõuocauit Principes & ciuitates imperiales, vt exploraret voluntatem eorum erga ſe, ſpe omnia adhuc meliora inuenit, plerique per ſuperiorem Germaniam deteſtabantur electionem Caroli, nihil morabantur Papæ excommunicationes. nemo audebat in ſuperioris Germaniæ regionibus publicare papales proceſſus aduerſus Ludouicum. Cruenta bella ſunt orta inter Imperatores, eſtque Ludouicus prorſus a fortuna reductus in vltimo imperij tempore in eum ſtatum conditionémve in qua fuit in primis imperij ſui annis. Erat ſchiſma in eccleſia & imperio non ſine corporum & animarum plurima perditione, non ſolum in Germania, ſed etiam in Italiæ: Romæ vero quidam moliebantur noua, qui ſe libertatis aſſertores vocabant. Erat illic vir animo & lingua præſtantiſſimus, qui morum grauitate, probitate & facundia populum Romanum ſibi totum deuinxerat, habebatque apud omnes tantum autoritatis, vt facile crederent illi, neque dubitarent illi committere ſe & fortunas ſuas: hic ergo vir, cum Pontifex diu abfuiſſet, Romæ inſtituit ſenatum Romanum ad ciuitatis olim liberæ multarumque gentium dominæ morem priſtinum. Omnia ſuadendo & clementia, nihil per vim cogendo, faciebat. Et finxit ſibi titulum autoritatis plenum, minimeque inuidiæ obnoxium, talem: Nicolaus ſeuerus & clemens, libertatis, pacis, iuſtitiæque tribunus, ac ſacræ Romanæ Reipublicæ liberator illuſtris. Nec ſolum Roma obtemperabat eius conſiliis, ſed ex Italia paſſim ad eum quotidie veniebant legati fœdus & amicitiam ab eo petentes, quibus ciuitatis Romanæ ius ad maiorum conſuetudinem dabat. Scribit hic Nicolaus ad Pontificem Clementem, qui Auinione erat, vt quam primum ad vrbem redeat, & ſacerdotio fungatur, miniſtret eccleſiæ in iis quę ad Deum pertinent, & niſi veniat & in quiete in ſacris eccleſiæ ſeruiat, Romanum ſenatum & populum alium creaturum antiſtitem, nam epiſcopi ſui præſentiam neceſſariam eſſe ſenatui Romano. Mittit etiam legatos ad Ludouicum & Carolum Imperatores cum literis quibus eos & alios Principes Romam citat, quæ his erant conſcriptæ verbis, Ad honorem & gloriam ſummi Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſancti Ioannis Baptiſtæ, in cuius ſacratiſſimo templo militarem accepimus gloriam, nec non ad reuerentiam & honorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & domini noſtri ſummi Pontificis ſtatum proſperum ac augmentum ſanctæ Romanæ vrbis, ſacræ Italiæ, & totius fidei Chriſtianæ. Nos candidus Spiritus ſancti miles Nicolaus ſeuerus & clemens liberator vrbis, zelator Italiæ, tribunus Auguſtus, volentes & deſiderantes donum Spiritus ſancti & liberatores antiquos Romanos Principes, quantum, nobis permittitur imitari. Notum facimus vniuerſis, quod quidem a nobis poſt aſſumptum tribunatus officium, Romanus populus de conſilio omnium & ſingulorum iudicum, ſapientum & aduocatorum vrbis recognouit ſe adhuc illam habere autoritatem poteſtatemque atque iuriſdictionem in toto orbe terrarum, quam habuit in principio & ſummo augmento vrbis præfatæ. Et omnia priuilegia facta in præiudicium autoritatis & poteſtatis & iuriſdictionem huiuſmodi ad ſe reuocauit expreſſe. Nos itaque autoritatem, poteſtatem & iuriſdictionem antiquam nobis conceſſam a populo Romano in publico parlamento, & nuper a domino noſtro ſummo Pontifice, vt patet per apoſtolicas bullas eius, ne videamur de dono & Spiritus ſancti gratia & ſacri Romani populi fautoribus ingrati, iure & forma quibus melius poſſumus & debemus, decernimus, declaramus & pronunciamus, Romanam vrbem caput orbis & fundamentum totius fidei Chriſtianæ, ac omnes & ſingulas ciuitates Italiæ liberas eſſe cenſemus. Et ex nunc omnes præfatos populos ac ciues ciuitatum

Italiæ,facimus,declaramus,& pronunciamus, ciues esse Romanos, quos & Romana libertate volumus gaudere. Eadem autoritate & gratia Dei & Spiritus sancti ac populi Romani dicimus, profitemur, ac etiam declaramus Romanum imperium, iurisdictionem, ac etiam monarchiam totius sacri imperij ad ipsam almam vrbem, ac eius populum, nec non ad vniuersam Italiam pertinere, & easdem fore legitime deuolutas, multis rationibus & causis, quas suo loco & tempore declarari faciemus, dantes & præfigentes in his scriptis omnibus & singulis prælatis, Imperatoribus, electis, electoribus, regibus, ducibus, principibus, comitibus, marchionibus, populis, vniuersitatibus & quibuscunque aliis in genere & in specie, cuiuscunque prouinciæ, status & conditionis existant, & contradicere volentibus, seu in electione præfata ac ipso imperio iurisdictionem, potestatem & autoritatem prætendentibus quoquo modo, terminum hinc ad festum Pentecostes proxime futurum, ita quod infra prædictum terminum in ipsa alma vrbe & sacrosancta Laterana ecclesia corã vobis & aliis officialibus domini nostri Papæ & Romani populi debeant cum eorum iuribus comparere: alioquin a dicto termino in antea procedetur, prout de iure fuerit procedendum, & nihilominus ad prædicta omnia in specie citari facimus illustres Principes Ludouicum ducem Bauariæ, & Carolum regem Boemiæ, qui se asserunt Imperatores ad imperium electos, ducem Saxoniæ, Marchionem Brandenburgensem, archiepiscopos Moguntinensem, Treuerensem, & Coloniensem, qui in dictis termino & loco comparere debent coram nobis & aliis Romani populi officialibus personaliter; alioquin in eorum contumaciam procedemus, eorum absentia non obstante. Dat. &c. Hæ literæ vbi peruenerunt in Germaniam ad Principes, contemptæ sunt ab omnibus. Nec Romæ diu manere potuit: Pontifex enim Clemens partim minis, partim promissis effecit apud plebem Romanam vt defecerint ab eo plurimi: breuique coactus est noctu ex vrbe fugere, habuitque finem tota ea Romæ factio, nam quos euexerat hic tribunus, omnes vltro cesserunt, quidam etiam vix fuga seruati sunt.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-QVINTVS.

ANno post Christum natum 1347, mense Octobri, erat Ludouicus in oppido Monachio, inculpata prorsus vtens valetudine, illuc ad Ludouicum salutandi gratia diuertit vidua Anna, ducissa Austriæ, iter faciens ex Sueuia in Austriam, illic exhibuit spectaculum mulieri, mox a spectaculo conuiuio lautissimo eam accepit, & liberalius Princeps bibit, etiam semel atque iterum ex eodem cum ducissa poculo, surgens autẽ ab illo cõuiuio sensit intemperiem in toto corpore. Causam autẽ cum ignoraret morbi, venatum it exercendi corpus gratia, grauitatem corporis exercendo discutere cupiens, sed morbi vi aucta de equo decidit in terram, & repente morte abreptus est. Suspicio fuit veneno necatum, quod tamẽ, quo sciam, nemo asseruit. Mortuus ex venatione relatus est in vrbẽ Monachium, & honorifice sepultus. Ludouici morte audita, Carolus statim properat in Germaniam, nam eo tempore in rebus Boemicis disponendis erat occupatus, post occisum, vt diximus, patrẽ. In Germania vt rex Romanorum, honorifice suscipitur. Ratisponã primũ venit, ibi excepto Carolo, ceu Imperatori, fidelitatem, vt loquuntur, iurant, & Ratispona discedens, proficiscitur Norinbergam, in itinere a minoribus oppidis omnibus honorifice suscipitur. Norinbergenses primũ aduenienti non occurrunt, sed claudunt portas, mittũt ad eum legatos, quo animo veniat, rogant. Carolus mansuete & perbenigne respondet, multa promittit, recipitur ergo & Norinbergæ. Et hinc ad alias insigniores imperij ciuitates pergit, ab omnibus fere appellatur & agnoscitur Imperator. Erant tamen quædã ciuitates & Principes qui eum non rite electum asserentes, noluerunt eum pro Imperatore habere. Conspiraruntq; aduersus eum Palatinus Rheni, Henricus archiepiscopus Mogun-

guntinenſis, & Henricus dux Saxoniæ, aliiq́ue quidam. Quibus cum per legatos amiciſſime agere conſtituebat, ſed illi perſeuerabant in ſententia, electionem eius irritam affirmantes, & ſeditionem legibus puniendam, non imperium eſſe. Anno proximo poſt Ludouici mortem rex Carolus Imperator venit ad Rauracorum Baſileam, quæ conſtanter etiam poſt mortem Ludouici in fide perſeuerabat. Viuente Ludouico nullis minis aduerſariorum abſterreri ab eo potuit, ſanctéq; ſemper ſeruarat fidem, & diu etiam interdictũ Pontificis Romani propterea pertulerant. Petit igitur poſtquam aduenit Carolus a Baſilienſibus recipi, copias ante vrbem in caſtris habens. Reſpondent Baſilienſes, ſe quidem iam eſſe liberos a fide quam Ludouico promiſerant, & vſq; poſt mortem cum laude obſeruarant, ſed ciues vnanimi ſententia conſtituiſſe, neminem recipere aut appellare Imperatorem, niſi abſoluantur prius ab excommunicatione, & ſacrorum officiorum celebritas reſtituatur illis. Nam ſic videbant ſe quam minimo labore & impenſis poſſe abſolui. Forte a Pontifice tum venit legatus ab Apoſtolico ferens de ea re bullas Romanus epiſcopo Babenbergenſi de abſoluendis excommunicatis propter Ludouicum mortuum. Erant autem in illis bullis hæc verba, Cum multi contra proceſſus & ſententias Ioannis Papæ agentes, adhærentes quondam Ludouico de Bauaria hæretico, redire cupiant ad vnitatem eccleſiæ, committimus tibi, vt qui confeſſi fuerint errores ſuos & pœnas, quas inciderunt explicite vel implicite, & iuuerint deinceps fidem catholicam tenere, & nulli deinceps hæretico vel ſchiſmatico fauere & credere, & quod nõ ſpectat ad Imperatorem, Papam deponere, & alium creare, ſed hoc hæreſim eſſe damnatam, & quod nullum Imperatorem habebunt, niſi per ſedem apoſtolicam approbatum. Nec relictæ & liberis ipſius Ludouici fauebunt, niſi cum eccleſia reformentur, & Carolo Romanorum regi per eccleſiam approbato, patebunt, ab huiuſmodi ſententiis & pœnis abſoluas, ita quod ſi in aliquo cõtrauenerint in ſententias & pœnas priſtinas relabantur. Cum igitur Baſilienſes non vellent recipere Carolum, niſi diuinus cultus reſtitutus eſſet prius illis, ipſiq́; ſine omni nota hæreſeos abſoluerentur, forma illa ſeu conditiones in bulla conſcriptæ quibus poſſent abſolui, ſunt ciuibus Baſilienſibus prælectæ: vbi audiuerunt ciues quid exigeret bulla ab iis qui vellent abſolui, reſponderunt concordes ad vnum omnes, Se non deliquiſſe in fide ſeruanda, nec vllos errores velle facere in hac re, in qua bonorum ciuium officium feciſſent, nec vnquam iuturos ſecundum illam formam a Papa præſcriptam. Clerus quoque vrbis vbi tantam animorum conſtantiam in ciuibus vident, adhortantur, vt conſtantes in honeſtiſſimo propoſito obdurent. Ciuitatis & vniuerſitatis proceres eunt ad Carolum præſentibus multis Principibus, & poſtquam ſalutarunt Carolum ciuiliter & vt decebat, Conſul Conradus de *Berenfels* his verbis affatur epiſcopum Babenbergenſem, Domine Babenbergenſis ſciatis quod nec fateri nec credere volumus, quod dominus noſter Ludouicus Romanus Imperator vnquam fuerit hæreticus. quemcunque etiam dederint nobis Principes & domini electores, vel maior pars pro Romano Imperatore, illum pro tali habebimus, etiamſi nunquam Papam requireret, nec quicquam faciemus quod ſit contra ius imperij quoquo modo, ſed ſi habetis poteſtatem a Papa & vultis nos abſoluere, vt ſacra reſtituantur, nos vt hactenus, bonos viros pro virili probabimus, ſi Dominus bonorum largitor dederit gratiam. Sine ciuium iuramentis & erroris confeſſione ſacra ſunt illis reſtituta, nam alioqui nolebant Carolum pro Imperatore habere. Carolus igitur in vrbe Baſilea exceptus eſt magnifice, & iuramentum ſolitum illi Baſilienſes præſtiterunt. Laudatis autem eius vrbis ciuibus ob animi fortitudinem & conſtantiam, deſcendit per Rhenum. Vrbes a Baſilienſium omnium ore cantata magnanimitate exemplum ſumpſerant, nec iurare nec agnoſcere errores hæreſim ve volebant. Abſoluebantur autem pleræque ſine iuramento illo & confeſſione quam exigebat. Wormatiæ vbi ciues audiebant quæ exigebat Papa ab abſoluendis, magnus populi excitatus eſt tumultus, cogebantq́ue epiſcopum Babenbergenſem, vt ſine omni delictorum confeſſione eos abſoluerit. Erant etiam ciuitatum & Principum nonnulli qui omnino nolebant abſolutionem: nec enim vel nauci æſtimabant execrationes Papæ. tanta erant ſcandala & ſchiſmata in eccleſia Romana. In his ſeditionum turbis, & bellorum tumultibus peſtis crudeliſſime afflixit Germaniam, adeoq́ue totam Europam, ita vt multis locis propter peſtem

ius non sit redditum, totas domos, tota monasteria, totos pagos totasq; ciuitates sustulit, nec talis ante hanc hominum memoria fuit vnquam. Sæpe conuenire Principes cupiebant propter electionem Imperatoris, sed pestis vbique grassans diu prohibebat.

1348 Post natiuitatem Christi anno 1348, conuenerunt quidam electuri alium Imperatorem Principes, erant autem dux Saxoniæ, Ludouicus Marchio Brandenburgensis, Rupertus Palatinus Rheni, Henricus Moguntinus archiepiscopus, qui Caroli electionem nullam esse iudicabant. mittunt ad Anglorum regem Eduardum, offeruntque illi imperium, nam a Germanis genus ducebat suum. Eduardus pericula, labores & bella timens recusauit imperium, Principibus gratias agit quod tam honorifice de se sentiant, eis pollicetur suam opem, sicubi indigeant. Vehementer gratum fuit illorum de se iudicium. Postea Fridericum Marchionem Misnensem eligunt, sed ea lege, vt Beatricem viduam, vxorem quondam Ludouici Imperatoris, iuuet. Huic electio placet, & quomodo auspicandum imperium sit pro temporis ratione, incipit cogitare. Sed Carolus vbi intellexit electum Fridericum, mutauit illi animum, decem enim millia marcarum argenti ei dedit, promisitque maiora, exposuit præterea illi quam nihil sit a quoquam periculi sibi quem Pontifex confirmarit, & iam maior Germaniæ pars pro Imperatore habeat. Quam ob rem Fridericus existimauit sapienter sibi sine molestia & laboribus oblatum, quod alij magnis sudoribus & per infinita pericula quærunt, nempe otium & quietem in omni rerum copia seu saltem sufficientia, hic enim solet esse plerisque mortalibus finis studiorum, laborum, periculorumque, quos subeunt: quanquam generosioribus animis cœlestior & preciosior scopus sit functionum & laborum, nempe, gloria Christianis, gloria Dei; infidelibus gloria propria, quæ est vanitas. Igitur Fridericus Imperator maluit accipere pecuniam & ea in pace vti, quam tot subire labores, quorum finis sit incertus, fortassis etiam patrimonij perditio, ignominia & mors. Hoc tempore in Germania, Italia, & Gallia, aliisque Europæ regionibus magna Iudæorum multitudo variis suppliciis est affecta, præcipue igne exusti sunt, insimulabantur enim veneno infeciisse fontes. In Bonfeld Alsatiæ oppidulo de ea re est tractatum, ibi accusati sunt, quod adulterauerint monetam, quod pueros Christianorum multos occiderint, quod puteos, flumina & fontes infecerint, vt pecora & homines plurimi perierint. Saccos enim ferunt in fontibus plenos veneno inuentos. quare tam crudelibus pœnis Christiani affecerunt Iudæos, vt multi Iudæorum sibi ipsis conscisuerint mortem. plurimi quoque permiserunt se baptizari, ob pœnarum metum. Erant fere in omnibus imperialibus ciuitatibus Iudæorum synagogæ, & cœmeteria elegantibus lapidibus constructa. Ex monumentorum & synagogæ lapidibus ædificauerunt ciuitates, mœnia & turres. Sicut adhuc est videre multos prominētes lapides inscriptos literis Hebraicis in multis passim ciuitatibus per imperium Romanum, apud Gallos, Germanos, & Italos. Basileæ murus fossæ veteris vrbis interioris totus tectus hoc lapidum genere, etsi illic ædificia non omnia destructa fuerint Iudæorum, appellationemque antiquam ædes obtinens, ad synagogam Iudaicam. Libenter enim Basileæ habitabant, propter vrbis amœnissimum situm, & temperiem aeris. Omnia Iudæorum bona quæ magna erant, Principes & ciuitates sibi vendicabant. Pontifex Rom. defendit Iudæos, & multi alij. In Germania præter alios multos qui non consentiebant in eorum persecutionem, erat Rupertus comes Palatinus, qui dicebatur magnam pecuniam accepisse a Iudæis, sicut & alij nobiles & magistratus quidam. Ad quos cum multi Iudæi fugissent cum magnis thesauris, alij magistratus sub quibus fuerant, iniquo ferebant animo, non tam quod defendebant Iudæos, quam quod secum abstulerant Iudæi facultates suas, quas sibi deberi putabant ij qui suppliciis afficiebant Iudæos propter maleficia; qui vero patrocinabantur Iudæis, dicebant Iudæis iniuriam fieri, & hæc maleficia comminisci illos qui damnabant, vt redirent bona Iudæorum ad eos. Illaque contentio ad arma venit, & plerique plus in bella impendebant, quam ex Iudæorum facultatibus ad se redierit. Multa fiunt in terris a Deo, quorum causa nos latet. Iudæi feruntur postea cum ipsi admodum paucis locis tuti ambulare auderent, subornasse leprosos, quod fontes inficerent. Arteque scribuntur fontes medicati fuisse vt lepra bibentes sint infecti. Comprehensi leprosi exquisitis suppliciis interfecti sunt a magistratibus. Anno post natiuitatem

tem Christi millesimo trecentesimo quadragesimo nono, Delphinatus venit ad re- 1349
gem Gallorum, sed ea lege consensit Carolus, eius nominis quartus, vt primogenitus regis Galliæ tanquam vasallus imperij possideat Delphinatum. Hac occasione venit ad Gallum Delphinatus: Delphinus Hunibertus nomine, frigidorum & infelicium mundi huius negotiorum finem videns, mori statuit mundo, quare vendidit Delphinatum Gallorum regi, pecuniæ partem magnam pauperibus dedit, ipse ingressus est ordinem sancti Dominici. Erat his annis non leue bellum fratribus ordinis Teutonici cum Litouiis, quos, duce magistro ordinis Sueuo, vicerunt magno prælio, ex quo consecuti sunt maximam laudem. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, 1350
denuo conuenerunt Principes Caroli electionem reprobantes, & miserunt legatum ad comitem de Schwartzenburg ex Thuringia, qui erat vir incomparabilis militaribus virtutibus ea ætate, offeruntque illi imperium, grauatim consensit, nec aliter, nisi Francofurdiæ primum decernatur a Principibus imperium vacare, & prius Carolus per Principum sententiam deponatur. Congregati igitur sunt Francofurdię Principes electores quatuor, & multi præterea Principes alij, qui concordi sententia iudicauerunt electionem Caroli esse seditionem contra Rempublicam, legibus & armis puniendam. Decretumque est, quatuor Principes electores qui tum Francofurdiæ erant, habere ius & plenam potestatem eligendi Imperatorem Romanorum. Ludouicus igitur Brandenburgensis Marchio, Rudolphus comes Palatinus Rheni, Henricus dux Saxoniæ, Henricus archiepiscopus Moguntinensis, eligunt Guntherum comitem de Schwartzenburg in Imperatorem. Guntherus sex totas hebdomadas in castris ad Francofordiam expectauit hostem, ex consuetudine & statuta lege; nemine vero adueniente qui repelleret, in vrbem Francofurdiam ingressus Imperator appellatus est. Carolo enim non videbatur in vnum prælium ponere omnes fortunas suas, si enim vicisset Guntherus, actum erat de imperio Caroli. Quam ob rem conuocauit Carolus Principes sibi fauentes Spiram, quibus cum deliberat quo pacto resistendum sit hostibus rebellibus, illic est statutum, vt omnes colligantur vires, & omnia pro rei magnitudine administrentur. Ducit Carolus coactas copias Moguntiam, ibi expectaturus hostem, nam ciuibus cum Henrico episcopo suo erant simultates, quapropter non excludebant Carolum. Intera Guntherus quędam castra expugnauerat. Et dum consultat quid potissimum primo expediat, incidit in morbum, qui medicis plurimum exhibuit laboris. cumque morbus declinare non obscure inciperet, medicus præparauit illi potionem leuem ad maturandos honores, qui erant causa morbi, allatumque ad Principem medicus gustauit, deinde obtulit ægroto. Hac potione hausta, mox cœpit vehementius quam ante laborare, & inflatus expirauit. Eodemque symptomatum genere periit medicus. Quare non dubia veneni suspicio fuit a quopiam clam in potionem immissi. Ante mortem Guntheri vero composita est pax inter eum & Carolum Imperatorē, cum enim decumberet in Alta villa arce archiepiscopi Moguntini, diceretur; leuiter ægrotare, quidam Principes interposuerunt, & his conditionibus composuerunt eos, vt Guntherus resignaret totum imperium, omneque suum ius concederet Carolo: Carolus autem Gunthero daret oppida duo cum agris eorum in Thuringia sita. Mox post factam pacem Guntherus obiit, genere quo dictum iam est, mortis. Corpus delatum est Francofurdiam, honoreque magno est sepultum, præsente Imperatore Carolo. Carolus conuocatis ciuitatibus & omnibus magistratibus, qui eum appellabant Imperatorem, egit multa de commodis Rerumpublicarum, priuilegia multa multis ciuitatibus concessit. Francofurdiensibus quoque priuilegia nundinarum, & alia confirmauit. Pererrauit postea multas ciuitates Germaniæ maxime Rhenanas. Venit quoque eodem anno cum sua coniuge Ioanna in vrbem Bunnam, ibique est ab archiepiscopo Colonienſi coronatus cum sua vxore. Quod non coronam Aquisgrani acceperit, causam dicunt quidam, quod tum propter pestem aeris temperies suspecta fuerit apud Aquenses. Quidam scribunt tantam illic fuisse turbam flagellatorum. quęcunq; causa fuerit, certe nō fuit quod ab Aquisgrano excluſus fuerit, nam Bunnæ eodem tempore cōfirmauit vetera, & dedit noua Aquensibus priuilegia. Præterea in alias multas ciuitates cōtulit magna beneficia. Studio enim singulari fuit huic Principi augere Germaniæ ciuitates. Putauit enim pulchrū regnare in pulchro regno,

Hoc tempore natus est ex Ioanna, Suedi ducis filia, Wenceslaus, Carolo genitore. Coronato Carolo, reconciliatus est Ludouicus Marchio Brandenburgensis filio Ludouici, Imperatoris vita defuncti, qui & Carolo dedit imperialia insignia, quæ moriturus pater filio commiserat. Sed ea conditione dedit, vt siue casu, siue mortis aliáve necessitate coactus deponere, Francofordiensibus vel Norinbergensibus custodienda, traderet. Carolus intentus omnibus neruis hoc tempore fuit in Germania pacanda. nam pace in Germania facta, in animo magno magna habebat, nempe Turcum repellere, & Latij ciuitates subiugare imperio. Ludouicum Brandenburgensem iuuit armis aduersus hostes, erant enim qui Marchiam sibi asserere conabantur. Ludouicus hic Marchio postea vendidit Marchiam Carolo Imperatori & regi Boemiæ, qui Sigismundo filio suo eam administrandam tradidit. Carolus autem hic post coronationem studium pacis & religionis declarauit non obscuris argumentis. Misit legatos ad Papam Innocentium sextum, qui mortuo Clementi successerat, petiitque ab eo, vt incumberet pacificandæ ecclesiæ & tollendis scandalis, & personis approbatis promouendis ad ministeria sacrorum. vtque suum officium faciat, rogat; pollicetur se quoque suum facturum. His studiis efficiebat Imperator Carolus, vt exteri reges ad eum miserint e longinquis nationibus legationes & munera, amicitiam petentes. Anno
1352 quinquagesimo secundo supra millesimum trecentesimum, Wormatiæ celebrauit comitia Principum de reformanda ecclesia, & rebellibus imperio & ecclesiasticæ potestati domandis plurima tractans. Aderat in eo Principum conuentu archiepiscopus, vir præstans corporis & animi dotibus, legatus Imperatoris Constantinopolitani: qui amicitiam pacemque petiit, attulitque regia dona Carolo, Romano Imperatori. Carolus cum eo legato Constantinopolitano multa egit de Turcæ viribus & consiliis, & rursum de rationibus, quibus resisti possit conatibus Turcicis. Legatus, vir prudens, Carolum totum incenderat cupiditate & studio arma capiendi aduersus Turcam. Super ea re scribit quoque Carolus Pontifici Romano, vt operam det quo in Italia & Gallia pax fiat. Nam graue bellum hoc tempore erat Gallo cum rege Anglorum. Et Anglus quoque Pontificem Romanorum despiciebat, in ecclesiis suis pro animi sui arbitrio dominabatur, nec quisquam audebat vel nominare Romani Pontificis autoritatem. Romanus Pontifex Innocentius rescribit Carolo, inuitatque eum ad expeditionem Italicam, promittit se illi paraturum iter, & simul certiorem facit iam factiones per Italiam tumultibus suis intestinorum bellorum fatigatas cupere qui iuste gubernet, paucosque admodum superesse quibus non cordi sit pax. Anno igitur
1355 post natiuitatem Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, Carolus coactis selectissimis ex Germania & Boemia copiis, comitantibus eum Germaniæ Principibus & ciuitatibus, primo vere in Italiam proficiscitur, comite cara coniuge. Aduenientem lætissima fronte excepit Italia, nihil honoris omittens quod a subditis domino exhiberi potest. Mediolanum vbi peruenit, aliquot illic dies commoratus, & corona ferrea coronatus est. Illuc multi Principes & ciuitates ad eum veniunt, & officium obsequiumque suum pollicentur & fidelitatem iurant. Mediolano discedens Pisas petit; Pisani vero cum Mediolanensibus certabant gloria & honore eum excipiendo, vt fit in prouocationibus illis. Diutius quam Mediolani apud Pisanos mansit, quod frequentiores Principum & ciuitatum legationes ad eum illuc confluebant, pacem & gratiam rogantes, & offerentes munera. Veniebant Florentini, magis etiam obedientiæ quam imperio debebant, promittentes, munerique Imperatori dant supra centum millia florenorum. Veniunt & Pisas Senensium legati cum muneribus, & Volaterrani, breuiter veniunt omnium ciuitatum Hetruriæ legationes cum muneribus pacem petentes, plane obruebant officiis & donis Carolum. Pisas abiens prospero itinere Romam peruenit, ibi omnes ordines & ætates mulieres & viri obuiam egressi in vrbem ducunt, cum elegantibus cantionibus & musicis instrumentis infinitæ varietatis. Romæ in paschatos festo magna solennitate, præsentibus Principibus omnibus, coronatus est cum sua vxore, nec diu Romæ mansit post coronationem. Quoniam scribunt autores quidam, quod Pontifex ei noluerit imponere coronam, nisi iuraret quam primum velle excedere Roma, & ex tota Italia. Voluit enim Pontifex consortis impatiens, vt titulo Imperatoris semper Augusti contentus, rediret in

suam

ſuam Germaniam, ibiq́ue Roman. Imperator, exerceret imperium in Germanos, Romæ imperium Papæ relinqueret, de qua re extat epiſtola Franciſci Petrarchæ, quam Imperatoris notario Nerio Foroliuienſi ſcripſit. Nec æquo animo tum tulit Italia, quod Papa voluit tam cito Imperatorem abire; nam ſeditionum bellorumq́ue cauſas omnes cupiebant ſublatas, quod non poterat fieri niſi vno iuſte imperante. Quare e Roma profectus eſt per vrbem Tiburtinam, & per Senas Piſas venit, inde in Germaniam rediit, illic fœderi Heluetiorum nimium creſcenti reſiſtere conatur, dum illo tempore enim Lucernenſes cum Suitenſibus fœdere iuncti ſunt: item Zug, vallis Glarenſis, & alij non diu poſt adiunxerunt ſe illis, breuiq́ue vehementer creuit fœdus illud, cauſa fuerunt feliciſſimi eorum ſucceſſus & ingentia facta, nec non fides, amor, & beneuolentia quibus inter ſe vtebantur. Tigurini poſt iam dictos omnes acceſſerunt ad illos. Quare Ioannes comes de Habſpurg, cuius patrem vicerant ante, nactus proditores in vrbe Tiguro, qui polliciti ſunt ſe vrbem illi tradituros, cum illis igitur conſtituit tempus quo venire debeat. Tigurini de proditione futura certiores facti, præparant ad excipiendum comitem inſidias. Nocte igitur ſtatuta aduenientem capiunt, militum eius maiore parte occiſa. Proditores omnes dignas pœnas dederunt, toti enim membris fractis ſecti ſunt in quatuor partes ſinguli. Quam ob cauſam mox capto Ioanne comite Habſpurgenſi, Albertus dux Auſtriæ cogit magnas copias, quibus obſedit Tigurinam vrbem. Aderant in obſidione Albertus dux ipſe, comes de Wirtenberg, comes de Hohenberg, copiæ epiſcopi Baſilienſis, & Argentinenſis, & alij multi comites, ciuitates & Barones. Frequentes ex vrbe fiebant eruptiones, nam confœderati Heluetij erant in vrbe: tandem pax eſt facta, & dimiſſus captus comes Ioannes, quibus conditionibus facta ſit, nihil certi habeo: certum hoc eſt longa obſidione partes vtraſque fatigatas fuiſſe, Ducem Auſtriæ obſidendo, Tigurinos obſidionem ferendo. Carolus eo tempore ex Italia venerat, confirmatus & coronatus a Pontifice, quod magnæ erat illi autoritati, igitur dux Auſtriæ petit ab Imperatore, vt ſua vel autoritate vel potentia reducat Tigurinos, Carolus magno ſtudio & diligentia cum Tigurinis agit, vt deſerant fœdus illud, quod vocabat rebellionem ſeu factionem. Tigurini reſpondent, Se paratos facere imperio Imperatoriq́ue quicquid legibus iureq́ue debeant, contra iuramentum præſtitum confœderatis ſuis ſe non facturos, nec fide ſalua ab iis ſeparari poſſe. Carolus hoc eorum reſponſo vehementer eſt offenſus, dixitq́ue illis, quod non potuerint fœdere cum quoquam coire non conſulto Imperatore: quare iuramentum quod fecerint Suitenſibus, nihil eſſe, addiditq́; multa alia minitando & promittendo quibus abſtraheret a Suitenſium confœderatione, hocq́ue non ſemel tantum tentauit. cum autem intellexit ſe efficere nihil poſſe apud eos, ſtatuit rem armis agere, toti enim imperio pares non futuros ſperans. contractis igitur copiis per totum imperium, ducit eas aduerſus confœderatos Suitenſes, & multis Principibus Germaniæ præſentibus obſedit Imperator Tigurum, omniaq́; circa vrbem vaſtauit. Sæpe vero ex vrbe, ſæpe ex montibus confœderati impetum fecerunt in Cæſarianos, multosq́ue occiderunt, ſed facile erat Imperatori reparare exercitum, propter hominum per totum imperium copiam. Confœderati autem ſuis hominibus vehementer timebant, erant enim pauci. Iactabant Cæſariani, confiſi hominum multitudine, ſibi plures eſſe carnifices in imperio, quam omnes confœderati eſſent, ſic volentes deterrere Suitenſes: ſed diligentiores, non timidiores reddebantur, quod ſatis teſtabantur incurſionibus & eruptionibus ſuis frequentibus, nunquam autem adoriri conſueuerant hoſtem ſuum confœderati, niſi ex improuiſo, aut loco iniquiore, aut noctu, aut aliquo ſtratagemate inſigni, non animi formidine, ſed diligentia ſuos conſeruandi, maius enim erat illis vnum virum ex ſuis amittere, quam ducibus belli quibuſdam aliquot millia. Obſidendo ergo diutius vrbem, magnus terror occupauit animos Cæſarianorum, propter frequentes infelices pugnas. Idcirco die quodam cum dimicandum eſſet, neq; Auſtriaci, neq; Sueui, neq; Saxones, neq; Bauari, neq; Franci Orientales, neque alij vlli voluerunt in prima acie præcedere, omnesq; volebant in vltimo agmine ſequi, & ita acies ordinari non poterat. Cumq; imperarent Principes exercitus Sueuos præcedere, diſceſſerũt domũ, deinde Saxones abiere, & ſic deinceps omnes receſſerunt, ſolutaq; eſt obſidio. abitum vero Cæſarianorũ fugæ non

dissimilem fuisse ferunt. Ante hanc expeditionem voluit Imperator duci Austriæ dare magnam pecuniam pro quibusdam locis quæ confœderati tenebant; ante autem, vt ferebant duces Austriaci, pertinuerant ad domum Austriæ. Facillime enim potentia & viribus totius imperij se superaturum vnum atque alterum rebellem pagum aut villam, vel, vt vocabant, casulam pastoralem, confidebat. Post bellum vero hoc noluit emere Carolus quicquam eorum quæ possidebant confœderati. A discessu Imperatoris confœderati proxima quæque carpebant, & dux Austriæ confœderatorum depopulabatur omnia quæ accedi poterant, quare post sextum demum annum factæ sunt inducię ad decennium. Harum inducíarum tempore familiariter Austriaci & confœderati mutua vsi sunt consuetudine. In omnibus fere Principum comitiis consultabatur de hoc fœdere tollendo, nobiles enim omnes timebant, ne exemplo illorum alij quoque subditi rebellarent, vbi considerarent illorum libertatem, qua sine seditione in iustitia vterentur. Nec frustra timuerunt, nam tentarunt nonnulli, sed infeliciter (neque enim consilium est vlli hominum generi magistratui etiam durissimo latu rebellare, neque docebunt exempla, semper enim male cadit seditiosis, Dominus enim magistratui iussit & vult obediri. Alia ratio Suitensium fuit, nempe talis qualis olim fuit, cum præmia tyrannicidis dabantur. Nec ciuitates quæ pertinent ad imperium, ab imperio propterea discesserunt, quod fœdere coniuncti sunt Heluetiis, imperio enim quicquid liberæ imperiales ciuitates debẽt, præstant; quæcunque vero possident, bellorum, quæ necessario iusteque susceperunt, iure occuparunt & tenent. Datum ante annum 1400, ducibus Austriæ fauentibus amicis, vsi sunt confœderati Heluetij. Venitq; dux Austriacus, nomine Lupoldus, Tigurum, illicq; magna cum reuerentia exceptus est, & multa officia a Tigurinis in ducẽ, multa a duce in Tigurinos, collata sunt. Hæc pax tamen non diu durauit. nam causæ exortæ sunt nouæ bellorum, inuitis duce Austriæ & confœderatis (sæpe enim incidunt bella, cum omnes homines mallent pacem, Domino ita disponente, sed vasis iræ ministrantibus, hoc est Satana) diu autem alteri alteros rursum vexauerunt, frequentesque cædes sunt factæ. Eo tempore, sci-
1382 licet anno 1382, in die quodam festo, Rotenbergam oppidum per vim ceperunt Lucernani, capti oppidi muros & arcem solo æquant (nam ex illis munitionibus poterant excurrere) postea strages & incendia ædificiorum secuta sunt a ducibus Austriæ & confœderatis. Multi sub idem tempus accesserunt fœderi Heluetiorum, tota vallis de Entlibuch ciuitati Lucernanæ accessit; item Sempach, nec sine plurimis cædibus, Meienberg quoque accessit. Hæc autem omnia occupata sunt bellis iusto titulo susceptis. Venit autem hoc tempore exercitus duci Austriæ bene instructus, quem repentino impetu confœderati oppressérunt, & occiderunt magnam multitudinem, & præcipue nobilitatis multos. Postea inducíæ factæ sunt, sed tot cædibus exasperati animi vtrinque, non diu seruarunt: rursum igitur alteri alteros lædunt, & res ad arma iustumque bellum venit. Dux Austriacus, Lupoldus nomine, multis sibi per Germaniam iunctis sociis, cum copiis suis proficiscitur ad Sempach ad opprimendum in eo oppido præsidium confœderatorum. Quo ducis consilio perspecto, confœderati plures clam noctu in oppidum mittunt, qui expectent hostem, &, si videatur, aggrediantur. vix igitur in conspectum oppidi venit dux cum copiis suis, occurrunt illi obuiam confœderati in loco paulo sibi æquiore, & in quo equitatus vtilis esse non poterat. Dux & omnes nobiles ex equis descendentes, acie instructa, quantum per temporis angustiam licuit (non autem licuit satis instruere, adeo hostis properabat) opponunt se illis, concurritur, pugnant nobiles primo impetu fortissime & pari prorsus virtutis robore: sed ex solis æstu & laboris magnitudine fatigati nobiles, cedere coacti sunt, neque enim possibile fuit ocio assuetos tamdiu solem & labores pugnæ ferre, quandiu poterant rusticis laboribus exercitati homines. Necesse enim est breui solui omnibus membris qui non exercitatus obit, præter consuetudines, vehementiores labores. Dum igitur ex pugna fatigati nobiles ad equos suos properant, occiduntur fere omnes. Occubuere in eo prælio plurimi fortes viri, ex multitudine nobilium occisorum est colligere, quantus reliquorum numerus fuerit. Cecidere in illa pugna Austriæ dux Lupoldus vir fortis, Otho marchio de Hochberg, Ioannes de Ochsenstain, Ioãnes comes de Furstenberg, Ioannes & Vlricus de Hasenberg, duo comites de Tierstain,

ſtain, Niger comes de Zollern, Waltherus de Gereltzech, Albertus de Rechberg, Fridericus de Monſtral, Othmarus Truchſes de Walpurg, & alij quorum nomina memoriæ, quod ſciam, mandata nõ ſunt. Inſecuti ſunt confœderati eos qui fuga ſibi conſulere nitebantur, multos in fuga ceperunt & trucidauerunt. Magnam gloriam & prędam in eo prælio adepti ſunt. Habuit occiſus Lupoldus dux Auſtriæ filium, nomine referentem patrem. Iuuenis erat animo fortis & exercitatus in omni armorum genere. Statuit igitur vindicare patrem, & alios apud Sempach occiſos. Quare hic Lupoldus dux Auſtriæ ad Carolum Imperatorem profectus, exponit illi ſua conſilia omnia, & queritur de clade accepta, & parente occiſo apud Sempach, Imperator adhortatur eum ad virtutem & bello Heluetios confœderatos fatigandos, nihil tamen temere agat, in omnibus diligenter prius conſultet, opportunitatemque temporis obſeruet. monet, pollicetur auxiliares manus quanquam aliis occupatus eſſet. Aggreditur igitur dux Lupoldus Suitenſes magno animo, conatu, apparatu, & ira, multis ex imperio ſociis, multis locis tentat fortunam, ſed fere vbique aduerſa erat. Eo bello comes Werdenbergenſis, Ioannes nomine, & comes Donatus de Tockenburg, copiis ſuis optime armatis, vallem Glarenſem vaſtauerunt, & direptas domos incenderunt. quibus rebus exaſperati Glareani, coniunctis ſibi paucis ex vicinis pagis, adoriuntur hoſtem in anguſtiis montium ſeu vallium, committitur pugna, vtrinque pugnatur fortiter, ſed confœderati fortius de ſuis focis & pro libertate pugnantes: vertunt tergum Auſtriaci (ſic enim appellabantur omnes in eo bello hoſtes confœderatorum) occiduntur a parte comitum mille quingenti, Glareanorum & ſociorum eorum vix quinquaginta. Fuerunt autem, ſi credimus qui de eo prælio ſcripſerunt, confœderatorum vix mille; hoſtium vero plures quam quinque millia. Fugientes Auſtriacos inſequuntur vſque ad oppidum Vrſee, vbi ex fuga ſe recolligere, & requieſcere conſtituerunt. Sed oppidum expugnant Heluetij, cogunturque noctu ex eo fugere Auſtriaci per montes in Tockenburg: Suitenſes armis eorum & reliqua præda potiti. ſequuntur eos vſque in Tockenburg, illicque & per totam Durgiam multas deiiciunt arces, & occupant multa quæ adhuc belli iure poſſident. Cumque ſæpius ita in eo bello male ceſſiſſet, ſemperque augerentur vires montanorum hominum, & indies caperent aliquid, fatigatis vtriſque, Heluetiis carentibus ſale & frumento (nam de vino nihil dico, non enim morabantur, ſimplici victu carnis, caſei, lactisque erant contenti) duce vero Auſtriæ exhauſto pecunia, cœperunt audire eos qui de pace loquebantur, conueneruntq; conditionibus pacis, ſed non animis concordarunt. quare pax non diu durauit, odia enim manere neceſſum erat diu ex tanto & tam cruento bello. Cum igitur quotidie vicini conuenirent, neceſſario propter commercia & alteri alteros contemnerent, & in memoriam reuocarent, quæ in bellis facta erant ſuperioribus, frequentes cædes fiebant, & noua bella oriebantur: de quibus in ſequentibus fortaſſe; hoc loco ſatis ſit de Heluetiorum fœdere, nunc reuertemur retro aliquot annis. Anno poſt Chriſtum natum milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, ſæuiit per Germaniam maxima peſtis, 1356 quam præceſſerat defectio Solis & Lunæ, maximusq; terræmotus, quo multæ altæ in montibus arces, turres & domus in ciuitatibus & rure corruerunt, maxime in ripis Rheni, illo terræmotu maxime concuſſa eſt Baſilea, multa enim ædificia illic ruerunt, templiq; maioris fundamenta magnum acceperunt damnum. rimas enim per muros paſſim licet videre, quæ hoc terræmotu factæ ſunt. Item iuxta vrbem elegantium caſtrorum, quæ terræmotus deiecit, veſtigia viſuntur adhuc. Nos mirati murorum denſitatem, tantumque pondus potuiſſe commoueri ſpiritu in terra incluſo, vnde nam tam ampli meatus eſſe potuerint flatibus, terræ altius effoſſæ qualitatem diligentius inſpeximus in montibus & ad eorum radicem, in quibus deiectas vidimus arces, vidimus eſſe ſolutum ſabulonem, qui vias præbet flatibus. Hac cauſa flatus in terram illam ſolutiorẽ multi admiſſi, multos efficiunt frigidiſſimos fontes in illis locis. Cõſtat enim inter naturæ peritos ex condenſatis in terra flatibus, qui æterna lege flant, perpetuos fieri fontes. In nimium igitur ſoluta pertranſit ſpiritus non condenſatus in aquam; in ſpiſſa vero nimium nõ ingredi poteſt, cernimus, ergo paulo ſolutiorẽ ad fontes generandos aptiſſimam eſſe. Peſtis, quæ ſecuta eſt hos ex alto ſolo egreſſos ſpiritus, primum per Germaniam graſſata eſt in minorum pecorum greges, mox etiam in ar-

menta maiora, postremo absumpsit maximam hominum multitudinem, potissimum in iis locis, vbi vehementior terræ motus prius fuerat. Erat hoc tempore hęreticus, nomine Reghardus Bertholdus de Rorbach, qui aduersus ecclesiam hos habebat persuasos articulos: 1. Quod homo timens Deum, & gratias agens illi ex pia mente, tantam gratiam possit percipere ex cibo communi, ac si frueretur eucharistiæ sacramento. 2. Quod laicus illiteratus, & sacris ordinibus non initiatus, illustratus vero lumine diuini spiritus, cum maiore fructu possit alios docere, quam euangelium aut sacrarum literarum doctores. 3. Quod homo in hac vita tantum proficere possit, vt nec ieiuniis nec orationibus illi opus sit. Quarto, nescio quæ prorsus detestanda mendacia de passione Christi senserit, quæ apud historicos literis commissa leguntur. Hic habuit qui credidere eius doctrinæ. Primum vero Herbipoli ab episcopo coactus est reuocare: sed paulo post in eandem hæresim recidit, Spiræ captus est, & igne
1360 concrematus. Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, discordantibus in imperio Principibus & ciuitatibus, corroborauerunt, firmioremque & auctiorem reddiderunt Heluetij libertatem suam, nec enim parum eius temporis discordia adiuuit Heluetica fœdera. Anno enim iam dicto, Eberardus comes de Wirtenberg ciuitates imperiales viginti quatuor, quarum præsidem eum Imperatores fecerant, afflixit exactionibus iniquis & non ferendis imperialibus liberis ciuitatibus, de hac iniuria igitur apud Carolum Imperatorem conqueruntur, petunt, vt eum a tyrannide dehortetur, imperetque illi, vt iustius agat. Imperator Eberardum verbis confutat, &, vt legibus iureque agat, omnia imperat. Eberhardus admonitionem & iussum Imperatoris nihili pendens, quærit socios quorum auxilio resistere possit Imperatori; fecitque fœdus cum ducibus Austriæ, nec in fœderis conditionibus excepit Imperatorem. Quod non immerito grauissime tulit Carolus, minatur illi sæpe: sed nihil minæ, nihil ius & æquum Eberardum mouent, pergit exactionibus vexare ciuitates liberas. Tandem omnes Sueuiæ imperiales ciuitates conueniunt Cæsarem, exponunt intolerabilem tyrannidem Eberardi, petunt consilium & auxilium, dicuntq; se paratos esse suis ipsorum impensis debellare comitem Wirtenbergensem, ducem belli tantum a Cæsare petunt, quo maioris autoritatis bellum sit. Imperator contemptus multis modis ab Eberardo comite, pollicetur non solum ducem belli, sed etiam auxiliares manus, statimq; mittit Basileam, Argentinam, Wormatiam, & alias quasdam ciuitates, legatos qui petant milites in auxilium ciuitatibus Sueuiæ, nomine suo. Wormatienses, Argentinenses, & Basilienses, aliique a quibus Imperator petiit, miserunt copias aduersus Eberardum Wirtenbergensem. Marchioni Badensi imperauit quoque certum numerum militum: sed recusauit Marchio, nam sanguine iunctus illi erat Eberardus comes. Eberardo autē e contra magnas copias cogente, multis Principibus clam, nonnullis palam eum adiuuantibus, Carolus intelligens quid futurum esset, si vinceret comes Wirtenbergensis, dedit ciuitatibus ducem Rupertum Bauariæ Principem, & ipse iusto exercitu coacto, oppidum Alen obsedit, & expugnatum in fidem recepit. Inde promouit exercitum ad vrbem Eslingen, in itinere arces & pagos quæcunque ad comitatum Wirtenbergensem pertinebant, igne ferroque vastauit. Venit ex Eslingen ad oppidum Schorendorff, quod obsedit: dux autem Rupertus obsidet oppidum Groningen, Constantienses & quæ a Constantia vsque ad Augustam vrbes sunt, obsident, Goppingen eodem tempore, hæc tria Wirtenbergensis comitatus oppida obsidentur. Eberardus comes incipit humiliari, suamque superbiam priorem detestari, non habens quo se vertat, sociis expectationi eius non respondentibus, desperatis ergo rebus suis propter multitudinem, clam misit ad episcopos Augustensem, Argentinensem, & Spirensem, petit vt se interponant, pacemque faciant, pollicetur se mutaturum animum & facta sua. Episcopi putantes suum maxime officium esse, pacem inter omnes homines, quantum fieri potest, facere, accesserunt ad Imperatorem, docent quę ex intestinis illis bellis imperij incommoda eueniant, quam imperium infirmetur, hostes roborentur, vt semel dicam, flectunt animum Imperatoris, vt audiat de pacis conditionibus loquentes. Post autem multa commutata verba, tales pacis conditiones factæ scribuntur: Primum, vt Eberardus Imperatori resignaret omne ius quod se putabat habere in ciuitates imperiales in Sueuia. Deinde, vt omnibus qui aduersus eum

causam

cauſam habebant,coră Imperatore reſponderet. Tertio,quod nõ deberet milites,nobiles, barones, & comites cõmouere aduerſus imperium, & nullum omnino imperio bellum mouere. Quarto,vt fœdus cum ducibus Auſtriæ factũ renunciaret illis. Quinto,vt nulli eorum qui aduerſus imperium ſe iunxerãt Wirtenbergenſi duci in eo bello, eſſet fraudi apud Imperatorem,ſed omnes recõciliati eſſent Imperatori, præter duces Auſtrię,quos Carolus non voluit recipere in gratiam. Sexto,vt omnes vtriuſque partis captiui deberẽt dimitti. Septimo,vt omnia quæ erant ab Imperatore & ciuitatibus imperialibus capta duci reſtituerentur; pręter Alen oppidum,quod nõ diu comites Wirtenbergenſes tenuerant. adiunxit igitur illud oppidũ imperio. Sunt præterea aliæ conditiones pacis minoris momenti, conſulto igitur prætereo. Quantum ex ſequentibus temporibus colligo,nõ ſunt prædictæ pacis conditiones ſeruatæ,nam poſt aliquot annos magnam pecuniam hic Eberardus comes Wirtenbergen. extorſit,nomine Imperatoris a ciuitatibus Sueuię,quarũ ſe prædicabat præſidem Imperialẽ. Cum vero recuſarẽt primum dare tantam pecuniã ciuitates,dux contraxit exercitum,multisq; modis vexauit ciuitates, eoq; redegit ciuitatum quaſdam maxime vicinas, vt potius dederint pecuniam,Eſſlingen dedit 15 millia aureorum, Vlma vero dedit 52 millia,Rotuila 10 millia,Rutlingen 15 millia,Lindou 6 millia,Conſtantiã 40 millia dediſſe lego,ſed exemplaria poſſunt mendoſa eſſe: quanquam veriſimilius reddatur tantũ dediſſe,quod priuilegia illis propter hanc ſummã ſunt conceſſa. Dederunt & alię ciuitates quædam, ſed maior ciuitatũ pars nihil dare voluit,neq; compelli potuerat,ſed incurſiones equitum hoſtilium ciuibus ſuis & milite conducto,excipiebant toties,vt vltro tandẽ quieuerit. Inter has in imperio turbas, & inteſtina ciuiliaq; bella corroboratum eſt fœdus Heluetiorum inuictum. Duces Auſtrię quocunq; modo poterant,impediebant huius Caroli incremẽtum,& partibus Imperatori aduerſis ſe adiungebant. Imperator igitur per totum imperium omnibus principibus & ciuitatibus imperauit milites, & magno coacto exercitu,incipit ducere aduerſus ducem Auſtriæ,quem in conditionibus pacis cum Wirtenbergenſi comite factis in gratiam recipere noluit. dux Auſtriæ per multa cum Heluetiis bella exhauſtus,intelligẽs tantas aduerſus ſe copias duci,mittit obuiam Cæſari epiſcopos duos,quos putauit autoritate aliqua valere apud eum,quibus mediatoribus pax eſt hoc modo facta: Primũ, quod dux deberet renunciare omnia fœdera, in quibus nõ eſſet exceptus Imperator,ipſumq; imperium. Secundo,vt dux exhiberet imperio eam obedientiam & reuerentiam,quam maiores eius exhibuerant. Tertio,vt omnes ſibi deuinctos qui eſſent de imperio,liberos remitteret ad imperium,ſolutis iuramentis & obligationibus,nec in poſterum vllos ſibi adiungeret. Quarto,datis Imperatori Carolo literis,agnouit ſe in Palatinatu Rheni,in Sueuia,& Alſatia ducẽ non eſſe. Vltimo,vt,ſi eueniret Imperatori vel ſuis legatis copiiſve iter in Italiam,vel quemcunque locum, vt eſſet liber tutus & apertus per Auſtriam tranſitus. Has conditiones accepit neceſſario dux Auſtriacus,nam paratus non erat ad bellum. Si autem illi montani homines, qui defecerant ab eo, obediuiſſent adhuc illi,audacter ſuos duxiſſet contra omnem Imperatoris potentiam; & hoc ipſum fecit eum tam audacem præteritis temporibus aduerſus Imperatorẽ,quod ſciebat ſuos prædeceſſores in ducatu Auſtriæ nihil non auſos contra quoſuis reges & Imperatores,fretos nimirum robuſtis illis & animoſis viris qui in illis montibus naſcuntur. Circa idem tempus miſit Innocentius legatos ſuos in Germaniam ad Carolum Imperatorem, pro ſubſidio Cameræ. Quod vt concederet Imperator, multa iura dedit Pontifex illi in eccleſiaſticis rebus: verum Imperator ſolus in ea re neque permittere,neque negare volens,conuocauit Moguntiam Principes multos, epiſcopos Treuerenſem,& Colonienſem,ducem Bauariæ,& ducem Saxoniæ,& alios; quibus congregatis, iuſſit Imperator apoſtolicos legatos coram Principibus mandata ſua exponere. Epiſcopus igitur Caluacenſis legatus pontificius multis orauit. Fine orationis facto,dixit Imperator,ſe mirari quo ore audeant tantam pecuniam petere, cum tam male viuant, & nefandis modis dilapident pecunias. Quur nõ,inquit ad legatum,prius reformatis clerum veſtrum, & oſtenditis vitã Chriſto ſanctiſq; eius dignam,vt corda fidelium piorumq; hominum vltro inclinentur ad dandum etiam ſi non petatis? Conſiderate prædeceſſorum veſtrorum vias,quantum abſitis ab illis? Iudiciũ Domini non feret diutius. Aderat forte canonicus eccleſiæ Mo-

guntinen. nomine Cuno de Falckenſtein, cum capitio ſerico aureis ligaturis intextis. Hoc capitium petit Imperator ſibi dari, & imponit capiti, ſuo viliore depoſito, & conuerſus ad præſentes Principes dixit, Vtrum militi an ſacerdoti ſimilior in hoc capitio videor? Subridebant præſentes omnes, canonicus rubore ſuffuſus, tacuit. Imperator vero ſeuero vultu exorſus eſt dicere longa oratione de officio clericorum, quod debeant eſſe exemplaria gregis, quantum malorum in totam plebem emanet ex corruptis moribus ſacerdotum: rurſum docet, quantum bona exempla valeant. Prædicit illis quid futurum ſit illis niſi mutent mores, ſeruiantque Domino, non ventri: nihil enim ſtare poſſe diu, quod non obit functiones ſuas a Deo & natura inſtitutas, demonſtratq; quomodo ſancte & inculpate vixerint in monaſteriis & collegiis primi patres, quibus beneuoli homines facti, tantas facultates in eos contulerunt. Vbique orationem finiuit, ad archiepiſcopũ conuerſo vultu, grauiore voce dixit, Domine Archiepiſcope, mandamus qua poſſumus maxima autoritate, vt clerum veſtrum omnem reducatis in viam, quo præſint & miniſtrent eccleſiæ, vt ædificentur homines, eorumque vita ſit illiteratis liber viuus, in quo diſcant rectum & pietatem veram: præcipimus vero, inquit, vt quam primum abuſus veſtium & calceorum, ludorum & compotationum tollatur, & in ieiuniis & orationibus toti ſint. Quod niſi fiat, minatur ſe mutaturum perſonas, operamque daturum, vt pij viri & digni fruantur beneficiis eccleſiaſticis, nam in pios vſus eſſe contributa illa bona. Hunc animum & hoc iudicium in Imperatore audientes pontificij legati, excuſare ſe conantur, inquientes, Pontificem in hoc eſſe, vt corrigat quæ emendanda ſunt per eccleſiam, & quotidie emendare: ſed nullum hominum ſtatum poſſe irreprehenſibilem eſſe, homines eſſe, non angelos, in hac vita; & multa in hanc ſententiam locuti legati, conſcenderunt nauem, in qua ſecundo flumine Coloniam vecti ſunt, ibi ciuitate & epiſcopo permittente, magnam collegerunt pecuniam. Imperatori autem non placuit animus eorum cum hoc iudicio de eccleſiaſticis perſonis. Hoc tempore, quantumuis reſiſteret Carolus Imperator, apoſtolici legati magnam ex Germania pecuniam Romam pertulerunt. Sub idem tempus miſit Pontifex Innocentius Spiram literas, quibus præcepit ad apoſtolicam cameram mitti mediam partem omnium fructuum beneficiorum vacantium aut vacaturorum duobus annis in tota diœceſi Spirenſi. & apud alios epiſcopos quoque tentauit: ſed noluerunt conſentire. Carolus hic Boemiam bonis legibus, ac religionis cultu exornauit, ſingulare enim illi ſtudium fuit religionis, & morum bonorum, atque etiam literarum. Vniuerſitas Pragæ ab hoc Carolo eſt fundata, & ad educandam docendamque iuuentutem monaſteria inſtituit, imitando honeſtiſſima maiorum exempla. Pragæ quoq; conſtituit archiepiſcopatum. ante Carolum enim, nulla erat Pragæ Metropolitana eccleſia, ſed ſub archiepiſcopo Moguntino erat. Boemiã præcipue amauit, multas arces, multas eccleſias exædificauit per Boemiam paſſim. Imperator hic Norinbergæ multas inſtitutiones melioribus legibus correxit, collegia enim artificum prona ad ſeditiones mutauit. Eo enim tempore excitarunt magnam ſeditionem aduerſus magiſtratum ſuum & Imperatorem, neſcio quem popularem vrbis ſtatum cupientes, qui conſiſtere non potuiſſet. Miſit illo tempore Carolus cum eſſet Norinbergæ, ad Innocentium Papam legatos duos epiſcopos Argentinenſem & Pragenſem, per illos poſtulauit a Papa, vt multa per eccleſiam reformaret; Item, vt omnia quæ a pontificia ſede aduerſus Henricum ſeptimum, qui erat auus Caroli, eſſent promulgata, reuocaret & irrita pronunciaret. Pontifex legatis reſpondet, ſe omnia facturum ad Caroli ſententiam, quandoquidem videat eum nihil petere niſi ad Rempub. & religionẽ, felicémq;
368 eccleſiæ ſtatum facientia. Poſt natum Saluatorem annus 368 per totam Europam miræ fœcunditatis, vinum & frumẽtum viliſſimum fecit. Hoc anno Vrbanus quintus qui Innocentio vita defuncto ſucceſſerat, tumultuante Italia, miſit legatos ad Carolum Imperatorem, vt eccleſiam ab hoſtibus defenderet, præcipue a Bernaboue, qui omnia depopulabatur, neq; Imperatorẽ, neq; Papam, neq; Deum reſpiciens, cum quo tamen Carolus pacem fecit, antequã ingrederetur Italiã. Inuitante autẽ ſerio & ſæpius Imperatorẽ Pontifice Vrbano, copias ex Boemia & Germania cõgregatis ducit in Italiã, multis nobilibus, baronibus, comitibus, & Principibus comitantibus eum. In Italia ciuitatib. vbiq; honorifice aduenien ſ exceptus eſt, in itinere litigantes compoſuit, ſine,

quan-

quantum fieri poterat, sanguine. Vbi venit Pisas, conuocauit magistratus vicinarum ciuitatum, & causis cognitis, iudicauit secundum leges iustissime, sciens quantum autoritatis amorisque iustitia Principi conciliet apud omnes homines. Res imperij ordinauit tum etiam Pisis. A rebellibus & seditiosis quam primum potuit, extorsit pecuniam, nam vtilissimum Reipublicæ iudicauit illas vrbes maxime egestate inopiaque laborare, quo non haberent facultates bonis negotium faciendi. Senis cum esset, rumor in populo exortus est, quod Imperator velit ciuitatem in vltimam seruitutem redigere; quare ciues arripuerunt arma, & pene Carolum oppressserunt, cum nihil tale expectaret; sed virtute militum Germanorum vicit, multosque Senenses occidit. Romæ veniens exceptus est honorifice, & multa cum Pontifice decreuit: sed postea parum est effectum datum. Nec longam moram fecit Romæ, quoniam omnia illi fuerunt suspecta, & pleraque displicuerunt, quæ propter temporum malitiam mutare non poterat. præterea multa eum in Germaniam reuocarunt. Quam ob rem recepit se cum copiis suis in Germaniam. In Germania multa inuenit turbata, ex quibus omnibus cum videret se extricare vix posse, & multas partes cerneret potentes, quæ post mortem suam filiis suis suppressis, peruenturæ essent ad imperium, incipit cogitare quo pacto posset filium suum Wenceslaum regem Romanorum facere. tentat igitur Principum electorum animos muneribus & officiis allicere ad suum filium eligendum. Sunt autores qui scribunt singulis electoribus Principibus centena millia florenorum promissa: post electionem vero cum patri Carolo soluendo non esset, Principibus electoribus obligasse pignoris loco vectigalia, oppida, & telonia imperialia. Nos hoc loco nihil asserimus, quæ commissa sunt ab aliis literarum monumentis, bona fide paucis indicamus. Est igitur, procurante patre, supra millesimum trecentesimum, septuagesimo anno, Wenceslaus electus Imperator Francofurdiæ, magnámque de se præbuit spem. Quatuor annos ante Wenceslai electionem Friburgenses & comes eorum, Aego nomine, inter se habuerunt magnas simultates, plus iuris in ciues sibi arrogabat, & exactionibus latu difficilioribus vexauit eos: quare cum ciues sæpius hoc essent conquesti apud Imperatorem, nihilque auxilij possent consequi, Imperatore occupato aliis, excluserunt comitem coacti eius tyrannicis exactionibus, & fœdus cum Basilienses quorum prudentia, autoritas, constantia, fortitudo & fides magna erat non solum per imperium Romanum, sed per totam Europam. 1370

Anno igitur millesimo trecentesimo sexagesimo sexto in vigilia annunciationis diuæ virginis Mariæ, comes conatus est per insidias Friburgum capere: sed Friburgenses præuenientes eum repulerunt. Dux repulsus, detectisque eius insidiis, cœpit copias augere, maioribusque viribus bellum gerere. Friburgenses coniunxerunt sibi etiam vicinas ciuitates Neoburgum & Brisacum. His sociis auxiliaribus captam arcem quæ super vrbem est, deiecerunt, & in monte præsidio sufficienti collocato, obsidione cingunt oppidum Endingen, quod obtemperabat comiti, ad quod liberandum cum copiis accelerat comes, aduenienti Friburgenses occurrunt, soluta obsidione, neque enim inter oppidum hostile & hostilem exercitum claudi tutum putabant. Comes habebat secum multos nobiles, milites exercitatos multis bellis, Friburgẽsibus appropinquantibus adhortatus est suos ad virtutem præstandam, gratitudinem pollicetur, in loco editiore aciem instruit, numero equitum longe superior, peditatum si non maiorem, at certe non minorem habebat. Friburgenses odio tyrannidis concitatiores tumultuarie instructa acie, in loco sibi paulo iniquiore aggrediuntur hostem, equestre fit primum prælium, sed ob multitudinem hostium Friburgenses equites cedere sunt coacti, quæ res non parum terruit & peditatum, nihilominus adoriuntur fortiter hostem, fit atrox pugna, & equites Friburgenses denuo: pugnant dum autem neutri cedere volunt, multi cadunt, capiuntur multi, multi in Rheno suffocantur. Post hoc prælium, episcopus Basilienses, & episcopus Argentinensis Constantienseque & quidam alij proceres pacem inter eos fecerunt, vtrisque bello afflictis. Cum autem & Friburgenses & comes animaduerterant, per omnem hominum memoriam odium etiam in posteris duraturum conceptum ex tot mutuis cædibus, accepit comes oblatam a Friburgensibus pecuniæ summam, & eos manu misit liberos. Sed sunt qui putant pecuniam comiti numerasse Austriæ ducem, cuius postea subditi facti 1366

sunt, sicut adhuc hodie domui Austriæ obediunt. Erant his temporibus frequentes discordiæ ducibus Austriæ,& aliis vicinis nobilibus,cum confœderatis Heluetiorum.
1371 Anno septuagesimo primo supra millesimum trecentesimum, Vrbanus Papa per totam Europam misit nuncios apostolicos,qui adhortati sunt populos ad expeditionem contra Turcos suscipiendam,eiusque expeditionis nomine magnam pecuniam conflauit. Indulgentias concessit in plurima annorum millia iis qui aliquid contulerunt; iis vero qui militatum irent in eam expeditionem, cœleste regnum clauibus apostolicis aperiebat. Verum cum vis non parua pecuniæ esset collecta,Pontifex in Galliam profectus, moritur, pecuniaque in nescio quos vsus confertur. quanquam enim eodem anno alius creatus sit Pontifex, nempe Gregorius vndecimus: tamen antequam hic ad pontificatum perueniret, distracta est collata pecunia in expeditionem contra Turcam. Erat post Vrbani obitum Italia & vrbs Roma confusa factionibus. Potentiores ciuitates inceperunt aduersari pontificiæ sedi, multis enim annis fuerat curia Pontificis Romani Auinione in Gallia, & minor erat autoritas Papæ,qui propter beatum Petrum, & locum,Romam,magnus,& Pontificum primus habebatur; Italiam, patrimonium beati Petri per vicarios gubernabat, hinc multæ seditiones, & ciuiles cruentæ discordiæ oriebantur. Florentini præcipue iugum Pontificum Romanorum abiecerunt, erat in Italia legatus Pontificis homo durus & fastu turgidus,qui in annonæ caritate negabat ciuitatibus frumentum quod habebat in sua potestate. Perusinis ergo rebellantibus miserunt Florentini auxiliares manus,quarum ope arcem in vrbe ceperunt, & pontificiam familiam eiecerunt. Bononienses exemplo illorum paulo post quoque rebellarunt, quibus Perusini & Florentini se coniunxerunt. ij ergo solicitarunt ad defectionem alios, & facile multi mouebantur exemplo tam potentum ciuitatum: Romani quoque aduersus pontificias constitutiones crearunt magistratus. Gregorius Papa vbi cognouit Perusinorum, Florentinorum, & Bononiensium defectionem, copias armatas ex Galliis mittit in Italiam,& cum copiis mittit simul censurarum & anathematum fulgura & fulmina. Florentini vero & eorum socij opponunt suas copias pontificiis: simul mittunt legatum ad Pontificem in Galliam,ei exponunt quibus causis moti fuerint ad resistendum legatorum pontificiorum tyrannidi. excusant se,& simul docent,quid mali afferat absentia Papę ab Italia,nec factum odio Pontificis esse,sed quod cupiant eum apud se Romæ habere. accusant autem nominatim legatos quosdam,indicantque eorum iniqua facta. Pontifex vero ciuitatum legatis respondet durius, docet, quam contra diuinas & humanas leges sit magistratui non obedire; multo vero maius piaculum esse tanto magistratui non obedire,hoc est summo Pontifici. Quam ob rem imperat, si velint suam gratiam habere, vt obediant nunciis suis,tanquam sibi ipsi. Postea satis claris argumentis & signis intellexit plurima & maxima mala non solum in Italia, verum etiam in tota Romana ecclesia euenire,propterea quod Romæ Pontifex non habitet. & exemplum dedit aliis ecclesiasticis prælatis suas ecclesias relinquendi. Et cum iussit episcopos domi apud suos esse,audebant quidam respondere, quod episcopus Romanus non Romæ habitaret. Quare decreuit curiam papalem transferre Romam, sed ex Gallia discessurus, dissimulauit diligenter se profectionem cum tota curia parare ad vrbem (nam in Gallia iam manserat curia pontificia septuaginta annis) quare Galli eam iure suam esse putabant,& per vim retinuissent, nisi quasi aliud agendo clam discessissent. Venit ergo Pontifex Romam magna cum Romanorum & multarum Italicarum ciuitatum lætitia, ac suo aduentu finiuit bellum. Hoc tempore ciuitates imperiales in Sueuia gesserunt non paruum nec incruentum bellum cum duce Wirtenbergensi Eberardo. Comite enim de Helffenstain in arce Nyberga trucidato,ciuitates conscriptis copiis aduersus eum tendunt, quibus non procul a dicta arce occurrit comes Eberardus,& commisso prælio superauit,magna occisa,magna capta,magnaq; vulnerata multitudine. Post hoc prælium facta est Principibus quibusdam mediatoribus pax. Hoc tempore Turcę aduentus timor magnus inuasit Italiam,quã ob rem Pontifex ad Cæsares Carolum & Wenceslaum legatos mittit, vt rebus ecclesiæ periclitantibus subueniant,pacem faciant inter Christianos Principes,ne omnes inter se bellantes,nõ sibi,sed Turcæ laborẽt, mittit & ad alios Principes,nullam pacem non honestissimam esse,quæ fiat propter communia

munia eccleſiæ cõmoda, liberaliter promittit per Gallias, Hiſpanias, Britanniam, Germaniam, Vngariam, & alias Romanam eccleſiam audientes gentes, prædicando crucem, ſic enim vocabant quando concionatores plebem excitabant contra hoſtes eccleſiæ. Sed diſcordia Principum fuit in cauſa, vt Pontifex fruſtra parturierit expeditionem in Turcas. Anno poſt Domini ſalutis noſtrę 1377, denuo erat bellũ inter comitem Wirtenbergenſem & ciuitates Sueuiæ: poſtquam ergo comes ciuitatibus, ciuitates viciſſim cõmiti multa intuliſſent mala, quadam nocte paucis diebus ante feſtum Ioannes Reutlingenſes cum ſociorum auxiliari manu exiuerunt, & latuerunt in arbuſtis, donec paſtores ex oppido Vrach & Tetingen mane ſummo pecora in paſcua agerent, quæ omnia abegerunt, & pagum Tetingen incenderunt. cum vero cum præda reuerterentur domum, Vlricus iunior comes de Wirtenberg, magno cum equitatu per aliam viam præuenit eos, & obuiam illis venit, ac ſi veniſſet ex vrbe: ſed ciues diligenter obſeruantes ſuos, periculo ſuorum intellecto, erumpunt per aliam portam, circundatur ita comes præter ſuam expectationem, cõſeruntur manus, fit atrociſſimum prælium: ſed comes par eſſe non potuit, & perturbato ordine fugere conatur: ſed circumſepto hoſtibus armatis, nulla patet fugiendi via. Occubuerunt in ea pugna plurimi nobiles, Ioannes comes de Schwartzenburg, Fridericus comes de Zollern, Vlricus de Tübingen, Suigerus de Gundelfingen, Gotfridus de Winshen vexilifer, Reinhardus de Nyberga, Ioannes de Seldeneck, Bernhardus de Sachſzenheim, Wolfo de Stamhen, Magiſter curiæ comitis de Wirtenberg, Benzo de Hohenſtein, Ioannes de Rudenberg, Ioannes de Luſtnou, Sifridus de Willenberg, Conradus Kyfer, Waltherus de Hohenfels, Conradus de Hœfingen, Suigerus de Gemingen, Scharbo de Bernhuſen, Henricus Waler, Sifridus Waler, Cuno Truchſes de Buchishuſen, Eberhardus de Sternenfels, Henzo de Liechtneck, Ioannes de Sperberſeck, Andreas de Gyſſingen, Vlricus de Liechtneck, Diopoldus de Nydlingen, Cunzo de Stamhen, Wolfo de Phauhuſen, Wolfo de Iungingen, Waltherus Sper de Eſtetten, Sifridus Franco de Erdtbach, Hermannus de Ratbocem, Ioannes de Grunbach, Cuntz de Hediken, Raue de Liechtenſtein, Volcklinus de Kruthen, Ioannes de Grunbach, Guilielmus de Knishem, Conradus de Limppach, Hermannus de Boeſtain, Rupertus de Gebſydel, Ioannes de Lor, & multi alij nobiles, nam hi quos enumerauimus, omnes fuerunt nobiles; famulorum nomina non extant, & longius eſſet recenſere. Ipſe filius comitis de Wirtenberg Eberardi, aliquot vulneribus acceptis, cum quibuſdam aliis fuga elapſus eſt, & peruenit ad arcem Acheln. Reutlingenſes equis & reliqua præda potiti, captis aliquot, oppidum ſuum victores ingreſſi ſunt, nec paucos ex ſuis amiſerunt. Petierunt autem nobiles ſuorum cadauera, quæ illis Reutlingenſes dederunt. Durauit hoc bellum diutius, quod Carolus Imperator ſentiebat iam cum duce Wirtenbergenſi. Sueuia ex hoc bello multa paſſa eſt mala, nam villæ ruſticæ integriq́ue pagi vtriuſque partis exuſti ſunt, & fruges contritæ in agris, quę res multos pauperes ruſticos ad mendicitatem perduxit. Poſtquam accepit comes Wirtenbergenſis hanc inſignem memorabilemq́ue cladem, comparauit maiores copias quam antea in eo bello conſueuerat, armauitq́ue omnes ſuos ſubditos. contra quoque ciuitates conſcripſerunt auctiorem exercitum, ſed iuſto prælio non dimicauerunt, alteri autem alteros vehementius vexauerunt. Eodem tempore Lupoldus Auſtriacus dux oppidum Feldkirch, cum adiacentibus quibuſdam emit a Rudolpho de Werdenberg, hic enim tueri ſe poſſe non ſperauit, ille putauit ſibi vſui magno fore in bellis gerendis cum confœderatis Heluetiis. Non diu poſt propter eandem cauſam ab Alberto de Werdenberg idem Lupoldus emit Bludentz & ſanctum montem. Hoc etiam anno Imperator Carolus non exiguis copiis Vlmam vrbem obſidione totam cinxit, deuaſtatis eius agris. erat autem comes Wirtenbergenſis ſocius Imperatoris in eo bello: diu vero vbi fruſtra tempus tereret ad vrbem munitam optime foſſis, muris, ciuium fortitudine, conſtantia & concordia (quæ eſt præcipuum ciuitatum robur) nulla capiendi ſpe apparente, obſidione autem multum pecuniæ deuorante, ſoluit obſidionem. Poſtea Vlmenſes, coniunctis ſibi aliis vicinis confœderatis ciuitatibus, inuaſerunt Wirtenbergenſem principatum, & aliquot arces ceperunt, pecora abegerunt: eo anno vario martis fauore dimicatum eſt inter Wirtenbergenſes & ciuitates. Hoc tem- 1377

pore magnæ dissensiones inter episcopos, omnes prælatos ecclesiasticos & vulgares sacerdotes, Pontifice enim Gregorio partem fructuum beneficiorũ exigente & contra recusantes fulminante, alij omnes processus Papæ contemnebant, alij reuerebantur, & ita fiebat, vt contraria de Pontifice in sacris concionibus docerent, illis se nihil debere; istis summo Pontifici omnia ecclesiastica subiecta esse, probantibus. Hoc tempore Imperator Carolus incidit in grauem morbum, vbi autem aduersus omnia medicorum præsidia morbum prævalere videt, conuocatis suis, mandat quæ fieri velit post obitum suum, dispositis rebus, suaque voluntate indicata, obdormiuit.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-SEXTVS.

CArolus Cæsar reliquit filios duos Wenceslaum & Sigismundum, quorum natu maiorem Wenceslaum octo annis ante mortem Imperatorem appellauit, vt diximus. Hoc tempore, Gregorio Pontifice mortuo, Romani & Italiæ ciuitates miserunt nuncios ad Wenceslaum, vt operam daret, quo eligeretur aliquis qui Romæ habitaret, nam Galli omnibus viribus conabantur reducere Curiam pontificiam in Galliam, quare Gallum quempiam cupiebant. Hæc electio quo tumultu sit facta, satis est ab aliis traditum. Itali enim elegerunt Vrbanum sextum; Galli elegerunt Clementem septimum. Vrbanum Pontificem agnouit Italia, Germania, & Vngaria. Clementem Pontificem summum appellauit Gallia, Hispania, Cathalania & Anglia. hi Vrbanum, illi vero Clementem, antipapam & apostaticum non legitime seu canonice electum, vocabant. Wenceslaus fouit serio partes Vrbani, qui studuit, vt quam plurimos sibi faceret amicos, Italiæ ciuitatibus multa condonauit. Et idem studium amicos comparandi fuit Clementi. Vterque, Principes sibi non fauentes clam & palam odiendo, causam præbuit multorum bellorum. Quoniam regina Apuliæ fouebat partes Clementis, Pontifex inuitauit ad occupandum regnũ Wenceslaum, cui cum non vacaret venire, Carolus Vngariæ regibus originem ducens, inuitatur, qui vbi ad Vrbanum venit, Romæ vnctus & coronatus est, rexque Siciliæ appellatus. Ante vero quam eum fecerit regem Siciliæ, Pontifex suis nepotibus meliores eius regni principatus, nempe Amalisatanum & Capuanum & alios dedit, Carolo futuro rege iureiurando pollicente se ratum habiturum quid Papa mutarit. Carolus Romę salutabatur in Curia pontificia rex Sicilię. Interea dum hæc Romæ aguntur, Anna regina, Siciliæ vidua, nubit alij viro Othoni duci Brunschwigensi, quo marito Germano, secum adducente in Siciliam copias ex Germania, putat se bene defensam. vbi autem intellexit hæc mulier, & a Pontifice Romano accersiri milites ex Germania, nam Wenceslaus totus deuotus erat huic Vrbano, in filium adoptauit (cum ipsa careret liberis) Galliarum regis fratrem, Andegauensem ducem, Ludouicum nomine. Cum ergo Carolus rex coronatus nihil omnino haberet quo occuparet regnum, & iam inciperet rideri rex, & Pontifex creator regis sine regno, Pontifex constituit effugere hanc nominis iacturam, quare cum & ipse esset tenuius pecuniatus, ecclesiarum & monasteriorum possessiones ciuibus Romanis vendidit, contraxitque ex illis fere centum aureorum millia. supellectilem auream & argenteam ecclesiasticam quoque mutauit in monetam, illa pecunia vsus in stipendia militum Carolus, copias ducit primo Neapolim, eam vrbem per fraudem quorundam ciuium cepit, in qua accepto a ciuibus iuramento fidelitatis, & ordinatis confirmatisque rebus, castrum nouum, in quo erat cum sua familia & amicis, regina Anna, obsidione castrum terra & mari quãtum per exercitus magnitudinem fieri potuit, circũdedit, neq; ita tamen circumsepire potuit, vt nõ ingredi & egredi qui vellent, possent, saltem per mare, nam classe non admodum multum valebat rex. Otho dux Brunschuigensis obsessæ reginę maritus, cõiugẽ, vel potius fortasse regnũ, dotẽ, non deserere volens, adducit copias militũ Italorum & Germanorum nõ contemnendas, quibus

obsedit

obſedit Neapolim Carolo proditam. Carolus autem in vrbe obſeſſus, tali dolo aduerſus Othonem vſus ſcribitur, adulterato ſecreto ſigillo reginæ, & imitatis characteribus quibus conſueuerat vti Anna regina, nomine reginæ ſcripſit ad Othonem, vt aliquot fidiſſimis comitibus veniret noctu hora & loco indicatis, ibi conſtituta noctis hora venturos qui indicent eis viam & rationem occupandæ vrbis. Otho ad horam & locum deſignata venit cum Marchione Montisferrati, fratre ſuo Germano Baltaſare, & aliis tribus viris primæ nobilitatis & apud ducem Othonem fidei, cum ad locum perueniunt, occiditur Marchio cum aliis duobus, Baltaſar eſt elapſus per noctis tenebras; Otho vero captus ductus eſt in vrbem, non ſicut ſperauerat cum duxit vxorem reginam. Otho autem prorſus vir Germanici ſpiritus, ductus ad regem Carolum, nec capite nec genibus flexis vllum demiſſi animi ſignum dedit, ſed corripientem regem verbis confutauit, libere ediſſerens ad quem pertineret ius regni Neapolitani, & Siciliæ. Carolus libertate viri offenſus, talemque animum in eo veritus, iuſſit Othonem duci in carcerem, diligenterque cuſtodiri. Exercitus ante vrbem duce deſtitutus ſoluit obſidionem, diſſipatique milites domum ſe conferunt. Anna in arce obſeſſa filij adoptati aduentum neſciens, in quo vno ſpes reliqua erat illi, poſtulauit liberum & tutum cum Carolo colloquium. Conuenerunt ergo in horto arci contiguo, & Anna in hunc modum eſt affata regem, Ego te hactenus vt filium amaui (nam matrem Caroli huius aluerat hæc Anna) nunc video te, diſponente Deo, mihi eſſe dominum factum, peto igitur a te vt me iam viciſſim & maritum Othonem commendatos habeas, ſi vnquam tibi aut tuæ quæ te peperit matri, aliquid bene feci. Carolus placido vultu manſuetiſſime reſpondit, te non minus quam meam matrem dilexi, & id intelliges poſthac melius, teque & maritum tuum Othonem commendatiſſimos habebo, &c. Comitatem & beneuolentiam omnem ſimulante oratione Caroli victa Anna, ſperauit in homine gratitudinem animi magnam & dignam Principe. Quare fidei eius dedidit ſe & caſtrum & omnia quæ in eo erant. eſtque reuerenter educta de arce in elegantiſſimas vrbis ædes, comitata pediſſequis multis honorifice: ſed, ſi ſcriptoribus credimus, paulo poſt miſſis militibus, in precibus ad Deum deprehenſa, ſtrangulata eſt, Baronibus eius captis. Et hoc modo totum regnum occupauit, ſed præſtantiorem regni partem, conſanguineis Papæ tradere ex pacto coactus eſt. Præterea in eccleſiaſticis prælaturis omnia immutauit Pontifex Romanus (nam ſenſerat cum Clemente Gallorum Papa) miſit enim illuc legatum cardinalem qui omnes eccleſiarum prælatos, epiſcopos, abbates, & totum clerum qui reginæ adhæſerant, multis crudelibusque modis affectos & ignominiæ notatos beneficiis & dignitate priuatos in exilium miſit, & alios in locum eorum Vrbanus conſtituit. Dum hæc in Neapolitano regno geruntur, adoptatus filius Annæ de cuius mulieris fatis iam diximus, Ludouicus, dux Andegauenſis, a Clemente Pontifice in Gallia vngitur & coronatur in regem Neapolitanum, quare a fratre rege Gallorum adiutus, validum cogit exercitum, in quo habuiſſe fertur bene armatos equites 30 millia, peditatum vero centum millium. ſuperatis igitur alpibus venit in Italiam. Vrbanus immodice terretur, & Carolus, eisque adhærentes omnes muniunt vrbes, in Germaniam pro auxilio mittunt legatos ad Wenceſlaũ, per Italiam contrahunt tumultuarie exercitum. multo vero magis terruit, quod in Italia erant qui odium in Vrbanum & amorem erga Clementem occultabant. Dux igitur Ludouicus a Barnaboue vicecomite honorifice excipitur & tractatur; adhortaturque ad premendum propoſitum, & occupandam totam Italiam, non tantum regnum Neapolitanum, & non ſolum Carolum ex regno per dolum occupato eiiciat, ſed & Vrbanum antipapam ex pontificatu deturbet. Vbi in Hetruriam cum Gallorum copiis peruenit, occurrunt illi obuiam Aretini exules, auxilium aduerſus ſuos conciues petunt, qui illos eiecerant, quod ſenſerant contra Vrbanum cum Clemente Gallorum Pontifice ſummo. Ludouicus dux caſtra mouet ad vrbes Aretinæ mœnia, Carolus ante Ludouici aduentum firmum præſidium in eam vrbem collocarat, quare eruptionibus nocte dieque factis ex vrbe, multi quotidie cadunt, tandem poſt multas oppugnationes expugnatam vrbem militibus prædam facit, eſtque miſeris hoſtilibus modis vaſtata & direpta. Caſtrum autem vrbis, propter loci munitionem & præſidia, quæ ex vrbe capta confugerant in illud, capi non potuit, quanquam

continuo ſeſquimenſe impugnata ſit multis artibus & inſtrumentis bellicis. Quare ſoluere neceſſario coactus arcis Aretinæ obſidionem, recta tendit in medium regnum a Carolo occupatum modo quo dictum eſt, magna ſtatim defectio facta eſt a Carolo: fuerunt enim multi qui vehementer offenſi erant morte reginæ Annæ, nam fidem illi non ſeruatam, & indigniſſime ſupplicio affectam a Carolo quem cum paupere matre ſua domi aluerat. Hoc ergo perfidum facinus multos alienauit ab eo, non tantum propter miſericordiæ affectionem, ſed propter perfidiam & ingratitudinem, quæ vitia in quocunque animante ſunt, nihil boni ſperandum ex eo: ideo natura docente, nullis fere magis offendimur. quis enim noſtrum non ſtatim odit etiam quem nunquam vidit hominem, cum audit benefactoribus ingratum fuiſſe, & credentem fidei datæ fefelliſſe, vt taceam, occidiſſe, & ſic occidiſſe mulierem? Quapropter actū erat de regno Caroli, niſi caſus eum ſeruaſſet. Ludouicus enim iam duas inſignes regni ciuitates ceperat, ſed Ludouicus dux morte in medio curſu abreptus eſt cum multis aliis Principibus viris exercitus ſui. Tradunt ab hoſtibus fontes veneno infectos fuiſſe, quibus vſi ſunt. Nam & gregariorum militum, qui ea vſi ſunt aqua, multitudo mortua eſt duce defuncto vita, exercitus redit diſſipatus in Italiam. & expeditio tantorum conatuum,
1380 tantæque ſpei ita euanuit, habuitque illum finem. Circa annum Domini 1380, Ludouicus Vngariæ rex, duobus annis ante mortem, filiam ſuam deſponſauit Sigiſmundo fratri Wenceſlai, filio Caroli, Imperatorum, deditque illi in dotem regnum Vngariæ. alteram, quam habuit, filiam dedit duci Aſtriæ, deditque in dotem Poloniæ regnum. Eodem fere tempore Carolus Galliarum rex Iſabelam, ducis Bauari filiam, vxorem ducit, puellam formæ & morum elegantia præſtantiſſimam. Vrbanus his temporibus contra Turcam hortatur per legatos ſuos omnes Principes per eccleſiam Romanam. Et tribus archiepiſcopis electoribus imperij, cardinalatus vltro obtulit, ſed recuſarunt. qua cauſa autem noluerint ſuſcipere eam dignitatem, neſcio. Vrbanus Papa, vt hiſtorici referunt, pro ingenij ſagacitate intelligens quanto Germania ſibi eſſe poſſit vſui, præcipue potentiſſimi Principes Wenceſlaus & Sigiſmundus, aduerſus Clementem Papam in Gallia aduerſarium ſuum, mittit ad ambos Imperatores Wenceſlaum & fratrem eius legationē cum multa benedictione apoſtolica, & inuitat eos Romam, animum & ſtudium ſuum declarare cupiens erga eos, vt ipſi viciſſim copias ſuas in auxilium contra Clementem mittant. Prorſuſq; conciliauit illos ſibi, totosque ſuos fecit Vrbanus. Quare ex Germania Wenceſlaus mittit legatos ad Clementem Auinionem, & ceu Imperator dehortatur eum a ſchiſmate, vt pontificatum deponat, potiusque eccleſiæ commodis quam ſuis affectibus conſulat, etiam atque etiam rogat. Clemens, non ignarus quam intimus Wenceſlaus eſſet Vrbano, iudicansque omnia facere Vrbani, non eccleſiæ totius nomine, ignominia legatos Cæſarianos affecit, quoſdam ex eis ſacris ordinibus initiatos coniecit in carcerem, & ceu maleficij reos torſit. Quod male (& non immerito) habuit Wenceſlaum & fratrem eius Sigiſmundum, inceperuntque ab eo tempore omnia pro Vrbano contra Clementem quæ potuerunt, facere. Hoc tempore Vrbanus Nucoriæ obſeſſus, & in præſentaneo periculo conſtitutus, cum deſperaret de ſalute, Lothar Germanus Sueuus cum paucis Germanis armatis liberauit eum, & Genuam duxit ſaluum. Genuæ tum quinque cardinales colligatos in ſaccum in mare demerſit: duo cardinales Rauennas ſcilicet, & Galeotus clam ſe ſubduxerunt, & quod crudele exemplum in cardinales diſplicuit, & quod eandem fortunam timuerunt, peruenerunt autem ad Clementem in Gallia, a quo magno honore excepti ſunt, multa enim mala de Vrbano dixerunt, & ſpem illi fecerūt, Vrbanum diu durare non poſſe, tantam tyrannidem exercentem in innoxios bonosque viros. Vrbanus omnem ſuam ſpem ponit in Wenceſlaum electum Imperatorem, quem ſperat inuitatum propediem cum Germanis in Italiam venturum. Otho de Brunſchuig poſt tres demum annos de carcere euaſit: ſed in itinere iterum captus a militibus Clementis pontificis, ducitur ad Papam Auinionem. a pontifice liber dimiſſus, venit rurſum in Apuliam, auxilioq; amicorum & ciuium Neapolitanorum fauore vrbem Neapolim occupauit. Carolus erat in Vngaria, regina vxor Caroli cum filio Ladiſlao, & Anna filia fuga elapſi ſunt: Otho vero paulo poſt obiit diem ſuum, & recepit Neapolim Carolus, & miſere afflixit totum regnum exactionibus intolerabilibus, & vicinas Italiæ partes

tes eodem modo cœpit premere,& collegit magnam pecuniæ vim, quam in ſtipendia militum omnem conſumpſit: nam cum ita adminiſtraret regnum, vt timeretur ab omnibus,omnes erant ei quoque neceſſario timendi. Præterea etiam magnis indigebat copiis,quod animum ad regnum Vngariæ adiecerat. defuncto enim hac vita Ludouico rege Vngariæ,ſibi deberi regnũ aſſerebat, maioriq; animo & conatu nitebatur poſſeſſionem eius regni conſequi,quod in Vngaria libentius vitã agebat. Quare commiſſo Neapolitano regno vxori Margaritæ,& amicis quibus fidebat plurimum, ipſe parat profectionem in Vngariam. Sed Vngariæ Principes plerique Sigiſmundo adoleſcenti nomine dotis deberi regnum ſciebant,& cum deſponſauit illi Ludouicus rex filię Mariam,deditq; in dotem regnum, conſenſerant primates regni: quare ſtatim poſt patris mortem coronant eam filiã in reginam Vngariæ,Sigiſmundus enim maritus eius nondum ex ephebis exceſſerat. Mater autem Mariæ deſponſatæ Sigiſmundo, nomine reginæ puellæ,filiæ ſuæ, regni negocia adminiſtrat, & alios Principes contemnens, alios conſulens in gerendis rebus,ſeipſam iudicans prudentiſſimam (magnum malum magnaq; peſtis eſt fœmina quæ videtur ſibi prudens)regnum breui tempore factionũ diſcordiis impleuit mulier ad obediendum & nendum nata, non ad imperandum. Quare Principes ab anu contempti, mittunt Neapolim, legatum epiſcopũ Zagabrienſem, ad Carolum in Vngariam,ad regnum occupandum vltro currentem incitant. Carolus igitur Vngarię rerum ſtatu cognito,feſtinat,celeriterq; cum epiſcopo ad vrbem Zagabrienſem venit. Illuc ſtatim Vngarię proceres ad regem confluunt,alij timore,alij muneribus,alij pollicitationibus,non pauci rerum nouarum ſtudio ducti. Anus ipſa quoque repentino eius aduentu territa, mittit ad Carolum nuncios qui excipiant eum familiariter,& adhortatur,vt adſit ſibi in gubernandis rerum habenis, vt eũ conſulat pro ſua prudentia & fide. Poſtremo prorſus cedit illi, traditq; regnum & ſe in manus eius. His rebus cognitis, Sigiſmundus Vngarorum perfidiam, & Caroli aſtus & inſidias veritus,recipit ſe ad fratrem Wenceſlaum. Carolus blandimẽtis fictis affatus anum,promittit ſe eam matris loco habiturum,& nihil contra eius ſententiam & animum facturum. Quare breui poſt in Alba regali ab epiſcopis coronatur & vngitur in regem Vngariæ Carolus. Sed principio ſtatim regni, totam fere Vngariam a ſe alienauit, & regni Principes anumq; reginam deſpiciens, per omnia ſuperbe odioſeque imperabat. Mulier(vt hoc genus ingenioſum eſt ad dolos) anus regina,adhibito in conſilium Principe Palatino Garenſi, verſat in animo quibus nam artibus poſſit Carolus clam e medio tolli (nam armis palam fieri impoſſibile videbatur) Habebat autem Garenſis apud ſe iuuenem audacem promptumque ad quoduis facinus, Blaſium Forbach nomine, hunc vt interficiat Carolum,conſtituunt. Anus igitur ſignificat Carolo regi, ſe habere literas de magnis & occultandis rebus e Germania ſcriptas,rogat ſimul vt ad ſe veniat, literarum argumenta cognoſcat, & ſecum conſilia conferat, nam eſſe de maximis rebus totius regni. Carolus ſub veſperam cum Italis cuſtodibus ſui corporis conuenit reginam, regina igitur ſola cum ſolo rege ſedente, aulici Italici Caroli comites ſecedunt, omniaque ocioſi in ædibus ſpectant,intenti in varias picturas neminem obſeruant neque egredientem neque ingredientem, quid enim tot armati timerent ſibi in domo viduæ? itaque Blaſius ad colloquentes Carolum & reginam irrepit,& dato lethali vulnere regi,ſe ex ædibus eiecit, rex ex vulnere ſtatim moritur. Totum ferme regnũ conuertit ſe rurſum ad reginam anum,iubẽt aduocari in regnum ſuum Sigiſmundum. Ad Sigiſmundum mittuntur a regina nuncij,regnum recuperatum,interfectũ tyrannum. Cumq; iam omnia extra periculum viderentur (tales enim copiæ regiæ, Carolo interfecto,& regni ſtatu mutato,in Italiam redierant, vel potius fugerãt) & regina iam cum ſuis regni Principibus ſine timore de arce in arcem, de vrbe in vrbem erraret, rerũ diſponendarum gratia,ecce amicus ſummus Caroli,qui hãc occaſionem vltionisq; tempus diu captauerat,Ioannes de Hornnach adeſt cum equitum manu valida,iter regina cum ſuis familiaribus faciente,irruit in eos,& primo captum Blaſium Caroli regis interfectorem ſupplicio capitis, regina ſpectante afficit. Garenſis fortiter pugnans cadit, (voluit enim potius mori quã viuus in hoſtis manus peruenire) reliqui reginæ comites capiuntur,& alij occiduntur, alij dimittuntur. Anus regina igitur in aquam merſa,finit vitã. Aderat & adoleſcens regina Maria, vxor Sigiſmundi,quę viua ſeruata ob formã &

ætatem,capta cuſtoditur. Sigiſmundus antequam audiret vxorem captam, ſocrumq; ſupplicio affectam, contraxerat copias, quibus recipere volebat cum vxore dotem regnum Vngariam: vbi vero fortunam illam vxoris & matris eius audiuit,auxit copias,& feſtinauit in Vngariam. De cuius aduentu certior factus Ioannes Hornnach, gratiam Sigiſmundi redimere cupiens, acceſſit ad Sigiſmundi vxorem quam captam tenebat, & dixit illi, ſi velit ſibi placare maritum ſuum Sigiſmundum, & non vlciſci matris ſuæ mortem,idq; ſe facturam iuramento cõfirmet,ſe eam liberam dimiſſurum, vt obuiam eat marito ſuo,& demulceat animum eius. Regina promittit omnia, & iuramento ſuperſtitioſe præſcripto, confirmat ſe facturam, quicquid petebat Horrnach. Quin ne animi ſententiam & propoſitũ mutaret, dicit ſe agnoſcere quod debeat illi vitam, propterea veneraturam vt ſeruatorem & patrem. Idcirco quam honeſtiſſimo comitatu matronarum & virginum mittit eam marito obuiam, ſperans eius opera ſe gratiã conſecuturum: veniunt igitur eodem ferme die Budam rex Sigiſmundus, & regina vxor eius, magno gaudio & hilaritate aliquot dies illic conſumpſerunt, & copias ex longis itineribus fatigatas refecerunt. Sed neſcio, quomodo regina marito ſuo Sigiſmundo commendarit Ioannem Hornnach,per totam Vngariam perſequitur Sigiſmundus illum Hornnach, in caſtro quodam obſeſſus elapſus eſt Vuaiuodæ ope & conſilio: ſed fugiẽs captus & ad præferocis equi pedes poſteriores alligatus tractatusq;, deinde ignito ferro laceratus, poſtremo in quatuor partes ſectus eſt. multiq́ue alij eiuſdem facinoris rei ſuppliciis affecti ſunt. Epiſcopo Zagabrienſi propter vnctionem & epiſcopalem dignitatem pepercit,ab epiſcopatu tamen depoſuit. Ita occupauit Sigiſmundus Vngariam,& iuſte adminiſtrauit. Vbi vero hæc cum Carolo in Vngaria acta peruenerunt in Apuliam,ciuitates & regni proceres incipiebant res moliri nouas,& a Margarita vidua regina filiiſq; Caroli relictis,deficere. quædam ciuitates aſſeruerunt libertatem, quam olim dicebant ſe habuiſſe,quædam nouas leges & conſtitutiones ſibi faciebant,paucæ in fide manebant. Quæ res perturbauit totum regni ſtatum. Vidua regina mittit ad Vrbanum,præſidium & conſilium petit. Vrbanus Pontifex videns etiam periclitatura ea quæ tenebant nepotes eius,erant autem, vt diximus,pinguiſſima regni: quare Pontifex
3387 rebelles omnibus modis reducere nititur. Anno poſt natiuitatem Chriſti octuageſimoſeptimo ſupra milleſimum trecenteſimum, Clemens Papa Gallorum, cupiens vnitatem eccleſiæ, vel ſaltem ſimulans ſe cupere, vt plurium fauorem ſibi pareret, mittit legatos per Romanam eccleſiam, petitq́ue concilium generale conuocari, vt ſchiſma tollatur, ex eccleſia ſe paratum cedere, ſi ita videatur eccleſiæ: nam electionem ſuam iam reiicere, ſalua conſcientia non poſſe, vocationem enim ſequendam eſſe. & promittit ſi in concilio decernatur ſuam electionem eſſe veram, ſe Vrbanum primæ notæ cardinalem facturum. Hic animus & hoc propoſitum Clementis multorum corda ei deuinxit. Hoc tempore conuocauit Sigiſmundus Budam omnes Vngariæ Principes,ſtuduitq; eos ſibi conciliare multis rationibus,pollicens eis omnibus veniã & obliuionem omnium delictorum (grauiſſime enim deliquerant in ipſum & vxorẽ ſuam) excipientes,de quo dictum eſt, Carolum. Verum proceres regni non fidentes illi, ſibi conſcij,multi perſeuerabant in rebellione,in arcibus quibuſdam latentes; qui capti induſtria & conſilio Sigiſmundi, omnes Budam perducti ſunt; cum nulla reſipiſcendi ſpes in illis appareret, apud tribunal iuſſi dicere cauſam, condemnatique triginta duo vno die iugulati ſunt. adeo enim impœnitens & obduratum in odio & inobedientia cor in illis fuit, vt nec ſalutarint regem,nec vllum venerationis ſignum prębuerint,ducti in conſpectum eius: nam ipſe in medio ſapientum virorum & iudicum ſedens, ad ſe adduci, & ad obiecta reſpondere iuſſit. Poſt horum Principum mortem, & hæc comitia Budę celebrata,non ſtabiliorem & tutiorem regni ſtatum reddidit Sigiſmundus, vt ſperauit, ſed magnam regni partem a ſe alienauit, multi enim qui ante fata illorum procerum iudicauerant eos ſupplicio dignos, peſſimeq́ue de rege Sigiſmundo & regina meritos, poſt ſumptas de eis pœnas, aliter affecti, damnabant ſeueritatem regis: Sic enim poſt mortem odio & inuidia liberamur. Illorum igitur ſupplicium cauſa exſtitit magnarum calamitatum. Rex enim non diu poſt ab Vngaris captus, & in carcerem coniectus, vix mortem euitauit: nec Vngari poſt hos necatos, vnquam illi vllum argumentum benęuolentię aut amoris oſtenderunt: ſed ſemper habuerunt eum odio.

Adeo

Adeo falsum est vulgi iudicium quod iam odit, mox amabit; quod iam amplectitur, mox odio prosequetur. quare quisquis pendet a vulgi inconstantis iudicio, non potest nõ esse miser. Eo tẽpore fuerunt non parua bella inter ciuitates imperiales & comites Wirtenbergenses. Post præliũ enim, de quo supra, in quo tot nobiles, barones, & comites diximus cecidisse apud Reutlingen, pax est facta, conditiones pacis non diu seruatæ sunt, ciuitates enim victoria clariores factæ, & victoribus plures cõiunxerũt se. Principes vero Wirtenbergenses diligentiores facti, quærebant occasionem se vlciscendi, & recuperandi laudem bellicam quam in illo memorabili prælio apud Reutlingen perdiderant, & plures adiungebant sibi Principes, ex quibus quidam episcopi fuisse memorantur. Graue autem est bellum ortum, quod consecuta sunt infinita mala, direptiones, prædæ, incendia, fames, cædes, latrocinia, &c. Ciuitatum copiis obsidentibus cœmeterium in pago Toffingen, (in superioribus autem dictum est, munitiones, in quas pagani in periculis se receperunt, fuisse cœmeteria illa, & simul horrea in quæ fruges, & sub horreis cellæ vinariæ, in quas vinum recondebant) qui pagus in comitatu Wirtenbergensi est, non longe ab oppido *Wila*; comes Eberardus cum copiis eo properat, ciuitatum copias adoritur, fit atrocior pugna, quam sæpe inter reges potentissimos in maximis bellis; prima coitione comitis Eberardi filius, Vlricus, iuuenis animo & corpore militari, & comes de Monte Leonis, vir bellica gloria clarissimus, & alij cum illis occiduntur: quare comitis Eberardi copiæ non parum perterritæ, cœperunt respicere. quod Eberardus animaduertens, exclamat ad suos ne quis respiciat, hostes enim fugere, simul cum dicto, ruit in hostes non aliter atque vrsus ad summam iram concitatus, & sic continuit suos, exemploque suo animos reddidit, & vicit. Interfecti sunt eo prælio a parte Eberardi, Vlricus filius comitis de Wirtenberg, comes de *Zollern*, comes de *Leuenstain*, comes de *Werdenberg*, præterea supra 40 nobiles. Maior multitudo quoque occisa est a parte ciuitatum. Post hoc prælium iterum pax est facta inter imperiales Sueuiæ ciuitates & comitem Wirtenbergensem Eberardum.

Post non diu, anno 1395, in toto comitatu Wirtenbergensi, nobiles omnes cœperunt 1395
conspiratione facta, rebellare Principi suo Eberardo: habebant autem hi nobiles munitiones comiti vix expugnabiles, nec videbantur vinci a comite posse: ciuitates enim clam iuuare ferebantur eos. Comes autem vir minime ignauus natura, periculo & magnitudine rei etiam excitatus, omnem opportunitatem obseruabat, qua aut eos disiungeret, aut placaret, aut vinceret. Cum igitur vna omnes essent congregati in oppido *Heimshen*, comes per vicinas regiones noctu cogit copias, illisque circundat oppidulum, illudq; incendit. Nobiles propter ignem & copias quibus circũsepti erant, nullam elabendi rimam reperientes, maioribusq; circundati copiis quã vt congredi auderent, propter suorum paucitatem, quos secum in oppidulo habebant, pacem petunt: sed comes nullas deditionis conditiones admittere voluit, quas petierunt nobiles. ergo dederunt se in gratiam comitis necessitate coacti. Egit ergo cum ipsis pro animi sui voluntate: nec tamen inhumanius crudeliusve audio in illos a comite animaduersum. Hoc tempore (cum sæpe a multis cordatioribus esset prædictum futurum, propter Principũ auaritiam, & ambitionem discordiarũ causas) Turca propius quam ante vnquã ad nostros fines accessit. Erat autem Imperator Turcarum Pazaita insignis virga Domini, nobilissimumq; vas iręDomini, qui post subiugatas Macedoniam, Thraciam, & Thessaliam, hostilibus maximisq; copiis inuadit etiam Bulgariam, totamq; diripit, & peruastat, ingentem hominum multitudinem captam, in durissimam inhumanissimamque seruitutẽ abducit. Bulgari erant subiecti Sigismundo regi Vngariæ: quare legatos mittit ad Turcam cum primum attingeret Bulgaros, significat illi, sibi pacẽ cordi esse, neq; Turcæ neq; vllis aliis contra ius velle inferre bellum, docetq; eum Bulgariam suã esse, monet & rogat simul vt ab ea abstineat. Turca differens aliquot dies respõsum, & pergens depopulari Bulgariam, tandem vastata Bulgaria, superbissime respõdet, iura quibus agere velit cum rege Vngarię, esse arma. Succensus ira hoc responso Sigismundus, statim mittit nuncium ad fratrem suum Wenceslaum, electum Imperatorem, eumq; sui officij admonet, (erat autem Wenceslaus vir otij amans, laboresq; & negociorum fomẽta vbicunq; poterat, fugiebat) misit quoq; ad alios Christiani nominis Principes, periculum demonstrans eorum proximo ardẽte pariete. misit & ad Carolũ Gallorum

regem legatos, qui in auxilium magnas misit copias, ducibus Ioanne Niuernensi, filio ducis Burgũdiæ, Philippo Artesiensi, & Gualthero de Rupibus. Vbi vero Galli peruenerunt ad Sigismundum, & cum hoste confligendum erat, consultant, vtri in primo agmine Galline an Vngari, vel Germani præcedere deberent, hostem aggrediendo: Galli enim cupiebant primi hostem adoriri, vt mererentur primam laudem, suam enim fortitudinem cupiebant testari: sed Sigismundo erat Gallorum ingenium cognitum, nimium concitatum, & temerarium, qui sæpe soleant præcipitare facta, & maiora viribus conari. Quare Sigismundus dehortatur eos, inquiens, illis non cognitam cõsuetudinem bellandi qua Turcæ vtuntur, sæpius Vngaros expertos. Consilium igitur esse vt illi primi cum hostibus congrediantur, qui sæpe pugnauerunt cum ipsis, quibusque mos eorum melius cognitus sit. Vngaros quoque minus cessuros, & maioribus animis pugnaturos in conspectu sociorum, & si sciant, fatigatis integros Gallos succesſuros in prælio. Hoc Sigismundi consilium paruipendentes Galli, nec suis ducibus nec Sigismundo audientes sunt, & viuunt in dissolutissima licentia, in omni genere luxus, quam ob causam Sigismundus parum spei posuit in Gallos. Germani minus licentia & luxu diffluebant, audiebantque duces suos, propterea omnem spem in Germanos & Boemos collocabat. Erant vtrinque ingentes copiæ. Turca autem numero longe superabat, erant enim Turcarum vltra ducenta millia. Turca videns Christianorum exercitum non contemnendum, maiore diligentia se circundedit, & non satis habuit quod præualebat tantopere multitudine, etiã dolis & insidiis vsus est. Cessit enim per aliquot milliaria simulans timorem. Nostri sequebantur persuasi Turcam fugere, peruenerunt que vsque ad Nicopolim vrbem, quam obsidione circundare conati, viderunt instructam Turcæ aciem in equo campo offerentẽ se ad pugnam, vix aut quarta pars Turcici exercitus hic se ostendebat, reliquos enim absconderat in demissioris loci arbustis. Omne enim Turcæ consilium huc tendebat, vt nostri negligẽtius aggrederẽtur copias suas, propter eam causam etiam ita cesserat, & passus erat suas regiones deuastari. Nec Turcam spes sua fefellit, nam quanquam Sigismundus rex vehementer obtestaretur Gallos vt non nimium festinarent, sed post maturum consilium demum hostem concordi vna omnium sententia & animo aggrediendum, Vngaris omnino primum pugnandi locum dandum, qui pugnandi Turcarum consuetudinem sæpius experti essent, eos sine dubio fortiter pugnaturos, scientes se stare in conspectu Germanorum & Gallorum, & nullum illis fugæ relinqui locum, prædictum enim illis iam esse, quoniam Galli & Germani e longinquis regionibus venissent, vt Vngaros defendant, ne veniant in manus tam atrocis hostis, nisi pugnent fortiter, Gallos & Germanos in terga vertentes, Vngaros non aliter ituros quam in obuium hostem. Sed omnes nationes meliora de eis sperare. Et verum erat, talibus dictis erant Vngari a ducibus & rege in prælium præparati. Galli siue timentes ne hostis cederet, & nõ faceret pugnandi copiam, siue videri fortes & bellicosi cupientes, adhuc loquẽte Sigismundo, tumultuarie irruunt in hostem audacissime, & primo impetu hostem reprimunt per aliquot passus, & ita pugnantes Turcarum magnam multitudinem trucidant, & vicissim cadũt, & vulnera accipiunt plurimi. Dum ita pugnant fortiter Galli, ante tempus sine ordine hostem optime ordinatum aggressi, Boemi & Vngari Germaniq; instruunt acies ad pugnam cum Turcis aptas, & erat magna in omnium alacritate spes, sed ecce Turcarum nouum agmen adest, & fessos pugnando Gallos obruit, nostrisque iamiam hostem ab altera parte aggressuris, vertunt terga Galli multitudine hostium oppressi, & fugiunt in nostrorum ordines trepidi, sanguine pleni, multisque vulneribus confossi, prorsusq; totam Germanorũ aciem & Vngarorum perturbant & confundunt, Turcæ conglobati simul cum fugientibus Gallis perrumpunt nostrorum ordinem, nihilominus Germani, Poloni, Angli, non ignauius pugnant quam Galli pugnarant, & retrudunt Turcarum cuneos, ita vt ij qui in vltimo agmine erãt, putarint eos fugere: sed nostrorum ordo totus erat dissipatus, & valde pauci erant collati ad Turcam, deinde ex victis fugientibusq; Gallis animorũ alacritas non parum remissior erat, quare tandem post longũ pugnam, magnamq; Turcarum multitudinem cæsam, fugere coguntur & ipsi. In prælio multi, plures in fuga occubuerunt. Sigismundus fuga vix elapsus est, nam nõ induci potuit vt fugeret, donec videret nullã penitus spem superesse. In fuga nostrorum

rum captus est magnus numerus, ex quibus quosdam occidi iussit Turcarum Imperator, quosdam misit ad iumentorum operas subeundas. Multi Principes exercitus capti sunt, ex quibus fuit & filius ducis Burgundiæ, qui cum viginti duobus viris Principibus redemptus est pondere auri ducentorum millium florenorum. Scribũtur occisa in illa pugna ex copiis Christianorum 20 millia, Turcarum vero 60 millia. Cecidit etiã in eo prælio vir in re militari præstãtissimus, Henricus comes de Montepelligardo, a quo hic Vlricus dux Wirtenbergensis genus ducit suum. Hęc memorabilis strages facta est anno 1396. Post hanc pugnam cognitum est, Stephani Vuaiuodæ consilio & impulsu 1396
Turcam in Bulgariam vsque perductum, sicut & nostra ætate Vuaiuoda Turcam in Pannoniam vsque ad Viennam, vt in sequentibus dicemus, adduxit. Post iam memoratum prælium Stephanus Vuaiuoda Sigismundo, nescio quam ob causam, infensus, Valachiam, & Mandauiam fere totam impulit, vt deficerent a rege Vngariæ Sigismundo. quare aduersus eum misit copias Sigismundus, & breui adegit eum ad deditionem, & ad petendam gratiam. Sigismundus vocato homine ad comitia, & cum ad obiecta frigidius responderet, nihilq; refelleret probabiliter, iudicio condemnatũ capite multauit. Hoc etiam anno, quo tam infeliciter pugnatum est ad Nicopolim cum Turca, superstitiosa impostura Albatorum multos per Romanã ecclesiam seduxit. de cuius sectæ proposito qui cupit plura cognoscere, legat Platinam. autor factionis a Ro- 1400
mano Pontifice igne consumptus est. Anno 1400 cum Turca indies Romanum imperium & ecclesiam carperet, Wenceslaus autem Imper. (cuius præcipuum officium debuisset esse, hostes ecclesiæ & imperij propulsare, ociosus torperet, imperij electores Principes necessario de alio eligendo Imperatore cogitare cœperunt, nam pręter Turcicos horrendos conatus, Principes Christiani inter se gerebant bella, nec multum curabat Imperator, tantum studebat iis rebus quibus ocium suum foueret. de quo vt alij legantur malo, quam vt ego referam. Electores ergo Principes, potissimum Rupertus comes Palatinus Rheni, decreuerunt hunc Principem imperio inutilem, quare consilium de alio Imperatore eligendo contulerũt cum Pontifice Rom. qui institutum magnopere approbauit, missis etiam legatis Pontifex vt propositum premerent & non mutarent sententiam adhortatus est. Quam ob rem cõueniunt iuxta maiorum decreta Principes electores Francofordiæ causa eligendi alium Imperatorem. Sed non concordarunt, alij enim Rupertum comitem Palatinum Rheni, episcopus Moguntinens. & Colonien. Iodocum Morauiæ Marchionem, elegerunt. Wenceslaum non admodum grauiter tulisse repulsam scribunt. Marchio Morauię enim electus, ab illis quibus dixi, Imperator, accessit ad Wenceslaum patruum suum, quem ante semper vt patrem coluerat, exploraturus quo animo ferret abdicationem. Postquam ergo Iodocus nepos Wenceslai multa dixisset apud patruum suum regno abdicatum ad se excusandum, respondit sedato animi spiritu, Se volentem deponere imperium, vt abhorrẽtem natura a curis multis, ocij quietisq; amantem. Etsi non cuperem, inquit, deponere imperium, tamen non grauatim cederem tibi non nepoti, sed filio meo. leniretq; omnem animi ex repulsa dolorem, quod imperium manet in familia nostra. Demum ad suscipiendum imperium adhortatur etiam, iubetq; bono esse animo. Quod ad me, inquit, attinet, habebis adiutorem & in omnibus amicum, &c. Sic locutum ferunt cum nepote suo Marchione Morauię, simulationéne an ex animo, dubium est. Si ex animo dixit hæc, videtur postea animum mutasse, nam captus a Sigismũdo fratre suo, & Viennæ in custodia non satis diligenter seruatus, quorundam consilio & opera euasit, & regni administrationem recepisse dicitur. Ante hãc captiuitatem, propter dissolutiorem vitam fuit in custodia detentus fere totum semestre tempus, fuit autẽ a regni Principibus captus. Discordantibus porro Principibus electoribus, aliis Iodocum Morauiæ, aliis Rupertum comitem Palatinum eligentibus, mortuus est intra sex menses Morauiæ Marchio. Post huius obitum, abdicato Wenceslao, elegerunt Rupertum comitem Palatinum Rheni, qui quoque scribitur primum oblatum imperium recusasse. Post electionem comitatus multis Principibus, Coloniam descendit, ibique ab archiepiscopo Colonien. vngitur & coronatur, appellaturque Imperator, eius electionem approbauit Pontifex. Post coronationem in Germania omnia magno studio composuit, & quantum potuit fieri, pacem fecit inter discordantes Principes. Postea cogit copias, & pa-

rat profectionem in Italiam, vt subiugaret rebelles imperio. statuit enim labentem per Italiam imperij statum restituere in pristinum locum: & vocabatur a quibusdã magnis ciuitatibus, quæ miserunt pecuniam in vsum expeditionis. Verum contra erant ciuitates & Principes qui quum primum audiuerunt in Germania cõscribi milites, se quoq; ad bellum parabant. Plus autem temporis in apparando consumpsit, quam incipiens in animo habebat, decreuerat enim ante Pẽtecosten Romæ esse, & vix in autumno ad primum Italiæ limen peruenit. Vbi venit in Brixiæ ciuitatis agrum, concessit militibus omnia diripienda, & prædam eis reliquit, nam ea vrbs erat subiecta Galeatio quo cum erant magna odia & simultates Ruperto. Quare Galeatius, qui se ad bellum parauerat dum Rupertus adhuc in Germania profectionem adornaret, occurrit Germanis obuiam, ad defendendos Brixianos. Erat autem Galeatio, præter peditum copias instructissimas, equitatus expeditus & robustus. Primum ergo vbi alteri alteris venerunt in conspectum, prælia leuiora sunt commissa equestria & pedestria: equestria autem frequentius. Fauit autem sæpius Mars equitibus Italis; peditibus vero Germanis. tandémque pedites Galeatij continuerunt omnes se in castris; equitibus vero alacritas quotidie crescebat magis propter fauentem fortunam. Germani enim inferiores erant Italis in equis regendis. Cumque indies magis atque magis venirent in cõtemptum equites apud hostes & apud suos (milites enim ita despiciebant eos, vt in faciem eis dixerint, Concedite nobis vsum equorum, nos pugnabimus, vocabantque eorum equos cancros) factum est vt quidam Principes Germanorum, qui multos ex equitatu perdiderant, domum reuersi sint: quorum vnus fuit Lupoldus dux Austriæ. discessit etiam inuito Imperatore archiepiscopus Colonienſis, qui magna pars Cæsariani equitatus fuit. Quare multis infelicibus pugnis equestribus, & discessione illorum Rupertus, ne aliquid grauius incideret, rediit Tridentum cum copiis, quod non parum animi addidit hostibus eius omnibusque rebellibus per Italiam ciuitatibus. Quare in magnis angustiis constitutus fuit Imperator, nam pergere sine magno discrimine, redire in Germaniam sine dedecore & existimationis iactura, non potuit. tandem tamen maluit periculose quam turpiter agere. Animaduertens igitur peditatus alacres animos, Tarui-sium adiit, postea Patauium: Patauij obuiam veniunt legati Florentinorum, qui magnam pecuniam illi dederant, antequam exiret ex Germania, & cum primum attigit Italiam. adhortantur eum aduersus Galeatium eorum ex professo hostem, diuturnum enim cũ hoc duce Mediolanensi gerebant bellum. Imperator rei difficultatẽ Florentinis indicauit, maioribus copiis Germanorum, maiori apparatu opus esse, curandumq; vt Pontifex Rom. & Veneti se iungant, socios eius belli aduersus ducẽ gerendi. Præterea ob dictas causas maioribus copiis in Germania conscribendis, maiorem pecuniam esse necessariam, quare magnam pecuniæ vim a Florẽtinis sociisq; eorum petit. Legationemq; remissam iubet quã primum respondere quid velint facere, pecuniámne numerare, an vt ipse in Germaniam reuertatur. Hæc vbi retulerunt domum legati, valde dubij redditi sunt Florentini, velintne plus pecuniæ mittere, an eam quam primo dederant, perdere: imo non solum perdere, sed se cum pecunia perdere: nam sciebat Galeatius maxime ob pecuniam quã miserant Florentini Ruperto, Germanos in Italiam venisse. Facile coniiciebant quid conaturus esset contra Florentiam & eius socias ciuitates post abitum Imperatoris. Quare censebant Imperatorẽ omnibus modis retinendum esse in Italia, etiamsi exhaurienda esset tota Respub. Et præterea omnibus viribus iuuandum, curandumque magna diligentia, vt Veneti & Romanus Pontifex quoque accederent suis partibus. Quare statim mittunt ad Rupertum legatos, qui eum admoneant quid tota Italia sensura sit si ita recedat, quid Germania dictura, nempe non rediisse, sed fugisse Galeatium: nec vllum tempus hoc dedecus & hanc turpitudinẽ ablaturum. in hanc sententiã multa dicunt quæ facere videntur ad deterrẽdum, ne in Germaniã redeat. per eosdem legatos pecuniã promittunt quam postulauerat, nec nõ auxiliares manus. viamq; & rationẽ simul indicant qua facile hostem vinci posse demonstrant. effecturos etiam apud Pontif. Rom. & Venetos vt auxilio sint pollicentur. Addunt legati quæ gloria consecutura sit Cæsarem, si deuicerit hunc hostem. omnes rebelles per Italiã ciuitates pendere ab hoc duce, quo victo, omnes certatim obuiam venturas & gratiam petituras. Et hoc genus mediis docent maiora commoda cõsecutura

quam

quam ipsa difficultas rei sit. Hæc dum missis legationibus aguntur inter Rupertum & Florentinos, incidit brumale tempus quo bellum geri nõ potuit. Hybernare igitur Imperat. constituit in amicis ciuitatibus. Incidit vero per hyemem nõ parua contentio inter Rupertum Imperat. & Florentinos de data & promissa pecunia, asserente Ruperto, non datam suo tempore promissam pecunię summam: Florentinis autem respondentibus, Rupertum nondum meritum fuisse pecuniam (neque enim recepisse se daturos antequam ingrederetur cum exercitu hostilem Galeatij regionem) Imperatorem autem male habuit, quod Florentini eum obligabant tã seruilibus cõditionibus. Imperator autem per eam hyemem nonnihil temporis consumpsit Venetiis. post natiuitatem Christi, repetiit Patauium, ibi expectauit mitiorem verni temporis auram. Cumq; neque Florentini prompti satis essent ad promendas pecunias, neq; auxiliares paratæ essent manus apud Florentinos, neq; adhuc Pontifex Rom. & Veneti iunxissent se consortes belli, statuit alio tempore hoc cum duce Galeatio bellum gerẽdum, & Romam petendam, copiis auctioribus, reduxitq; copias in Germaniam. Et illi contigit & in Italia & per Germaniam quod legati Florẽtini prædixerant de existimationis nota; quanquam solum apud iniquos, quorum semper numerus maior est, rerum æstimatores. & dux Mediolanẽsis post reditum Ruperti in Germaniam, adiecit animum ad totius Italiæ regnum, primusq; conatus illi feliciter cessit, nam Bononiam in suas manus accepit, & vocabatur in certam spem capiendi Florentiam. Sed Dominus non annuit amplius eius cogitationibus vanis, vt sunt omnes stultæ & vanę cogitationes omnium hominum qui non habent Deum in conspectu suo, & non ponunt Deum mercedẽ præsidiumq; suum. Nam in medio cursu corripuit eum acuta quædam febris, quæ hominem interfecit. Difficulter autem auulsus est ab huius vitæ possessionibus, sicut solent omnes qui diuites in hac vita putant se esse, arrogantes sibi creaturas, quas Dominus creauit vt cum gratiarum actione vtamur eis. Post huius mortem Florentini tranquillitatem consecuti sunt, quanquam enim reliquerit filios duos eiusdem mentis, ingenij & propositi quo pater fuit: tamen non fuit illis tantum temporis & ocij, vt arma in Florentinos mouere potuerint, ducatus enim Mediolanensis magna pars rebellare cœpit, ob patris duritiem, & quod filios similiter animatos videbat. Reliquitq; & vxorem viduam quæ post Galeatij mariti mortem imperiose & superbe (quali muliere vix est intolerabilius malum) exercuit tyrannidem in omnes subiectos: quã tamen vltor pauperum Deus non diu passus est viuere post mortem Galeatij mariti sui. Anno 1401, post supplicio affectos a Sigismundo, de quibus diximus, Vngarici proceres (qui plerique sanguine iuncti erant, iis quos necare Sigismundus iusserat) conspirauerunt aduersus Sigismundum, & cum motus sedare niteretur Sigismundus, capitur, & nobili mulieri viduæ, cuius maritum occiderat, duobusq; filiis eius nobilibus iuuenibus traditur custodiendus. Sigismundus multis pollicitationibus conatus est matrem & filios corrumpere, præcipue adolescentes quibus promisit aureos montes, se illis matrimonio iuncturum regum potentissimorum speciosissimas filias, & illos comites ducesque facturum: pollicitus nihil effecit tamen apud adolescentes bene natos & liberaliter educatos, sed viduam coniugalis amoris oblitam, corrupit leuibus argumentis, laudat prudentiam mulieris, quæ propter singularem sapientiam maiore fortuna digna sit, quæq; debeat regere magnos Principatus. Filios per ætatem nõdum capere quæ prosint quæ non, quare ipsam oportere prospicere filiis præstantissimis indole & forma, quales vix vlla mulier pariat. Laudat illi igitur illos supra omnem modum. Nihil enim tam magnifice dici potest de filio quod mater nõ credat aut quod nimium putet esse. Promittit igitur matri maxima, visuram breui filios suos totius regni primatum tenentes, & in loco excelso quo natura digni sint, constitutos, si eius opera liberetur. Mulier victa promissis, præcipue vero filiorum prædicatione, liberum dimisit Sigismundum. Proceres autem regni Vngarici illi in arcem custodiendum tradiderunt potissimum, quod condemnauerat illius dominę maritum, & illorum adolescentum patrem, iudicantes non esse possibile, neque legem naturæ ferre, vt coniux coniugio talis, filij genitoris sui tanti viri obliuisci possint ita, vt non perpetuo odio autorem necis persequantur. Porro dum captus fuit Sigismundus, Ladislaus rex Apuliæ vocatus est in regnum Vngariæ a baronibus regni. Vbi vero Vngarorum legati peruenerunt ad Ladislaum in Apuliam,

1401

Ladislaus eius regni cupidus nihil moratus conscripto exercitu volauit in Sclauoniam, ibi obuios habuit multos Vngaros Principes ecclesiastici & secularis ordinis, a quibus statim vnctus & coronatus est in regem Vngarorum. Sed mox post coronam acceptam, audiuit Sigismundum liberatum & in armis esse, maioremque regni partem adhærere Sigismundo, eos etiam a quibus vocatus erat. Quam ob rem Ladislaus perspiciens Vngarorum inconstantiam, mutauit sententiam, constituitque redire in Apuliam. sed cum nemo eorum qui vocarant eum, impensas daret, vendidit magnã Sclauoniæ partem Venetis, & coacta pecunia reduxit in Apuliam copias. Sigismundus recepit totam Vngariam, autores conspirationis aduersus eum aufugerunt. Anno post
1409 natiuitatem Christi millesimo quadringentesimonono, celebratum est Pisis in Italia concilium, propter schisma ex ecclesia tollendum, & cum propter inuidiam & odium vitandum vterque Pontifex qui in Italia erat, & qui erat in Gallia passim diuulgaret se paratum propter ecclesiæ vnitatẽ, deposito pontificatu, expectare nouam electionem; neuter tamen in Pisano concilio apparuit, quare boni patres ex summorum theologorum sententia statuerunt alium posse summum Pontificem eligi, quando satis clarum esset, illos duos non Christo, sed ambitioni mundanæ seruire. Quam ob causam decretum est Constantiæ celebrandum concilium cum propter hanc Pontificum discordiam, tum propter alias causas quæ reformandam ecclesiam admonebant. Erant autem in multis malis pauci boni, vt semper omnibus seculis fuit, est, & erit vsque ad consummationem mundi: quam ob rem impeditum est bonorum propositum & conatus in ea ecclesia. Paucis ante hoc tempus annis bellum ortũ est inter monasterium sancti Galli & Abbacellenses. causas eius belli notauerunt alij neoterici scriptores. Abbas eius monasterij iunctus fuit fœdere ciuitatibus Sangallo, Constantiæ, Vberlingen, Lindauiis, Rauenspurgo & Wangen; omnes ergo ij socij miserunt auxiliares manus abbati ad domandos, si Deo placuisset, Abbacellenses. Abbas igitur manu non parua aggreditur paucos illos paganos pastores (sic enim vocabãt eos) nã omnes pastoritiam vitam agunt. Congregati autem omnes Abbacellenses & qui vtiles pugnæ per ætatem videntur, occurrunt obuiã hostibus venientibus: reliquos vero qui propter ętatem minus habiles ad pugnandum videbantur in sublimioribus locis ad viarum angustias disponunt, lapidibus datis quos in hostem deuoluant per alta pręcipitia. erantq; ita natura loci adiuuãte, ordinati, vt decennis puer, aut nonagenarius senex, seu mulier, potuisset mille viros aditu prohibere. Armati autem expediti non contenti erant excludere a finibus hostem, quod facile erat propter locorum naturam, sed cum primum abbatis copiæ attigerunt eorum fines, de monte per cliuum ruentes, ceu torrens, impetum in eas fecerunt, primo singuli aliquot lapides deiecerunt in hostem, quorum iactu multi cadebant. Postea manus cõseruerunt, sed loci angustiis, & pastorum pro libertate & focis pugnantium fortitudine victæ Abbatis copiæ, vertũt terga. In ea pugna Abbacellensium vix vnus aut alter occubuit, ex abbatis copiis circiter trecenti sunt cæsi. Et si paulo longius in montes ingressæ fuissent, omnes, absque dubio (nisi Dominus voluisset eos per miraculum seruare) aut occisi aut saltem capti fuissent. Abbas inuictos videns, nisi fame coacti sese dare cogerentur, ad vicinos Principes & ciuitates partim ipse proficiscitur, partim mittit legatos, vt monasterio Dei domui (sic enim nominare consuetudo est) subueniant, rogat, & pessimo exemplo pastorum resistant, suarum enim facultatum non esse, significat, vt tam diu obsidione premat, donec redigat ad famem, quæ sola via sit superandi illos. nec exiguis copiis opus esse, quanquam anguste habitent pauciq; sint, esse enim præferoces duris in cotibus nati. Hæc dum abbas agit cum nobilibus & imperialibus ciuitatibus, Abbacellenses quærunt quoque adminicula, fœdus cum confœderatis Heluetiis ineunt. Vbi autem cognouerunt nobiles non laturos, obsidionemque meditari longiorem, vt fame coacti victi dedant se, vicina castella expugnant, & deiiciunt ex montibus, quæcunque abbati vsui iudicant esse posse ad bellum, & vicinos sibi iunxerunt. quare nobiles magis exasperauerunt, qui omnes fere erant obligati feudorum nomine duci Austriæ, quam ob causam non cessant precibus fatigare perpetuis ducem Austriacum. Vix enim potuit adduci, vt sumeret aduersus Abbacellenses arma, nam equitatus nullus omnino vsus esse in montibus illis potuit, nec maioribus copiis

piis in anguſtiis locus erat pugnandi. Et expertus erat quales in armis eſſent illi paſtores. Victus tamen tandem, decreuit omnino non permittendam illam rebellionem & defectionem impunem: quare acceptis auxiliaribus copiis a Principibus Germaniæ, (nam omnes cupiebant exemplum edere in illos rebelles) contra Abbacellenſes ducit copias. Poſt autem primi de quo dictum eſt, belli prælium quo Abbas pugnauerat infeliciter cum Abbacellenſibus, Sangallum ciuitas quoq; magis ſtudere inceperat Abbacellenſibus, quam Abbati: inclinabant enim ſe ad Heluetiorum fœdus, quod adeo ſancte & concorditer obſeruabatur a confœderatis omnibus, vt factioni ſeu ſeditioni nihil ſimile haberet. Idcirco primum hoſtiliter caſtra ad oppidum imperiale Sangallum mouet, obſidetque illud ab omni parte, & eius vrbis agrum quem tum habebat latum, diripit, ſed Abbacellenſes amicis ſuis hæc propter ſe fieri grauiſſime ferentes, de montibus præcipitant ſe in hoſtes in valle, in qua eſt oppidum Sangallum, errantes, ludentes & diripientes, incendentesque villas, committitur pugna, ſed impetum Abbacellenſium vehementiorem non diu ferre potentes Auſtriacæ & abbatis copiæ, fuga ſalutem quærere conantes multi interficiuntur. Periere, præter alios nobiles in eo prælio, vir in bello magni nominis de Landēberg, item comes de Tierſtein, vnus de Clingenber, nomine Hermannus, Ioannes de Haluyl. Nec paruus numerus gregariorum militum interfectorum fuit. Comes de Werdenberg exul e paterna poſſeſſione a Friderico duce Auſtriaco pulſus, erat in eo bello apud Abbacellenſes, eosque ſequebatur pedes per omnia ardua montium, induratus omnibus laboribus. Poſt pugnam illam non procul ab oppido Sangallo, per deuia miſit dux Auſtriæ expeditiſſimos armatos iuuenes, qui pagum Abbacellam expugnatum diriperent & exurerent, ſed omnes viæ erant obſtructæ præſidiis, vt nuſquam pateret aditus: de induſtria vero quodam loco ceſſere ij qui in præſidium conſtituti erant, & paſſi ſunt eos ingredi. vbi vero venerunt in locum in quo Abbacellenſes optabant eos eſſe, demittunt ergo in eos immania ſaxa. poſtquam vero vident eos prorſus diſſipatos, & occiſis multis, multisq; claudis, territos, deſcendunt de monte & impetu ruunt in hoſtes iamdudum reſpicientes, & occidunt duplo plures quam fuerint Abbacellenſium in eo loco. Quadringentos enim aut plures occiderunt, fuerunt aut vix ducenti Abbacellenſium. Poſt cladem tantus terror inuaſit Auſtriacos, vt nec dux nec abbas, nec ciuitatum legati Imperatorésve potuerint eos cogere aut perſuaſionibus promiſſisque adducere, vt rurſus montes & valles Abbacellenſium ingredi vellent. & quotieſcunque vel falſo nunciabatur, eruptionem facturos Abbacellenſes, exanimati relictis armis fugerunt: alioqui fortes viri bello erant illi de ducatu Auſtriæ, præcipue Sueuis vicini, & Sueui. Sed illi montani homines omnem eorum fortitudinem vicerunt, cauſam arbitror potiſſimam, quod tam difficulter a ſuis penatibus auelli poſſunt, poſſeſſionumque ſuarum tātopere ſunt amantes, adeoque abhorrent a mutatione ſoli, vt ſæpe paternum paruum agellum ſcindant in minutiſſimas partes, ex quibus ſe alere non poſſint, niſi mercenariam operam exerceant eorum multi. Atque hæc eſt cauſa, quod Heluetia hodie populoſior eſt, quam vlla alia regio, pene dixerim, ſub cœlo. Non quod non quoque veras exiſtimem philoſophicas rationes, quibus docent ob liberos flatus & ſpirationes continuas corporum & animorum conſtitutionem meliorem & robuſtiorem fieri. nec nihil cauſæ eſt, exercitatio, qua cum omnes magna & valida vtebantur, in colendis decliuibus locis illis, in quibus pleriſque in proſcindenda terra vſus eſſe nullus poteſt iumentorum, neque enim conſiſtere poſſunt. Duces igitur Auſtriæ reducere cogebantur copias ab eorum finibus, & paulo remotius caſtra mouentes, de mutando milite cogitabant. Sed Abbacellenſes ſucceſſibus animoſiores facti, non amplius continuere ſe in anguſtiis montium ſuorum, ſed ſequebantur pauci magnum exercitum ducis, abbatis, & ciuitatum imperialium abbati confœderatarum. Quare longius ab eorum finibus reduxerunt exercitum duces, quod viderunt animo demiſſiorem quam vt hoſti opponi poſſet. Noui ergo conſcribuntur milites multi, multi remittuntur domum: ſed qui noui conueniebant partim fama anteq; veniſſent in caſtra, partim in caſtris timore, quem nemo non videre potuit, militum, quoque inutiles ad pugnam & tranſcendendos Abbacellenſium montes, reddebantur. Sub idem tempus Abbacellenſes multas arces, quarum veſtigia eſt videre adhuc paſſim per montes. Marcam etiam occupa-

runt, munitionibus demolitis. nec modum fecerunt vllum destruendorum castrorum in ea valle, quæ a Sangallo oppido ad Rhenum vsq; pertinet, omnes domus nobilium in editioribus & depressis locis incenderunt, quarum congeriem lapidum vident adhuc qui eo veniunt. Defecerunt autem nõ solum rustici ad eos, sed & nobiles quidam, qui rogarunt ducem Austriæ vt susciperet bellum aduersus Abbacellenses, & iuuaret abbatem, postquam viderunt Abbacellensium successus, fœdere se Heluetiis iunxerunt. Et quidam nobilum concesserunt in montes, ibique priuati aluere se ex fructu pecoris, & in bellis ceu alij Heluetij pedites militarunt. Anno post natum Christum
1406 salutem credentium 1406, eduxerunt Abbacellẽses copias suas aduersus Guilielmum comitem Brigantinum, & oppidum Brigantiam obsidentes, aduentu magni exercitus ex Sueuia soluere obsidionem, & domum redire coacti feruntur. Postea rediere ad Brigantiam obsidendam, sed comes auxilio nobilium & præcipue episcopi Constantiensis magnis copiis contractis, venerunt ad liberandum oppidum, quibus cum Abbacellenses quantumuis pauci, non dubitarunt congredi, nimium suo robore confidentes, pugnatum est vtrinque supra omnem fidem pertinaciter. postquam vero magnam multitudinem occiderunt Abbacellenses fatigati, & suorum cæde ad raritatem redacti cessere, armati pugnantesque, ita vt non recte fugisse dici possint. Post hanc Brigantiæ obsidionem, confœderati Heluetiorum collectis copiis, hostiliter Longobardiam ingressi sunt, & occupauerunt multa in iis regionibus, diripuerunt, & exusserunt arcem eximiæ munitionis in valle Eschental, & ceperunt Thun. Et si in ea expeditione processissent, ducem Mediolanensem ex toto ducatu eiecissent, tantopere terruerant omnes earum regionum habitatores. Dux vero promissis, & magna pecunia data, effecit, vt redierint domum, quæ occuparunt in fide permansura sperantes: sed quum primum rediere in patriam Heluetij, Thun rursum defecit ad ducem Mediolanensem. Dux autem in legibus pacis eius ius & dominium Heluetiis cõcesserat. quare confœderati ob violatam fidem succensi ira, delectu habito, denuo hostilibus animis ducunt copias aduersus ducem Mediolanensem, eiusq; ditionem late vastant. Dux in munitioribus nubibus se continet, scribit in Germaniam, excitare aduersus Heluetios bellum conatur, sed frustra: nam Principes nolebant frustra toties impensas & operam perdere. Occuparunt autem arces aliquot & oppidum Bellentz cum castro quod habet munitum. Domum autẽ reuersis Heluetiis, dux Mediolani recepit omnia. Quam ob causam Heluetij pauculis post annis iterum copias duxerunt ad vrbem Bellentz obsidendam: vbi venerunt illuc, castris locatis, nihil in vrbe bellici tumultus audiuerunt, qui enim erant in vrbe armati insidias parturientes silẽtium tenebant, quo illi ante vrbem vt negligentiores redderentur, aut irruerent temere, dispositerat autem suos in vrbe, quo eos excipere commode armis posset. Cum autem non irrumperent, animaduerterent autem qui in præsidiis erant vrbis, Heluetios sine cura, negligenter dispersos iacere passim absque ordine, eruptione in eos ex vrbe facta oppressérunt eos ex improuiso: sed tamen præter oppidanorum expectationem, quantumuis dispersi essent, pugnauerunt vniuersi, nec multi occisi sunt. nam cum essent circundati ab hostibus, & ad eos clamarent hostes vt se darent captiuos, potius mori quam viui peruenire in manus hostiles, voluerunt. Quare fortiter pugnantes, partim occubuerunt, partim ita repulerunt hostem, vt euaserint, vt tamen terga non verterint. Nescitur plurésne oppidanorum, an Heluetiorum interfecti sunt in ea pugna. Vbi domum venerunt, mox sine mora delegerunt alias copias potentiores, quas contra Mediolanensem mitterent: sed dux mittit ad Heluetios legatum, itaque facit pacem ac si ipse esset victus. Rupertus Imperator cum imperasset annis decem, vita defunctus est in Oppenheim, & sepultus
1410 Heidelbergæ, anno 1410. Genuit autem Rupertus filios sex, nominibus Rupertum, Fridericum, Stephanum, Ludouicum, Othonem, & Ioannem. Verum Fridericus & Rupertus mortui sunt ante patris mortem: reliqui quatuor cum laude vixerunt, & huius vitæ muneribus defuncti sunt.

DE

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-
SEPTIMVS.

QVum primum Rupertus diem ſuum obiit, conueniunt Francofurdiæ imperij electores, & in Imperatorem eligunt Sigiſmundum Caroli quarti filium, Boemiæ & Vngariæ regem, ex Germanis originem & genus ducentem: alioqui non elegiſſent. Sunt autem ad hunc eligẽdum adducti multis cauſis, nempe quod patrem Imperatorem habuit, & quod potens erat, vt poſſet labenti imperio ſuccurrere, potiſſima vero cauſarum fuit, quod optimo & fortiſſimo animo fuit. poſtremo, quod Germanię amãtiſſimus fuit, quod teſtatus erat antea multis argumẽtis. De eximia corporis ſtatura, forma, & robore alij (qui in his quæ nihil ad erudiendos animos faciunt, libenter tẽpus terunt) abunde ſcripſerunt. Quum primum imperium ſuſcepit, nihil æque ſtudio habuit, quam vt in omnibus per Rom. eccleſiam & imperiũ nationibus omnes diſſidiorum cauſas tolleret, & tumultus bellorũ ſedaret. Nam nihil laboris non ſubire ſtatuit, vt componeret eccleſiam, quæ tum factionibus miſerrime erat turbata, confuſiſſimoq; chao ſimilior, quam congregationi fidelium ſanctorúmve Dei. Eius rei gratia peragrauit multas terras, expoſuitq; ſe magno periculo, & multorum odio & inuidiæ. miſit legatos ad Pontifices, ad epiſcopos de eccleſiæ rebus componendis, & de pontificibus concordandis, nam pro ſingulari prudentia videbat felicem Rempub. imperij ſui nõ eſſe poſſe, niſi religio eſſet in ſummo loco, quæ tum propter Pontificum diſſidia & aliarum eccleſiaſticarum perſonarum improbitatem, corruptamq; vitam cõtempta iacebat, multarum piarũ conſcientiarum maximo ſcandalo. Cum autem multis nunciis & literis ad Pontifices & monarchas per Romanã eccleſiam egiſſet Sigiſmundus de concordia & reformanda eccleſia, tandem Pontifex Rom. duos cardinales ad eum mittit legatos, qui cũ Sigiſmũdo electo Imperatore agerẽt cõmuni cõſilio de eccleſiæ labefactæ in omnibus ſuis partibus, ſtatu reformando. Cum autẽ multa in varias partes diſputatũ eſſet, quomodo & quo remediorũ genere ſubueniri in extremo periculo conſtitutę poſſit, tandẽ vna concordi omniũ ſententia iudicarunt fieri non poſſe, quam generali concilio. Pontifex vterq; qui Romæ erat, nec minus ille qui agebat in Gallia, ſtudebat videri pius, & cupere cõcilium, eccleſiæq; quam incorruptiſſimũ ſtatum. vtriq; item magnopere curę fuit, ne videretur hypocrita: nam ea ętate erant, qui audebant palam dicere, vtrumq; Pontificẽ hypocritam eſſe. Miſſis igitur legatis, petebant concilium. De tempore ſatis conueniebat, de loco erat controuerſia maxima. Omnia enim videbant Pontifices in loco poſita, neq; enim dubium erat in ea ciuitate repulſam paſſurum Romanum, in qua haberetur Gallus pro vero Pontifice; & contra in qua ciuitate agnoſceret Romanum verum Papam, illic depoſituri eſſent Gallum. quare diu de loco litigatum eſt. Pontifex autem Ioannes magna prudentia diſſimulauit, conſiliumq; ſuum vix vni atque alteri indicauit: omnino enim noluit eſſe in iis locis, vbi maior eſſet Imperatoris potentia: ſed legatis celandum hoc præcepit, & in mandatis dedit quæ habebant integritatis & honeſtatis pulcherrimam ſpeciem. Cum autem multis Pontifex de eligendo loco legatis ſuis ad Sigiſmundum Imperatorem mittendis tractaret, nullumque inueniret locum qui non aut ſuſpectum eum nomine hypocriſeos redderet, & in quem non venturi eſſent aduerſarij, aut quem ſatis tutum ſibi putaret, tandem confuſus in ſe ipſo omnem rem legatis committit. ſic Dominus agit, inuitis etiam inſtrumentis, omnia pro ſua voluntate. Legali vbi venerunt ad Sigiſmundum, locus concilij electus eſt Conſtantia Imperialis ciuitas, quæ tum, vt noſtra ætate quoque, habuit ſapientia viros præſtantes. Legati vbi rediere ad Pontificem ſuum, ſignificaruntque illi de loco concilij futuri; inſaniuit pene præ animi dolore, clamauitque actum eſſe de ſe. incepitque conſulere de mutando loco: ſed nullum ſatis honeſtum prætextũ excogitare potuerunt omnes eius ſapientes. Prædixerunt legati illi, ne recuſaret locũ, non enim mutaturũ Cæſarem, adeo illi placere locũ, eſſe enim Conſtantiã Vngariæ, Boemiæ, ſeptentrionalibus populis,

inferiori Germaniæ, Galliis & Hiſpaniæ, & Italiæ in medio fere itinere poſitam. Addiderunt legati quod nihil recuſando mutare poſſet, niſi quod ſe ſuſpectum redderet. Propterea Pontifex a legatis ſuis perſuaſus, diſſimulare & conuenire Imperatorem, eumque ſibi conciliare conſtituit. Idcirco Laudam ad Imperatorem properat, vbi ſe ipſum multis commendauit Imperatori, opinionemq; ſanctitatis apud Imperatorem ſibi parare nititur, aſſerit ſe deiici paratum ad infimam priuatam plebeiam, modo eccleſiæ cõſulatur, vocationem autem ſuam certam eſſe, inquit, & inexpiabile delictum, ſi relicta vocatione, cedat iis quos ſciat ambitioni & ventri ſeruire. Maiores item Sigiſmundo ſuos prædicat, effuſiſſimo ore ſe eos, propter virtutis amorẽ, propter ſingulare minimeque fucatum ſtudium religionis & eccleſiaſtici ſtatus, mortuos in Domino exoſculari & venerari, propterea in cauſa iuſta ſe Sigiſmundo, vt prudentiſſimo & exercitatiſſimo, ſapientiſſimoque iudici plurimum fidere. Propterea hunc concilij locum ſibi perplacere, & ſi eſſet alius in quo Imperator potentiam maiorem habuiſſet, ſe malle quam hunc ſcilicet Conſtantiam. Et hoc genus aliis ſibi deuincire ſtuduit animum Imperatoris. Vbi autem ſperat ſe ſatis illapſum in animum Imperatoris, incipit agere de defendendo patrimonio beati Petri, quod Ladiſlaus rex Apuliæ vaſtauerat; occuparatque Latij magnam partem, Vmbriam totam, & Hetruriam, ipſam etiam Romam. Florentiam & reliquas opibus pollentes ciuitates non quidem expugnauerat obſidendo, arietibus oppugnando, ſed nominis ſui magnitudine & terrore ita ſub ſe habebat, vt plus quotidie numerarent pro pace, quam aliæ deuictæ & ſubiugatæ loco tributi. Huic autem Ladiſlao eo tempore quo Cæſar poſt cum Pontifice colloquium, domum redit ad maturandum concilium, accidit quod omnibus ſuperbis mortalibus ſolet euenire. Cum enim eas Italiæ ciuitates ſubiugaſſet, quas volebat, reuerſusque in regnum ſuum Neapolin, decreuit in ocio laborum ſuorum & victoriarum fructu frui, ecce adeſt angelus Domini qui illum arguit ſtultitiæ, quæ eſt ſumma mundi ſapientia. Dixerat enim, Anime mi, parta ſunt tibi omnia ad otium ſouendum, gloria & facultates, quieſce, & fruere partis. At quid angelus Domini? Stulte, vbi quæris requiem & pacem? nulla eſt illic. Difficiles vias vitę ambulaſti, & quęſiuiſti neſciens cui. arrogaſti tibi quæ Domini ſolius ſunt. quod ſupereſt, pauculos poſt dies, quibus grauibus morbi doloribus adficieris, migrabis hinc. iamque incipies cogitare quod puluis ſis, accipieſque vitæ tuæ actæ opſonium, &c. Moritur igitur Ladiſlaus, qui Italiam viuus bellis diu turbarat, & poſt eius mortem, magni motus per Italiam extitere. Mittuntur ſuper ea re legati ad Sigiſmundum. Sigiſmundo propter maiora, concilium ſcilicet, & alia negotia non aliud licebat quam legatos mittere, perque eos minis partim, partim rationibus, partim promiſſis nonnihil in Italia compoſuit. maluiſſet vero cum copiis ingredi Italiam ad debellandos rebelles. Quæ tum Hiſpaniarum regi cum regibus Apuliæ fuerint bella; quid item per Hiſpanias, Italiam, & Gallias geſtum ſit, quanquam memoratu digniſſima ſint, nec ſatis ordine ab vllo conſcripta, tamen, vt a noſtra prouincia ſuſcepta, alieniora, conſulto prætermittimus, feſtinantes ad concilium
1414 generale Conſtantienſe. Decimo igitur quarto ſupra milleſimum quadringenteſimum annum, conuenerunt ſeculares & eccleſiaſtici Principes Conſtantiæ ad concilium. Venerunt cardinales, venit & Pontifex ipſe Ioannes vigeſimustertius: ſed vrbem Conſtantiã non eſt ingreſſus primo adueniens, ſed in monaſterio extra mœnia manſit, donec certiores facti in vrbe clerus, & ſenatus, populusque præpararent ſe ad excipiendum Pontificem maximum. Obuiam igitur venerunt Pontifici ordine eccleſiaſtici & ſeculares, deduxeruntque eum ad ædes epiſcopi Conſtantienſis: poſtero die dono Pontifici mittunt poculum argenteum, deauratum; item tria vaſa boni vini, in quorum vno Alſaticum, in alio Italicum, in tertio vernaculum erat; item octoginta ſaccos auenæ. Vbi Principes audiuerunt Pontificem eſſe Conſtantiæ, turmatim eo confluxerunt. In vigilia Simonis & Iudæ Conſtantiam Pontifex venit, poſt in die ſancti Martini templum in pontificia maieſtate circumiuit, populumque cruce manu facta benedixit. Quotidie autem plures e Roma & reliquis Italiæ ciuitatibus ſequebantur cardinales, epiſcopi, & alij Principes. Poſtea cum Pontifex in die natiuitatis Chriſti, tres miſſas celebraturus eſſet, quibus Sigiſmundus intereſſe cupiebat, nec poſſet in vigilia natiuitatis Conſtantiam peruenire, nauigauit ex Vberlingen per lacum noctu comi-

comitantibus eum, præter alios Principes, comite de Wirtenberg, Ludouico duce Saxoniæ, Barbara item regina vxore. Ex naui nocte cum ardentibus facibus recta in cathedralem ecclesiam iuerunt, magnificentia magna celebrauit Papa primam missam matutinam, & Imperator clara voce legit Euangelij locum illum, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, &c. eo die cantauit Papa reliquas duas missas, in quibus benedixit populum, & liberalissima plenissimaque manu effudit indulgentias super omnes missam eius audientes. Post missas mutuis officiis certarunt inter se Pontifex & Imperator. Nondum autem omnes aderant: post nouum annum venerunt dux Bauariæ cum ducentis equis, & comes Palatinus Rheni cum totidem equis, totidemque equis dux Schlesiæ, aliique quos enumerare longum est, Principes. Venerunt post purificationem diuæ virginis matris Christi legati cardinales sex ex nomine Gregorij Gallorum Papæ, qui concilium autoritate Pontificis sui confirmarunt. magnaque diligentia Gregorij Pontificis legati cum primum aduenerunt, apud singulos Principes causam domini sui egerunt. Post vero vnam atque alteram sessionem, miserunt nuncium in Boemiam ad regem Wenceslaum cum literis, quæ autoritate pontificia mandabant, vt ad Constantiam mitteretur Ioannes Hus, vir bonis disciplinis eruditus, nec infacundus, de vitæ probitate nihil affero, Deus enim solus nouit cor hominis, quis hypocryta, quisve vere contritus & humiliatus reuereatur Dominum. Hic Ioannes Pragæ multa docuit contra sacerdotum vitam corruptam, contra pontificiæ sedis ius & potestatem, quæ omnia extant vbique per infinita exemplaria diffusa, quare nos in his longiores non erimus. Erant autem hoc genus plurima, Romanum episcopum nihilo minorem esse cæteris præsulibus; Indulgentias & absolutiones Pōtificum vanas esse, nisi vita purificetur, & renouetur homo; Hominem scortatione aliisve sceleribus perditum, non posse mysteria Dei dispensare, nihil vnctionem conferre olei, nisi vnctio spiritus adsit, signum enim tantum esse veræ Spiritus sancti vnctionis; Bona opera non esse, nisi quæ ex fide proficiscantur, fiantq; iuxta voluntatem Domini, propter nomen Domini; Quæ docentur de purgatorio esse conficta, & inuenta a sacerdotibus auaris, ventri seruientibus, animas enim aut in æternum damnari, aut in conspectu Domini, hoc est in æterna gaudia recipi; Imagines sanctorum in ecclesia tollendas, ex autoritate scripturæ; Abunde satis imaginum virilium & muliebrium quotidie Dominum facere, quibus admoneamus quales sancti sanctæque Dei fuerint; Benedictiones ignis, palmarum, aquarum, salis esse vanas, neque enim vllam creaturam elementúmve benedictione hominis immutari: sed si vtentes agant gratias Domino, & benedicant Domino omnia benedictionibus implenti; Contra ignauum (vt ipse vocauit) ocium sacerdotum multa dixit; Verbum Dei cum fructu prædicari a nemine, nisi vocatus sit a Deo; Liberamque debere esse prædicationem verbi Dei: cuicunque enim Dominus aperiat, illum audiendum; Spiritum Domini enim ita venire, vt nescias vnde veniat, aut quo vadat; Vnctionem extremam non recensendam inter ecclesiæ sacramenta: fuisse enim ab apostolis loco remediorum adhibita; De auriculari confessione etiam quædam ab vsu Romanæ ecclesiæ aliena docuit; Consilium & solatium grauatas conscientias olim hoc modo quæsiuisse, & inoleuisse auricularis confessionis vsum; Cæterum veram confessionem esse, confiteri hominem se peccatorem esse; & misericordia Dei passioneque Christi Iesu fidere, esse absolutionem; Templum Domini esse sanctos Dei, in quorum cordibus habitet Deus per Spiritum suum; Tempora omnia æque sancta esse; Christianum omni tempore Domino sabbathum agere; arborem bonam fructum ferre bonum omni loco & tempore. Talia multa docuit Pragæ: episcopus autem eius loci interdixit illi conciones. Sed in villa Hus postea acrius inuectus est in clerum, episcopos & Pontifices, & dominus eius villæ defendit eum contra episcopum. Venerunt autem alij Pragam qui eadem quæ Ioannes, docebant. docuerunt etiam calicis Domini participationem male plebi ereptam. & contra Romanæ ecclesiæ institutionem & consuetudinem sub duplici specie panis & vini sacramentū populo exhibuerunt. Wenceslaus rex nō voluit, nescio qua causa, illos hæreticos persequi, episcoposq; suos iuuare: quare episcopus Pragensis multa conatus cōtra hanc hæresim, nihil autem proficiens, profectus est ad Sigismundum Imperatorem, accusauitque fratrem eius regem Boemiæ, quod impunitam sinat

creſcere ſectam Huſſitarum. Sigiſmundus reſpondet epiſcopo audiendos & aduerſarios, deinde ſe deliberaturum cum ſapientibus viris quid opus ſit facto. Porro epiſcopus Pragenſis dum accuſat Ioannem Hus & ei adhærentes apud Sigiſmundum, moritur. In Boemia tota ferebant, manũ Domini tetigiſſe veritatis perſecutorem, Dominum pugnare pro ſuo verbo, &c. Wenceſlaus ergo Ioannem Hus miſit Conſtantiam, ſed non prius quam data eſſet illi fides, quod tuto poſſet Conſtantiam ire, & in concilio libere loqui, & domum redire ad Boemos, neque enim Boemi & rex voluerunt eum ſine ſaluo conductu Sigiſmundi regis mittere. Vbi autem venit ad concilium, ab amicis ſtatim admonitus eſt, vt reuertatur domum: nam facile videre poterant eius doctrinam locum non habituram in eo concilio. Exiuitque rumor, nullo tamen certo autore, Ioannem Hus fugam parare, nec Cæſaris fidei fidem habere: quare ductus eſt ceu latro captus ad Ioannem Papam, vbi per aliquos dies miſeris modis tractatus, mittitur in carcerem in monaſterio Prædicatorum, in quo diu ſine lumine iacuit. Venit & Hieronymus Conſtantiam ex Boemia, vt aſſiſteret Ioanni, erat enim Hieronymus vir eloquentiſſimus & inſignis cum in omni philoſophiæ genere, tum præcipue in ſacris literis. Conabantur autem quidam Hieronymum abducere a Ioanne Hus, magnas dignitates, pinguiaque ſacerdotia promittendo. inquiebant, vt inſaniam illam deponeret cui tota catholica eccleſia, tot præſtantiſſimi doctores, omnes Principes, contradicerent: ſed immobilis petra erat, non dubitabat effundere verba per iugulum itura. Quoties auditi ſint, quotieſque cum illis diſputatum, petere licet ex aliorum monumentis. Adeo enim in mala nos incidimus tempora, vt nulla vnquam ſeculo minus tutum fuerit vel ea loqui quæ ante annos centum & ſcripta & lecta ſint vbique. Vno igitur verbo perſtringam totam hiſtoriam Huſſitarum. Cõdemnatus eſt primum Ioannes Hus qui non verebatur in faciem prælatorum dicere, eos ſeruire ventri Deo ſuo, mundanam vanam pompam, opes, delicias & luxum ſectari, canes, equos, aſinos & ſcorta alere eccleſiaſticis bonis, quæ pauperibus & veris miniſtris debeantur. & pleroſque deponendos, aliosque probatos in locum conſtituendos, qui doctrina & exemplo ædificent eccleſiam Chriſti, &c. Vbi Papa, cardinales & epiſcopi nullam ſpem eſſe vident reſipiſcentiæ in Ioanne Hus (nam viuum dimiſiſſent, ſi reuocaſſet ſuam doctrinam) condemnatus ad ignem ducitur menſe Iulio anni 1415. Inuicto conſtantique animo, quem læta frons, vultusque ſerenus indicabat, mortem pertulit, itaque iuit ad flammam ignis atque cibi auidus ad conuiuium, ſeu ſitiens ad potum. nullum verbum, nullamque vocem emiſit, qua poſſet vlla animi turbatio intelligi: quin & in flamma ardente cecinit hymnum. Eius mors multum odij & inuidiæ apud plurimos peperit eccleſiaſticis prælatis. Cinis exuſti corporis, iuſſu eccleſiaſticorum Principum & Papæ, eſt proiectus in lacũ, ſiue vt omnis memoria eius deleretur, ſiue ne Boemi collectum pro reliquiis colerent. Poſt Ioannis ſupplicium, Hieronymum multis viis & rationibus, minis & pollicitationibus conati ſunt a ſua abſtrahere ſententia: ſed nihil minæ, nihil promiſſa potuere apud eum. vbi ergo nihil prævalere poſſe vident aduerſus eum, pari ignis ſupplicio affectus eſt, eodem anno, ſabbatho ante exultationem crucis. Nec hic vllum triſtitiæ ſignum præ ſe in vultu & facie tulit, ſed gratias egit Deo quod ſoluendi tabernaculi hora aduenisſet, & cecinit quoque ſpirituales cantiones, vſque dum fragor flammæ intercepit vocem canentis. & huius exuſti cineres miſerunt in altum lacum. Ferunt Sigiſmundum primum omnino fidem ſeruare illis voluiſſe, ſed eccleſiaſticos Principes illi ex pontificiis legibus probaſſe, hæreticis fidem non ſeruandam. Fuerunt etiam qui dixerunt Sigiſmundum nunquam conſenſiſſe in eorum necem, & nullam aliam cauſam potiorem fuiſſe, qua alienatus ſit rurſus a Pontifice cum quo pulchre reconciliatus fuerat. Ad Boemos vbi hæc acta Conſtantiæ peruenerunt, omnes qui adhærebãt Ioanni & Hieronymo (adhærebat autẽ maior pars totius regni) cõueuerunt, & clamãt omnes vno ore martyrio coronatos ſanctos viros, teſtes veritatis. Nec parũ timuit ſibi rex Wenceſlaus a factione vulgi ira ſuccenſi: miſit ergo ad concionẽ populi qui excuſarũt eum, docueruntq; plebẽ, Wenceſlaum regem grauiter ferre fidẽ non ſeruatã, & argumẽta magna probabiliaq; erãt, quibus ita occiſos Ioãnẽ & Hieron. facile colligi potuit, male habere regẽ. Dedit illis enim poſtea rex eccleſias in quibus dogma Huſſiticũ libere docere poſſent, & participare menſa Domini

1415

ſub

ſub vtraq; ſpecie. nec vſquam aut clam aut palam reſtitit doctrinæ eorum. Sed Huſſitæ non contenti eccleſiis ſibi a rege conceſſis, monaſteria & eccleſias per totum regnum diripiunt & peruaſtant, funditusq; tollunt pulcherrima templorũ ædificia. Nam quidam reges Boemiæ, religionis amantes ædificarãt, & exornarant plurima monaſteria & eccleſias, ita vt vix in alia natione talia reperiri potuerint: ſed plebs ſupplicio Ioannis & Hieron. ita commota eſt, vt omnia fere ſolo æquarit. Hiſtoriã illius rei deſcriptam, vt ante dixi, leget qui cupit, plenius apud alios. Combuſtis Ioanne & Hieron. inceperunt diſſidia feruere & exagitari inter Pontifices: quanquam enim vterque ſimularit ſe ex animo cedere, & cupere eccleſię tranquillitatem & ſublata ſcandala; tamen clam aliud agere eos intellexerũt viri cordati. Ne quis autẽ ſuſpicetur nos aliquid adfingere, extant Leonhardus Aretinus & Pogius qui interfuerunt Pontificum conſiliis, & quorũ monumentis ſatis abunde patet, qua integritate & fide hæc ſint in illo concilio acta. Operæ precium eſt, opinor, vt adſcribam decretum quod Ioannes Pontifex in concilio publicarit. eſt autem tale, Ioannes epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Vniuerſitati & veſtrum ſingulis innoteſcat, quod propter quietem totius populi Chriſtiani profiteor, promitto, ſpondeo, moneo, & iuro Deo & eccleſiæ & huic ſacro concilio, ſponte & libere dare poteſtatem ipſi eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis papatus, & etiam facere & implere cum effectu, iuxta deliberationem præſentis concilij. Si & quãdo Petrus de Luna, Benedictus decimustertius; & Angelus Corarius, Gregorius duodecimus, in ſuis obedientiis nuncupati papatus, quem prætendunt, per ſe vel procuratores ſuos legitimos ſimiliter cedant, & etiam in quocunque caſu ceſſionis vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari vnio eccleſiæ ad extirpationem præſentis ſchiſmatis. Acta ſunt hæc in Conſtantia, anno Domini 1415, prima die Martij, pontificatus noſtri anno quinto. 1415

Hæc publicauit Ioannes Pontifex, quæ habent ſpeciem bonam, ac ſi eſſent ex pio & ſancto animo profecta. Sed putauit bonus vir ſibi omnia tuta, habebat enim ipſum Imperatorem ſibi adhuc fauentem, habebat aliorum Principum præcipuorum fauorem. conuiuiis excipiebat Imperatorem, & alios vtriuſque ordinis Principes, munera dabat clam multa. Roſam in ſacris benedictione apoſtolica conſecratam donauit Imperatori: in qua roſa conſecratio materiam ſuperare debet. Nec alij Pontificum legati negligenter ambiebant apud Principes variis viis, nomine dominorum ſuorum. Vbi igitur ventum eſt ad ſeſſiones, agiq; cœptum, vt vnum caput eccleſiæ præficeretur, ad quod omnia poſſint referri, viſi ſunt Principes diſcordes valde, aliis alij Pontifici fauentibus. Surrexiſſe autem fertur in frequentiſſimo Principum conſeſſu archiepiſcopus Moguntinus, & dixiſſe, ſe nulli obtemperaturum niſi eligeretur Ioannes. ſed vitio datum eſt Moguntino epiſcopo præiudicium illud temerarium, nondum enim audierat omnium cauſas. Sunt autem ab aduerſariis (qui non pauci erant) Ioanni Papæ obiecta crimina plurima & grauiora quam vt in vllo homine, ne dum in Pontifice ſummo ferenda ſint, quibus frigidius reſpondit Ioannes, quam amici eius expectabunt, inceperuntq; plerique alieniores ab illo fieri. & Sigiſmundus ob crimina illa incipit odire hominem. quod animaduertens Ioannes, aliumq; euentum futurum concilij videns, quam ſperarat, magnopere doluit & pœnituit eum, quod eo decreto, quod iam ſcripſimus, proteſtatus ſit ſe reſignare papatum, ſi aduerſarij eius quoque reſignent. Quam ob rem incepit cogitare de abitu, prætexens ſe ſuosq; parum tutos, nec liberum eſſe concilium, nihil ædificationis & fructus ex hoc prouenturum ad eccleſiam. Hæc Pontificis querela vbi ad Sigiſmundum peruenit, timuit ne diſcederet, turbarenturq; magis omnia, quam ante in eccleſia, propterea promittit illi pleniſſimam ſecuritatem. Peruenit etiam ad aures Imperatoris, Fridericum ducem Auſtriæ omnia conſilia cum Papa conferre, & eum abducere velle. Hanc ob cauſam vocat ad ſe Sigiſmundus Fridericum, monet eum ne tantum facinus audeat, docet eum quid mali hinc ſecuturum ſit in vniuerſam eccleſiam: omnes impenſas & operam perditam quæ in concilium collata ſit: imo omnia multa poſt peiora futura. & ſi abducat Papam, omnes omnia mala ipſi adſcripturos, omniaque exedenda fore illi. Dux Fridericus omnia conſtantiſſime negauit, & plane Sigiſmundo perſuaſit, ſe nihil tale præſumpſiſſe, effecitque, vt minus

obſeruaret timerétve diſceſſum Pontificis. Verum Põtifex habitu famuli equitis vulgaris Conſtantia exiuit, & equo delatus ad naticulam, quæ ad ripam Rheni expectabat, illinc naui vectus eſt vſque ad oppidum Schaffhuſen, adiuuantibus Archiepiſcopo Moguntino, & duce Auſtriæ, inimicis Cęſaris. Cæſar vbi certior factus eſt aufugiſſe Papam, ſupra modum iratus eſt, familiã & cardinales eius retinere iuſſit. Verum cardinales Sigiſmundo perſuadent, ſe non conſcios fuiſſe propoſiti & abitus ipſius Papæ, & pollicentur ſe reducturos, reconciliaturosque eum, quam ob cauſam dimiſit eos Sigiſmundus, vt reducerent Papam, qui ſecuti dominum ſuum, cum in eadem naui quæ perforabatur, eſſent, non qua ratione reducerent, ſed quomodo cum ipſo periculum commune effugerent, curabant; timebant enim ne priuarentur ſuis dignitatibus, ſi manerent Conſtantiæ. Sigiſmundus vero fugam Pontificis iuſſit proclamari, & ſimul ne quis ſollicitus ſit propter eius abitum, ſe enim ſcire quibus rationibus reducendus ſit. Mox vero poſt, in frequenti Principum conſeſſu accuſauit Fridericum ducem Auſtriæ, quod eius auxilio aufugerit Pontifex: alioqui enim nullam euadendi ſpem illi eſſe potuiſſe. Commemorat in accuſatione quæ pericula, quæ ſcandala, quæ calamitates ſecutura ſint fugam Papæ, præter labores omnes omnium Principum fruſtratos, & maximas Principum & ciuitatum impenſas, qui omnes ſperauerant eccleſiæ pacem. Citatur ergo ad cauſam dicendam ſuam Fridericus dux, publice edito edicto ab Imperatore: ſed non comparente duce, publico Principum iudicio condemnatus, priuatur omnibus feudis & poſſeſſionibus ſuis, & omnia eius occupanti conceduntur, ſubditique a debita ei obedientia abſoluuntur. Nam nullus erat ex amicis eius qui auſus fuerit eum defendere in cauſa tam odioſa, nemo enim voluit videri vel tam malus, vt eccleſiam & Rempublicam imperij tot incommoditatibus & malis afficeret, vel tam rerum imperitus, vt non videret quæ lerna malorum ex tam intempeſtiuo diſceſſu Pontificis euentura eſſet. Expoſita igitur domo Auſtriæ omnibus occupantibus eam, confœderati Heluetij ſine mora occuparunt. Ergo iam quam vocant (libenter enim vſitatis nominibus vtimur) Mellingen, Baden, Bremgarten, Walleſtat, Dieſſenhofen, & alias munitiones. Quod Principes male habuit, ſed in ſententia damnationis erat, *omni ſeu cuilibet occupanti conceſſa domus Auſtriæ.* Cæſar ipſe Stain, Frauenfeld. occupabatur etiam Feldkirch. Papa vbi audiuit ſic agi cum ſuo patrono Friderico, ex Schaffhuſen deſcendit Loffenbergam, inde ſine mora ſe recepit Friburgum, profecturus, ſi tutum contingeret iter, ad ducem Burgundiæ, quo cum erat illi vetus neceſſitudo, quoque intimo ſummoque vtebatur amico. Pontifex excuſaturus ſuum diſceſſum ita ad concilium ſcripſit, Ioannes epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Vniuerſis innoteſcat, quod cum propter metum, qui cadere potuit in cõſtantem virum, de ciuitate Conſtantienſi receſſerimus, ne hac occaſione Petrus de Luna, & Angelus Corarius in ſuis obedientiis nominati allegantes impreſſionem nobis factam, ſe quouis modo ab acceſſione retraherent, & ſic protraheretur effectus pacis & vnionis eccleſiæ ad quorum effectum deſideria noſtra tendunt. Ex Friburgo, &c. Fridericus autem dux Auſtrię vbi videt ſeueritatem iramque Sigiſmundi & Principum per amicos mediatores rogat gratiam, & via facta illi ad Imperatorem, & in ſua ipſius perſona acceſſit & agnouit peccatum, & ſe ſuaque omnia in manus eius tradidit. & iureiurando promittit dux Fridericus ſe Papam reducturum Conſtantiam. Sine omni igitur mora feſtinat dux, & ex Friburgo ducit Papam vſque ad Cellam Rudolphi, illic incepit Pontifex repugnare, nec voluit longius Conſtantiam verſus ire. Quam ob rem dux Fridericus miſſis ad Imperatorem nunciis, conſulit eum, quid fieri velit cum Pontifice nolente ſequi vltro, nam vim adhibere ſummo Pontifici religio erat. Sigiſmundus adhibitis in conſilium Principibus multis, quibus fidebat plurimum, quorum decreto capitur Ioannes Papa, & ducitur in cuſtodiam monaſterij Richnau non procul a Conſtantia. Cuſtodiæ mancipato Ioanne, incipit concilium cauſas fugæ perueſtigare & expendere, criminaque illi obiecta diſcutere curioſius & diligentius. Sunt autem notabilia crimina fere quinquaginta in eo inuenta & probata, quorum vnumquodque per ſe ſolum abunde ſatis magnum erat, vt reiiceretur a pontificatu. Quam ob rem pontificatu abdicatus Ioannes, traditur Ludouico comiti Palatino cuſtodiendus. ductus igitur in Manhem caſtrum, militibus Germanis ſeruãdus com-

commissus est, neque Papa aliter loqui cum militibus, neq; milites cum ipso potuere quam nutu & signis, nemoq; ad eum admissus est qui cum loqui sciret. in eaq; captiuitate tribus perpetuis annis fuit. Gregorius Papa maiorē in spem vocatus est, vbi audiuit captum Ioannē, & crimina tot in eo inuenta. Legati autem eius quoq; coacti sunt conciliū approbare & confirmare, & vnus eorum præcipuus, nomine Carolus Malatesta, collocatus in sede non aliter atque si affuisset Gregorius, abdicauit Papam suum pōtificatu. Quod Malatestæ conciliiq; factum tanto dolore affecit Gregorium, vt præ angustia animi mortuus sit. Erat enim natura melancholici humoris abundātior. Porro concilium statuit, Synodum generalem legitime congregatam habere potestatem plenam super omnia in ecclesia militante, etiam super Pontificem legitime electum. Hoc autem decretum est, ne qui dicerent concilio Papam non subiectum. Supererat adhuc tertius Pontifex, Benedictus 13, qui prioribus duobus pertinacior & arrogantior erat, nec magis pontificatus gradu dignus quam cæteri. Sigismundus autem nulla non pericula nullosque non labores, vt pax redderetur ecclesiæ, subiuit. Assumptis secum ecclesiasticis & secularibus Principibus, anno secundo post congregatum concilium, Sigismundus profectus est in Gallias, & Angliam ad reges, eosque diligenter adhortatus est, vt propter communem ecclesiæ tranquillitatem & concordiam, sequantur autoritatem & sententiam concilij in abrogando Benedicto, duobus aliis depositis. Rex Galliæ & rex Britanniæ videntes animum Imperatoris ad ecclesiam pacandam, responderunt se facturos quicquid deceret Christiani nominis reges, nec vsquam ecclesiæ defuturos, & nihil negaturos polliciti sunt quicquid faciat ad schisma tollendum. Re curata apud hos duos reges, ex animi sententia Narbonam ad Ferdinandum Aragonum regem pergit, qui cum suis subditis obediebat Benedicto. Vbi rex audiuit Sigismundum suo & totius concilij nomine de schismate & concordia ecclesiæ differentem, promisit, se moniturum & adhortaturum eum ab abrogationem pontificatus; si vero non velit pontificatu se abdicare, & concilio generali liberam facere electionem, tum se effecturum apud plebem suam, vt omnes sequantur autoritatem & sententiam generalis concilij. Papa vero Benedictus se recepit in munitissima loca, neq; minis neq; vllis ad suadendum compositis verbis moueri potuit, vt Pontificis nomen deponeret. Affirmauit autem se esse verum Christi vicarium, sibi esse commissas regni cœlorum claues, se habere potestatem in concilium, non autem Christi vicarium concilio subiectum. Rex vero Aragonum, & Hispaniæ Principes omnes offensi pertinacia Benedicti, præceperunt, editis mandatis, subiectis suis populis, vt relicto Benedicto, concilij generalis autoritatem sequerentur. In hunc modum ex animi sententia effectum dedit Sigismundus quicquid proposuerat sibi in ea peregrinatione suscepta pro ecclesiæ alma pace. Cum igitur totum pene annum consumpsisset Sigismundus in illa profectione, rediit Constantiam, Principes concilij eum reuerenter exceperunt, & similiter excepti sunt omnes qui comitati eum fuerant. Paucis post Sigismundi reditū, communi concordiq; totius concilij sentētia depositus est Benedictus, & autoritate generalis concilij anathematizatus, accensis cereis candelis, & campanis pulsatis, vt est consuetudo, declaraturq; a cōcilio vitandus, vt hæreticus inimicusq; ecclesiæ catholicæ, & omnes eius adhærētes patrocinantesq; eisdem sententiis subiacere decernuntut. Hoc anno autoritate Cęsareæ maiestatis & concilij quidam Barones in comites, comites quidam in duces electi sunt. Visum est etiam tempus esse eligendi Pontificem, vt commodius agere possent de corrigendis ecclesiasticorum moribus qui corruptissimi erant. Cum igitur per aliquot dies esset disputatum de ratione eligendi Pontificē, in eandē inter omnes Principes conuenit, vt cum cardinalibus qui tribus Pontificibus obtemperabant, quinque pręlati ex singulis nationibus eligerent Papam. Ij ergo ingressi conclaue, elegerunt concordibus suffragiis cardinalem de Columna, nomine Othonem, appellaruntq; Martinum quintum. quæ electio in festo diui Martini facta erat. Erat autem vir rara in rebus administrandis dexteritate, propterea Sigismundus, cui maiori curæ erat ecclesiæ felix status, quam quibusdam ecclesiasticis prælatis, supra modum lætatus est talem virum electum. Cum autem sibi timerent multi qui dignitates & beneficia sub tribus abdicatis Papis consecuti erant, propter communem pacem cōseruandam, decretum est, ratum debere esse quicquid

Ioannes, & quicquid Gregorius, & quicquid Benedictus ſtatuiſſent & ordinauiſſent inter eos qui illis obtemperauerunt ceu veris Pontificibus. & ita in collatis beneficiis, gratiis conceſſis, & conſtitutionibus factis nihil eſt immutatum. Cardinales & epiſcopi facti a Pontificibus abdicatis, manebant in dignitate ſua, quo æquiore animo ferebant depoſitionem dominorũ ſuorum. poſt electum Pontificem conſtitutiones quædam non malæ ſunt editæ, quæ ſi obſeruatæ eſſent per hos centum annos, fortaſſe in meliore loco eſſent res eccleſiaſticæ. Eſt autem vna conſtitutio talis contra ſimoniacos, quod electiones, poſtulationes, confirmationes, & prouiſiones ſimoniacæ nullæ ſint ipſo iure. Item qui ad eccleſiaſtica beneficia ſimoniace perueniãt, & poſtea deprehenſi ad fructuum quos ceperunt reſtitutionem, cogantur. Item quod ſimoniace dantes & recipientes, ſententiam execrationis incurrant. Voluit, ni fallor, hæc conſtitutio iudicio in eccleſiarum miniſtros eligi probatos viros, non muneribus & fauore corrumpi electores & collatores. Quædam præterea alia quæ in eis actis habentur, ſtatuta ſunt in Conſtantienſi ſynodo. Conſtitutum etiam concordibus vocibus eſt, vt propter ſchiſmata tam pernicioſa eccleſiæ, concilia generalia celebrarentur frequentia, nimirum hoc interuallo temporis: vt a fine Conſtantienſis concilij poſt quinque annos iterum conuenirent in generalem ſynodum Papiæ celebrandam, ab huius fine poſt ſeptem annos iterum conuenirent in generali concilio, deinde ſemper poſt decennium conuocandam generalem ſynodum. Locumque in fine concilij cuiusque deputandum communi patrum ſententia, ſtatuerunt. Terminum celebrandæ ſynodi breuiorem poſſe ex cauſis ſtatui a Cæſare, & Pontifice Principibusque aliis, ſed nullas ob cauſas tempus cõueniendi vltra decennium producere licere cuiquam. Quis non videt quam ſalutaris hæc conſtitutio fuiſſet eccleſiæ, ſi ita ſeruata fuiſſent generalia concilia? Quanta & quot mala vitari potuiſſent? In ſynodo Conſtantienſi Imperator pro neſcio quanta ſumma pecuniæ confiſtorium prouinciale in Durgea ciuitati Conſtantienſi pignori dedit. quod poſtea iure belli ad Heluetios peruenit. Sigiſmundus poſt pacatam eccleſiam vtcunque in concilio Conſtantienſi bellum aduerſus Turcas parat, nam, vt reſiſti Turco coniunctis Chriſtianorum viribus melius poſſet, tantopere Sigiſmundus feſtinabat in vnitate facienda. Poſt ſublatum tamen trium Pontificum ſchiſma non reſponderunt ſpei & expectationi Imperatoris in armis contra Turcam ſuſcipiendis plerique Principes. Sigiſmundus vero vir maximi animi poſthabitis ſuis rebus, omnibus neruis intentus fuit in expeditiones contra Turcam, quo cum non ſatis feliciter pugnarat. Dum autem communibus eccleſiæ commodis conſulere ſtudet, pene amiſit Vngariam & Boemiam. Boemi enim poſt mortem regis Wenceslai legitimo hæredi Sigiſmundo rebellabant, erant enim illi infenſi, propter occiſos in concilio Ioannem & Hieronymum. quanquam Sigiſmundus fidem ſeruare illis volebat, & incolumes in Boemiam remittere: concilium autem eſſe ſuper Imperatorem Pontifices & ſacerdotum Principes dixerunt, nec hæreticis debere quenquam fidem ſeruare, tollendosque e medio quocunque modo fieri poſſit. Etſi ergo Sigiſmundus diceret ſe fidem illis velle ſeruare, ſed poſtea operam ſe daturum, vt redirent ad eccleſiam, & inobedientes pœnas darent: nihil tamen aduerſus eccleſiaſticorum zelum efficere potuit. Poſtquam multa conatus eſſet contra Turcas, & in Vngaria diſpoſuiſſet omnia, oppoſuiſſetque Turcæ præſidia in locis quibus opus videbatur, ad Boemicas res ſeſe conuertit, ſæpiſſime vocatus ab amicis, & iis quibus pax & tranquillitas cordi erat, in regnum factionibus multis turbatiſſimum. Non enim ſolum corrigere conabantur quæ docuerat Ioannes Hus emendanda, ſed agreſtia ingenia, neque Huſſiticæ hæreſis doctrina, neque vlla alia, imbuta, omnia turbabant, arboreſque quas Ioannes Hus putatione agere docuerat, indoctum inſanumque vulgus totas radicitus extirpabat. In itinere autem Pragam verſus cum eſſet Sigiſmundus, ob cauſas magnas deflexit Vratiſlauiam, vrbem Schleſiæ eximiam, in qua plebs per ſeditionem ſenatum trucidauerat, quem Wenceſlaus rex conſtituerat. Quo vbi peruenit Imperator, cognita cauſa, autores ſeditionis & cædis capitis ſupplicio affecit, fuerunt autem multi. Quo ſeueritatis exemplo Boemi commoti magis Sigiſmundum odire quam ante, arma capere, maledictis illum proſcindere, multa mendacia in illum confingere, occupare omnes regni munitiones, affirmare Sigiſmundum Boemico nomini

mini infensum, Brandenburgenses a Boemico regno alienasse; Ioannem & Hieronymum contra fidem datam iussisse concremari, & eodem modo perdere constituisse omnes qui sequantur Hussiticum dogma. ita magnum odium & inuidiam Sigismundo per totum Boemiæ regnum conciliauerunt. Quare Sigismundus copiis coactis per totum imperium, ducit aduersus Boemos, vt regnum, quod ad se hæreditario iure pertinebat, reciperet. Boemi opposuerunt se Sigismundo, duce Zischa, qui sæpe victor, multa oppida & castra cepit, & sacerdotes, qui Romanum Pontificem agnoscebant, aut cremauit, aut exectis testibus viuos diuisit. nec vno solum prælio superauit copias Sigismundi. Vbi autem Sigismundus Imperator animaduertit Zischæ fortunam constanter prosperam, & totam Boemiam in ipsum respicere, conatur hominem promissis & muneribus a proposito & hæreticorum fide abductum suum facere, vt eius opera Boemiam rebellantem domet. Homo ingentibus promissis & pecunia corruptus, perfidusque accepit non modo deserendi, sed prodendi suos conditionem: sed dum iter ad Imperatorem facit, subito quodam ægritudinis genere periit. Hussitæ primum dolebant grauiter ob mortem Zischæ, neque enim sciebant in parienda enitendáve proditione mortuum; vbi vero postea cognouerunt eius conatus, vltionem Domini in eum fuisse & protectionem sui interpretabantur. Etsi autem magna dissidia inter Hussitarum exercitum a morte Zischæ fuerint, vt magnam spem fecerint Sigismundo aliquid contra eos posse effici: verum non aliter atque concertantes sues vbi aliud animans, canis, seu lupus accesserit, in vnum conuenientes defendunt se acriter vnanimiterque; sic Hussitæ inter se vehementer discordantes, tamen communi hosti, coniunctissime resistebant in vnum collecti animis. Quæ discors concordia fecit, vt non minus vsi sint propitio Marte perpetuo, quam ante Zischæ mortem. nec tantum sua defendebãt, sed etiam aliena diripuerunt & occupauerunt. Bella hæc omnia quomodo gesta sint, cum non apud vnum tantum autorem extent conscripta, repetenda mihi non duxi, præsertim cum non ad res Germanorum, sed ad Boemicas pertineant. Paucis igitur perstringam, Romanus Pontifex non cessauit a primo pontificatus sui anno instigare Principes omnes ad suscipienda arma aduersus Boemicam sectam, indulgentias liberalissime concedendo omnibus qui in eam expeditionem aliquid pro catholica Romana ecclesia conferrent. In hanc militiam misit cardinales, sed cum ignominia sæpe repulsi sunt, vt non sine scandalo mirati sint multi (qui iudicia Domini existimant animali sensu rationéve carnali) qui fiat quod Dominus hæreticis contra catholicos victoriam concedat. Maioribus igitur conatibus, animis, & copiis aggrediendos duxerunt Hussitas nostri. aderat in Germania vir qui ad bellum natus videbatur, cardinalis Vinctonienſis ex Anglorum regibus originem generis ducens, cuius industria coacti sunt maximi exercitus tres, quorum quilibet satis ad opprimendam Boemiam videbatur. Vnum ducebat exercitũ Otho, archiepiscopus Treuerensis, quem secutus est totus Rhenus ab Oceano vsq; ad summum eius fontem; præterea & tota Sueuia & Bauaria secutæ sunt hunc ducem. Secundum exercitum duxerunt Saxoniæ duces, quos secutæ sunt Hassia, Thuringia, Saxonia, stagnales quas vocant ciuitates, &c. Tertium exercitum duxit Marchio Brãdenburgensis, quem secuti sunt Francones & alij. Hæ copiæ omnes ingressæ sunt Boemiam confisæ multitudine, & fortitudine sua magis quam brachio Domini. Vbi autem primum in hostis conspectum venerunt, terror eos tantus inuasit, vt facile euentum rei videre potuerint paulo rerum bellicarum peritiores. Hussitæ ergo, omnibus in vnum collectissimis, acieque instructa, infesta in hostem signa ferunt. quod nostri vbi viderũt, imo vbi audiuerunt, non pauci conspexerant hostem, fugam turpissimam arripiunt, fugiuntque nemine persequente, vnoque impetu fugæ per syluam currunt. Impedimenta omnia, machinæque bellicæ sunt hostibus relicta prædæ. Cardinalis & Archiepiscopus Treuerensis adhortantur copias ne admittant in se turpitudinem tantam tantumque dedecus: sed nihil proficientes, simul fugere coguntur. Post hanc turpẽ fugam animi aucti sunt hæreticis, nostrisq; magis sunt deiecti. Sigismundus autem Imperator animo nondum fractus Norinbergam Principes & ciuitates imperij conuocat, docetq; eos quam necessario sit iteranda expeditio in Boemos hæreticos qui incipiebant vicinos indies magis magisq; carpere. Venit etiã Norinbergam Põtificis legatus, Iulianus cardinalis

ſancti Angeli,qui Principes adhortatus eſt ad bellum ſuſcipiendum. Eſt igitur alia ſtatim expeditio decreta in Boemos,& contractæ ſunt copiæ maximæ, dux autem exercitus totius electus eſt Fridericus Marchio Brandenburgenſis. Erat in ea expeditione totum fere imperium, præcipue eccleſiaſtici, quibus maior cura erat,vt perderetur Huſſitica hęreſis,pugnabat enim imprimis contra eccleſiaſticos.Erat quoq; in exercitu cardinalis ſancti Angeli.Hæ ergo copiæ Boemiam ingreſſæ incendio & cædibus omnia obuia perdunt, nulla ratio neque ſexus neque ætatis habetur.Quæ noſtrorum crudelitas non modo non terruit hoſtem, quod noſtri futurum putabãt,ſed magis incẽdit & irritauit.Collectis enim omnibus ſuis viribus,obuiam occurrunt noſtris:quorum aduentum vbi audiuere noſtri,nondum viſa hoſtili acie,abiecta præda,& armis, fugiunt pauidiſſime, vt eodem die adeoq; eadem hora noſtri crudeliſſimi,& timidiſſimi viſi ſint.Cardinalis per interpretes allocutus fugientes,& adhortatus eſt,vt maneant, bellum eſſe contra hæreticos, canes, Satanæ traditos,pro eccleſia catholica,pro Chriſtiana fide, magna victoribus præmia propoſita, &c. Fruſtra loquitur indulgentias, benedictiones apoſtolicas, ſanctam obedientiam, & alia hoc genus. Surdæ ſunt aures omnium, omnis vis omnium in corporibus partium delapſa eſt in fugaces pedes. Cardinalis miraculo rei ſtupidus & attonitus,non poteſt ſatis mirari Germanos, bello fortiſſimos, & ob militares virtutes ſemper omnibus populis prælatos,ita territos fugere. ſequi autem cogitur fugientes. multos in fuga occiderunt Boemi, & conſecuti ſunt magnam prædam, ceperunt etiam noſtrorum multos.& vicina quædam caſtra occuparunt,&villas diripuerunt & incenderunt.Sigiſmundus conuentus Principum celebrat, reparare arma cupit: ſed quidam Principum fatigati, differendam rem cenſent, donec mutatio aliqua animorum fiat. Aduenerat iam tempus conueniendi ad concilium Papiæ celebrandum, ſed cum peſtilenti conſtitutione inficeretur Papienſe cœlum,placuitq́ue Pontifici concilium transferre Senas,quo vbi ex multis nationibus cõuenirent multi: quidam largitionibus & promiſſis contra Martinum moliebantur, vt de pontificatu deiiceretur. quod vbi animaduertit Pontifex, ſtatim concilij conuentum diſſoluit,& ne quis calumniari poſſet Pontificem,ſibi timere ſtatuit poſt ſeptem annos ſynodum generalem celebrandam, eiq; concilio locũ deputauit Baſileam. Anno igitur poſt natiuitatẽ Domini 1430,in Germaniam miſit Martinus Papa cardinalem ſancti Angeli,cum mandatis de concilio Baſileæ celebrando,& de bello repetendo contra Huſſitas. Venit autem hic cardinalis Baſileam,vbi ſenatus auguſtiſſimus & clerus, vrbisq́ue cœlum ſalubre & amœnus ſitus mirum in modum placuerunt. Hoc tempore Sigiſmundus cogit in Germania copias,Italiam ingreditur, in pleriſque locis honorifice excipitur. Quidam quidẽ primo aduenienti reſiſtere conati ſunt, inter quos præcipue fuerunt Florentini,& Eugenius Pontifex,qui ſucceſſerat Martino in concilio Conſtantienſi electo. Sed tandem vbi cognouerunt animum & potentiam Sigiſmundi,vltro ad eum venerunt,& amicitiam pacemq́ue petierunt. Factaq́ue pace cum Eugenio quarto,Romam ingreſſus eſt,magnoq́ue cum honore a populo Romano & a clero eſt exceptus.eſtq́ue Romæ a Pontifice,vt volebat,coronatus. Studuit autem vnice quam plurimis benefacere, & hanc laudem voluit poſt ſe in Italia relinquere. multos Germanorum & Italorum,poſtquam accepit imperialem coronam, ad equeſtris ordinis decus euexit. & reuertendo domum in itinere ciuitatibus priuilegia confirmauit vetera, & noua donauit. vbi venit Mantuam,inſignia imperialia dono dedit Ioanni Franciſco Mantuæ domino,& eum Marchionem appellauit. Præterea in itinere eo multa beneficia contulit in multos. Interea dum in Italia eſt Imperator, congregatur Baſileæ concilium,adſunt Principes vtriuſque ordinis ſecularis & eccleſiaſtici, Principes ex Hiſpania, Gallia, Vngaria,& Germania. Itali ſoli & Pontifex ceſſabant odioſius.Eugenius Papa contra conſtitutionem Martini prędeceſſoris ſui conabatur a Baſilea transferre Bononiam concilij locum: ſed omnes Principes cõcilij iudicarunt,nullum concilio commodiorem Baſilea locum inuenire poſſe, cum propter ingenuos ſenatus ciuiumq́ue animos,tum propter cœli temperiem,vrbisq; amœniſſimæ ſitum,deniq; propter cõmeatus affluentiam. Quare ſemel atq; iterum monent Eugeniũ autoritate concilij ſancta cui ſubiectus ſit,vt Baſileam ſe cũ ſuis cardinalibus cõferat,& addunt minando niſi veniat, ſe enim in eum animaduerſuros

1430

tanquam

tanquam in ſacrarum patrum conſtitutionum præuaricatorem. Quare Eugenius timens repulſam, Baſilienſem ſynodum approbauit, confirmauitq; per apoſtolicas Bullas. Sigiſmundus Imperator in Italia audiens Eugenium periclitari in concilio Baſilienſi, celeritate mirabili volauit Baſileam. neque enim deponi volebat a quo imperialem acceperat coronam. Illo tẽpore miſit literas Imperator ad Boemos (qui ante perpetuo prædicauerant ſe rationem reddere paratos ſuæ fidei, & aliena refellere) vocátque eos ad liberum concilium, ad rationem reddendam doctrinæ & religionis eorum. promittit patres concilij benignis æquisque auribus audituros rationes eorum dogmatum. addit etiam in eiſdem literis quo iure quibusque nominibus ad ſe pertineat regnum Boemicum. Dedit quoque literas totum concilium ad Boemos, in quibus inuitarunt eos ad ſua dogmata propugnanda, & impugnationes eorum audiẽdas. promiſerunt quoque ſub generalis ſynodi fide plenam ſecuritatem & libertatem quæ vellent loquendi, & iter aduentus & reditus ſecurum. Boemi lectis literis concilij & Imperatoris, variarunt ſententiis: alij enim omnino non cenſebant ad concilium mittendos vllos, quoniam nullam ſpem eſſe dicebant pontificios dogma Huſſiticum audituros. item Conſtantiæ fidem a Cæſare datam non ſeruatam Hieronymo & Ioanni, cauſa nondum tam odioſa & exaſperata tot bellis & præliis. Et maior pars in hac ſententia erat. Alij autem iudicabant Baſileam eundum, iam enim concilium & Imperatorem, inquiebant, vel arma Boemica reuerituros, ſi alias fidem non velint ſeruare. Eſſe enim omnino doctrinæ rationem reddendam ſibi, exiſtimabant, qui toties teſtati ſint, ſe paratos cum quibuslibet diſputare de dogmatis ſui veritate, & cuilibet petenti rationem reddere doctrinæ ſuæ. In hac ſententia fuerunt optimatum plurimi, & poſt vtrorumque ſententias bene diſcuſſas, placuit eorum qui mittendos cenſebant quos haberent facundiſſimos, & Huſſiticæ doctrinæ ſcientiſſimos. Decreuerunt ergo ad ſynodum Baſilienſem mittendam honeſtiſſimam legationem. Miſſi ſunt igitur legati cum trecentis equis. Vbi venerunt Baſileam, magnus ciuium & peregrinorum numerus ante portas expectabat, vt viderent Boemos armis inuictos homines, tantam compararant opinionem fortitudinis toties victores. Fuerunt autem ex legatis illis inſigniores, Petrus quidam ex Anglia, qui dialectices preſidia, & ſummam Huſſiticæ doctrinæ cognitionem cum naturali facundia coniunxerat, Ioannes Rochezana presbyter, Nicolaus Galecus presbyter, Guilielmus quidam primæ ex equeſtri ordine nobilitatis, Procopius Raſus multis pugnis clarus. Ii cum paucis quibuſdam aliis poſt aduentum tertio die vocati ſunt ad publicum patrum conſeſſum: quos primus Iulianus cardinalis allocutus eſt manſuetiſſime, & adhortatus eſt ad communem pacem & vnitatem eccleſiæ, matris fidelium, & ſponſæ Chriſti, habentis claues cœlorum, & poteſtatem iudicandi omnes doctrinas, eccleſiæq;, hoc eſt conciliorum ſtatutis non minus credendum quam ſacris biblicis libris, quibus autoritas omnis ab eccleſia, quæ eas approbauit, ſit. horrendum eſſe a matre eccleſia ſeparari. In fine orationis fictis lachrymis obteſtatur, vt redeant. Boemi ex aduerſo placide reſpondent, Se neque concilia neque ſanctorum patrum conſtitutiones cõtemnere, ſed eorum, qui non agantur ſpiritu Dei, decreta cum ſcriptura ſacra repugnantia non velle ſequi. Verum eſſe ſpirituales patres approbaſſe ſcripturam, illisque credendum eſſe: ſed cardinales, qui iactent ſe ſucceſſores eorum, nihil diuini cogitare & ſapere. Sanctorum vero patrum autoritatem apud ſe permanere in eo quo debet loco, id eſt ſummo. neque ſe quicquam auſos hactenus loqui quod non confirmatum ſit autoritate ſanctorum patrum & Chriſti apoſtolorumque. Petebant autem a toto concilio, etiam idiotis audiri ſe defendentes ſuam doctrinam: quam quatuor articulis ſummatim comprehẽdebant, in quibus a Romana eccleſia diſſentiebant. Primo, Euchariſtiæ vſum eſſe legitimum, iuxta Chriſti inſtitutionem, ſub ſpecie vtraque panis & vini. Secundo, In rebus ſecularibus dominari non licere miniſtris eccleſiæ clericis, nec omnino immiſcerier negotiis, quę vocant, ſecularibus. Tertio, omnibus Chriſtianis, hoc eſt Domini ſpiritum habentibus conceſſum a Deo, imo neceſſarium eſſe, vt prædicent verbum Dei, nec morandum carnem & ſanguinem, ſed obſeruãdum quid Dominus in nobis loquatur. Quarto, publica peccata nullo modo ferenda, etiam maiorum malorum cauſa. Hæc contra Romanam eccleſiam defendenda dicebãt ſibi commiſſa a Boemica eccleſia. Iulianus

autem inquit, multa alia de illis dici vulgo quæ pias aures offendant; quale est illud, Mendicantium ordines inuentum & institutum Satanæ esse. Verum esse, asserunt legati, neq; enim nouum Testamentum neque vetus instituisse vsquam mendicos, neque mendicasse prophetas, neque Christum, neque apostolos, propterea sequi, institutos a malo spiritu mendicantium ordines. His de mendicantibus ordinibus respondit cardinalis sancti Angeli, non solum his credendum quæ sint in noui aut veteris Testamenti libris comprehensa, sed ecclesiæ etiam institutiones, esse censendas de nouo Testamento, & quicquid statuit aut approbauit, non minus indubitatæ fidei esse oportere, quam alia quæ in noui Testamenti libris sunt scripta. De quatuor autem iam dictis articulis Romanæ ecclesiæ magistri & Boemorum magistri disputarunt duos totos menses. postremo ita discessum est, vt nostri Boemos, Boemi vero nostros, dicerent victos. Missi sunt etiam in Boemiam ex cõcilio legati, qui de concordia multa tractarunt, sed frustra. Boemi autem eo tempore inter se intestina gerebant bella, quidam enim tyrannidem inter eos exercebant; omniaque per Boemiam multis cædibus implebantur. Quod vbi audiuit Imperator, occasionem non negligendam putauit, quare mittit in Boemiam legatos, qui foueant simultates & inimicitias inter partes, & regni proceribus se adiungant. Nec vanum fuit hoc Sigismundi cõcilium, nam effecerunt apud Boemos, vt conuenerint apud Ratisponam, & Sigismundum regem suum appellant, iurantque illi fidelitatem. nec diu post Boemiam ingressus est, multis tamen prius datis muneribus regni proceribus. Iglarię conuentum habuit in quo multa de pace & de religione egit cum Boemis. aliaque composita sunt multa de demolitis monasteriis & ecclesiis earumque bonis direptis. Postea venit Sigismundus Pragam, reuerenterque exceptus est: eo ad eum veniunt multæ ciuitates & Barones qui illum regem salutant, & solitum iuramentum præstant. Mittunturque Pragam ex Basilienſi synodo legati episcopus Constantiensis, & alij, qui sacerdotes Pragæ consecrent & ecclesias, ritusque in ecclesiis ordinent, atque alia quæ ad sacra necessaria sint, instituant: tamen quatuor, de quibus supra dictum est, articulos mordicus tenebant omnes. Erant quoque quidam qui omnino nolebãt quicquam commercij habere cum pontificiis, & quotidie lacerare non dubitabant ecclesiam Romanam, & illos qui consecrationes ab episcopis catholicis accipiebant, errare dicebant. Sigismundus igitur concessit Hussitis suas ecclesias; Hussitæ vicissim passi sunt Sigismundum suis vti ritibus in religionis negotiis: neque enim discessit a Romana ecclesia, & quod Hussitis permisit, necessitate coactus fecit. Nec tamen vlla quies fuit Sigismundo Pragæ Boemicas turbas componenti, indies enim nouæ doctrinæ autores surgebant, nec vllus fuit, qui non inuenerit adhærentes. Quum autem vni industria, consilio, & prudentia, quibus dotibus multum valuit rex, obstruit os, exoriebantur vnius loco multi, planeque euenit illi quod solet hydræ caput amputanti. Diu vero fatigatus multis huiusmodi monstris, & senio quoque debilitatus Sigismundus in ægritudinem incidit grauem: quæ cum indies ingraueſceret, medicique nullam salutis spem promitterent, vxor eius Barbara magis de regno retinendo, quam marito, solicita, vocat ad se quosdam, dicit illis, regem ex hoc morbo breui moriturum. Quid de regno futurum sit docet, nisi rebus in tempore consulatur, melius autem consuli non posse, quam vt ipsa vidua nubat regi Poloniæ. Proceres, vel potius adulatores, probant reginæ consilium, mulier anus fit noua nupta (saltem in animo) marito, & tali marito, nondum mortuo; oblita filiæ, vxoris ducis Austriæ Alberti. Imperator, hoc vbi cognouit, ad morbum accessit, neque parum ægrotantis animum commouit. neque tamen vir magni animi inops consilij fuit, vocat enim ad se Vngarici regni primi loci proceres, eis pericula enarrat multa post suam mortem futura, & odium Boemorum in se & Vngaros simul ostendit, iubet igitur, vt impositum se ægrotum feretro educant ex Boemia. Sed morbo ex vectione commotioneque irritato diuertitur in Morauiæ ciuitatem Zuomiam, ibi ad eum filia cum marito duce Alberto venit. Barbara vxor ægrotum secuta, Zuomiæ capta custodiæ mancipatur: quique illi a consiliis fuerant, fuga sibi consulunt. Ferunt ipsum Imperatorem iussisse vxorem captiuam teneri. Vbi autem finem adesse sensit, ad se Boemiæ & Vngariæ primores, quibus plurimum fidebat, vocat, commẽdat illis Albertum Austriæ ducem, appellatq; eum successorem regnorum

suorum,

ſuorum, oratque eos vt extremam ſuam voluntatem exequantur. non magis, inquit, ſe fauere genero ſuo, quam ſubiectis populis: futuros enim felices, quibuſcunque Albertus imperaturus ſit. vocat quoque Albertum, eiq; commendat regna, vt non mutet animum hortatur. ſimul docet quo pacto poſt mortem apud intractabiles Boemos teſtamentum promulgandum ſit, & nominat per quos viros promulgari expedit. tanta cura rerum publicarum etiam morienti fuit. His ita magna ratione diſpoſitis, obdormiuit āno ſuæ ætatis 70, regni Vngarici 51, Romani vigeſimo ſeptimo, Boemiæ decimo ſeptimo. Eſt autem corpus in Vngariam perlatum ſepultum magnifice in eccleſia Varadienſi, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-OCTAVVS.

ALbertus dux Auſtriæ poſt mortem ſoceri ſui Sigiſmundi, mittit in Boemiam legatos, quos iuſſerat moriturus Imperator: ipſe interim comparat copias quibus vtatur ad autoritatem magnificentiamq; regiam oſtendendam, &, ſicubi opus eſſet, ad rebelles coercendos. Sequentis autem anni menſe Ianuario Albertus cum ſua vxore Elizabet in Vngariæ Alba Regali, totius regni conſenſu & voluntate, coronatus eſt. In Boemia autem teſtamento, quo hæres regni Boemici Albertus conſtituitur, promulgato, quidā recuſant Albertum, & Caſimirum regis Poloniæ fratrem regem ſalutant Boemorum: ſed illi fuerunt quædam impotens colluuies hominum. Potior autem & maior Boemorum pars Albertum præferūt, regemq; deſignant, in memoria habentes, regum Caroli, Wenceſlai, & Sigiſmundi beneficia erga Boemos, & ſcientes vxorem Alberti, Elizabet, ex Boemis prognatam. nec nihil mouit eos, quod cognouerant Albertum Principem pacis & belli virtutibus incomparabilem, Boemiciq; nominis amantem. Accedebat vero vetus fœdus inter reges Boemiæ & duces Auſtriæ, primorum Boemici regni & ducatus Auſtriæ conſenſu & imperiali autoritate confirmatum, vt domo Auſtriæ carente legitimo maſculo hærede, rex Boemorum ducatum accipiat Auſtriacum; rurſum regno Boemico deficiente hærede maſculino, regni hæres ſit dux Auſtriacus. Aliquid etiam faciebat, quod audiebat quanto cum plauſu & conſenſu Vngari appellaſſent eum regem ſuum & coronaſſent. Vxor Sigiſmundi vidua relicta liberatur poſtquam Albertus eſt rex vtriuſq; regni deſignatus, neque enim quicquam amplius ab illa timendum erat periculi, ſed antequam dimiſſa ſit, dedit Alberto regi arces, quas poſſidebat munitiſſimas, eas enim præfecti, etiam domina capta, nolebant dare. Vitam poſtea turpiſſimam in omni genere luxus duxit mulier inexhauſtæ libidinis. Quod genus mulieres maritos tantiſper ſuos amant dum valent, deſtitutos viribus odiunt peius angue, multæ veneno necauerunt ſuos viros præ amore, ad libidinem incendere conatæ. Hoc genus mulierum eadem hora eundem iam odit, iam perdide amat, furiunt, perpetuo enim bilioſo humore per totum corpus abundante & eas irritante. Quod genus furoris non niſi a phyſico philoſopho deprehenditur. nam vulgus nihil minus putat quam eas furere, ita ſuæ iræ concitatioris animi alias fingunt, quas prætexunt, cauſas. talis fuit illa Barbara. Erant, Alberto incipiente regnare in Vngaria, Budæ magni tumultus & ſeditiones. Conſtabat enim ea ciuitas partim ex Vngaris, partim ex Germanis, erat vtriſque par ius creandi magiſtratus & iudices: conuenerat autem inter eos, vt alternis annis crearent ſummum iudicem. Germani contra hanc conſuetudinem omnibus annis incipiebant creare iudicem Germanum, quod quidam Vngarus, nomine Ioannes Euthneus, qui hunc contemptum & iniuriam grauius quam cæteri, ferebat, & Vngaros contra Germanos excitare conabatur. Hunc ergo Germani clam captum & lapide alligatum in Danubium demerſerunt, poſtea cadauer a piſcatoribus in lucem extractum eſt. quod vbi Vngari viderunt, magna ira commoti impetum in Germanos fece-

runt, & omnia quæ erant Germanorum, diripuerunt. Germani, potiſſimum autores cædis ſuffocati Ioannis, fuga ſibi conſuluerunt. Vt autem ad Baſilienſe concilium re-
1436 deam; Anno Domini 1436, Eugenius Baſilienſe concilium Ferrariam tranſtulit, prætexuitq; facto, quod omnes, qui credebant, non poterant non probare, nempe ad Ferrarienſem ſynodum venturam & Græcorum eccleſiam, Baſileam vſque non velle venire: eſſeque, addebat Eugenius Papa, ſpem magnam vnionis eccleſiarum Græcorum & Romanorum. Propterea, vbi Eugenius certior factus eſt totum Baſilienſe concilium in hoc eſſe, non vt hæc reformẽt eccleſiam, ſed vt deponant Papam contumacem & concilio non audiẽtem, mittit Baſileam legatos, quorum vnus mirabili facunditate vir, epiſcopus Panormitanus: qui vbi Baſileam peruenit, authoritati apoſtolicæ accommodata oratione monet vt ab incepto deſiſtant, deeſſe enim illis autoritatem Pontificiam. eſſeq; concilio Baſilienſi nullam autoritatem, quoniam a Pontifice maximo tranſlatum ſit Ferrariam. Verum qui concilio Baſilienſi intererant Principes ſacerdotum & alij principes, contemptis iis quæ adferebant legati Eugenij, citant per literas Eugenium denuo, vt veniat ad concilium. Eugenio autem Baſileam non veniente, publica generalis concilij ſententia a pontificatu eum depoſuerunt, & ſubſtituerunt alium Pontificem, ſcilicet Felicem quintum, ducem Sabaudiæ, qui ducatus adminiſtratione relicta, vitam ſpiritualem contemplatiuam amplexus erat, veſtitu & tota victus ratione religioſam ducebat vitam. Hic igitur ex eremitica vita ad culmen pontificatus, præter omnem expectationem, vocatus eſt. Sed multi Principes contradixerunt illi, de quibus Æneas Siluius. Eugenius autem Baſilea abrogatus, Ferrariæ celebrat cum ſuis concilium. Cauſa eccleſiaſticæ concordiæ & communis pacis Græci petituri concilium Venetias vſque perueniunt, vbi audientes Eugenij & Baſilienſis concilij diſſenſionem, dum dubitant ad quos ſe conferant potiſſimum, tandem viſum eſt ad propiorem ſynodum Eugenij ire: quanquam Baſilienſe concilium miſerit illis Venetias vſque obuiam legatos, vt ſe Baſileam conferrent. Ex Ferraria autem tranſtulit Eugenius concilium Florentiam, propter peſtem Ferrariæ graſſantem. Florentiam igitur venit Imperator Conſtantinopolitanus cum Patriarcha Græcæ eccleſiæ, & multis eruditis viris, qui cum magiſtris Romanæ eccleſiæ per aliquot mẽſes diſputarunt. Poſt longam diſceptationem, concordarunt, concordiaq; eſt publice promulgata. Aſſerebant Græci Romanam eccleſiam iure diuino non habere primatum. Item negabant purgatorium eſſe poſt hanc vitam. Item celebrant, contra ritum Romanę eccleſiæ, pane fermentato. Vtuntur etiam alia baptizandi forma. habentq; ſacerdotes vxores, barbamq; non tondent. Sacramentum euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie omnibus dant, etiam paruulis, nondum quid ſit, capacibus. & hoc genus plura a Romana eccleſia diſcrepantia habent. Hanc vnionem iactauit Florentina ſynodus aduerſus Baſilienſem. Prædicauerunt item pontificij legatos ex Armenia & India apud ſe fuiſſe Florentiæ in concilio, & a ſe eruditos in catholica fide. ipſosq; agnouiſſe Eugenij Papæ poteſtatem, omniaq; in quibus diſſentirent a Romana eccleſia, ſubieciſſe correctioni ſedis apoſtolicæ. quod an ita ſit, neque negare, neque aſſerere poſſum, certe Baſilienſi cõcilio nonnihil in quibuſdam nationibus conciliauit contemptus inuidiæque. Cæterum quid in Baſilienſi concilio conſtitutum ſit, diligenter eſt in actis, quæ vbique extant, ſcriptum: quam ob rem hic immorandum nobis non ducimus. Poſt Sigiſmundi Imperatoris mortem ſtatim ſine mora Principes electores conuenerunt Francofurdiæ, conſulturi de eligendo Romanorum Imperatore. nullum autem ex omnibus Principibus inuenerunt magis idoneum quam regem Boemiæ, Vngariæque, ducem Auſtriæ, Albertum. Illi enim omnia erant quæ ad Imperatorem bonum pertinẽt, animus erga Rempub. bonus, & multarum rerum peritia, facultasq; qua poterat, & fortitudo animi qua audebat exequi negocia Reipub. neceſſaria. quas ob cauſas hunc potiſſimum elegerunt Imperatorem. Sed oblatum imperium accipere non audebat. Nam Vngaris promiſerat iuramento antequam coronarant illum, quod nollet, ſi forte offerretur imperium, ſine ipſorum conſenſu ſuſcipere. Moti ſunt autem Vngari ad hoc iuramentum exigendum, quod dum Sigiſmundus occupatus in Germania, & Italia aliisq; nationibus fuit, multæ regno pernicioſæ ſeditiones oriebantur, exponebaturq; Vngaria Turcarum furori. Conuocatis igitur regni primoribus Viennam, Albertus expoſuit illis,

Prin-

Principum electorum erga se voluntatem, quibus, inquit, se non ausum simpliciter negare suam operam. Proceres primum consentire non volebant: tandem tamen Principum precibus victi consenserunt, susceptique imperij fasces magna multorum spe & gratulatione Albertus. Interea Boemi qui regis Poloniæ fratrem in regem Boemię elegerant, compararant copias, patrocinante fratri rege Polonorum, qui misit in Boemiam Polonorum equitum circiter duo millia. Tascone igitur duce, hostiliter aggrediuntur eos qui Alberto obtemperabant, & depopulantur eorum agros. Albertus imperat conscribi copias per ducatum Austriæ, Vngariam, & Germaniam, interim opponit suæ partis Boemos hosti. Vbi conuenerunt copiæ Alberti, Poloni, Boemique, aduersarij impares se videntes, ad Thaboritas receperunt se. Quos secutus Albertus Thaboritas obsidet, sed videns inexpugnabiles, nisi longissimo temporis spacio, non iudicans rem tanta temporis iactura dignam, soluit obsidionem, & reducit copias Pragam. Thaboritæ autem frequentibus excursionibus factis, pugnabant cum Alberti militibus varia fortuna. Induciis autem ad tempus factis, domum remissæ sunt Vngarorum & Germanorum copiæ, neque enim vacabat Alberto finem ei bello imponere, propter Turcam qui crudeliter grassabatur in Rascia. obsidenteque Turca Sinderouiam, insignem principatus Rasciæ vrbem, vocatur Albertus: sed vrbs oppressa nimia Turcarum multitudine, capitur antequam possit exercitu coacto auxilium ferre. Occiduntur in ea vrbe omnes qui ad subeundas iumentorum operas non sufficiunt, alij capti in durissimam seruitutem abducuntur. Filius Principis Rasciæ oculis priuatur. Albertus vero vbi cum exercitu maximo maximis impensis collecto, venit, Turca locis non facilibus captu munitis, recedit, omnibus post se longe lateque vastatis, ne Christianorum exercitus sequi deficiente commeatu possit. Turca vero suo exercitu vtitur in aliis locis, nempe in Græcia, quam, celerius præter omnium expectationē veniens, crudelibus modis depopulatus est. Thessalonicam vrbem expugnauit vi, tractauitq; qua solet atrocitate, victos. Thessalonicensibus perditis, Ætoliam & Epirum hostilibus armis adortus, occupauit, nec mitior quam aliis deuictis, illis fuit. Albertus vero cum exercitu suo quantum potuit, secutus Turcas, magnam copiarum partem amisit, dysenteria enim ita peribant, vt milites castra relinquere sint coacti. & ipse Imperator Albertus eodem dysenteriæ morbo, quo milites, vbi Budam venit, correptus est. Cum autē medici suaderent vt cœlū mutaret, & ipse alioqui cuperet esse in Germania, Viennā ægrotans petiturus, postquā peruenit ad Longam villam, quæ est in itinere, morbi violentia victus, obiit diē suum. honorifice in Alba regali sepultus est. Reliquit autem vxotē Elizabet grauidam. Postquā vero Turca audiuit dilapsum Christianorum exercitum in Vngaria, cū exercitu suo reuersus, quæ reliquerat prius in Rascia, perdit. Principes electores post mortem Alberti conueniunt Francofurdiæ, eligiturq; Fridericus tertius, dux Austriæ, Ernesti ducis Austriæ filius, iuuenis adhuc, maximi animi. fuerat autem, antequam Imperator electus sit, Hierosolymæ, magnaq; cum gloria in Germaniam reuersus erat. Omnes boni Principis virtutes videntur in hunc a Deo collatæ fuisse. Erat enim statim a primis annis sobrius omnino, quod rarum consueuit esse in istius loci hominum genere. cupidusq; erat multa cognoscendi: propterea peragrauit adolescens summo iudicio præditus longissimas terras, vt instituta moresq; hominū videret. Humanitate vero & beneuolentia erga suos & omnes mortales qua fuerit, satis testatus est in vita sua, neq; vlla vnquā ætas obliuisci poterit. Qua item pietate cum in religione tum erga suos fuerit, satis ab aliis dictum est. Has autē animi dotes corpus virile, robustum elegantissimumq; exornauit, quemadmodū & corporis præstantiam ornarunt vicissim animi virtutes. Electus Aquisgranū descendit, ibiq; Principibus præsentibus quam plurimis, coronatus est. Porro, vt etiam dicamus quid post mortem Alberti, vxori eius Elizabet, Sigismundi Imperatoris filiæ, acciderit. Cum igitur esset pregnans, vt diximus, conuocauit Vngarici regni primores, & seipsam illis commendauit, partumque, si Dominus Deus eū vellet superstitem. addidisseq; scribitur, omnibus notis & signis iudicari se fœmellā parituram. Quamobrem Vngarici regni proceres de rege cogitant, quoniam propter Turcam differre non erat consilium. Quoniam autē fama apud eos erat, Boemos in regnum suum vocaturos Vladislaum, Lituaniæ ducem, fratrem Polonorum regis. iudicabant autem vtile fore omnibus modis, vt in eo viro Boe-

mia, Polonia, & Vngaria coniungerentur, quo vna viribus collectis Turcicis conatibus possent resistere. Quam ob rem mittũt legationem honestissimam ad Vladislaum, offeruntque illi conditionibus certis regnum Vngariæ. Verum legatis adhuc in itinere existentibus, peperit Elizabet elegantem puellum. Quare Vngari statim alios nuncios mittunt, vt reuocent primos: verum postremo missi veniunt Cracouiæ ad primo missos, qui iam cum Vladislao conuenerant, vt illis commissum erat. nec vllus locus relictus erat mutandi ea quæ cum Vladislao egerant. Vladislaus regnandi cupidus, sine cunctatione copiis delectis, iter in Vngariam arripit, Budæ in regiam ingressus ceu rex honorifice excipitur a multis regni proceribus. Elizabet cum infante puero Ladislao (hoc enim nomen imposuerant) cum amicis Principibus ad Albam Regalem se recepit: neque enim existimauit puerum, regem natum, ab Vladislao tutum. Postea, consulentibus & curantibus amicis consanguineis, imprimis Vlrico comite Ciliæ Albæ Ladislaus puer trium mensium vngitur & coronatur in regem ab episcopo Strigonensi. Aderant & aliquot alij episcopi, & multi proceres Vngariæ. Nomine infantis comes Ciliæ iuramentum, quod Vngari exigunt a suis regibus, præstitit. Elizabet vero mater sciens Vladislaum insidiaturum puero & ibi, suasu quorundam amicorum, ad Imperatorem Fridericum tertium concessit, eique puerum & coronam committit. Fridericus custodiendum tuendumque puerum suscipit. Elizabet reuersa est in Vngariam, ne, quod vulgato prouerbio dicitur, vt ab oculis, ita ex corde Vngaris excideret. Post aduentum reginæ in Vngariam, conuentus magnus omnium Vngariæ Principum Budæ est habitus, in quo Vladislaus cepit aliquot amicorum Ladislai & reginæ præcipuos, coactique sunt iurare in verba Vladislai, eumque, qui nomine pueri arcem Vissegradensem tenebat, coegit sibi dare arcem, in ea arce sperarat se coronam inuenturum, quam Elizabet apud Fridericum Imperatorem deposuerat. Vladislaus postea Albam Regiam profectus, coronatus est magnificentissime. Fuerunt per totam Vngariam intestina bella, aliis Ladislao & reginæ, aliis Vladislao adhærentibus, consecutæque sunt dissensiones illas maximæ calamitates, cædes, vastationes, incendia. Vlricus enim Ciliæ comes omnibus neruis se opposuit Vladislao; item Boemi quidam, pro puero contra Vladislaum, multa & magna egerunt. Ita turbatam & in partes diuisam Vngariam aggreditur Turca, omnemque regionem, quæ est inter flumina Sauũ & Drauum, hostiliter direptam, occupat: cui Ioannes Huniades arcis Namdoralbensis præfectus occurrit, & commisso prælio vincit, magna Turcarum multitudine occisa. Et non diu post hanc pugnam in Transsyluanis regionibus iterum congressus, rursum superauit Huniades Turcas, sed non sine multo Christianorum sanguine. ita autem est Turca victus, vt pene deletus sit exercitus eius; receptaque sunt omnia ab Huniade, quæ Turca occuparat non solum in ea expeditione, sed quibusdam prioribus proximis. Item post eam victoriam Mondauia & Transsyluanæ regiones quædam quæ metu ad Turcam defecerant, redierunt ad regnum Vngariæ, obtemperaruntque regi. Verum Turca post cladem acceptam, reparatis viribus, maximo cum exercitu reuertitur in Transsyluanas regiones, & crudelissime omnia solo æquat, & in cinerem vertit. Ioannes Huniades strenue obuiam procedit, fit prælium ad cuius atrocitatẽ nihil accedere potuisset, magnus numerus sternitur: tandem Turcæ terga dant, vix credibilis multitudo cadit, potitur Huniades ingenti præda & gloria. Multo in maiore honore quam ipse rex post has victorias habebatur Ioannes Huniades, vocabant eum patrem patriæ & seruatorem. Post tertiam victoriam secutus est Turcam, semouitque eum longius, & multas vrbes & castra cepit, quæ sibi seruauit, neque reddidit his qui per ignauiam amiserant. Magnæ interim durabant dissensiones inter Vladislaum & Elizabet, neque Turca hostis eos concordes facere poterat, nisique Dominus per Huniadem seruasset, eos ambos Turca regno eiecisset. Eugenius Pontifex misit in Vngariam legatum apostolicum, cardinalem, ad componendos Vngaros & aduersus Turcam adhortandos. verum dum esset iam pene pax inter eos facta, moritur Elizabet. Postea cardinalis se totum conuertit ad res Turcicas, nam Turca nũciabatur venire cum maioribus copiis quam antea vnquam. nec vanum nuncium erat, ingressus est Vngariam secum ducens supra centum millia armatorum. Sed Huniades, qua antea semper, vtebatur virtute & fortuna aduersus Turcam (insigni enim prælio vicit eos) quæ non parua erat. suntque in ea pugna tri-

trigintà millia Turcarum (si Vngaris credimus) occisa. Habebant autem in eo prælio Germanos milites plurimos auxiliares. Tot infelicibus pręliis victus Turca, putauit bella differenda in his locis cum Christianis in aliud tempus (sperauit enim fortunam mutaturam faciem aliquando) quare caduceatores mittit ad Vladislaum de conditionibus pacis. Vladislaus totiusque regni proceres inconstantiam fortunæ non ignorantes, & quanta hostis polleret potentia, pacis conditiones amplectuntur. Fiunt ad decennium induciæ, repugnante cardinali nuncio apostolico. Eugenius permoleste tulit hanc cum Turca pacem Vladislai, scribitque ad legatum suum in Vngariam, & ad Vladislaum regem, induciarum fidem non seruandam hosti religionis, quæ essent Pontifice maximo nesciente & non consentiente factæ. quare præcipit autoritate apostolicæ sedis Romanæ, vt nulla inducarum habita ratione, bellum contra Turcam reparent, iuramenta quibus pax erat confirmata, remittit. Vladislaus rex Vngariæ acquieuit autoritati pontificiæ, petit auxilia a Christianis Principibus, mittit nemo, excepto Philippo Burgundiæ duce, qui belli socium se præbuit mari & terra. Vladislaus ergo, collectis quam potuit fieri, maximis copiis, Turcã inuadit: Turca vehementer succensus ira ob inducarum fidem non seruatam, celeriter per Asiam conscriptis copiis occurrit nostris. Cumque non procul abesset Turca, censuit cardinalis omnino loca quæ illic erant commodissima occupanda, & rex cum cardinali sentiebat. Verum Huniades (cui in exercitu, propter superiores frequentes victorias, maxima erat autoritas; in huncque vnum respiciebant omnes) non cedendum omnino hosti censuit, ne adderentur hostibus animi; nostris vero adimerentur, fore enim speciem quandam fugę, inquit, si deflectant a recta in montes, timorisque signum non obscurum. se Turcas sæpe vicisse minori apparatu bellico & copiis exiguis. nihil ergo timendum præsente legato apostolico, & rege ipso Vladislao, & tot viris Principibus. Huniadem omnes audiunt, hostibus venientibus obuiam eunt. Ecce conspicitur Turcicus exercitus longe maior quam fama prænunciarat. Intelligens Vladislaus territum Huniadem, exprobrat iactationem & arrogantiam qua noluerat opportuniora occupare loca, cumque acies instruenda erat & milites adhortandi ad virtutem in prælio præstandam, rex exprobrabat Huniadi temeritatem inconsultam. Et Huniades regem iubet fugere, instruxere tamen aciem vtcunque. Turcarum Imperator ascendit cum corporis sui custodibus in collem qui prope erat, vt bene perspiceret copiarũ nostrarum ordines & numerum. vbi satis perspexit, dat pugnæ committendæ signum, primo impetu nostri superiores Turcas cedere cogunt retro: quod Imperator Turcarum animaduertit, territus est, fugere putans suos, fugamque arrepturum vix retinuerunt qui apud Turcas proximo Imperatori sunt Principes. Pugnarunt ergo vtrinq; magna pertinacia & contentione, cecidereq; plurimi & Turcarum & nostrorum: tandem tamen nostri fatigati a nimia multitudine Turcarum vincuntur, & in fuga plurimi trucidantur. Ferunt Huniadem cum decem millibus fugisse, cum primum conspexit nutare nostrorum aciem, & adhuc dubio Marte. Vladislaus vero pertinacius pugnando trucidatus est. Turcæ acceptum caput Vladislai hastæ affixum secum retulerunt domum, & passim triumphantes ostentauerunt, & linguam hanc periurij pœnas dedisse clamabant. Multi proceres regni, & aliquot episcopi occisi sunt. Legatus apostolicus cardinalis, in prælio seruatus, sed fugiens, incidit in manus latronum qui eum nouerunt, putaruntq; pecuniam habere, & propterea occiderunt, abducto equo, & exutum vestimentis nudum cadauer in via reliquere. Huniades fugiens incidit in manus Desporæ Principis Seruiæ, cuius quædam oppida habebat, quare captũ coegit ea reddere. Hæc scriptorem Vngaricum paulo aliter habere non sum nescius: verum non libenter sequor hominem, vbi ab aliis diuersa audio. Multo plures Turcarum in hoc infaustissimo prælio occisos scribunt. Et Turca victor, propter multitudinem suorum amissam, post victoriam tristior, causam tristitiæ rogatus respondit, Se talem victoriam hostibus optare, neque se cupere hoc modo sæpe vincere, vbi plus damni ad victorem quam ad victum redeat. fuitque ita extenuatus & debilitatus, vt reliquiæ copiarum domum reducendæ illi fuerint. Vt autem redeam ad Ladislaum filium Posthumum Alberti, electi Imperatoris, pauca sunt dicenda de Boemis. Post mortem Alberti in Boemia fuerunt magnę dissensiones, aliis alium regem volentibus. Postquam audiuerunt,

natum ex Elizabet puerum Ladiſlaum, mittunt Boemi legatos qui nuncient illi, Boemos ſtatuiſſe diem eligendi regem, ad eum vt veniat, aut ſaltem ſuos legatos mittat. Regina mittit ſuos legatos Pragam, conuenit totum Boemicum regnum, variant ſententiis in rege eligendo. Sunt qui volunt Ladiſlaum, ſed maior pars contradicit, in puero infante neminem poſſe ſcire ad quæ aptus ſit futurus. nec patris animum ſolere transfundi in fœtum, ſæpe bonos ex malis, ex bonisque malos genitos: quare ſatis eſſe cenſent, ſi eligatur poſt viginti quatuor aut ſex annos, quum maturos edat fructus ex quibus cognoſci poſſit. Hæc, quæ ſic ſentit pars, ducem Bauariæ Albertum eligit, & legatos in Bauariam mittit, qui offerunt illi regnum. Sed aduerſa pars quæ Ladiſlaum volebat, etiam mittit legatos ad Fridericum electum Imperatorem, admonentes & docentes eum quid Boemi de futuro rege decreuerint. Fridericus ſtatim mittit ad ducem Bauariæ, & monet eum ne regnum alienum, ſuſcipiat, nam pertinere ad Ladiſlaum filium Alberti. Hi Friderici legati præuenere legationem Boemorum, vt ſemper expedite magis & celerius fieri poteſt quod vnius autoritate agitur, quam quod multorum calculo fit, præcipue cum diſſentiunt illi multi. Vbi ergo primores Boemorum ad Albertum ducem perueniunt, & exponunt illi multis Boemorum voluntatem & beneuolentiam erga eum, & regnum liberalibus conditionibus offerunt. Albertus reſpondet, agens primo gratias, Albertum piæ memoriæ vita defunctum reliquiſſe filium ad quem iure pertineat regnum, ſe vix gubernare poſſe quæ iure poſſideat, nullam conſtantem fortunam in eiuſmodi regnis eſſe ſolere. quare diligenter eos ad fidem puero ſuo præſtandam adhortatur, ſi velint tranquillum regni ſtatum. Vbi ad ſuos retulerunt hoc ducis Bauariæ reſponſum legati, alius dies dicitur: in eo conuentu, poſt multam controuerſiam, placuit ſententia eorum, qui ad Fridericum mittendam cenſebant legationem, petentem, vt ipſe nomine pueri, tanquam tutor, regnum accipiat. Legati ad Fridericum veniunt, mandata primorum regni conſentientium exponunt, erant etiam ex legatis, qui ſuaſerunt Imperatori, vt ſuo nomine, non pueri, regnum acciperet: nam bono titulo poſſe, nempe ex fœdere Boemiæ & domus Auſtriæ, de quo ſupra. Sed Imperator Fridericus reſpondet, ſe non vſurpaturum ſibi cuiuſquam pupilli, cuius tutor ſit, hæreditatem: nec etiam ſibi vacare tutoris nomine regnum adminiſtrare. Iubet eos magiſtratus eligere, donec ætas pueri matura regno reddatur, ſibi interim ſtudio magno fore, vt puer educetur, ita vt vtilis regno eſſe poſſit aliquando, neque in hac tutela ſe aliud quærere quam publica ſubditorum commoda. Boemi conſilium Imperatoris ſequuntur, eligunt ſummos regni magiſtratus: ſed impatiens conſortis regnandi libido turbat totum regnum, de quibus rebus Boemorum iam nihil dico. Fridericus autem puerum Ladiſlaum, vt erat vir timens Deum, diligenter ſanctaque induſtria curauit. Poſt cladem autem illam, de qua iam dixi, Vngarorum & occiſum Vladiſlaum, conuenerunt Vngariæ proceres, vt conſulerent regno in tantis difficultatibus conſtituto, & primum opus eſſe alio rege iudicabant, aliis autem alium nominantibus, ſuperat tamen eorum ſententia, qui exiſtimabant Ladiſlaum eligendum, & in regnum vocandum, quam ob rem maioris partis ſuffragiis Ladiſlaus puer eſt electus Vngariæ rex. Poſt electionem ſtatim miſerunt legatos ad Fridericum Imperatorem, qui eum certiorem de electis placito redderent, & vt in Vngariam puerum adducerent ſecum. Fridericus non ignarus, Vngari quid timerent ſi alium eligerent regem, Ladiſlao hærede regni viuo, nihilque boni ſuſpicatus, reſpondet, neque oportuiſſe eligi, neque coronari Ladiſlaum, ad quem regnum Vngariæ hæreditario iure pertineat, & qui iam antea coronatus ſit. Quare ſi Vngari tandem ſuum regem, quem Deus & ius gentium eis dederit, agnoſcant, recte eos facere, & optare eis hunc animum perpetuo manere. Cæterum puerum regni gubernationi nondum per ætatem habilem, opusque eſſe illi tutore, neque ſe ſcire cuius tutela illi vtilior eſſe poſſit, quã eius cui genitrix eum tradiderit, ſe ſuſcepiſſe curam pueri, curaturum ita vt vellet ſuos liberos poſt mortem curari. in ſumma, iubet eos expectare, donec adoleſcat puer, & pollicetur ſe nihil omiſſurum in curatione ſiue animi, ſiue corporis, quod ad bonum Principem inſtituendum faciat. Vngari, vbi hoc acceperunt reſponſum, iraſci, iterum admonere per legatos vt Vngaris ſuum regem mittat, ne cogantur vi repetere. Imperator nihil aliud quam primum reſpondet Vngaris. Vngari

gari ducem belli eligere, copias cogere, Auſtriam hoſtiliter inuadere, agros vaſtare. Sed vbi primum audiuerunt, arma Imperatorem parare, redeunt vnde venerant. Poſtea duce Huniade Turcæ obuiam ducunt exercitum, ſed infeliciter pugnarunt. Iſtis ferme temporibus, exortum eſt bellum Tigurinis cum Heluetiis confœderatis, cauſam hanc accipio fuiſſe: Tigurini aliis Heluetiis confœderati, fœdus nouum fecerant cum duce Auſtriæ, ſaluo tamen fœdere, quod cum confœderatis Heluetiis habebant. Confœderati vero Heluetij iniquo ferebant animo, initum fœdus Tigurinorum cum duce Auſtriæ: quare monent eos vt renuncient nouæ confœderationi. Tigurini reſpondebant ſe contra primam primi fœderis fidem non feciſſe. nec enim prohibitum in conditionibus Heluetici fœderis, alia fœdera cum aliis facere, modo non ſint contra confœderatos Heluetios. Paratos, inquiebant, ſe eſſe coram quouis iudice reſpondere. Suitenſes nihil aliud exigebant quam vt renunciarent fœderi cum duce Auſtriæ inito. quod cum negarent Tigurini ſe ſalua fide facere poſſe, arripiunt arma & agrum Tigurinum omnes exceptis Bernenſibus & Solodurenſibus hoſtiliter inuadunt, & omnia vaſtant diripiuntque: cum veniſſent Suitenſes vſque ad vrbem, Tigurini procedunt eis obuiam habentes coniunctas auxiliares Auſtriacas copias. Confœderati circiter quadringentos viros cum ſigno rubeo, quod erat Tigurinorum & Auſtriacorum ſignum, præmiſerunt qui Tigurinis in ipſa turba inſtruendæ aciei commixti, fugam facerent. Congrediuntur igitur, commiſſo prælio iuxta habitationem leproſorum, pugnam fortiter vtrique incipiunt, ſed Auſtriaci & Tigurini turbantur ab iis qui in habitu amicorum venerant. fugiunt enim, quos ſecuti ſunt alij, & in ipſa fuga, multos cædunt. Habebant enim illi alia præter crucem rubeam ſigna quibus ſe inuicem a Tigurinis & Auſtriacis diſcernebant, ſed quæ nemo animaduertere potuit, niſi cui erant indicata. qui plura de hoc prælio & bella cognoſcere cupit, inueniet multa apud Æneam Siluium, qui an omnia vera nec ne ſcripſerit, iudicent alij. Hoc tempore magna cum Vngaris bella geſſit Turca Amurates. Hoc tempore bombardæ a Germanis ſunt inuentæ, breuiq́ue poſt etiam eſt ars illa libros ſtanneis typis imprimendi inuenta, diuinum plane inuentum. Moguntię autem autoribus Germanis cœpit ab admodum paruis exordiis, ſed breui, vt videmus, creuit induſtria humani ingenij in eam perfectionem: duobus a Germanis inuentis illis quantum debeat hominum genus, pauci vident, nec a quoquã, quod ſciam, ſatis prædicatum, cum nihil ſit tam fere paruum quod non inuenerit aliquem qui celebrarit. Relinquo aliis cogitandum, quod actum fuiſſet de omnibus bonis ſtudiis his nouiſſimis temporibus, quibus omnes ventrem curãt, & inexhauſta habendi cupiditate ducuntur, vix enim in viis optimos libros, quos olim magna pecunia vix comparari poterant, tollunt. Cumq́ue inceperint abiici & negligi boni autores, antequam cœpta ſit hæc ars, niſi fuiſſet in tempore inuenta, periiſſent omnes autores & diſciplinæ cum autoribus. hoc aliis, vt dixi, cogitandum & commemorandum relinquo. quemadmodum & quam neceſſarius bombardarum vſus ſit hoc poſtremo tempore, qui videtur omnibus prima ſpecie miſeris mortalibus perniciosiſſimus: ſed non re vera ita habet, nam, propter auaritiam & malitiam, extinctámque caritatem, in fine mundi malorum turba legibus coerceri non potuiſſet, nemo poſſet tuto iter facere vel miliare. Inceperant enim paulo ante bombardarum inuentum, facinoroſorum hominũ cœtus magnæ factiones per ſeditionem multis locis bonorum labores diripere & perdere. & quis potuiſſet illas prædonum & latronum arces ex montibus deiicere, quæ noſtra memoria ſunt ope bombardarum deiectæ? quare noſtrum plurimi damnamus inuentorem & inuentũ bombardarum, qui forte non viueremus, nec patres noſtri vixiſſent? certe hic ſtatus rerum non eſſet; tam potentes & opulentæ vrbes non eſſent, neque enim mercaturam exercere potuiſſent negociatores, qui præcipua pars ſunt ciuitatum potentum & magnarum. quare Dei dona deſinat contemnere, niſi quis diductum os canis & dentes ad mordendũ factos damnandos putat, niſiq́ue quis cornua in boue non bonum creatoris opus exiſtimat. At nemo ſanus damnat vſum hoc genus partium animantibus a natura datum loco armorum. Malos quidem optaremus & nos carere conſilio, bombardis, & aliis facultatibus, donis Dei, vt bouem canemq́ue rabie correptum vellemus non habere cornua & dentes. & quæ eſt creatura qua non abutantur mali? aut omnia quæ Deus ad defenſio-

nem hominis docuit, damnes oportet, aut bombardis in eorum numero locum concedes, &c. Sed præter propositum hæc. Cæterum si Dominus annuerit, seorsum proprio de bombardis dicato libello scribemus, nunc ad institutum. Fridericus electus Imperator istis temporibus omni studio & industria in componendis per Romanam ecclesiam Principibus, vt vna iunctis aliquando armis vnanimiter susciperent expeditionẽ in Turcam. Circa hæc tempora Delphinus, magnis copiis per Gallias & Brittaniam contractis, ingressus est Germaniam, præcedebant de eius proposito varij & diuersi rumores. Ferebant quidam venisse contra confœderatos Heluetiorum, imperiumq; totum quoque arma sumpturum quam primum Delphinus aggrederetur eos. Erat etiam fama, propterea primum coactos vt disturbarent concilium Basilienſe, Eugenium Papam magnam summam pecuniæ in eam rem expendisse. nec deerant qui dicebant ipsum venire vt reciperet omnia quæ ad Galliam pertinebant, vsque ad Rhenum, obsessurumque Argentinam, & alias ciuitates in ea Rheni ripa. & hoc probabile erat, & propterea muniebant se vrbes, militesque ad se accipiebant. Vbi venit Delphinus in Alsatiam, egit cum iis nõ omnino hostiliter, ne statim in se commoueret omnes Principes & ciuitates earum regionum. fecitque fœdus cum iis magistratibus & nobilibus, qui Alsatiam gubernant, vt in hyberna acciperet viginti quinque millia militum, nam constituerat illic hyemare, maiora enim in animo habebat, quam vt vna æstate confici posse speraret. Vbi ad Basileam vrbem venit, loca castris idonea circumspicere, & parare omnia quæ ad obsidendam vrbem videbantur factura. Illic demum conuenisse, aiunt, omnes Delphini copias. Basilienſibus autem ære conductos Heluetij milites miserunt. quos vbi appropinquare vrbi certior factus est Delphinus, opposuit se illis, ne possent vrbem ingredi, parua admodum manus Heluetiorum ab aduersa Birsæ fluminis ripa, prope pagum Mutis, muniuerunt in colle castra, quorum hodie euidentes videntur fossæ. dum autem senatus Basiliẽsis deliberat, qua via & ratione in vrbem inducere possent expectatum præsidium, & iam nuncium destinarent ad eos, qui ab altera ripa Rheni ascenderet, tranaretque deinde vbi Birsa Rhenum paulo supra vrbem influit, & latens per saliceta, quæ dẽsiora sunt in ea Birsæ ripa, peruenire ad præsidium missos milites, Heluetiorum nimium audax iuuentus non expectato ex vrbe nuncio & consilio, statuit perrumpere densissimas Armeniacorum (sic enim nominabantur) copias. Impetu igitur facto ex castrorum edentiore loco in hostes, magnam Armeniacorum multitudinem trucidant, & hostibus cedentibus & cadentibus vno pugnæ impetu ex castris & per ripam alteram Birsæ decurrunt, per alteram ascendunt: vbi vero venerunt in æquam illam planitiem campi, qui est inter vrbem & hospitale leprosorum, quod ad sanctum Iacobum vocant, maiorem exercitus aciem oppositam habẽt, adhuc integram, nec dubitant Heluetij, quanquam fatigati, & in illam aciem irruere, nec prius cædere desinunt quam omnes ceciderint, & dissiparint omnes hostiũ acies. Itaque recte dicuntur ab Ænea Siluio, qui tum Basileæ erat, non tam victi quam vincendo fatigati Heluetij (qui eodem tempore Rapersuil, Turegum, & Varsperg arcem obsederunt) præsidium mille quingentorum armatorum. vnum ex Heluetiis (qui in prima coitione manserat inter salices, impeditus nescio qua causa, ignauiæ ne & timoris, an corporis aliqua noxa) euasisse audio; tamen etiam vbi domum venit, de eo, ceu desertore, capitis supplicium sumptum. Nullum autem Heluetiorum in ea pugna cæsum tradunt, qui non secum (si numerus occisorum ad calculum reducatur) rapuerit hostium septem aut octo. Circiter decem horas durauit prælium. Hoc factum Heluetiorum omni memoria dignum ita confirmauit Delphinum (neq; enim fere vllos reliquos integros vtilesq; ad pugnam habebat, præter eos quos portis vrbis opposuerat, ne eruptionẽ facerent ciues) vt nihil amplius de vrbe capienda cogitaret, sed de reditu. ad infirmiora igitur inter Basileã & Alsatiã conuersus, depopulatus est omnes agros, mox deinde in Alsatiam reuersus quæ antea in vsum hybernorum seruarat, omnia diripit & vastat, nulla priorum conuentionum ratione habita. Mittũt autem Basilienses ad Delphinum legatos, & ipse rex Romanorum suos mittit, causas aduentus tam hostilis rogant, iubent quam primum abeat, alioqui Germaniam totã in armis futuram, nec fore contentã hostẽ repellere, at secuturam, seq; vlturam, nec enim hactenus vllũ impune Germaniam lacessisse. His nũciis & clade accepta ab Heluetiis inductus, reduxit vnde

vene-

venerat, copias, Montiſpeligardi arcem & oppidum bona fide reddidit, nã aduenienti certis quibuſdam conditionibus tradita illi erãt ad tempus certum, vſui enim maximo eſſe poterat illi gerenti bellum in Germania. Hoc tempore miſit legatos ſuos Eugenius in Germaniam ad Principes de concordia eccleſię agentes, multisq; locis ob eam rem ſunt conuentus Principum habiti, Norinbergæ prima comitia habita ſunt, illic pauci ſunt inuenti qui non conſentirent concilio Baſilienſi contra Eugenium. nec in ſecundis comitiis Francofurdiæ celebratis multi ſunt inuenti qui cõtra Baſilienſe concilium Eugenio obedire voluerint. Tertio vero conuenerunt in Oſchofenburgo, vbi pauci quidam inuenti ſunt qui nomina ſua Eugenio dederunt aduerſus concilium Baſilienſe. Cæterum quædam maximi momenti & difficilia poſtularũt Germaniæ Principes ab Eugenio, quæ ſi faceret, promittebant ſe illi obtemperaturos. Quod vbi intellexit Fridericus Imperator, defendit Eugenij partes, iniquum, inquiens, tam graue a ſummo Pontifice exigere, quantumuis enim æquum videbatur Principibus aliis, tamen ob pontificatus dignitatem, & religionis obſeruantiam non exigendum iudicabat Fridericus ab apoſtolico. Et plane ſi Fridericus in his conuentibus acceſſiſſet Papæ in concilio Baſilienſi creato, Felici Sabaudienſi, actum in Germania de Eugenio fuiſſet. Hoc tempore Philippus Maria, Mediolanenſis dux, moritur ſine legitimo hærede: multis igitur principatum eum affectantibus, inter quos fuit & Imperator Fridericus, qui ad ſe pertinere ducatum, duce ſiue legitimo hærede vita defuncto, contendebat. Senatus vero omnes excluſit, libertatemq; aſſerere priſtinam ſtatuit, quam olim ea ciuitas habuit; nulliq; quicquam obnoxij volebant eſſe: Imperatori tamen quotannis promittebant poculum non vulgaris ponderis ex puro puto auro. volebant autem poculum dare, non pecuniam, quo donum, non tributum videretur. Sed principatus Mediolanenſis, interea dum hi contendebant, multorum prædæ exponebatur. Ludouicus enim dux Sabaudiæ præter multa alia Confluentiam & Valentiam occupauit; Veneti Placentiam, Laudam, Cremamq; ceperunt; Franciſcus Sphortia vbi animaduertit, ita quoſlibet quiduis de ducatu rapere, putauit ſibi magis licere, quam cæteris, nam gener erat mortui ducis Philippi, quam ob cauſam, Cremonam occupauit, mox Papiam, ciuibus eum vltro vocantibus, accepit in fidem. Qui poſtea eſt etiam dux a Mediolanenſi ſenatu electus contra occupatores ducatus, præcipue contra Venetos: beneq; illi ſucceſſere conatus, reſtituitq; ducatum in priſtinum locum. Papa Baſileæ electus Felix, impulſu & hortatu Friderici Imperatoris miſit legatos procuratores ſuos ad Nicolaum quintum (hic eſt ille pontifex qui tot philoſophos fouit, ſuisq; impenſis curauit Græcos autores in latinam linguam transferri, & bonos autores reſtitui) per eos ſe abdicauit põtificatu, ſed ea lege: vt legatus in Sabaudia (cuius, vt dictum, dux fuerat) & in Germania cardinalisq; maneret; atque etiam ratum eſſet quicquid hactenus ille fecerat; manerentq; omnes prælati ei adhærentes in ſuis dignitatibus & locis. Nicolaus conditiones lubens accepit, & ſi grauiores fuiſſent, vt erat vir facilis, religioni & muſis deditus, conſenſiſſet propter eccleſiæ communem pacem. Poſt hanc Pontificum concordiam, comitia Imperator Fridericus, præſentibus omnibus ſeculatibus & eccleſiaſticis Principibus, celebrauit Oſchofenburgi: & illic omnes vnanimiter agnouerunt Nicolaum quintum pro vero ſummo Pontifice, edictumq; publicauit Fridericus ſuper ea re per totum imperium, vt omnes haberent Nicolaum pro indubitato Papa. Nemo vero tam duræ ceruicis, tamq; temerario rebellis eſt inuentus, qui contradixerit, præſertim cum Pontifices ambo concordarent. Facile boni bonis iunguntur. niſi enim vterque Pontifex bonus fuiſſet vir, non ita coniungi potuiſſent, videbatur enim difficillimum, nam habebat Felix totum concilium Baſilienſe a ſua parte, neque dici poteſt, quod deſperarit rebus ſuis, magnis enim potentibusq; amicis inuitis, renunciauit pontificatum. Fuit enim vir pius minimeq; ambitioſus, quod ſatis declarauit antea, relictis enim mundi curis, florentiſſimo ducatu, ſe ad vitam contemplatiuam totum tradiderat. Nicolaus etiam, propter maiorem vnitatem eccleſiæ, acta Baſilienſis concilij approbauit, ſicut in actis extant eius literæ, quæ promulgatæ ſunt anno Domini 1449 in menſe Iulio. Illa concordia 1449
Pontificum gratiſſima fuit omnibus bonis per Romanam eccleſiam, eratq; ſpes magna, eccleſia vnanimi prælatos ſua religioniſve autoritate pacem inter omnes Princi-

pes facturos, vt aliquando coniunctis viribus contra religionis ecclesiæque Christianæ hostes vna omnes expeditionem susciperent, non solum ad recuperãda proxima quæ Turca inuaserat & occuparat, sed etiam ad recipiendum Hierosolymitanum regnum. Conabanturque quidam ecclesiarum prælati, bono zelo ducti, pacem inter omnes principes facere, quidamque satis modeste pieque obedientes & paratos se ostendebant, pollicentes sua priuata posthabituros communibus commodis ecclesiæ Christi. Sed potentiorum multi aut cupiditati imperãdi, & priuatarum rerum studio, nimium dediti, aut deliciantes mollitiores, obturabant aures, quasi ea res nihil ad se attineret. Ob has causas passim bella exoriebantur. Carolus rex Galliarum cum Anglis gessit bellum graue, & totam per vim armorum Nortmaniam occupauit, & Aquitaniam subiugauit, anno proximo post Nortmaniam captam; consumpseruntque illi inter se se vires suas, quibus Turca erat debellandus. Alij quidam Principes nuptiis celebrandis & spectaculis erant intenti, vt non vacaret de Turca cogitare. Eodem tempore,
1499 nempe anno Domini millesimo quadringentisimo nonagesimo nono, fuit graue sanguinolentumque bellum inter Vlricum comitem Wirtenbergensem, socio Alberto Marchione Brandenburgensi, & ciuitates imperiales. Erant plurimæ ciuitates eo tempore sociæ belli, quædam enim, quæ non aperte se Principum hostes profitebantur, clam tamen iuuabant alias vel consilio, vel pecunia, vel milite, similiter & Principibus adhærebant alij Principes multi, quidam palam, quidam occulte. In multis locis bellum erat hoc per Germaniam, nec habebat bellum, vt alias consueuit fieri, vsquam propriam sedem. Vlricus Wirtenbergensium comes plurimum negocij fecit vicinis comitatui suo ciuitatibus, nec semel neque vno loco, nec simili fortuna pugnauit cum eis: sæpius tamen victorem, quam victum fuisse accipimus. Erat videre incendiis exustas villas & pagos, arces demolitas, vastatos agros, rusticos occisos, attritas segetes, lugentes viduas & orphanos. Albertus dux scribitur nouies pugnasse cum Norinbergensibus, & fere semper victor, præter quam in nono vltimo prælio, in quo recuperarunt omnem suam laudem prudentiæ & fortitudinis, quæ passa erat in prioribus bellis non paruam iacturam. Durauit hoc bellum Germaniæ exitiale duos perpetuos annos, nec potuit componi, donec partium facultates ita attritæ fuerunt, vt amplius ducere bellum non possent. Post nouissimum prælium non procul ab Eslingen, quo ciuitates non satis prospere pugnarunt, facta est pax inter ciuitates & prædictos Principes. Partesque cum aliis Germaniæ primoribus & ciuitatibus paratunt se ad expeditionem cum Friderico Imperatore in Italiam. Nam Imperator pacem eam propterea studiosius fecit, parauit enim selectissimas magnasq; copias per Germaniam Fridericus profecturus in Italiam, habuitque promptos & paratos omnes Germanos: nemo enim non amabat, ob singulares boni Principis dotes, eum.

DE GERMANIS
LIBER VIGESIMVS-NONVS.

REbus in Germania, vt temporum conditio ferebat, compositis, & contractis copiis, Fridericus Romam petiturus, primo profectus est ad oppidum sancti Viti, ibi disposuit quæ reliqua erant, mox prosecutus est iter in oppidum Villacum, illuc ad eum venerunt Boemorum & Vngarorum procerum quam plurimi, qui omnes se offerebant ad susceptam expeditionem, cupiebant enim gratificari potentissimo & optimo Principi, qui secum eorum regem ducebat Ladislaum. Collecti igitur Germani, Boemi, & Vngari sequebantur Cæsarem,
1452 Ianuarioque anni 1452 splendidissime intrauerunt Italiam. Vbi venit autem Cæsar in regiones Venetorum, obuios habuit honestissimam Venetorum legationem, quæ, nomine augustissimi Venetorũ senatus, reuerẽter excepit Fridericum, aduentuiq; amice gratulata, comitataq; ipsum per omnes Venetorũ vrbes, victũ sine omni precio splẽdide

de miniſtrauit. obuiamque venerunt & aliæ innumeræ legationes, gratiam, pacem & amicitiam petentes, & munera obſequiumq; offerentes. Per aliam viam, nempe vallem Tridentinam multæ ad vtramque ripam Rheni ciuitates & Principes eccleſiaſtici & ſeculares, multæ item Sueuiæ ciuitates nobiles venerunt Ferrariam, ibiq; expectato Imperatori ſe coniunxerunt, vt gratum erga optimum Principem animum declararent. Ferrariæ igitur ſigna ſingulorum Principum & ciuitatum, qui ad augendam gloriam eius conuenerant, ordine maxima cum voluptate inſpexit Imperator. illinc cum omni exercitu diſcedens venit Bononiã. quanquã enim dux Mediolanenſis F. Sphortia amiciſſime inuitaret eum Mediolanum ad accipiendum ex cõſuetudine coronam illam ferream: tamen recuſauit, maluit enim eam Romæ accipere. Bononiæ vero obuius venit legatus pontificius, qui nomine Papæ excepit Imperatorem magna cum reuerentia & honore. Bononiam relinquens per iuga Apennini montis Florentiam venit, illic ex ordine tota ciuitas ſe illi obuiã effudit, magiſtratus vrbis, clerus & deinceps archiepiſcopus; magnificẽtiſſime eſt illic tractatus. Venit deinde Senas, illuc ad Imperatorem venit virgo forma omnibus numeris abſoluta, quæ illi deſponſata erat, Leonora nomine, filia regis Aragonum, nata circiter annos ſedecim. Fridericus cum præcipuis amicis extra vrbis portas occurrit in amplexus obuiam ſponſæ. Senenſes nihil omittunt quod ad reuerentiam, honorem, & magnificentiam facere mortales poſſunt. Illinc Romam eunti occurrunt ex vrbe alij epiſcopi & cardinales, qui eum duxerunt in quendam excelſum collem, ex quo totam vrbem ſitumq; eius videre potuit, ex quo ad vrbem deſcendenti veniunt in occurſum totus clerus, epiſcopi & cardinales, ſenatus populusq; Romanus ordine. Antequam autem in vrbem ingreſſus eſt, in æquam ante vrbem planitiem effuſa eſt vniuerſa ciuitas ad ſpectandum ſplendidiſſimas Germanorum, Vngarorum, Boemorum, & Italorum (nam multæ per Italiam ciuitates & Principes comitabantur eum) copias, conuenerant enim in eo æquore omnes. Illic ſecundum nationes, Principes, & ciuitates, omnia ſigna ordine ibant. ordines copiarum omnium regebat viasq; illis demonſtrabat Albertus dux Auſtriæ, frater Germanus Imperatoris. gladius nudus præfertur Imperatori; feruntur illi obuiam ſanctorũ reliquiæ in receptaculis argenteis, aureis & gemmatis, cum omni genere inſtrumentorum muſicorum, & admirãda vocum varietate. ita Fridericus ſub aureo panno ductus ad gradus vſque Baſilicæ S. Petri ad Nicolaum Pontificem ſedentem in ſede ex ebore & auro facta, cardinalibus circumſtantibus. Pontifex ceu pater filium blandiſſimis verbis excipit Imperatorem, aduentumque gratulatur. Cæſar exoſculatur primum ſanctiſs. Pontificis pedes, deinde ponderoſam puri puti auri maſſam non leuis ponderis offert. Exoſculantur etiam deinceps Papæ pedes noua nupta Leonora, Ladiſlaus rex, Albertus frater Cæſaris. Poſtea ad lautiſſime & magnificentiſſime paratũ hoſpitium & conuiuium ductus eſt. Poſtridie Fridericus eſt vnctus & coronatus cum ſua vxore Leonora in eccleſia beati Petri ab ipſo Pontifice in regem Longobardorum. Accepta hac corona, rurſus poſtridie ductus eſt, ad ſummum altare beati Petri, in alto illic loco ſedente Pontifice, iuſſus eſt ſedere cum ſponſa ſua Fridericus in ſede alta & materiæ & artis præſtantiſs. Ibi primo Fridericus iuxta Pontificum decreta, ſe non modo patrimonio beati Petri nihil nociturum, ſed etiam pro virili defenſurum, & a Romana ſede nõ diſceſſurum iurat, &c. Poſt hoc iuramentum, alba veſtitus in album canonicorum b. Petri eſt acceptus, hocq; modo canonicus factus, ductus eſt cum vxore ad miſſam celebrantem Pontificem, qui dedit illi primum ſceptrum ad regiam poteſtatem ſignificandam; deinde pomum rotundum in ſignificationem dominum eſſe totius mundi, qui ſphærica conſtat figura; tertio enſem, quo poteſtas malos puniendi & officiũ tuendi bonos ſignificatur. His tribus datis in manus Imperatoris, Pontifex imponit illi quoque coronam auream precioſiſſimis gemmis diſtinctam. mox aliam coronam imponit Leonoræ ſponſæ. Vbi hæc omnia maiori magnificentia quam prioribus temporibus vnquam (vt ſolet his rebus ſemper accedere) ſunt peracta, ad prandium in palatium Pontificis itum eſt, a prandio mox Imperator ad pontem Adriani duces, comites, barones & nobiles plurimos militiæ magnificis titulis donauit. Ad militiæ decus eo die ſunt euecti circiter trecenti. Illis autem iucundiſſimo pulcherrimoq; ſpectaculo effectis poſt ſolis occaſum iuit ad magnificum conuiuium quod ad Lateranum erat para-

tum. nec diutius ociosus Romæ commoratus, Neapolim cum vxore sua profectus est, illic celebrauit pascha: inde rursum Romam rediit, sed prius visis per Italiam multis vrbibus, Pōtifice multa de ecclesiæ statu, & de expeditione aliquādo susciplenda in Turcam locutus, benedictioneq; apostolica accepta, recessit ab vrbe, in Germaniam rediturus: sed in itinere omnia prius diligenter disposuit, in multosq; multa beneficia contulit; vicissim incredibile Italorum omnium studiū erga se expertus. nec, quod rarum auditu est, vllas insidias illi structas ab vllo comperit. Certatim veniebant ciuitatum legati afferentes munera materia & arte præstantia, & prorsus digna quæ tanto Principi offerrentur. Inuitabantque eum omnes. Vbi Ferrariam venit, Mutinæ, & Regij, Lepidij vrbium ducem fecit Borsium Estrensem, ob singularia merita & officia quæ in ea expeditione contulerat in Cæsarem. Borsius gratitudinem animi declarare volens donauit Imperatori aureū quoddam monile, quod valebat supra aureorum millia viginti. Illic etiam Sphortiæ filium, nomine Galeatium, auratum equitem appellauit: a quo Imperator quoq; magna accepit munera. Inde secundo Padi flumine Venetiam peruenit. vbi appropinquauit vrbi, multas Venetorum naues habuit obuias, in quibus nobilis ciuitatis eius iuuentus mirabiliter lusit. Cæsar a Senatu Veneto ita tractatus, vt ad honores & magnificentiam addi ab hominibus nihil potuisset. Et quemadmodum aduenienti, ita & reuertenti in Germaniam, Veneti per totam ditionem suam liberaliter abunde commeatum gratuito dederunt illi & omnibus familiaribus eius. Māsit autem decem dies apud Venetos officiis & spectaculo eorum detentus, abeuntem comitatus est totus senatus vsq; ad littus vbi se vrbemq; suam illi commiserunt. Eos autem, qui per aliam viam, quam ipse in Italiam, venerant Principes & vrbes, rursum dimisit per vallem Tridentinam: nec autem dimisit vllos immuneratos, aliis noua dedit priuilegia, aliis vetera auxit, aliis confirmauit. in capitaneos beneficia liberalissime contulit. nulli vero ciuitatum plus tribuit, quam Basilienſibus, quoniam armorum splendore & militum præstantia multis aliis præstabant. Ea priuilegia quotannis Basileæ, præsentibus augustissimo senatu, & omnibus ciuibus, leguntur. Vbi vero in Austriam rediit Fridericus, omnia turbatiora inuenit, quam reliquerat. Nouas enim res quidam, dum in Italia fuerat Imperator cum aliis Principibus, parturierant. Ciliæ enim comes cum quibusdam sociis, dum Cæsar in Italia fuerat, concilium ceperunt de capiendo Imperatore. erat autem tale: Maiore parte exercitus dimissa a Cæsare, & cum putaret se in vado esse, reuersus in suam Germaniam, cœloque prorsus fideret sereno (quid enim in Germania apud suos timeret, qui tam raræ prosperitatis fortuna vsus erat in Italia) tum ipsi eum volebant in quopiam loco, qui videretur & ad audax facinus accommodatus, opprimere ex improuiso. Cum igitur esset apud Nouam ciuitatem, ecce illi adsunt cum non contemnenda manu militum, & vrbem obsidione cingunt. Verū Imperator nondum tam nudus erat ab omni exercitu, quare eduxit exercitum ex vrbe, irruitq; in hostem fortiter, & prima coitione submouit retro, vtrinq; tres aut quatuor horas strenue pugnant: verum ad extremum Imperatoris copiæ ob raritatem, non ob suā ignauiam, aut hostium fortitudinem, coactę sunt redire in vrbem. nec multum abfuit, vt non hostes cum Cæsarianis cedentibus in vrbem irruerint: quod si factum fuisset, venisset in hostiles manus Imperator. Habuit certe quod vehementer timeret. adeo nihil est in mundi gaudio diuturnum, adeoque fortuna nunquam est perpetuo bona. Sed miseri mortales in quocunque statu sint, qui nesciunt alia quam huius mundi gaudia, agitantur fluctibus maris (omnia enim, vt ille inquit, fiunt in medio mari) nunc in altum tolluntur; mox vero deprimuntur. Imperator iubet firmari vrbem, vbi videretur magis hostibus exposita. fossas oppidani faciunt, aggeres attollunt, portas repagulis firmioribus muniunt. Nec minus hostes quicquid ad oppugnationem vtile esse putabant, strenue faciebant, muros non vno solum machinarum genere deiicere nituntur. Per aliam viam, vt diximus, meliores copiæ, nempe Rhenenses & Sueui, patriam petierant. Tum præterea Vngari adhuc, nescio vbi, cessabant, fortasse de industria, nam sinistre suspicabantur quidam quiddam de eis. Ortum enim erat hoc bellum ab Vngaris qui suum regem petebant, cum Fridericus iturus in Italiam, secum ducere decreuisset Ladislaum regem eorum. Iniquo enim ferebant animo negatum a Friderico regem, iudicabant namque, id quod res erat, sibi non fidere Fridericum. Porro vbi

in

in Germania rumor increbuit, Imperatorem esse obsessum, multi Principes & ciuitates inceperunt contrahere copias, & se parare ad liberandum Imperatorem. Sed quidam Principum, inter quos fuit Sigismundus archiepiscopus Saltzburgensis, & Carolus Marchio Badensis, pacem fecerunt inter Fridericum & Vlricum comitem Ciliæ adhęrentesq; ei, hac conditione, vt traderet Fridericus Ladislaum regem Vlrico comiti Ciliæ, eumque apud se haberet vsque ad conuentum Viennæ breui celebrandum, in quo communi sententia Imperatoris, Boemorum, & Vngarorum de pueri tutela ageretur. Sed quum primũ puer dimissus est ex manu Imperatoris, impulsu comitis Ciliæ & aliorum, regiam curiam instituit, nouos creauit magistratus (ex consilio nimirum eorum qui nihil aliud quærebant, quam sub prætextu pueri omnia administrare pro sua libidine) præfecturas per prouinciam vbique ordinauit, innouauit, mutauit, antiquauitque quæcunque volebant illi consultores. Proceres Vngarici veniebant ad puerum (etiam ij quibus displicebat, quod non sub tutore permanserat vsque ad pubertatem saltem) omnia probabant, ad omnia arridebant quæcunque per puerum fiebant, multa autem praua & ad regni statum debilitandum facientia per puerum gerebant assentatores, pestes Rerumpub. Exacta deinde ab Vngaris & Australibus pecunia, proficiscitur regali pompa in Boemiam. vbi ad Boemos venit, summis eum honoribus excipiunt; Pragæ deferunt illi regni Boemici coronam: & quicquid gratum puero intelligunt, studiose officioseque faciunt (neque difficile erat mollem puerilemque animum leuibus rebus capere) quare ludos pueriles instituerunt, & superstitiosa celebritate adornarunt omnia quibus magnifice & gloriose initiarent coronarentque nouum regem. his rebus fiebat, vt quo quisque melius adulari nouit, hoc carior regi esset; libere & sincere consulentibus nullus omnino locus esset. Quod vbi Imperator cognouit, non parum molestum illi fuit, doluit enim, vt mortalium fortunam infelicem, quorũ sub nomine pueri tam perditi leues adulatores essent domini. neque enim leues illi assentatores latu faciles sunt, nam iniustitia ipsa pleriq; solent esse. Hoc futurũ pręuiderat prudens Imperator, propterea tãtopere studuit puerũ apud se retinere, donec confirmaretur ætas. Ladislao autẽ cum Hussitis non conuenit, nam adulatores eius nõ erant Hussitæ. Sed hæc omittentes ad maiora procedamus. Cæsar versus in Germaniam, quanquã non mediocriter turbatus erat ob regem Ladislaum, & contumeliam iniuriamq; quæ illata sibi erat apud Nouam vrbem, conuentus Principum celebrauit, summa cura studuit per Germaniam, & per alias nationes Christianum nomen profitentes, pacem facere, & arma in Turcam parare, qui indies non solum incursionibus paulatim Christianorum fines carpebat, sed magna regna aggrediebatur. Venerunt Constantinopolitani legati ad Pontificem, Nicolaum quintum, cum lachrymis auxilium implorantes, conatusque Turcicos crudeles indicabant. Sed dum Pontifex ad Cæsarem Fridericum in Germaniam, & alios Principes in alias nationes mittit, dum deliberant maiore Principum parte putante (vt ante sæpe contigerat) esse impostoram quorundam auarorum hominum, Turca expugnat Constantinopolim totius Græciæ decus, non ciuitatem, sed regnum imperiumq; iure appellandum. Eam vrbem quibus rationibus Turca ceperit, quanta cum crudelitate diripuerit, quamque nulli neque sexui neque ætati pepercerit, quantaq; cum multitudine; rursum a quam paucis defensa & a quibus, scripsere plures, neq; nostri est instituti. Operæprecium est in vastatione huius vrbis videre quid auaritia possit, nam, vt ferunt, si ciues decimam partẽ pecuniæ, quam in terra sine vsu defossam habebant, in auxiliares copias cogendas cõtulissent, facile restitissent Turcæ, in cuius manus ipsi ciues cum liberis & omnibus facultatibus suis peruenerunt. Adeo iniusto & duro tyrãno seruit, qui seruit auaritiæ. Ex Europa enim Principes & ciuitates quædã scripserant Imperatori Constantin. nõ deesse militũ, quantũcunq; vellet, numerũ, sed deesse qui stipẽdia numeraret. quare Imperator concione Constantinopoli cõuocata, adhortatus est ciues, vt cõferrent pecuniã in auxilia militũ aduocãda, nec admodũ multũ petiit a ciuibus, nã erãt Latini parati etiam aliquid addere: sed deerat auaris, quã habebant, pecunia, moriq; cum suis, perdita vrbe, maluerunt, quam partem aliquã de pecunia de suo exponere. Audientes Põt. Callistus 4, qui Nicolao 5 successerat, & Fridericus Imperator, aliiq; reges & Principes captam & vastatam tam miseris modis Constantinopolim, facile coniiciebant,

quid porro esset conaturus: quam ob rem Principes comitia celebrant, Pontifex concionatores emittit in regiones passim Romanæ ecclesiæ, qui adhortentur populum ad expeditionem contra Turcam, & ad collationes quibus miles conduci possit, dedit illis concionatoribus magnã & inusitatam clauium potestatem in multis casibus & delictis: qui plenarias omnium peccatorum, quantumuis magnorum, indulgentias poterant concedere omni contribuenti ad tam sanctam & necessariam expeditionem quinq; ducatos. Nec minori curæ fuit ea res Friderico Imperatori. Erant autẽ passim per Romanam ecclesiam simultates & cõtentiones, atque etiam bella inter Principes. Anglia, vt de aliis taceam, tota erat afflicta intestinis seditionibus & bellis. Eboracensis enim dux cum rege Angliæ bellum gessit, & fretus proditoribus, cepit eum. In aliis locis alias belli causas excitabat Satan, permittente ob populi peccata Domino. Statim post captam, direptamq; Constantinopolin, & fama in Europam peruenit, Turcã cum ingenti exercitu Vngariam petere. quod vbi audiuit Ladislaus, cum nullam ab Imperatore Vngaris irato speraret opem, & Vngarorum nec viribus nec fide satis confideret, contulit se in Austriam, ne sibi accideret, quod Imperatori Constantinopolitano.

1456 nec rumor de Turcæ aduentu vanus fuit. nam anno millesimo * quinquagesimo sexto venit in Vngariam Turca, Mahumetes nomine, ducens exercitum centum quinquaginta millium, maxima in animo habens, primumq; castra mouet ad Albam, quæ vrbs illi commoda fore visa est, si caperet, ad traducendum per flumen exercitum. quare circumsepiuit illam militum multitudine. Quos Turcæ conatus vbi videt Imperator & alij in Germania Principes, mox (nam res nullã ferebat moram) mittunt Vngaris auxiliares manus cõtra communem Christiani nominis hostem. nec non & Itali copias mittunt, nam Vngaria capta proximi erant Germani aut Itali: nec Itali parum timebãt sibi, nam putabant Turcam tam stupidum non esse, vt primum bellicosissimam nationem aggrederetur Germaniam. Miserat quoque Põtifex Callistus cardinalem sancti Angeli, virum facundia præstantem, nec ad arma ineptum. per Germaniam, vt vbiq; omnes excitaret ad arma capessenda, in Vngariám misit: qui vbi Budam venit, multas secum ducens copias, coniunxit se Ioanni Huniadi, vnaq; venerunt Albam in vrbem. Deiecerat Turca iam murorum vrbis magnam partem, qua irruit magna violentia in vrbem: Christiani vero fortes se oppoſuerũt, nullis amplius freti muris aut aliis propugnaculis. Committitur ergo incredibilis atrocitatis pugna, diuq; anceps perstitit Mars immobilis, tandem nostrorum virtute Turcæ in fugam acti sunt, cæsis vtrinque plurimis. sed adest Turcarum Imperator Mahumetes, denuo cogit suos in nostros, instauratur iterum pugna, iterum terga dederunt Turcæ. sed consilio nostros longius ab vrbe ducere voluit, alio loco insidiis collocatis, qui eis reuertentibus ex hostium persecutione, iter in vrbem interciperent: sed callidum Turcę consilium in tempore animaduertunt quidam ex nostris. quare dum hostem sequerentur laxatis frænis & animis nihil timentibus, reuocati sunt in medio cursu, vix autem potuerunt reuocari. illi vero qui reuocarunt, statim duxerunt eos in eam Turcarum aciem quæ erat in insidiis collocata. Turcæ cum nostri, præter expectationem in se signa verterent, statim fugiunt, nostri eos persequuntur, nec cessant insequi, donec atra nox longius prohibuit sequi. Venerunt in manus Christianorum omnes machinæ bellicæ, variæ tormentorũ species. Imperator Turcarum fuga elapsus, tãto animi dolore est affectus, vt veneno sumpto sibi ipsi mortem conſciuerit. Ex captiuo quodam, qui Imperatori a consiliis fuerat, cognitum est, quod Imperator Turca illis, quos in insidiis collocarat, prædixerat ex composito fugituros, quos denuo ad oppugnandam vrbem compulerat, vt eos oppidani secuti ab vrbe ducerentur longius; hi vero interea vrbem caperent, seu saltem iter in vrbem interciperent. Neque hoc verum fuisse, nam nihil de fugiendo illis commiserat, sed contra hortatus erat, vt strenue pugnarent, prẽmiis cum aliis, tum direptione vrbis, propositis. Insidias autem illas disposuerat, vt sic verteret fugam suorum, si forte accideret, in bonum, vtque, si illa non succederet, in insidiis tamen reliqua esset spes. Sed cogitationes hominum quantumuis sapientes videantur, nisi Dominus annuat irritæ sunt.

1456 Hoc autem Albæ factum est, anno post natiuitatem Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, in die diuæ Mariæ Magdalenæ dedicato. Porro ne sua gloria quenquam sciens hoc loco defraudem, Franciscanosque fratres in me

conci-

concitem, Diui Franciſci ordinis Ioannes Capiſtranus haberi voluit autor victoriæ huius,& Albæ vrbis ſeruator; nec immerito,nam veſte ordinis Minorum indutus,ſtetit in bene munita turri,& oſtendit amplum vexillum, in quo erat crux picta magna, vt a longe conſpici poſſet, Chriſtianorum copiis pugnantibus. ergo ſequitur, ſecundum quoſdam fratres Minorum, quod illi Capiſtrano debetur omnis victoriæ gloria: nec ſolum, inquiunt, ex turri oſtendit, pugnantibus aliis, vexillum, ſed etiam noſtris benedixit, hoſtibus mala imprecatus. Itaque ergo hic monachus ſolus heroico ſono a quopiam Homero decantandus eſt, ob hæc facta. & propterea etiam poſt mortem claruit mirabilibus miraculis. Fuerunt in hac expeditione qua Turca cladem illam accepit,apud Albam multi Germani,quibus Vngari palmam, etiam inuiti (nam quo animo fuerint in Germanos,non eſt obſcurum, cum tamen ſæpe eos a Turca defenderint) dabant. Fugato, vt dixi,Turcico exercitu, Ladiſlaus in Vngariam redit, quid poſtea illic actum ſit ab eo prudens prætereo vt non admodum coniunctum cum Germania, alieniusque a propoſito noſtro. Anno poſt Turcis paratis vlciſci ignominiam & cladem acceptam apud Albam, Pontifex copias ab Imperatore non magnas ex Germania acceptas, cum Italis ſuis, duce cardinali, miſit Rhodum, illicque rurſus eſt victus a noſtris Turca. idcircoque eo tempore impeditus, ne ad Albam rediret,vt decreuiſſe ferebatur. Adoleſcente Ladiſlao rege Vngarorum & Boemorum tempore, quo expectabant ſponſam ex Gallia,filiam regis Caroli, & certabant Vngari,Boemi, & Auſtrales de nuptiarum loco, hoc eſt quo in ſummo ætatis expectationis flore eſſet, mortuo, magnæ contentiones exortæ ſunt ob regna illius. Ducatum Auſtriæ Fridericus Imperator ſibi petebat,curq; ad ſe deuolutus eſſet,reddebat cauſas; Albertus frater Imperatoris etiam eundem ducatum petebat. Conuentus igitur propter eam cauſam habiti ſunt, in quibus iudicatum eſt ad maiorem natu pertinere ducatum, nempe ad Imperatorem. quod Albertum male habuit. dicebat enim fratrem alioqui ſatis habere, quibus adminiſtrandis occuparetur: ſubditisque magis vtile futurum, vt habeant Principem qui apud eos ſit, & exiſtimet ſua bene habere,cum bene habent ciues; & ſe diuitem, cum prouinciales ſunt diuites, quam gubernari per præfectos, qui mercenarij plerumque pauperes, nihil ſtudio habent quam vt diuites reddantur quam breuiſſimo tempore; quod hominum genus diues factum,ſolet ſe ocio tradere,ventri enim ſeruiunt.quare diuites ſunt pluris faciendi, neque enim diutius ſeruiunt, quam donec conſecuti ſint quod quærebant. Dum ita contentio eſt de ducatu inter fratres, latronum magnus numerus in Auſtriam irruit, & quibuſdam locis ferro & igne omnia vaſtare aggreſſi ſunt: ſed celerrime totus principatus,duce Alberto,in armis fuit,& occurrit latronibus,quos obſeſſos ad ripam fluminis Morauiæ, multis occiſis, circiter ſexcentos captos ſuppliciis exquiſitis affecit. Operæprecium enim eſt huiuſmodi pacis turbatoribus exempla ſtatuere. Ex deuictis autem illis latronibus Albertus animos maiores ſumpſit, maioremque fauorem ab Auſtralibus conſecutus, Viennæ cum Sigiſmundo, Auſtriaco duce, conſpirat aduerſus Imperatorem Fridericum, conatique ſunt totam Auſtriam inter ſe diuidere, excluſo Friderico. Quod eorum propoſitum vbi olfecit Fridericus, Viennam properauit, antequam quicquam inciperent, tota ciuitas ſe illi obuiam effudit, & excipit cum omni, quo potuit, honore: duces quoque obuij diſſimulant animi occultas cogitationes, amanterque extra vrbis portas ſalutant. Ingreſſo autem Imperatore, conuenerunt Albertus & Sigiſmundus, deliberaruntque de capienda arce, quam prouinciales cuſtodiebant, præſidio in ea locato, donec ſcirent qui nam ducum eſſet dominus prouinciæ Auſtriæ. vbi autem intellexerunt hoc agi ab his duobus,firmiora præſidia in eam mittunt, neque enim volebãt excludi Fridericum, & ita dare cauſas magnorum bellorum. Tandem in tres partes partita eſt arx (ab illa enim tota Auſtriaca in illis regionibus pendebat prouincia) prima ceſſit Friderico, ſecunda Alberto, tertia Sigiſmundo. Poſt hæc geſta Viennæ, excommunicauit Pius Pontifex Romanus Sigiſmundum ducem Auſtriæ, quod in quibuſdam negotiis reſiſteret cardinali Nicolao Cuſæ: Sigiſmundus vero conſultans quo modo, quam facillime,poſſet abſolui,opus magno labore & impenſis nec exigua pecunia pro abſolutione,fore ratus,ſi mitteret nuncios Romam qui Papam ſibi placarent. quare cum cardinalis, propter quem

Pontifex Romanus eum execrarat, esset in oppido Bruneca, collectis repente copiis, ad obsidendum cardinalem festinat, summis viribus oppidum & arcem impugnat, admotis ad muros machinis, oppidum capit: arcem vero, in qua erat cardinalis, diligenter custodit, & eam capiendi vias & rationes multas tentat, venit tandem nescio qua arte & arx in potestatem ducis. Captum ergo cardinalem custodiæ indignius & ignominiosius mancipat, quam dignitas eius ferebat, nec prius potuit, quãquam multi essent intercessores, adduci, vt dimitteret eum, quam cardinalis iuberet sacerdotes qui à sacris propter ducis excommunicationem cessabant, missas celebrare, cumque voluisset clerum ad sacra prophananda compellere, minatus est Sigismundus illi mortem: quare cardinalis vitam suam sacris præferens, iussit sacerdotes per ditionem Sigismundi missas celebrare: nec satisfuit hoc Duci, verum arcem quandam, & non paruam pecuniam dare coegit cardinalem. Fecit enim captus homo, vitæque nimium timens, quicquid voluit aduersarius. His temporibus erat Pontifex totus in hoc, vt colligeret pecuniam in vsum belli aduersus Turcam. nam timebat sibi Roma. De regno Boemiæ contendebant quoque multi, Imperator Fridericus ius regni eius suum esse factum, cum nullus hæres legitimus existeret. Albertus & Sigismundus ex fœdere, quod domus Austriæ cum Boemico regno habebat (de quo dictum) regnum Boemicum ad se pertinere affirmabant. Item soror regis mortui, vxor Casimiri regis Poloniæ, asserebat sibi regnum Boemiæ. Item Carolus rex Galliarum, sponsæ Ladislai, filiæ suæ, deberi contendit regnum. Boemi in magno omnium procerum & magistratuum conuentu audiuerunt horum omnium causas ex oratoribus eorum, omnibusque responderunt quam potuerunt aptissime; verum iudicarunt se quoque viros esse, & inueniri ex Boemis qui administrare Rempub. regni possent, nihilque necesse esse externo rege. Quam ob rem elegerunt Georgium Pogegratium, virum in rebus militaribus peritum & singularis felicitatis. dictique superiores omnes frustra frequentes, non sine maximis impensis & sudoribus, miserant legationes in Boemiam. Feceruntque Boemi non aliter atque (si licet magna componere paruis) puella quæ multos procos habet, omnibusque spem facit, irridens in sinu, tandem exclusis omnibus illis, nubit, præter omnium opinionem, cuipiam alij. Nec vero minor erat lis de rege Vngariæ. Primum omnium in frequentissimo Budæ conuentu erant qui exponebant periculum a Turca, cuius insultus sine Germanis reprimi non possent, quare omnibus modis censebant Fridericum Imperatorem eligendum. Erant autem alij, qui fatebantur quidem verum esse, opus esse aduersus Turcam externo, maxime Germano milite, verum Imperatorem aliis occupari, vt non vacaret illi esse in Vngaria; exempla Sigismundi & aliorum recensentes: Præsentiam enim regis esse regno, quod coloni presentia agro est, dicebant. Præualuit tamen sententia eorum qui Fridericum voluerunt regem: est itaque rex appellatus Fridericus, vicitq; suffragiis reliquos quos alij volebant habere reges. Sed cum hoc illi nunciatum fuit, non statim in Vngariam volauit: quapropter Vngari putãtes raro in regno futurum, elegerunt Matthiam adolescentem, qui captus erat tum, expectabatq; potius capitis supplicium, quã regnum. Sub idem tempus bellum fuit Wirtenbergensi comiti Vlrico cum Friderico comite Palatino duceq; Bauariæ. Erat autem belli causa; quod Fridericus Vlrico per vim detineret dotem vxoris suę, quo prætextu (prætereo breuis esse studens) & alter alterum incursionibus frequenter vexabat, villas, pagosq; incendentes. Quidam etiam nobiles in illo bello cæsi sunt. tandem post multa vtrinq; incommoda accepta & data, compositi sunt per quosdam Principes, & præcipue Imperatoris opera. Hoc etiam anno, vel, vt quidam volunt, vno post anno fuit bellum inter duos Episcopos Moguntinos, nominibus Dieterichum de Isenburgo, & Adolphum de Nassau. Deposuerat enim Pontifex Romanus & execrarat Dieterichum, in locum eius Adolpho ordinato. causæ autem quod Pontifex Dieterichum abrogauit, illæ fuerunt: Annatum non soluerat. item legatis pontificiis missis ad vbique pecuniam contra Turcas petendam, dixerat Dieterich, Papam argentum nationis, non fidei defensionem quærere. Item quod a Bulla super decimis dandis ad concilium futurum appellarat, & reliqua quædam quæ negabat Dieterichus. Pontifici respondebat Dieterich, se inauditum, contra non solum ecclesiasticũ ius, sed ius gentium, condemnatum; defendebatq; articulos sibi obiectos

ſectos quos fatebatur, nam quoſdam in Bulla comprehenſos negabat, conſtanterque falſo per calumniam in ſe confictos. Res igitur venit ad arma, Dieterichus enim Pontificis ſententia deturbatus ab archiepiſcopatu noluit inſtituto ſucceſſori Adolpho cedere, ſed prę ſidiis arces & oppida Moguntinę eccleſię firmauit. habuitq; quoſdam nobiles & Principes ſibi fauentes & auxiliarios, inter quos fuit Fridericus comes Palatinus Rheni, cui loco ſtipendij dedit arces quaſdam ad Moguntinam eccleſiã pertinentes. Eam ob cauſam Papa hunc Fridericum quoque excommunicauit. nec enim leue erat, eccleſiarum bona ab eo accipere, qui ius dandi nõ habebat, & excommunicatum iuuare. & alioqui etiam aliquando pontificiis literis in comitatu ſuo reſtiterat, ne promulgarentur. Coniunxerat ſe quoque Dietericho Ludouicus, Diues cognomine, dux Bauarorũ. Habebat vero Adolphus a ſua parte Papam, Imperatorem, Carolum Marchionem Badenſem, Marchionem Brandenburgenſem, Albertum epiſcopum Metenſem, Ludouicum ducem Bauariæ, cognomento Nigrum, Comitem de Wirtenberg Vlricum. Ij ergo non paruis odiis gerebant bellum inter ſe inteſtinum. Incendiis, ferro, & equorum multitudine paſſim ſegetes, villæ, pagiq́ue atterebantur & vaſtantur, magnaq́ue pars Germaniæ non modice afflictabatur illorum inſania & furore, nec maius vllum, quod ſciam, prælium fuit inter illos, quam illud in agro Haidelbergenſi; aliquid magni enim facere geſtientes, terram Palatini intrauerunt, Ioannes epiſcopus Metenſis, Ludouicus Niger, Bauariæ dux, Carolus Marchio Badenſis, & Vlricus comes Wirtenbergenſis, quibus incipientibus incendere pagana ædificia, celeriter Dieterichum cum copiis ad ſe vocat Fridericus, & ſuas quas habebat auget, hoſtiq; ſocio Archiepiſcopo occurrit. vbi vero Dieterichus & Fridericus animaduertunt copias hoſtium ſuis impares multitudine, veniunt in ſpem aliquid magni gerendi, quare eo perducunt hoſtem, vt a tergo, lateribus, & a fronte obſeſſum haberent. Obſeſſi autem Principes vnam reliquam habebant ſpem, ſuos ſcilicet ex deſperatione fortius pugnaturos: quare cohortatis, & acie inſtructa, conantur vi & ferro viam ſibi aperire, & in medios hoſtes ruunt, fit pugna cruentiſſima, vtrique enim habebant optimum militem in peditatu ſimul & equitatu: ſed longe multitudine Fridericus ſuperior, ſuperat, multis occiſis vtrinque. Comes de Helffenſtain, & comes de Salm, cum multis nobilibus, deſiderati ſunt in parte Adolphi, & Carolus Marchio Badenſis, epiſcopus Metenſis, audacis vir animi, Vlricus comes Wirtenbergenſis, & illorum nobiles fere omnes capti ducti ſunt a Palatino in Haidelbergam, glorioſe Friderico triumphante. nec dimiſit eos, donec numerarint quantum ipſi victori viſum eſt, & multa alia promiſerint ſe facturos, quæ longum eſſet ſcribere. Habebat adhuc plura Dieterichus in ſua poteſtate, quæ erant eccleſiæ Moguntinæ, excludebaturq́; inuito Papa & Imperatore, Adolphus ab oppido Moguntia. ſed Adolphum aliosq́; adhuc integros ei adhærentes Principes, ſcilicet Aluicum comitem de Sultz, Ludouicum Nigrum ducem, & reliquos, non modo non fregit iſte ſociorum grauiſſimus caſus, ſed etiam magis excitauit. Quare conſtituerunt aliquid contra alicuius momenti facere, quolibet etiam periculo. quare de vrbe Moguntia capienda deliberant. Habebant enim in exercitu ſuo qui vigilum in vrbe horas & loca ſciebant, qui Principibus dicebant omnia negligentiſſime fieri, vigiles dormire ſolere, maxime poſtquã ſatis cõfabulati eſſent, & ſatis potaſſent, nam vinũ ſacerdotes abunde dabant tempore belli. iacebant igitur poſt vnã aut alteram horam a media nocte omnes altiſſimo ſomno conſopiti. Quare ſcalis reliquoq́ue apparatu ad conſcendenda mœnia acceptis, ſilentio noctis accedunt ad foſſas ea parte vrbis, qua munitiſſima erat, nam indiligentius illic cuſtodiebatur, deſcendunt in foſſas, aſcendunt muros, inueniunt ſomno altiſſimo oppreſſos vigiles, quos vix excitatos rogant quædam ad propoſitum facientia, quæ cum dicerent omnia, vitam illis donarunt, ſed ſilentio indicto. Occupata igitur illa mœniorum regione, & ſilente præſidio illic relicto, ad proximos vigiles properant, quos quoque oppreſſerunt, antequam ſenſerint, eo loco quoque præſidio munito, deſcendunt de muris in vrbem; dumq́ue portam, quæ proxima erat, confringunt, ecce vigiles qui noctu ſolent ambire vrbem appropinquantes, audiunt crepitum & ſtrepitum, conclamant, campanis pulſatur ad arma, ciues excitati vix ſomno excuſſo, arma tandem arripiunt, cum iam porta eſſet aperta & totus hoſtilis equitatus & peditatus admiſſus in vrbem, oc-

currunt ciues satis fortiter hosti, pugnatur per totum eum diem, sæpe hostes referre pedem coacti; tamen multitudine freti, tandem ciues ad deditionem compulerunt: traditis igitur armis expectarunt inermes quid imperaret victor hostis, nihil enim promissum illis erat quam vita, mandarunt igitur hostes ciuibus, vt sine omni mora, recta vrbe exirent extra ditionem episcopi, nec concedebatur cuiquam in domum ire suam, vt secum castam coniugem, virginémve suam, vel caros alios liberos duceret, cogebantur nudi ex vrbe adhuc sanguine conspersi, vulnerati, fatigati & famelici, hora sera vespertina migrare ex vrbe relictis focis, plenis cellis & penariis, lectis stratis, vxoribus, liberisque suis immitissimo militi. O tristia fata! Matronæ & virgines & scorta eodem loco habentur, extrusis maritis & patribus in exilium. Hic auditus est clamor puerorum & mulierum miserabilis. neque poterant vxores & liberi scire vtrum esset suus parens in numero interfectorum ciuium (fuerunt autem interfecti quadringenti) an in exulum numero. qui migrabant detestabantur fortunam suam, quod non pugnassent, donec etiam cecidissent, morteque finiissent miserias illas. Direpta est autem vrbs tota, nullique neque ecclesiasticorum neque alij, neque etiam monasteriis pepercit militum impietas. Forte erat eodem tempore Moguntiæ in castro Dieterichus, dormiens in vtramque aurem post tam insigni clade affectos hostes in agro Haidelbergensi. Vbi captam vrbem intellexit non fidens munitione arcis, dum ciues & hostes pugnant, deserit arcem & fuga sibi consulit, dolore animi admirationeque rei inexpectatæ confusus. Fugit quoque non sine trepiditatione cum eo comes de Katzenelbogen, qui ea nocte apud Archiepiscopum in arce erat. Hoc tempore Pontifex per omnas Romanæ ecclesiæ regiones crucem per suos legatos prædicauit aduersus Turcam, conferentibus pecuniam liberaliter indulgentias in plurimos annos plenissima manu promens; suis autem ipsorum personis militantibus, crucemque suscipientibus promisit vitam æternam, ceu essent ab omni delicto immunes. Sed nihil efficere potuit, nam in Germania res habebant, vt iam diximus: in Galliis vero & Anglia multa grauiora erant bella: Carolo enim rege Gallorum mortuo, successit Ludouicus, filius natu maior, quo cum gessit non paruum bellum frater eius minor natu, Carolus, adhærentibus ei plerisque Galliæ primatibus, Anglorum rege, & Carolo duce Burgundiæ. quod fuit bellum multorum præliorum. Italia quoque tumultuabatur bellis, seditionibus laborabat. Turca interim vtebatur multo cum successu insania Principum profitentium Christianam religionem. Nec, vt videtur, Fridericus Imperator defuisset expeditioni in Turcam, sed aliis negociis intricabatur ab iis a quibus minime oportuisset. 1463 Anno enim post natiuitatem Domini sexagesimo tertio supra millesimum quadringentesimum, Albertus frater Imperatoris eum in arce apud Viennam,* sentiebant quoque ciues cum Alberto contra Imperatorem, vnaque oppugnabant castrum, omni studio & conatu bombarbis muros concutiebant (nam vsus bombardarum erat iam tum magnus, quanquam nondum in eum locum peruenisset, in quo nunc est) lignorum fasciculis aliaque materia fossæ implebantur, ascendere muros conabatur hostis. Illi autem in arce non segnius strenue defendebant arcem, & repellebant hostem, occidebantque plurimos, quo vero plures ciuium Viennensium cadebant, hoc acrius ira succensi pugnabant, nitebanturque omnibus viis, artibus & rationibus capere castrum. Proposuerant enim ab impugnatione se non destituros, donec arcem in potestarem redigerent suam. neque enim incommoda & pericula ignorabant quæ futura essent, si non caperent. Imperator Fridericus clam emisit nuncium ad Georgium Pogebratium, Boemorum regem, petit ab eo, multis quæ sciebat illum cupere promissis, auxilium. Pogebratius non cupiens vincere Fridericum, quo cum magnæ illi erant simultates, tamen eum sibi beneficio deuincere volens, liberauit illum, ita tamen, vt non subiugarit illi Viennenses & Albertum fratrem. Imo studio & curæ erat Pogebratio, vt minueret non augeret in regionibus vicinis Boemiæ, Imperatoris potentiam. Cæsar liberatus ab obsidione Viennensium, egit cum Vngaris de regno, nam Vngari eum primum post mortem Ladislai elegerant, & iure sibi deberi regnum asserebat. Verum Matthias Waiuoda occupatum regnum tenebat Vngaris volentibus, nam magnam consecutus apud eos erat autoritatem, beneuolentiam & existimationem ex deuicto Turca,

cum

eum enim fugarat & receperat multa, quæ Turca occuparat, tenebat. Quo Vngarorum ſtudio & victoria fretus Matthias petiit coronam regni quæ depoſita olim erat apud Fridericum cum puero Ladiſlao. Fit itaque contentio inter eos maxima, niſiq́ue Fridericus Imperator propter communia Chriſtianorum commoda cauiſſet, ne iuuaret res Turcicas mouendo bellum Vngariæ, bellum maximum ex ea re ortum fuiſſet. Conditionibus igitur negotium componere paſſus eſt, coronauitq́ue Matthiam in magno procerum conuentu in regem Vngariæ. Quid poſtea rex Matthias egerit, petito ab aliis. Anno poſt natiuitatem Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſexage- 1464
ſimo quarto, magna turba militum ex Germania venit in Italiam, profectura contra Turcam, veniebant etiam ex Gallia, & Hiſpania, expectabantq́; ſtipendia a Pio Pontifice. Põtifex enim per apoſtolicos legatos crucem prædicauerat, magnis præmiis promiſſis, qui corpora offerrent in eam expeditionem: ſed cum non afferrent ij milites ſecum opſonia, conceſſis large indulgentiis cum benedictione apoſtolica remiſit in patriam. aduerſus hanc expeditionem Turca ſe præparauerat, noſtris obuiam iturus. quum ergo deeſſent noſtris belli impenſæ, domumq́ue ſe contuliſſent, Turca pergit, & Chriſtianorum res inuadit, diripit, multos captiuos abducit, Italiæ imminet. Pius Pontifex ſcribit literas, mittit legatos, ſed plerique Principes ſua quærunt priuata, & vulgus putant futurum quod antea, cum multi milites in Italiam venerant parati aduerſus Turcam, ſine ſtipendio iuſſi ſunt redire domum. Erat Matthiæ Vngariæ regi bellum cum Georgio Pogebratio rege Boemorum, in quo bello erat quoque Fridericus Imperator intricatus. Imperator vero omnia ſemper viſus eſt poſthabere communi eccleſiæ vtilitati. Nam cum in Boemia rex Pogebratius rem Huſſiticam promoueret, impediretq́ue ſanctæ Romanæ eccleſię adhærentes, Fridericus Imperator contra eum Matthiam regem Vngariæ iuuit. & ob eam rem, ſimulq́ue ob expeditionem in Turcam, cogit in Germania copias, & proficiſcitur recta Romam ad Pontificem, vt cum eo præſente præſens agat, magnis per Italiam itineribus Romam venit. Vbique excipitur magnis honoribus. nec quicquam aduerſi in ea profectione accidit Friderico. Romæ exceptus eſt amanter & reuerenter a Pontifice Paulo ſecundo, qui Pio ſecundo ſucceſſerat. Imperator Romæ creauit equites. Venientibus ad ſe legatis ex Latij ciuitatibus reſpondit comiter & benigne. compoſuit diſcordes Principes & ciuitates. ſuppreſſos & iniuriam patientes multos iuuit. Cum Pontifice & Principibus Italiæ de Turca debellando multa egit. Item Fridericus inuitauit magnis precibus Pontificem, vt ipſe in Germaniam ad Principum comitia veniret, & coram de bello ſuſcipiendo in Turcas ageret, multum enim præſentem effecturum apud eos, quibus legatorum fides iamdudum ex quibuſdam cauſis inciperet ſuſpecta eſſe, neque quicquam poſſe magni ab eis impetrari per legatos. Verum Pontifex nullo modo potuit induci, vt tam longi & difficilis itineris moleſtias ſuſciperet, legatos autem miſſurum ſe promiſit maximæ autoritatis viros. Cæſar honorificentiſſime Romæ & per omnes in itinere ciuitates Italiæ tractatus feliciter redit in Germaniam. Non poſſum ſilentio præterire facinus temerarium Saxonis militis, nomine Conradi de Kauff, hominis multarum rerum vſu periti, & diu in multisq́ue bellis exercitati. Hic ob neſcio quam cauſam priuatus omnibus facultatibus in exilium mittitur a Friderico duce Saxoniæ. Quam ob rem vir audacis pectoris quærit vlciſcendi occaſionem. Erant duo elegantes pueri duci illi Saxoniæ, qui in caſtro Altburg pædagogo commiſſi erant educandi & inſtituendi: in ea arce ſeruum quendam norat Conradus, cuius proditione fretus quadam nocte magno itinere celeriter confecto cum paucis venit ad arcem, & quibuſdam ferreis clauis per rupes & muros aſcendit in arcem, inuenitq́ue duos pueros in cubili dormientes: quibus acceptis, minatus eſt præſentem necem, ſi clamarent, aut vocem vllam ederent, hos ſerui proditoris auxilio eduxit clam ex arce (quidam dicunt a pædagogo proditos) in Boemiam ducturus, maximum ex illis ſperans precium. Vbi venit in ſyluam, quam vocant Hercyniam, ſe parantem Saxoniam a Boemia, tenera puerorum ætas fatigata petit cibum & quietem. Conradus ſe iam in portu nauigare putans a carbonario, qui forte illic erat, petit pueris cibum & potum dari. Dum igitur carbonarius ex proximo quodam pago affert panem & ceruiſiam, & aliquid opſonij, ecce ex iis qui inſecuti fuerant prædonem, quidam ad eundem car-

bonarium forte fortuna veniunt (nam per omnes vias & semitas & per omnia deuia sequebantur raptorem) & deprehensum cum pueris Conradum capiunt,& ad Fridericum ducunt; capitisque supplicio est affectus. His temporibus incepit superbia in cor Caroli ducis Burgundiæ ascendere, quæ perdidit illum postea. Primum conatur Lotharingiam occupare, duce Lotharingiæ mortuo. & ab Imperatore postulat sibi dari titulos regnorum Siciliæ & Hierosolymitani; Vicariumque generalem imperij se institui petit. Treueri conuenisse Imperatorem & Carolum hunc Burgundiæ, vbi hæc arroganter imprudenterq; petiit, tradunt. Hęc vbi ab Imperatore negata sunt, Carolus aliam tentat viam qua consequatur, vt volitet per ora virorum: cogit ergo exercitum, quem ducit ad obsidendum oppidum Nussiam, quod est ecclesiæ Colonien-
sis. Causam eius belli reddebat, quod conaretur restituere archiepiscopum a Canonicorum Colonien-
sium collegio ab episcopatu deturbatum immerito. Erat autem duci Carolo fœdus cum eo archiepiscopo, præterea erant consanguinei. Colonienses canonici mittunt ad Imperatorem Fridericum, auxilium petunt, omnem rem, vt haberet, exponunt. Fridericus conscribit repente copias, ducit aduersus Carolum, aduocatiam archiepiscopatus Colonien-
sis, quæ ad imperium pertinebat, sibi arrogantem contra ius. Appropinquante Friderico, Carolus maiori studio & conatu nititur oppidum capere, sed a propugnatoribus sæpe repulsus fortiter, multos suorum amittit, nihilque efficit. Cæsar igitur vbi castra non procul ab hoste metatus est, quidam autem Principes composuerunt eos, quibus conditionibus hactenus neminem inuenire potui qui scierit. Carolum autem Imperatorem timuisse certa sunt vestigia. Statim enim soluit obsidionem, & reduxit vnde venerant, copias, toto in ea obsidione anno consumpto non sine maximis impensis. & est archiepiscopus consanguineus Caroli
1470 captus, ductusque in carcerem, in quo mortuus est. Anno septuagesimo supra millesimum quadringentesimum, erat in Francia orientali pastor homo illiteratus, qui quædam contra ecclesiasticos dicebat, quæ grata vulgo erant, vitam cleri plenam scandalis, & Deo abominabilem prædicabat, ipseque vitæ miram puritatem & sanctimoniam præ se ferebat. Quam ob rem magna plebis multitudo secuta est eum. Creditumque est vulgo cœlitus hominem doceri a Deo, vt qui nullas didicerat literas, disputabat cum sacerdotibus, nec de sua sententia cedebat, esse doctrinam Dei asserens, vna concione ad eum audio supra triginta millia confluxisse. Herbipolensis igitur episcopus mature serpenti doctrinæ occurrendum existimans, quodam die cum nemo circa eum esset discipulorum, iussit eum captum in carcerem duci,& condemnatum ad ignem, comburi vt hæreticum. Multi post mortem dicebant hominem innocentis vitę fuisse. sed hoc dicebant qui ignorabant legem, imperita plebs:
1476 Dominus nouit. Anno eodem, scilicet millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, Carolus dux Burgundiæ suam perditionem maturaturus (Sic enim ignara fatorum mente miser homo sæpe cæco non solum affectuum impetu, sed etiam stulto rationis Deum non timentis iudicio, cum putat se sequi maxime salutaria & commoda sibi, in perditionem præcipiat se. Quare qui vere sapiens est suspecta habet omnia opera sua, & timet Dominum in omnibus viis suis) Dux ingentibus coactis copiis Losannam hostiliter petit, cuius aduentu inopinato Losannenses, qui nulla tam repente sciebant auxilia aduersus tam instructum hostem, territi dediderunt se. capta Losanna, quæ erat Heluetiis confœderata, Heluetij sine mora delectu habito aduersus eum educunt copias, præmissis in oppida hosti proxima præsidiis. Dux præsidium in Gransen capto oppido ignominiosa morte affecit, quingentos enim & duodecim viros Germanos suspendit. quo scelere vehementer in se commouit omnes superioris Germaniæ homines, non solum Heluetios: quare coniunctis viribus aduersus intolerabiliter superbientem hominem duxerunt copias, & non procul ab oppido Gransen exuerunt castris, fugato duce, & magna exercitus eius parte occisa. Omnis belli apparatus, & qui maximus erat in nostrorum manus peruenit; omniaque arces & oppida occupata a Carolo recuperarunt Heluetij, & suspensos Germanos milites solutos laqueis terra condunt, captosque Burgundos, quos Carolus præsidio reliquerat, laqueis eisdem suspendunt. Ex fuga illa, maxima accepta clade recepit se in vrbem Ioignam, misitque legatos in Flandriam & alia loca, qui cogerent nouas

copias:

copias: exegitque a Burgundis sextam omnium facultatum partem in vsum belli, quoniam constituit semel aut vincere, aut se suosque omnes perdere. Tanta erat animi variis affectibus turbati ira; nec habuit vllam impensarum rationem. Feruntur tamen Burgundi illi non dedisse. Carolus vero copiis reparatis & auctioribus quam antea, iterum ingreditur Heluetios vlturus se, oppidumque Murtam obsidione cinxit. Heluetij vero valida manu congressi cum hoste, vicerunt, quanquam vehementer multitudine impares hostibus: fugitque Carolus turpissima fuga vsque in oppidum Ioignam, persequente eum iudicio Domini, amisitque ex suis copiis in eo apud Murtam prælio septendecim millia. magna illic præda Heluetij potiti sunt. Iterum Carolus vires recolligit suas, immemor brachij Domini, reparatumque exercitum ducit ad obsidendum oppidum Nansium, quod est Lotharingiæ ducis; Heluetios sperans non iam serio aliena defensuros. Heluetij autem inuocati a duce Lotharingiæ, aduolant, vtrinque aciebus instructis congrediuntur, fit magna pugna, Heluetiis inauditam & plane incredibilem virtutem præstantibus; post longam pugnam terga dant Burgundiones, Heluetij & Lotharingiæ ducis equites vsque in noctem persequuntur eos hostes. In fuga occubuit dux Carolus multis acceptis vulneribus. Ex eius familiaribus captiuis cognitum est, quis esset ex tanto interfectorum numero. In oppido Nansio apud sanctum Georgium sepultum est cadauer inuentum. Fama erat diu apud Burgundiones, & alias quasdam gentes, elapsum ex hostium manibus ducem Carolum, visitare (hoc scilicet vouisse sanctis, si euaderet) loca sanctis consecrata, maxime Germaniæ sanctos ita placare, quos maxime hoc bello offendisset: septemque annorum pœnitentiam vouisse. Et erant qui ausi sunt vendere apud Burgundiones iumenta ac etiam prædia, solutionis die statuto, quo dux Carolus rediret. maleque creduli vendiderunt, nam solutionis dies nunquam veniet. Habitusque est in Germania quidam mendicus pro duce Carolo, qui non comedebat, nisi super nudum solum accumbens, & ex fictili testa, pannis abiectissimis tectus, sic pœnitentiam agens scilicet. Hic a multis accepit lautissima fercula (nam quicquid offerebatur ex conditionibus votiuæ pœnitentiæ comedere audebat, sed cubans solo) volebant enim multi superstitiosi & etiam ambitiosi tam potenti duci eleemosynam dari. Rogatus aliquando num esset, tacebat; admonitus vero, vt pauperum rationem haberet cum in principatum rediret, annuit modestissime. Ex eoque auditum aliquando est, Pauculi anni reliqui sunt meæ peregrinationis. Item, cum quidam ei ceu Principi (nihil enim dubitabant eum esse) exhiberent honorem genu seu verbis, amouebat se, inquiens nondum tempus esse. Erant quoque qui multa in eum conferebant officia, sperantes aliquid magni ab eo recepturos. Hanc opinionem, audio, sesquianno post cædem ducis, mendicum assecutum, & tenuisse quinque annos, & sex menses, postea nunquam in Germania visum, diuque postquam subduxit se creditus est fuisse. nec solum opinione & titulo ficto ducis gauisus est ille impostor quisquis fuerit, sed clam congessit, haud dubie sub prætextu illo, fretus stultissima populi credulitate facultates, quæ postea mutato vitæ genere, potuerunt sufficere ad alendam totam familiam, nam quidam nobiles beneficia in illum contulerunt, omnia enim accipiebat, & clam rursus pauperibus dare eum quæ supererent, credebatur, & aliquando dabat, vbi e re sua esse intelligebat. Verum facile potuit colligere, vbi nemo exigebat dati & accepti rationem. Hæc fuerunt fata Caroli ducis viri genere nobilissimi, & animo nimium fortis. Hic dux Carolus reliquit filiam præstantissima forma & morum concinnitate, nomine Mariam, quæ post patrem occisum se recepit ad Flandrenses a quibus se plurimum diligi sciebat. Cumque rex Galliæ vehementer peteret, vt Maria filia Ducis ad se veniret, magnisque promissis hoc ageret, Flandrenses prorsus non poterant vllis neque promissis, neque precibus, neque minis moueri, sed audierant de Friderico Imperatoris filio multa bona, quibus commoti mittunt legatos ad Fridericum, & ad filium eius Maximilianum, offeruntque illi sponsam dote & forma animique modestia incomparabilem. Fridericus Imperator & Maximilianus non negligendam occasionem putarunt; legatis respondent perquam familiariter, & Flandrensibus gratias agunt, quod sic de Imperatore eiusque filio sentiant, pollicenturque se animi gratitudinem declaraturos aliquando, constituunt diem ad quem

Francofurdiæ conueniant de coniugio acturi. Ad illam diem mittit rex Galliæ legatos Francofurdiam qui in mandatis habebant, vt Imperatorem admonerent, Mariam illam filiam Caroli ducis regi Gallorum obnoxiam lege feudorum, nec licere illi, inscio rege, contrahere matrimonium cum marito externo. præterea Imperatorem debere esse memorem amicitiæ inter Galliarum reges & Imperatorem, quæ iam multis annis durauit magno imperij & regni Gallorum commodo, &c. Maximilianus vero nihil moratus Francofurdiæ, veritus nimirum, ne mora paulo longior sibi turbaret futuras nuptias, recta per Rhenum descendit Coloniam, sequuntur Galli legati, vt mandata Maximiliano exponant: in itinere autem certiores redditi sunt legati, desponsatam Mariam Maximiliano, quare ad Ludouicum regem reuersi sunt. Rex Ludouicus indignissime fert, tantam & talem prædam ex faucibus ereptam, cogit copias, quæ ad Mariam ex paterna hæreditate pertinebant, occupat. Maximilianus vero non paruas copias secum ex superioris Germaniæ iis partibus in quibus optimi milites solent esse, duxerat in Flandriam, quas Gallis oppossuit. Duxit igitur in vxorem Mariam, & accepit dotis nomine Flandriam, Brabantiam, Burgundiam, Limpurgam, Geldriam, Lucenburgum, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Artesium, & alia quædam, nam hæc omnia Carolus dux Burgundiæ possederat, & ad illam Maximiliani vxorem hæreditario iure peruenerant. Vbi aliquoties congressi sunt Maximiliani pedites, & equites cum Gallis, sæpiusque superiores discesserunt, sunt inducæ factæ septem annorum. Hoc tempore vixit apud Heluetios in solitudine frater Nicolaus de Suitz, vacabat orationibus & ieiuniis per viginti annos. Potens erat in doctrina, nec ad eum fere quisquam venit, qui illum consuluerit, petieritve institui, qui non discesserit animo commotus, aut consolatus hilarisque conscientia, aut territus & tristis animo. Nihil vnquam ab eo animaduerti potuit quod diceret aut faceret ad ostentationem. verum simplex, apertus, syncerusque in homine erat animus. Ductum autem spiritu Dei vero, argumentum certissimum est, quod quæ futura prædixit, euenere, sicut vaticinatus est, prædixit autem Heluetiis multa, quæ humanæ mentis vi præuideri non potuerunt. habuit autem vxorem & liberos. Habetur sanctus apud Heluetios. Viginti annis nihil omnino gustasse fertur, nisi semel, iubente episcopo Con-
1480 stantiensi, tres panis particulas comedit. Anno octuagesimo supra millesimum quadringentesimum, venerunt apostolici legati ad Fridericum in Germaniam, & alios Principes, petentes auxilium aduersus Turcam qui Apuliam multis locis hostiliter vastabat, capta ciuitate non ignobili Hydrunto. Sed breui post nostri, profligatis Turcis, receperunt Hydruntum vrbem maritimam, & omnia quæ Turca in illis regionibus occuparat. Ludouico rege Gallorum lethaliter ægrotante, cum iam desperaret omnino de vita, venerunt ad eum legati Flandrensium de pace agenda. Fit Fœdus ea lege, vt Margarita Maximiliani ex Maria vxore filia, nubat Carolo Ludouici filio regi Gallorum, sed iusta ætate vtriusque expectata. Magnis muneribus donat rex legatos Flandrensium. Filia vero Maximiliani nondum erat nata annos duos. Vbique primum legati rediere domum, conditiones pacis placent, placet & Maximiliano gener, filia Margarita magno apparatu & pompa ex Gandauo, Parisios transfertur (mater enim eius Maria, ducis Burgundionum filia, antea mortua erat, nam ex casu de equo cum esset in venatione, perierat) & passim per Galliam nondum bima puella, ceu regina, excipitur; ducturque ad grauiter laborantem Ludouicum regem, qui pugnabat variis artibus cum morbo: cum enim vinceret morbus itaque omnem naturalium remediorum potentiam, confugit ad res non naturales. virgam Aaron a Romano Pontifice petiit sibi mitti, nam Romæ habebatur ea virga. quanquam quidam dubitant an Aaronis virga sit. Hæc virga allata nihil potuit in morbo regis efficere. iussit etiam rex sibi afferri crucem victoriæ, quam ferunt Caralo Magno e cœlo missam, quæ quoque inefficax fuit in morbo regis. Quædam hoc genus alia iussit ad se portari, sed fatorum necessitas ineuitabilis alio vocabat regem Ludouicum. Mortuus enim est vno atque altero mense post Margaritæ in Galliam aduentam. Tempore isto erant in Germania legatus apostolicus Raimundus Payrandus, qui habuit potestatem a summo Pontifice non solum viuos a peccatis absoluendi, sed etiam mortuos, eius enim pontificium indultum se ad viuos & ad mortuos extendebat. Multi mortuis

quoque

quoq; emebant indulgentias. Eo tempore ſanctus Lupoldus Auſtriæ dux in ſanctorum numerũ a Rom. Pontifice eſt relatus. Hoc etiam tempore Atrebatum Maximilianus cepit. Anno octuageſimo ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimũ, menſe 1486
Ianuario, venit Fridericus Frãcofurdiam cum ſuo filio Maximiliano, ibiq; in frequentiſſimo Principum conuentu ab electoribus Principibus electus eſt Maximilianus in Imperatorem. breuiq; poſt electionem deſcendit Aquiſgranũ, vbi magna cum celebritate corona imperij ornatus eſt. Eodem tempore in Principum comitiis Francofurdiæ fecerunt Fridericus & Maximilianus, conſentientibus Principibus, per totum imperiũ pacem ſeruandã ab omnibus per decem annos. Mandauit autem Imperator hanc pacem ſeruare diligenter, vt nemo alium læderet: alioqui incurreret, vt loquuntur, in bannum imperialẽ, & in pacis huius violatorẽ liceret quidlibet cuilibet impune. Sueuiæ ciuitates & Principes cõuenerunt, & fœdus fecerunt, ſe illam pacem ſeruaturos, & contra quoſcunq; pacis huius violatores ſe defenſuros. hoc Sueuorum pacis ſtudium vehementer ſeni Principi placuit. Fecit autẽ Fridericus hanc pacem, vt vacaret Chriſtianis bellum cum Turca gerere: quare proximo anno poſt comitia illa Francofurdiæ habita, celebrauit conuentũ alium Principum Norinbergæ, in quo egit magna cura & ſtudio de expeditione in Turcas ſuſcipienda. in eo cõuentu multa ſaluberrima ſunt conſtituta, ſed non ſeruata. Eodem anno, quo Norinbergæ fuerunt illa Principum comitia, Innocẽtius Papa ab omnibus eccleſiaſticis perſonis decimas poſtulauit per Germaniã: ſed clerus appellauit ab illis proceſſibus ac exactionibus ad Põtificem melius informandum. Imperatori autem Friderico diſplicuerunt illę exactiones inſolitæ, quare oppoſuit ſe pontificiis exactionibus pro clero, nihilq; datum eſt. Eodem tempore Sigiſmundus dux Auſtriæ geſſit nõ vulgare bellum cum Venetis, & Germani Roueritum oppidum expugnatum ſolo æquant. Veneti quoq; caſtra quædam ducis Auſtriæ capiunt. ad Tridentũ Germani cum Venetis congreſſi, occidunt magnam Italorum multitudinem, magna multitudo quoq; in fuga in flumen Ateſin ſe præcipitauit. Petiit etiam Robertus Venetorũ dux, magni nominis apud ſuos, ob bellicas virtutes. Poſt illam victoriam Sigiſmundi, Veneti magnum manu repararunt exercitum: ſed Pontifex Rom. & Imperator compoſuerunt eos. Anno poſt natiuitatem Chriſti
1487, Brugenſes ceperunt Maximilianum, electũ Imperatorem. Fridericus vero col- 1487
lectis in ſuperiore Germania copiis, deſcendit celeriter, & liberat filiũ. Tres annos poſt Maximiliani captiuitatem Matthias rex Vngariæ Viennæ vita defunctus eſt. nam hic Matthias cum intelligeret Friderici erga ſe parum beneuolum animum, cum Turca inhoneſte fœdus iniit, & Viennam cepit, totamq; fere reliquam Auſtriam occupauit, Friderico aliis occupato, maxime in componenda pace inter Principes & ciuitates Chriſtianorum; Matthia autem rege mortuo, Maximilianus comparatis copiis & Viennam ductis omnia recepit, ſeniq; patri reſtituit. Anno nonageſimo primo ſupra
milleſimum quadringẽteſimum, duxit Maximilianus in vxorem duciſſam Britonum 1491
virginem eximiam forma & moribus. Quod vbi cognouit Carolus rex Galliarũ, ſine mora copiis coactis, & in Britonum ducatum ductis, rapuit illam Maximiliani ſponſam, & cõpreſſit, Margaritamq; filiam Maximiliani, quę ei matrimonio iuncta erat, repudiauit ſcilicet ſine omni cauſa. Anno nonageſimo ſecundo, Matthiæ regis Vnga- 1492
riæ copiæ erant adhuc congregatæ, quas nigram legionem vocabant: quæ poſt mortem Domini ſui receperunt ſe in munitiſſimũ locum, ex quo Auſtriam & Morauiam excurſionibus & deprædationibus afflixerunt, qui auſpiciis Friderici Imperatoris obſeſſi, victi, partim occiſi, partim capti ſunt. Captos exquiſitis ſuppliciis affecerũt, in illis regionibus quas turbauerant, alios ad rogum aſſatos necauerunt, alios viuos excoriarunt, vt exemplo eſſent aliis pacis turbatoribus. Anno Domini 1492, Lynceæ obiit 1492
Fridericus Imperator, corpusq; eius Viẽnam perlatum magno cum honore ſepultum eſt. Imperauit quinquaginta tres annos & quinque menſes, magna cum laude, & Reipub. commodo. Cuius laudes alio ſtyli genere ſonandæ ſunt. Adoleſcens adhuc magnitudinem animi declarauit cum aliis multis in rebus, tum potiſſimũ, quod tam longinquas peregrinationes ſuſcepit. Hieroſolymæ enim fuerat tẽpore periculoſiſſimo, omnibus viis latrociniis & bellis infeſtis. quantum ſtudium pacis illi fuerit, quantus amor erga religionem, quæ erga homines caritas, ſcriptum ab aliis eſt.

DE GERMANIS

LIBER TRIGESIMVS.

ANno quo mortuus est Fridericus Imperator, Turca Croaciam oppressit, totamque depopulatus est, magnam hominum multitudinem captiuam abduxit, in seruitutem durissimam, ad labores tantum iumentis subeundos. Maximilianus vbi hoc audiuit mirabili celeritate cum Germanorum manu in Croaciam properat, Turcę copias abigit, multis ex illis mactatis, Croaciam recipit. nec mediocrem gloriam reportauit ex illa expeditione. Anno proximo post fugatum ex Croacia Turcam, filia Galeatij, nomine Blanca Maria, indole, qua capacitate muliebris sexus, præstanti, & forma pulcherrima, virgo Maximiliano Cæsari desponsata, venit ex Italia in Germaniam. & nuptiæ sunt celebratæ magnificentia plane imperiali in Inspruck. Hoc tempore Carolus rex Galliæ, huius nominis octauus, frequentibus nunciis, & multo auro obtinuit apud Heluetios, vt illi mitterentur milites (nam iam tum inceperant Gallorum reges nihil sine Heluetico milite agere) parabat enim expeditionem in regnum Apuliæ, quod sibi deberi iudicabat. Ingressus autem est Italiam autumni tempore maximis cum Gallorum & Heluetiorum copiis. His se opposuit Alphonsus rex magno contracto exercitu. congressæq; in Liguria Alphonsi & Caroli regum copiæ, superauit Heluetiorum virtute Gallus (nam Galli etiam fatentur eam victoriã deberi Heluetiis) occupauitq; Carolus totum Neapolitanum regnum. patrimonium quoque beati Petri incepit vastare, captis aliquot castris & vrbibus; ipsam etiam Romam obsedit, & compulit ad deditionem Romanos & Pontificem certis quibusdam conditionibus. quantum tum detrimenti acceperit Roma, tanto intromisso exercitu, facile est colligere. Pontifex cum sua familia se recepit in castrum sancti Angeli. Rex vero extorsit minis a Pontifice quicquid voluit vel in Italia vel Gallia. Cumq; sedis Romanæ ditionem satis afflixisset, & Neapolim regnumq; totum occupasset, Genuam oppugnauit quoque magnis conatibus: sed expugnare non potuit. Veneti vero & Mediolanẽses, maximis comparatis copiis, occurrerunt illi, sed eos insigniter magno & cruẽto prælio vicit. habebat enim Heluetios multos. Tandem postq̃ exhausta esset Italia, & ad summã famẽ redacta, post cędes stragesq; multas, prędidiis in regnum Neapolitanũ constitutis in Galliam rediit, Heluetiis domum remissis. Post abitum vero Heluetiorũ sine negocio receptum est regnũ Apuliæ ab iis quos expulerat Carolus. Cum hæc Heluetico milite gessit, Carolus rex Galliæ nondum ætate egressus erat annum vigesimum quartum. Erat anno nonagesimo quinto magna de Turcico aduentu fama, nec vana erat. Anno igitur eodẽ Maximilianus Cęsar Wormatiæ Principum comitia celebrauit magna, & propter Turcam & propter regem Galliæ Carolum, qui vxorem Maximiliano desponsatam, duciſſam Britonum virginem eximiam, rapuerat, & Mariam filiam eius sibi desponsatam abdicarat, & Italiam turbabat, patrimoniumq; beati Petri diripiendum militi obiiciebat, multaq; occupabat sine iustis titulis. Sic iudicant Germani; Galli ex aduerso aliud respõdent. Vocabat autem Romanus Pontifex Maximilianum crebris literis; vocabatur quoque ab aliis Italis. Turca vero quotidie incursionibus Christianos vexabat miserrimis & crudelissimis modis. Quare & contra hunc cupiebat Maximilianus decerni bellum. De Heluetiis quoque in illis comitiis fuit mentio habita, nam plane persuasum erat Principibus & Maximiliano, Carolum regem Gallię nunquam ingredi ausum fuisse Italiam, si non habuisset Heluetios, & quicquid fecerat magni, per Heluetios factum constabat. In illis autem comitiis nihil solidum est decretum, alij enim bellum contra Turcam primum, alij primum contra Gallum suscipiendum volebant. Maior Principum pars censebat pacem primo firmandã esse inter imperij membra, ciuitates & Principes, deinde deliberandũ de bello in Turcam & alios imperij hostes. itaq; discessum est, vt nihil effectũ sit datũ. In illis comitiis Wormatiensibus Eberardus comes Wirtẽbergensis est a Maximiliano dux creatus, præsentibus Principibus, adhibitis magnificis consuetis

solen-

ſolennitatibus & ceremoniis. Eodem tempore Maximilianus Mariam Sphortiam fecit ducem Mediolanenſem. Dum hic Principum Wormatiæ conuentus celebratus eſt, peperit quædam mulier non procul a Wormatia duas puellas vno partu, in fronte connexas, vt altera in alteram oculis intenta eſſet: nec ſeparari poterant. Anno nonageſimo nono ſupra milleſimum quadringenteſimum, inter Heluetiorum confœderatos & domum Auſtriæ fuerunt quædam ſimultates paruis ex cauſis ortæ primum, ſed ex quotidianis vicinorum inuicem conciliis odium indies creuit, tandem res venit ad arma. quanquam voluntas non erat Maximiliani, aut vllorum præcipuorum Principum aut ciuitatum, bellum eo tempore cum Heluetiis gerere, ſed, vt dixi, nullæ magnæ cauſæ belli erant, erat tantum cæcum ſtultumq; odium vicinorum quorundam hominum leuium quibus ſemper carior eſt rerum turbatio, quam alma pax. Nam ego ex certis autoribus qui interfuerunt tum Principum conſiliis, quiq; mihi dixerunt, Maximilianum & Principes Germanię præcipuos tum ſtatuiſſe, in fœdus illud Sueuicum recipere Heluetios, ſi modo ipſi vellent: & ſic omnino ſperauerunt ſempiternã pacem in his regionibus, quæ ſæpe miſere afflictatæ fuerant ex bellis quæ cum Heluetiis geſta ſunt a Principibus. Verum qui non pacem, ſed rerum turbationem cupiebant ſeditioſi ſtulteq; ſuperbi, non ceſſabant irritare etiam quietos animos. Et quidam ex pacis turbatoribus erant etiam potentes, quare non verbis tantum, ſed etiam factis incipiebant laceſſere Heluetios. Conabantur enim arces quaſdam, quæ pertinebant ad Curienſem eccleſiam cathedralem, occupare, id non ferre volebant Rheti. conuenerunt igitur Rheti, & confœderatis ſuis Heluetiis querebantur. Cenſuerunt igitur Heluetij vt primum mitterent legationem ad Maximilianum, & ei hæc exponerent, adiicerentq;, ſe nullo modo laturos, humiliter tamen precantes pacem. Miſerunt Rheti epiſcopum ipſum, cui potiſſimũ erat illata iniuria. Maximilianus Imperator natura a bellis abhorrens, miſit ad Inſpruck, vt nihil inciperent ſe neſciente, ne pacem turbarent, facile poſſe ignem accendi qui difficillime a plurimis poſſit extingui aut omnino non extingui. Iuſſit epiſcopum Auguſtenſem, cuius prudentiæ multum Maximilianus tribuebat, ſe interponere. Statuebant partes diem & locum vbi conuenirent. Locus erat Feldkilch oppidũ, illuc vt venirent ſui conſiliarij in Inſpruch, & autores tragœdiæ, mandauit Imperator. Interea in ægritudinem grauem incidit epiſcopus Auguſtenſis, & ex ea mortuus eſt. eius morte quidam nihil boni ominabantur, qui deſtinatus erat ad rem componendam inter partes, & multũ ſpei erat in eo viro, vnus enim talis vir nonnunquam plurimum poteſt. Mortuo autem epiſcopo Auguſtano, Maximilianus pręſulem Conſtantienſem ordinauit vt partes componeret ſuo nomine. Nam ipſi ob negocia erat in inferiorem Germaniam deſcendendum. Vbi abierat Cęſar, rem facilem cõpoſitu exiſtimans, ecce conſiliarij in Inſpruck, contemnentes conuentum in Feldkilch celebrandum, & ipſum epiſcopum Conſtantienſem (geſtiebant enim bellum gerere cũ Heluetiis) mittunt ad Principes & ciuitates Sueuici fœderis, petunt vt Maximiliano & ſibi ferant auxiliũ aduerſus Heluetios omnes homines præ ſe contemnentes (nam ſic in inuidiam eos adducere conabantur) & quotidie cogitãtes quomodo poſſint alios in ſuam factionem & rebellionem contra imperiũ & ſuos naturales dominos excitare. nec eos veritos bellum minari Imperatori, &c. Sueuicum fœdus cupiens Maximiliano gratificari, & opibus copiisq; ſuis confidens, pollicetur auxilium, bono animo iubens eos eſſe, deſpiciens nimirum Heluetiorum paucitatem. Heluetij vero vbi hos conatus procerum Cæſarianorũ in Inſpruck animaduerterunt, & quid cum Sueuico fœdere egerint, pararunt ſe quoque ad arma; ſed ne quid omitteretur ad faciẽdam pacem, iterum legatos mittunt in Inſpruck, admonebant eos mandati Cæſariani de conuentu habendo in Feldkilch, dies enim ſtatutus præterierat. Legatis Heluetiorum reſpõdebant nobiles ita vt facile ex reſponſo intelligi potuerint quid apud ſe ſtatuiſſent: tamen ne viderentur Imperatorem dominum ſuum contemnere, dicebant ſe ad comitia venturos, aliumque conſtituebant. Sed vtrinque interim ſe ad bellum parabant, nec longe poſt Cæſariani aliquot villas combuſſerunt, abrepta præda. Nec adhuc tempus eſſe iudicabant Heluetij ſumendi arma, ſed ſępius verbis & conditionibus æquis tentare rem componere. Quare miſerunt nuncios ad Sueuiæ confœderatos, qui ſignificarent eis, Heluetios nihil niſi pacem petere, & ſimul exponebant quæ mala & pericula ex

1499

bello hoc accidere posſent. Verum Sueuicum fœdus nihil periculi ab Heluetiis sibi esſe posſe exiſtimans, contemptim reſpondit. Et belli autores quidam nobiles ſub nominis Maximiliani autoritate multum poterant apud Sueuicum fœdus. Inuadunt igitur priores Cæſariani Heluetios, capiunt oppidulum Maienfeld, & monaſterium, quod vocatur Munſtertal, diripiunt, etiam non abſtinent manus ab eccleſiaſtica conſecrata ſupellectile aurea & argentea, captiuas abducunt moniales, occidunt multos viros, & captos cum reliqua præda abducunt. Tum tandem Heluetij vbi ſenſerunt nullum paci locum relictum, collecti occurrerunt hoſtibus ſuis defendentes ſuos focos, ſuos parentes, & liberos. Quam longe alios animos gerant quibus cari ſui proprij penates ſunt defendendi, quam qui ære conducti aliena impugnant, neminem latet. Hoc etiam fecit vt Heluetij primos maioribus copiis & diligentius fortiusq; exciperent, quod ſciebant, primis illis belli autoribus victis, parum negocij in reliquis fore. Congreſſi igitur, diu Heluetiorum impetum ſuſtinuerunt Auſtriaci & Sueui, tandem tamen terga verterunt Cæſariani, quos inſecuti Heluetij, ſua omnia receperunt, & igne ferroque hoſtilem agrum vaſtarunt. Poſt illud prælium, ob occiſos vtrinque animi exaſperati ſunt ſupra modum, mox aliis locis inuaſerunt Heluetios: ſed non fefellerat Heluetios ſua opinio, quod putabant primis victis, aliis parum animi futurum, nam fugiebant poſtea nō raro cum primum conſpexerunt hoſtem Heluetium, vel aliquando antequam in conſpectum veniret. Tantus terror inuaſerat animos alioqui bellicoſiſſimorū hominum. Maximilianus qui tum in Geldria erat alio bello occupatus, vbi audiuit de bello illo Heluetiorum, quomodocunque potuit, pacem fecit apud Geldrenſes, & feſtinauit in ſuperiorem Germaniam. Vbi venit in Sueuiam, vehementer diſplicuit illi, quod bellum erat ſuſceptum ſe inſcio, imo nolente, nam diſcedens commiſerat ne inciperent bellum. Erant quoq; in Maximiliani ſententia Principes quidam cordatiores ex eccleſiaſticis ſimul & ſecularibus, quare Maximilianus cogitabat an poſſet res componi, & conſultabat de pace. Verum autores inceptoresq; belli grauiter accuſabant Heluetios apud optimum virum Maximilianum Imperatorem, & facile erat in abſentes quiduis dicere. Inter reliqua audio eos dixiſſe Maximiliano, quo pacto quoſdā ad defectionē & ad ſeditionem ſolicitarint; & palam dici apud Heluetios, omnes vſq; ad Danubium fore breui in Heluetiorum fœdere, Maximilianoq; nullum locum fore vſq; Viennam, niſi velit etiam mulgere vaccas. & aliis hoc genus commentis ita incenderunt Principem, vt decreuerit omnes vires & neruos in hoc bellum aduerſus Heluetios intēdere. Quare totum imperium vocat in auxilium ad debellandos Heluetios. Conuentu frequenti Principum celebrato, conſtitutum eſt, quot locis, & quoto copiarum numero inuadendi ſint. Et plane erat prudēter decretum, quod ſi iuxta decretum imperialium comitiorum, vno tempore omnibus locis aggreſſi fuiſſent Heluetios, feciſſent illis negocij plurimum: ſed bona conſilia facta tardius ſequebantur, nā primi, qui inceperant bellū, veniebant non procul a fontibus Rheni vbi antea fugati erant, qui iterū ſunt repulſi plurimi a paucis Heluetiis. Nam primis præliis animis ſuperatis, corpora deſtituta ſpiritu inutilia erant. Cū ita aliquoties conflixiſſent infeliciter Cęſariani, petebat Maximilian. a duce Mediolanēſi, vt ſe interponeret, & cū Heluetiis de pace ageret, nam magnā inobediētiā in ſuis experiebatur, & videbat omniū animos territos. Dux Mediolanēſis quanquā Maximiliano miſerat quoq; auxilia & imperij nomine, & nomine amicitiæ beneficiorumq; quæ Maximilianus in eū contulerat; tamen ſuis ipſius impenſis, miſit ad Heluetios legatos, qui de pace agerent, miſit ad Maximilianum, nihilq; omiſit quod ad faciendā pacem facere viſum eſt illi. Cum primum venerunt ducis Mediolanenſis legati ad Heluetios, multaq; prudenter & vere dixiſſent de belli calamitatibus, & cōmoditatibus felicitateq; pacis; reſpōderunt Heluetij, ſibi nihil antiquius cariusq; eſſe honeſta pace, docentq; legatos ab exordio cauſas belli repetētes, quam neceſſario vim repellere coacti ſint, quā humiliter precati ſint ea quæ pacis ſunt, quam patienter contumelias & contemptus ſuperbos perpeſſi ſint, quantopere petierint pacem etiam poſt illatas ab hoſte iniurias. Quam ob rem hortati vltro ſunt ducē ad faciēdam pacem vtriq; parti tolerabilē & honeſtam. neq; enim efferebantur victoriis, ſed Domino exercituū Deo tribuebant gloriam, in omnibus Deū timentes & ſcientes rerū viciſſitudinem, fortunæq; mutabilitatem. Pacis igitur cōponendæ gratia locus ſtatutus eſt, vrbs

Ti-

Tigurũ, quo libere & tuto liceret venire & redire domũ Cæsarianis, sunt́q; interea inducię factæ. Sed dũ hæc agebãtur Tiguri, & media quibus partes coire possent, quærebantur, Cæsariani cõtra induciarũ fidem Heluetiçũ pagum incenderunt, & occidebãt apud Reineck circiter sexaginta Heluetios. sed quanquã Heluetij propter inducias nõ expectarint hostẽ, & oppressérint eos Cęsariani ex improuiso, tamen plures Cęsarianos occiderunt, & fugauerunt eos. Hoc factũ tempore induciarũ a suis Maximilianũ Principẽ tenacissimæ fidei non minus male habuit, quã ipsos Heluetios. Nihil igitur agi potuit eo tempore adhuc de pace. Gallorũ rex etiã cum Cæsare & Principib. imperij egit de pace, sed in omnibus actionibus suis & verbis suis satis aperte indicabat fauorẽ suum erga Heluetios, & propterea minus potuit apud Maximilianum & Principes. Tandem professus est se omnibus viribus adiuturũ Heluetios qui inuiti susceperint arma, & coacti sint effundere sanguinem vicinorum suorum. Bombardas, pecuniam, equitatum, recusantibus, donec opus haberẽt, Heluetiis conatus est obtrudere Gallus. neq; enim e re Galli fuissẽt, si Imperator, vt in animo habebat, Heluetios subiugasset. nullũ enim Galliarum reges multis annis bellum gesserant siue Heluetiis militibus. Galli enim dicuntur in acie fortes esse, cum apud se habent Germanos milites, alias soli non adeo felices. Hoc Germani ferũt, Galli forte aliter. Post finitas illas inducias iterum multis locis pugnatum est. singulas autem pugnas describere est cuiuspiam ex professo bellum hoc describentis. Multis locis pugnatũ est, sed fere vbiq; fortuna fauit Heluetiis. Constantiæ sæpius pugnatũ est. Sub sylua Suaderloch nomine, erat campus frumentarius, maturaq; erat seges: cum igitur messores ex vrbe veniissent plurimi, & meterent, militibus in acie constitutis, qui hostes repellerent, si venirent, Heluetij qui in ea sylua excubias semper habebant diligenter, congregati expectabant, donec demessum esset frumentum, & partim curribus impositum. cum iam militũ animi essent in vrbe cœnam appetentes, prorumpunt ex sylua taciti Heluetij vno tãtum signo, & audiebatur fragor & clangor tubarũ in sylua non aliter ac si esset plena armatis (erant autẽ senio defecti & adolescentuli nondum ad pugnam habiles qui strepitum & sonitus illos excitabãt) territa Cæsariana acies cum primo Heluetiorum in eos impetu fugiunt. Nã alia via quam expectabatur hostis, veniebant, declinantes bombardas, quæ prorsus inutiles erãt Cæsarianis. Heluetij fugientes persecuti vsq; fere ad vrbis mœnia, occiderũt multos, ceperunt quosdã, potiti sunt bombardis, curribus & equis eũ demesso & colligato frumento. Hoc quoq; mense pugnatum est apud Dorneck, quæ est arx Heluetiorum distans vnũ miliare a Basilea. Post multa infelicia prælia mathematici, astrorumq; periti persuadebãt Maximiliano, vt iam nouo loco, nouisq; copiis aggrederetur Heluetios, nam sidus quod Heluetiis tantopere fauissẽt, iam non amplius in cœlo apparere, sed contra exortas stellas quæ Principibus & regibus amicæ essent. Maximilianus igitur Italogallos quosdam milites oberrantes conscripsit, eos iunxit copiis quas Argentina, & Alsatia, alijq; in illis regionibus miserant. Ij ergo vna proficiscuntur ad obsidendã arcem Dorneck. Erant copiæ non paruæ, beneq; omni genere armorũ instructæ, præcipue bombardis. Castra igitur ante arcem parantes, Heluetij vero ante quã aduenissent, sciebant hostẽ in istis regionibus fortunã tentaturum, nam pedetentim ascendebant, & in Mulhusen manebant aliquot dies. inprimis enim studio solet esse Heluetiis, quemadmodũ omnib. rei militaris peritis, vt quid consilij capiant & in animo habeant hostes, prædiscãt. Conuenit enim plerũq; ex hostiũ consiliis nostra dirigere. Quare dũ castris locum deligunt, & tormenta ad arcẽ oppugnandam disponunt, Heluetij ex Lucerna, Zug, & Tiguro (nã remotiores scilicet Suitenses & Vri & cæteri, post præliũ venerũt) & omnes propiores adsunt, deliberant expectãdi ne sint alij: placuit sententia vna omnibus, non esse cunctandum, ne castrorũ munitionibus firmatis plus negocij pluriumq; necesse sint repellendi. nec dubitabant, si ita ex improuiso opprimerent aduenientes nihilq; adhuc timẽtes (formidabant enim post duos trésve dies vẽturos Heluetios) statim fugituros. Quã ob causam pręcipitabãt se in hostẽ ex monte Heluetij, ceu torrẽs omnia secum rapiẽs: Cęsariani violentiã primi impetus non ferentes, fugiunt; sequuntur Heluetij, cædunt ex illis quatuor millia, vix centum ex Heluetiis cecidere. Potiti sunt Heluetij magna præda, & belli apparatu impedimentisque omnibus, & aliquot militaribus vexillis, Argentinensium vexillum Tiguri pendet adhuc in ecclesia, occubuerunt multi ex

prima nobilitate, inter alios comes de Buſch, comes de Furſtenberg, & comes de Caſtelwart. Poſt illud prælium optimus Imperator Maximilianus iterum cõſtituit de pace agere, ſed nullo modo voluit arbitrum habere regem Galliæ, quem dicebat Heluetiorum in bello hoc ſocium. Heluetij autem contra petebant regem Galliæ mediatorem, & non recuſabant ducem Mediolanenſem, quanquam non ignorabant, qua neceſſitudine eſſet Maximiliano deuinctus. Putabant ergo Heluetij viciſſim Maximiliano ferendum Gallum arbitrum: noluit autem Maximilianus eum audire in hac re. Alij autem Principes eccleſiaſtici præſertim pacem conati ſunt inter illos facere. Conuenerunt Baſileam ob eam cauſam: Maximilianus ſuo nomine miſit illuc honeſtiſſimam legationem doctores iuris, nobiles & comites. induſtriam & ſtudium cõponendæ pacis Philippi Palatini Rheni imprimis prædicant. Cum igitur vtrique Cæſariani & Heluetij peterent iniqua vt æqua ferrent, tandem media ſunt excogitata, quibus cruentum & infelix bellum eſt ſublatum, & pax facta. Poſt illam pacẽ factam rex Galliæ Ludouicus eodem ſtatim anno, menſe Octobri, duxit exercitum in Italiam contra ducem Mediolanenſem; ſuum enim Mediolanenſem principatum iure eſſe, affirmabat. Vbi rex venit prope Mediolanum, occurrit illi tota ciuitas obuia, ordine ſecũdum ætatem & dignitatem. Ferebãt autem palmarum ramos in manibus, & vexillum cum inſignibus regis Galliarum, & cum omni genere muſicorum inſtrumentorum, & cantionibus quibus liberatorem, patrem patriæ vocabant regem, atque hoc modo obtulerunt claues Gallo; Dux enim infenſos ſibi ciues, neſcio quibus exactionibus, fecerat. atque ſic qui paulo ante pacem inter Imperatorem & Heluetios compoſuerat, ſua omnia tuta putans, repente ex omni Mediolanenſi principatu eiectus eſt, fugitq; ad Maximilianum. Nihil illi profuit aurum & argentum, quod congeſſerat; nihil arcis inexpugnabilis munitiones; nihil prudentia & aſtutia, qua valuit plurimum: ſine pugna, ſine hoſtis omni labore victus eſt, amiſit omnia. ſic agitur cum iis qui confidunt in fortitudine ſua. Verum rex Gallię diſcedens reliquit prędidia Mediolani ex militibus Gallis, qui vexabant multis modis intolerabiliter Mediolanenſes: quare rurſum conſentientibus & iuuantibus ciuibus facile recepit Sphortia Ducatum auxilio Heluetiorum militum. quod Gallus non ferens, denuo conſcribit exercitum, magnumque conducit numerum militum ex Heluetia. Dux quoque Sphortia conducit ſtipendio milites Heluetios, quos iunxit Italis, quemadmodum rex Gallis iunxerat Heluetios. Vbi ergo regius exercitus & ducis veniſſent in campum vbi confligendum erat, & acies vtraque iam eſſet inſtructa, eſſentque vtrique Heluetij exercitus maior vel certe potior pars, in qua ſperabant Sphortia & Gallus, noluerunt Heluetij aduerſus ſuos pugnare, ſed congreſſi iungebant dexteras, familiariter ſe mutuo ſalutabant, felicem precabantur reditum. Interea (Heluetiis ignorantibus & iis qui ſub Gallo & iis qui ſub duce militabant) Galli capiunt ducem Sphortiam, nam multis Gallorum a facie notus erat, & abducunt in Galliam: itaque iterum ſine ſanguine totum ducatum occupat rex. Heluetij qui apud ducem erant, quique illi iurarant, indigniſſime ferebant hoc Gallorum factum. & quanquam pauciores erant quam vt conſultum fuiſſet Gallos aggredi, tamen ſi dux non abductus fuiſſet, aliquave ſpes liberandi eum fuiſſet, nullum diſcrimen non ſubiiſſent, vt dixerunt mihi qui tum in exercitu ducis fuerunt. Anno Domini milleſimo quingenteſimo primo, fœdere iuncti ſunt Heluetiis Baſilienſes & Mulhuſenſes. Eo etiam anno, ceciderunt ſuper veſtes hominum ſigna crucis, quæ multos terrebant: paucorum vero atque adeo nullorum vitam mutabant, vt ſolent prodigia omnia (quæ eſſe deberent nobis doctrina & admonitio vt reſipiſceremus & agnoſceremus Dominum Deum) fere ſemper magis iudicio eſſe, quam documento animalibus hominibus; adeo corrupta eſt hominis natura, vt niſi Deus per ſpiritum ſuum regeneret, in ſtultitia, & inimicitia Dei pereat. Anno quoque quinto ſupra milleſimum quingenteſimum, per magnam Germaniæ partem, maxime illas regiones quæ ab Norinberga vſque ad Alpes, quæ Italiam a Germania diuidunt, fuit ingens fames. ſubuenerunt vero Argentinenſes omnibus illis fame laborantibus regionibus, non aliter atque olim ille Pharao Ægyptius rex, ſicut eſt in libris Moſi ſcriptum. Nec ſolum Argentina ciuitas eo tantum tempore frumento iuuit vicinas regiones, ſed ſæpe ante, & poſt, nupérque cum in Italiam frequentibus bellis exhauſtam erat plurimum frumenti tranſue-

1501

1505

ctum,

ctum, incideretque abundans illa humiditas pluuiosissimi anni, quo admodum male responderunt cereales fruges, vnde secuta est maior caritas non solum in Germania, sed fere per totam Europam, quam multis annis retro audita sit. Argentoratenses vero iuuarunt plurimos frumento. Conseruatio igitur talis frugum laudi & glorię est ciuitati, quę non vt maioris vendat, coemendo aliis præripit; sed emit, vt conseruet ad necessitatem, si vel bellum vel intemperies aeris, aliáve caritatis causa incidat. Anno hoc Raimundum cardinalem legatum misit Pontifex, Alexander sextus eius nominis, in Germaniã & alias quasdam septentrionales nationes, cum magna apostolica clauium potestate, indulta eius extendebant se in mortuorum ante multos annos animas. verum vbi limina Germaniæ attigit, eum in Germania legatione fungi prohibebãt Principes & Maximilianus, nolebant enim caritati duræ exactionem etiam accedere: sed tãdem Principes admiserunt legatum, qui peragrauit totam Germaniam, ex Inspruck Norinbergam, illic per Franconiam Orientalem, & Thuringiam, peruenit Coloniam. inuenitque hic legatus Germanos ad pietatem & ad dandum promptiores aliis nationibus. Caritatem, quæ fuit anno quingentesimo primo, secuta est proximo sequenti anno per Germaniam in omnibus locis, in quibus caritas fuit, crudelissima pestis. Eandem causam pestis, opinor fuisse, quæ caritatis fuerat præcedentis anni, nam quæ aeris intemperata constitutio nocuit plantis vt non respondere potuerint fructificando, eadem iustam concoctionem impediuit in animantibus, ne alimentum ad iustam confectionem perueniret. Quod autem secundo tandem anno in corporibus morbosis symptoma pestis apparuit, mirum non est intelligenti humorum generationem & corruptionem, longo enim tempore non raro latent morborum causæ, & plerunque a paruis principiis incipiunt generari. Porro non sum ignarus, quod caritatem etiam ob alias causas soleant cum alij morbi tum pestis sequi; nempe coguntur homines vesci multis generibus leguminum, herbarum, arboreorum fructuum, & radicum, quæ omnia malum corruptionique obnoxium succum generant. verum hæc relinquenda physicis philosophis a nostri libri titulo aliena. Cruces in aere volantes precedenti tempore hanc pestem pronunciasse quidam volunt. Anno etiam quingentesimo secundo Spirensis diœcesis rustici multi coniurauerunt aduersus dominos suos nobiles, conquerentes oneratos se tributis, vectigalibus, censibus, decimis aliisque exactionibus, serpebat quotidie seditio latius, nam alius alium excitabat, & (cum semper malorum multitudo maior sit quam bonorum) vbique inueniebantur multi qui se iungebant illis, alius spe prædæ, alius spe libertatis, nonnulli vt æs alienum reddere non cogerentur. Elegerant duos viros ad quorum arbitrium omnia agerentur, constituebant vbi conuenirent omnes, vt iuramento præstito, munitiones caperent, arces & vrbes, diriperent monasteria, &c. sed vbi statuissent conuenire, intellexerũt eorum locorum nobiles & alij magistratus. quare primos ceperunt, atq; ita tractauerunt, vt alij manserint domi, multi enim suppliciis affecti sunt. Eo anno magna Principum comitia Norinbergæ, præsente Maximiliano Imper. sunt celebrata. Anno 1503, pabuli & omnium 1503
etiam quæ ad hominis mẽsam veniunt, insignis caritas fuit, ob siccitates eius totius anni. Anno post natiuitatem Domini 1508, Iulius 2 Pontifex est electus, qui postea auxilio Heluetiorum tot bella, contra Venetos & contra Gallum gessit, recuperatis multis quæ pertinebant ad Romanam sedem, multaque præterea adiecit ad patrimonium beati Petri. Hic Pontifex in Heluetios contulit multa beneficia, plurimumq; aurum, magna enim eorum opera confecit bella. Hoc anno fuit multorum episcoporum Germanorum & secularium Principum conuentus Francofurdiæ; quid autem tractarint, pauci sciebant. Anno hoc exortum est bellum Bauaricum, Georgius enim dux Bauariæ habuit vnicam filiam quam matrimonio iunxit Ruperto Philippi, comitis Palatini Rheni, filio, fecitque eam filiam, cui nomen erat Elizabet, hęredem Bauarici ducatus. Quare non diu post socero Georgio duce Bauariæ mortuo, contractis copiis Rupertus conatur occupare Bauariam: Albertus vero dux Bauariæ legitimum se hæredem ducatus esse affirmabat, testamentum Georgij contra ius factum irritum existimandum esse. Cum autem Rupertus a testamento Georgij non descenderet, fruſtráque peteret Albertus ius suum, res tandem venit ad Maximilianum, cuius sororem matrimonio copulatam habebat Albertus. Maximilianus Imperator pacis & æquita-

tis amantissimus, in excogitandis mediis quibus componeret partes, diu laborauit: sed media a Maximiliano, affinitate iuncto Alberto, Rupertus reiiciebat: quare Maximilianus notauit Rupertum & omnes ei adhærentes banno imperiali. Rupertus vero bannum contemnens, cogit magnas copias, Philippus comes Palatinus mittit auxilium filio, nihil etiam moratus bannum. Quam ob rem celeriter per Bauariam multa occupat Rupertus. Imprudenter vero Palatinus suas tantum copias respexit quantæ essent, non expenderat contra quid aduersarius posset. Maximilianus ergo imperij ciuitates & Principes omnes conuocat, exponit maiestatis contemptores quid conentur, quam æqua media recusarint: igitur omnia rebellium Philippi patris & Ruperti filij concedit cuilibet occupanti, suscipitur bellum vno consensu omnium aduersus Palatinum & Rupertum; magnis conatibus multisque locis rem aggrediuntur Hassiæ Lantgrauius, Huldricus dux Wirtenbergensis, Alexander dux Bauariæ, & comes Validentiæ, & cum iis multi barones & nobiles diuersis locis inuadunt Palatinatum Rheni, omnia obuia vastant, expugnant arces & oppida: Maximilianus vero, Fridericus Marchio Brandenburgensis, & totum fœdus Sueuicum, & multi alij nobiles ducunt coniunctas copias in Bauariam aduersus Rupertum. Rupertus cum hoste longe potentiore congreditur, auxilio Boemico quod habebat, confisus; pugnatur acerrime & plane dubio Marte aliquot horis: nec enim cessit Rupertus, donec ad eam raritatem redactus fuit, vt consistere impossibile esset. Coactus igitur tandem fugere Rupertus cum suis, amisit copiarum magnam partem. Boemorum in ea pugna mille quingenti ceciderunt non sine bellica laude, strenue enim pugnarunt. Rupertus cum parte copiarum elapsus, penitus infirmatus est, occupatamque fere totam Bauariam tradidit Maximilianus Alberto, relictis præsidiis quibusdam. Ipse vero Maximilianus cum reliquis copiis properauit aduersus Palatinum, occupauitque sine negocio quicquid ad Palatinatum aliquo titulo pertinebat, *Gengenbach* scilicet, *Ortenberg*, *Offenburg*, *Geroldseck*, & multa in istis regionibus quæ Palatinus possidebat. His in fidem acceptis & præsidiis munitis, traduxit omnes copias per Rhenum, occupauitq; totam, quam vocant, prouincialem aduocatiam. neque enim resistebat amplius quisquam Maximiliano post tantos successus. Marchio autem Badensis Christophorus interposuit se, & precibus multis effecit, vt Maximilianus passus sit se ab instituto reuocari, & Philippum Palatinum in gratiam receperit. In aliis locis, alij alia de Palatinatu ceperant. Emicho comes de Lyningen, Alexander dux Bauariæ, Guilielmus Hassiæ Lantgrauius, multa igne consumpserant, Monasterium D. Benedicti diues admodum, Lympurg nomine, totum in cinerem redegit comes Emicho. Dux Vlricus Wirtenbergensis igne & ferro plurima uastauit, monasteria aliquot munita præsidiis cepit: obsidens autem oppidum Brettam, ab erumpentibus oppidanis magnam accepit cladem, occiderunt enim multos de copiis Wirtenbergensibus, & bombardas aliquot vi eripuerunt duci, quibus oppugnabat oppidum. Oppidum igitur illud non potuit capere: postea vero compulit ad deditionem arcem *Boseckheim*; mox post *Leostain* accepit in deditionem: deinde subiugauit *Winsperg*, post hæc Nouam ciuitatem compulit ad deditionem: postremo cepit oppidum *Meckmul*. Recepto autem in gratiam Palatino, Maximilianus iussit omnes Principes domum reducere & dimittere copias. Dicto Imperatoris igitur obedientes, omnes reuersi sunt vnde venerant. Rupertus statim post infaustum bellum obiit, vt creditur, dolore animi. Anno post natiuitatem Christi millesimo quingentesimo quinto, Maximilianus magna Coloniæ celebrauit comitia, præsentibus plurimis Principibus, inter multos discordates pacem fecit in illo conuentu Imperator. Duce vero Geldriæ rebellante, & maiestatem Cæsaream non satis reuerente, Maximilianus comitantibus eum multis Principibus & comitibus aliis, cum copiis descendit in Geldriam, ducemque statim adueniens ad deditionem compulit, & qua fuit bonitate Maximilianus, conditionibus prorsus amicis ducem in gratiam accepit. Eo anno quo comitia illa fuerunt Coloniæ, apparuit cometes insolitæ magnitudinis & formæ. Anno sexto, Maximilianus comparato per Germaniam magno exercitu, duxit in Vngariam, nam meditabantur defectionem & rebellionem. Obsessuro autem Maximiliano magnis copiis vrbem Bresburgum occurrerunt Vngari supplices obuiam, rogantes pacem, quaslibet, non iniquissimas modo conditiones

1505

nes accepturos & seruaturos, pollicentur. Maximilianus quanquam magnis ea expeditio impensis constiterit; tamen pacis amantissimus æquis legibus pacem fecit cum Vngaris qui longe aliud meriti erant. Eo anno inter Norinbergenses & Marchionem Brandenburgensem Fridericum simultates fuerunt, nescio quibus causis, permagnæ: cumque Norinbergenses tota fere iuuentus armata manu, magnoque apparatu in pagum non longe ab vrbe distantem exiret, in quo erat anniuersaria, quam vocant, dedicatio, Casimirus filius Friderici Marchionis cum equitum & peditum copiis obuius venit, congrediuntur igitur, pugnant pertinaciter, diuque neutris propter cupiditatem gloriæ laudemque, & præmia, cedentibus, cæduntur multi; tandem tamen victor euadit Casimirus, fugiunt ciues in vrbem. vtrinque plurimi cæsi sunt. Quod autem Norinbergenses priores cessere, non animorum ignauiæ, sed corporum lassitudini ex æstu & labore ascribendum est. Reliquerunt enim Casimiro lachrymabilem victoriam, multi enim primæ nobilitatis cecidere, dum auidiores gloriæ pugnant pertinacius. Vtriusque partis fuerunt peditum circiter tria millia, equitum ducenti.

Hoc etiam anno Galliæ rex Ludouicus & Maximilianus Imperator de ducatu Mediolanensi contenderunt. Hoc anno apparuit cometa sub vrsa maiore, quo tempore illustrissimus Princeps, Philippus Maximiliani Imperatoris filius, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, dux Brabantiæ, & rex Castellæ Legionisq; electus, gener Ferdinandi regis Hispaniæ, ex Flandria cum classe in qua habuit armatorum mille quingentos, in Hispaniam nauigauit. toti classi præfecit comitem de Furstenberg, nomine Wolfgangum. Vbi autem per varia discrimina & casus in mari iactati venerunt in Castellæ regnum, Philippus rex nouitate aeris tentatus incidit in morbum grauissimum, quo paucis diebus superatis naturæ viribus, obiit diem suum, nondum egressus vigesimum octauum annum. ita immatura morte abreptus est Philippus Maximiliani filius, in quem Deus tot & tanta bona contulerat, vt nostræ ætatis memoria nullum reperias, quem illi compares, siue animi dotes, siue corporis ornamenta, seu generis nobilitatem, seu principatuum multitudinem & magnitudinem respicias. accesserunt illis omnibus duo filij, Ferdinandus, & Carolus, ex elegantissima & nobilissima adolescentula carissima coniuge. Huius Principis omnibus nominibus summi laudes doctrina & facundia summus vir Erasmus Roterodamus prædicauit. Anno Domini millesimo quingentesimo septimo, Maximilianus Imperator magna comitia Germaniæ Principum celebrauit Constantiæ, in quibus actum est primum, quomodo resisterent Venetis & regi Gallorum, qui vexabant ducatum Mediolanensem, & alia contra Imperatorem & imperium conabantur. deinde, significabat Imperator animi sui propositum proficiscendi Romam, vt studium & voluntatem Principum & ciuitatum experiretur: reperitque satis paratos & promptos ad expeditionem illam & Principes & ciuitates, superabantque plerique expectationem eius. Hoc Maximiliani propositum summis viribus nitebantur impedire Gallus & Veneti, magnamq; Italiæ partem in sua fœdera contra Imperatorem perduxerant, conatiq; sunt omnes vias in Italiam Cęsari obstruere, commeatuque prohibere. Maximilianus vbi hos Galli & Venetorum conatus intellexit, Principum Germaniæ consensu decreuit bellum suscipiendum cõtra Venetos. quare copias conscripsit & Venetorum ditionem inuasit, multa cepit & diripuit. Anno septimo Iulius Pontifex misit in Germaniam Bernardinũ Cardinalem sanctæ Crucis, quem maximo honore excepit Maximilianus Augustæ; exiuit enim illi obuiam extra vrbem. venit hic legatus multis comitatus, & cum clauium potestate mirabili. Inueniebantur autem multi in Germania, qui audebant disputare, vtilisne, an inutilis esset eius aduentus in Germaniam; nec solum in controuersiam vocare, sed definire quidam non dubitabant, malum esse aduentum illius legati, qua causa nescio, fortasse quod magis fauebat Gallo, quam Cæsari, vel alia quapiam causa. Hoc quoq; anno, impulsore (creditur) Ludouico rege Gallorũ, dux Geldriæ contra fidem fœderis, quod victus cum Maximiliano fecerat, hostiliter cum copiis ingressus est Brabantiam, quam misere vexauit & diripuit. Inuocatus autem a Brabantinis Maximilianus, descendit, illis auxilium tulit. cum igitur in Flãdria esset Maximilianus, denuo fœdere coit cum Gallorũ rege, in qua liga, vt sic dicam, fuit & Iulius, conuenitq; inter omnes illos, vt vna contra Venetos mouerent arma. In hac amicitia Pon-

1057

tificis, Cæsaris, & regis, quid a partibus quæsitũ sit, longius esset explicatu, & magis pertinet ad res Italicas: quam ob rem in præsentia non videtur ad finem operis properanti mihi dicendum. Maximilianus post fœdus initum cum rege Galliæ, misit copias ex Germania contra Venetos, coniunctis Gallorum militibus. Pugnatum est in eo bello sæpe leuioribus præliis vario martis fauore, pluresq; Germanorum aduersa valetudine ob aeris, & cibi potusq; nouitatem periere, quam armis. nec maius vllum prælium, quod audiuerim in eo bello fuit, quam cum occubuerunt Venetorum mille ducenti, in qua pugna Germani non paruam meriti sunt bellicam laudem, nam pauci multos in loco iniquo superarunt. Veneti autem pluribus artib. instructi & stratagematis vsi Tergestum & Gurcensem comitatus, & alia quædam domui Austriæ subiecta occuparant. nec respondebat Iulius Pontifex, & Ludouicus rex Maximiliani Imperatoris expectationi. Inducias ergo cum Venetis Imperator tres annos fecit, vt interim de pa-
1059 cis conditionibus ageretur. Anno millesimo quingentesimo nono, Erdfurdiæ magna seditio inter ciues & senatum fuit, nam ciues expositi & accepti rationem exigebant a senatu: cum vero senatus ære alieno esset oppressus, neque tutum existimasset ad calculum reducere accepta & exposita, elabi conati sunt aliis modis quibusdam. tandem ciues episcopum Moguntinum, senatus ducem Saxoniæ inuocauerunt, qui patrocinium confugientium ad se suscipientes, pertinacius suam quisque partem defendit: peneq; iustum bellum inter eos ortum fuisset. Verum hoc prohibuerunt episcopus Herbipolensis, & quidam alij. Veneti hoc anno a Pontifice Iulio excommunicantur, quod Fauentiam, & Rauennam, aliasq; in illis regionibus vrbes, arcesq; expugnarant, & admoniti non reddebant, sed omnia turbare pergebant. Sed fulmina excommunicationis spiritualia contemnentibus Venetis, Iulius non sine stomacho contrahit copias magnas per Italiam, & apud Heluetios, quas ducit contra Venetos, coniunctis Galli & Imperatoris exercitibus; superanturq; prælio insigni Veneti a Pontificiis, quorum pars maxima fuerunt Heluetij, quorum opera & virtute recepit Rauẽnam Iulius, nec tamen sine sanguine plurimo. Eodem tempore recepit Imperator Maximilianus Tergestum, & alia quæ occupauerant Veneti. Paduam quoque redegit in potestatem Cæsar: breui autem eam iterum recuperarunt Veneti. Multa eo bello cepit Maximilianus, præter alia Maisterium, Thebinum, Gortium, Forumiulium, Vincentiam, Veronam, Reiffiam, &c. Nec nulla occupauit Ludouicus Gallorum rex, inter reliqua in deditionem accepit vrbes Pergamum, Cremam, Cremonam, Piscoram, Bressam, & Calisellam, quæ ad principatum Mediolanensem pertinentia Veneti multis annis tenebant. vsus est etiam Heluetico milite in eo bello Gallus. In belli huius vsum petiit Maximilianus pecuniam a principibus & ciuitatibus imperij: ciuitates vero & Principes Wormatiæ conuenerunt deliberaruntque, quid nam faciendum sit in hac Cæsaris petitione. Responderunt autem tandem Imperatori, cum bella hæc non gerat imperij, sed suo ipsius nomine, se iam toties exhaustos nihil mittere posse. quod responsum Principum & ciuitatum imperialium quo animo tulerit Maximilianus, facile est cuiuis cõiicere: & testatur apologia, qua Cæsar respondet ciuitatibus & Principibus. est autem apologia edita eo anno in Tridentina vrbe. Hoc anno monachi ordinis sancti Dominici Bernæ sunt combusti, quorum facinora notiora sunt quam vt hic describenda sint. Anno decimo supra millesimum quingentesimum, conuenerunt Augustæ Principes ciuitatesque imperij omnes, & Imperator Maximilianus, multorumque regum legati, regis Galliæ, Vngarorum, Boemorum, & Iulij summi Pontificis. In eo conuentu multum actum est de Venetis, omniumque sententia concordi bellum denuo decretum est aduersus eos. Quod vbi Veneti intellexerunt, quibusdam artibus Maximiliano Principibusque quibusdam reconciliare seipsos conati sunt: sed vbi primum non succesſit, pararunt se ad bellum. Iulius Papa, conducto ex Heluetia exercitu, suisque ex Italia copiis adhibitis, magno conatu in sua ipsius persona in castris versans, Venetorum vrbes quasdam insignes oppugnauit, quasdam etiam expugnauit. Veniente vero etiam cum magnis Heluetiorum & Gallorum copiis Ludouico rege Franciæ, & Maximiliano Imperatore, territi sunt non mediocriter ob hostium multitudinem. Quam ob rem primum omnium mittunt ad summum Pontificem legatos, cum illo de pace agunt, non ignorantes hoc placato, cum aliis minus negotij fo-

tij fore. Hoc anno Teutonicorum ordinis fratres, consentientibus Cæsare & Principibus per Germaniã magnam pecuniam collegerunt in vsum belli contra Rutenos,& Tartaros,bellumq; perdifficile gesserunt in Prussia. Eodem tempore Constantienses fœdus cum Heluetiis ferire conati sunt;sed piscatorib.resistentibus, certior factus Maximilianus conatus impediuit. Eodem tempore Felix comes de Werdenberg occidit Andream comitem de Sonnenberg venantem, nihil tale expectantem. Anno duodecimo magna per totos tres menses comitia celebrauit Treueris Maximilianus. Erant illic quoq; aliorum regum oratores, aderant Principes electores,aderat legatus regis Galliarum, aderat Campeius legatus Iulij Papæ;regum Nauarræ, Angliæ,Poloniæ oratores aderant,in summa maximus Principum conuentus fuit. Maximilianus & alij Principes cupientes scire num verum esset quod ferebatur de tunica Christi inconsutili,propterea Cæsar iussit aperire altare in quo esse, dictum diu erat ante. Inuẽta est tunica in eo & multæ aliæ sanctorum reliquiæ minime vulgares. Magna multitudo post hunc conuentũ confluxerant ex tota Germania & aliis nationibus Treuerim,homines cum muneribus multis,& hoc durauit lõgo tempore. Eo anno quo tunica Domini est inuenta, seditio magna Spiræ orta est, ciues enim de quibusdam grauioribus exactionibus conquerentes,senatu deposito, alium substituerunt; quosdam qui non satis probe Rempub.tractarant, mittunt in exilium. Cæsar oratoribus suis illuc missis, seditionem sedauit. Anno eodem fœdere inter Gallum & Cæsarem rupto, Gallus per Germaniam clanculum mittit nuncios,qui milites conduxerunt eius nomine;verum Cæsar pœna capitis prohibuit, ne quis ex Germania militatum in Galliam ad regem iret:Comes vero de Lyningen accepta a Gallo pecunia, duxit in Galliam copias. quare eum & omnes eius facultates, comitesq; commilitones banno imperiali subiecit.Maximilianus autem conscriptas per Heluetiam, & reliquam Germaniam copias ducit Mediolanum,& eiectis Gallis, vrbem in suam potestatem redegit. Hoc etiam tempore arx, nomine Hohenkræhen, in qua hospitio prædones & proscripti excipiebantur, est expugnata bombardarum violentia per Sueuicum fœdus,iussu Cæsareæ maiestatis. Anno decimo tertio Colonienses ciues contra senatum seditionem excitarunt, magnoq; cum tumultu concurrerunt aduersus senatum. Senatus statim in turbam plebis furore concitæ misit viros facundia pollentes & populo non suspectos nomine criminum,quibus senatum accusabant,sed multis ex causis gratos:qui vbi venerunt ad concionem collectæ numerosissimæ plebis, prudentissimo exordio effecerunt,vt audiret eos vulgus & patentibus auribus audiret,præter multorum qui in senatu erant expectationẽ.Primum enim dicebãt,neminem debere mirari, quod ita concurrãt ciues & Reipub.amantissimi,magnas enim causas esse,exactiones enim graues quotidianas fieri,& tamen in ęrario non esse quantum deberet(nam sic vulgus clamabat)hoc male habere patriæ amantes ciues merito, sed inconsulte & temere nihil debere fieri,neq; enim sine ordine quopiam quicquam recte fieri posse. nullamq; aliam causam esse quod sæpe qui iustam causam defendunt a malis vincuntur,quam quod illi sua iusta causa & bona conscientia freti vno animi impetu inconsulte consilia sua præcipitant,& factorum dictorumq; nullam rationem reddẽdam hominibus putantes,sine ordine omnia confundunt bono zelo,vt non possint eorum iusta in confusionibus videri,& sic fieri,vt omnes homines, quorum iudicium sæpissime fallitur,faueant & studeant iniustam causam habentibus:isti contra vero malam causam suam colorare æquitatis specie & omnem diligentiam adhibere, ne videãtur fugisse iudicium bonorum.nihilque æque illis prodesse quam æqua defendentium zelus concitatior, qui soleat ab hominibus existimari furor. Quas ob res suadebant plebi omnino rationem reddere promittentes audiendos,etiam si sciant non posse,vt clare demonstrentur omnibus Principibus & ciuitatibus meritas pœnas dare ob male iniqueq; res administratas. nihil namq; in tota oratione conabantur assequi(neq; enim amplius sperari potuit) quam vt differrent rem saltem vnum aut alterum diem, nam senatus promittebat se respõsurum,ratione reddita,de singulis quæ obiiciebat plebs.astute autem præter cætera missi a senatu dicebant plebi senatũ aliquot mensibus petere dilationẽ; sed se non velle illis esse autores, vt tantũ spaciũ concedant,satis esse aliquot dies.neq; enim se in alia sententia esse,quam plebẽ,multa esse corrigenda,& onera tollenda.His

& aliis hoc genus pro tempore, rebus, & personis apte prudenterq; dictis sedarunt furorem primum multitudinis, hoc est belluæ sine ratione. Nam primo impetu sine dubio, vt fertur, & sequentia supplicia de multis sumpta docent, trucidassent totum senatum. Discessit igitur plebs tum ab armis, sed ea lege vt statim sequenti die responderẽt; eligebantq; ex turba viros (qui senatum duplo numero superabant) qui exciperent responsum senatus. portasque diligenter custodierunt, & vigiles per omnes vrbis plateas constituerunt. Verum senatu dimisso, consuluerunt sibi fuga qui se maxime a plebe peti sciebant: alij vero postero die hora senatus habendi conuenerunt. vbi autem ij qui ex turba populi selecti erant ad audiendum responsum, videbant illos non venire, statim conuocata plebe, fraudẽ indicant, elapsos nominãt, interim alij senatores in suam quisque domum ibant, maluerunt enim sic euentum rei expectare, quam congregari, in latebris quidam absconderunt se. Plebs vero furibunda per plerasq; senatorum domus discurrunt, & quoscunq; senatores inueniunt, captos in vincula coniiciunt, miserq; tractant in captiuitate, sineq; mora sequenti die maximæ autoritatis & ditissimum ex captis senatoribus capite truncant in foro fœni, sequentibus diebus alios aliquot senatores afficiunt eodem supplicio, quosdam proscribunt, & nouum ex plebe electum senatum substituunt. Non diu post hanc Colonien sem seditionem, duces Bauariæ vehementer inter se discordarunt, vixq; Maximiliani & aliorum principum interposita autoritate reconciliati sunt. 1515 Anno 1515, Mediolanum a Gallo recipitur Germanorum militum opera. Hoc anno per Germaniam atq; per totam adeo Europam inundationes aquarum perdiderunt non solum plantas, sed etiam ædificia multa, adeo increuerunt torrẽtes, & exiuerũt flumina alueos suos. Magna hoc anno Viennæ Principũ comitia sunt celebrata, imperante Maximiliano. Illic Maximilianus fœdus perpetuum cum regibus Vngariæ, Boemiæ & Poloniæ fecit. Anno post natiuitatem Christi 1518, Carolus archidux Austriæ in regẽ Hispaniæ & Siciliæ coronatur. Eo etiam anno Maximilianus Imperator conuentum Principum celebrauit Augustæ de duce Wirtenbergensi. quid actũ sit, in recenti memoria hominum est. Egit etiam in eo conuentu de nepotibus suis Carolo & Ferdinando, quos bonus Imperator commendauit imperij Principibus & ciuitatibus. Aderat & cardinalis Caietanus legatus Apostolicus, præcipue propter doctrinam Lutheri aduersus Romanæ sedis potestatem. nam anno præcedenti paucula quædam primum contra pontificias indulgentias ausus est edere in publicum, habuitq; defensorem Fridericum ducem Saxoniæ. Adeo autẽ nihil profecerunt apud Lutherum pontificiæ minæ, vt magis etiam visæ sint virum excitare. Ianuario sequentis anni post illa Augustæ comitia, Maximilianus Imper. pacis amantissimus, & omnibus modis summus Princeps, obiit diem suum apud *Wels*, cum esset sexagenarius. Cuius viri laudes a multis prædicatæ sunt, vt meis opus non sit.

1518

DE GERMANIS
LIBER TRIGESIMVS-
PRIMVS.

PEruenimus, gratia Dei, ad operis finem fere. nam quanquam plurima supersint his paucis annis reliquis gesta; tamen cum sint in recenti memoria & adhuc ob oculos omnium posita, digito tantum indicabimus breuiter, erunt enim alij qui maiore ocio, doctrina, & ore ingenióve ad posteros transmittent. nec tutum est hodie res vt habent, scribere in illis partium turbis. Sinceriore fide aliquando licebit scribere, consilia, conatus, & facta ætatis nostræ. Post illa comitia Augustæ, vbi imperij, Principum & ciuitatum sententiam in se intellexit, Cæsare iam mortuo, Vlricus dux Wirtenbergensis, Aprili mense anni 1519, ausus est aggredi vrbem imperialem Reutlingen. Sed statim opibus & viribus potẽs fœdus Sueuicum Reutlingen libertati restituit, & ducem ex toto suo principatu expulit. Dux mox recuperare sua frustra conatus est, nam nondum Domino visum erat. Anno hoc defuncto vita Maximiliano, Principes electores conuenerunt Francofurdiæ electuri

1519

cturi Imperatorem. vbi Franciſcus Galliarũ rex multa conatus eſt fruſtra ad imperium aſpirans. Electus autem eſt Carolus ex filio nepos Maximiliani, archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, rex Hiſpaniæ, rex Sicilię, &c. fruſtratusq; eſt ſua ſpe Franciſcus rex Galliæ, omnemq́ue operam & impenſas, quæ non exiguæ fuiſſe narrantur, perdidit. Principes miſerunt in Hiſpaniam ad electum Carolum legatos Fridericum comitem Palatinum Rheni, & ducem Bauariæ, qui honorificentiſſime ab Imperatore excepti ſunt, & eximiis muneribus donati. Carolus poſt anno 20, ſuſcepturus imperij gubernacula, ex Hiſpania in Angliam primo proficiſcitur, mox ex Anglia Germaniam petit, & Aquiſgrani menſe Octobri coronam accipit ab archiepiſcopo Colonienſi, magna totius Imperij ſpe & expectatione, cui hactenus quantum per temporum conditionem potuit fieri, ſatis reſpondit. Hoc anno Lutherus a Pariſienſibus, Colonienſibus, Louanienſibus, & aliis multarum vniuerſitatum Theologis hæreticus declaratur, & a Romano Pontifice cum omnibus ei adhærentibus excommunicatur. Vigeſimo primo anno habita ſunt Principum comitia Wormatiæ, vbi Leo Pontifex Maximus per ſuum apoſtolicæ ſedis legatum confirmauit Caroli quinti electionem. Illic etiam fuit Lutherus ſuæ doctrinæ redditurus rationem petentibus. Hoc anno Ferdinandus infans Hiſpaniæ, Imperatoris germanus, cum regina Vngariæ Anna ſplendidas magnifice nuptias celebrat Lynceæ. Similiter ſplendide nuptias Ludouicus Boemiæ & Vngariæ rex Budæ habet cum ſorore Caroli quinti. Turca vero anno hoc Vngariam multis partibus vaſtauit, & Albam Græcam cepit, quæ vrbs ſingulare monimentum Vngariæ fuit. Hoc anno Mediolanum, nomine Caroli Cæſaris, Germani milites vrbem & totum principatum occupant. Anno 1522, Cæſar Carolus, relicta Germania, profectus eſt in Hiſpanias, Ferdinando fratri rebus Germaniæ magna ex parte commiſſis. Eodem anno Norinbergæ magnus celebratus eſt Principũ conuentus, præcipue propter Turcam & propter Lutherum. aderat enim ob eam rem Adriani legatus Apoſtolicus. aderant Vngari pericula imminentia ſatis indicantes, & auxilium petentes, ſed fruſtra. Anno 23, fœdus Sueuicum circiter viginti tres arces funditus tollunt, quoniam inhabitabant eas qui ex latrocinio & rapinis viuebant. Eodem tempore contractas copias ducit aduerſus Treuirenſem epiſcopum Franciſcus Sickingerus, & vrbem obſidens Treuerim, vbi audiuit exercitus contra ſe parari, recepit ſe ad ſua, illic expectans hoſtes ſocios epiſcopi, a quibus obſeſſus in arce *Nanſtal* ictæ bombardæ perit. Iuuabant autem epiſcopum, comes Prouincialis Haſſiæ, & comes Palatinus Rheni, qui Principes omnia Franciſci occupabant. Rex Galliarum vigeſimo quinto a Cæſarianis victus eſt, & captus, quam duriſſimam fortunam vix vnquam minus expectauit, tam numeroſo & bene inſtructo exercitu minitus, hoſtibus oppoſitis multo inferioribus numero. ceciderunt autem vtrinque multi, ſed plures multo ex copiis Galli. ex numero interfectorum fuerunt viri Principes multi, ſcilicet dux Lotharingiæ, comes de Naſſau, magiſter equitum Franciæ, comes ab Otenberg, comes Tenderenſis, & alij: capti ſunt autem cum rege rex Nauarræ, comes de Lupfen, & alij plurimi nobiles. Sternue autem rex Franciſcus in eo prælio pugnauit. captiuus autem in Hiſpaniam ductus eſt ad Carolum quintum Imperatorem. Anno hoc incepit, Thoma Muntzero autore, ſeditio illa ruſticorum in Turingia primum, nam Muntzerus, falſus propheta, perſuaſerat multis ſimplicibus nimium credulis, adeſſe fatale tempus quo omnes impij eſſent interficiendi, ſeq́ue ad hoc a Domino vocatum, nec fore magnum negocium, impios enim nemine perſequente fugituros, foreq́; omnia, ſublatis impiis, beata, omnesq́; ſanctos futuros; Dominum in omnibus regnaturum, omnes in ſumma felicitate victuros, neminẽ plus alio habiturum. breuiter, omnia dicebat futuris ſeculis fore, quæ poſt hãc vitam ſanctis eueniunt, quæ niſi carne exutis, & immortalitate indutis contingere non poſſunt. hæc doctrina carni arridebat, quæ a mortificatione abhorret. Magnam plebis ruſticanæ multitudinem collegit, & diripuit monaſteria & ſacerdotum nobiliumq́ue bona, obuiosq́ue ſimul furere cogunt, renitentes occidunt. Nec aliter per Germaniæ multas alias regiones, neſcio quo ſeditioſo & iram Dei ferente ſpiritu autore, excitati ſunt magnis turbis ruſtici, leuari cupientes ab oneribus quibus ſe nimiũ deprimi querebantur. non deberi decimas, tantos redditus & cenſus, inquiebant. piſces in aqua, aues in aere, feras in ſyluis capiẽdi omnibus idem ius eſſe iure diuino, & hoc genus mul-

ta emendare volebant, in nescio qua æqualitate æquitatem positam affirmantes. Fuerunt autem multis locis eodem tempore in armis, vt multi credant fatale fuisse, & profecto non paucis incusserunt terrorem. Primum enim antequam consilium ciuitates & Principes caperent qua via debellandi essent, eisque resistendum, monasteria & sacerdotum facultates diripuerunt, & vastarunt multa, etiam nobilium bona, quæ in potestatem eorum venerunt. ceperunt etiam oppida quædam. Sed intestinis odiis factionibusq; statim primis diebus cœperunt turbę vbique laborare: quare factum est vt minori negocio, consilio & prudentia magistratuum victi sint quam quisquã sperare potuisset. Discordia enim quam infirma res facilisq; victu sit, incredibile est. In Turingia igitur, Sueuia, Francia Orientali, & Alsatia per eam æstatem plusquã rusticorum centum millia trucidata certo numerantur, omnesque victi dissipatique dederunt pœnas, aliis pecunia, aliis capite, aliis vero exilio mulctatis. Vigesimo vero sexto anno Hispalis celebrauit magnificẽtissime nuptias Carolus Imperator cum sorore regis Portugalliæ. Eodem anno Turca magnis copiis inuadit Vngariam, Ludouico Vngariæ rege perexiguas Germanorum copias apud se habente, Vuaiuoda fœdere & societate belli Turcæ iuncto, Vngarorum pleraſq; vires apud se tenente. tamen confisus rex Germanorum fortitudine cum hoste congreditur, nam non potuit diutius ferre tantam crudelitatem Turcæ, acerrima fit pugna, sed nostri multitudine victi cum rege pleriq; cæduntur, nec tamen inulti, maximam enim Turcarum turbam secum rapuerunt. Fortes & nobiles Germani multi occubuerunt cum rege, & tota aula regis. Turca post eam victoriam vastata tota Vngaria cum maxima præda & animi sublatione, reuertitur in Græciam, Vngariæ regno Vuaiuodæ tradito: sed ea lege, vt Turcæ tributarius sit, & regnum Turcæ semper pateat, quicquid contra quosuis conetur. Anno proximo post illam durissimam in Vngaria fortunam Ferdinandus, germanus Imperatoris, Pragæ cum vxore sua coronatur in regem Boemiæ. Hoc quoque anno Roma a Germanis & Hispanis, sub auspicio Caroli quinti militantibus, capta est & direpta, quæ res ab aliis est commissa literis, prætereunda igitur nobis. Proximo anno post Romæ vastationem, Germanorum copiæ equitum & peditum electissimæ, nec paruæ, iussu Imperatoris, ducibus Marco Pisttaco, & duce Brunschuicensi, Venetos inuaserũt, sed ob commeatus inopiam & nouitatem & intemperiẽ aeris multi perierant equi & milites Germani: equitatus magna pars inedia exhausta, etiam vbi venerunt domum, longo tabis
1528 morbo periit. Anno 1528, Italiam multis bellis exhaustam & direptam, accedente etiam aeris intemperie, propter quam etiam rura, quæ perpauca fuerunt, culta parum reddiderunt, magna fames pressit, ingens numerus mortalium fame periit. præcipue in Insubria & Venetorum regione. Annus proximus post fuit pluuiosissimus; præ vligine multa fruges cereales & arboreæ pessime responderunt colonis: quare secuta est magna annonæ caritas, & varij morbi, præcipue febris quædam lethalis, quam vocant sudorem Anglicum, qui ante repertam curam, multos morte abripuit. Hoc quoque tempore conuentus magnus Principum Spiræ fuit, in quo de religionis rebus multa sunt acta, & consultatum de bello in Turcam suscipiendo, & expeditione in Vngariam. Heluetij in quibusdam dissenserunt, & indies magis exasperatis induratisq; partibus, ad arma venit, Bernenses igitur, Basilienses, Tigurini, alijque quidam coniuncti copias duxerunt aduersus quatuor Heluetiorum pagos & Lucernanos. Argentinenses vero & Heluetij alij qui nulli partium se coniunxerant, magna industria & studio pacem fecerunt, quæ, vt audiemus, non diu durauit. Hoc anno Turca cum ingenti exercitu Austriam intrauit hostiliter, & omnia obuia direpta vastauit vsque ad Enesum. Totum fere mensem Viennam obsedit, & sine intermissione omnis generis tormentis & artibus oppugnauit: verum Germanis militibus incredibili virtute propugnantibus vrbs est defensa, coactusque tandem est Turca cum magna ignominia plurimis suorum amissis, soluere obsidionem. magnamque laudem meruerunt milites qui Viennæ in præsidio fuerunt, neque enim facile dici potest quam magnis animis, sudoribus, vigiliis, & periculis defenderint non solum Viennam, sed multa alia. nam si cepisset Viennam, sine dubio muniuisset eam, vt non sine maximo negocio recuperari potuisset a nostris. quid deinde conatus esset, quiuis facile iudicare potest. Eodem tempore arctissimo fœdere Bononiæ iunguntur Pontifex Rom. Carolus Imperator,

Fer-

Ferdinandus germanus frater Caroli, rex Galliæ, rex Anglię, duces Sabaudienſis, Mediolanenſis, Ferrarien. Mantuæ Principes, & ciuitates Senenſes, Genuenſes, Lucani, & aliæ quædã. Per idem tempus Carolus Cæſar Bononiæ a Pont. Rom. Clemẽte 7, 1530
coronatus eſt maxima cum celebritate. Poſt acceptam coronã anno 30, in Germaniã magna multorũ expectatione venit. niſiq; fuiſſet Cæſaris pacatior animus quã quorũdam ſanguinolentorũ hominũ, turbatus fuiſſet Germaniæ ſtatus. ſed Domino cœleſti ſit gloria & laus, qui ſuo erga homines indicibili amore hactenus pacem dedit nobis contra quorundã expectationem & ſententiã, atq; vtinam omnes intelligerẽt calamitates & infelicitates, quæ eueniſſent omnibus partibus etiã victoribus, ſi res veniſſet ad arma, vt gratiæ a pluribus agerentur Domino Deo, & plures maiore ſedulitate orarẽt, vt etiam in poſterum pacem nobis det Deus pater & Dominus noſter. Vbi in Germaniam, vt dixi, Carolus Imperator venit, exceptus eſt honorifice magno ab omnibus gaudio per Germaniam, pulſatis campanis, & ignibus incenſis, ad lætitiam ſignificandam. Cõuocatis autem Germaniæ ciuitatibus, & Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, Auguſtæ cum eis multa egit de religionis articulis quibuſdam, quos Lũtherus & cũ eo ſentientes docuerant aduerſus Romanæ ſedis inſtitutiones. Lutherani illic, præſente etiam ſummi Pontificis legato, rationem reddiderunt ſuæ doctrinæ in frequentiſſimo Principum conſeſſu: ſed nihil ſtatui potuit in illis comitiis, ob ſententiarũ multifariam varietatem. Eodem anno copiæ Ferdinandi Budam recipiunt, breui tamen poſt tempore a Waiuoda iterũ occupatur, & ita per totum annum vario marte inter illos pugnatum eſt. Anno hoc Heluetij liberarunt Gebennam obſeſſam a duce Sabaudiæ. Triceſimo primo anno Ferdinandum fratrem ſuum accipit imperij conſor- 1531
tem Carolus, & Coloniæ a Principibus eligitur in Romanorum regem, Aquiſgrani poſtea regni corona illi imponitur. Hoc anno miles arcem Muſſis inhabitans, fretus & confiſus munitionibus arcis, quã exiſtimabat inexpugnabilem, conatus eſt diripere Vallem Thelinã quæ eſt Rhetis ſubiecta: cui oppoſuerunt ſe Rheti, & fugarunt in caſtrum, quod auxilio Tigurinorum, Baſilienſium, & Bernẽſium, & ducis Mediolanenſis obſederunt diu, tandem Caſtellanum ad deditionem compulerunt, & arcem extirparunt radicitus, itaq; deiecerunt, vt non facile ſit aliam illic ędificare. Hoc etiam anno, cum multas minas quorundã audirent ciuitates, & Principes qui a Romanæ ſedis conſtitutionibus quibuſdã diſceſſerunt, inter ſe coierunt fœdere, vt cõmunia pericula coniuncti repellãt. De his omnibus olim noſtri poſteritati (ſi Dominus nõ ante finierit hunc mundũ) licebit liberius conſilia & ſtudia partiũ deſcribere: erit quoq; iudicium eorum non ſolum magis liberum, ſed etiam, vt opinor, magis incorruptum. Quotus enim quiſque noſtrum iam eſt qui non ſit aut addictus, aut certe inclinatior partium alicui. Eodem tempore apparuit nobis ſub libra in occidente cometes. Hoc etiam anno omnibus nominibus vir maximus, in omni doctrinarũ genere, & trium linguarum cognitione doctiſſimus vir, Ioannes OEcolampadius, obiit diem ſuum. Eodem anno bellũ inter Heluetios, de quo diximus iam, antea male ſopitum, nunc denuo excitatur, in quo cum altera pars non ſatis feliciter pugnaſſet, compoſita eſt pax. Poſt natiuitatem Domini anno 1532, Imperator conuocatis imperij principibus & ciuita- 1532
tum legatis Ratiſponæ comitia celebrauit, conſultans de ſuſcipienda expeditione in Turcam Vngariam occupantem, & Germaniæ imminentem. Sed erant non paruæ diſcordię inter partes, Lutheranos (quos vocant) & Põtificios, quibus inter ſe expoſtulantibus & diſſidentibus primum nihil potuit contra Turcam ſolide ſtatui. Conuenerunt ergo iterum de eiſdem rebus Schuinfurdiæ, atque poſtremo Norinbergæ. Vbi communi ſententia Principum & Imperatoris, nam omnes pacem cupiebant, decretum eſt, vt in eo ſtatu omnia manerent, in quo erant vſque ad futurum cõcilium generale, cuius tempus & locus cõſtitutus erat in eiſdem comitiis, neſcio quod malum impedierit & mutarit optimum & neceſſarium propoſitum. De his rebus, vt diximus, nihil opus eſt ſcribere, in omnium enim ore adhuc & oculis ſunt, mandabunturq; memoriæ aliquãdo ab aliis bona fide, ſine omni affectu animi aut fauentis aut odientis. In iſtis comitiis decreta eſt expeditio in Turcã, quem aduenturũ in Auſtriam certo ſciebant Imperator & alij Principes, quã ob rẽ omnia poſtpoſita ſunt illi neceſſariæ expeditioni. Venit igitur cũ ingentib. copiis Imperator Turcarũ, & circiter viginti dies per-

petuos oppidum *Guntz* obsedit, cumque nullam haberet spem capiendi illud propter incredibilem propugnatorum fortitudinem, soluens obsidionem, Austriam, Carinthiam, & Styriam, diripuit & vastauit quibus consueuit modis, hoc est crudelissimis. Quam ob rem tota Germania concordi animo illi occurrit fortissima manu: sed Turca vbi audiuit Germanorum instructissimas copias sibi occurrere, cum ignominia recessit, vel potius fuga sibi & exercitui suo consuluit, nec pauci in extremis agminibus a nostris occisi sunt, præcipue equites plurimos amisit. Huic expeditioni adfuit ipse Imperator: post vero fugatum Turcam iterum Bononiam ad summum Pontificem est profectus. In huius anni Decembri vehementer periclitatæ sunt multæ regiones, potissimum Frisia, Hollandia, Seelandia, ac Flandria. Circa fontem Rheni, in vicinisque regionibus insolitæ magnitudinis terræmotus fuit, eodem mense quo regiones illæ in quibus Rhenus mare influens finem habet. Hoc anno finem habuit fœdus illud Sueuicum quod sæpe formidabile hostibus, solatium & auxilium amicis fuit. Multæ ciuitates & Principes cupiebant conseruare & renouare ligam, sed quibusdam impedientibus, non potuit fieri. In summa, aliter visum est Domino, qui parua & magna gubernat. His annis proxime dictis annonæ & aliarum rerum vsui mortalium necessariarum caritas superiorem Germaniam & Italiam supra modum afflixit, cum tamen cœli terræve iniquitas non fuerit causa. Dubitantq; adhuc, etiam qui sibi videntur in rebus humanis prudentissimi, quæ sit causa, aliis bella, aliis bellorum metum & expectationem, aliis auaritiam & extinctionem caritatis, curamq; huius seculi, quam extremis temporibus futuram prædixerunt multi prophetæ, quibusdam monetæ multitudinem, aliis aliam putantibus causam. Sunt qui putant hæc omnia simul causam esse.

1534 Anno 34, pernicioſa seditione Monsterienses ciues ex vrbe expulerunt episcopum, & nouam quandam cuiusdam sanctoris doctrinam secuti, omnia communia fecerunt, & plures vxores cuilibet concesserunt, repudio pro cuiusuis libidine permisso. Verum episcop. quorundam auxiliaribus copiis cõiunctis post diuturnam obsessionem, & multas vtrinque cædes, cepit vrbem sequenti demum anno, multis factiosæ sectæ

1534 autoribus supplicio affectis, pristinum statum restituit in vrbe. Anno etiam tricesimo quarto recuperauit Vlricus dux Wirtenbergensis principatum, patriam & patrimonium suum, auxilio comitis prouincialis Hassiæ. Quæ res quanquam non potuit non molesta esse Ferdinando regi, propter multas causas: tamen ex ingenito pacis amore passus est rem æquis conditionibus componere, & recepit ducem Vlricum in gratiam, maiorem solidioremq; gloriam esse ratus, quam tumultibus bellorũ omnia perturbare. Eodem tempore Cracouiæ in vicinisq; regionibus illis magna vis aquarum fuit, quæ multos labores hominum & agros vastarunt. Hoc anno turbatum est etiam armis regnum Daniæ: eo bello etiam Lubeccenses impliciti fuerunt. Barbarossa hoc tempore regem Tunissæ Altzachenum eiecit ex regno, & regnum eius direptum occupat, nec his contentus ex Africa cum Turcica classe, quæ illi a Turca Imperatore commissa erat, nauigat vsque ad fines Italiæ, & mare circa Genuam obsidet.

1535 Imperator vero Carolus Turcicos conatus repressurus, anno 35, cum exercitu Germanorum, Italorum, & Hispanorum nauigat in Africam, & expugnatum regnum Tunissæ subiugatum reddit regi cui iure debebatur, qua iustitia peperit sibi inuictissimus Cæsar non minorem gloriam, quam ipsa victoria. Hæc omnia cum sint ab aliis scripta, & infinitis passim per orbem exemplaribus diuulgata, non videtur operæpretium, vt ego repetam. Eodem tempore in Pannonia habiti sunt multi de rebus Vngariæ componendis, conuentus, in quibus cum sereniſſimo rege Ferdinando egerunt multa legati Turcæ, & Waiuoda. Hoc tempore Bernenses & Gallorum rex eiecerunt ducem Subaudię ex tote suo principatu. Frequentes quoque Schmalkaldiæ conueneruut iam sæpe multi Germaniæ Principes & ciuitates his temporibus, propter religionem, pacem Germaniæ & confœderationem. De his rebus satis ab aliis, vbi euentus videbuntur, olim scribetur. Quid enim nos scribemus, adhuc ignari quid omnipotens rerum rector facere velit. Hoc tempore Cæsar Carolus quintus post multas consultationes, de suscipienda expeditione in Turcam, prius decreuit bellum contra regem Galliarum, ne ipse turbaret Italicas res, intricato Imperatore bello Turcico, quoniam ferebatur rex omnem occasionem captare ducendi exercitum in Italiam, iure

enim

enim ad se pertinere Mediolanensem ducatum contendebat. commouit etiam Imperatorem, quod legationes Turcæ apud regem; viciſſim regis apud Turcam fuerant. Non temere igitur ſuſcepiſſe Imperator videtur bellum hoc, iudicans, nihil poſſe recte contra communem hoſtem Turcam fieri, niſi pax prius ſit inter Chriſtianos Principes. Quare apud Heluetios, Principes & ciuitates Germaniæ, cauſam ob quam bellum Gallorum regi mouendum ſit, per legatos diligenter reddit. rurſum rex Galliarum reſpondit, ſibi quoque conciliare conatus fauorem Principum Chriſtianorum & ciuitatum, præcipue Heluetiorum. vterque Cæſar & Galliæ rex ſuam cauſam multis probabiliter defenderunt. Sed ob quas diximus, cauſas, belli huius conſilia, deſtinata, geſta, fortunam, ſucceſſus & finem, aliis, potiſſimum poſteris, commemoranda relinquamus. Anno Domini 1537, Eraſmus Roterodamus in omni philoſophia, 1537
præcipue in ſacris literis vir ſummus, infinitis laboribus & ſudoribus, quibus per totam vitam eccleſiæ Chriſtianæ ſeruiuit, exhauſto corpuſculo, obdormiuit in gratia & pace Domini. Cuius obitum D. D. Bonifacius Amerbachius, & D. Beatus Rhenanus, facundia, eruditione, & animi morumque grauitate viri incomparabiles, optima fide perſecuti ſunt in doctiſſimis præfationibus, hic in D. Eraſmi operum catalogos; ille in Originem, præfati. Vitam eius prædicant ſatis tot præſtantiſſima operum monumenta. multi principum & aliorum magiſtratuum conuentus paſſim per Europam, potiſſimum in Germania & Italia fuerunt anno trigeſimo octauo, & hoc trigeſimo nono. 1538 &
Ciuitatum & Principum maxima pars cenſet opus eſſe generali concilio; ſed contro- 39.
uerſia eſt de loco: nullus enim tam rerum imperitus eſt, qui non intelligat, plurimum referre, quis locus concilij ſtatuatur. Nam de tempore inter omnes conuenit, nemo enim eſt qui non cenſeat rebus turbatis, quam primum poſſit fieri, generali ſynodo ſubueniendum. Anno hoc tempore verno Francofurdiæ frequens conuentus Principum & ciuitatum fuit, fuit & illic Imperatoris legatus. Multa de componendis quibuſdam controuerſiis, deque concilio acta ſunt: poſtremo alius comitiorum dies Norinbergæ celebrandorum, Auguſto menſe eiuſdem anni, conſtitutus eſt. Dominus Deus, in cuius manu ſunt omnium mortalium cogitationes & conſilia, dirigat Principum & omnium hominum corda in vias legéſve ſuas, vt in pace ſeruiamus illi: auertatque mala, quæ videntur imminere omni carni, niſi miſericors Pater cœleſtis nos opus manuum ſuarum reſpiciat, cui ſoli gloria, Amen.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN HOC ALTERO TOMO SCRIPTORVM GERMANICORVM VISA SVNT NOTABILIA.

In numeris huius Indicis ordinem librorum ſpectauimus, vt ſi quando plures concurrerent, numeri primo loco poſiti, rem in Pantheo; *ſecundo, in* Faſciculo; *tertio, in* Mutio *tibi inueſtigandam eſſe denotarent. Qua in re ne quicquam te turbaret aut offenderet, quo minus quemuis authorem conſulere pro libitu expedite poſſes, numeris* Faſciculi, *literam F; numeris* Mutij; *literam* M *præfiximus.*

A

AARON f. Amram naſcitur F. 9 Moyſis frater & eius collega in apparitione Dei denuntianda 117,29 in miraculis edendis & populi ſui dimiſſione roganda 117,47
Aaronis pontificatus & vita F. 10 virga floret 128,3 Roma in Galliã portata 304
Aaron rex Perſarum mittit Carolo M. munera & elephantem F. 459,54. F. 64. M.57,21
Aba rex Vngarorum depopulatur Auſtriam & Bauariam M. 114,35 in Vngaria ſæuiſſimam tyrannidem exercet M. 114,47 cum Imperatore congrediens vincitur & in fuga occiditur M. 115,1
Abacuc propheta floret 193,18 prophetat cõtra Nabuchodonoſor F. 21
Abacuc Danielem paſcere iubetur, & mittitur. 195,7. F. 21
Abbacellenſes bellum gerunt cum monachis S. Galli M. 268,21 fœdus cum confœderatis Heluetijs ineunt M. 268,48 Sangallicanis ſuppetias ferunt M. 269,11 Brigantiam obſident M. 270,10
Abbiſinda filia regis Longob. Alboini 448,46
Abdias Propheta 320,31 quartus de minoribus F. 17
Abdo propheta clarus F. 14
Abdon iudex in Iſrael 137,18. F. 12
Abednego puer Hebræus in aula Babylonia, qui alias Aſarias 189,28
Abel naſcitur 74,53 offert agnum Deo acceptabilem 75,3 quando occiſus 75,34 primus martyr F. 3
Abeſſam iudex in Iſrael 137,6 maritus Ruth F. 12
Abias rex in Iuda 166,26. F. 14
Abiathar ſummus pontifex vltimus de linea Ithamar F. 13 glorioſus apud Dauidem F. 13
Abies e paradiſo tralata 346,29
Abigail in Dauidem propenſa, poſt ipſi nubit 154,35
Abimelech f. Gedeonis iudex in Iſrael 135,50. F. 11
Abiron & Dathan cum aſſeclis deglutiuntur 127,32. F. 10
Abiſag puella, ſolatium & fomentum Dauidis iam ſenis 160,39
Abiſai f. Ioab occidit gigantem 160,15
Abiſne pontifex in Iſrael F. 11
Abiu filius Aaron F. 10
Abiud f. Zorobabel dux in Iuda F. 23
Abner princeps militiæ ſub Isboſeth 157,11 perimit Aſahel 157,27
Abraham f. Thare, amicus Dei magnus F. 7 quo tempore natus 89,22. 91,13 cum Sara & nepote Loth de Chaldæa in terram Chanaan tranſit 91,50 in Ægyptum peregrinatur 92,10 nepotem Lothum captum liberat 92,52 quando Abraham appellari cœperit 93,30 circumciditur 93,34 hoſpes Dei vnius & trini 93,39 de ſubuerſione Sodomæ & Gomorrhæ cum Deo loquitur 93,45 IIII reges percutit F. 7 ſecundo ſecedit in Ægyptum 94,29 ſecundam ducit vxorem 95,45 a Deo tentatur 96,9 moritur 96,49. F. 8
Abroditi ab Henrico Aucupe ſuperati M. 97,22
Abſalon inuadit regnum patris Dauidis 159,21 ſigna confert cum patre Dauide 159,34 impexis inter volandum capillis e quercu pendens confoditur 159,38
Aca vrbs obſeſſa & capta M. 161,21
Academiæ tres fundatæ a Carolo Magno M. 71,44
Academia Pariſijs inſtituta F. 64
Academia Pragenſis F. 85. M. 254,33
Acephalorum hæreſis F. 52
Achab f. Amri, rex ſuper Iſrael 169,42. 213,45. F. 15 idololatra perſequitur Eliam Prophetam 169,47 grauiter obſeſſus, rebus deſperatis Dei auxilio emergit & vincit 170,31
Achaia ab Auila vaſtata 405,21. M. 33. 38 a Turcis occupata F. 89
Achatius epiſcopus Conſtantinopolitanus F. 52
Achaz rex in Iuda 166,50. 167,5. 173,19 F. 18
Achazias rex in Iuda 173,16
Acheluoldus epiſcop. Vintonienſis F. 70
Achiamas f. Sadoch, ſummus pontifex F. 14
Achim dux in Iuda F. 27
Achimelech ſacerdos, hoſpes Dauidis, cum ſeptuaginta ſacerdotibus trucidatur 153,17. F. 13
Achis rex hoſpes Dauidis 154,48
Achitob f. Phinees pater Achimelech, iudex in Iſrael F. 13
Achitob ſummus pontifex in Iſrael F. 18
Achon ciuitas capitur a Soldano F. 82 a chriſtianis recuperatum F. 78
Ada F. 3
Adalaoth rex Longobardorum baptiſatur F. 58
Adalgiſus frater Deſiderij copijs Italiam obtruit, ſed deletur M 53,53
Adalgiſus dux Beneuentanus perfidus in Imperatorem 465,11,27 hoſtis Reipublicæ iudicatur, & denuo bello infeſtatur 465,36 fugit in Sardiniam 465,42
Adam de terra rubea formatus 69,19 vbi 70,34. F. 2 in virili forma creatus extra paradiſum 70,38 quandiu creditur fuiſſe in paradiſo 72,2 nomina imponit animantibus 74,48 prophetiæ ſpiritu præditus F. 2 e paradiſo quare eiectus 73,39 vbi habitauerit & ſepultus M. 72,13 extra paradiſum quomodo vixerit 74,25 luget ob amiſſum filium Abelem 75,18. 3 F. moritur 3 F.
Adamitarum hæreſis F. 86
Adamarus ſecundus abbas Cluniacenſis F. 69
Addua fluuius M. 147,42
Adelbertus. Vide Albertus
Adelboldus epiſc. Traiectenſis F. 71
Adelfonſus rex Toletum recuperat F. 75
Adelhaida (Adilinda) vidua Lotharij, captiua 475,50 liberatur ab Otthone I, cui nubit 475,50. M. 100,42
Adelinga, nobilitas Longobardorum 448,20
Adelrich nepos *Dietrich* de *Bern* ex filia rex Italiæ, auique ſucceſſor M. 35,51
Adeltrad, filia Caroli M. ex concubina Gerſuinda M. 58,23
Adeodatus papa F. 60
Adiabeni victi a Seuero F. 43
Adiulfridus rex, poſt monachus & epiſcopus F. 61
Admiraldus Heduorum princeps rebellis contra Rud. H. compeſcitur M. 195,38
Admiratus rex Babyloniorum, Chriſtianorum perfidus hoſtis 495,51. 496,48
Ado monachus, caput Cluniacenſium monachorum F. 68
Adolphus comes de Anaxone (Naſſau) Imper. Rom. Aug. F. 83. M. 201,8 agit conuentum in Eſſinga M. 201,15 mittit copias in Flandriam M. 201,40,45 belligeratur contra ducem Auſtriæ Albertum M. 202,10 exauctoratur M. 202,13 bellum inſtaurat contra Albertum M. 202,22 cum exercitu deletur & occumbit M. 202,32
Adolphus de Naſſau epiſcopus Moguntinus belligeratur contra anteceſſorem abrogatum de Iſenburg 298 vi & dolo Moguntiam occupat 299
Adolphus, vir militaris diſciplinæ peritiſſimus, legatus Caroli Magni in Angliam M. 63.16 Angliam primo limine ingrediens, ab hoſtibus excipitur M. 63,26 acer & impiger in con-

flictu cum Anglis M.63,36 munitionem Anglorum edito loco extructam capit M. 64,36 pacifice a magnatibus Anglorū recipitur M.65,2 classe domum reuertitur M.65,17
Adolphus archiepiscop. Colonienſis ab Otthone rege ad Philippum regem deficit M.169,14 ob defectionem inter ſuos male auditM.169,35 deponitur M.169,43 reſtituitur M. 171,6 iterum deponitur M.172,25
Adonias affectat regnum paternum 160,45 ambit patris pellicem Suhamitidem,& occiditur 161,8
Adrianus Ælius Imperator 370,22.F.41 moritur 370,35
Adrianus I papa 443,40.F.64.
Adrianus II papa F.67.M.44,20
Adrianus III papa F. 67
Adrianus IIII papa F.77 coronat Frid. I Imperatorem diſſentientibus Romanis 517,44 Imp. odit M.145,31 Frid.1B. mordaciter ſcribit 145,38. M.146,30 cum Friderico I Barb. reconciliatur M. 147,29 fouet contumaciam Mediolanenſ. contra Imp. M.149,1 deflectit ab amicitia Imp. M.149,3 cum aliis quibuſdam conſpirat contra Imp. M. 150,19 excommunicat Frid. Imperatorem M. 150,21 promulgata excommunicatione Imperatoris,hauſtu ex fonte infortunato moritur M.50,21
Adrianus V papa F.82
Adrianus legatus & cardinalis Albanenſis,poſt papa, præco diuini verbi in Norvvegia F.77
Adrianus chronographus & monachus Fuldenſis F.73
Adriani martyris tranſlatio F.71
Aduentus dominicæ inſtitutæ F.38
Adulteria inter Germanos rara M.8,34
Ægialeus primus rex Sicyoniorum F.6
Ægidius Romanus rex Francorum 433,5
Ægidius abbas ſanctiſſimus F.62
Ægo comes Friburgenſium tyrannicus, ideoque electus M. 255,26 cum Friburgenſibuſ belligeratur,pacificatur M. 255,33
Ægyptus Syluius, alias Atys, rex Albanorum 170,6.213,29. F.14
Ægyptus a Belo ſubiugata 88,19 fame magna premitur 104,50 Xerxi paret 204,22 capta ab Alexandro M. 223,10 capitur a Syro Antiocho 239, 36 ſubacta ab Alexandro Epiphane 260,45 a Pompeio M. ſubacta 272, 31 recedit a Perſis F.25 recuperata a Perſis F.26 a Saracenis vaſtata F.64. M.44,31
Ægyptij vnde orti F.4 Geometriam & Aſtronomiam quando & a quo acceperint 92,13 victi a Cæſare 350,30 Romanum iugum Germani merito abijciunt M.22,18 deditione occupant Hieroſolymam M. 125,26 Chriſtianos Hieroſolymis eijciunt M.125,34
Ægyptiacæ literæ inuentæ 99,9
Ægyptiacarum plagarum ſub Moyſe enarratio 118,2
Ægyptiacorum regum catalogus 144,2 555,25
Ægyptiorum rex icit per legatos fœdus cum chriſtianis cōtra Turcos,ſed falſo M.125,15,28
Ægyptiorum regnum oritur F.6 ſæpe mutatum F.6
Ælia,mater Romuli & Remi. Vide Ilia
Ælia,noua Hieroſolyma 370,22. F.41
Ælius ſenex,Pertinax imperator 373,6. F.43
Ælius patricius F. 52
Æmylianus Imp. Aug.377,8 prope Moguntiam occiſus M.22,4
Æmylius conſul Romanus F.28 contra Tarentinos belligeratur F.27
Ænea tabula, teſtis fœderis Iudæorum cum Romanis 267,37
Æneas filius Anchiſis ex Venere F.12 e poſteris Iouis 105,32 ſaluus euadit Troianam cladem 158,4 proditor vrbis Troiæ F.12 cum f.Aſcanio venit in Italiam 161,13 Turnum occidit,& Lauinia potitur 162,15 rex in Latiō 213,25 poſt Deus F.12
Æneæ facinora & poſteritas 137,34. 138,3
Æneas Syluius, filius Poſthumi Faunij, rex in Latio 141,13.169,3. F.13
Æneas Syluius,poſt papa F.89
Æneus ſerpens Moyſis confractus 174, 53
Æneus taurus,tormentum F.23
Æoles a quo progeniti F.5
Aer elementum, vbi 25,1
Æra quid F.3
Æratium Romanum a C. Cæſare directum 275,11
Æſchylus tragœdiarum ſcriptor F.24
Æſculapius f. Apollinis, celebris medicus 114,2
Æſtas magna F.90 ſatis temperata
Ætates mundi ſex F.3
Ætatis primæ exordiū & duratio F.2,3 ſecundæ F.3.4 tertiæ F.3.7 quartæ F.3.13 quintæ F.3.21 ſextæ F.3.35
Æthiopes bello petunt Ægyptum 115,2
Æthiopes occidentales F.4
Æthiopum conditor F.4
Aetius dux exercitu ducto in Gallias, Francos inde expellit M.31,38 Francorum potentiam veritus in Hiſpanias fugit,ideoque exautoratur M. 31,41 contra Attilam coniungit ſe Germanis M.33,13 iuſſu Valentiniani innocenter truncatur M. 33,51
Ætna mons flammiuomus in Sicilia 206,26.459,37.F.31
Ætolia a Turca ſubacta M.285,26
Affiarta præfectus a Deſiderio reſtitutus M.52,52
Afflictionis vel Propitiationis feſtum, feſtum Iudæorum F.14
Affluentia omnium rerum poſt famem M.116,3
Affri a quo orti F.4
Africa a quo primum occupata 85,38 bello attrita 236,29. F.51 deuicta a Scipione F.30 a Vandalis occupatur 404,1,43 deſtructa a Genſerico F.51 partitur inter Valentinianum Imperat. & Genſericum Germanorum regem M.34,1 in Romanam prouinciam redacta 414,8 a Sarracenis vaſtata F.64 a Turcis occupata M.44,31 a Sarracenis liberata 427,54 peſti lethifera infecta F.31 magna fame affligitur M. 36,33 a Germanis occupatur M. 31,11.32.8 rapinis,cædibus in gratiam Romanorum ab hoſpitib. Germanis deſolata M.32,38
Africanum Romanorum bellum 237, 45
Africanum bellum ſecundum finitum 252,4
Agamemnon filius Atrei, frater Menelai rex Græciæ 133,37.136,30 dux Græcorum contra Troiam F.12
Agapetus I papa 415,29. F.55 legatus Theodati ad Iuſtinianum 414.11 moritur 414,15
Agapetus II papa 426,15. F.69 Italia in varias partes & factiones ſciſſa ab Imperatore auxilia petit M. 100,30
Agar Ægyptiaca, famula Saræ, mater Iſmaelis & Agarenorum F.7
Agarem Heraclio Imperatori fatales 423,28
Agatho papa F.60
Agelmund filius Hangionis primus rex Longobardorum 447,19 educat Lamiſionem ſucceſſorem in piſcina inuentum 447,26 occiditur 447,41
Agericus Virdunenſis epiſcopus F.56
Aggæus prophera 202,44.320,39. F.22
Agger Attilæ vel I. Cæſaris prope Aquileiam 407,14
Agilopus epiſcopus Colonienſis F.62
Agilulphus conſtituitur rex Germanorum in Italia, & meretur nuptias Theudelingæ M.42,22 ab omnibus Longobardis rex non agnoſcitur M. 42,38 Romam obſidet M. 42,51
Agnes, filia ducis Pictauienſis Wilhelmi, vxor Henrici III, mater Henrici IIII, 491,52. M.113,7 religioſam vitam eligit 498,33
Agnes filia Henrici IIII nubit duci Sueuorum Friderico, poſt Marchioni Auſtrio M.122,16,19
Agnes filia Alberti Imp. nubit regi Vngariæ M.202,49
Agoriuarij,olim populi Germaniæ M. 7,29
Agricultura inter Germanos commiſſa imbecillibus M. 9,16
Agrigentū vrbs Siciliæ a Romanis capitur 237,52
Agrippa rex Albanorum 173.4. 213,34. F.15
Agrippina ad Rhenum quæ poſt Colonia F.34.40
Agrippinus epiſc. Alexandrinus 372,23
Agrorum limites inter Germanos ſtricte obſeruati M.9,13 certæ poſſeſſiones olim inter Germanos nullæ M.11,35
Ahezion rex Syriæ F.15
Ahialon,iudex in Iſrael F.12
Ahias Silonites vates F.14
Aidanus epiſc. in Anglia F.59
Aimericus Antiochenus patriarcha F.78
Aimundus rex Angliæ vir ſanctus F.66
Aiſtulphus rex Longobardorum 440, 35. M.48,3 in pontificem incōſtans M. 48,6,35 premit Romanam eccleſiam 438,8. 441,7 Rauennam expugnat M.48,6 a Pipino Nano ad Romanæ eccleſiæ ſubiectionem redigitur 440,18. 441,9 Papiæ obſidetur M.48,29,48 moritur 442, 4. M. 48,51. 52,3
Alani edicto a Romanis proſcripti 431, 31
Alanus doctor Vniverſalis in Burgundia F.83
Alaricus I rex Gothorum 401,20 moritur

ritur 402,21. 407,28
Alaricus 11 rex Gothorũ victus a Clodonæo 433,43
Alaricus rex Germanorum M. 25,53 cum rege Gothorum fœdus icit M. 26,16 exercitu Italiam intrans ab Honorio Galliæ possessionem obtinet M.29,44 offensus ab Honorio Romam repetit,capit,subigit, nemini nisi christianis parcit M.30,29 sororẽ Honorij matrimonio sibi iungit M.30,32 ignauiæ damnatus decollatur M.30,45
Alarius rex Assyriorum 165,31
Alba Syluius rex Albanorum 169,35. 213,28. F.13
Alba ciuitas in Latio condita 162,31,48. F.12
Albani reges ab Alba, qui ante Latini 137,36. F.12 dicti Syluij F.13
Albanorum & Romanorum regũ catalogus 213,23
Alba,ciuitas Vngarorum M.115,21
Alba Græca M.205,51 a Turca grauiter obsessa forti virtute defenditur M.296,18 capitur a Turca M.317, 20
Alba regalis in Vngaria M.261,28.283, 22
Albatorum superstitiosa impostura M. 265,17
Albericus abbas Cistercienſis F.75
Albericus Veronæ princeps Imp. Frid. I B.viam occlusurus prosternitur M. 145,12
Albertus f. Rudolphi H. cõstituitur dux Austriæ M.196,15 belligeratur contra Imp. Adolphum M.202,4 Roman.Imp. Aug. F. 83. 88. M.202,13 coronatur Aquisgrani M. 202,37 confirmatur in imperio a pontifice interuentu pecuniæ M.202,44 attentus ad rem M.202,45 πολύτεκνος M.202,46 rex Galliæ in concilio Romano decernitur M.205,17 exercitũ in Gallias ducere iussus tergiuersatur M.205,25 simultates alit contra regem Bohemiæ M.205,43 in Bohemiam copias ducit, eamque sibi subigit M.210,30 iterũ in Bohemiam ducit exercitum, sed mox reducit M.211,7,15 durus in fratruelem Ioannem M. 212,32 sibi ab Italia cauet M.212,49 miserrime occiditur M.212,45
Albertus dux Austriæ rex Vngariæ coronatur M.283,22 rex Bohemiæ agnoscitur M.283,36 eligitur Romanorũ rex M. 284,45 cõtra aduersarios Casimirianos copias ducit, eosque insequitur M.285,7 expeditionem mouet in Ruſciam contra Turcam M.285,17 dysenteria corripitur & moritur M.285,30
Albertus dux Austriæ f. Frid. Imp fratri ob ducatũ Austriæ succenſet M.297, 25 latrones Austria eijcit & delet M.297,36 conspirat contra fratrem Imperatorẽ M.297,39 Bohemiam rege orbatam ambit 298 fratrem in arce Viennæ obsidet 300 Tigurum obsidet, & tandem cum incolis paciscitur M.249,18
Albertus comes de *Habspurg*, gener comitis de *Pfullendorf* M.154,2
Albertus dux Bauariæ ad regnum Bohemiæ vocatus honeste recusat M. 288,17
Albertus dux Bauariæ magnum bellum suscipit contra Palatinum Rheni 311
Albertus dux Bauariæ moritur
Albertus marchio Brandenburg. moritur F. 112. 90
Albertus marchio Brandenburgenſ. ex parte comitis de Wirtemberg M. 292,15
Albertus comes Francorum, ob homicidium decollatur 471,5
Albertus comes necatus torque aurea venenata M.93,21
Albertus comes de *Acheln* inuaditur a comite Wirtembergenſi M.197,54
Albertus f. Berengarij satis seditiosus contra Imperat. 477,23,34 mittitur cum thesauro in insulam Corſicam M.103,24
Adelbertus cognatus Car. M. aduocatus in villa regia vlma M.72,13
Albertus comes de *Werdenberg* M. 257,46
